UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatvs De Sacramentis Et Censvris

Hurtado, Gaspar

Moretus, 1633

urn:nbn:de:hbz:466:1-94788

Visual Library


IHS
1636

Th. 917a.

C VIII

16

R. P.

GASPARIS HVRTADO

E SOCIETATE IESV THEOLOGI

TRACTATVS DE SACRAMENTIS ET CENSVRIS.

TRACTATVS DE SACRAMENTIS ET CENSVRIS

AVCTORE

P. GASPARE HVRTADO MONDEJARENSI,

E Societate IESV Doctore Theologo Complutensi, & Supremæ S. Generalis Inquisitionis Qualificatore;

Olim in Academia Complutensi artium Liberalium publico Professore & Collega D. Ildephonsi, & in Collegio Complutensi Societatis IESV primario S. Theologiæ Professore.

Editio secunda, variè aucta & emendata.

Collegij Societatis JESV Paderbornæ 1636.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI,
M. DC. XXXIII.
Cum Priuilegijs Cæsareo & Regio.

DEI
TER OPT. TER MAX.
FILIAE, SPONSAE, MATRI
MARIAE,
CVIVS DE CASTISSIMIS VISCERIBVS NATVS
IESVS CHRISTVS,
QVI RVENTI HVMANO GENERI
ANTIDOTVM DONAVIT
SACRAMENTA NOVÆ LEGIS,
REM SENSIBVS SVBIECTAM
QVÆ SANCTITATEM SIGNARET ATQ. OPERARETVR,
QVEIS VTENTES
VITÆ REDDERET, VIRES MINISTRARET,
A MORBIS SANARET, DIVA ESCA ROBORARET,
SPIRITALIVM FILIORVM PARENTES CREARET,
IMMVNDAM CONIVNCTIONEM SANCTIFICARET,
IN AGONE VLTIMO CERTATVROS
OLEO SANCTO DELIBVTOS FIRMARET,
L. M. D. C. Q.
HOS EGO MEOS SVDORES INDIGNOS TANTO CONSPECTV
DE SACRAMENTIS ET CENSVRIS
GASPAR HVRTADO
MINIMÆ SOCIETATIS IESV ALVMNVS MINIMVS,
PARTÆ SALVTIS ANNO M. DC. XXXIII.
IDIBVS MAIIS.

VIRGO DEIPARA,



QVARTVM iam ad aram tuæ clementiæ litaturus venio, ſacraturúſque meos, quales quales, labores; exantlatos tamen pro ingenioli mei tenuitate. Dum typis Hiſpanis dedi, lallare infantis tui, non contemnere es viſa; cùm, moderante te corda legentium, benigno fauore errores meos diſſimulare procuraſti, puſionum vt ſolent matres.

Et mea, & Hiſpaniæ noſtræ tu mater, almáque nutrix. Vix de Symbolo Apoſtoli conuenerant, cùm tonitrui filius, adoptiui tui IOANNIS germanus, Iudæis doctrinæ eius tonitrua non ferentibus, in prouinciam ſibi abs collegis delegatam Hiſpaniam venit. Ex tunc tu miſericordiarum noſtratibus Mater vt fieres, agnato tuo IACOBO viſendam te præbuiſti in columna marmorea Cæſarauguſtæ; rupeam intemeratámque vt iſtic futuram fidem Chriſtianam adſtrueres, non verbis magis quàm hieroglyphico. Quemadmodum marmor, quod oculis cernimus, tot ſæcula tulit nihil immutatum: ſic fides, quam te adiutrice plantauit IACOBVS, nec hæreſis vlla, nec Maurica barbarorum rabies, aut immanis perſecutorum tyrannis,

tyrannis, inde potis fuit eradicare. Stat hîc, æternúmque ſtabit promiſſo tuo ſecurus, & Dei Filij tui cultus, & in te amor atque veneratio.

Aram tibi viuæ templúmque ſacrauit Hiſpania. Meliori vitâ fruenti (heu quàm nihil, ſi mea ſpecto!) Filij tui Sacramenta Complutenſibus characteribus per me explicata, dicarè Hiſpanus præſumpſi, tamquam communi Matri, & cùius ego omnium indigniſſimus toties etiam benignitatis vbera expertus.

Limaui iterùm, atque in Belgium ad chalcographorum principem Balthaſarem Moretum, Plantinianæ virtutis induſtriæqúe heredem, tranſmiſi. Circumſpexi, num & iſtic tua veſtigia cernerem, vbi nuper impia nouitas, & noua impietas, Mariomaſtigas Auerni è ſpecu produxit. Veterum monumentorum memoriam vltimam reuoluens, inueni MATERNVM, quem PETRVS Apoſtolus ad Belgas deſtinauit; mortuúmque, & quadraginta dies ſepultum apud Alſatios, Argentoratenſi in agro, ſcipione Româ miſſo, ad vitam reuocauit; Tungris, anno poſt partum tuum circiter nonageſimo, diuo tuo nomini templum ſacrauiſſe, támque tenerum in te affectum inſtillaſſe, vt vulgi idiomate alio te nomine non compellent Belgæ, quàm NOSTRA CHARA DOMINA. Tungrorum horum priſcis in limitibus eſt Antuerpia,

uerpia, vbi luci dandum, quod oblaturus venio. Vicinorum proto-Apoſtoli, SIAGRIVS Cameracenſium, PIATVS Neruiorum, DIOGENES Atrebatium, primorum in Belgio Epiſcopatuum fundatores, ſe ſuóſque tibi obnoxios voluêre: adeò vt non minùs Belgium quàm Hiſpania tuum ſit; eamdem Dominam agnoſcat poſt Deum in cælis, quemadmodum eumdem in terris Regem. Hinc dubitandum non fuit, cuius tutelæ ſubiicerem. Accipe igitur, foue, protege ingenioli mei fetum. Quod in eo bonum, tuum eſto: quod malum, omne meum permaneto, inexhauſtæ bonitatis tuæ lymphâ purgandum.



R.P. GASPA-

R. P.

GASPARIS HVRTADO

DOCTORIS THEOLOGI E SOC. IESV

DE

SACRAMENTIS

TOMVS PRIMVS,

COMPLECTENS TRACTATVS

DE SACRAMENTIS IN GENERE,

BAPTISMO, CONFIRMATIONE,

POENITENTIA, ET EXTREMA VNCTIONE.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FACVLTAS PROVINCIALIS.

EGo Franciscus Aguado, Societatis IESV in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Mutio Vitelleschi, Præposito Generali, facultatem facio, vt Tomus primus de Sacramentis, Auctore Patre Gaspare Hurtado Mondexarensi, nostræ Societatis Doctore Theologo, & eiusdem Societatis grauium doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Matriti in nostro Imperiali Collegio die nona Iulij, anno millesimo sexcentesimo vigesimo octauo.

Franciscus Aguado.

LICENCIA.

NOs el Licenciado D. Fernando de Ballesteros y Saauedra, Vicario General en la Audiencia y Corte Arçobispal desta villa de Alcala, y de todo el Arçobispado de Toledo, por su Alteza el Serenissimo Cardenal Infante de España, por la presente damos licencia al Padre Doctor Gaspar Hurtado, en quanto à nos toca, Religioso de la Compañia de IESVS, Lector de Theologia en el Collegio de la Compañia desta dicha villa, para que en ella y en otra qualquiera parte de todo este dicho Arçobispado, pueda imprimir vn libro, intitulado, Tractatus de Sacramentis in genere, Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, y Extrema vnctione, atento nos consta por la censura del señor Doctor Pedro de Celada, à quien fue remitido, le viesse y examinasse, no hauer en el cosa contra nuestra santa Fè Catolica, y buenas costumbres, y ser vtil y prouechoso y muy docto. Dada en Alcala en veinte y seys de Iunio de mil y seiscientos y veinte y ocho años.

D. Fernando de Ballesteros y Saauedra.

Por su mandado.
Diego Lopez de Olibares.

CENSVRA.

TRactatus de Sacramentis in genere, Baptiſmo, Confirmatione, Pœnitentia, & Extrema Vnctione, à P. Doctore Gaſpare Hurtado conſcriptos, iuſſu D. Licentiati Dom. Ferdinandi de Valleſteros & Saauedra, in hac Complutenſi Archiepiſcopali Curia Generalis Vicarij, &c. diligens & attentus legi, nec quidquam in eis reperi, non è Catholica Fide, & bonis fidelium moribus. Admiror viri acumen, quo abſtruſiora Theologiæ adyta penetrans, ſapientiæ gazas plena manu dat doctis, dat perſpicuus tyronibus, dat felix omnibus; implexos huc vſque difficultatum nodos extricat facili explicatione. Suſpiciant alij ſententiarum delectum, robur in probando, modeſtiam in refellendo, (quod in re Theologica maximè faciendum eſt) ego verò admiror ſtrictam verbis ac rebus diffuſam valdè, & ſucci plenam tractandi methodum, quæ gloria huius Auctoris eſt. Multa breuî amplectitur, diuinæ Theologiæ pretioſos theſauros vno verbo dat affatim. De hoc Auctore, non de ſuo Phocione, videtur mihi dixiſſe Plutarchus: *Animaduertit idem orationi conuenire quod nummis; qui eò ſunt pretioſiores, quò in minori materia plus valoris ac pretij amplectuntur: ſic optimum videtur orationis genus, quo paucis multa ſunt grauiter, ſapienter acuteque ſignificata.* hæc ille, hæc iſte præſtitit. Ergo res exigit, vt ad communem vtilitatem quàm primum euulgetur. Compluti die XXVI. Iunij, anno Domini M. DC. XXVIII.

D. Pedro de Celada Silua.

CENSVRA.

DIſputationes & Controuerſias de Sacramentis in genere, Baptiſmo, Cõfirmatione, Pœnitentia, & Extrema Vnctione, quas P. Gaſpar Hurtado Societatis IESV in Complutenſi Academia Doctor primarius, in lucem edere conatur, ſupremi Senatus iuſſu magna animi voluptate perlegi; & aliis huius Magiſtri operibus excitatus, in eis nihil Fidei, Sacrorum Conciliorum integritati, ſanctorum Patrum conſenſui, piis moribus repugnans, ſed potiùs opus politum, ex lapidibus quadratis confectum reperi. Auctor hic meritò Magiſter ſententiarum nuncupari debet; ſiquidem non plura, ſed plurima vno verbo complectitur: quapropter Opus hoc typis mandari debere, & animum Auctoris ad vlteriora progredientem inducere iudicaui. In quorum fidem ſubſcripſi in Eccleſia parochiali S. Geneſij Matritenſi, VII. Calend. Octobris, anno Domini M. DC. XXVIII.

D. Ioſeph de Argaiz.

TRA-

TRACTATVS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura & essentia Sacramenti.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm vsus nominis SACRAMENTVM, *qui est apud Catholicos, sit rectus.*

HÆRETICI nostri temporis Catholicos irrident, quia nomine *Sacramentum* vtuntur pro signo sanctitatis & gratiæ; quia significatio hæc est noua, & minimè in Scriptura reperta.

Catholici tamen nomine *Sacramentum* pro signo sanctitatis rectè vtuntur; quia nomen *Sacramentum*, quod in Scriptura accipitur pro signo rei occultæ, præsertim sacræ, vt Daniel. 2. & ad Ephes. 5. aptè accommodant ad significandam rem significantem gratiam & sanctitatem quæ est occulta & sacra. Quòd autem nouiter accommodent nomen *Sacramentum* ad gratiam & sanctitatem significandam, non est irrisione, sed laude dignum; quia res ipsa per illud significata, nempe res significans sanctitatem & gratiam, etiam fuit à Deo nouiter ad id instituta.

Tertul. Cypr. Lactant. Hieron. Auguſt. Vict. Pap. Anaſt. Nicolaus. Conc. Lat. Conſtant. Florentin. Trident.

Nomine autem *Sacramentum* in dicta acceptione Catholicorum vtuntur Tertullianus lib. de Præscriptionibus aduersus hæreticos, cap. 16. Cyprianus lib. 3. Epistola 43. Lactantius lib. 4. Diuinarum institutionum, cap. 17. Hieronymus in cap. 44. Ezech. Augustinus Epist. 118. Victor Papa Epist. 2. Anastasius II. Epist. ad Anast. cap. 8. Nicolaus I. in suis Rescriptis, tit. 11. cap. 5. & Concilium Lateranense sub Innocentio III. & Constantiense, & Florentinum, & Tridentinum.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Sacramentum definiri possit.

Ocham. Aliacensis. Gabriel.

OCham & Aliacensis in 4. quæst. 1. & Gabriel dist. 31. q. 1. art. 3. existimant, Sacramentum definiri non posse; quibus fauere videtur Aristoteles 7. Metaph. cap. 4. dum soli substantiæ definitionem tribuit: & ratione videtur probari, quia Sacramentum non est vnum per se, sed per accidens ex pluribus aggregatum.

Scotus. Vasquez.

Scotus verò in 4. distinct. 1. quæst. 2. Vasquez disput. 128. & communiter Theologi, existimant Sacramentum definiri posse; & meritò, quamuis Sacramentum coalescat intrinsecè ex rebus diuersorum prædicamentorum, nempe ex significatione Sacramentali, & ex re materiali, cui conuenit dicta significatio (sicut nomen ex voce & significatione) est tamen verè vnum ex illis coalescens, quia coalescit ex illis tanquam ex potentia & ex actu coniunctis & vnitis: ac proinde definiri potest per vnum genus, eadem proportione vnum, qua Sacramentum ipsum; & per vnam differentiam, sicut definiri potest, & de facto definitur nomen ab Aristotele 1. de Interpretatione cap. 2.

Quòd verò Sacramentum non sit vnum omnino per se, sed aliquo modo per accidens ex pluribus verè vnitis aggregatum, non obstat vt definiri possit, cùm sit vnum vera vnione eorum ex quibus coalescit, (vt album ex corpore & ex albedine) & non sola temporis continuatione, vt bellum; neque sola loco coniunctione, vt cumulus lapidum; quæ ex defectu vnionis eorum ex quibus coalescunt, non possunt aptè definiri.

Aristoteles autem vbi suprà, dum ait soli substantiæ conuenire definitionem, tantùm intelligit primariè; sicut ipsi soli primariè conuenit esse ens, quia accidentia sun entis entia.

DIFFICVLTAS III.

Quid sit Sacramentum.

Magister.

SAcramentum variè à Catholicis definitur, quia in primis Magister in 4 dist. 1. definit illud, quòd sit, *Inuisibilis gratiæ visibilis forma, &*

eiusdem gratiæ similitudinem gerens, & causa existens. Dicitur visibilis, id est, sensibilis, sumpta denominatione à visu, quia est sensus omnium principalissimus.

Hug. Vict. Secundò, Hugo de S. Victore lib. 1. de Sacramentis, part. 9. c. 2. definit Sacramentum, quòd sit: *Corporale vel materiale elementum, foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam invisibilem & spiritualem gratiam.*

S. Thom. Tertiò, S. Thomas quæst. 60. artic. 2. definit Sacramentum, quòd sit, *Signum rei sacræ sanctificantis nos*: subintelligitur *formaliter*.

Catechis. Pij V. Quartò, Theologi Catechismi Pij V. definiunt Sacramentum, quòd sit, *Res sensibus subiecta, quæ ex Dei constitutione, sanctitatis & iustitiæ tum significandæ tum efficiendæ vim habet.*

Tandem quintò Sacramentum definiri potest, & à non paucis definitur, quòd sit, *Signum sensibile sanctitatis.* Definitio hæc, quoad rem attinet, conuenit cum definitionibus prædictis: & nobis maximè probatur, quia clariùs quàm illæ explicat naturam Sacramenti in genere; quia illæ aliæ, vel relinquunt aliquid, quod obscurè subintelligitur; vel continent aliquid, quod ad rationem Sacramenti est minimè necessarium.

In hac ergo definitione *signum* (quod intelligitur verum indefectibiliter, seu infallibiliter, quantum est ex parte ipsius, nisi ex parte suscipientis ponatur obex) est genus, aut ponitur pro genere: & in ea additur *sensibile*, quia etiamsi possint à Deo institui Sacramenta in actu aliquo interno spirituali, medio quo gratia significetur ipsi habenti eum actum, quia ex eo actu spirituali sic instituto posset illum habens excitari ad deueniendum in notitiam sanctitatis aut gratiæ, quæ ex institutione Dei danda esset; nihilominùs Sacramentis de facto institutis, de quorum natura communi loquimur, conuenit necessariò esse sensibilia, & ratio sensibilis pertinens intrinsecè ad illud materiale adæquatum Sacramenti, cui inest significatio Sacramentalis illi proueniens ex institutione Christi, quia Christus de facto res sensibiles in Sacramenta instituit.

Et quamuis nulla res sensibilis, neque verbum aliquod sensibile possit esse signum sanctitatis indefectibiliter verum (eo modo quo conuenit Sacramentis) nisi ex institutione Dei, vt patet, quamuis in rebus institutis à Christo ad significandam sanctitatem sit proportio aliqua naturalis ad id, (& in verbis ab ipso institutis sit significatio aliqua sanctitatis, illis ex humana institutione proueniens) nihilominùs institutio Dei non exprimitur, imò neque subintelligitur in dicta quinta definitione nobis maximè probata: quia diuina institutio non pertinet intrinsecè ad significationem sanctitatis, quia tantùm est quasi causa efficiens, aut forma extrinseca, ex qua rei sensibili & verbo sensibili aduenit Sacramentalis significatio vera sanctitatis: & quia consecratio, quæ inest verbis & rebus à Christo institutis in Sacramenta, nihil aliud est quàm ipsa Sacramentalis significatio sanctitatis, ideò in ea quinta definitione non fit mentio consecrationis sub nomine consecrationis, quia re ipsa exprimitur nomine signi.

In dicta autem quinta definitione particula *sanctitatis*, aut respectus signi sensibilis ad sanctitatem, ponitur pro differentia; quia signum sensibile per respectum & ordinem ad sanctitatem contrahitur ad esse Sacramenti, & distinguitur ab aliis signis sensibilibus, quæ non sunt propriè Sacramenta.

DIFFICVLTAS IV.

Quænam sit sanctitas quam Sacramentum significat, & cuius significatione constituitur.

SVpponimus, sanctitatem esse duplicem, alteram internam animæ & coram Deo, qua efficimur iusti, & Deo amici, & heredes ipsius; alteram non simpliciter sanctitatem, sed tantùm secundùm quid, qualis est remotio alicuius impedimenti ad cultum diuinum, & etiam exterior consecratio seu dedicatio ad illum, qualis erat sanctitas legalis, quæ pluribus Sacramentis veteris legis conferebatur, & qualis in noua lege est absolutio ab excommunicatione, & prima tonsura, & professio solemnis, & consecratio Abbatis.

Hoc ergo supposito, difficultas est, Cuius sanctitatis, ex his duabus, significatione constituatur Sacramentum.

Canus Relectione de Sacramentis in genere, par. 1. ad finem, & Bellarminus de Sacramentis, cap. 12. existimant, Sacramentum in communi constitui significatione sanctitatis in communi, prout abstrahit à sanctitate interna & simpliciter, & à sanctitate externa & secundùm quid; quia de ratione Sacramenti in communi est, quòd sit signum practicum seu factiuum eius quod significat, Sacramenta autem veteris legis efficiebant sanctitatem externam & legalem, & Sacramenta nouæ legis sanctitatem internam & coram Deo, & tam vetera quàm noua significabant id quod efficiebant: ergo ratio Sacramenti, quæ est communis Sacramentis veteribus & nouis, sita est in significatione sanctitatis in communi, abstrahentis ab interna & externa. *Canus. Bellarm.*

S. Thomas verò quæst. 60. artic. 1. & 2. Vasquez disput. 128. cap. 5. & communiter Theologi docent, rationem Sacramenti in genere, seu in communi, sitam esse in significatione sanctitatis internæ & coram Deo, non sanctitatis externæ, neque sanctitatis in communi. Quod satis indicat Augustinus 19. contra Faustum cap. 16. dum ad finem, de Sacramentis nouis ait, per ea significari donum spirituale æternum; & anteà dixerat, eamdem rem per Sacramenta quæ defierunt, (id est, vetera) significari ac per noua: & Eugenius IV. in suo Decreto fidei, habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem, & approbato ab ipso Concilio, dum supposuit, antiquis Sacramentis & nouis commune esse significare gratiam seu sanctitatem internam, & inter se differre, quia noua illam significant & causant, antiqua verò tantùm illam dandam esse per Christum figurabant, id est significabant. *S. Thomas. Vasquez. Augustin. Eugen. IV.*

Et id ratione probatur: quia Sacramentum, quod in Scriptura accipitur pro signo rei occultæ,

cultæ, præsertim sacræ, aptè etiam in stricta acceptione accommodatum fuit signo gratiæ internæ simpliciter sanctificantis, vt diximus Difficultate 1. sanctitas autem externa & legalis neque est occulta, quia est externa & legalis, neque simpliciter sanctificans; ergo ratio Sacramenti in communi strictè accepti, de quo nunc loquimur, non consistit in significatione sanctitatis externæ, neque sanctitatis in communi, sed tantùm sanctitatis internæ & simpliciter. Et confirmatur: quia si significatio sanctitatis externæ, aut in communi, adhuc practica & factiua illius, sufficeret ad rationem Sacramenti strictè sumpti, verè in hac noua lege gratiæ, præter septem Sacramenta gratiam conferentia, essent admittenda plura alia strictè Sacramenta veteribus similia, vt prima tonsura, consecratio Abbatis, professio solemnis in Religione, absolutio ab excommunicatione; quia hæc omnia significant & conferunt sanctitatem quamdam externam, imò eam significant & conferunt infallibiliter, quamuis eam non significent & conferant ex institutione Dei, quia ad sanctitatem externam infallibiliter significandam & conferendam sufficit institutio Ecclesiæ; quia sanctitas hæc ab Ecclesia confertur ex ipsius institutione (excepta absolutione ab excommunicatione, quæ dimanat ex institutione diuina) & diuina institutio ex eo tantùm est necessaria ad rationem Sacramenti; quia ad hanc requiritur vera & infallibilis significatio sanctitatis internæ; ad hanc autem significationem requiritur diuina institutio, quia sanctitas interna ex solius Dei institutione significari & conferri potest.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm ad rationem Sacramenti requiratur, quòd sit signum practicum & factiuum sanctitatis.

Canus. Bellarmin. Suarez. Ægidius. Reginal.

CAnus & Bellarminus vbi suprà, Suarez disp. 1. Ægidius quæst. 60. art. 2. dub. 1. & Reginaldus lib. 26. cap. 1. partem affirmatiuam tuentur. Primò, quia in Scriptura, quando sermo est de Sacramentis strictè sumptis, rarò dicuntur significare, & frequenter dicuntur consecrare, sanctificare, aut initiare, vt patet Exodi 28. & Leuitici 8. & de Baptismo ad Tit. 3. dicitur, quòd sit lauacrum regenerationis; ergo Sacramento non solùm conuenit significare, sed etiam facere. Secundò, quia si ad rationem Sacramenti sufficeret esse signum sanctitatis, non factiuum illius, matrimonium Adami in statu innocentiæ fuisset strictè Sacramentum, quia significabat mysterium Incarnationis, & gratiam per Christum dandam: imò etiam esus mannæ, quia significabat Eucharistiam, & gratiam dandam per ipsam: & transitus Maris rubri, quia significabat Baptismum, & gratiam dandam per ipsum.

Auctores tamen huius sententiæ eam diuersimodè defendunt, quia Canus, Bellarminus & Reginaldus existimant, ad rationem Sacramenti requiri, quòd sit factiuum eiusdem sanctitatis cuius est signum; Suarez verò & Ægidius existimant, ad rationem Sacramenti requiri quòd sit signum gratiæ, & sufficere quòd sit factiuum sanctitatis legalis.

S. Thomas. Vasquez. Sotus. Ochag.

S. Thomas verò quæst. 60. art. 1. Sotus in 3. dist. 1. q. 1. art. 2. Vasquez disput. 128. cap. 1. & Ochagauia quæst. 3. docent, & meritò, ad rationem Sacramenti strictè sumpti sufficere quòd sit signum nudum sanctitatis & gratiæ, absque eo quòd sit factiuum eiusdem, neque alterius: quod indicat Eugenius IV. in suo Decreto, dum assignans discrimen inter Sacramenta veteris legis & nouæ, ait in eo differre, quòd Sacramenta veteris legis non causabant gratiam, sed tantùm illam dandam esse per passionem Christi figurabant; Sacramenta verò nouæ legis illam continent & conferunt. Vbi supponit, ad rationem Sacramenti sufficere, significare sanctitatem, aut de præsenti collatam, aut posteà conferendam, & non esse necessarium conferre sanctitatem aliquam, cùm rationem genericam Sacramenti in veteribus, & eorum differentiam à nouis, inuenerit in eo tantùm, quòd significabant seu figurabant gratiam conferendam, quamuis non ab ipsis.

Eugen. IV.

Et ratione probatur: quia eo ipso, quòd aliquando Sacramentum significat gratiam sanctificantem, absque eo quòd aliquid efficiat, est specialiter Sacramentum distinctum ab omnibus alijs rebus, & mysterijs significantibus alias res sacras distinctas à gratia & sanctitate sanctificante; ergo ad rationem Sacramenti specialiter & strictè sumpti, sufficit nudè significare gratiam, & non est necessarium eam aut aliud efficere.

Quòd autem in Scripturâ Sacramentis strictè sumptis frequenter tribuatur quòd aliquid efficiant, non conuincit, id requiri ad rationem Sacramenti; quia Scriptura non definit Sacramenta, sed narrat quid efficiant, quamuis efficere non requiratur ad rationem Sacramenti. Et ex eo, quòd ad rationem Sacramenti sufficiat significare gratiam sanctificantem, non fit, ea, quæ ab aduersarijs enumerantur, esse Sacramenta strictè & specialiter sumpta, quia nullum eorum significabat gratiam sanctificantem esse conferendam, etiamsi aliqua eorum ob sui naturalem analogiam & proportionem fuerint vmbra, & figura, & aliqualis repræsentatio gratiæ: vt transitus Maris rubri, quamuis fuerit vmbra & figura Baptismi, & gratiæ seu ablutionis interioris per Baptismum dandæ; & esus mannæ, quamuis fuerit vmbra Eucharistiæ, & gratiæ seu refectionis interioris per illam dandæ; & matrimonium Adami in statu innocentiæ, quamuis fuerit vmbra & figura incarnationis, & gratiæ seu vnionis interioris per Christum dandæ; nullum tamen eorum fuit strictè Sacramentum, quia nullum eorum significabat gratiam conferri, neque conferendam esse, quia non fuerunt à Deo ad id instituta. ex cuius defectu, multa alia non fuerunt strictè Sacramenta, quamuis fuerint figuræ & aliquales repræsentationes gratiæ sanctificantis, vt serpens æneus, & aqua de petra illa fluens.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm ad rationem Sacramenti requiratur, quòd sit signum demonstratiuum sanctitatis præsentis.

Canus. Bellar. Valent. Seb. Per.

CAnus, & Bellarminus vbi suprà, Valentia disput. 3. quæst. 1. punct. 1. & Sebastianus Perez Episcopus Oxomensis, quæst. 60. num. 8. docent, ad rationem Sacramenti requiri, quòd sit signum demonstratiuum sanctitatis præsentis, quæ in ipso vsu Sacramenti confertur; & non sufficere quòd sit signum prognosticum futuræ (quamuis Canus & Bellarminus nomine sanctitatis intelligant sanctitatem in communi, prout abstrahentem à sanctitate interiori, & à sanctitate legali; Valentia & Episcopus Oxomensis sanctitatem interiorem:) quia significatio prognostica sanctitatis futuræ, & dandæ, etiam conueniebat Sacrificijs veteris legis, quia ex diuina institutione significabant Sacrificium cruentum Christi, cuius erant figura & aliqualis repræsentatio naturalis, & etiam fructum dandum per illud, & tamen non erant strictè & absolutè Sacramenta: ergo ad rationem Sacramenti non sufficit significatio prognostica sanctitatis futuræ, sed necessaria est significatio demonstratiua sanctitatis præsentis.

Sotus. Vasq.

Sotus verò in 4. distinct. 1. quæst. 1. artic. 2. & Vasquez disputat. 128. cap. 5. docent, & meritò, ad rationem Sacramenti sufficere, quòd sit signum prognosticum gratiæ postea dandæ, quod supponit Eugenius IV. in suo Decreto, dum Sacramentis veteris legis (quæ supponit fuisse absolutè Sacramenta) tantùm attribuit, quòd significabant gratiam per passionem Christi, tamquam sufficiens vt essent Sacramenta. Et ratione probatur; quia eo ipso, quòd aliquod signum sit prognosticum infallibile sanctitatis futuræ, est speciale signum & sanctitatis sanctificantis, siue ipsum subiectum cui applicatur signum illud, siue alterum subiectum, ergo est specialiter & strictè Sacramentum.

Quòd autem significatio prognostica gratiæ futuræ conuenerit Sacrificijs veteris legis, non obstat: quia etiam erant strictè Sacramenta, vt dicemus Disputatione 11. Difficult. 111. quamuis non in quantum Sacrificia; quia erant Sacrificia, quatenus ipsis recognoscebatur Deus auctor vitæ & mortis: erant verò Sacramenta, quatenus verè & infallibiliter, quantum est ex parte ipsorum (quia ex Dei institutione) significabant gratiam dandam per Sacrificium cruentum, seu passionem Christi, cuius erant figura & vmbra naturaliter.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm significatio sanctitatis in Sacramentis sit realis, vel rationis.

COnueniunt Doctores, significationem Sacramentalem sanctitatis non esse entitatem aliquam realem in se intrinsecam, sed tantùm esse quid extrinsecum in se (extrinseca videlicet relatio ad sanctitatem) quia ex institutione diuina, ex qua dicta significatio conuenit Sacramentis, nihil potest illis intrinsecum conuenire, sicut neque vocibus ex institutione hominum.

Est tamen difficultas, An dicta significatio, seu relatio extrinseca ad sanctitatem, sit realis ante conceptionem intellectus, an tantùm sit rationis, tantùm obiectiuè existens in intellectu.

Palacios. Suar. Ægid.

Palacios in 4. dist. 1. disp. 1. Suarez disput. 1. sect. 3. & Ægidius q. 60. art. 2. n. 14. docent esse realem; quia Sacramentum, institutione diuina semel facta, verè, nullo intellectu considerante, significat sanctitatem, sicut paries verè à parte rei videtur, ergo.

Scotus. Sotus. Vasq.

Scotus verò in 4. distinct. 1. q. 2. Sotus q. 1. art. 1. & Vasquez disput. 128. cap. 4. docent, tantùm esse rationis, ab intellectu formatam; & meritò: quia ex institutione diuina extrinseca materiæ & formæ Sacramenti, nihil illis à parte rei seu reale conuenire potest; quia intelligi nequit, à parte rei esse aliquid reale in se purè extrinsecum, pullulans ex aliquo ex se intrinseco ab intrinseco distinctum à parte rei, sed tantùm est quid formatum ab intellectu, præsuppositis institutione Dei quasi fundamento: sicut intelligi nequit, visum esse in pariete, esse in se aliquid purè extrinsecum reale, conueniens à parte rei parieti à visione existente in visu, ex ipsa visione oriens & pullulans, sed tantùm esse quid formatum ab intellectu, præsuppositis visione in visu tamquam fundamento: quando enim paries videtur, tantùm est à parte rei paries, & visio, & non aliud extrinsecum.

Vnde, sicut paries à parte rei non est formaliter visus ab aliquo tamquam à forma ipsi parieti intrinseca, quia tantùm est visus obiectiuè, & quasi fundamentaliter à visione, tamquam ab actu, versante extrinsecè circa ipsum parietem, & quasi à fundamento; ita etiam materiale adæquatum Sacramenti, cui conuenit significatio Sacramentalis, est significans sanctitatem à parte rei, non formaliter ab aliquo tamquam à forma sibi intrinseca, sed tantùm fundamentaliter ab institutione diuina tamquam à forma sibi extrinseca, & quasi à fundamento: dicitur autem formaliter significans à significatione formata, & concepta ab intellectu, quasi à forma intrinseca, sicut paries dicitur formaliter visus ab extrinseca denominatione, seu relatione visi ad visionem, formata ab intellectu.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Sacramentum vniuocè conueniat nouis & veteribus.

NOn pauci neque indocti existimant, Sacramentum analogicè, & non vniuocè conuenire nouis & veteribus Sacramentis (quod etiam in hac Academia Complutensi docuit Doctor Tena Episcopus Tortosæ) quia Sacramenta noua significant gratiam vt conferendam à se ipsis, vetera verò vt conferendam ab alio; ergo significare Sacramenti, seu significatio Sacramentalis, qua vt forma totali constituitur Sacramentum, analogicè conuenit vtrisque, sicut

Tena.

sicut esse seu ens conuenit analogicè Deo & creaturis, ex eo quòd Deus sit ens à se, & creaturæ sint entia ab alio.

Bellar. Valq. Suar. Ægid. Bellarminus verò lib. 1. cap. 12. Vasquez disput. 128. c. 5. Suarez disput. 1. sect. 2. & Ægidius quæst. 60. art. 4. dub. 2. existimant, Sacramentum vniuocè conuenire Sacramentis nouis & veteribus; & meritò: quia significare, seu significatio gratiæ, qua vt forma totali constituitur Sacramentum, vniuocè conuenit vtrisque, quia ex vna parte res significata, nempe gratia, est eadem, quamuis Sacramenta noua eam significent vt præsentem, & vetera vt futuram; & ex altera parte ipsum significare est eiusdem rationis & speciei.

Ad rationem ergo pro aduersariis adductam, concedimus, ens analogicè analogia attributionis conuenire Deo & creaturis, quia Deus est ens à se, & creaturæ sunt entia ab ipso Deo; negamus tamen, Sacramentum analogicè conuenire nouis & veteribus, quamuis noua significent gratiam causandam à se ipsis, & vetera ab alio: quia Deus, ex eo quòd est ens à se, est ens simpliciter, & infinitum, & per essentiam; creaturæ verò, ex eo quòd sint entia ab ipso Deo, sunt entia per participationem, & imationem ad Deum infinitum ens, ac proinde per attributionem ad ipsum: Sacramenta verò noua, ex eo quòd sint signa gratiæ causandæ ab ipsis, non habent quòd sint signa per essentiam, & infinita simpliciter; Sacramenta verò vetera, quamuis sint signa gratiæ causandæ ab alio, adhuc à Sacramentis nouis, non sunt signa per participationem, & imitationem, & attributionem ad noua.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm omnia Sacramenta nouæ legis perficiantur rebus & verbis.

CONueniunt Doctores, quinque Sacramenta, nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Extremam Vnctionem, & Ordinem, perfici rebus & verbis, quod est notissimum.

Est tamen difficultas, an etiam Sacramenta Pœnitentiæ & Matrimonij perficiantur rebus & verbis.

Durãdus. Durandus in 4. dist. 1. quæst. 3. num. 8. partem negatiuam tuetur: quia Sacramentum Pœnitentiæ perficitur solis verbis, nempe verbis pœnitentis, & verbis Sacerdotis absoluentis, absque rebus; & Sacramentum Matrimonij regulariter fit solis verbis vtriusque contrahentis, & aliquando solis nutibus, absque verbis, loco eorum.

Eugen. IV. Reliqui tamen Theologi partem affirmatiuam meritò tradunt: quod expressit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, vbi postquam omnia septem Sacramenta enumerauit, ait: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur; rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & personâ ministri.* vbi loquitur de rebus & verbis propriè & strictè, quia paulò pòst, dum instituit sermonem de Matrimonio, ait hoc regulariter fieri per verba; quod addit, quia aliquando fit nutibus. Per verba ergo intelligit propriè & strictè verba, prout distinguitur à quocumque, quod etiam possit gerere vicem verborum, ac proinde per res etiam intelligit propriè & strictè res.

Et ratione probatur: quia Sacramentum Pœnitentiæ non tantùm perficitur verbis pœnitentis & absoluentis, sed etiam perficitur dolore pœnitentis, qui verè est res; imò confessio pœnitentis aliquando fit nutibus, & non verbis; & semper, etiam quando fit verbis, versatur circa peccata, quæ sunt res, saltem quoad id quod habent à voluntate, & sunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ; quibus omnibus accedit satisfactio, qua pœnitentia integraliter perficitur, & est res saltem quoad id quod habet à voluntate. Et id etiam Matrimonio conuenire, facilè ostendi potest: quia in primis perficitur rebus, cùm in eo corpora contrahentium, & corporum traditiones & acceptationes, sint materia circa quam, sicut aliæ res, & earum traditiones & acceptationes in aliis contractibus: imò aliquando perficitur nutibus absque verbis, quod non contradicit Eugenio IV. in dicto Decreto generaliter dicenti, omnia Sacramenta perfici rebus & verbis, quia id postea restringit, addendo, Matrimonium (id est vinculum Matrimonij) regulariter effici per consensum verbis expressum: quod addidit, quia aliquando efficitur per consensum nutibus, absque verbis, expressum. Vnde id, quod anteà dixit, omnia Sacramenta perfici rebus & verbis, verum est regulariter, non quia in aliis Sacramentis à Matrimonio non semper contingat, sed quia in Matrimonio non semper contingit: & ideò quando dixit Eugenius, omnia Sacramenta perfici rebus & verbis, non addidit illam particulam *regulariter*, ne existimaretur eam particulam etiam habere locum in aliis Sacramentis, sed posteà tantùm, quando loquebatur de Matrimonio.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Sacramenta noua perficiantur rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma.

CONueniunt Doctores, Sacramenta noua perfici rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma, vt expressit Eugenius IV. in suo *Eugen. IV.* Decreto fidei: res autem dicuntur materia, & verba dicuntur forma in omnibus Sacramentis; in aliquibus, quia assimilantur materiæ & formæ, & in aliis, quia verè sunt materia & forma. Assimilantur autem res materiæ, & verba formæ, in illis Sacramentis ad quæ res & verba intrinsecè pertinent, vt in quinque Sacramentis, excepto Matrimonio, & etiam Eucharistia: & assimilantur in eo, quòd res ob analogiam plura significantes determinantur per verba, quibus coniunguntur, vt simul cum illis significent effectum Sacramentalem, & non aliam rem, vt videre est in infusione aquæ, ob varias qualitates aquæ, humiditatem videlicet & frigiditatem, ex se significante lotionem & refrigerationem mysticas, quæ per verba illa, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. determinatur, vt simul cum verbis non significet refrigerationem, sed lotionem & mundationem spiritualem; res verò & verba

sunt

sunt vera materia, & vera forma, quando ambo non pertinent intrinsecè ad Sacramentum, quia tunc res sunt materia circa quam, & verba sunt forma quæ circa illas versatur: in Matrimonio enim, quod non constat intrinsecè rebus & verbis, res, nempe corpora contrahentium, aut eorum traditiones & acceptationes, sunt vera materia circa quam, quia circa eas versantur verba exprimentia consensum, ac proinde tunc verba simili proportione sunt vera forma, non intrinsecè constituens Sacramentum, sed quasi extrinseca, quæ circa materiam versatur. Et in Eucharistia, quæ etiam non constat intrinsecè rebus & verbis, res sunt vera materia circa quam, & verba sunt vera forma quæ circa illas versatur, quia verba quibus Eucharistia perficitur, versantur circa panem & vinum, ex quibus etiam perficitur tamquam ex materia circa quam, ac proinde ipsa etiam sunt forma modo dicto, nempe quasi extrinseca ipsi materiæ, imò etiam ipsi Sacramento consistenti in solis speciebus consecratis.

Caiet. Vasq. Obseruandum est, vt optimè Caietanus q. 60. artic. 6. & Vasquez disput. 129. nu. 20. in Sacramento præter significationem vocum, quam habent ex institutione hominum, & præter aliqualem significationem, seu repræsentationem, seu similitudinem naturalem rerum, esse etiam aliam significationem Sacramentalem, ex institutione Christi conuenientem toti materiali Sacramenti, siue toti compositio ex materia & forma, vt speciebus Eucharistiæ, & verbis & consensui Matrimonij; siue compositio ex rebus vt materia, & ex verbis vt forma, vt in reliquis quinque Sacramentis: & significationem Sacramentalem, etiam eam quæ conuenit toti materiali, quod est dicto modo compositum, ipsi soli toti materiali composito conuenire, non partibus seorsim sumptis, neque essentialibus, neque integralibus homogeneis, quia Christus ipsum solum totum instituit in signum & causam gratiæ. Imò ipsi toti vnam simplicem & indiuisibilem significationem conuenire, non diuisibilem in partes, quarum vna correspondeat vni parti totius materialis, & altera alteri parti: & non solùm esse indiuisibilem obiectiuè, id est respectu gratiæ, quæ est obiectum dictæ significationis; ita vt vna pars totius materialis, siue pars sit essentialis, siue integralis homogenea, non correspondeat vni parti gratiæ, & altera alteri, sed omnes simul toti gratiæ: sed etiam esse indiuisibilem formaliter & in se, & quasi subiectiuè, ita vt omnibus partibus simul sumptis ipsius totius materialis vna indiuisibilis significatio Sacramentalis conueniat, quod significationi Sacramentali, vtpote respectui extrinseco, siue reali, siue rationis, qui non indiget extendi ad extensionem subiecti, potest optimè quadrare; Christus enim partes ipsius materialis simul sumptas, siue essentiales, siue integrales homogeneas, instituit indiuisibiliter in signum & causam totius gratiæ absque diuisione aliqua, & correspondentia significationis, & virtutis causandi, non solùm respectu gratiæ significatæ, quod est obiectum ipsius significationis, & effectus virtutis Sacramenti, sed etiam respectu partium totius materialis Sacramenti; ac proinde significatio Sacramentalis, & virtus causandi conueniens ex institutione Christi ipsi toti materiali Sacramenti, est indiuisibiliter in solo ipso toto materiali, tota in toto, sed non tota in qualibet parte, (neque pars in parte) eo modo quo significatio humana conueniens cuicumque voci ex institutione hominum, conuenit indiuisibiliter toti voci, & omnibus litteris simul sumptis, & nullo modo partibus seu litteris seorsim. In quo vtraque dicta significatio differt ab anima rationali, quæ non solùm est tota in toto corpore, sed etiam est tota in qualibet parte corporis.

DIFFICVLTAS XI.

Quomodo res & verba, quibus tamquam materia & forma Sacramenta perficiuntur, pertineant ad ipsa Sacramenta.

SVpponimus, Sacramentum esse quoddam compositum, seu coalescens ex significatione Sacramentali tamquam ex forma totali, & ex materiali quodam, quod est subiectum cui inest & conuenit dicta significatio; sicut domus componitur ex figura tamquam ex forma totali, & ex materialibus tamquam ex subiecto cui inest & conuenit figura illa.

Hoc ergo supposito, difficultas est, quomodo res & verba, quibus totale materiale Sacramenti perficitur tamquam materia & forma, pertineant ad ipsum materiale (ac proinde ad ipsum Sacramentum) an intrinsecè, an verò extrinsecè.

Sotus in 4. dist. 3. & 14. art. 1. docet, in Sacramentis res, quatenus extrinsecè connotant verba, esse partem intrinsecam; non verò ipsa verba, etiamsi necessariò connotentur, vt ablutionem in Baptismo; quia in artificialibus tota eorum substantia consistit in materia, vt extrinsecè connotante formam, vt sedile in ligno, vt connotante figuram sedilis, & illi soli conuenit forma seu figura artificialis sedilis: sed Sacramentum est quoddam artificiatum morale; ergo tota eius substantia consistit in solis rebus, vt extrinsecè connotantibus verba, & illis solis conuenit significatio Sacramentalis. *Sotus.*

Scotus verò in 4. distinct. 3. & 8. & 16. qu. 1. & dist. 14. qu. 4. docet, in Baptismo res & verba esse partes intrinsecas Sacramenti: in Pœnitentia verò sola verba, vt extrinsecè connotantia actus pœnitentis, pertinere intrinsecè ad illam; quia effectus Sacramentalis Pœnitentiæ solis verbis absolutionis, vt extrinsecè connotantibus actus pœnitentiæ, significatur, effectus verò Baptismi rebus & verbis simul; ergo in Pœnitentia solis verbis conuenit significatio Sacramentalis, & in Baptismo rebus & verbis simul; ergo res & verba in Baptismo intrinsecè pertinent ad totale materiale Baptismi, in Pœnitentia verò sola verba. *Scotus.*

Vasquez disp. 129. cap. 3 Suarez disp. 2. sect. 2. Ægidius qu. 60. num. 37. & communiter Theologi docent, & meritò, res & verba, quibus tamquam materia & forma perficiuntur Sacramenta in vsu & in actione consistentia, esse partes intrinsecè pertinentes ad ipsa, seu ad materiale totale ipsorum, & illis significationem Sacramentalem ineſse: ex quibus nonnulli idem docent de rebus & verbis, quibus perficitur Eucharistia: quod plures, & nos negamus; imò id etiam negamus *Vasq. Suar. Ægid.*

gamus de rebus quibus perficitur Matrimonium.

Et in primis res & verba, quibus perficiuntur Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia, Extrema Vnctio, & Ordinatio in vsu consistentes, pertinere intrinsecè ad hæc ipsa Sacramenta, ex eo constat, quia ex vna parte in his Sacramentis tam res quàm verba habent suam significationem proportionatam gratiæ Sacramentali, quia res habent significationem seu repræsentationem naturalem proportionatam gratiæ, & verba significationem ex institutione hominum, & ex altera parte Christus instituit dicta Sacramenta eis rebus & verbis perfici; ergo absque fundamento, imò contra rationem, negabitur, Christum res & verba simul sumpta instituisse ad sacramentaliter significandam & causandam gratiam, ac proinde intrinsecè pertinere ad dicta Sacramenta, quia intrinsecè pertinent ad materialia totalia, quibus significatio Sacramentalis inest.

Id autem, cui contra nostram doctrinam innititur Sotus, nempe totam substantiam rerum artificiatarum, vt sedilis, sitam esse in sola materia, vt extrinsecè connotante formam, falsum est: quia absque dubio res artificiata, vt sedile, directè & ex æquo coalescit ex materia & forma, vt sedile ex ligno & ex figura, etiam si nomina significantia res artificiatas, quando tunc substantiua, forsan supponant directè pro forma vt extrinsecè connotante materiam, vt statua, sedile, & domus: nomen verò Sacramenti potiùs supponit pro materia, vt connotante formam instar nominum adiectiuorum, sed non pro materia partiali, (in quo etiam deceptus fuit Scotus) sed pro materia totali cui inest significatio Sacramentalis, sicut album supponit pro subiecto, quod est compositum physicum, vt connotante albedinem, & non pro materia prima, vt connotante formam substantialem: atque adeò nomen Sacramenti supponit pro materiali totali (siue composito ex rebus & verbis, quando est sic compositum, siue pro non sic composito) vt connotante significationem Sacramentalem, & non pro rebus, quæ sunt materia partialis, vt connotantibus verba, quæ sunt forma partialis.

Id quoque cui innititur Scotus, vt in Sacramento Pœnitentiæ sola verba absolutionis pertineant intrinsecè ad materiale totale illius (& consequenter ad ipsum Sacramentum Pœnitentiæ) & non actus pœnitentis, etiam est falsum, quia non tantùm verbis absolutionis, sed etiam rebus conuehit significatio Sacramentalis gratiæ ex institutione Christi, quamuis non seorsim vtrisque, sed vtrisque simul. Imò significatio non Sacramentalis gratiæ non tantùm conuenit verbis absolutionis, sed etiam actibus pœnitentis: his naturaliter, ob analogiam & similitudinem quam habent ad gratiam purgatiuam seu sanatiuam peccatorum, & verbis significatio ex institutione hominum, quamuis his clarè conueniat, actibus verò pœnitentis obscurè.

Ex dictis constat, in Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, Extrema Vnctione, & Ordinatione esse duplicem compositionem ex materia & forma: alteram, qua Sacramentum coalescit ex toto materiali composito ex rebus & verbis tamquam ex materia totali, seu tamquam ex subiecto totali, & ex significatione Sacramentali tamquam ex forma totali; alteram, qua materiale totale (cui conuenit significatio Sacramentalis) componitur ex rebus tamquam ex materia partiali, & ex verbis tamquam ex forma partiali: sicut in domo etiam est duplex compositio, altera ex omnibus materialibus tamquam ex materia totali, & ex figura tamquam ex forma totali; & altera, qua materiale totale (cui inest figura) coalescit ex fundamento & parietibus tamquam ex materia partiali, & ex tecto quo completur & formatur materiale domus, tamquam ex forma partiali.

Quòd verò res & verba in Eucharistia, nempe panis & vinum & verba consecrationis, quibus tamquam materia & forma perficitur Eucharistia, non pertineant intrinsecè ad ipsam, sed tantùm extrinsecè panis & vinum vt materia circa quam, & verba consecrationis vt forma extrinseca, quæ versatur circa panem & vinum, & efficit consecrationem specierum, probatur: quia solis speciebus consecratis continentibus Corpus & Sanguinem Christi, conuenit significare & causare gratiam Sacramentalem Eucharistiæ, non pani & vino iam corruptis, neque verbis quæ iam transierunt. Et quòd corpora contrahentium, & eorum traditiones & acceptationes, quibus perficitur Matrimonium, non pertineant intrinsecè ad ipsum, sed tantùm extrinsecè, & tamquam materia circa quam; & quòd verba exprimentia consensus contrahentium, & ipsi consensus expressi per verba, pertineant intrinsecè ad Matrimonium, probatur: quia verbis & consensibus conuenit significare & causare gratiam, vt dicimus Tractatu de Matrimonio Disp. III. Diffic. XXI. quia in eis saluatur tota substantia contractus Matrimonij, quem Christus instituit & eleuauit ad significandam & causandam gratiam.

Id autem quod dicimus, nempe res quibus perficitur Matrimonium tamquam materiâ, & res & verba quibus perficitur Eucharistia, non pertinere intrinsecè ad ipsa Sacramenta, non contradicit Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dicenti, omnia Sacramenta perfici rebus vt materia, & verbis vt forma, quia notanter non dixit, Sacramenta constitui aut constare rebus vt materia, & verbis vt forma, quo denotaret, res & verba intrinsecè pertinere ad Sacramenta; sed dixit, Sacramenta perfici, quo non denotat intrinsecè pertinere (quamuis sic possint pertinere intrinsecè) quia res non solùm perficiuntur partibus intrinsecis, sed etiam causa efficiente, & materia ex qua, & materia circa quam, & alijs; & ideò etiam dixit Sacramenta perfici ministro, quamuis minister & eius intentio non pertineant intrinsecè ad Sacramentum.

Inter ea autem, quibus Sacramenta intrinsecè constant siue tamquam partibus essentialibus, siue tamquam partibus integralibus, requiritur aliqua vnio, alias ex eis non poterit componi, & fieri vnum. Hæc autem vnio, vtpote moralis cuiusdam compositi moralis, consistit in habitudine morali: qua forma, salua sua veritate, dicitur accedere ad materiam, & vna pars integralis ad alteram. Ad hanc autem vnionem non semper requiritur simultas aliqua temporis inter partes ipsas quæ vniuntur, sed aliquando; & numquam requiritur simultas temporis physica, sicut neque vnio inter partes ipsas est physica, sed sufficit simultas moralis, talis videlicet, qualis requiritur, & sufficit, vt formæ secundùm moralem æstima-

æstimationem, & communem hominum vsum, dicantur cadere supra materiam proximam. Vnde in Baptismo, & Confirmatione, & in Extrema Vnctione, & in Ordinatione, in quibus requiritur simultas temporis, non sufficit parua; quia formæ horum Sacramentorum non erunt veræ, si inter materiam proximam & formam adsit magna temporis distantia, quia multo tempore post transactam ablutionem, aut multo tempore ante ipsam non erit verum, Ego te baptizo, aut abluo, & sic de alijs tribus dictis: in Pœnitentia verò post actus pœnitentis multo tempore pòst, potest absolutio validè conferri, sicut etiam in iudicio forensi (instar cuius Pœnitentia est instituta) multo tempore post discussionem causæ fieri solet absolutio aut condemnatio, toto scilicet tempore pòst quo actus pœnitentis dicuntur moraliter permanere: tamdiu autem dicuntur moraliter permanere, quamdiu permanent habitualiter, id est, quamdiu non retractantur, neque expressè neque implicitè. Et eodem modo in Matrimonio, quod intrinsecè ex consensibus vtriusque contrahentis expressis, & eorum expressionibus, quasi integraliter componitur, tamdiu potest consensus & expressio posterioris differri, quamdiu prioris habitualiter perseuerat, vt dicimus Tractatu de Matrimonio Disput. III. Difficul. VIII.

In Eucharistia verò (quamuis non composita ex materia & forma, ac proinde inter ea quibus perficitur non requiratur vnio) requiritur magna simultas temporis inter ipsa verba & inter res, ob Pronomen demonstratiuum, quo sub speciebus materiæ demonstratur Corpus aut Sanguis Christi: & in Matrimonio inter verba & inter corpora, inter quæ non est necessaria vnio, requiritur omnimoda simultas temporis.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm verba, quibus Sacramenta perficiuntur, sint concionatoria, an consecratoria.

ERror est hæreticorum nostri temporis, verba, quibus perficiuntur Sacramenta, aut quibus fructus eorum percipitur (in quo hæretici variant) non esse consecratoria, seu Sacramentalia, quibus insit significatio & vis causandi ex diuina institutione, sed tantùm esse concionatoria, seu instructoria, quibus proponitur diuina promissio iustificationis ab ipso Deo faciendæ, vt excitetur fides diuina iustificationis promissæ, cui fidei hæretici attribuunt iustificationem: & ideò ipsi aut non vtuntur verbis determinatis quibus Ecclesia vtitur, sed quibuslibet alijs, quibus excitent populum ad credendum diuinam promissionem iustificationis; aut si eis vtuntur, siue solis, siue simul cum alijs concionatorijs, non tamen vt consecratorijs, sed vt instructorijs ad excitandam fidem dictæ promissionis. Quibus fauere videtur Augustinus Tractatu 80. in Ioannem, dum ait: *Vnde ista tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei quod prædicamus.* vbi Augustinus denotat, verbum, ex quo in aquam deriuatur virtus iustificandi, esse verbum concionis, quia loquitur de verbo quod prædicatur; & fidei, quod dum creditur, abluit cor: & loca Scripturæ, quibus id ostendit Augustinus, id indicant, quia id ostendit locis, in quibus mundatio cordis tribuitur fidei, & verbo fidei. *August.*

De Fide tamen est, verba, quibus Sacramenta perficiuntur, esse consecratoria, quibus vel significatur & causatur gratia, vel materia Sacramentalis consecratur; & eis solis perfici absque alijs concionatorijs. Quod perpetua & constante Ecclesiæ traditione constat, quæ semper vsa est verbis Sacramentorum non ad instruendum (ad quod apta non sunt) sed ad significandum & efficiendum vel gratiam, vt in sex Sacramentis; vel consecrationem specierum, vt in Eucharistia (ad quod sunt maximè apta) & non est vsa alijs concionatorijs.

Augustinus autem vbi suprà potiùs fauet Catholicis quàm hæreticis, quia ibi explicans illud Ioann. 15. *Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*, intendit generatim ostendere, verbum Dei, siue Sacramentale siue doctrinale, habere vim mundandi; vt etiam constat ex testimonijs quibus id confirmat: quia in quibusdam est sermo de verbo doctrinali seu concionatorio; & in alijs de Sacramentali seu consecratorio. Docet ergo, verbum Dei, siue Sacramentale siue doctrinale, habere vim iustificandi, non quatenus dicitur, id est, non ratione soni, sed quatenus creditur, id est, quatenus significat rem quæ creditur, quamuis diuerso modo; quia verbum Sacramentale fidei mundat perfectè significando & efficiendo in nobis ipsam sanctitatem ex opere operato, quamuis non excitet neque generet fidem in nobis: verbum verò doctrinale seu concionatorium fidei, tantùm mundat inchoatiuè & dispositiuè, excitando in nobis fidem quæ est initium iustificationis. *August.*

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm res & verba, quibus Sacramenta nouæ legis perficiuntur, sint determinata.

HÆretici, dicti Pauliciani, affirmarunt, Sacramenta nouæ legis verbis determinatis perfici, non determinatis rebus: econtrà verò hæretici nostri temporis affirmant, perfici rebus determinatis, non determinatis verbis.

De Fide tamen est, omnia Sacramenta nouæ legis perfici rebus & verbis determinatis, id est, præscriptis à Christo, & non relictis humano arbitrio: quod perpetua traditione constat, cui Eugenius IV. innixus assignauit in suo Decreto fidei determinatas res, & verba determinata, quibus omnia Sacramenta nouæ legis perficiuntur. Et in Scriptura sacra pro Baptismo & Eucharistia, res determinatæ, & determinata verba, quibus perficiuntur, exprimuntur à Christo: & pro Pœnitentia verba determinata, quibus vt formâ perficitur, facilè deducuntur ex illis verbis Christi Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Ex quo constat, Sacramenta nouæ legis non posse

posse validè perfici aliis verbis, neque aliis rebus, nisi præscriptis à Christo; quia nihil potest verè significare & efficere gratiam Sacramentalem, nisi quod fuerit à Deo institutum ad id, aut ab altero habente à Deo commissionem ad id; Deus autem nihil aliud instituit ad id, neque alicui commisit facultatem instituendi res & verba in Sacramenta, nisi soli humanitati Christi.

Obseruandum est, in quo Theologi conueniunt, Christum easdem res & eadem verba instituisse & præscripsisse in Sacramenta pro toto orbe, & non varias res & varia verba pro Ecclesia Latina, & Græca (in quo decepti sunt Innocentius IV. in cap. 1. de Baptismo & eius effectu, Felinus, & alij Iurisperiti) quia non constat varias res neque varia verba pro variis Ecclesiis instituisse: neque id erat expediens, sed potiùs oppositum, vt sic fideles omnes magis sub eisdem Sacramentis sint vniti, sicut sunt sub eodem Domino, & sub eadem fide, & sub eodem Sacrificio.

Innoc. IV. Felinus.

Vnde forma, & etiam materia, quæ Ecclesiæ Latinæ (id est ministris illius) sufficit ad valorem Sacramenti, etiam sufficit Ecclesiæ Græcæ, & econtrà, quia scilicet eadem materia & etiam eadem forma instituta est à Christo pro toto orbe, ac proinde Ecclesia Græca validè baptizaret sub ea forma, sub qua validè baptizat Latina, nempe, *Ego te baptizo*, &c. & Ecclesia Latina validè baptizaret sub ea forma sub qua validè baptizat Græca, nempe, *Baptizetur seruus Christi*, &c. Et Græci validè consecrarent in pane azymo, in quo consecrauit Christus, & validè consecrant Latini: & Latini validè consecrarent in pane fermentato, in quo consecrant Græci, quamuis Latinus peccet non seruando vsum suæ Ecclesiæ dum in ea existit, & Græcus non seruando vsum suæ, dum in ea existit. Sufficit autem Ecclesiæ Græcæ ad valorem Baptismi, dicta forma Ecclesiæ Latinæ, & econtrà, quia scilicet est eadem substantialiter, quia in vtraque idem sensus continetur, qui est anima verborum: & Græcus validè consecraret in pane azymo, & Latinus in fermentato, quia vterque panis non est materia substantialiter distincta, sed substantialiter eadem, quia vterque est verè panis, imò eiusdem speciei infimæ.

Et non solùm Sacramenta noua perficiuntur rebus & verbis, sed etiam Sacramenta veteris legis constabant rebus determinatis, sed absque vllis verbis, vt circumcisio, consecratio Sacerdotis, lustrationes, & sacrificia.

In lege verò naturæ, si aliqua fuerunt Sacramenta, quæ in lege scripta non fuerunt, quamuis constabant rebus, sed non determinatis: quia sicut tunc homines nulla lege externa regebantur a Deo, sed tantùm inspiratione & instinctu Dei, ita etiam nullus illis fuit à Deo præscriptus ritus, nullaque res, sed vnusquisque, prout Deus inspirabat, vtebatur Sacramentis, aut aliis remediis.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm mutatio materiæ & formæ Sacramentorum inualidet illa.

CONueniunt Doctores, Sacramenta inualidari, quoties materia aut forma à Christo præfixa ita variatur, vt non maneat eadem substantialiter absolutè & simpliciter, quia quæcumque materia aut forma, quæ substantialiter & absolutè & simpliciter ea alia & distincta ab ea quam Christus præfixit, est insufficiens ad valorem Sacramenti, quia solus Christus potest instituere materiam & formam sufficientes & validas ad conferendam gratiam; non verò inualidari quoties materia aut forma non variantur substantialiter, sed tantùm accidentaliter, nisi forsan in forma Baptismi & Confirmationis variatio nominum trium personarum illa inualidet, ob peculiarem rationem in propriis Tractatibus assignandam.

Tunc autem res, qua Sacramentum perficitur vt materiâ, quamuis varietur, solùm variatur accidentaliter, & non substantialiter, vt aduertunt Suarez, & Ægidius quæst. 60. num. 79. quamdiu manet eadem moraliter, id est, quamdiu manet apta ad vsum, ad quem Christus voluit esse aptam. Vnde quia Christus pro materia Baptismi instituit aquam naturalem, vt aptam ad vsum communem lauandi, quamdiu sic manet apta, dicitur manere eadem substantialiter, siue frigida sit, siue calida. Et quia pro materia consecrationis corporis instituit panem, vt aptum ad manducationem communem, quamdiu est sic aptus, est idem substantialiter, siue sit azymus, siue fermentatus: quoties verò res, qua Sacramentum perficitur vt materiâ, non manet eadem saltem moraliter, id est, saltem apta ad eum vsum ad quem Christus voluit esse aptam, non dicitur manere eadem substantialiter, sed substantialiter distincta, vt aqua rosacea, siue differat specie physica, siue non, ab aqua naturali, quia non est apta ad communem vsum lauandi: & massa non cocta, siue specie physica differat siue non differat à massa cocta, quia non est apta ad communem vsum manducandi.

Suarez. Ægidius.

Tunc verò verba, quibus vt formâ Sacramentum perficitur, etiamsi varientur, tantùm dicuntur variari accidentaliter, & non substantialiter (vt aduertunt Vasquez disp. 124. cap. 7. Suarez, & Ægidius, & communiter Doctores) quamdiu in verbis, siue antiquis siue nouis, in quæ fit mutatio antiquorum, manet aut inest eadem significatio sensus intenti à Christo, quia significatio est anima verborum: sed non sufficit, quòd maneat aut insit eadem significatio ex conuentione tantùm aliquorum verbis conueniens, sed requiritur quòd maneat eadem significatio communis & vsualis; quia sicut Christus non instituit res pro materia, nisi vt aptas ad communem vsum, ita non instituit verba pro forma, nisi vt significantia communi & vsuali significatione. quoties verò in verbis, siue antiquis siue nouis, non manet neque eis inest eadem significatio sensus à Christo intenti, dicuntur variari, & esse distincta substantialiter.

Vasquez. Suarez. Ægidius.

Ex dictis constat Primò, solam variationem idiomatis in verbis non necessariò esse substantialem (ac proinde illam non necessariò vitare verba à Christo instituta) quia possunt mutari in verba alterius idiomatis habentia eamdem significationem, & continentia eumdem sensum, sicut de facto mutata sunt ex idiomate Syriaco, aut Hebraico (in quo Christus verba Sacramentorum instituit) in varia & distincta idiomata: neque necessariò variari substantialiter ex eo, quòd in verbis eiusdem misceantur idiomata, quia etiam tunc possunt eumdem sensum & eamdem sententiam significare & continere: neque necessariò variari substantialiter ex eo, quòd mutentur in alia verba à consimilibus, quia possunt mutari in alia æquivalentia, habentia eamdem significationem (imò in alia synonyma;) ad hoc autem, quòd dicantur habere eamdem significationem, non sufficit quòd significent confusè idem quod alia significant distinctè, sed etiam est necessarium quòd significent idem distinctè, ex defectu cuius, nomen *Trinitas* non solùm non est synonymum, sed neque æquivalens nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Secundò constat, transpositionem verborum non necessariò variare substantialiter ipsa verba, quia potest non mutare significationem, vt contingit quando dicimus, *Ego baptizo te in nomine Spiritus sancti, & Filij, & Patris:* mutat tamen
Ægidius. significationem (quidquid dicat Ægidius) quando dicimus, *Ego baptizo in nomine Patris*, &c. quia tunc nullus est legitimus sensus.

Tertiò constat, interpolationem verborum non necessariò variare substantialiter ipsa verba, quia potest esse tam parua, vt moraliter censeantur vna oratio, ac proinde quòd retineatur eadem significatio; vt contingit, quando minister propter tussim detinetur à prolatione verborum sequentium: variabit autem illa substantialiter, quoties interpolatio est tanta, vt moraliter non censeantur vna oratio, quia tunc verba amittent suam significationem cum qua Christus illa instituit.

Quartò constat, additionem verborum non necessariò variare illa substantialiter, siue verba, quæ adduntur, misceantur cum verbis formæ, siue his iam completis superaddantur; quia non quæcumque additio corrumpit significationem sensus à Christo intenti, neque illum falsificat, vt contingit quando Græci consecrantes dicunt, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; & quando dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij sapientis, & Spiritus sancti paracliti*. Et hoc est verum, quamuis id quod additur, sit error, aut errorem contineat, si non pugnet cum veritate verborum formæ, vt si dicatur: *Hoc est corpus meum, & Filius non est æqualis Patri:* imò etiam quando dicitur: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis non*
Vasquez. *tradetur* (quidquid Vasquez dicat num. 106.) quia quamuis hoc additum sit falsum, verba tamen antecedentia, in quibus forma sufficienter continetur, nempe, *Hoc est corpus meum*, remanent vera, quia additum illud non est determinatiuum corporis, sed tantùm est propositio, in qua particula *quod* refert *corpus*, quod est subiectum ipsius propositionis additæ: posset autem esse determinatiuum corporis, si in Christo fuissent duo corpora, quorum vnum fuisset traditum, & alterum non. Additio autem variat substantialiter verba formæ, quando corrumpit sensum eorum à Christo intentum, vt quando dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, & Spiritus sancti minimi*; & etiam quando dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Virginis.* Si hæc addatur ad inuocandam Virginem, tamquam habentem auctoritatem, vt verè significatur, quia particula *in nomine*, sub qua cadit dictum additum, communi vsu auctoritatem denotat.

Quintò constat, subtractionem alicuius verbi formæ non necessariò variare substantialiter verba, quia non quæcumque substractio destruit sensum à Christo intentum, vt contingit, quando à forma Baptismi auferatur particula *ego*, & à forma consecrationis particula *enim*: variat autem illa substantialiter, quando corrumpit dictum sensum, vt si à forma Baptismi auferatur nomen alicuius personæ, & à forma consecrationis particula *meum*.

Sextò constat, corruptionem verborum formæ non necessariò variare illa substantialiter, quia non semper destruit sensum à Christo intentum, vt contingit quando verba corrupta non efficiunt, adhuc ex vsus accommodatione, alium sensum legitimum, nisi à Christo intentum, vt contingit quando dicitur: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta*; quia quamuis quælibet vox seorsim non significet quod necessarium est ad formam baptismi; omnes tamen simul in eo actu baptizandi efficiunt sensum à Christo intentum, non ex rigore sermonis, sed ex communis vsus accommodatione, quod sufficit ad valorem Sacramenti: aliàs balbi & blæsâ linguâ non possent validè Sacramenta administrare: corruptio autem verborum variat illa substantialiter, quando verba ob corruptionem neque ex rigore sermonis, neque ex vsus accommodatione efficiunt sensum à Christo intentum, vt quando dicitur, *Hoc est cor meum*; *Ego baptizo te*; *Ego te baptizo in nomine Matris*, &c.

Obseruandum est, in quo Doctores conueniunt, variationem seu mutationem substantialem materiæ aut formæ, quantumuis exigua sit, non solùm inualidare Sacramentum, sed etiam esse mortalem: accidentalem verò, quamuis non inualidet Sacramentum, esse illicitam, vtpote contra præscriptum Ecclesiæ; & esse mortalem, quando est magna, vt quando quis in consecratione calicis omittit illa verba, *noui & æterni testamenti*, &c. esse tamen solùm venialem, quando est exigua, vt quando in consecratione omittitur particula *enim*. In casu tamen necessitatis nullum committitur peccatum in variatione accidentali, quamuis magna, vt si occurrat necessitas Baptismi, & non sit alius qui possit baptizare, nisi ille qui nequit proferre verba absque corruptione, aut nisi ille qui nescit baptizare nisi vernaculo sermone.

DIF-

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm variatio seu mutatio verborum, facta intentione introducendi errorem, inualidet Sacramenta.

DIfficultas hæc tantùm procedit, quando non mutatur significatio substantialis verborum formæ: quia si ita mutatur vt destruatur, certum est Sacramentum inualidari, quamuis mutatio non fiat intentione introducendi errorem, sed inaduertenter; & si ita mutetur significatio substantialis, quòd fiat æquiuoca, continens plures sensus, intentum videlicet à Christo, & alium, tunc ex intentione ministri pendet efficere validè Sacramentum, aut illud annullare: quia si verba sic mutata & æquiuoca proferat in sensu intento à Christo, efficiet validè Sacramentum, & si in alio sensu (quod est in sua potestate) annullabit Sacramentum. Vnde, qui vteretur hoc verbo *Absoluatur*, seu *absoluaris*, quod est æquiuocum, vt significet absolutionem per modum imperantis, & iudicis (quod est de essentia formæ absolutionis) & vt significet absolutionem per modum deprecantis, verè absoluit, si illo vtatur in priori sensu; secùs verò, si in posteriori.

Richard. Aliacensis. Antonin. Richardus ergo in 4. distinct. 3. art. 2. quæst. 3. Aliacensis quæst. 2. art. 1. & Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 13. docent, mutationem formæ, quamuis solùm accidentalem, eo ipso quòd fit animo introducendi nouum errorem, aut eo ipso quòd fit ex errore, quo existimatur eam mutationem esse necessariam ad valorem Sacramenti, illud annullare. Quod expressùm videtur in canone 86. *Retulerunt*, de Consecratione, distinct. 4. qui desumptus fuit ex Zacharia Epistola 2. ad Bonifacium Episcopum, dum de quodam, qui baptizatus fuit sub illis verbis, *In nomine Patria, & Filia, & Spiritu sancta*, dixit: *Si ille qui baptizauit, non errorem introducens aut hæresim, sed pro sola ignorantia locutionis, infringendo linguam, baptizans dixisset, non possumus consentire vt denuo baptizetur.* Vbi à contrario sensu videtur supponi, intentionem introducendi errorem irritare Sacramenta, quamuis verba aliàs contineant sensum à Christo intentum, sicut prædicta verba continent, aliàs quamuis ex ignorantia proferrentur, non sufficerent ad valorem, & tamen in eo Canone dicitur tunc sufficere.

Et ratione probatur: quia qui mutat verba formæ à Christo instituta, existimans eam mutationem esse necessariam ad valorem Sacramenti, non potest habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & quod Christus instituit, quia existimat, ad valorem Sacramenti non sufficere quod Christus verè instituit, & Ecclesia facit tamquam sufficiens: quod præcipuè verum videtur in eo qui mutat formam aliquid addendo, quod existimat esse essentiale formæ; vt si quis verbis consecrationis Corporis addat, *quod pro vobis tradetur*, existimans id esse necessarium ad valorem consecrationis (vt de Græcis refertur) quia tunc non intendit eisdem verbis, quibus Christus & Ecclesia, significare & efficere quod Christus voluit significari & effici.

Durand. Paludan. Suarez. Vasquez. Ægidius. Durandus verò in 4. distinct. 3 quæst. 2. Paludanus quæst. 1. Suarez disput. 3. sect. 5. Vasquez disput. 129. cap. 7. & Ægidius quæst. 60. art. 8. dub. 1. docent, nullam mutationem verborum formæ, quamuis factam ex intentione introducendi errorem, etiam quo falsò existimetur esse necessariam ad valorem Sacramenti, illud inualidare, dum eorum significatio substantialis permaneat, & dicta intentio non sit contra eam significationem. Et meritò: quia ex vna parte in verbis formæ manet significatio substantialis, vt fieri potest & supponimus, & dicta intentio non est contra eam significationem substantialem, vt fieri potest, præsertim quando mutatio fit aliis modis distinctis ab additione; & ex altera parte potest esse intentio sufficiens ad valorem Sacramenti, nempe intentio efficiendi Sacramentum, aut faciendi quod facit Ecclesia, aut quod Christus instituit: quia etiam ille, qui existimat, verbi gratia, ad essentiam formæ Baptismi necessarium esse miscere idiomata, aut auferre aliquod verbum, aut verba corrumpere, & id intendit introducere mediâ illâ mutatione, optimè potest intendere efficere Sacramentum, aut quod facit vera Ecclesia, quæcumque illa sit, aut quod Christus instituit; quia intentio hæc non est incompossibilis cum eo errore, saltem in illo qui non existimat se opponere veræ Ecclesiæ, & institutioni Christi, vt patet. Imò, quamuis in illo qui errat, existimans in eo se opponere veræ Ecclesiæ & institutioni Christi, nequeat esse intentio efficiendi quod vera Ecclesia facit, neque quod Christus instituit; potest tamen in illo esse intentio efficiendi Sacramentum, si ignoret Sacramenta fuisse à Christo instituta, & veram Ecclesiam institutioni Christi conformari: & hæc intentio sufficeret ad valorem Sacramenti, vt dicemus Disput. IV. Diffic. IV. Quod etiam potest contingere, quando fit additio verborum ex intentione introducendi errorem in Ecclesia, etiam quo falsò existimetur verba addita esse necessaria ad essentiam formæ: quia etiam si tunc minister intendat non solùm verbis verè essentialibus, sed etiam aliis verbis additis efficere Sacramentum, id tamen potest intendere non omnino absolutè, sed conditionatè, saltem implicitè, sub ea scilicet conditione aut exceptione, nisi id obstet effectioni Sacramenti; imò de facto, nisi sit omnino pertinax, sic intendit, quia omnino absolutè vult efficere Sacramentum, & id assecurare, quod est incompossibile cum intentione omnino absoluta efficiendi Sacramentum, etiam verbis additis; ac proinde, deficiente conditione illa, quamuis impliciter, deficit intentio consecrandi etiam verbis additis, & prævalet intentio efficiendi Sacramentum. Et ideò Græci verè consecrant, quamuis verbis consecrationis corporis addant illa, *quod pro vobis tradetur*, existimando verba hæc etiam esse essentialia, & intendendo etiam mediis illis consecrare, quia id intendunt sub conditione dicta saltem implicitè, eo ipso quòd omnino absolutè intendunt consecrare, & magis firmiter, quàm consecrare etiam illis verbis additis, quia intentio consecrandi omnibus verbis essentialibus & additis est modo dicto con-

ditionata, & intentio verè consecrandi non admittit secum intentionem consecrandi omnibus dictis verbis: quia qui omnibus illis intendit consecrare, intendit non consecrare illis solis, quibus solis inest vis ad consecrandum, ac proinde eis solis non consecrat, neque ipsis simul cum aliis non essentialibus, quia his non essentialibus nulla inest vis ad consecrationem adhuc in consortio essentialium. Ex quibus constat ad rationem aduersariorum.

Addidimus, quando intentio illa introducendi errorem non est contra significationem substantialem verborum; quia si sit, vt contingit, quando quis profert verba illa, *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia & Spiritu sancta*, intendens nomine *Filia*, non significare Filium, quem tunc significat ex communis vsus accommodatione, sed Filiam, quam ex rigore sermonis significat, irritat Sacramentum, quia intentio hæc est contra significationem & sensum substantialem, & tunc potiùs irritat illud defectu significationis Sacramentalis, quàm defectu intentionis, & id tantùm voluit Zacharias in dicto Canone *Retulerunt*, de Consecratione, dist. 4.

DISPVTATIO II.

De existentia Sacramentorum.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm institutio Sacramentorum fuerit conueniens.

Porphyr. PORPHYRIVS absolutè & in vniuersum damnat Sacramenta, quia indignum videtur hominibus, subiici rebus sensibilibus, quas Deus posuit sub pedibus ipsorum: quem errorem tenuerunt *Iræneus.* anteà discipuli cuiusdam Marci, quos refert Iræneus lib. 1. Aduersus hæreses, cap. 18. Et specialiter Sacramenta nouæ legis damnantur à pluribus hæreticis, tam antiquis quàm recentioribus, *Bucerus.* de quorum vsu Bucerus ait, id esse reuerti ad Synagogam antiquam, ad infirma & egena elementa, & pusillis occasionem præbere existimandi, nos colere Cererem & Bacchum oblatione panis & vini.

De Fide tamen est, institutionem Sacramentorum, præsertim nouæ legis fuisse conuenientissimam & prudentissimam, vtpote factam à Deo, qui nihil temerè & absque vtilitate efficit. Fuit autem institutio Sacramentorum, præsertim nouæ legis, conueniens, Primò ex parte Dei, quia in eorum institutione ostenditur Dei misericordia, dum remedia instituit in his quæ in promptu sunt: & Dei iustitia, dum peccatum hominis superbientis, supra omnes creaturas cupiendo esse vt Deus, emundat, instituens vt remedium quærat ex creaturis ipso inferioribus: & Dei omnipotentia, dum infirma mundi (id est res sensibiles) eligit, vt confundat fortia, id est, vt expellat ab anima spirituales nequitias: & Dei sapientia, dum sub signis sensibilibus occultat spiritualia.

Deinde fuit etiam conueniens ex parte hominis, quia huic fuit conueniens vt humilietur, capiendo remedium ab his rebus inferioribus, quæ ipsi fuerunt occasio peccandi: & vt fructuosè exerceatur conformiter ad suam naturam, dum propensus ad exercitium circa res externas, exercetur in externis sacris, quo impeditur ab occupatione in rebus vanis: & vt instruatur, dum inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt visibilia, conspicit.

Ad rationem ergo Porphyrij respondemus, quòd quamuis homini sit indignum subiici rebus sensibilibus propter ipsas, non tamen, vt ab ipsis remedium capiat in ipsis à Deo institutum; quod non tam est ipsis subiici, quàm ipsis vti ad remedium in ipsis à Deo institutum. Et ad rationem Buceri respondemus, vti Sacramentis nouæ legis, non esse reuerti ad Synagogam antiquam, neque ad infirma & egena elementa, sed vti elementis ex Christi institutione, potentibus & fecundis ad sanctificandas animas iuxta præscriptum Christi, & non iuxta cærimonias Moysis: neque in hoc damus occasionem pusillis existimandi nos colere Cererem & Bacchum oblatione panis & vini, quia constat, oblationem hanc à nobis fieri Deo viuo & vero.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm post aduentum Christi in lege noua sint verè Sacramenta.

NOn defuerunt hæretici, qui (vt refert Vas- *Vasquez.* quez quæst. 61. art. 4) affirmauerint, post aduentum Christi nullum fuisse institutum Sacramentum, quia præsente veritate non est necessaria figura: Sacramenta autem sunt quædam figura gratiæ, & Christi gratiæ auctoris; ergo iam præsente Christo, & iam facta gratia per ipsum, non sunt necessaria Sacramenta.

De Fide tamen est, post aduentum Christi in lege noua esse ab ipso instituta septem vera Sacramenta, quod Catholicis notissimum est, & perpetua traditione firmatum, & ab Euge- *Eugen. IV.* nio IV. in suo Decreto definitum, & etiam à Tridentino sess. 7. per totam. Sed quantæ sit vti- *Trident.* litatis vsus Sacramentorum nouæ legis hominibus, dicimus Disput. III. & etiam dum de singulis Sacramentis sigillatim agimus: & quantò perfectiora sint Sacramentis veteribus, dicemus etiam Disputatione III.

Institutio autem Sacramentorum nouæ legis, & abrogatio antiquorum, fuit conueniens, Primò,

mò, quia sicut antiqui iustificabantur in fide Christi venturi, & nos in fide Christi præsentis; sic etiam conueniens fuit, vt antiquis essent quædam Sacramenta, quibus protestarentur fidem Christi venturi, & nobis alia, quibus profiteamur fidem Christi præsentis. Secundò, quia populo antiquo, vtpote duræ ceruicis, & habenti seruilem statum, conueniens fuit esse sub elementis debilibus, & vacuis, & numero pluribus; nobis verò vtpote filijs & heredibus, conueniens fuit non esse sub illis quæ patres nostri portare non potuerunt, sed sub alijs virtute maioribus, vtilitate melioribus, & numero paucioribus.

Ratio tamen hæreticorum nullius est momenti: quia quamuis præsente veritate non sit necessaria figura quæ illam significet futuram, imò esset falsa; nihilominùs conueniens est signum aliquod significans illam præsentem ad meliùs conseruandam memoriam illius, præsertim quando veritas non videtur, qualis est Christus in cælo tantùm visibiliter existens, & gratia spiritualis facta per ipsum, quæ per noua Sacramenta significantur.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm in lege veteri scripta ante aduentum Christi fuerint verè Sacramenta.

COnueniunt Primò Theologi, Circumcisionem, quæ fuit in lege veteri scripta, & anteà cœperat à tempore Abrahami, fuisse verè & propriè Sacramentum, quia ex institutione Dei saltem figurabat & significabat Baptismum, & gratiam per ipsum dandam, quod sufficit ad rationem Sacramenti: sed an Circumcisio conferret gratiam, aut saltem illam vt præsentem significaret, dicemus Disput. III.

Conueniunt Secundò, in lege veteri scripta præter Circumcisionem fuisse plures alias cærimonias institutas à Deo ad significandam gratiam dandam per Christum; ac proinde in ea lege fuisse plura alia propriè Sacramenta, quod suppo- *Eugen. IV.* nit Eugenius IV. in suo Decreto fidei. Huiusmodi autem in ea lege fuerunt vnctiones, quibus Sacerdotes Leuitici consecrabantur, & esus Agni paschalis, & purificationes quibus fideles purgabantur à quibusdam immunditijs legalibus; quia absque dubio non fuerunt à Deo institutæ tantùm propter id quod exteriùs apparebat, sed etiam, & magis principaliter, ad significandam sanctitatem internam conferendam ex meritis Christi: vnctio quidem Sacerdotis ad significandum Ordinem Euangelicum, & gratiam per ipsum conferendam; esus Agni paschalis ad significandam sumptionem Eucharistiæ, & refectionem spiritualem conferendam per illam; purificationes ad significandam Pœnitentiam, & remissionem peccatorum conferendam per illam. Et Sacrificia etiam fuerunt propriè Sacramenta, quia non tantùm fuerunt à Deo instituta ad cultum & recognitionem ipsius tamquam auctoris vitæ & mortis, sed etiam ad significandum Sacrificium cruentum Christi, & gratiam per ipsum conferendam, vt *Vasquez.* aduertit Vasquez quæst. 61. art. 3. in fine.

Ita tamen existimamus, Circumcisionem, cærimonias, & Sacrificia veteris legis fuisse à Deo instituta ad significandam gratiam conferendam ex meritis Christi, vt institutio hæc non fuerit facta per modum promissionis, qua Deus medijs illis moueretur ad posteà conferendam gratiam (sicut modò mouetur nouis Sacramentis ad conferendam illam eis quibus applicantur) aliàs non solùm significarent, sed etiam conferrent gratiam, sed per modum puræ impositionis, qua voluit homines deuenire in notitiam infallibilem gratiæ conferendæ medijs nouis Sacramentis, & alijs vijs, quam conferendam præuidit nondum præuisa institutione ipsorum Sacramentorum veteris legis. Sed an in vsu Sacramentorum veteris legis fuerit collata gratia, dicemus Disp. III.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm ante Circumcisionem in lege naturæ fuerint vere Sacramenta.

COnueniunt Theologi (vno excepto Cano *Canus.* Relect. de Sacramentis, par. 3.) in lege naturæ ante Circumcisionem nullum fuisse propriè Sacramentum pro adultis, quia in ea lege, quamuis fuerint externæ professiones fidei, & oblationes, & Sacrificia etiam pro adultis, adhuc oblatio panis & vini facta à Melchisedech; nihil fuit à Deo institutum pro adultis ad significandum gratiam præsentem, neque futuram, quia de tali institutione nullatenus constat: prædicta tamen, quia ob sui naturalem proportionem erant aliquo modo figura rei sacræ & occultæ, sicut etiam Matrimonium aliquo modo figurabat mysterium Incarnationis, fuerunt latè & aliquo modo Sacramenta, quod tantùm volunt S. Thomas art. 3. & plures Patres, dum dicunt, *S. Thomas.* in lege naturæ fuisse Sacramenta: vnde Suarez *Suarez.* disp. 4. sect. 4. absque sufficienti fundamento affirmat, oblationem panis & vini Melchisedech fuisse ex priuilegio Sacramentum propriè pro adultis familiæ ipsius.

Est tamen difficultas, An in lege naturæ ante Circumcisionem fuerit aliquod propriè & strictè Sacramentum pro paruulis.

Priùs tamen supponimus, in quo conueniunt Theologi, in lege naturæ ante Circumcisionem fuisse remedium, quo paruuli iustificabantur ab originali: quod expressè tradiderunt Augusti- *Augustin.* nus lib. 5. Contra Iulianum, cap. 9. & lib. 2. de Nuptijs, cap. 11. Gregorius libr. 4. Moralium, *Gregor.* cap. 3. Beda libr. 1. in Lucam, cap. 8. Bernar- *Beda* dus Epist. 77. & Hugo de S. Victore lib. 1. de *Bernardus.* Sacramentis, par. 11. cap. 6. quia quamuis id *Hugo Vi-* non constet ex Scriptura, neque ex certa aliqua *ctorinus.* traditione, constat tamen ex efficaci ratione, desumpta ex Dei misericordia; quia credi non potest, Deum, cuius misericordiæ non est numerus, & cuius clementiæ infinitus est thesaurus, & qui ob id vult omnes homines saluos fieri, tantam infantium morientium multitudinem reliquisse absque remedio, & ineuitabili damnationi expositam.

Hoc ergo supposito, conueniunt Theologi, dictum remedium situm fuisse in fide præsertim parentum paruulis applicata, quia nihil aliud videtur aptius ad id. Nomine autem fidei parentum omnes, excepto Abulensi, intelligunt *Abulensis.*

oblationem, qua parentes Deo suos paruulos offerebant, aut deprecationem, quam pro ipsis faciebant ex fide Dei iustificatoris, quia hæc oblatio aut deprecatio est aptissima ad id. Addidimus, *præsertim parentum*, quia paruuli non solùm iustificabantur oblatione ipsorum Deo facta à parentibus, sed etiam facta à quibuscumque alijs: quia nullo sufficienti fundamento dici potest, iustificationem paruulorum alligatam fuisse ad solam parentum oblationem. Dicitur tamen communiter, paruulos fide parentum iustificari, quia parentibus principaliter incumbebat pro suis paruulis ex fide orare vt iustificarentur, & communiter soli parentes id faciebant.

Est tamen difficultas, Primò, An ad iustificationem paruulorum sufficiens fuerit oblatio interna ex fide Dei iustificatoris facta, an etiam fuerit necessarium signum aliquod externum expressiuum dictæ oblationis internæ.

Alexand. Scotus. Durand. Palud. Bellarmin. Suar. Laiman.

Alexander 4. parte quæst. 2. memb. 5. art. 1. & 2. Scotus in 4. dist. 1. quæst. 6. Durandus quæst. 8. Paludanus quæst. 5. art. 5. Bellarminus 1. de Sacramentis, cap. 1. Suarez disp. 4. sect. 2. Laimannus Tractatu 1. cap. 3. partem affirmatiuam tuentur: quam tradidisse videtur Augustinus vbi suprà, dum ait, paruulos illos Sacramento fuisse ab originali iustificatos: Sacramentum autem in signo externo consistit. Et ratione probatur, Primò, quia paruuli dicto remedio non tantùm iustificabantur, sed etiam fiebant membra Ecclesiæ visibilis, sicut modò per Baptismum; ergo dictum remedium etiam erat situm in aliquo signo externo, sicut Baptismus. Secundò, quia dictum remedium erat humanum, quo homines vtebantur, ergo etiam debuit compleri aliquo signo sensibili & corporeo, sicut nos sumus sensibiles & corporei.

Ex Auctoribus tamen huius sententiæ alij existimant, dictum signum externum non fuisse à Deo assignatum, sed relictum arbitrio offerentium paruulos Deo: alij verò, fuisse præscriptum à Deo, quamuis illud non assignent.

Bonauen. Richard. Sotus. Abul. Vasquez.

Bonaventura autem in 4. dist. 1. 2. par. distinctionis, art. 1. quæst. 2. Richardus art. 5. quæstione 3. Sotus dist. 2. quæst. 1. art. 4. Abulensis in cap. 25. Matth. quæst. 67. Vasquez disput. 165. cap. 3. docent, & meritò, ad iustificationem paruulorum in lege naturæ ante Circumcisionem satis fuisse fidem internam, seu oblationem internam ex fide factam, absque exteriori aliquo signo expressiuo illius, etiam si regulariter fuerit ex deuotione exhibitum: quod S. Thomas expressit in 4. dist. 1. q. 2. artic. 6. quæstiuncula 2. & significat 3. par. quæst. 70. art. 4. ad 2. Imò id expressisse videntur Gregorius, Beda, & Bernardus vbi suprà, dum dicunt, solam fidem paruulos saluare ab originali, & solam fidem fuisse ipsis sufficientem ad salutem.

S. Thom.

Greg. Beda. Bernar.

Et ratione probatur, quia nullo firmo fundamento constat, in ea lege ad iustificationem paruulorum necessarium esse signum aliquod externum; quia non ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex Patribus, neque ex aliqua efficaci ratione, ergo absque fundamento dicitur, interiorem oblationem seu deprecationem pro paruulis ex fide factam, non fuisse sufficientem ad ipsorum salutem.

Augustinus verò vbi suprà, nomine Sacramenti quo antiqui iustificabantur, non intellexit nisi mysterium & secretum fidei (id est virtutem absconditam fidei, seu oblationis ex fide) ad iustificandum, & ideò lib. illo 2. de Nuptijs cap. 11. illud appellat Sacramentum iustificationis ex fide.

Ad primam autem rationem aduersariorum respondemus, paruulos remedio illo fieri membra Christi, quoad influxum interiorem, non verò Ecclesiæ quoad exteriorem influxum & gubernationem (sicut neque modò adultus per iustificationem ante Baptismum) sed exteriori aggregatione ad fideles, ad Sacrificia, & ad oblationes exteriores. Et ad secundam respondemus, dictum remedium fuisse humanum, non quia necessariò fuerit sensibile, sed quia erat ab hominibus liberè exhibitum.

Secundò ergo est difficultas, An dictum remedium fuerit propriè Sacramentum. Scotus in 4. dist. 1. q. 7. Gabriel q. 2. art. 3. Paludanus, Suarez, Bellarminus, Laimannus vbi suprà, partem affirmatiuam tuentur: quia remedium illud ex Dei institutione situm erat in signo sensibili, & ex eadem institutione iustificabat paruulos.

Scotus. Gabriel. Palud. Suarez. Bellarm. Laiman.

Bonaventura verò, Durandus, Sotus & Vasquez vbi suprà, partem negatiuam tradunt, & meritò; quia oblatio illa interior, siue sola, siue coniuncta cum exteriori (quæ quando habebatur, etiam iustificabat paruulos simul cum interiori) non erat à Deo instituta ad iustificandum paruulos, neque ad significandam gratiam futuram, quia de hac institutione nullatenus constat, ac proinde non iustificabat tamquam opus ad id institutum, sed solùm tamquam opus operantis, & meritum de congruo iustificationis promissæ à Deo dictæ oblationi, promissione facta Adamo, aut alij Patriarchæ.

Bonau. Durand. Sotus. Vasquez.

Ad iustificationem ergo illorum paruulorum necessaria erat oblatio bona facta pro illis, ex actu fidei bono procedens, aliàs non posset esse impetratoria, seu meritoria adhuc de congruo dictæ iustificationis: ad id autem sufficiebat oblatio bona ex bono actu fidei; imò ex sententia Paludani & Soti sufficiebat oblatio procedens ex actu fidei humanæ, & in infideli, quia talis oblatio potest esse meritoria apud Deum, quia potest esse bona, & ipsi placens.

Constat ergo, in lege naturæ ante Circumcisionem nullum fuisse propriè Sacramentum: quia si aliquod, maximè pro paruulis; pro eis autem non fuit, vt dicimus.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm in statu innocentiæ futura essent Sacramenta, si Adamus non peccaret.

CONueniunt Theologi, de facto nullum fuisse proprium Sacramentum pro primis parentibus ante peccatum, quia nullo fundamento constat fuisse aliquod à Deo pro eo statu institutum.

Est tamen difficultas, An si status ille innocentiæ & absque peccato perseueraret in Adamo, & in suis posteris, futura essent Sacramenta. Procedit autem ex vi præsentis decreti, quo Deus de facto meritis Christi motus decreuit instituere Sacramenta.

Circa

Circa difficultatem sic intellectam conueniunt Theologi, in casu dicto nullum futurum Sacramentum in eo statu, quia Deus de facto tantùm decreuit instituere Sacramenta, excitatus & motus meritis Christi: imò meritis passionis illius; ergo non veniente Christo saltem passibili, vt verè non veniret saltem passibilis, & meritis ipsius, saltem suæ passionis, non futuris, Deus nullum Sacramentum instituereet ex vi decreti, quod de facto habuit.

Sed an perseuerante statu innocentiæ absque peccato in primo parente, & in posteris ipsius, Deus haberet aliud decretũ, quo de facto instituereet Sacramenta, incertũ est, & conijci nequit, quia nullum pro hac parte apparet firmum indicium.

Sed an si, Adamo non peccante, aliqui posteri ipsius mortaliter peccarent (vt credi potest ex eo, quòd non recepissent gratiam magis inamissibilem, quàm ipse Adamus, qui eam habens peccauit mortaliter) futura essent aliqua Sacramenta pro illis qui peccarent, neque affirmatiuè neque negatiuè responderi potest, nisi temerè & absque fundamento; quia ex vna parte in eo casu Deus omnino esset liber ad vtrumuis, & ex altera nullum apparet firmum indicium, neque vestigium, quo id possimus conijcere sicut conijcimus aliquos peccaturos, quamuis Adam non peccaret.

DISPVTATIO III.

De causalitate & effectu Sacramentorum.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm Sacramenta noua legis causent gratiam ex opere operato.

CONVENIVNT omnes, etiam hæretici, Sacramenta nouæ legis non esse causas principales gratiæ, quia gratia est ordinis supernaturalis, & Sacramenta sunt ordinis naturalis, quibus eo ipso nequit inesse virtus proportionata ad illam, qualis requiritur in causa principali ad suum effectum.

Est tamen difficultas, An per se ipsa causent gratiam, quamuis non vt causæ principales.

Non desunt hæretici, qui quamuis credant esse Sacramenta à Christo instituta, & eorum vim ad iustificandum verbis attollant, re tamen ipsa, non minùs quàm olim Messaliani, eam omnino ab illis tollunt, dum ipsis non aliam virtutem ad sanctificandum attribuunt, quàm mediatam, mediante scilicet quadam fide, seu fiducia, quam dicunt Sacramenta in suscipiente excitare, & media ea fiducia fieri iustificationem; ac proinde non maiorem vim sanctificandi attribuunt Sacramentis, quàm verbis prædicationis, quibus in audientibus potest dicta fiducia excitari, quia ipsi pertinaciter negant, Sacramenta per se ipsa, seu ratione sui, gratiam causare, & ex opere operato: imò inuehuntur in Catholicos, quòd modo loquendi *ex opere operato* vtantur, quia sit barbarus, & Grammaticæ minùs conueniens.

Catholici tamen contra hæreticos docent, Sacramenta nouæ legis ratione sui, & immediatè, & absque media excitatione ad fidem, seu fiduciam, causare ex opere operato gratiam in suscipientibus illa. Ita Bellarminus lib. 2. de Sacramentis, Vasquez disp. 131. & Ægidius quæst. 62. art. 1. dub. 1. qui veritatem hanc optimè ex Scriptura deducunt, & ex constante Patrum & Ecclesiæ traditione, quibus Eugenius IV. innixus, veritatem hanc definiuit in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 7. can. 6. & 8. Et id de Baptismo non parum indicarunt Concilium Constantinopolitanum I. in Symbolo, & Mileuitanum II. can. 2. & Arausicanum II. canone 25. & Nicænum antè can. 8.

Bellarmin. Vasquez. Ægid. *Eugen. IV.* *Trid. Conc. Constantin. Mileuit.* *Arausit. Nican.*

Et ratione probatur, desumpta ex verbis, quibus vtimur pro formis Baptismi & Pœnitentiæ; quia eis verè significatur, ipsis ratione sui, & non media dicta excitatione, fieri remissionem peccatorum; quia verbis illis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, &, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. satis significatur, ministrum per illa spiritualiter absoluere à peccatis, & spiritualiter abluere. Quod autem respondent hæretici, nempe dictis verbis idem denotari ac si minister diceret, *Ego testificor tibi remissa esse peccata*, &, *te esse spiritualiter ablutum*, est omnino ineptum: sicut qui tantùm vellet testificari vestem esse mundam, ineptè diceret, *Ego abluo vestem*: & sicut tabellio, qui vellet testificari debitum esse solutum ab aliquo, ineptè diceret, *Ego remitto debitum tibi.* Quòd si in Baptismo & in Pœnitentia reperitur vis & efficacia ad causandam gratiam immediatè, & ratione sui, absque excitatione ad fidem aliquam, negandum non est etiam in reliquis reperiri.

Sed obijciunt hæretici Primò nonnulla Scripturæ testimonia, in quibus iustificatio adultorum tribuitur fidei, ergo tribui non debet Sacramentis immediatè, sed media excitatione ad fidem. Respondemus, in eis testimonijs tribui iustificationem adultorum fidei solùm tamquam principio, fundamento, & radici, quod non tollit iustificationem etiam adultorum fieri per Sacramenta tamquam per instrumenta, sicut etiam id non tollit iustificationem fieri per contritionem perfectam, siue tamquam per formam, siue tamquam per vltimam dispositionem, & per Christum tamquam per causam meritoriam vniuersalem.

Obijciunt Secundò, quòd Baptismus nequeat nobis magis prodesse quàm Hebræis Circumcisio, quibus hæc non profuit nisi ad excitandam fidem, quia data est in signum fidei, &

dicitur ad Rom. 4. Sed præterquam quòd Baptismus magis prodest nobis quam Hebræis Circumcisio, vt dicemus Diffic. IX. etiam est falsum, quòd Circumcisio data fuerit Hebræis ad excitandam in ipsis fidem: quia Abrahamo data fuit in signaculum iustitiæ acceptæ per fidem ex opere operantis, & non per fiduciam hæreticorum, sed per fidem supernaturalem, qua Deo dicenti credidit: reliquis verò data fuit in signum fidei, id est in signum quòd erant fideles, & in signum Circumcisionis cordis non manu factæ, quærendæ tamen ex meritis Christi.

Inuectio autem, qua hæretici inuehuntur in modum loquendi, quo dicimus Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, præterquam quòd est propria Grammaticorum, qui, vt aduertit Ægidius, pluris faciunt institutionem Donati quam Dei, etiam est contra rationem; quia Scholasticis, vtpote Theologiæ præceptoribus, incumbit noua vocabula pro nouis rebus Theologicis inuentis inuenire, & modus operandi Sacramentorum noua legis fuit nouiter à Christo institutus: imò illis licet ad res & modos antiquos noua vocabula inuenire, quando his res illæ, aut modi illi, clariùs & breuiùs explicantur, quia, vt Augustinus in Psal. 138. ait, *Melius est, quod nos reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi*; & ob id ipse pro *os, ossis*, vsus est ibi *ossum, ossi*. Et addimus, quòd quamuis dicta verba sint minùs Latina, sunt tamen non parum antiqua, quia eis ante annos 400. vsus est Innocentius III. lib. 3. de Mysterio Missæ, & ab eo tempore fuerunt ab Scholasticis communi applausu recepta, vtpote aptissima ad explicandum modum operandi Sacramentorum nouæ legis.

Ægidius. *Augustin.* *Innoc. III.*

Dicuntur autem à Catholicis Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato, quia eam conferunt, non quia sint opera meritoria illius, neque quia suscipiens Sacramenta eam mereatur, sed quia Christus instituit applicatione ipsorum à ministro facta conferri gratiam suscipientibus illa, non attenta dignitate & ratione meriti, neque ministri, neque suscipientis, quia quæ per Sacramentum v. g. Pœnitentiæ confertur peccatori attrito, & eam de congruo merenti, non confertur illi quia eam sic mereatur, sed quia suscipit Sacramentum; & gratia, quæ per Sacramentum Pœnitentiæ, aut per aliud confertur iusto attrito, non tribuitur propter attritionem tamquam propter meritum (quamuis pro attritione iusti, tamquam pro merito de condigno, ipsi conferatur alius gradus gratiæ, qui etiam conferretur, quamuis non susciperet Sacramentum) sed propter Sacramentum ipsum secundùm se, quamuis Sacramentum magis dispositio, siue per attritionem, siue per aliud opus bonum, conferat maiorem gratiam. Excessus tamen gratiæ, qui ob excessum dispositionis confertur, correspondet soli Sacramento, vt causæ instrumentali: attritioni verò, aut alij operi bono, medio quo suscipiens disponitur, non correspondet vt merito (quamuis ei vt sic, in iusto alius gradus correspondet, & in peccatore nullus) sed vt dispositioni ex Christi institutione, qui instituit vt Sacramenta maiorem gratiam conferant magis disposito. Sacramenta ergo dicuntur conferre gratiam ex opere operato, quia eam conferunt ex opere facto à ministro secundùm intentionem Christi, non attenta ratione meriti vt meritum est, neque ministri, neque suscipientis. Huic autem modo causandi gratiam ex opere operato opponitur modus causandi illam ex opere operantis, qui conuenit operi quia est meritorium illius saltem de congruo.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Sacramenta nouæ legis causent gratiam vt instrumenta physica.

SAcramenta nouæ legis conferre & causare gratiam, & non vt causas principales, diximus Difficultate præcedenti, in initio, ac proinde aliquo modo vt instrumenta Dei illam conferunt, quod de Baptismo tradit Tridentinum sess. 6. cap. 7. *Trident.*

Est tamen difficultas, An causent gratiam vt instrumenta physica, an tantùm vt moralia. Caietanus 62. artic. 1. & 4. Paludanus in 4. dist. 1. quæst. 1. Sotus quæst. 3. artic. 1. Suarez disp. 9. sect. 2. & communiter Thomistæ docent, Sacramenta nouæ legis causare gratiam vt vera instrumenta physica, quia possunt assumi à Deo vt physica instrumenta ad illam causandam, quia in hoc nulla apparet implicatio contradictionis, ergo de facto sic concurrunt. Consequentia probatur, quia modus physicè concurrendi, est magis perfectus, & magis manifestans omnipotentiam Dei; quia posse causare gratiam, non solùm per se ipsum, sed etiam medijs creaturis est quid maius: imò modus iste causandi est magis conformis Scripturæ & Patribus asserentibus, Sacramenta causare gratiam, & mundare animas à peccatis, quæ non propriè quadrant instrumentis solùm moraliter causantibus gratiam & munditiem. *Caiet.* *Paludan.* *Sotus.* *Suarez.*

Auctores tamen huius sententiæ non eodem modo illam tradunt; quia Paludanus existimat, ex eo solùm esse instrumenta gratiæ physica, quia physicè concurrunt ad producendum ornatum quendam in anima, qui est dispositio ad gratiam: Caietanus vero & Suarez existimant, esse instrumenta physica gratiæ, eam immediatè efficiendo physicè: Sotus autem existimat, esse instrumenta physica non ad entitatem ipsius gratiæ, sed ad vnionem, seu ad coniunctionem gratiæ cum anima, ac proinde ad efficiendam animam Deo gratam. Scotus verò in 4. dist. 1. quæst. 5. Bonauentura art. 1. quæst. 4. Richardus artic. 4. quæst 6. Marsilius quæst. 1. art. 3. Durandus quæst. 5. Canus Relect. de Sacramentis, part. 4. Vasquez disput. 132. & Ægidius q. 62. artic. 4. docent, Sacramenta nouæ legis non esse instrumenta physica gratiæ, sed tantum moralia. *Scotus.* *Bonauen.* *Richardus.* *Marsilius.* *Durandus.* *Canus.* *Vasquez.* *Ægidius.*

Et in primis non esse instrumenta physica gratiæ, probatur ratione generali: quia impossibile est, rem, quæ in se nullam habet virtutem innatam, seu natiuam, neque naturalem, neque obedientialem ad aliquam actionem & effectum, assumi pro sola voluntate Dei vt physicum instrumentum ad eam actionem & effectum, quia à tali re absque virtute innata in ipsa nequit pro sola voluntate Dei actio illa neque effectus physicè & realiter dependere, vt expendit

dit Vasquez disp. 57. cap. 5. & 1. part. disp. 175. & 176. quia id apertè repugnat; sed in Sacramentis nulla agnoscitur virtus innata, adhuc imperfecta, & inchoata ad productionem gratiæ (qualis in intellectu quali per experientiam agnoscitur ad cognitionem supernaturalem) neque ad productionem coniunctionis gratiæ cum anima, quia in Sacramentis nullum est vestigium talis virtutis, quia nulla in illis apparet proportio, nec præparatio accommodata ad productionem gratiæ, neque coniunctionis illius cum anima; ergo absque fundamento dicitur Sacramenta posse assumi vt instrumenta physica ad productionem gratiæ, & ad coniungendum illam cum anima.

Et quamuis assumi possent, admittendum non est, de facto assumi; quia modus causandi gratiam adeò extraordinarius, de quo est tanta difficultas an sit possibilis de potentia Dei absoluta, non est de facto tribuendus Sacramentis absque vrgenti fundamento: ad id autem nullum est vrgens fundamentum, quia in primis ad id non sufficit, quòd in Scriptura & à Patribus Sacramenta dicantur animam sanctificare & abluere, & gratiam continere, quia ad hoc sufficit quòd causent moraliter gratiam; sicut qui dæmonia moraliter eijcit, dicitur id absolutè efficere; & Medicus qui moraliter solùm & directione sanat, dicitur absolutè sanare; & Iudex, qui solo imperio aliquem suspendit, dicitur illum absolutè suspendere. Quòd verò modus physicè causandi gratiam sit dignior, & magis ostensiuus omnipotentiæ Dei (quod Vasquez negat) non sufficit, vt absque maiori & vrgentiori fundamento modum adeò extraordinarium & mirabilem causandi attribuamus Sacramentis.

Sacramenta ergo nouæ legis, quæ sunt instrumenta gratiæ, & non physica, sunt à fortiori instrumenta moralia. In huius tamen explicatione variant Auctores nostræ sententiæ: *Durādus.* quia Durandus existimat, Sacramenta tantùm operari ad gratiam tamquam conditiones & causas sine quibus non. Hoc tamen non satisfacit, quia modus iste causæ & conditionis non sufficit, vt Sacramenta dicantur continere & conferre gratiam, & animam sanctificare. Scotus verò existimat, Sacramenta tantùm operari ad gratiam tamquam dispositiones proximas ad illam ex parte suscipientis: quod nobis non probatur, quia Sacramenta neque sunt dispositiones naturales ad gratiam, vt patet, neque semper sunt morales, vt constat in Baptismo & in Confirmatione susceptis à paruulis, & in Eucharistia & in Extrema Vnctione, & in alijs susceptis à carentibus vsu rationis, & tamen Sacramenta tunc non sunt aliter instrumenta, quàm sunt in adultis habentibus vsum rationis. Sunt ergo instrumenta moralia gratiæ, eam moraliter causantia, quia sua applicatione inducunt, imò obligant Deum ad collationem gratiæ, ratione institutionis & promissionis, quæ facta est ab ipso dandi gratiam sub conditione applicationis ipsorum, in quo efficacitas & causalitas moralis consistit. Sunt autem instrumenta Dei ad gratiam, quia ipsis Deus quasi iuuatur ad collationem gratiæ non physicè, sed moraliter, quia ipsis excitatur ad conferendam gratiam; & hoc modo eam impetrant à Deo, non tamquam retributionem eam merendo à Deo, sed excitando Deum ad collationem gratiæ: & non solùm Sacramenta, sed etiam minister ipse est instrumentum Dei, quamuis non aliter quàm efficiendo Sacramentum quo Deus immediatè excitatur; ac proinde minister remotiùs concurrit quàm Sacramentum.

Conferunt verò gratiam in instanti terminatiuo totius motus Sacramentalis, quia vsque ad illud nondum est Sacramentum perfectum, siue in eo instanti nullum indiuisibile motus producatur, & instans sit omnino extrinsecum Sacramento, vt quibusdam placet; siue in eo producatur indiuisibile perfectiuum Sacramenti, & sit ipsi intrinsecum, vt nobis probatur.

Ex dictis constat, Sacramenta habere virtutem moralem ad producendam gratiam, & eam continere, imò & continere virtutem ipsam, hanc formaliter, & gratiam virtualiter.

Ad rationem ergo aduersariorum negandum est antecedens, nempe Sacramenta posse assumi vt instrumenta physica gratiæ: imò, eo admisso, neganda est consequentia, ob rationes dictas.

DIFFICVLTAS III.

Quam gratiam conferant Sacramenta nouæ legis.

SVpponimus, in quo Catholici conueniunt, Sacramenta nouæ legis gratiam iustificantem conferre, aut primam, vt Baptismus & Pœnitentia (quæ ob id dicuntur Sacramenta mortuorum;) aut augmentum illius, vt reliqua Sacramenta, (quæ ob id dicuntur viuorum;) imò etiam duo Sacramenta mortuorum, quando applicantur homini iusto, seu spiritualiter viuo. Ita tamen Sacramenta conferunt gratiam iustificantem, vt etiam dicantur conferre gratiam Sacramentalem, singula propias gratias, in quo Theologi conueniunt, & tradit Bernardus Ser- *Bernardus.* mone de Cœna Domini, dum docet, diuisiones gratiarum esse in diuersis Sacramentis, & meritò, quia Sacramenta ad distinctos fines ordinantur.

Hoc ergo supposito, difficultas est in explicando quid sit gratia Sacramentalis, seu in quo consistat gratiam esse Sacramentalem.

Paludanus in 4 distinct. 2. quæst. 3. docet, gra- *Paludan.* tiam Sacramentalem esse habitum quemdam superadditum gratiæ iustificanti, diuersum in singulis Sacramentis. Id tamen ab Scholasticis communiter reiicitur, quia dicitur absque fundamento & necessitate.

Capreolus in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 3. qui non *Capreolus.* multum dissentit à Paludano, docet, gratiam Sacramentalem esse qualitatem superadditam gratiæ iustificanti, & diuersam in singulis Sacramentis, quam in Sacramentis imprimentibus characterem ait esse characterem ipsum, & in aliis non imprimentibus characterem esse alias qualitates. Quod etiam communiter reiicitur, quia etiam absque fundamento & necessitate in Sacramentis non imprimentibus characterem constituit qualitates illas à gratia iustificante distinctas, & ipsi superadditas: & quia contra rationem in Sacramen-

mentis imprimentibus characterem constituit gratiam Sacramentalem in charactere ipso: quia contingit, characterem imprimi absque gratia, vt quando Baptismus confertur adulto peccatori non habenti dolorem peccati; & econtrà conferri gratiam absque charactere, vt quando post Baptismum fictè receptum recedit fictio.

Bonauent. Bonauent. in 4. dist. 1. art. 1. quæst. 6. docet, gratiam Sacramentalem esse ipsam gratiam iustificantem, quatenus curat animam à peccatis. Quod etiam nobis non omnino probatur: quia quamuis gratia, qua in Sacramentis remittuntur peccata, specialiùs opponatur peccatis, quàm gratia collata extra Sacramenta, quia illa, vtpote collata intuitu doloris peccatorum quæ remittit, specialem inducit respectum oppositionis ad peccata remissa, etiam venialia; nihilominùs hoc modo insufficienter explicatur gratia Sacramentalis, & discrimen ipsius à gratia iustificante collata extra Sacramenta, saltem in aliis Sacramentis à Baptismo & Pœnitentia, quia in illis aliis aliquando non confertur gratia cum dicto respectu, vel quia suscipiens illa caret peccatis venialibus, vel quia de illis non dolet.

S. Thomas. Caietanus. Ægidius. Vasquez. Suarez. S. Thomas ergo, Caietanus & Ægidius quæstione 62. art. 2. Vasquez disp. 131. Suarez disp. 7. sect. 3. & communiter recentiores docent, & meritò, gratias Sacramentales in omnibus Sacramentis distingui inter se, & à gratia iustificante secundùm se, in eo quòd gratiæ iustificanti ex vi Sacramenti collatæ annexa sunt auxilia gratiæ ad finem peculiarem, ad quem Sacramentum, ex vi cuius collata est, institutum fuit, quod non habet gratia iustificans secundùm se, seu collata extra Sacramenta.

Et in primis id habere gratiam Sacramentalem, seu collatam ex vi Sacramenti, significat *Trident.* Tridentinum sessione 14. in proœmio ad Extremam Vnctionem, & etiam *Bernardus.* Bernardus vbi suprà. Quòd verò in eo consistat gratiam esse Sacramentalem, non leuiter indicat Bernardus, dum diuersas gratias Sacramentorum assignat per ordinem ad diuersa auxilia: & constat ex eo, quòd gratia per Sacramentum collata distinguitur per id à collata extra Sacramentum; & gratia per vnum collata, à gratia collata per alterum.

Christus autem gratiæ collatæ per Sacramentum annexuit collationem auxiliorum efficacium, non verò auxiliorum tantùm sufficientium; quia non satis aptè instituretur peculiare instrumentum, quo applicarentur merita Christi ad auxilium, quod nullum est habiturum effectum (quamuis non ex defectu ipsius auxilij, sed hominis cui confertur) ad finem ad quem datur. Et id indicat Tridentinum quoad gratiam Sacramentalem Eucharistiæ, dum sess. 13. cap. 2. ait, Christum voluisse Eucharistiam sumi tamquam antidotum quo à peccatis mortalibus præseruemur; præseruamur autem auxilio efficaci, & non auxilio tantùm sufficienti: ita tamen Christus annexuit auxilia efficacia, vt non certò & infallibiliter conferantur (aliàs qui semel dignè suscipit Eucharistiam, quæ ad perseuerantiam ordinatur, perseueraret infallibiliter vsque ad mortem) sed tantùm conferuntur pro libito Dei, quod optimè fieri potuit, annectendo gratiæ Sacramentali tamquam inductrici & excitatrici Dei vt ipse conferat auxilia illa; & non annexuit illa gratiæ tamquam indefectibiliter obtinenti à Deo ipsa auxilia: id est, fieri potuit annectendo auxilia gratiæ Sacramentali tamquam suadenti, & non tamquam indefectibiliter persuadenti, conferendo gratiæ vim moralem ad quasi suadendum, & non ad indefectibiliter seu infallibiliter persuadendum, ad eum modum, quo quæcumque oratio bona est impetratiua, sed non indefectibiliter. Ob dictam autem annexionem factam gratiæ per Sacramentum collatæ, sæpè conferuntur auxilia personæ habenti gratiam illam, quæ non conferrentur si eam non haberet.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm omnia Sacramenta habeant vim conferendi primam gratiam.

SVpponimus Primò, in quo Doctores conueniunt, quædam esse Sacramenta instituta ad viuificandam animam spiritualiter mortuam, ac proinde ad conferendam primam gratiam iustificantem, qua anima mortua viuificatur, Baptismum videlicet & Pœnitentiam, quæ ob id dicuntur Sacramenta mortuorum: reliqua verò quinque Sacramenta instituta esse ad augendam vitam spiritualem animæ, ac proinde ad conferendum augmentum gratiæ iustificantis, quæ ob id dicuntur Sacramenta viuorum.

Supponimus Secundò, in quo etiam Doctores conueniunt, omnia Sacramenta, etiam mortuorum, conferre augmentum gratiæ iustificantis suscipientibus illa in statu gratiæ, quia, vt definitur in Tridentino sess. 7. can. 7. omnia Sa- *Trident.* cramenta nouæ legis conferunt gratiam dignè suscipientibus illa; qui autem in statu gratiæ, acceptæ per contritionem, aut aliter, accedit etiam ad Baptismum & ad Pœnitentiam, dignè accedit, si aliàs accedat cum aliis requisitis; ergo recipit augmentum gratiæ, cùm iam præhabeat primam gratiam. Vnde duo Sacramenta mortuorum, quamuis primariò instituta sint ad conferendam primam gratiam, secundariò tamen instituta sunt ad augmentum, quando in suscipiente præsupponitur gratia.

His ergo præsuppositis, est Primò difficultas, An duo Sacramenta mortuorum ita habeant vim conferendi primam gratiam, vt etiam aliquando illam de facto conferant. Et procedit de adultis, quia certum est, Baptismum, qui à paruulis suscipi potest, ipsis primam gratiam conferre.

Gabriel in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 2. docet, duo *Gabriel.* dicta Sacramenta numquam conferre primam gratiam adultis, quia ad effectum gratiæ Baptismi & Pœnitentiæ recipiendum ab adultis habentibus peccatum mortale, prærequiritur in illis perfecta contritio, per quam præsupponitur collata prima illa gratia.

Vasquez verò disp. 158. Suarez disp. 7. & com- *Vasquez. Suarez.* muniter Doctores docent, Baptismum & Pœnitentiam sæpè de facto conferre primam gratiam adultis; & meritò: quia hæc duo Sacramenta instituta sunt ad tollendum ex opere operato peccatum etiam mortale; ergo illud aliquando tollunt,

tollunt, aliàs frustrà fuissent ad id instituta; ergo aliquando conferunt primam gratiam, quia absque ea non tollitur peccatum saltem mortale. Quòd verò ad effectum gratiæ Baptismi & Pœnitentiæ in adultis non prærequiratur perfecta contritio, dicitur ex professo in propriis Tractatibus.

Secundò est difficultas, An quinque Sacramenta viuorum conferant primam gratiam aliquando.

Suarez disput. 7. sect. 2. Ægidius quæst. 62. artic. 1. dub. 2. Reginaldus lib. 26. num. 45. Laimannus cap. 6. & plures alij, partem affirmatiuam tuentur, quando peccator accedit attritus, existimans bona fide se esse in statu gratiæ absque peccato mortali; quia de diuina clementia credi potest, quòd voluerit sic accedenti conferri primam gratiam. Id tamen non eodem modo defenditur ab auctoribus huius sententiæ: quia alij existimant, id habere dicta Sacramenta per se, & ex primaria institutione eorum, secundùm rationem genericam Sacramenti, quamuis secundùm specificam fuerint instituta ad conferendum augmentum gratiæ: alij verò existimant, id habere dicta Sacramenta ex institutione ipsorum secundùm rationem specificam, secundariò tamen & per accidens.

Vasquez. Vasquez verò disp. 205. loquens de Eucharistia, & alij plures in peculiaribus Tractatibus de Sacramentis viuorum, docent, Sacramenta hæc numquam conferre primam gratiam. Quod nobis probatur quoad reliqua quatuor Sacramenta, excepta Extrema Vnctione: quia de aliis quatuor nullatenus constat instituta fuisse ad conferendum aliquando primam gratiam, quia id non constat ex Scriptura, neque ex definitione aliqua Ecclesiæ, vt patet; neque ex aliqua Patrum traditione, quia nullus eorum id affirmauit, & si aliqui dicunt per ea Sacramenta remitti peccata, explicandi sunt de remissione venialium, quia verè remittuntur per illa, vt *Trident.* de Eucharistia tradit Tridentinum sess. 13. c. 2. Imò postquam dixit per Eucharistiam remitti peccata venialia seu quotidiana, addit, per eam nos præseruari à mortalibus, quo indicat, per Eucharistiam non remitti. Neque id constat ex aliqua efficaci ratione, quia sola diuina clementia absque vrgentiori ratione non sufficit ad id, quia non debet durum censeri, Sacramenta, quæ tantùm scimus instituta fuisse ad augendam vitam spiritualem spiritualiter viuis, non conferre vitam spiritualem spiritualiter mortuis, quamuis attritis & bona fide accedentibus.

Excepimus Extremam Vnctionem, quia existimamus, per hanc etiam conferri primam gratiam attritis, & absque mala fide suscipientibus illam; quia id efficaciter deducitur ex Scriptura Iacobi 5. & ex Tridentino sessione 14. ca- *Iacobus. Trident.* non. 1. & 2. de Extrema Vnctione, & ex verbis formæ Extremæ Vnctionis, vt expendimus Tractatu de Extrema Vnctione Diffic. VIII.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Sacramenta conferant æqualem gratiam.

NOn procedit difficultas de Sacramentis diuersæ speciei inter se comparatis, quia incertum est, quod eorum, quantum est ex se, ceteris paribus ex parte dispositionis suscipientis, conferat maiorem gratiam; quamuis vero simile sit, Eucharistiam copiosiorem gratiam cõferre quàm quodlibet aliud, ex eo quòd realiter contineat auctorem gratiæ: sed procedit de Sacramentis eiusdem speciei diuersis numero, vt de duobus Baptismis.

Circa difficultatem hanc Paludanus in 4. dist. 4. *Paludan.* quæst. 1. docet, Sacramenta eiusdem speciei diuersis applicata, semper vi sua conferre inæqualem gratiam; quia existimat, homines creatos fuisse ad reparandas sedes Angelorum qui ceciderunt, & tot homines subrogandos esse Angelis lapsis, quot lapsi fuerunt, & in tanta gloria, quantam illi haberent si in gratia perseuerarent: & existimat, Angelos lapsos, si perseuerarent, habituros inæqualem gloriam, sicut etiam habuerunt inæqualem gratiam, iuxta illud Augustini, *Erat Deus in Angelis simul condens naturam, & largiens gratiam*; ac proinde Sacramenta, quantum est ex se, inæqualem conferre gratiam: aliàs infantes, qui post Baptismum moriuntur, æqualem gloriam consequerentur.

Sed Paludanus incerto & infirmo nititur fundamento; quia homines creatos esse occasione lapsus Angelorum, & tot esse illis subrogandos, & in tanta gloria, incertum est & absque fundamento, & non minùs, Angelos ipsos habituros inæqualem gloriam: quia quamuis creati fuerint in inæquali gratia, vt significat Augustinus, potuissent tamen qui in minori creati fuerunt, meritis supplere defectum gratiæ acceptæ, ac proinde saltem in iure ad gloriam æquare, imò & superare creatos in maiori gratia.

Scotus in 4. dist. 4. quæst. 7. art. 1. & Gabriel *Scotus. Gabriel.* quæst. 2. art. 2. concluf. 7. docent, paruulis, & etiam adultis aliquando, ceteris paribus ex parte dispositionis, in Baptismo (& idem in reliquis Sacramentis) conferri inæqualem gratiam, non vi Sacramentorum, sed adultis ex sola voluntate Dei, & paruulis ex vi meritorum, vel baptizantis, vel parentum, vel adstantium; quia illos tam paruulos quàm adultos prædestinauit ad tantam gloriam, ad quantam aliquando non sufficit gratia quæ vi Sacramenti confertur.

Sed Scotus & Gabriel absque fundamento docent, post instituta Sacramenta nouæ legis Deum pro sola sua voluntate, aut ex merito aliorum conferre immediatè gratiam iustificantem: quia quamuis admittamus, Deum prædestinasse homines ad tantam gloriam ante præuisionem iustificationis, non deesset Deo modus, quo, seruata lege ordinaria, sic prædestinatos perduceret ad ius ad tantam gloriam, absque eo quòd prædicta gratia conferretur modo adeò extraordinario, qui ordinariè tantùm contingebat ad iustificationem paruulorum antiquorum media oblatione

tione parentum, aut aliorum, tamquam merito de congruo, ne tanta paruulorum multitudo absque ordinario remedio periret.

Suarez. Ægidius. Alij, vt referunt Suarez & Ægidius, docent, Sacramenta eiusdem speciei semper conferre æqualem gratiam adhuc inæqualiter dispositis, quia Sacramenta operantur tamquam agentia naturalia, quæ, vbi non est impedimentum, operantur quantum possunt, ac proinde Sacramenta in subiectis capacibus carentibus obice, quantumuis inæqualiter dispositis, causabunt æqualem gratiam, quia operantur quantum possunt, & quantum est ex se, semper possunt idem.

Trident. Sed horum doctrina iam post Tridentinum sustineri non potest, quia sess. 6. cap. 7. agens de iustificatione adultorum, quæ fit in Baptismo, ait, in ea vnumquemque recipere gratiam secundùm propriam dispositionem, & cooperationem (& idem est absque dubio de reliquis Sacramentis;) ergo Baptismus, & reliqua Sacramenta inæqualiter dispositis conferunt inæqualem gratiam, & æqualiter dispositis æqualem; aliàs gratia non conferretur secundùm vniuscuiusque dispositionem. Dicuntur tamen operari vt agentia naturalia, quia absque sui libertate operantur, sed tamquam instrumenta causæ liberæ, quæ illa assumit ad maiorem vel ad minorem gratiam, vel potiùs illis ad maiorem vel minorem gratiam conferendam excitatur, iuxta suscipientis dispositionem.

S. Thomas. Vasquez. Suarez. Ægidius. S. Thomas ergo quæst. 69. artic. 8. Vasquez disp. 135. Suarez disp. 7. Ægidius quæst 62. art. 1. dub. 3. & communiter Theologi docent, Sacramenta eiusdem speciei gratiam conferre iuxta vniuscuiusque suscipientis dispositionem, inæqualiter dispositis inæqualem, & æqualem æqualiter dispositis, iuxta æqualitatem & inæqualitatem dispositionum: quod definitum est à Tridentino de Baptismo cap. illo 7. (& idem est de reliquis Sacramentis.) Et meritò sic institutum est à Christo: quia æquitas exigit, vt æqualiter dispositi æqualem fructum è Sacramento percipiant, aliàs maior cura & diligentia ad suscipiendum Sacramentum careret fructu Sacramentali. Vnde duo Baptismi duobus paruulis applicati, æqualem illis conferunt gratiam, quia illi æqualiter se habent ad Baptismum, nempe absque dispositione, & absque obice seu impedimento.

Sed quæ sit dispositio ad quodlibet Sacramentum, & quæ sit necessaria, commodiùs dicitur in propriis Tractatibus: nunc tamen dicimus, voluntatem suscipiendi Sacramentum, & deuotionem erga Sacramentum quod suscipitur, & reuerentiam in suscipiendo illud, & actum fidei quo credimus Deum esse auctorem gratiæ, & Sacramentum illud habere virtutem ad conferendam gratiam; & actum spei, quo medio illo Sacramento speramus à Deo fructum gratiæ; & etiam dolorem peccatorum, quando per Sacramentum remittuntur, esse dispositionem proportionatam ad perceptionem fructus Sacramenti. Status tamen gratiæ, quamuis necessarius sit ad susceptionem Sacramentorum viuorum, tamquam fundamentum & inchoatio ad augmentum gratiæ ad quod instituta sunt, non est dispositio; quia dispositio aliquem ordinem importat ad effectum (vt calor ad ignem) quem non importat sanctitas ad sui augmentum, ac proinde Sacramenta conferunt gratiam iuxta mensuram voluntatis suscipiendi illa, & deuotionis & reuerentiæ erga illa, & fidei, & spei, & doloris; non tamen iuxta mensuram sanctitatis personæ suscipientis.

Addimus, ad perceptionem fructus Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ in paruulis, nullam esse illis necessariam dispositionem, sed tantùm statum gratiæ ad fructum Confirmationis & Eucharistiæ, & in adultis ad perceptionem fructus Sacramentorum necessariam esse voluntatem suscipiendi illa saltem implicitam, aut interpretatiuam, & specialiter ad fructum Pœnitentiæ etiam esse necessarium actum fidei & spei, & dolorem sanctum peccatorum, & ad fructum gratiæ Baptismi, etiam actum fidei & spei, & quando est peccatum actuale mortale, etiam dolorem illius; de quibus ex professo in propriis Tractatibus.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Sacramenta in voto conferant eamdem gratiam, quam conferunt realiter sumpta.

SVpponimus, Matrimonium & Ordinem in voto seu in desiderio tantùm susceptа, non conferre ex opere operato gratiam, quam conferunt quando realiter suscipiuntur, quia hæc duo Sacramenta instituta sunt ad conferendam gratiam Sacramentalem valdè vtilem ad statum coniugalem & Ordinis, ratione auxiliorum ipsi gratiæ annexorum; ergo absque fundamento dicitur, eam gratiam conferri ob votum seu desiderium ipsorum, quod non constituit ipsum desiderantem in eo statu.

Est ergo difficultas de aliis quinque Sacramentis, An votum, seu desiderium suscipiendi illa quando realiter suscipi nequeunt, conferat ex opere operato gratiam, quam Sacramenta ipsa realiter suscepta conferunt.

Non desunt qui partem affirmatiuam tueantur, quando Sacramenta nequeunt realiter suscipi ab eo qui illis valdè indiget, quia Sacramenta instituta sunt à Christo ad subueniendum necessitati spirituali; ergo quando est hæc necessitas, & Sacramenta suscipi nequeunt, idem efficiunt suscepta in voto ex institutione Christi, quia hoc maximè decet benignitatem ipsius.

Sotus verò in 4. dist. 11. quæstione 2. artic. 1. Suarez disp. 8. Ægidius quæst. 62. art. 1. dub. 4. & communiter Doctores, partem negatiuam tradunt, & meritò; quia promissio Christi conferendi gratiam Sacramentalem, non est facta voto seu desiderio suscipiendi Sacramenta, sed Sacramentis ipsis realiter susceptis, v.g. reali manducationi Corporis Christi, & reali ablutioni, & absolutioni, & vnctioni; ergo absque sufficiente fundamento tribuitur voto Sacramentorum significatio & vis conferendi gratiam ex opere operato. *Sotus. Suarez. Ægidius.*

Non negamus, per actum contritionis perfectæ, & per quemcumque alium actum dilectionis amicitiæ Dei, in quo includitur votum suscipiendi

piendi Sacramentum, quòd est sub præcepto, conferri peccatori primam gratiam iustificantem, & iusto augmentum illius ex opere operantis, & etiam per desiderium expressum suscipiendi Sacramentum, idem augmentum conferri iusto ex opere operantis, quod tantùm voluit Tridentinum sess. 13. c. 8. dum dixit, eos, qui voto Panem cælestem edunt fide viua, fructum & vtilitatem illius sentire, id est, augmentum iustificationis, quamuis non Sacramentalis; sed tantùm asserimus, per dilectionem Dei, in qua continetur votum implicitè, & per votum expressum Sacramenti non conferri gratiam ex opere operato, ac proinde neque Sacramentalem, cui annexa sunt auxilia ad finem proprium cuiuscumque Sacramenti. *Trident.*

Quòd verò homo constitutus sit in necessitate Sacramenti, & in impotentia suscipiendi illud, non sufficit, vt desiderio illud suscipiendi tribuamus, quod non constat Christum tribuisse.

DIFFICVLTAS VII.

Quando Sacramenta conferant gratiam.

NOn desunt qui existiment, Sacramenta conferre gratiam non in instanti, sed in tempore immediato ante instans vltimum terminatiuum temporis in quo fit motus Sacramentalis, seu actio Sacramentalis, quia ex vna parte Sacramentum nequit gratiam conferre antequam sit, neque postquam iam desiuit esse & non est, quia nulla res operatur quando non est; & ex altera parte Sacramentum consistens in motu (in quo sex Sacramenta, exceptâ Eucharistiâ, consistunt) non potest esse in aliquo instanti, sed in tempore; quia tantùm est, seu existit, quando fit; & non fit in instanti, sed in tempore: ergo Sacramenta conferunt gratiam in tempore, & non in alio quàm in tempore immediato ante dictum instans terminatiuum, quia in eo tempore, vtpote immediato ante dictum instans fit & perficitur motus ipse Sacramentalis, seu Sacramentum.

Vasquez verò disp. 32. Suarez disp. 8. Henriquez libro 1. c. 19. Ægidius q. 62. art. 1. dub. 4. & communiter Theologi docent, Sacramenta non conferre gratiam in tempore, sed in instanti, & non in alio quàm in vltimo termino totius temporis, in quo successiuè fit Sacramentum, & meritò: quia Sacramenta non conferunt gratiam, nisi quando sunt perfecta & completa, qualia non sunt vsque ad dictum instans, quia vsque ad illud semper supereset aliquid motûs & actionis Sacramentalis, & in eo instanti iam nihil supereset, ergo in tempore immediatè antecedente ad dictum instans, siue indeterminato siue determinato non conferunt gratiam. Accedit, quòd Sacramenta nequeunt connaturaliter ipsi gratiæ eam conferre, nisi in instanti; quia gratia, vtpote spiritualis, & quoad extensionem indiuisibilis, & carens contrario diuisibili, & habens subiectum omnino indiuisibile & vltimatè dispositum, exigit in instanti produci. *Vasquez. Suarez. Henriq. Ægidius.*

Vnde, vt contra Sotum & Maiorem aduertunt Suarez & Henriquez, Sacramentum administratum homini qui in dicto vltimo instanti moritur, non confert illi gratiam, quia in eo instanti iam non est homo ille. *Sotus. Maior.*

Ad rationem ergo aduersariorum constat, Sacramenta conferre gratiam in instanti vltimo terminatiuo motûs, seu actionis sacramentalis (siue instans istud sit omnino extrinsecum ipsi Sacramento, quia in eo nihil adhuc indiuisibile producitur, vt quibusdam placet; siue sit aliquo modo intrinsecum, quia in eo producitur indiuisibile Sacramenti, vt nobis probatur) quia vsque ad illud non sunt completa & perfecta Sacramenta. Quòd autem in eo vltimo instanti nihil sit Sacramenti, seu motus Sacramentalis, nisi forsan indiuisibile illius, non impedit vt causare possit; quia Sacramenta tantùm causant moraliter, ad quod non requiritur existentia actualis Sacramentorum, sed sufficit ipsa fuisse.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Sacramenta fictè suscepta, posteà, recedente fictione, conferant gratiam.

DIfficultas procedit de Sacramentis fictè sumptis, fictione tantùm effectui gratiæ opposita, vt quando Baptismus suscipitur ab adulto peccatore absque dolore peccati mortalis, & non opposita valori Sacramentorum, quia sic fictè suscepta, vtpote inualida, nullam vmquam conferunt gratiam.

Circa difficultatem ergo Durandus in 4. dist. 4. quæst. 4. & Canus de Pœnitentia, part. 5. docent, Baptismum & Pœnitentiam gratiam conferre, dicta fictione recedente. Quòd autem id habeat Baptismus, probatur: quia aliàs peccata ante Baptismum commissa remitti possent absque Baptismo in re & in voto, quia tunc tantùm possunt remitti per contritionem, aut per accidens per Sacramentum Pœnitentiæ, quæ tunc non continent in voto Baptismum, seu susceptionem Baptismi, quia tunc non est obligatio iterùm suscipiendi Baptismum. Et quòd idem habeat Pœnitentia, probatur: quia aliàs mortalia post Baptismum commissa, etiam possent remitti absque Sacramento Pœnitentiæ in re & in voto, illa scilicet peccata quæ confessa fuerunt in dicto Sacramento fictè facto, quia possunt remitti per contritionem absque Sacramento Pœnitentiæ, in re, vt patet, & etiam absque ipso in voto, quia tunc contritio, per quam remittuntur, non continet votum Sacramenti Pœnitentiæ quoad dicta peccata, quia non est obligatio iterùm illa confitendi, quia iam fuerunt ritè & legitimè confessa. *Durand. Canus.*

Maior in 4. dist. 4. quæst. 2. & Couarruuias in cap. *Alma mater*. 1. part. §. 4. num. 23. docent, hæc tria Sacramenta, nempe Baptismum, Confirmationem & Ordinem, fictè suscepta, conferre gratiam recedente fictione, quia aliàs fictè suscipiens illa maneret per totam vitam fructu illorum priuatus; quia cùm imprimant characterem, repeti non possunt. Addunt Paludanus in 4. distinct. 4. quæst. 5. & Siluester v. Baptismus 4. id etiam conuenire Sacramento Pœnitentiæ, ob rationem Durandi & Cani. *Maior. Couar.*

Ægidius quæst. 62. art. 1. dub. 5. docet, non solùm Baptismum, Confirmationem & Ordinem conferre gratiam recedente fictione, sed etiam Matrimonium, pro tempore quo durat vinculum ipsius, & Extremam Vnctionem pro tempore quo in infirmitate, in qua datur, durat periculum mortis; *Ægidius.*

tis; quia pro dictis temporibus nequeunt iterari & repeti: quod etiam in hac Academia docuit Ludouicus Tena Cathedræ Scoti moderator, & posteà Episcopus Tortuensis.

Tena.

Suarez.

Suarez disp. 28. sect. 6. docet, non solùm Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Matrimonium, & Extremam Vnctionem conferre gratiam recedente fictione, ob rationem dictam, sed etiam Pœnitentiam, ob rationem Durandi & Cani.

Caietanus. Sotus.

Caietanus tom. 1. Opusc. tract. 5. & Petrus Sotus de Institutione Sacerdotum, lect. 5. de Baptismo, docent omnia septem Sacramenta fictè recepta conferre gratiam recedente fictione. Quia Baptismus ideò confert gratiam recedente fictione, quia quamuis gratia Baptismi suppleri possit per contritionem, id tamen est melius & vtilius hominibus; sed etiam est illis melius & vtilius, quòd reliqua Sacramenta fictè susceptа, posteà, recedente fictione, conferant gratiam; ergo id etiam est illis tribuendum sicut Baptismo.

Sotus. Vasquez.

Sotus ergo in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. & Vasquez disput. 161. docent, conferre gratiam recedente fictione, nulli Sacramento conuenire nisi Baptismo, si alicui conuenit; & meritò, quia si Sacramenta hanc virtutem haberent, eam haberent ex institutione Christi; ex hac autem illam non habent, quia nullo firmo fundamento constat, Christum virtutem hanc contulisse aliis Sacramentis à Baptismo, quia non constat Scripturâ, neque traditione, neque testimonio Patrum, nec efficaci aliqua ratione, vt constabit ex solutione eorum quæ ab aduersariis afferuntur. Sed, an Baptismus virtutem hanc habeat, dicimus Tractatu de Baptismo Disp. IV. Diffic. VIII.

Quòd autem absque Pœnitentia in re vel in voto nequeant remitti mortalia post Baptismum commissa, non conuincit, Pœnitentiam fictè susceptam conferre gratiam remittentem mortalia recedente fictione, quia illud saluatur, quamuis post dictam receptionem conferatur gratia, & remittantur peccata per contritionem, absque eo quòd in ea contineatur votum Pœnitentiæ; quia tunc gratia illa remittens peccata non confertur absque Sacramento illo Pœnitentiæ anteà realiter & fictè susceptо, ac proinde etiam tunc est verum, quòd Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium in re vel in voto, quia absque illo iam anteà susceptо non confertur gratia, quamuis non per illud, sed per contritionem perfectam.

Quòd verò Sacramenta imprimentia characterem numquam repeti possint, & Matrimonium durante vinculo ipsius, & Extrema Vnctio durante eodem periculo mortis infirmi, non conuincit, illa fictè susceptа, posteà, recedente fictione, conferre gratiam; quia gratia ipsorum non est necessaria ad saluationem, quamuis sit maximè vtilis, præsertim cùm malitia aut negligentia suscipientis Sacramentum, non fuerit adepta. Quòd si Baptismus id habet (quod Vasquez & alij negant) non est, quia gratia Baptismi sit quocumque modo vtilis, sed quia est vtilis ad remissionem mortalium, absque qua non contingit saluari, & quia iterari non potest; gratia verò aliorum Sacramentorum non est vtilis ad id nisi Pœnitentiæ, hæc tamen iterari potest.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Sacramenta veteris legis iustificarent non tantùm ex opere operantis, sed ex opere operato.

SVpponimus, Sacramenta veteris legis, vtpote opera bona ad cultum Dei pertinentia, & ex auxilio Dei facta, habuisse vim iustificandi ex opere operantis (sicut reliqua opera bona) quia in statu gratiæ facta causabant gratiam, tamquam merita de condigno augmenti illius; & facta in statu peccati, impetrabant à Deo spiritum contritionis (quamuis non infallibiliter) mediâ quâ remittebantur peccata. Cui non obstat Paulus ad Roman. cap. 3. & 4. & ad Galat. 2. dum ait, neminem ex operibus legis iustificari; quia tantùm significat, neminem obseruatione legis, facta ex sola notitia legis, & ex propriis viribus iustificari, non excludens opera legis benè facta ex auxilio gratiæ.

Hoc supposito difficultas est, An Sacramenta illa etiam iustificarent ex opere operato.

Conueniunt communiter Doctores, Sacramenta veteris legis, Circumcisione excepta, non contulisse gratiam ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, quod absque dubio tradit Eugenius IV. in Decreto fidei, dum ait, Sacramenta nouæ legis multùm differre à Sacramentis antiquæ legis, quia hæc non causabant gratiam, sed tantùm significabant per passionem Christi dandam; & satis significat Paulus ad Gal. 4. dum Sacramenta & cærimonias antiquæ legis appellat elementa infirma & egena; & ad Hebræos 9. dum ab ipso dicuntur iustitiæ carnis, quæ secundùm conscientiam mundare non possunt; & cap. 7. dum affirmat, factam fuisse reprobationem antiquæ legis propter eius infirmitatem & inutilitatem; quia si illa aliter quàm ex proprio merito, seu ex opere operantis, iustificarent, non possent in ratione Sacramentorum & cærimoniarum dici inutilia, & infirma, & egena, & non posse mundare conscientias.

Eug. IV.

Superest ergo difficultas de Circumcisione, an contulerit gratiam ex opere operato, non attenta ratione meriti circumcisi, neque ministri circumcidentis.

Alexander 4. part. quæst. 4. memb. 3. Bonauentura in 4. dist. 1. art. 3. quæst. 3. Scotus quæst. 6. Durandus quæst. 7. Henriquez lib. 1. c. 6. & Bonacina disp. 1. quæst. 1. punct. 3. docent, Circumcisionem ex opere operato, seu ex Dei institutione contulisse gratiam patuulis, per quam eorum originale delebatur. Quod tradidisse videntur Augustinus & alij Patres, quos refert Vasquez vbi infrà; imò id tradidisse videtur Innocentius III. in cap. *Maiores*, de Baptismo, dum ait, Baptismum succedisse Circumcisioni; & dum, assignans discrimen inter Baptismum & Circumcisionem, ait: *Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur; non tamen perueniebatur ad Regnum cælorum.* Quod etiam significari videtur Gen. 17. illis verbis: *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Vbi cùm Deus minaretur etiam paruulis, qui non circumcidebantur, perpetuum

Alexand. Bonauent. Scotus. Durandus. Henriq. Bonacina.

interi-

interitum, nequit aliter verificari, nisi quia per Circumcisionem liberandi erant à peccato originali & morte perpetua.

S. Thomas. Bellarm. Valentia. Suarez. Vasquez. Ægidius. S. Thomas verò quæst. 62. art. 6. & quæst. 70. art. 4 Bellarminus lib. 2. de Sacramentis, à cap. 13. Valentia disp. 3. quæst. 3. punct. 3. Suarez disp. 10. Vasquez 1. 2. disp. 184. & Ægidius quæst. 62. ar. 6. docent, Circumcisionem non contulisse gratiam ex opere operato, quod tradunt plures Patres quos Vasquez refert: & id absque dubio definiuit Eugenius IV. in Decreto fidei, dum de Sacramentis antiquæ legis ait non causasse gratiam, sed tantùm figurasse dandam per passionem Christi: sub Sacramentis autem antiquæ legis absque dubio comprehendit Circumcisionem, quia quamuis instituta fuerit ante legem Moysis, fuit tamen etiam præcepta illi populo cui data fuit lex illa, & cum ipsa lege permansit tamquam vnum præceptum illius. Et quidem mirum esset, Pontificem tantùm voluisse comparare Sacramenta noua cum Sacramentis antiquæ legis, excludendo Circumcisionem, quæ erat vnum ex Sacramentis & præceptis in ea lege vigentibus. Quod etiam deducitur ex testimoniis Scripturæ iam adductis, in quibus Sacramenta & cærimoniæ veteris legis dicuntur infirma & egena elementa, & lex vetus dicitur infirma & inutilis. Imò Paludanus ad Rom. 3. Circumcisioni nullam aliam vtilitatem attribuit, quàm quòd esset in signum populi, cui Deus commisit eloquia sua.

Et ratione probatur: quia si Circumcisio iustificaret amplius quàm ex opere operantis, & attenta ratione meriti, id tantùm haberet ex institutione Dei; nullo autem fundamento constat, Deum id instituisse, quia neque constat ratione aliqua efficaci, neque traditione, vt patet: neque ex Scriptura, quia si ex aliquo testimonio, maximè ex illo Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit*; tamen ex hoc testimonio id non constat, quia in eo ad litteram tantùm est sermo de morte corporali infligenda adulto transgredienti præceptum Circumcisionis, quod in eo capite dicitur *pactum*; & non de morte spirituali, vt denotatur addito illo, *delebitur anima illa de populo suo*, quo mors corporalis, & non spiritualis denotatur. Neque id constat ex testimonio Patrum; quia pro parte negatiua est maior numerus Patrum, quàm pro affirmatiua, si pro hac sunt aliqui, quod non est certum: quia Augustinus & alij Patres, qui videntur parti affirmatiuæ fauere, exponi possunt, vt tantùm velint in Circumcisione conferri gratiam & remissionem peccati originalis, sed non virtute ipsius vt Sacramenti, seu vt operis ad id instituti à Deo, sed tantùm vt operis meritorij de congruo; quamuis infallibiliter ex promissione Dei, vt Disp. 11. Diff. 1v. dicimus de remedio pro paruulis in lege naturæ. Et hoc modo exponi potest Innocentius III. vbi suprà, præsertim, quod quamuis id dixerit in sensu aduersariorum, id tamen non definiuit, vt aduertit Vasquez, quia id tantùm adduxit in exemplum secundùm opinionem probabilem, quod non incongruè fit à Pontificibus, quando id non est vnicum fundamentum eius quod definiunt, quale non erat in præsenti; vnde neque constat ex definitione Ecclesiæ.

Per Circumcisionem ergo conferebatur paruulis gratia iustificans, non tamquam per opus operatum, & ex sola institutione Dei, sed tamquam per opus bonum, & meritum congruum ministri operantis: & non conferebatur adultis, quia isti non premebantur necessitate huius remedij, sicut neque remedij legis naturæ, quia iustificari poterant contritione perfecta. Conferebatur autem paruulis, quatenus per Circumcisionem offerebantur Deo à ministro ex fide Dei iustificatoris; & conferebatur infallibiliter ex promissione Dei, non aliqua peculiari Circumcisioni facta, quia de ea non constat; sed ex generali, qua generaliter oblationi pro paruulis factæ tamquam merito de congruo promissa erat remissio originalis ipsorum, ne carerent certo remedio, ac proinde quocumque alio signo, quo ex fide dicta paruulus offerretur Deo, iustificaretur; imò sola interiori oblatione, absque signo exteriori adhuc Circumcisionis, vt etiam dicimus Disp. 11. Diffic. 1v. Circumcisio ergo non solùm non erat iustificans ex opere operato, sed neque necessaria erat vt opus seu meritum operantis; quia absque ipsa fieri poterat iustificatio per aliam exteriorem oblationem, imò & per solam interiorem.

Qua autem ratione, & quas personas, & quo tempore Circumcisio obligabat, & quo ritu, & quo instrumento facienda erat, aduertunt Vasquez disp. 162. & 163. Suarez quæst. 70. art. 3. Henriquez lib. 5. cap. 6. *Vasquez. Suarez. Henriq.*

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm per aliqua Sacramenta imprimatur character.

HÆretici nostri temporis negant esse Sacramenta aliqua imprimentia characterem, quia non constat Scriptura, vt patet; neque traditione, quia vsque ad Innocentium III. nulla inuenitur mentio characteris; neque id constat ratione aliqua efficaci.

De fide tamen est, esse tria Sacramenta characterem imprimentia, nempe Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, quod admittunt omnes Scholastici, etiam Gabriel, quamuis de hac re non sit omnino certus. Et id definierunt Innocentius III. in cap. *Maiores* 3. de Baptismo & eius effectu, & Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 7. can. 9. innixi perpetuæ & constanti traditioni Ecclesiæ, cuius nullum post Apostolos agnoscitur initium. *Gabriel. Innoc. III. Eug. IV. Trident.*

Characteris autem Baptismi expressam mentionem faciunt Cyrillus Ierosolymitanus in Præfatione in Catecheses, Basilius Homil. 13. Nazianzenus Orat. 40. Epiphanius Hæresi 8. Augustinus Epist. 25. & sæpè alibi. Et per Confirmationem etiam imprimi characterem, significat Augustinus lib. 2. Contra litteras Petiliani, c. 104. Et etiam imprimi per Ordinem, significat Nyssenus Orat. de Sancto Baptismate. Et sanè, semel admisso characterе Baptismi, facile est eum etiam admittere in Confirmatione & Ordine, quia etiam nequeunt repeti, sicut neque Baptismus. *Cyrillus Ierosol. Basilius. Nazianz. Epiphan. Augustin. Nyssenus.*

Quod ratione Theologica probatur: quia Baptismus, Confirmatio, & Ordo nequeunt iterari, vt notissima traditione constat; id autem ex nullo alio capite prouenire potest, nisi quia imprimant

characterem indelebilem, ne duplex character frustrà imprimatur: ergo.

Ad fundamentum ergo hæreticorum constat, ante Innocentium III. non paucos Patres mentionem fecisse characteris: & quamuis id non constet ex Scriptura, constat tamen ex perpetua traditione, quia ei innixi fuerunt Pontifices, & Patres Concilij Tridentini, ad id definiendum.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm character Sacramentalis sit qualitas, an relatio.

Scotus. Durandus. Guillel.

SCotus in 4. dist. 6. quæst. 10. Durandus dist. 4. q. 1. & Guillelmus Parisiensis Tract. de Baptismo c. 1. docent, characterem non esse qualitatem, sed relationem, qua homo deputatur seu insignitur ad actiones sacras, Primò, quia relatio sufficit ad saluanda omnia quę Ecclesia attribuit characteri. Secundò, quia character est signum, quo homo insignitur ad aliquam actionem sacram; signum autem est in genere relationis. Prædicti tamen Doctores in eo dissentiunt, quòd Scotus existimat esse relationem extrinsecam, & rationis; Durandus verò & Guillelmus, esse intrinsecam & realem.

S. Thomas. Caietanus. Vasquez. Suarez.

S. Thomas verò, Caietanus & recentiores Thomistæ q. 63. ar. 2. Vasquez disp. 134. Suarez disp. 11. sect. 2. & communiter Theologi docent, characterem non esse relationem, sed esse rem absolutam, & non aliam quàm qualitatem; & meritò: quia in primis non est relatio extrinseca, neque rationis, quia character animæ imprimitur, & est signum indelebile, vt dicitur in Tridentino. Relatio autem extrinseca, & rationis, non propriè dicitur imprimi, (quamuis dicatur conferri;) neque dici potest signum, id est, cui conueniat significatio. Deinde, non est relatio realis intrinseca prædicamentalis, quia hæc numquam producitur, nisi in ipsa re quæ refertur, aut in alia producatur aliquid absolutum, ex quo relatio illa oriatur, vt inductione constare potest. Vt autem character producatur in anima, non est necessarium, quòd in ipsa, neque in alia re producatur aliquid, quia ipse solus potest absque gratia, & absque aliquo alio produci & imprimi, vt supponitur ab Scholasticis; ergo character non est relatio, sed res absoluta.

Quòd verò character sit qualitas, ex eo constat, quòd non possit esse substantia, quia imprimitur animæ; neque possit esse quantitas, quia imprimitur animæ spirituali; neque possit ad aliud prædicamentum distinctum à qualitate pertinere, quia id absque indicio aliquo dicetur; & tandem, quòd sit qualitas ab anima & ab eius potentiis reipsa distincta, constat ex eo, quòd anima, & eius potentiæ reipsa separatæ existunt à charactere, quia sunt absque eo ante receptionem Sacramentorum, per quæ imprimitur.

Ad primam ergo rationem constat, relationem non-sufficere ad saluanda ea quæ à Tridentino dicuntur de charactere. Et ad secundam concedimus characterem esse signum, & ipsi conuenire significationem sitam in relatione extrinseca, & rationis; nihilominùs ipsum characterem, cui conuenit dicta significatio, ratione cuius dicitur signum, esse qualitatem realem.

DIFFICVLTAS XII.

Ad quam speciem qualitatis pertineat character Sacramentalis.

DOctores, qui admittunt characterem esse qualitatem realem, conueniunt (excepto Richardo) illum directè & per se ad prædicamentum qualitatis pertinere, quia est qualitas permanens, vtpote indelebilis, imò in suo genere perfecta: quòd autem sit supernaturalis, cùm sit supra exigentiam cuiuscumque rei creatæ, & sit impressa, & infusa à Deo, non obstat vt vniuocè conueniat cum qualitate naturali, & cum ea in eodem prædicamento collocetur, vt constat in actionibus naturali & supernaturali. *Richardus.*

Est tamen difficultas, Ad quam speciem qualitatis pertineat character.

Marsilius in 4. quæst. 4. art. 1. & Catherinus in Opusc. de Charactere, docent, characterem Sacramentalem ad quartam speciem qualitatis pertinere, nempe ad figuram, quia sit figura spiritualis qua anima figuratur. Immeritò tamen: quia figura propriè sumpta nequit inueniri nisi in corporalibus, vtpote resultans ex terminis quantitatis; in spiritualibus autem solùm per metaphoram. Et ita Aristoteles pro quarta specie qualitatis tantùm adduxit exempla figurarum Mathematicarum. *Marsilius. Catherin.*

Altisiodorensis lib. 4. tract. 3. cap. 2. docet, characterem pertinere ad tertiam speciem qualitatis, nempe ad passibilem qualitatem, quia sit lumen spirituale, quo intellectus illuminatur vt meliùs videat quod faciendum est. Immeritò tamen, Primò, quia absque fundamento dicitur esse lumen intellectus, & principium manifestationis seu intellectionis in actu. Secundò, quia quamuis esset lumen, potiùs esset habitus, quia disponeret intellectum ad meliùs intelligendum. *Altisiodor.*

Caietanus q. 63. art. 2. & Sotus in 4. dist. 1. q. 4. art. 2. docent, characterem pertinere ad secundam speciem qualitatis, nempe ad potentiam, quia characteri Baptismi conuenit positiua ratio potentiæ passiuæ ad recipiendum, quia constituit hominem potentem, & habilem ad recipiendum reliqua Sacramenta; & characteri Confirmationis & Ordinis conuenit positiua ratio potentiæ actiuæ, characteri Confirmationis ad defendendam fidem coram tyranno, & characteri Ordinis ad ministrandum in Ecclesia iuxta varietatem Ordinis. *Caietanus. Sotus.*

Immeritò tamen character dicitur ad secundam speciem qualitatis pertinere, quia ad eam non pertinet nisi quod est principium physicum (imò non nisi actiuum, quia substantia non indiget potentia aliqua accidentali ad receptionem) character autem Sacramentalis non est principium physicum, quia non est ad physicè agendum, neque ad physicè recipiendum, vt patet; quia character Baptismi tantùm est principium morale quasi passiuum, seu quasi conditio moralis ex voluntate Dei ad recipienda validè Sacramenta, & quasi actiuum ad efficiendum Sacramentum Matrimonij; & character Confirmationis tantùm est principium morale quasi actiuum ad propugnandam fidem; & character Ordinis, ti sit Diaconi aut Subdiaconi, ad ministrandum in Sacrificio; & si sit Sacerdotis, ad efficienda Sacramenta, quia

quia illud physicum, quod fit ab insignitis charactere, non fit medio charactere, sed mediis aliis principiis physicis; & ideò illud etiam fieri potest ab aliis non habentibus characterem, vt receptio physica Sacramentorum, quæ fit ab habentibus characterem Baptismi; & applicatio materiæ, & prolatio formæ, quæ fit ab habentibus characterem Ordinis; & propugnatio fidei, quæ fit ab habentibus characterem Confirmationis, etiamsi physicum, quod fit ab habentibus characterem, habeat, vel acquirat ex Dei institutione valorem aliquem moralem, aut aliquem extrinsecum respectum, quem non habet physicum illud factum à non habentibus characterem. Et ob id character dici potest principium morale, vel conditio moralis: & ideò S. Thomas quæst. 63. art. 2. reduxit characterem ad secundam speciem qualitatis, non negando pertinere directè ad aliam. Et quamuis character esset principium physicum alicuius operationis aut effectus, non pertineret ad secundam speciem, quia non esset principium natiuum ipsi animæ, quod requiritur ad secundam speciem qualitatis, ob quod hæc species dicitur potentia & impotentia naturalis, id est natiua, in quo secunda species distinguitur ab habitu operatiuo ad primam speciem pertinente; quia iste non est principium natiuum ipsi rei, sed aliunde requiritur.

S. Thomas.

Vasquez. Suarez. Ægidius.

Vasquez ergo disp. 134. num. 70. Suarez disp. 11. sect. 3. & Ægidius quæst. 63. docent characterem pertinere ad primam speciem qualitatis, & meritò: quia ad hanc pertinet qualitas, qua subiectum conuenienter vel disconuenienter se habet vel in suo esse substantiali, vel in ordine ad operandum, quæ dicitur habitus, vel dispositio; character autem est qualitas, qua anima conuenienter physicè se habet non in ordine ad physicè operandum, sed in suo esse physico; quia homo illo ornatur & insignitur physicè, vel tamquam domesticus Dei, vt charactere Baptismi; vel tamquam miles Dei, vt charactere Confirmationis; vel tamquam minister & dispensator mysteriorum Dei, vt charactere Ordinis.

DIFFICVLTAS XIII.

In quo character Sacramentalis subiectetur proximè & immediatè.

Scotus. Bassol.

SCotus in 4. dist. 6. quæst. 11. & Bassolis dist. 5. & 6. q. 2. docent, characterem proximè & immediatè subiectari in voluntate, quia character est dispositio ad gratiam quæ est in voluntate, dispositio autem est in eodem subiecto in quo est forma ad quam est dispositio.

Caietanus. Valent. Soto.

Caietanus quæst. 63. art. 4. Valentia disp. 3. q. 4. punct. 4. & Sotus in 4. dist. 1. q. 4. art. 4. docent, characterem immediatè subiectari in intellectu, quia est potestas quædam physica ad tribuendum vel recipiendum Sacramenta, quæ sunt diuini cultus, qui consistit in quadam fidei testificatione & professione; fides autem est in intellectu, & consequenter etiam character, qui ad fidei testificationem ordinatur.

Alexand. Bonauentura.

Alexander 4. part. q. 8. memb. 8. art. 1. & Bonauentura in 4. dist. 6. art. 1. q. 3. docent, characterem immediatè subiectari in intellectu & in voluntate, quia conformat animam nostram ad similitudinem Dei; similitudo autem Dei, quam habet anima, est in intellectu & in voluntate.

Marsilius. Vasquez. Suarez. Ægidius.

Marsilius verò in 4. quæst. 4. art. 1. Vasquez disp. 134. cap. 4. Suarez disp. 11. sect. 4. & Ægidius q. 63. art. 4. docent, characterem immediatè subiectari in anima ipsa, & meritò: quia character non est principium physicum alicuius operationis, sed tantùm est habitus, vel dispositio, qua anima in suo esse substantiali benè & conuenienter se habet (qualis est gratia habitualis in opinione distinguentium illam à charitate) ergo immediatè est in ipsa anima, sicut etiam est gratia in opinione prædictorum.

Ad rationem ergo pro Scoto & Bassole negamus, characterem esse dispositionem ad gratiam: & quamuis esset, tantùm esset moralis, quæ potest esse in alio subiecto, vt patet de fide, quæ est moralis dispositio ad gratiam, & tamen fides est in intellectu, gratia verò in anima vel in voluntate.

Ad rationem verò pro Caietano, Valentia & Soto negamus, characterem esse potestatem physicam conferendi vel recipiendi Sacramentum, quia tantùm est qualitas qua anima benè se habet in suo esse, & aliqui characteres sunt qualitates, quibus anima non solùm benè se habet in suo esse, sed etiam quibus homo ex Dei institutione redditur moraliter aptus vel ad recipiendum vel ad efficiendum Sacramentum; & quamuis esset potestas physica ad diuinum cultum, non esset in intellectu, sed potiùs in voluntate, in qua virtus religionis, qua Deus colitur, reperitur.

Et ad rationem pro Alexandro & Bonauentura, quamuis admittamus, nos medio charactere conformari similitudini Dei, negamus tamen ipsum esse in vtraque potentia, quamuis similitudo Dei esset in vtraque; quia character est quædam simplex qualitas, quod non conuenit similitudini Dei, quæ sita est in ipsa anima cum vtraque potentia, aut potiùs in relatione quadam extrinseca, & denominatione extrinseca, qua non inconuenit plura simul denominari.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm character Sacramentalis sit indelebilis.

COnueniunt Theologi, characterem esse indelebilem (ad minus quamdiu homo viuit) quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto, & à Tridentino sess. 7. can. 9. & constat ex perpetua & constante traditione Ecclesiæ.

Eug. IV. Trident.

Character autem dicitur indelebilis, non respectu Dei, qui suspendendo concursum quo ipsum conseruat, eum destruerer, & qui posset illum, quamuis consisteret in extrinseca relatione, & denominatione proueniente ex Sacramento, delere & destruere, statuendo, vt qui reciperet Sacramentum conferens characterem, non maneret habilis, neque deputatus ad recipienda Sacramenta, neque ad illa conficienda, neque ad propugnandam fidem, nisi vsque ad tantum tempus, aut nisi vsque ad commissionem alicuius peccati: sicut etiam consecratio templi posset ab Ecclesia deleri, statuendo, vt non esset consecratum nisi vsque ad tantum tempus, vel nisi vsque

ad occasionem aliquam. Sed character dicitur indelebilis ab agente creato, quia agens creatum neque potest illum physicè destruere, quia caret contrario, medio quo posset illum destruere, neque potest moraliter, seu demeritoriè, quia Deus statuit vt homo non amittat illum, quamuis peccet.

Et quamuis certum non sit, characterem non esse delendum post mortem, tamen est valdè verisimile, delendum non esse post mortem, (in quo *S. Thomas.* S. Thomas quæst. 63. art. 5. & communiter Theologi conueniunt) sed post illam manere in æternum in anima iusti ad eius decorem, & in anima damnati ad eius ignominiam & confusionem. Et sanè, si post mortem non maneret, defunctus, qui à Deo resuscitaretur, esset iterùm baptizandus, & confirmandus, & ordinandus, quod dici non potest.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez *Vasquez. & Ægidius.* & Ægidius, quòd quamuis character maneat post mortem in anima defuncti, in ea tamen non manet potestas aut habilitas illa moralis, aut deputatio characteri annexa; quia ei tantùm pro hoc statu annectitur, quia pro alio est superflua.

Sed, an character intendi & remitti possit, incertum est, & nullo principio indagabile: est tamen certum, imprimi æqualem omnibus, quia non imprimitur iuxta mensuram alicuius dispositionis.

DISPVTATIO IV.

De causa Sacramentorum.

DVplex est causa Sacramentorum, altera instituens illa, & altera illa efficiens & ministrans; & de vtraque disputandum est, priùs de causa instituente, & posteà de causa efficiente & ministrante.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm possit creaturæ communicari potestas instituendi Sacramenta conferentia gratiam ex opere operato.

CONVENIVNT Doctores, potestatem primariam & principalem, & independentem ab altero tamquam à superiore ad instituenda Sacramenta collatiua gratiæ ex opere operato, non posse creaturæ communicari; quia impossibile est, creaturam fieri independentem à Deo in collatione efficacitatis & virtutis facienda alicui signo ad conferendam gratiam.

Est tamen difficultas, An ex commissione Dei possit communicari creaturæ potestas secundaria instituendi dicta Sacramenta pendens à Deo, & ipsi subordinata.

Scotus. Gabriel. Vasquez. Scotus in 4. dist. 1. q. 3. Gabriel q. 2. art. 3. dub. 2. & Vasquez disp. 135. partem negatiuam tuentur, quia instituere dicta Sacramenta, est noniter & primò statuere signum collatiuum gratiæ: nulla tamen creatura id potest primò & noniter statuere adhuc ex commissione Dei, quia quodcumque statutum seu decretum creaturæ circa impositionem dicti signi supponeret decretum Dei, ex quo decretum creaturæ exordium sumeret, ac proinde creatura non primò statueret illud, sed Deus.

Sotus. Valentia. Suarez. Sotus verò in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 4. Valentia disp. 3. quæst. 3. punct. 1. & Suarez disp. 12. sect. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia non repugnat, Deum committere alicui creaturæ potestatem iustificandi homines modo ipsi creaturæ placito, & creaturam ipsam ex hac potestate sibi commissa eligere modum iustificandi homines ex opere operato, & infallibiliter, mediis signis exterioribus hominibus applicatis, & ea assignare & imponere ad id: sed hæc assignatio & impositio signorum sic collatiuorum gratiæ esset vera institutio Sacramentorum de quibus loquimur, ergo non repugnat, dictam potestatem communicari & committi creaturæ. Consequentia patet, & etiam Maior: Minor autem, in qua est tota difficultas, probatur; quia assignatio illa & impositio dictorum signorum esset prima, & noua statutio eorum, quia tantùm supponeret decretum Dei, quo committeret creaturæ iustificationem hominum, & electionem mediorum ad id; & non supponeret impositionem seu institutionem aliquam illorum signorum à Deo factam: quia commissio illa Dei, & decretum quo potestatem illam committeret, non esset impositio & statutio signorum, vt patet; neque decretum Dei esset immediatè circa impositionem, sed tantùm circa potestatem iustificandi homines, & eligendi media ad id; ergo impositio & assignatio signorum facta à creatura illa, esset prima & noua, ac proinde vera institutio. Ex quo patet ad rationem aduersariorum.

Vnde ob eamdem rationem etiam potuit creaturæ à Deo communicari potestas instituendi Sacramenta veteris legis, quibus ex vi institutionis conueniebat denotare infallibiliter gratiam dandam per passionem Christi.

Obseruandum tamen est, potestatem excellentiæ, qua humanitas Christi de facto instituit Sacramenta noua, non posse creaturæ puræ communicari eo modo quo humanitati Christi communicata fuit, nempe ob merita condigna, quibus de condigno eam potestatem meruit, & effectum Sacramentorum: quia nulla pura creatura potuit hæc de condigno mereri, quia gratia adoptionis, qua pura creatura posset esse prædita, non potest esse semen & principium merendi de condigno, nisi augmentum sui ipsius, & etiam gloriam, & non nisi habenti ipsam gratiam, & non aliis: id tamen potuit & potest mereri de congruo, ac proinde quòd ipsi potestas communicetur, & quòd Sacramenta instituta ab ipsa impetrent gratiam.

DIFFI-

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm omnia Sacramenta nouæ legis fuerint de facto à Christo immediatè instituta.

CIrca hanc difficultatem non tam est controuersia inter hæreticos & Catholicos, quàm inter Catholicos ipsos, quia hæretici expressè affirmant, Sacramenta, quæ ipsi esse admittunt, fuisse à Christo instituta.

Non ergo defuerunt Catholici, qui existimauerint aliqua ex septem Sacramentis, præsertim Confirmationem & Extremam Vnctionem, non fuisse à Christo immediatè instituta.

Iam tamen Catholici omnes conueniunt, omnia septem Sacramenta fuisse à Christo immediatè instituta: quod tam est adeò certum, vt negari nequeat absque iniuria fidei, & definitum videtur
Trident. à Tridentino sess. 7. can. 1. dum dicitur: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.* vbi absque dubio sermo est de institutione à Christo immediatè facta, & non mediatè per Apostolos & Ecclesiam, potestate ab ipso accepta, quia illud verba apertiùs significant, & verba in definitionibus dogmaticis in apertiore significatione accipienda sunt, quod maximè confirmat Tridentinum sess. 14. can. 1. dum de Extrema Vnctione, quæ Iacobi 5. videbatur à Christo instituta per Iacobum, ait institutam esse à Christo, & à S. Iacobo promulgatam, ac proinde non institutam immediatè à Iacobo, sed à Christo.

Ambros. Quod etiam significant Ambrosius lib. 4. de
August. Sacramentis, cap. 4. dum ait: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus?* Et Augustinus lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 9. dum loquens de Sacramentis nouæ legis ait: *Ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina.* hoc verò quod addit de Apostolica disciplina, non addit, quia sentiat, Christum quædam, & Apostolos alia instituisse, vt constat ex eodem Epist. 118. cap. 1. vbi supponit omnia fuisse à Christo instituta, & non ab Apostolis, neque à Conciliis plenariis; sed eo addito solùm significat, ea quæ à Christo fuerunt instituta, fuisse in nos per Apostolos deriuata.

Cyprianus. Quod verò ab hæreticis obijcitur ex Cypriano in Sermone de Ablutione pedum, vbi significare videtur, solam Eucharistiam esse à Christo institutam, est parui momenti; quia Sermo ille non est Cypriani, sed alterius, qui ibi plura obscurè tra-
Vasquez. dit: nihilominùs id ita exponitur à Vasquez disputat. 135. c. 1. vt non aduersetur dictæ doctrinæ.

Ita tamen Sacramenta nouæ legis fuerunt à Christo Domino immediatè instituta, vt non fuerint ab ipso vt Deo instituta, aliàs institutio Sacramentorum non attribueretur peculiariter Christo; sed fuerunt instituta ab ipso vt homine, potestate excellentiæ sibi à Deo ex meritis condignis communicata & commissa.

Sacramenta verò veteris legis, etiam Circumcisionis, instituta fuerunt immediatè à Deo, sicut & lex vetus fuit ab ipso immediatè lata, & per Angelum Moysi intimata, & per Moysen populo promulgata, quia nullo fundamento dici potest illa fuisse ab homine aliquo instituta.

In lege autem naturæ nullum fuit propriè Sacramentum adhuc pro paruulis, qui sola eorum oblatione Deo ab adultis facta iustificabantur ex opere operantis, ipsorum videlicet offerentium, infalliбiliter tamen ex promissione Dei, sicut ex eadem iusti morientes cum meritis infallibiliter adipiscuntur gloriam ex opere operantis.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm soli & omnes homines sint ministri Sacramentorum nouæ legis.

COnueniunt Theologi, etiam Scotus, contra Lutherum, solos homines, & non Angelos, esse ministros efficientes & ministrantes Sacramenta, quia officium & potestas efficiendi & ministrandi Sacramenta pendet ex institutione Christi, quæ non constat facta esse pro Angelis, & constat facta esse pro hominibus, non solùm generaliter quoad omnia Sacramenta, ex perpetuo sensu & vsu Ecclesiæ; sed etiam specialiter quoad Baptismum, ex illo Matth. 28. *Baptizantes eos*; & quoad Eucharistiam, ex illo Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; & quoad Pœnitentiam, ex illo Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*; & quoad Extremam Vnctionem, ex illo Iacobi 5. *Inducat presbyteros Ecclesiæ*; & quoad Confirmationem, ex Actor. 8. vbi Apostoli mittuntur ad confirmandum baptizatos in Samaria; & quoad Ordinem, constat ex traditione Ecclesiæ: pro Matrimonio autem res est certissima, quia soli contrahentes sunt ministri. De his tamen ex professo in propriis Tractatibus.

Ea verò quæ obijciuntur à Luthero, ad probandum etiam Angelos habere potestatem efficiendi & ministrandi Sacramenta, omittimus, quia facilia sunt, & illa soluit Vasquez disp. 138. Nihilominùs *Vasquez.* si contingat Angelum bonum Sacramentum aliquod efficere & ministrare, censendum est validum, vt aduertit S. Thomas q. 64. art. 7. non quia *S. Thomas.* ad id habeat potestatem ordinariam, sed quia credendum est id efficere ex peculiari Dei commissione & ordinatione. Et ideò habita fuit vt valida ordinatio, qua Amphilochius ordinatus fuit Episcopus ab Angelo, vt refert Nicephorus li- *Nicephorus.* bro 11. cap. 20.

Ita tamen soli homines sunt ministri Sacramentorum, vt id tantùm conueniat hominibus viatoribus, & non Beatis, neque damnatis (vt contra Suarez disp. 13. sect. 1. aduertit Ægidius q. 64. *Ægidius.* art. 7.) vt constat ex perpetuo sensu & vsu Ecclesiæ. Et sanè neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque aliunde agnoscitur facultas ministrandi Sacramenta inesse, & collata, nisi viatoribus: quod etiam docet Vasquez disp. 134. c. 5. loquens de mi- *Vasquez.* nistris Sacramentorum, ad quorum ministerium requiritur character, qualia sunt reliqua, excepto Baptismo.

Et quamuis soli homines viatores sint ministri Sacramentorum, sed non omnes omnium absque delectu, etiamsi à Republica eligantur, vt contra Lutherum definitur in Tridentino sess. 7. can. 10. *Trident.* dum dicitur: *Si quis dixerit, in Sacramentis ministrandis omnes habere potestatem, & tantùm opus esse vocatione & electione, anathema sit.*

DIFFICVLTAS IV.

Quid debeat intendere minister, vt validè efficiat & conferat Sacramentum.

Lutherus. Caluinus. LVtherus & Caluinus ad valorem Sacramenti nullius alius obiecti intentionem in ministro requirunt, quàm faciendi illud exteriùs cui conuenit ratio Sacramenti, v. g. ablutionem & prolationem verborum Baptismi, quamuis fiat animo irridendi & ludendi, absque intentione aliqua adhuc confusa efficiendi Sacramentum: & *Catherinus.* illis absque dubio adhæret Catherinus in Opusc. de Intentione ministri Sacramentorum, quamuis se subijciendo Apostolicæ Sedi. Quibus fauere videtur Augustinus lib. 7. de Baptismo contra *Augustinus.* Donatistas, cap. 53. dum significat, simulationem & iocum ex parte conferentis Sacramentum non nocere valori ipsius, dum in recipiente absit simulatio. Eis quoque fauere videtur, & non parum, historia illa Athanasij: qui cùm esset puer, alios pueros per iocum baptizauit, & tamen Baptismus ab ipso factus habitus fuit vt validus ab *Rufinus.* Alexandro Patriarcha Alexandrino, vt refert Rufinus 1. Historiæ cap. 14.

Et id ratione probatur Primò, quia ad valorem Sacramenti non requiri intentionem alius obiecti, quàm efficiendi exteriùs illud, seu materiale Sacramenti, est conuenientius ad securitatem valoris illius, & consequenter ad tranquillitatem conscientiæ suscipientis, vt patet. Secundò, quia semel facta institutione vocis ad significandum, non requiritur intentio proferentis, vt vox instituta significet; ergo semel facta institutione Christi, qua instituit exteriùs illud ad significandum gratiam, non est necessaria in ministro intentio aliqua, dum efficiat illud à Christo institutum ad id. Tertiò, quia in contractibus & negotiis humanis non est necessaria in ministris alia intentio, quàm efficiendi exteriùs illud quod à Domino præscribitur; ergo etiam in Sacramentis, quæ à ministris loco Christi tamquam Domini fiunt, non est necessaria alia intentio, quàm efficiendi exteriùs illud quod à Christo institutum est in Sacramentum.

Magister. Alexand. S. Thomas. Magister verò in 4. dist. 6. Alexander 4. p. q. 8. memb. 3. ar. 1. S. Thomas q. 64. art. 10. & reliqui Doctores (excepto Catherino, & forsan etiam Siluestro v. *Baptismus* 3. q. 12.) docent, ad valorem Sacramenti in ministro requiri intentionem efficiendi Sacramentum, saltem confusam, intendendo videlicet facere quod facit Ecclesia, vel quod ministri Christiani faciunt, vel quod Christus instituit, vel aliud æquiualens. Quod absque dubio *Eug. IV. Trident.* definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & oppositum damnatum est in Tridentino sess. 7. can. 10. dum ad valorem seu perfectionem Sacramenti dicitur necessariam esse intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, id est faciendi totum quod Ecclesia facit: Ecclesia autem non tantùm efficit exteriùs illud cui ex institutione Christi conuenit ratio Sacramenti, sed etiam efficit Sacramentum. Et id specialiter definit Tridentinum sess. 14. can. 9. de Sacramento Pœnitentiæ, dum ait, Sacerdotem ioco absoluentem nihil agere, & tamen ille profert verba absolutionis ex intentione proferendi illa. Quod generaliter quoad omnia Sacramenta absque dubio constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, cui Eugenius IV. innixus id generaliter definiuit, & cui Tridentinum innixum generaliter damnauit oppositum.

Id quoque ab absurdo probatur: quia si ad valorem Sacramenti sufficeret intentio adhibendi res & verba quæ adhibet Ecclesia, & non esset necessaria intentio efficiendi Sacramentum saltem confusa, fieret verus Baptismus ab illo qui ludicrè & irrisoriè aliquem in fonte demergeret, dicens: *Ego te baptizo*, vel, *Ego te demergo, in nomine Patris*, &c. quia iste adhibet res & verba quæ adhibet Ecclesia, & illa adhibet ex intentione ea adhibendi. Consequens autem est absurdum, ergo etiam Antecedens.

Sed quamuis ad valorem Sacramenti necessaria sit intentio efficiendi illud exteriùs formaliter, id est tamquam cærimoniam Christianorum, tamen non est necessaria intentio formalis conferendi gratiam. In quo Doctores conueniunt, & sentit Ecclesia, dum non rebaptizat baptizatos ab illis hæreticis, qui existimant per Baptismum non conferri gratiam, & consequenter non intendentibus illam conferre. Ad valorem ergo Sacramenti sufficit intentio adhuc confusa efficiendi Sacramentum, in qua virtualiter continetur intentio conferendi gratiam, quæ est effectus Sacramenti ea proportione, qua effectus virtualiter continetur in sua causa.

Augustinus autem vbi suprà non fauet hæreticis, quia in illo cap. nihil concludit, sed se remittit reuelationi Dei, aut resolutioni alicuius plenarij Concilij. Neque illis fauet historia illa Athanasij: quia Athanasius non solùm habuit intentionem adhibendi exteriùs illud & materiale Sacramenti, sed etiam efficiendi illud Sacramentum; quia quamuis fuerit iocosè operatus, seu ad iocum & delectationem capiendam, ad id tamen vsus est materiali Sacramenti, tamquam cærimonia Christianorum, non mimicè & purè repræsentatiuè id fingendo, sed intendendo seriò efficere quod Alexander Patriarcha efficiebat, eius officium vsurpando ad iocum & delectationem (sicut puer, qui ab aliis ludi & ioci causa constituitur Rex, solet non mimicè sed seriò imperare) & ideò Athanasius non baptizauit nisi pueros iam catechumenos. *Augustinus.*

Ad primam ergo rationem pro aduersarijs respondemus, quòd quamuis ad securitatem valoris Sacramenti, & consequenter ad tranquillitatem conscientiæ suscipientis, melius esset ita instituere Sacramenta, vt ad ipsorum valorem necessaria non esset intentio efficiendi Sacramentum, nihilominùs absolutè melius fuit ita instituere illa, vt dicta intentio sit necessaria: quia conuenientius fuit Sacramenta fieri religiosè à ministris, nempe tamquam cærimonias sacras, quo Sacramenta magis reuerenter fiunt & suscipiuntur, quàm quòd ex malitia ministri aliquando non fiat Sacramentum, & quàm quòd suscipiens habeat Metaphysicam certitudinem valoris Sacramenti, cùm possit habere certitudinem moralem, præsertim quòd quamuis intentio illa non esset necessaria, minister, si vellet, posset facilè irritare Sacramentum, detrahendo aut mutando aliquid essentiale formæ, saltem submissè proferendo formam.

Ad secundam concedimus Antecedens, & negamus

gamus Consequentiam ob discrimen inter institutionem vocum & Sacramentorum, quia voces institutæ sunt ab hominibus ad significandum independenter ab intentione proferentis: materia verò & forma Sacramentorum dependenter ab intentione ministri, quod Christus potuit & congruenter fecit, ob rationem prædictam.

Ad tertiam respondemus, in contractibus & negotiis humanis non requiri in ministro aliud, quàm quòd fideliter referat verba à domino præscripta, quia dominus, quantum est ex parte sua, nihil aliud exigit ad valorem & firmitatem contractus; Christus verò ad valorem Sacramentorum non fuit eo solo contentus, sed requisiuit in ministris intentionem efficiendi Sacramenta.

Ex dictis constat, deficiente dicta intentione in ministro adhibente materiam & formam, non fieri Sacramentum, quia ex vna parte intentio illius requisita est ad valorem Sacramenti, & ex altera defectus intentionis ministri nequit suppleri intentione alterius ministri, vt patet; neque intentione Ecclesiæ, quia Ecclesia non habet aliam intentionem quàm suorum ministrorum: deficiente autem Sacramento, quamuis solius intentionis defectu, non sit effectus Sacramenti à Deo adhuc in paruulis (in quibus nequit aliâ viâ suppleri, excepto martyrio, sicut suppleri potest in adultis contritione perfecta) quia id nullo fundamento constat.

Obseruandum est, quòd quando in ministro sunt duæ intentiones oppositæ, (quæ esse non possunt, nisi quando ignoratur esse oppositas) vt quando minister adhibens materiam & formam, intendit efficere Sacramentum, vel id quod Christus instituit, & simul etiam intendit non efficere quod Romana Ecclesia efficit, existimans eam in hoc discordare ab institutione Christi; tunc si minister ita pertinaciter velit non efficere quod Ecclesia Romana, vt id velit & intendat omnino absolutè, excludendo quamcumque conditionem, cum qua staret & compati possit intentio efficiendi Sacramentum, vel quod Christus instituit, vt quando id ita pertinaciter vult, vt malit non efficere Sacramentum, quàm conformari Ecclesiæ Romanæ, quamuis hęc conformetur Christo, non efficit Sacramentum, quia intentio hæc sic absoluta est incompossibilis cum intentione faciendi Sacramentum (quia Ecclesia Romana id intendit & facit) & prævalet contra intentionem illam. Si verò econtrà minister omnino intendit efficere Sacramentum, vel quod Christus instituit, & id intendit omnino assecurare, tunc verè efficiet Sacramentum, quamuis expressè nolit efficere quod Ecclesia Romana efficit; quia tunc cum hac intentione non efficiendi quod Ecclesia Romana, compati potest altera intentio, & prævalebit contra illam, vtpote omnino absoluta. De facto tamen nullus minister, quamuis habeat expressè vtramque intentionem oppositam, est adeò peruersus, vt saltem tacitè non præferat intentionem efficiendi Sacramentum, intentioni non faciendi quod Ecclesia Romana facit, & illi firmiùs non adhæreat; ac proinde tunc intentio non faciendi quod Ecclesia Romana facit, includit tacitè conditionem hanc, *Si intentio hæc stare potest cum intentione faciendi Sacramentum, & cum effectione Sacramenti*; quia hoc intendit assecurare, & non aliud, & ideò intentio non faciendi quod facit Ecclesia Romana, corrigitur per alteram intentionem, vel potiùs euanescit defectu conditionis in ipsa intentione tacitè inclusæ. Quòd si minister esset adeò peruersus & pertinax, vt expressè malit non efficere Sacramentum, quàm conformari intentioni Ecclesiæ Romanæ, tunc non efficit Sacramentum, quia intentio non faciendi quod Ecclesia Romana, prævalebit contra alteram.

Addimus, de facto numquam, aut rarissimè, in ministro, quantumuis peruerso, & existimante Ecclesiam Romanam in administratione Sacramentorum non efficere quod Christus instituit, reperiri duplicem illam intentionem, sed tantùm faciendi Sacramentum, aut quod Christus instituit, aut quod sua particularis Ecclesia facit, aut quod ministri debent facere: vel quia nihil cogitat de faciendo aut non faciendo quod Ecclesia Romana facit; vel quia, quamuis aliqua huius cogitatio ipsi occurrat, & existimet Christum aliud instituisse ab eo quod Ecclesia Romana facit, tamen non tam curat intendere non efficere quod Ecclesia Romana facit, quàm efficere quod Christus instituit, & debet fieri.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm ad valorem Sacramenti sufficiat intentio efficiendi Sacramentum, quando præterita est.

CONueniunt Doctores, Primò, ad valorem Sacramenti non sufficere intentionem indirectam, quam minister velit indirectè adhibere materiam & formam Sacramenti, volendo directè & expressè causam adhibitionis materiæ & formæ, non adhibitionem ipsam: vt quando quis sciens se in ebrietate adhibere materiam & formam Sacramenti, expressè & directè vult se inebriare, quia tunc intentio illa indirecta non fertur adhuc indirectè in materiam & formam formaliter, nempe tamquam cærimoniam Ecclesiæ, sed tantùm fertur indirectè in illas materialiter, quia in ebrietate non adhibentur formaliter, sed tantùm materialiter. Neque sufficiet, vt aduertunt Vasquez disp. 138. & Suarez disp. 13. intentio indirecta, qua minister velit ebrietatem, præuidens quòd in ea adhibiturus est materiam & formam in ebrietate ipsa directè intendendo efficere Sacramentum: quia intentio hæc directa in ebrietate habita, ex qua in ebrietate ipsa adhibet materiam & formam, non est humana, vtpote elicita ab homine ebrio, carente vsu rationis. Imò neque sufficiet, vt prædicti aduertunt, quòd minister ex intentione expressa & directa adhibendi materiam & formam formaliter, tamquam cærimoniam Ecclesiæ, in ebrietate, eligat ebrietatem, & se inebriet, & in ebrietate illas adhibeat formaliter: quia quamuis intentio illa directa, ex qua ebrietas elicita & assumpta est, sit humana, ipsa tamen adhibitio materiæ & formæ facta in ebrietate, & intentio adhibendi illas formaliter elicita in ebrietate, aut in ea perseuerans, non est humana; Christus autem absque dubio tantùm actionem in se humanam, aut saltem in statu vsus rationis factam instituit in Sacramentum, vt ablutionem, & prolationem verborum; aut in factiuam Sacramenti, vt consecrationem verbalem. *Vasquez. Suarez.*

Conue-

Conueniunt Secundò Doctores, intentionem directam & liberam efficiendi Sacramentum, quæ actu & formaliter est quando adhibentur materia & forma, esse sufficientem ad valorem Sacramenti; quia nulla alia melior intentio excogitari potest: & hanc actualem intentionem non esse necessariam ad valorem illius, quia credi non potest Christum ita scrupulosè instituisse Sacramenta, & tanto periculo nullitatis exposita, vt si minister accedens cum intentione efficiendi Sacramentum, & in eo momento, in quo adhibet materiam & formam, naturali inconsideratione distractus ab ea intentione cesset, non efficiat Sacramentum: aliàs Sacramenta passim & absque humana negligentia fierent irrita, quia dicta naturalis inconsideratio, saltem quantum ad aliquam partem materiæ aut formæ, passim & absque negligentia humana accidit.

Tertiò ergo conueniunt Doctores, ad valorem Sacramenti sufficere intentionem directam & liberam efficiendi Sacramentum, quamuis sit præterita, & actu non sit, quando adhibentur materia & forma; sed non sufficere habitualem, quæ neque in se neque in aliquo effectu sui manet, & dicitur habitualiter permanere, ex eo quòd præcessit, & reuocata non est: sed tantùm sufficere virtualem, quæ quamuis in se non sit quando adhibentur materia & forma, est tamen virtualiter in earum adhibitione, quæ ex intentione efficiendi Sacramentum immediatè inchoata est, aut in alia actione præuia ordinata ad ipsam actionem Sacramentalem, seu adhibitionem materiæ & formæ, cum qua actio illa præuia habet connexionem, vtpote in effectu ab ipsa intentione actuali efficiendi Sacramentum deriuato, siue immediatè siue mediatè.

Et in primis quòd intentio efficiendi Sacramentum, quando nec actualiter in se ipsa neque virtualiter in aliquo effectu sui perseuerat, sed tantùm habitualiter, non sufficiat ad valorem Sacramenti, patet, quia ad hunc est necessarium, quòd materia & forma adhibeantur ex intentione faciendi Sacramentum, vt constat ex dictis Difficultate præcedenti; & quando intentio id efficiendi tantùm est habitualis, tunc adhibitio materiæ & formæ non fit ex illa intentione adhuc remotè, & mediante aliquo effectu ipsius, quia intentio habitualis nullo modo adhuc remotè influit in dictam adhibitionem, quia hæc non deriuatur ex intentione illa, vt ponimus.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez & Suarez vbi suprà, & Ægidius quæst. 64. art. 8. dub. 2. quòd quamuis intentio habitualis non sufficiat ad efficiendum Sacramentum, neque ad efficiendum Sacrificium, quia ad id requiritur intentio factiua, quod conuenire nequit intentioni non perseueranti actualiter in se, neque virtualiter in aliquo effectu sui; sufficit tamen ad applicandum valorem seu fructum Sacrificij faciendi ex alia intentione actuali aut virtuali, quia ad applicandum valorem & fructum Sacrificij, non est necessaria intentio factiua Sacrificij, neque valoris illius, sed sufficit intentio applicatiua valoris futuri Sacrificij faciendi ex alia intentione, & respiciens ipsum valorem vt purum obiectum, & non vt effectum; quia ex eo tantùm, quòd celebrans tunc quando fit Sacrificium, aut anteà velit suum Sacrificium tunc existens, aut posteà futurum alicui prodesse, dicitur illi sufficienter applicare valorem; ad id autem sufficit intentio habitualis, quia sufficit intentio non factiua, & purè volitiua.

Ad valorem ergo Sacramenti, sufficit intentio virtualiter perseuerans in ipsa actione Sacramentali, seu adhibitione materiæ & formæ tamquam in effectu sui, siue immediato, vt quando immediatè inchoata est ex ipsa intentione, nempe efficiendi actionem ipsam Sacramentum; siue mediato, vt quando actio Sacramentalis deriuatur ex dicta intentione, mediante alia actione præuia ad ipsam actionem Sacramentalem ordinata, & connexa cum ipsa, & per quam ad ipsam actionem Sacramentalem peruenitur: quia ex vna parte ad valorem Sacramenti non est necessaria intentio actualis, vt iam diximus; & ex altera parte ex illa intentione, quamuis non perseuerante actu adhuc confusè, aliquo modo fit actio Sacramentalis, quia ex illa intentione, quamuis mediatè, peruenitur ad ipsam actionem Sacramentalem, & fit; & non fieret, nisi dicta intentio præcessisset: vt quando minister ex intentione baptizandi aliquem se confert ad Ecclesiam, & induit se superpelliceo, & vadit ad fontem Baptismi, & non aduertens ad Sacramentum Baptismi, sed ad alia distractus abluit, & profert verba formæ.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez, Suarez, & Ægidius, quòd quamuis ad hoc, quòd actio, quæ procedit ex intentione præterita, sit moraliter bona aut mala ex ea intentione, necessarium sit, quòd actio illa non desinat esse libera, imò & quòd intentio seu voluntas illa aliquo modo perseueret actu, si non expressè, saltem confusè, mutata voluntate seu intentione illa actionis expressa in confusam, vt aduertit Vasquez 1. 2. disp. 75. *Vasquez.* cap. 3. nihilominùs ad hoc, quòd actio Sacramentalis, seu adhibitio materiæ & formæ, fiat Sacramentum, non solùm non est necessarium, quòd intentio, ex qua procedit, maneat actu adhuc confusè ob rationem dictam, sed neque quòd actio Sacramentalis fiat liberè absque distractione naturali; quia quamuis fiat inconsideratè, fit Sacramentum: aliàs Sacramenta passim fierent nulla absque negligentia humana, quia absque hac passim contingit distractio & inconsideratio naturalis eius, quod actu facimus, saltem quoad aliquam partem actionis. Requiritur tamen perseuerantia status vsus rationis, vt actio illa saltem fiat ab homine, qui possit operari, vt homo (quamuis fiat modo simili ei quo fit ab homine experte vsus rationis) quia modum hunc operandi non semper possumus euitare: & credendum est, Christum actiones tantùm hominis habentis statum vsus rationis in Sacramenta instituisse, quamuis non exegerit illas esse humanas & liberas, quia, iuxta communem modum operandi hominum, non raro fiunt inaduertenter & absque libertate, saltem quoad aliquam partem ipsarum.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm intentio conditionata efficiendi Sacramentum sufficiat ad eius valorem.

CONueniunt Doctores, intentionem efficiendi Sacramentum elicitam sub conditione de præterito aut de præsenti, sufficere ad valorem illius,

illius, si conditio subsistat, & sit impleta. Quod satis significatur in cap. 2. de Baptismo, dum præcipimur baptizare sub conditione eos, de quibus est dubium an sint baptizati: & constat ex eo, quòd tunc intentio conditionata efficiendi Sacramentum, ex qua adhibentur materia & forma, statim ac adhibentur perficitur, & desinit esse suspensa, subsistentia & veritate conditionis; ac proinde ex ea intentione potest statim, absque expectatione alicuius, aduenire actioni materiali Sacramenti ratio Sacramenti intenta ea conditionata intentione, quod absque dubio sufficit ad valorem Sacramenti, quia tunc verè adhibentur materia & forma ex intentione efficiendi Sacramentum, quæ post adhibitionem materiæ & formæ non manet suspensa, expectans aliquid in futurum; & relinquens illas absque ratione Sacramenti, quod non posset à ministro fieri. Et id etiam existimamus verum, quamuis subsistentia conditionis sit ignota, & talis, vt post adhibitionem materiæ & formæ ex dicta intentione factam maneat incertum, an persona receperit Sacramentum (vt quando quis baptizatur sub conditione, si sit prædestinatus) quia eadem est ratio, ac quando Sacramentum administratur sub conditione relinquente certam receptionem Sacramenti, vt quando quis baptizatur sub conditione, si non sit baptizatus.

Sed quamuis validè fiat Sacramentum sub conditione de præterito aut de præsenti, non tamen licitè, nisi adsit necessitas; quia administrando Sacramentum sub conditione, exponitur periculo nullitatis, si fortè non subsistat conditio. Addidimus, *nisi adsit necessitas* sic administrandi: quia si adsit, vt verè adest, quando post factam prudentem diligentiam manet dubium, an quis, verbi gratia, sit baptizatus, vel an sit capax absolutionis, potest licitè Sacramentum sic administrari, quia in ea necessitate nulla fit irreuerentia Sacramento, illud exponendo dicto periculo: & id est verum, siue conditio, sub qua adhibentur materia & forma, sit tantùm interiùs & mentaliter concepta, siue etiam exteriùs prolata.

Est tamen difficultas, An intentio efficiendi Sacramentum, habita sub conditione de futuro contingenti, sufficiat ad valorem Sacramenti; vt quando Baptismus vel absolutio fit sub conditione restitutionis postea faciendæ.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, dictam intentionem non sufficere ad valorem Sacramentorum: quod nos verum existimamus non in Matrimonio, sed in aliis sex. Ratio huius doctrinæ est, quia qui in dictis sex Sacramentis adhibet actionem materialiter Sacramentalem ex intentione faciendi illam Sacramentum, habita sub conditione de futuro contingenti, priùs tempore perficit actionem illam materialiter Sacramentalem, quàm intentio efficiendi Sacramentum perficiatur, & fiat absoluta, & desinat esse suspensa; ergo dicta intentio non sufficit ad eorum Sacramentorum valorem, quia ad hunc requiritur, quòd intentio non sit suspensa, sed perfecta & absoluta antè vel statim, ac actio materialiter Sacramentalis perfecta est. Quia quamuis in manu seu potestate ministri sit, quòd vna pars essentialis Sacramenti, verbi gratia ablutio, expectet completionem seu perfectionem alterius partis essentialis, verbi gratia, prolationis verborum, non tamen quòd vtraque pars iam perfecta expectet rationem Sacramenti nondum existentem, vtpote pendentem ex intentione perficienda per impletionem conditionis futuræ. Quòd autem actio materialiter Sacramentorum priùs tempore perficiatur, quàm intentio illa, patet, quia actio illa nequit pendere & suspendi: prolatio enim verborum, verbi gratia Baptismi, & ablutio, statim ac fiunt, sunt absolutæ & perfectæ, & non suspensæ, quia non fiunt sub conditione de futuro, quantumuis ipsis intendatur addi. Imò nequit intendi, nisi ab ignorantibus dictam impossibilitatem, sicut addi non potest actui ambulandi; quia qui ambulat, nequit verè affirmare, Ambulo si crastina die plaut, quamuis addi possit intentioni efficiendi illas, vt cærimonias sacras & Christianorum.

Et idem est, quando fit actio materialiter Sacramentalis ex intentione pendente à conditione de futuro necessaria (verbi gratia, quando ablutio & prolatio verborum fiunt ex intentione pendente à conditione, Si Sol cras oriatur) si intentio verè & seriò eliciatur dependenter ab ea conditione, quòd scilicet dicta intentio non sufficiat ad valorem Sacramenti ob rationem dictam, quia scilicet tunc dicta intentio manet suspensa post actionem materialiter Sacramentalem iam perfectam. Fatemur, conditionem necessariam cognitam, vt talem, si aliquando apponitur, non tam apponi ad suspendendam intentionem, quàm ad significandam certitudinem intentionis absolutæ & perfectæ, ac proinde tunc, quando aliud non constat, Sacramentum censendum est validum.

Quia verò actio materialis Matrimonij, nempe contractus ipse coalescens essentialiter ex intentione, seu consensu in traditionem proprij corporis, & in acceptationem corporis alterius, & ex expressione sensibili illius consensus, potest, quoad vnam partem sui, nempe quoad intentionem & consensum, fieri dependenter à positione futuri, & suspendi vsque ad eam positionem, & hac positione perfici & absolui, quamuis expressio sensibilis illius consensus non possit, ideò ad valorem Sacramenti Matrimonij sufficit intentio efficiendi Sacramentum sub conditione eiusdem futuri, sub qua præbetur consensus in traditionem proprij corporis, & in acceptationem corporis alterius, ex quo consensu coalescit contractus Matrimonij, quia tunc intentio illa conditionata efficiendi Sacramentum Matrimonij, ex qua inchoatus est contractus ipse, posteà impletione conditionis perficiendus, desinit esse suspensa, & fit perfecta & absoluta, statim ac perficitur contractus; quia sub eadem conditione elicitur intentio efficiendi Sacramentum, & consensus ipse in dictam traditionem & acceptationem, ex quo coalescit dictus contractus, qui est actio materialiter Sacramentalis, cui conuenit ratio Sacramenti: & multò meliùs fiet Sacramentum Matrimonij ex intentione elicita sub conditione alterius rei distinctæ futuræ, si priùs impleatur quàm conditio futuri, sub qua elicitur dictus consensus; quia tunc intentio efficiendi Sacramentum Matrimonij priùs perficitur & absoluitur, quàm contractus ipse, quoad dictum consensum.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm ad valorem Sacramenti necessarium sit, intentionem ministri ferri in personam certam sine errore.

CONueniunt Doctores, quando intentio ministri ita determinatè fertur in aliquam certam personam, vt expressè excludat alias, non fieri Sacramentum, si personæ excluſæ conferatur per errorem, vt patet: & dictam exclusionem esse illicitam, & mortaliter, quia ea exclusione exponitur Sacramentum periculo nullitatis, si conferatur personæ excluſæ, quod est illicitum mortaliter, nisi ad id sit rationabilis causa, vt esset, quando in collatione Ordinis timeretur aliquam personam supponendam esse pro altera.

Est tamen difficultas, An quando intentio ministri fertur in personam certam, verbi gratia in Petrum, quem credit habere præsentem, sufficiat ad valorem Sacramenti quod confertur alteri, quando hic alter non est expressè excluſus.

Siluester. Siluester v. *Baptismus* 3. quæst. 15. loquens de Baptismo, partem negatiuam tuetur; quia ad valorem Sacramenti necessarium est intentionem ministri ferri in personam cui confertur: quando autem confertur alteri personæ, & non personæ quæ creditur esse præsens, intentio ministri non fertur in personam cui confertur, sed in alteram.

Scotus. Vasquez. Suarez. Ægidius. Scotus verò in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 8. Vasquez disp. 158. cap. 7. Suarez disp. 13. sect. 4. Ægidius quæst. 64. art. 8. dub. 4. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt quoad alia Sacramenta, excepto Matrimonio, & meritò: quia qui administrat quodcumque Sacramentum ex alijs, ita intendit illud administrare certæ personæ quam existimat esse, vt suam intentionem non restringat ad eam personam existimatam, quia intendit illud administrare personæ præsenti, quæcumque illa sit, quia tunc parum interest huic aut alij illud administrare: & si tunc expressè fertur in vnam personam, v. g. in Petrum, non est quia restringatur ad Petrum, sed quia præsens creditur esse Petrus: intentio verò contrahentis Matrimonium ita fertur in certam personam, v. g. in Mariam, vt ad eam restringatur, & quamcumque aliam excludat, quia tantùm intendit contrahere cum illa, & non cum præsenti, quæcumque illa sit; & tunc expressè fertur in Mariam, non tantùm quia ipsa creditur esse ea cum qua contrahitur, sed quia cum illa sola intendit contrahere, quia non parum interesse potest cum hac vel illa contrahere.

Suarez. Ægidius. Et ob dictam rationem, vt optimè Suarez & Ægidius, proferens verba consecrationis super decem Hostias, credens non esse nisi octo, consecrat omnes decem, nisi expressè intentionem restringat ad octo; & quando profert verba consecrationis super duas Hostias, credens vnam esse tantùm, etiam consecrat duas, nisi expressè restringat intentionem ad vnam tantùm.

Ad rationem ergo in oppositum constat, intentionem ministri in aliis Sacramentis à Matrimonio, etiam ferri in personam incognitam, etiamsi circa eam erretur, quia fertur in præsentem quæcumque illa sit.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm ad valorem Sacramentorum requisita sit fides & sanctitas in ministro.

CONueniunt Catholici contra hæreticos, ad valorem Sacramentorum non esse necessariam in ministro fidem, neque sanctitatem. Ità quoad fidem definitur in Concilio Nicæno I. canone 19. vt constat ex ipso canone, & ex Innocentio I. epist. 22. cap. 5. & in Constantiensi sess. 8. & quoad fidem & sanctitatem in Tridentino sess. 7. can. 4. de Baptismo, in quo est sermo de fide, & can. 12. de Sacramentis in genere, in quo est sermo de sanctitate; quod Christus meritò sic instituit, quia minister non est nisi instrumentum Dei, qui est idem respectu ministri peccatoris, etiam infidelis, & iusti fidelis. *Concilium Nicænum I. Innoc. I. Conc. Constantiense. Tridentin.*

Quòd si Sacramenta validè fiunt ab infidelibus, & ab aliis peccatoribus, vt fieri possunt, etiam erunt fructuosa suscipientibus illa, si in suscipientibus non sit obex, vt potest non esse; quia absque fundamento negabitur fructus Sacramentis validis, quantumuis factis à dictis ministris. imò id etiam negabitur contra Tridentinum sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere, dum generaliter ait Sacramenta gratiam conferre non ponentibus obicem.

Sed obijciunt hæretici Primò, Quòd nemo dat quod non habet; sed infidelis, imò & fidelis peccator, non habet sanctitatem; ergo nequit illam dare aliis, & consequenter neque conferre validum Sacramentum, quia hoc, quantum est ex se, confert sanctitatem. Respondemus, falsum esse quòd nemo dat quod non habet formaliter, quando non dat vt causa vniuoca, vt contingit soli danti calorem, quem non habet formaliter, præsertim quando dans non dat immediatè, sed mediatè, vt contingit Medico infirmo danti sanitatem mediâ Medicinâ; & etiam quando dans non dat vt causa principalis, sed vt minister & instrumentum alterius, vt contingit procuratori conferenti dominium rerum domini cuius est procurator; minister autem Sacramentorum non dat sanctitatem vt causa vniuoca, neque immediatè, sed mediante Sacramento, & non nisi vt minister Dei, ac proinde potest sanctitatem conferre, quamuis eam non habeat formaliter.

Quòd si obijcias Secundò illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; ergo minister, qui non habet Spiritum sanctum, qualis est peccator siue fidelis siue infidelis, nequit gratiam remissiuam peccatorum conferre, ac proinde neque validè efficere Sacramenta collatiua illius: Respondemus, dictis verbis Ioan. 20. conferri Sacerdotibus in ipsorum ordinatione gratiam iustificantem significatam per Spiritum sanctum, & etiam conferri characterem; ex his autem character sufficit, & necessarius est ad validè remittenda peccata; gratia verò iustificans, per Spiritum sanctum significata, necessaria est non ad validè, sed ad licitè remittenda illa.

Quòd si Tertiò obijcias, In eo qui discredit Ecclesiam efficere Sacramentum gratiam conferens, & id Christum instituisse, non potest esse intentio effi-

efficiendi Sacramentum, quamuis intendat efficere quod Ecclesia facit, & Christus intendit; & in eo qui discredit mysterium Trinitatis, nequit esse intentio baptizandi in nomine illius, vt intendit Ecclesia; ergo saltem fides harum rerum requiritur in ministro ad valorem Sacramenti. Respondemus, etiam in eo qui discredit illud prius, posse esse intentionem efficiendi Sacramentum, si, quando adhibet materiam & formam, intendat efficere quod facit Ecclesia, & quod Christus fieri voluit, quidquid illud sit, si Ecclesia medijs illis aliquid facit, & Christus aliquid fieri voluit: & is qui discredit illud posterius, nempe Trinitatem, verbis formæ Baptismi significatam, etiam potest, eo errore interiùs retento, verba illa nihil mutando proferre intentione faciendi medijs illis quidquid Ecclesia facit, & quidquid Christus fieri voluit, si medijs illis aliquid fieri voluit, quia istæ intentiones sufficiunt ad valorem Sacramentorum, & incompossibiles non sunt cum dictis erroribus & dissensibus.

Ex Patribus verò, qui significant Sacramenta ab hæreticis collata potiùs inquinare suscipientem quàm mundare, nonnulli id dicunt, quia loquuntur de Sacramentis intentatis fieri à quibusdam hæreticis, qui formas Sacramentorum substantialiter peruertebant: & alij id dicunt etiam loquentes de Sacramentis validè factis ab hæreticis, quia regulariter nequeunt absque peccato mortali suscipi à ministris hæreticis illa conferentibus, vt dicemus Difficultate XII.

Nonnulla alia, quæ contra dictam veritatem
Bellarmin. Vasquez. obijciuntur, videantur apud Bellarminum lib. 1. cap. 26. & apud Vasquez disp. 137.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm in ministro requisita sit sanctitas, vt licitè administret Sacramenta.

SVpponimus, ministrum requisitum ad validè conficiendum Eucharistiam, Pœnitentiam, & Extremã Vnctionem, esse Sacerdotem; & ad validè conficiendum Confirmationem & Ordinem, esse Episcopum (quamuis etiam simplex Sacerdos possit ex commissione Papæ validè confirmare;) ad validè verò conficiendum Sacramentum Matrimonij sufficere laicum baptizatum; & ad validè conficiendum Sacramentum Baptismi sufficere laicum, quamuis non baptizatum.

Hoc supposito, conueniunt Doctores, ministrum consecratum, conficientem Sacramenta in statu peccati mortalis, per se seu ex obiecto peccare mortaliter, nisi per accidens excusetur impossibilitate saltem morali se iustificandi, quia extrema necessitas suscipientis, ita ad illud celeriter conficiendum cogat, vt nequeat saltem moraliter ad gratiam præparari.

Et in primis id esse illicitum & peccatum, satis
August. significat Augustinus lib. 2. Contra epist. Parmeniani, c. 10. post medium, dum ait: *Omnia sacramenta, cum obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè suscipientibus.* Appellat autem indignè tractare Sacramenta, ea in peccato minis-
Nicol. I. Greg. IX. trare. & Nicolaus I. in suis Rescriptis habitis 3. Tom. Conciliorũ, titul. 11. nu. 5. Gregorius IX. in cap. finali de Temporibus ordinationum, & in cap. finali de Cohabitatione Clericorum. Quod etiam ratione constat, quia id est prohibitum non Iure aliquo positiuo: quia non humano, quia id nullibi prohibetur, etiamsi in nuper dictis capitulis Iuris supponatur esse illicitum, neque Iure aliquo positiuo diuino voluntate Dei lato, quia de eo nullatenus constat: sed est prohibitum Iure diuino naturali, orto ex natura Sacramentorum quam ex Dei institutione habent, quia est irreuerentia contra Sacramentum institutum ad sanctificandam & mundandam conscientiam, effici ab immundo & sordido ministro ad id consecrato.

Quòd verò id sit per se & ex suo obiecto peccatum mortale, constat ex eo, quòd effectio Sacramenti est res grauis, & non parui momenti, ac proinde cùm facta in statu peccati mortalis sit illicita, erit per se & ex suo obiecto grauiter & mortaliter illicita.

Addimus, vt optimè Vasquez disp. 136. & *Vasquez.* Ochagauia q. 19. contra Suarez disp. 16. sect. 4. & *Ochag.* contra Bonacinam disp. 1. q. 3. puncto 2. quemcumque, quamuis non consecratum, efficientem Sacramentum in statu peccati mortalis, vt laicum baptizantem in eo statu, quamuis in extrema necessitate, peccare mortaliter, (nisi extrema necessitas suscipientis non relinquat tempus ministro, vt saltem moraliter possit ad iustificationem præparari:) quia quicumque validè efficiens Sacramentum, quamuis laicus, & in extrema necessitate, est minister à Christo deputatus & institutus ad id; & est contra reuerentiam Sacramenti, ipsum effici à ministro instituto ad id in statu peccati mortalis: quod maiorem vim habet in Sacerdote peccatore efficiente Sacramentum, quamuis in extrema necessitate, & quamuis non solemniter, quia etiam efficitur à ministro non solùm ad id instituto, sed etiam ad id consecrato.

Addidimus, *nisi extrema necessitas suscipientis non relinquat tempus ministro, vt saltem moraliter possit ad iustificationem præparari*; quia quando sic vrget, potest licitè in statu peccati mortalis illud efficere & administrare (in quo Doctores conueniunt) non quia obligatio Religionis cesset ob occursum obligationis misericordiæ, quasi hæc sit maior, quia verè non est, sed minor; sed quia hac necessitate succurrendi proximo vrgente, & existente impossibilitate saltem morali iustificationis ministri, nulla fit irreuerentia Sacramento illud in statu peccati mortalis efficiendo & ministrando, quia Sacramentum institutum est in remedium hominum, & tunc non potest homini subueniri, nisi illud in eo statu ministrando.

Obseruandum est, vt optimè Vasquez, minis-*Vasquez.* trum in statu peccati mortalis distribuentem Eucharistiam anteà factam, non peccare mortaliter, quia in hac distributione non apparet grauis aliqua irreuerentia contra Eucharistiam, quamuis appareat, & sit in effectione illius: & multò minùs erit mortale, in statu peccati mortalis transferri Eucharistiam de loco in locum, & eam eleuando benedicere populum, quia in hoc multò minùs apparet irreuerentia grauis: & nulla adhuc leuis in eo, quòd quis Eucharistiam lapsam in terram (quamuis sit laicus, non existente Sacerdote) leuet, & in loco decente reponat.

Ita tamen minister Sacramentorum tenetur in statu gratiæ Sacramenta conficere, vt quamuis

sit conscius peccati mortalis non confessi, non teneatur confessionem illius ad effectionem Sacramentorum adhuc Eucharistiæ præmittere, sed satis sit, si perfectam contritionem eliciat, vt contra Adrianum & Marsilium aduertunt Vasquez, Suarez & communiter Doctores, quia talis præcepti & obligationis nullum extat sufficiens fundamentum: nihilominùs Sacerdos celebrans ad id tenetur, sed non quia conficit Eucharistiam, sed quia illam recipit. *Vasquez. Suarez.*

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Diaconus & Subdiaconus, in statu peccati mortalis cantantes solemniter Euangelium & Epistolam, peccent mortaliter.

Medina. Angelus. Siluester. Victoria.

MEdina Cod. de Pœnitentia tract. 1. q. 6. Angelus v. *Clericus* 8. & Siluester v. *Clericus* 2. §. 8. & Victoria de Sacram. q. 29. partem affirmatiuam tuentur. Quod deduci videtur ex cap. vltimo de Temporibus ordinationum, vbi postquam Gregorius IX. dixit Clericos ob crimina occulta non esse impediendos in susceptis Ordinibus ministrare, postquam egerint pœnitentiam, addit: *Quòd si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione diuini iudicij obtestandi, vt in susceptis Ordinibus non ministrent.* Et ratione probatur, quia ex vna parte id fit indignè & irreuerenter in statu peccati mortalis, & ex altera id est materia grauis sufficiens ad mortale, vt patet in eo, qui suspensus, aut irregularis id efficit. Et ob eamdem rationem Medina addit, Episcopum in mortali conficientem Chrisma, vel benedicentem oleum, vel consecrantem, aut benedicentem Ecclesiam, peccare mortaliter; & id generaliter docet de quacumque actione propria Ordinis sacri.

Sotus. Vasquez. Suarez. Ægidius. Ochag. Bonacina.

Sotus verò in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 6. Vasquez disp. 136. cap. 4. Suarez disp. 16. sect. 3. Ægidius q. 64. art. 6. dub. 1. Ochagauia q. 19. Bonacina disp. 1. q. 3. puncto 2. & communiter recentiores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia quamuis prædictæ actiones sint graues, in earum tamen exercitio, facto in statu peccati, non reperitur grauis irreuerentia (etiamsi indecentia aliqua reperiatur) quia non sunt actiones ex opere operato sanctificantes. Et idem ob eamdem rationem docent Vasquez, Suarez & Ægidius contra Medinam, & meritò, de Episcopo, & de Presbytero, consecrante, & benedicente, & quæcumque alia Sacramentalia efficiente, nempe quòd in eis actionibus Sacramentalibus in statu peccati factis, non sit irreuerentia & malitia mortalis.

Vasquez. Ægidius. Bonacina.

Addunt Vasquez, Ægidius & Bonacina contra nonnullos, in nulla actione ex dictis, in statu peccati facta, esse malitiam mortalem, quamuis sæpissimè fiant, & repetantur, & meritò: quia frequentatio & repetitio actionis non mortalis, non fit mortalis, nisi quando materia continuatur, vt in furtis paruis; vel quando effectus relictus ex repetitionibus continuatur, vt in pluribus comestionibus paruis in die ieiunij; vel quando frequentatio notabiliter nocet fini legis, vt in frequentatione omissionis audiendi Missam in illustri Collegio D. Ildephonsi in diebus non festis, quæ in præsenti non habent locum.

Addunt Vasquez & Ochagauia, in actione solemni Diaconi & Subdiaconi, & in consecratione Chrismatis, & in benedictione Aquæ, & in effectione aliorum Sacramentalium in statu peccati factis, non solùm non esse malitiam mortalem, sed neque esse venialem, quia id non sit contra præceptum aliquod: quia non est contra positiuum aliquod, vt patet; neque contra naturale virtutis religionis, quia in eo nulla apparet irreuerentia. *Vasquez. Ochag.*

In cap. autem illo vltimo de Temporibus ordinationum, non supponitur, Clericos ob peccata mortalia esse prohibitos in susceptis Ordinibus ministrare, sed monendos esse & prohibendos à Superioribus.

Et ad rationem, negamus id fieri indignè & irreuerenter, quamuis fiat indecenter, vt sentit Vasquez.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm concionari in statu peccati mortalis, sit mortale.

Caietan.

CAietanus quæst. 64. art. 6. & in Summa v. *Prædicatorum peccata*, parte affirmatiuam tuetur, tum quia concionari sit actus Ordinis sacri, ex institutione Ecclesiæ applicatum Ordini sacro, quamuis ex institutione Christi conueniat Episcopo; tum etiam, quia concionari in statu peccati, est iniuriam irrogare prædicationi, quia eo denotatur, prædicatores esse à Christo institutos, vt solo verbo & non opere prædicent.

Sotus. Vasquez. Suarez. Ægidius. Ochag.

Sotus verò in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. Vasq disp. 136. c. 5. Suarez disp. 16. sect. 3. Ægidius q. 64. art. 6. Ochagauia q 19. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò, quia id non est contra præceptum aliquod: quia non est contra aliquod positiuum, vt patet, nec contra naturale virtutis religionis, quia in concionando in statu peccati, non irrogatur iniuria prædicationi, quia qui in mortali prædicat, non denotat Christum instituisse prædicatores, vt solo verbo prædicent, & non opere, sed prædicat in eo statu, quia existimat, & verè, nullo iure teneri ad prædicandum in statu gratiæ; neque irrogatur iniuria Ordini, quia concionari non est actus Ordinis, quamuis ab Ecclesia sit annexum Ordini sacro: aliàs qui suspensus ab Ordine prædicaret, fieret irregularis, quod est falsum: & quamuis esset actus Ordinis, & sacri, non fieret mortalis, vt patet ex dictis Difficultate præcedenti.

Sotus. Vasquez. Ochag.

Addunt Sotus, Vasquez & Ochagauia, concionari in statu peccati non esse peccatum adhuc veniale, quia id non est contra præceptum aliquod.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm licitum sit accipere Sacramentum ab eo, quem scio in administratione peccaturum.

SVpponimus, ministrum dupliciter peccare posse Sacramentum administrando; vno modo, quia in peccato mortali illud administret; & altero, quia illud censura aliqua ligatus administret, quamuis iustificatus sit à peccato ob quod illam incurrit.

Circa

Circa prius, quia pertinet ad Tractatum de Scandalo, breuiter dicendum est, licitum esse cuicumque petere & recipere Sacramentum à ministro existente in peccato mortali, quamuis minister non sit proprius Pastor petentis, & quamuis paratus non sit Sacramentum conferre, si receptio Sacramenti à dicto improbo ministro futura sit commodior vel vtilior petenti, quàm ab altero probo ministro, qui etiam possit administrare. Ita Suarez d. 18. sect. 2. Ægidius q. 64. ar. 6. dub. 2. Bonacina disp. 1. q. 6. punct. 5. Quod nos restringimus, vt verum sit, quando minister administraturus est ex malitia in statu peccati mortalis (ex qua regulariter fit in præsenti materia) & non ex ignorantia, neque ex passione, seu infirmitate. Ratio huius doctrinæ est, quia in casu dicto, petens Sacramentum ab improbo ministro, quamuis eum inducat ad administrandum, tamen non inducit illum ad peccandum, neque illum actiuè scandalizat, quia si ipse minister velit, potest Sacramentum licitè administrare: quia si velit, potest iustificari, sed ipse ex se ipso, & non inductus ad peccandum, peccat, & passiuè scandalizatur. Nemo autem tenetur id quod sibi est vtile (quamuis solùm temporaliter) omittere, vt euitet scandalum passiuum alterius, nisi ortum ex ignorantia, vel ex passione, ex quibus in præsenti materia raro oritur: quia non iustificari in casu dicto, regulariter euenit ex malitia ipsius ministri. Quòd si minister ex ignorantia aut ex passione administraturus est in eo statu peccati, illicitum est ab eo petere & recipere Sacramentum, nisi cessante ignorantia media admonitione, aut aliter, vel cessante passione: excepto quando receptio Sacramenti est sub præcepto, & non est alius minister probus à quo recipi possit, quia non sunt omittenda ea quæ sunt sub præcepto, vt euitetur scandalum passiuum adhuc pusillorum, seu ortum ex ignorantia vel ex passione.

Suarez. Ægidius. Bonacina.

Circa posterius, quia pertinet ad Tractatum de Censuris, breuiter dicendum est, à ministro excommunicato, vel denuntiato, vel notoriè excommunicato ob percussionem Clerici (qui dicitur minister vitandus, seu non toleratus) non posse fideles recipere Sacramentum, nisi in articulo mortis, & non quodcumque Sacramentum, sed tantùm Baptismi & Pœnitentiæ, & etiam Eucharistiæ, quando non potuit suscipi Sacramentum Pœnitentiæ, & etiam Sacramentum Extremæ Vnctionis, quando non potuit suscipi Sacramentum Pœnitentiæ nec Eucharistiæ, de quo dicimus Tractatu de Excommunicatione Disp. IV. Diffic. II.

Est tamen difficultas, An fideles possint recipere Sacramenta à ministro excommunicato non denuntiato, nec notoriè excommunicato ob percussionem Clerici (qui toleratus dicitur, & non vitandus) quam generaliter examinamus eodem Tractatu Disp. I. Diffic. IV.

Circa quam etiam breuiter dicendum est, fideles posse licitè à dicto ministro tolerato recipere Sacramenta, quamuis neque sit proprius Pastor, neque sit paratus ad collationem Sacramentorum; quia in Extrau. *Ad euitanda scandala*, conceditur fidelibus facultas ab Ecclesia communicandi, etiam in administratione & receptione Sacramentorum, cum ministro excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, etiam eum inducendo & prouocando ad id quod fieri potuit ab Ecclesia, cùm ab ea pendeat tota vis excommunicationis, quoad effectum ipsius; ac proinde fideles possunt licitè Sacramenta à ministro excommunicato tolerato petere & recipere; & non solùm licitè absque peccato contra prohibitionem Ecclesiæ, sed etiam absque peccato cooperationis alicui peccato ministri: quia etiam ipsi ministro, quamuis non directè intendendo ipsi fauere, sed indirectè, in fauorem fidelium, quatenus his est necessarium, vt liberè absque peccato cooperationis possint cum ipso communicare, conceditur licentia, vt possit tractari & communicari à fidelibus, ac si non esset excommunicatus, eo ipso quòd fidelibus conceditur licentia, vt cum eo tractent & communicent ac si non esset excommunicatus. Addimus, *quatenus his est necessarium, vt liberè absque peccato aliquo, etiam cooperationis, possint cum eo communicare*, quia aliquando fideles possunt licitè ab ipso petere & recipere Sacramenta, quamuis ipse illa illicitè administret: vt quando minister ex se ipso incipit, & se ingerit administrationi, & etiam quando, antequam necessarium sit administrare, habet in sua manu absolui ab excommunicatione, & non absoluitur. de quibus ex professo dicimus vbi suprà.

DIFFICVLTAS XIII.

Qui sint capaces Sacramentorum; & An ad eorum valorem requiratur consensus in recipiente.

CIrca prius Doctores conueniunt, solos homines, & viatores, esse capaces Sacramentorum, quia ad ipsos solos tamquam ad subiecta susceptiua Sacramentorum, directa fuit institutio Christi, & pro ipsis solis facta: quod etiam constat ex sensu & vsu Ecclesiæ. Ita tamen soli homines viatores sunt capaces Sacramentorum, vt non solùm prædestinati, sed etiam reprobi capaces sint; & non solùm iusti, sed etiam peccatores (de quo contra hæreticos videndus est Suarez disp. 14. sect. 1.) quamuis non omnes viatores sint capaces omnium absque delectu, vt in propriis Tractatibus dicitur. *Suarez.*

Circa posterius (quod non habet locum in Sacramento Eucharistiæ, quia præsupponitur validè factum independenter à suscipiente, neque in Sacramento Matrimonij, in quo, quia suscipientes etiam sunt ministri, idem consensus requisitus ad valorem illius in ministris, etiam requiritur in suscipientibus) conueniunt Catholici, in paruulis nullum requiri consensum ad valorem Sacramentorum quorum pro ea ætate capaces sunt, quia nequeunt naturaliter absque miraculo consensum habere; miraculosus autem consensus, quem in paruulis fingunt hæretici, nullum habet fundamentum.

Est tamen difficultas, An ad valorem Sacramentorum in adultis requiratur consensus seu voluntas suscipiendi illa.

Circa difficultatem hanc certum est, quod negari nequit, (vt malè negarunt Glossa in can. *Solet*, de Consecrat. dist. 4. & Glossa in cap. *Maiores*, de Baptismo) eum, qui omnino resistit susceptioni Sacramenti, non suscipere validum Sacramentũ, vt exprimit Innocentius III. in cap. *Maiores*, de Baptismo: quod Christus meritò ita instituit, quia *Glossa.* *Innoc. III.*

indecens erat omnino resistentem initiari sacris Christianis: & ob id sumptio Eucharistiæ ab omnino resistente non est Sacramentalis, sed materialis (sicut fieret à cane) qua non impletur præceptum diuinum suscipiendi Eucharistiam.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An ad valorem Sacramenti (& idem est de susceptione Sacramenti vt sit Sacramentalis) requiratur positiuus consensus suscipiendi illud in adultis, an in eis sufficiat non resistere.

Caietan. Ledesm. Caietanus q. 68. art. 7. & Ledesma in 4. part. 1. q. 9. art. 7. docent, ad valorem Sacramenti in adultis non requiri positiuum consensum suscipiendi illud, sed sufficere quòd non resistant. Quod expressisse videtur Innocentius III. in d. cap. Maiores, dum ait: *Sacramentalis operatio imprimit characterem, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem.* Et id non leuiter insinuat Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum ait: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* ergo Sacramentum verè perficitur absque consensu & intentione suscipiendi illud. Et ratione à simili probatur, quia in paruulis non requiritur consensus suscipiendi Sacramentum ad valorem illius, ergo neque in adultis, quia idem est in vtrisque Sacramentum.

Innoc. III. *Eug. IV.*

S. Thom. Scotus. Vasquez. Suarez. Ægid. S. Thomas verò q. 68. art. 7. Scotus in 4. dist. 4. q. 4. Vasq. disp. 138. n. 65. Suarez disp. 14. sect. 2. Ægidius q. 64. art. 8. dub. 5. & communiter Theologi docent, ad valorem Sacramenti in adultis, qui aliquando fuerunt domini propriæ voluntatis, requiri positiuũ consensum suscipiendi illud. Quòd expressisse videtur Augustinus lib. 4. de Baptismo c. 24. Et meritò, quia ex vna parte conuenientissimum est, adultos aliquando dominos propriæ voluntatis non initiari sacris Christianis absque proprio consensu positiuo, quamuis paruuli & amentes, qui numquam fuerunt domini propriæ voluntatis, validè absque positiuo consensu initientur: & ex altera parte facile est, & facilè fieri potuit, vt idem materiale Sacramenti ex Christi institutione requirerent, vt sit & fiat signum & causa gratiæ in adultis, dictum consensum tamquam conditionem; & non in paruulis, neque in perpetuò amentibus, cùm isti non possint illum habere, & possint illi; ergo credendum est, sic fuisse à Christo institutum. Ex quo constat ad rationem à simili adductam pro Caietano & Ledesma.

August.

Innocentius III. verò in dicto cap. *Maiores*, dum ait, quòd Sacramentalis operatio imprimit characterem, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem, per contrariam intelligit contrariam etiam priuatiuã, quæ etiam priuatiuè obsistit, vt ex contextu deducitur. Et Eugenius IV. quando ait, Sacramenta tribus perfici, materia, & forma, & intentione ministri, tantùm loquitur de his quæ sunt generaliter necessaria omnibus Sacramentis ad ipsorum valorem & perfectionem, & susceptis à quibuscumque; & ideò nullam fecit mentionem consensus suscipientis, quia iste non est generaliter necessarius, quia necessarius non est ad perfectionem seu valorem Eucharistiæ, neque ad valorem Sacramentorum, quæ suscipiuntur à paruulis, & à perpetuò amentibus.

Innoc. III. *Eugen. IV.*

Ita tamen in adultis suscipientibus requiritur positiuus consensus ad valorem Sacramentorum, vt sufficiat habitualis (id est præteritus non reuocatus) vt supponitur in dicto cap. *Maiores*, & satis congruenter; quia suscipiens non se habet vt agens & operans (sicut se habet minister) sed tantùm se habet vt patiens, ac proinde non est necessarium consensum esse actualiter, neque virtualiter, vt ex eo tamquam ex efficiente deriuetur, & fiat Sacramentum, sed sufficit quòd suscipiens aliquo modo consentiat in susceptionem Sacramenti, ad quod sufficit consensus præteritus nondum reuocatus. Et etiam sufficit consensus ex metu coactus, vt supponitur in dicto cap. *Maiores*, & in Concilio Toletano IV. can. 55. quia consensus iste est simpliciter voluntarius & liber, quamuis aliquid inuoluntarij habeat admixtum: imò non est necessarius consensus specialis, sed sufficit quilibet etiam generalis, quia quolibet suscipiens dicitur in susceptionem Sacramenti consentire, vt consensus, quo quis Catholicè viuens desiderat aliquando vti medijs Ecclesiæ, vel ea sibi cõferri quando ipsis indigeat: & hunc ad minus præsumit Ecclesia in moribundo, quem extremè vngit, quamuis id non petierit.

Concil. Toletan.

Præter consensum autem suscipiendi Sacramentum, non est necessarius in suscipiente, quamuis adulto, actus fidei ad valorem Sacramentorum (in quo etiam Catholici conueniunt) quia dicta necessitas nullo fundamento ostendi potest.

DISPVTATIO V.

De ordine & numero Sacramentorum.

DIFFICVLTAS I.

Quot sint Sacramenta nouæ legis.

ERror est hæreticorum, existimantium Sacramenta nouæ legis pauciora esse quàm septem (quamuis ipsi in eorum numero non conueniant) quia numerus iste septenarius Sacramentorum neque ex Scriptura neque ex Patribus constet. Imò addit Kemnitius, si credendum esset Patribus, plura essent assignanda Sacramenta quàm septem: quia Ambrosius libro 3. de Sacramentis, cap. 1. & Cyprianus Serm. de Ablut. pedum, & Bernardus de Cœna Domini, lotionem pedum factam à Christo in nocte Cœnæ Ioannis 13. appellant Sacramentum: quòd verò ex institutione Christi conferat gratiam, significare videtur Christus illis verbis, *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, per gratiam videlicet: & eam etiam pro reliquis hominibus in Sacramentum institutam mansisse significare videtur Christus illis verbis, *& vos debetis alter alterius lauare pedes.*

Kemnit. *Ambr.* *Cypr.* *Bernard.*

Catholici tamen conueniunt, Sacramenta nouæ legis esse septem, neque plura, neque pauciora, nempe

hempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto, & clarius à Tridentino *Eugen. IV. Trid.* sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, quorum definitio innixa est non Scripturæ, sed traditioni, etiamsi non pauca ex septem Sacramentis ex Scriptura constent, vt dicitur in proprijs Tractatibus.

Patres verò, quamuis nullibi omnia septem Sacramenta simul enumerent, quia huius nulla ipsis necessitas occurrit, tamen omnium eorum sparsim mentionem faciunt, vt in proprijs Tractatibus dicimus, & non aliquorú aliorum: quia etiamsi aliquando aliquas alias cærimonias appellent Sacramenta, tamen tunc sumunt Sacramentum latiori significatione pro quouis signo rei sacræ, non pro signo sanctificante ex opere operato. Nonnulli verò Patres, qui lotioni pedum à Christo factæ, & quasi pro nobis institutæ, attribuunt remissionē peccatorum, non id ei attribuunt tamquam causæ ex opere operato, sed tamquam bono operi charitatis, & insignis humilitatis, quod verè extinguit reatum peccatorum relictum post remissionem culparum, imò hanc impetrat, quamuis non infallibiliter.

Christus verò Ioan. 13. illis verbis, *Si non lauero te, non habebis partem mecum*, non est minatus Petro exclusionem à gratia neque à Regno cælorum, sed à Cœna, tam communi seu vsuali, ad quam nullus solebat recúbere, nisi lotis pedibus; quàm à corpore & Sanguine suo, quæ in ea Cœna consecraturus erat; quamuis tunc Petrus hoc posterius non intellexerit vsq; ad tempus consecrationis. Neque illis verbis, *Et vos debetis*, &c. instituit lotionem pedum pro posteris in sanctificationem ex opere operato, sed illis tantùm proposuit nobis exemplum imitandi suam humilitatem & charitatem.

Nonnulla verò, quæ hæretici obijciunt ad probandum Sacramenta pauciora esse quàm septem, desumpta sunt ab auctoritate negatiua, quæ solent esse parui momenti. Tamen videri possunt apud *Bellarm.* Bellarminum lib. 2. de Sacramentis cap. 27.

Obseruandum tamen est, quòd, quamuis definitum sit esse tantùm septem Sacramenta, non est tamen definitum quodlibet ex illis esse vnum secundùm speciem infimam, ita vt sub se non contineat plures species, quod est sub controuersia apud Theologos de Sacramento Ordinis, & de Sacramento Eucharistiæ.

De numero Sacramentorum veterum non constat, quia quamuis omnia in Scriptura exprimantur, non tamen sub nomine Sacramenti: sunt tamen innumera, vt aduertit Episcopus Oxomensis *Oxomen.* 3. par. q. 61. num. 9. quia erant varia Sacrificiorum genera, & variæ purificationes, & esus Agni paschalis, & panes propositionis, & vnctiones sacerdotales, ob quod Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 11. meritò dixit, Sacramenta nostra esse *August.* numero pauciora veteribus, etiãsi virtute maiora.

DIFFICVLTAS II.

Quem ordinem habeant inter se Sacramenta nouæ legis.

SAcramenta nouæ legis à Theologis hoc ordine numerantur: Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Vnctio, Ordo, & Matrimonium; & eodem ordine recensentur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino *Eugen. IV. Trid.* sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere. Ordo autem iste non desumitur ex causalitate, imò neque ex perfectione (nisi inter Ordinem & Matrimonium) neque ex tempore, sed ex habitudine ad diuersos fines vitæ spiritualis, ad quos ordinantur.

Et quia in vita spirituali priorem locum obtinent quæ sunt ad se, quàm quæ sunt ad alterum, ideò priùs enumerantur quinque Sacramenta, quę sunt ad singulas personas, quàm Ordo & Matrimonium, quæ ordinantur ad Rempublicam Christianam: & inter quinque illa Sacramenta primum locum obtinet Baptismus, quia est spiritualis regeneratio; secundum obtinet Confirmatio, quia est completio & perfectio Baptismi, qua homo regeneratus munitur, roboratur, & crescit; tertium obtinet Eucharistia, quia est nutritio, qua vita spiritualis conseruatur, & quia per Eucharistiam etiam potest nutriri & conseruari vita spiritualis per Baptismum communicata, absque eo quòd præsupponatur necessariò completa & roborata per Confirmationem, ideò Eucharistia potest etiam ante Confirmationem enumerari, vt numerata fuit à Dionysio de Ecclesiastica Hierarchia, agente priùs *Dionys.* de Eucharistia cap. 3. & postea ca. 4. agens de Cõfirmatione: & post tria dicta Sacramenta quartum locum obtinet Pœnitentia, & non anteriorem, quia tantùm est vtilis aut necessaria per accidens, lapsis videlicet in mortale ad illius remissionem; & post Pœnitentiam quintum locum obtinet Extrema Vnctio, quia est consummatiua pœnitentiæ, cùm ordinetur ad auferendas reliquias quæ ex peccatis iam remissis remanent; & inter Sacramenta, quæ ad alterum ordinantur, priorem locum obtinet Ordo, quia magis habet de spiritualitate ad quam Sacramenta ordinantur.

De ordine verò perfectionis inter Sacramenta nouæ legis, ex Tridentino sess. 7. can. 3. de Sacra- *Trid.* mentis in genere constat contra Luthesum, non omnia esse æqualia (quo non significatur omnia esse inæqualia) & sess. 13. can. 3. constat, Sacramentum Eucharistiæ esse omnium præstantissimum, quia re ipsa continet Christum auctorem gratiæ, ex quo etiam habet quòd copiosiorem gratiam conferat quàm reliqua. Quòd autem Sacramentum inter reliqua maiorem gratiam æqualiter dispositis conferat, incertum est: quomodo verò Sacramenta, quoad alias rationes se inuicem excedant, ostendit Bellarminus lib. 2. *Bellarm.* cap. 28. etiamsi Sacramentum Eucharistiæ ob rationem dictam sit & absolutè dicatur omnium præstantissimum.

De ordine verò temporis quoad susceptionem Sacramentorum, certum est, Baptismum ita necessariò ex Christi institutione præsupponi omnibus alijs, & esse ianuam ad illa, vt nullum aliud validè suscipiatur à non baptizatis: inter reliqua verò per se loquendo non est necessaria dicta præsuppositio, etiamsi per accidens ex præsuppositione peccati mortalis, Sacramentum Pœnitentię necessitate præcepti præsupponatur ad Eucharistiam, non ad reliqua adhuc viuorum.

TRACTATVS DE BAPTISMO.

DISPVTATIO PRIMA.

De institutione & necessitâte Baptismi.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit Baptismus.

VT à nomine exordiamur, Sacramentum Baptismi in primis dicitur *Baptismus*, quia nomen *Baptismus* quamcumque ablutionem significat, & Sacramentum Baptismi fit ablutione. Secundò dicitur *lauacrum regenerationis*, Ioannis 3. quia per illum regeneramur & renascimur Deo. Tertiò dicitur *circumcisio non manufacta*, ad Colossenses 2. quia per Baptismum circumcidimur, & expoliamur, non carne, sed peccatis, & eis morimur. Quartò dicitur *sepultura*, Ioann. 3. & 6. quia vetus homo in Baptismo moritur, & quasi sepelitur. Et ob id quintò dicitur *crux*, quia scilicet, vt dicitur Ioan. 6. vetus homo in Baptismo crucifigitur. Sextò à Patribus dicitur *illuminatio*, iuxtà illud ad Hebræos 6. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt*, &c. ratione videlicet splendoris fidei quæ per Baptismum datur. Et ob id Septimò ab Augustino Epist. 23. dicitur *Sacramentum fidei*. Octauò dicitur *vnctio*, quia per Baptismum consecramur Deo in Reges & in Sacerdotes spirituales. Nonò dicitur *donum*, quia per Baptismum fit maxima peccatorum remissio, quia fit culparum & totius pœnæ illis debitæ. Decimò dicitur *indumentum*, quia nuditas, quam peccatum induxerat, tegitur gratiâ per Baptismum collatâ. Vndecimò dicitur *sigillum*, quia omnes oues Christi primò signantur charactere Baptismi.

Ad rem verò accedendo, variè à multis definitur Baptismus: optimè tamen à Catechismo Romano part. 2. cap. 2. quòd sit *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*. Quibus verbis Baptismus duplici definitione definitur, quia illis prioribus verbis, *Sacramentum regenerationis*, definitur Metaphysicè, seu definitione Metaphysica, quia definitur per *Sacramentum*, quod est genus ad Baptismum. & per *regenerare*, quod est differentia, qua ab alijs Sacramentis nouæ legis distinguitur, adhuc à Pœnitentia; quia quamuis hęc etiam viuificet mortuos spiritualiter, non tamen dicitur regenerare, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est institutum ad dandum vitam spiritualem omnino primam, sicut Sacramentũ Baptismi, sed dicitur resuscitare, quia ex se iustificat iam mortuum spiritualiter post vitam spiritualem per Baptismum collatam. Illis verò posterioribus verbis, *Per aquam in verbo vitæ*, definitur physicè, quia definitur per omnes suas partes physicas intrinsecas, nempe per aquam, seu ablutionem aquæ, quæ est materia Baptismi; & per verbum vitæ, id est per inuocationem Trinitatis, quæ est forma illius.

Catech. Rom.

Deinde physicè, & clariùs quàm dictis posterioribus verbis Catechismi Romani, definitur Baptismus à Magistro in 4. dist. 3. quòd sit *ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum*. Quam definitionem recipiunt Scholastici omnes: quia quamuis in ea non exprimatur significatio Sacramentalis, qua tamquam forma totali constat Sacramentum Baptismi, datur tamen per materiam & formam partiales, quibus physicè cõstat Baptismus, nempe per ablutionem & per prolationem verborum, quibus solis cõstat tamquam toto & integro materiali, & subiecto cui inest Sacramentalis significatio: ac proinde sub illis facilè intelligitur significatio ipsa. Et optimè per synecdochen in ea definitione ponitur pars totalis materialis pro toto ipso Baptismo coalescente ex ipsa & ex significatione Sacramentali, vnde sensus illius est, quòd Baptismus sit ablutio corporis, & præscriptæ formæ prolatio, regenerationem spiritualem significantes.

Magist.

Ex eo autem, quòd Baptismus definiatur per ablutionem, non definitur per sibi synonymum: quia quamuis Baptismus in sua primæua significatione idem fuerit Græcè, quod Latinè ablutio, iam tamen extensione nominis *Baptismi* facta per vsus accommodationem, qua extensum est ad significandum totum ipsum Sacramentum Baptismi, desierunt esse synonyma.

DIFFICVLTAS II.

Quæ sit materia remota Baptismi.

IN omni Sacramento, quod in vsu & fieri consistit, duplex materia partialis reperitur: vna remota, vt peccata in Sacramento Pœnitentiæ, & oleum in Sacramento Extremæ Vnctionis; & altera proxima, vt confessio peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ, & vnctio in Sacramento Extremæ Vnctionis. Est ergo difficultas de materia Baptismi; in præsenti de remota, & Difficultate sequenti de proxima.

Luther.

Circa præsentem difficultatem Lutherus in Colloquijs symposiacis, cap. 17. ausus est dicere, vinum, & lac, & quidquid aliud potest balneo deseruire,

seruire, esse idoneam & sufficientem materiam Baptismi.

Veritas tamen Catholica est, aquam naturalem seu elementarem esse propriam & necessariam materiam ad valorem Baptismi, quod constat ex perpetua Ecclesiæ traditione & praxi, & definitur ab Eugenio IV. in Decreto fidei, habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem; & à Tridentino sess. 7. can. 2. & constat ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei:* vbi nomine *aquæ* intelligitur naturalis, quia nullum est fundamentum cogens confugere ad Metaphoram. Idem quoque constat ex illo Act. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?* & ex Act. 10. & ex ad Ephes. 5. & ex alijs locis, in quibus describitur aqua naturalis, quæ sit materia.

Eug. IV. Trid.

Quòd si obijcias illud Matth. 3. vbi Baptista ait se baptizare in aqua, & Christum baptizaturum in Spiritu sancto & igne; quo videtur supponere, Baptismum Christi non futurum ex aqua, sicut erat Baptismus ipsius Baptistæ; omissis varijs expositionibus existimantium in adducto testimonio non esse sermonẽ de vero Baptismo Christi, sed de Metaphorico, quæ non sunt contemnendæ, & quibus obiectioni satisfit, respondemus, admittendo, in eo testimonio sermonem esse de vero Baptismo instituto à Christo, quem Baptista verè opposuit suo Baptismo: tamen in hoc tantùm opposuit, quòd Baptismus ipsius erat in sola aqua, absque effectu aliquo interiore gratiæ & charitatis; Baptismus verò Christi non erat futurus in sola aqua absque effectu gratiæ & charitatis, quæ peculiariter attribuitur Spiritui sancto; & absque cõsumptione & destructione peccati, quæ etiã specialiter appropriatur Spiritui sancto instar ignis cõsumenti rubiginem peccatorũ; sed futurus erat in aqua & Spiritu sancto, iuxta illud Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.*

Obseruandum tamen est pro Catholicis, vt optimè Valentia d. 4. quæst. 1. punct. 2. Vasquez disp. 141. Ægidius quæst. 66. art. 4. dub. 1. & communiter Doctores, ita aquam naturalem esse necessariam ad valorem Baptismi, vt etiam sufficiat quantumcumque accidentaliter mutetur, dummodò retineat naturam aquæ naturalis, & maneat apta ad abluendum; ac proinde aquam, siue calidam siue frigidam, esse sufficientem ad valorem Baptismi: & non solùm aquam puram, sed etiam alijs rebus permixtã, quamuis notabiliter, vt est in fluminibus turbidis, & in lixiuio, & in aqua qua caro decocta est, & appellatur ius; dum non sit adeò permixta, vt plus sit alterius substantiæ quàm aquæ naturalis, vt contingit quando aqua valdè densata est luto aut pinguedine, quia tunc non sufficit ad valorem Baptismi: quia quamuis tunc maneat physicè aqua naturalis, tamen non manet apta ad abluendũ; imò moraliter non censetur aqua, sed lutum, aut pinguedo. Si tamen ex his permixtis, in quibus plus est alterius substantiæ quàm aquæ, vt ex luto, & ex iure valdè spisso, purior & subtilior aqua exprimatur, hæc sufficiet ad valorem Baptismi; & multò meliùs sufficiet aqua in quam nix, gelu, glacies, & grando resoluuntur, vt specialiter aduertunt Henriquez lib. 2. de Baptismo cap. 6. Valentia & Ægidius, quia verè est aqua omnino naturalis. Imò, vt contra nonnullos Henriquez & Ochagauia quæst. 3. etiam sufficiet aquã in quam sal resoluitur, quia etiam est aqua naturalis.

Valent. Vasquez Ægid.

Henr. Valen. Ægid. Henr. Ochag.

Ita tamen aqua permixta cum alijs substantijs sufficit ad valorem Baptismi, vt extra necessitatem vti aqua notabiliter permixta, sit sacrilegium: quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, volentis non fieri Baptismum, nisi ex aqua moraliter pura: imò etiam est sacrilegium, vti aqua non benedicta, quamuis pura, vt deducitur ex Clementina vnic. de Baptismo. In extrema tamen necessitate licitum est vti aqua, quamuis notabiliter permixta, imò & dubia, vt mihi nondum resoluta, sub hac tamen conditione, (siue exteriùs siue mentaliter tantùm apposita) nempè: *si materia hæc est idonea*, quia extrema necessitas excusat irreuerentiam, quæ alias fieret conficiendo Sacramentum sub conditione, & illud temerè exponendo periculo nullitatis.

Liquores verò herbarum, & aliarum rerum, qui per stillicidia extrahuntur, non sunt materia sufficiens ad valorem Baptismi, in quo omnes Doctores conueniunt, quia non sunt vera aqua: sputum quoque & sudor non sunt materia sufficiens, quia etiam non sunt vera aqua, quod de sputo tradit Pontifex in cap. pænult. de Baptismo.

DIFFICVLTAS III.

Quæ sit materia proxima Baptismi.

COnueniunt Doctores, materiam proximam Baptismi esse non aquam ipsam, sed ablutionem mediâ aquâ factam; quia verba ministri, quæ in hoc Sacramento, sicut in alijs, habent quòd sint forma quæ accedit materiæ proximæ, & super eam cadit, non accedunt ipsi aquæ, sed ablutioni: ablutio autem essentialiter consistit in motu locali, siue quo aqua mouetur circa corpus ipsum tangendo, siue quo ipsum corpus mouetur circa aquam ipsam tangendo. Et in vtrouis sufficienter consistit: quia vtrouis sufficienter abluitur corpus per aquã, quia tam motu corporis circa aquam, quamuis immotam, (si possit tangi absque eo quòd moueatur) quàm motu aquæ circa corpus, quamuis immotum, dicitur corpus ablui per aquã, quia vteruis, quantum est ex se, est sufficiens ad abstergendas sordes: ille enim dicitur abluere, & sufficienter, corpus aliquod, aut quando circa illud mouet localiter aquam illud tangentem, aut quando mouet localiter corpus circa aquam, eam tangens.

Est tamen difficultas, An materia proxima Baptismi cõsistat in ablutione vt actiua, id est, vt facta à ministro, & ad ipsum relata, siue actiuè siue passiuè significetur; vel in ablutione vt passiua, id est, vt recepta vel quasi recepta in corpore baptizati, & vt de nominante ipsum qui baptizatur, ablutum seu baptizatum, siue ablutio sic sumpta sit vera passio ipsius circa aquam, siue non sit vera passio corporis abluti, sed tantùm sit passio Grammaticalis, seu significata, vt passio, vt contingit quando corpus abluitur motu locali aquæ circa corpus ipsum immotum; vel an consistat in ablutione, tam vt actiua quàm vt passiua.

Sotus in 4. dist. 3. art. 1. §. Ex quo fit, & Suarez d. 20. sect. 2. docent, materiã proximam Baptismi sitam esse in ablutione vt passiua, & non vt actiua: quod indicare videtur Augustinus Tract. 80. in Ioannem, dum ait: *Quæ est ista tanta virtus aquæ, quæ corpus tangit, & cor abluit?*

Sotus. Suar.

Alij econtrà docent, ablutionem non vt passiuam, sed vt actiuam esse materiam proximam Baptismi, quia verbis formæ Baptismi, nempe *Egò te baptizo*, non significatur ablutio vt passiua, sed tantùm vt actiua.

Vasquez. Ægid. Ochag. Racon.

Vasquez verò disp. 141. c. 2. Ægidius q. 66. artic. 4. dub. 2. Ochagauia q. 3. & Raconis q. 3. art. 1. docent, ablutionem tam vt actiuam quàm vt passiuam, vtrouis modo esse materiam Baptismi, & meritò: quia materia proxima Baptismi consistit in eo quod significatur per verba formæ Baptismi, quia verba formæ accedunt materiæ proximæ, & supra eam cadunt; per hæc autem significatur ablutio, tam vt actiua quàm vt passiua, quia verba formæ siue actiua, vt quando Latinus dicit, *Ego te baptizo*, siue passiua, vt quando Græcus dicit, *Baptizetur seruus Christi*, subintelligendo *à me*, verè significant ablutionem vt actiuam, & relatam ad personam quæ baptizat, & vt passiuam, & relatam ad personã quæ baptizatur, quia eis ablutio vtroque modo significatur: quia quando verba formæ actiuè proferuntur, significatur ablutio vt actiua, vt directè & in recto relata ad personam baptizantem, & etiam vt passiua, vt indirectè & in obliquo relata ad personam baptizatam; & quando passiuè proferuntur, econtrà ablutio significatur vt passiua, directè & in recto relata ad personam baptizatam, & etiam vt actiua, vt indirectè & in obliquo relata ad personam baptizantem.

Vnde iuxta ea, quæ dicemus Difficultate VII. & Difficultate VIII. nempe ad essentiam formæ Baptismi necessarium esse personam baptizati exprimere, & etiam actionem ministri, & hanc ita vt denotatur esse actionem ministri, saltem personam ministri subintelligendo, consequenter dicendum est, ad materiam proximam Baptismi requisitam esse ablutionem vt actiuam, & vt Grammaticaliter passiuam simul; & non sufficere vt actiuam tantùm, nec vt passiuam tantùm, quia requisita est vt ablutio relata ad personam baptizatam expressam verbis formæ, & vt relata ad personam baptizantem verbis formæ denotatam.

DIFFICVLTAS IV.

Quæ ablutio sufficiat ad valorem Baptismi.

CONueniunt Primò Doctores, quamcumque ablutionem, siue fiat immersione, vel infusione, siue aspersione, quantum est ex se sufficere ad valorem & essentiam Baptismi, quia quæcumque ex his est vera ablutio, quæ verbis formæ Baptismi significatur. Quod etiam constat ex vsu Ecclesiæ, quæ omnibus dictis modis vsa est baptizare, nempe infusione, vt modò fit; & immersione, vt olim fiebat, & vt modò in Manuali Romano fieri permittitur; & aspersione, vt ex S. Laurentio in eius Legenda dicitur instante martyrio quemdam aspersione aquæ baptizasse; & de Apostolis creditur aspersione baptizasse, quando vna die quinque millia baptizarunt, vt dicitur Act. 4. Et idem est de ablutione facta tinctione. In praxi tamen, vt ablutio licitè fiat, seruandus est modus in vnaquaque Ecclesia pro tempore præscriptus & vsitatus.

Quòd si objicias, Baptismum esse figuram & vmbram mortis & sepulturæ Christi, vt significat Paulus ad Rom. 6. dum baptizati dicuntur commori & sepeliri cum Christo in Baptismo; sepultura autem non figuratur neque denotatur effusione neque aspersione, sed tantùm immersione, qua quasi in sepultura condimur sub aqua; ergo sola immersio est sufficiens ad valorem Baptismi, & non aspersio, neque effusio;

Respondemus, Baptismum non dici figuram sepulturæ Christi, neque nos per Baptismum configurari Christo sepulto: quia immersio materialis, qua in Baptismo condimur sub aqua, sit similis sepulturæ, qua Christus conditus est sub terra, neque id contendit Paulus vbi suprà; sed quia ablutio spiritualis à peccatis facta per Baptismum, est mors spiritualis, qua morimur peccatis, & eis quasi sepelimur & abscondimur, in quo assimilamur Christo mortuo & sepulto; quod eodem modo denotatur ablutione spirituali, siue fiat mersione, siue effusione, siue aspersione.

Conueniunt Secundò Doctores, trinam ablutionem, siue mersionẽ, siue effusionem, siue aspersionem non esse necessariam ad valorem & essentiam Baptismi, sed sufficere vnam, quia ad valorem Baptismi sufficit vera ablutio; ad veritatem autem ablutionis non est necessarium, quòd sit trina, sed sufficit quòd sit vna. Quod etiam constat ex vsu Ecclesiæ, quæ ob varias rationes occurrentes aliquando vsa est trina, & aliquando vna tantùm mersione, vt constat ex Gregorio libro I. Epist. 41. & ex Concilio Toletano IV. c. 4. vbi statuitur, vt deinceps Baptismus non nisi vna mersione conferatur.

Greg. Concil. Toletan.

Quòd si objicias Pelagium Papam in Epist. ad Gaudentium, & relatum can. Multi, de Consecrat. dist. 4. dum ritum trinæ mersionis affirmat traditum esse à Christo; ergo est necessarius ad valorem Baptismi, cùm sit necessarius ex intentione Christi; Respondemus, quòd si verba Pelagij expendantur, vt ea expendit Vasquez disp. 145. c. 1. conijcietur, ipsum tantùm asserere, invocationem Trinitatis esse traditam & præceptam in Baptismo à Christo, non trinam mersionem: hanc tamen Apostoli præceperunt, vt constat ex can. 49. ipsorum, vt concordaret inuocationi trium diuinarum personarum. Et id tantùm volunt nonnulli Patres, dum ritum trinæ mersionis enumerant inter traditiones quæ seruari debent, quia suo tempore perseuerabat sub præcepto Apostolico. Dictum tamen præceptum Apostolicum posteà abrogatum est ab Ecclesia in multis Prouincijs ob rationes occurrentes, & in Hispania abrogatum fuit in Concilio Toletano IV. c. 5. ob quemdam errorem hæreticorum circa significationẽ trinæ mersionis, & præcepit Baptismum vnica mersione conferri.

Pel. Pap. Vasquez.

Qui ergo vult trina ablutione Baptismum validè conficere, debet verba ita proferre, vt illa non absoluat priusquam tertiam ablutionem fecerit: quia si post primã ante alias, aut post duas ante tertiam verba formæ finiat, statim perficiet Baptismum, quia ad eius valorem & essentiam non sunt necessariæ tres ablutiones, neque duæ; sed sufficit vna & prolatio verborum: positis autem sufficienti materia & forma, non est in potestate ministri detinere significationem Sacramentalem. Quòd si tunc intendat trina ablutione Sacramentum Baptismi conficere, & non aliter, nihil efficiet ex defectu intentionis requisitæ, nempe efficiendi Sacramentum quando potuit, quia eam non habuit.

DIFFI-

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm ad valorem Baptismi, qui submersione fit, necessaria sit emersio ipsi submersioni succedens.

Scotus. Palud. Marsil. Sotus. Silvest.

SCotus in 4. dist. 5. quæst. 3. Paludanus dist. 6. quæst. 1. artic. 3. Marsilius q. 4. art. 4. Sotus dist. 3. q. vnica, art. 8. & Siluester v. *Baptismus* 4. q. 10. partem affirmatiuam tuentur. Primò, quia Christus solam ablutionem communem & vsualem in proximam materiam Baptismi instituit; submersio autem absq; emersione seu extractione ipsi succedente, non est ablutio, vt communiter fit. Secundò, quia Christus non instituit in materiam proximam Baptismi ablutionem destructiuam vitæ baptizandi; submersio autem, cui non succedit emersio, est destructiua vitæ baptizandi. Tertiò, quia per Baptismum configuramur Christo mortuo, & sepulto, & resurgenti, vt constat ex Paulo ad Rom. 6. per submersionem autem, cui non succedit emersio, etiamsi configuremur Christo mortuo & sepulto, sed non resurgenti.

Panor. Rosella. Suarez. Vasquez. Valen. Ægidius.

Panormitanus in cap. *Vt non apponeres*, de Baptismo & eius effectu, Rosella v. *Baptismus* 4. n. 1. Suarez disp. 20. sect. 3. Vasquez disp. 145. cap. 3. Valentia disp. 4. quæst. 1. puncto 2. & Ægidius quæst. 66. art. 7. dub. 1. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia submersio corporis, quamuis ei non succedat emersio seu extractio illius, est vera ablutio, quia tunc aqua ita mouetur supra superficiem corporis, dum eam intrat, vt si sordidum esset, verè illud emundaret; ergo sufficiens est ad valorem Baptismi.

Ad primam ergo rationem aduersariorum, negamus submersionem absque emersione non esse ablutionem, etiamsi res, quæ per se ipsas nequeunt extrahi & emergi, communiter submergamus animo illas educendi seu emergendi, non vt verè abluamus, sed emerguntur, vt submersæ & non emersæ non pereant.

Ad secundam respondemus, Christum in materiam proximam Baptismi quamcumque veram ablutionem instituisse, siue per eam destruatur & ægrotet baptizandus, siue non.

Ad tertiam concedimus, per Baptismum nos conformari Christo mortuo, sepulto, & resurgenti; non tamen immediatè ratione ipsius Baptismi, sed ratione effectus ipsius, vt deducitur ex ipso contextu Pauli: quia effectu Baptismi, nempe gratia iustificante, morimur & sepelimur peccato, & regeneramur Deo, quod efficit Baptismus, quamuis sola submersione, absque emersione, fiat, imò & quando fit infusione aut aspersione. Quòd verò nonnulli Patres innuunt, baptizatos videlicet per ipsam submersionem & emersionem Baptismi configurari Christo sepulto & resurgenti, est verum, hic tamen sensus non est litteralis quem Paulus intendit, & tantùm conuenit Baptismo facto media submersione & emersione, non verò facto sola submersione, aut infusione aut aspersione.

Vasquez. Ægidius.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez & Ægidius, Baptismum factum proiectione seu submersione baptizandi in puteum, aut in flumen in quo moriturus est, quamuis validum, esse illicitum, quamuis baptizandus nequeat aliter baptizari, &, si eo modo non baptizetur, sit absque Baptismo moriturus; quia proiectio hæc per se, & seclusis circumstantijs, est directa occisio innocentis, imò inhumana, quæ adhuc ob salutem illius nequit à malitia excusari (quod ob rationem dictam contra Ochagauiam q. 7. verum existimamus, *Ochag.* quamuis baptizandus iam iam animam agat) ac proinde baptizans in casu dicto erit irregularis. Et ob eamdem rationem, quamuis parturiens sit statim moritura, & sit euidens periculum mortis infantis in vtero absque Baptismo, non est ante mortem secanda, quamuis ipsa consentiat, vt puer baptizari possit, quia scilicet est directa & inhuma occisio innocentis. Nihilominùs, quamuis baptizandus adeò infirmus sit, vt exiguam aquæ aspersionem, qua baptizetur, ferre non possit absque periculo vitæ (quod moraliter accidere nequit) baptizandus est, ne moriatur absque Baptismo, quia acceleratio illa mortis hominis aliàs morituri, cui ratione dictæ aspersionis exponitur, adeò exigua & insensibilis est, & fit modo ita humano, vt ob salutem æternam non sit contra rationem, ac proinde sic baptizans non manet irregularis, quamuis re ipsa sequatur dicta acceleratio.

DIFFICVLTAS VI.

Quanta ablutio sufficiat ad valorem seu essentiam Baptismi.

PRimò est difficultas circa partem [corporis], An sufficiat quamlibet partem, quamuis minimam, ablui. Supponimus, in quo conueniunt Doctores, necessarium esse, partem aliquam corporis immediatè aqua ipsa tangi, & non sufficere tangi vestes, nec corium, nec vterum matris in quo puer sit inclusus, quia tactu isto mediato nullus dicitur ablui, sed tantùm tactu immediato: sufficere tamen aqua tangi partem aliquam homini naturaliter coniunctam, quæ dicatur pars hominis, vt capillos, & pellem secundinam, quia ratione illius, vtpote partis hominis, dicitur homo tangi.

Hoc supposito, difficultas est, An sufficiat quamlibet tangi & ablui. Circa quā conueniunt Doctores, sufficere quamlibet principalem ablui, nempe aut caput, aut pectus, aut humerum, aut scapulas, quia ablutione partis principalis homo dicitur simpliciter & absolutè ablui. Punctum ergo difficultatis est, an sufficiat quamlibet partem adhuc minimam, v. g. digitum, ablui.

Sotus in 4. dist. 3. q. vnic. artic. 7. Valentia disp. 4. *Sotus. Valent.* q. 1. punct. 2. & Suarez disp. 20. sect. 2. partem ne- *Suar.* gatiuam tuentur, quia ad valorem Baptismi necessaria est ablutio illius partis, ratione cuius homo dicatur absolutè ablutus seu lotus: ablutio autem aliquarum partium, vt digiti, non sufficit vt homo dicatur absolutè ablutus seu lotus; ergo.

Durandus verò in 4. dist. 6. quæst. 1. Vasquez *Duran.* disp. 145. c. 4 & Ochagauia quæst. 4. partem affir- *Vasquez.* matiuam tradunt, & meritò, quia ablutio cuius- *Ochag.* cumque partis, quantumuis minimæ, est vera ablutio, sicut & vera tinctio aquæ, & vera motio localis aquæ supra corpus, aut econtrà, & qua dicitur homo absolutè & simpliciter ablui, sicut dicitur simpliciter tangi aqua, & madefieri; ergo est sufficiens ad valorem Baptismi. Consequentia patet, Antecedens autem probatur: quia quamuis ea, quæ rei secundùm omnes eius partes, aut saltem

secun-

secundùm principales regulariter conueniunt, vt albedo & nigredo, non denominent simpliciter ipsum totum, nisi conueniant omnibus aut saltem præcipuis partibus, tamen ea, quæ ita conueniunt rei, vt etiam non rarò conueniant alicui soli parti etiam non præcipuæ, vt vulnerari & tangi, etiam simpliciter denominant totum, quamuis vni tantùm parti, adhuc minimæ, conueniant: & ob id homo dicitur absolutè vulnerari, quamuis vulnus tantùm sit in vna minima parte; & etiam dicitur tangi, quamuis in vna tantùm minima parte tangatur. Ablutio autem communiter & amplè sumpta non rarò conuenit cuicumque parti soli, adhuc minimæ, ergo ablutio cuiusque partis solius etiam minimæ, vt digiti, simpliciter denominat ipsum hominem ablutum: quâuis ablutio ordinariè, qua homines solent faciem & manus lauare, non denominet simpliciter hominem ablutum, nisi sit faciei & manuum, quia hæc fit regulariter in vtraque parte. Nihilominùs ablutio solius faciei sufficiens est ad Baptismum, quia ablutione illius dicitur homo absolutè ablutus, loquendo de ablutione non strictè & peculiariter sumpta pro ablutione ordinaria, quæ solet ante meridiem fieri, sed pro ablutione communiter & amplè sumpta, quam Christus in materiam proximam Baptismi instituit.

Secundò est difficultas circa quantitatem aquæ, An ad valorem seu essentiam Baptismi sufficiat quæcumque quantitas aquæ, adhuc minima, vt vna gutta.

Sotus. Suarez. Vasquez. Ochag.

Sotus & Suarez negant, quia non quæcumque parua quantitas aquæ sufficit vt homo dicatur simpliciter ablutus. Vasquez verò & Ochagauia affirmant, & meritò, quia quæcumque quantitas aquæ, quantumuis minima, sufficit, vt supra corpus immediatè moueatur, & illud tingat, & econtrà; ergo sufficit vt illud abluat, quia ablutio nihil aliud est quàm motio localis aquæ immediatè supra corpus, aut econtrà.

Obseruandum est Primò, quòd, quia quoties est subcontrouersia, valor alicuius Baptismi potest licitè sub conditione reiterari, vt quis maneat absque dubio aliquo baptizatus, vt dicimus Difficul. XII. Ideò quoties Baptismus fit in aliqua parte non principali, vt quando fit in pede, aut in manu, vel quando fit paruissima quantitate aquæ, vt vna gutta (qui, quando vrget extrema necessitas, potest licitè fieri, si aliter fieri nequeat) potest licitè reiterari sub conditione; nempe, *si non est baptizatus* (siue exteriùs expressa, siue interiùs tantum concepta:) quia, vt vidimus, est sub cõtrouersia, an valeat Baptismus factus in parte non principali, & an valeat quando fit modicissimâ aquâ. Sed an tunc sic baptizatus teneatur iterùm sub conditione baptizari, dicemus dicta Difficultate XII.

Obseruandum est Secundò, eo ipso quòd finitur forma Baptismi, perfici Baptismum antequam finiatur ablutio, si, quando finitur forma, sit ablutio inchoata, quamuis post finitam formam perseueret; quia quæcumque pars ablutionis, vtpote homogeneæ, est vera ablutio: positis autem forma & sufficienti materia, statim perficitur Sacramentum, ita vt non sit in potestate ministri perfectionem Sacramenti seu Sacramentalem significationem differre, vt generaliter de omnibus Sacramentis diximus Disputatione IV. Difficultate VI.

DIFFICVLTAS VII.

Quæ verba sint de essentia formæ Baptismi.

OMissis varijs erroribus antiquis circa formam Baptismi relatis à Bellarmino lib. I. de Baptismo cap. 3. & à Vasquez disp. 142. hæretici nostri temporis, quamuis communiter admittant formam Baptismi qua vtitur Ecclesia, nempe, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, esse legitimam, tamen plures ex illis affirmant non esse necessariam, quia existimant Sacramenta non aliter iustificare, quàm excitando fidem in suscipiente, quod alijs diuersissimis verbis etiam fieri potest: & ideò, quamuis communiter dicta forma vtantur, aliquando tamen nonnulli hæretici, omissâ dicta forma, alia sibi placita vtuntur. *Bellarm. Vasquez.*

Nihilominùs Catholici conueniunt, ad essentiam formæ Baptismi requisita esse verba, quibus actio ministri, nempe actus baptizandi, exprimatur, & quibus tres diuinæ personæ inuocentur. Ita definit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum ait: *Cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas; instrumentalis autem sit minister, qui tradit exteriùs Sacramentum: si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum.* Quod clariùs definiuit Alexander III. in cap. I. de Baptismo & eius effectu, dum ait: *Si quis puerum ter in aqua immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & non dixerit, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, amen, non est puer baptizatus.* Quod etiam constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, quæ ita intellexit verba illa Matthæi vltimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vt Christus non tantùm voluerit, quòd in actu baptizandi inuocetur Trinitas, sed etiam quòd actus ipse verbis exprimatur. *Eugen. IV.* *Alex. III.*

Ita tamen ad essentiam formæ Baptismi necessarium est exprimi actionem ministri, vt exprimitur verbo *baptizo*, vt etiam sufficiat quocumque alio verbo, siue synonymo, vt verbo *abluo*; siue æquiualente, vt verbo *intingo*, (quâuis verbo alio vti quàm *baptizo*, sit illicitum, vtpote contra consuetudinem Ecclesiæ, volẽtis eo fieri Baptismum, quamuis solùm venialiter, quia est mutatio parui momẽti) & sufficit vti verbo *baptizo*, aut alio synonymo aut æquiualente, non solũ actiuè, vt vtuntur Latini, sed etiam passiuè, vt vtuntur Græci: quia idem actus baptizandi per vtramque vocem actiuam & passiuam significatur, quamuis ministro, tàm Latino quàm Græco, sit illicitum à consuetudine propriæ Ecclesiæ discordare.

Circa personam ministri, quæ exprimitur verbis formæ Latinorum, conueniunt Doctores ad essentiam formæ Baptismi non esse necessarium illam exprimere, quia in forma Græcorum, nempe, *Baptizetur talis seruus Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quæ sufficiens est, non exprimitur, imò neque est necessarium, quòd implicitè contineatur in ipso verbo, vt continetur quando dicitur *Baptizo*: quia neque in forma Græcorum continetur, quamuis subintelligatur, vt posteà dicemus; & non solùm non est necessarium Græcis

ad

ad essentiam formæ personam ministri exprimere, *Innoc. IV.* sed neque Latinis; in quo contra Innocentium IV. in cap. 1. de Baptismo & eius effectu, conueniunt Doctores, quia in omni Ecclesia est eadem essentia formæ & materiæ Sacramentorum, quia Christus non instituit diuersas pro diuersis Ecclesijs, quamuis Latinis sit illicitum personam ministri non exprimere, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ, volentis quod exprimatur; sed non est illicitum mortaliter, sed tantùm venialiter, vt *Vasquez. Ægidius.* aduertũt Sotus, Vasquez & Ægidius, quia est parui momenti: erit tamen illicitum mortaliter, Latinum vti forma Græcorum, & econtrà Græcum vti Latinorum forma, & non tantum venialiter, vt *Valentia.* falsò affirmat Valentia, quia id non censetur parui momenti. Vnde quando Alexander III. in dicto cap. 1. dixit puerum non esse baptizatum, si minister non dixerit, *Ego te baptizo*, non requisiuit expressionem particulæ *ego*, sed actus baptizandi, qui in ea forma ab ipso Pontifice reprobata non exprimitur, sed tantùm inuocatio Trinitatis.

Circa personam baptizati etiam conueniunt Doctores, ad essentiam & valorem formæ Baptismi necessarium esse eam personam exprimere. Quod constat ex traditione Ecclesiæ, quæ ita intellexit verba illa Matthæi vltimo, *baptizantes eos*, vt Christus non solùm voluerit, quòd non baptizati, significati particulâ *eos*, reipsa baptizentur, sed quod etiam verbis exprimantur: & satis congruenter; aliàs si persona baptizati non exprimatur, actus baptizandi non significabitur, neque denotabitur determinatus in indiuiduo, quia determinatur per personam quæ baptizatur; sed significabitur & denotabitur indeterminatus, & indifferens ad hanc & ad illam personam, & ad personam ipsius baptizati, & ad personam alterius. Quia quamuis persona baptizati sit quæ baptizatur, eâ tamen non expressâ, nihil in forma profertur, quo actus baptizandi denotetur determinatus, quamuis forma proferatur personam illam baptizando: ita tamen necessarium est ad essentiam formæ Baptismi, personam baptizati exprimere, vt sufficiat eam quouis modo exprimere, siue pronomine *te*, siue pronomine *vos*, auctoritatis baptizati causa, siue pronomine demonstratiuo *hunc*, siue nomine proprio, siue nomine appellatiuo, in quo Doctores conueniunt.

Tandem conueniunt Doctores, ad essentiam formæ Baptismi necessarium esse in ea exprimi particulam *in nomine*, quia ad essentiam formæ Baptismi, qui est Sacramentum fidei, necessarium est proferre mysterium Trinitatis, quod est primum & præcipuum mysterium fidei. Mysterium autem Trinitatis consistit in Trinitate personarum in vna essentia: absque particula autem *in nomine*, & in numero singulari, non significabitur vnitas essentiæ, quia per eam particulam auctoritas & virtus Deitatis personarum significatur, in quo Patres *Vasquez.* conueniunt, quos refert Vasquez disp. 143. c. 5. Vnde si in forma Baptismi non dicatur *in nomine*, sed *in nominibus*, non fit Baptismus, in quo Doctores conueniunt: quia Deitas, à qua prouenit auctoritas & virtus personarum, est tantùm vna; per particulam autem *in nominibus* plures Deitates & auctoritates denotantur. Nihilominùs si in forma Baptismi dicatur, *In nomine Patris, & in nomine Filij, & in nomine Spiritus sancti*, verè fiet Bapti- *Sotus. Vasquez. Ægidius.* smus, vt aduertunt Sotus, Vasquez & Ægidius: quia ea repetitione non denotatur pluralitas Deitatum & auctoritatum, sed tantùm pro singulis personis eamdem repeti, sicut idem est Deus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, ac Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus sanctus.

Ex quibus constat, quòd si quis dicat, *Ego te baptizo in Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto*, aut *in essentia*, aut *in virtute Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, validè baptizat, (quidquid dicant Va- *Valentia.* lẽtia & Ægidius) quia particula *in Deo*, aut *in essen-* *Ægidius.* *tia*, aut *in virtute*, æquiualet particulæ *in nomine*.

Et quamuis ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit exprimere particulam *nomine*, sed non particulam *in* (etiamsi oppositum affirmat Toletus lib. 2. cap. 19.) quia idem est baptizare *Toletus.* *in virtute* Patris, &c. ac baptizare *virtute Patris*, &c.

Neque necessarium est (quidquid nonnulli dicant) exprimere particulam *&*, qua personæ copulantur, & earum distinctio denotatur, quia secundùm modum satis vsitatum subintelligitur.

Neque particulam *amen*, (in quo Doctores conueniunt) quia nihil iuuat ad perfectionem sensus Sacramentalis. Erit tamen peccatum omittere particulam *in*, & particulam *&*, & particulam *amen*, quia contra consuetudinem Ecclesiæ: sed non erit mortale omittere particulam *amen*, vt aduertit Ægidius, quia est omissio parui momenti: *Ægidius.* imò nec particulam *in*, neque particulam *&* (vt contra Sotum aduertit Henriquez) quando sufici- *Henriq.* piens admonetur de periculo nullitatis, quia etiam omissio vtriusuis, facta ea admonitione, est parui momenti.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit exprimi actionem ministri, vt etiam denotetur esse actionem illius.

SOtus in 4. dist. 3. q. vnic. art. 3. docet, ad essen- *Sotus.* tiam formæ Baptismi non esse necessarium, ita in ea actionem ministri exprimi, siue actiuè siue passiuè, vt denotetur esse actionem illius, seu ab eo procedere, dum id non negetur, ac proinde sufficere, si baptizans dicat, *Baptizo te Christus*, dum non addat, *quem ego non te baptizo*. Quod probat Sotus exemplo formæ Confirmationis, in qua actio ministri confirmantis non ita exprimitur, vt denotetur quòd sit actio illius, vt constare videtur in forma qua Constantinus Imperator confirmatus est, quæ habetur in edicto eiusdem, quod est ante Concilium Nicænum I. nempe, *Concilium* *Signet te Deus sigillo fidei suæ, in nomine Patris, & Nicæni I.* *Filij, & Spiritus sancti, in consignatione fidei*. Quod etiam probari potest exemplo formæ Baptismi Græcorum, nempe, *Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quia in hac non ita exprimitur actio ministri, vt denotetur esse ipsius ministri, seu ab eo procedere, sed potiùs vt est actio Christi vel Dei: quia quando dicitur, *Baptizetur talis seruus Christi*, subintelligitur *à Christo*, vel *a Deo*; quia Græci vsi sunt dicta forma ad euitandum errorem, qui tempore Pauli exortus fuit inter Corinthios, qui virtutem Baptismi non Christo, sed ministro tribuebant.

Alexan-

Alexand. Vasquez. Ægidius. Ochag.

Alexander verò p.4.q.8.memb.3.art.3.Vasquez d.142.c.2.Ægidius q.66.art.6.n.36.& Ochagauia q.8.docent, ad essentiam formæ Baptismi necessarium esse, in ea ita exprimi actionem ministri, seu actum baptizandi, siue actiuè siue passiuè, vt denotetur esse actionem, & actum ipsius, seu ab ipso procedere. Quod deducitur ex traditione Ecclesiæ, quæ ita intellexit verba illa Matthæi vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, vt Christus non tantùm voluerit quòd Apostoli re ipsa baptizarent, sed etiam quòd exprimerent & denotarent id quod eo participio *baptizantes*, vt ibi prolato à Christo exprimitur & denotatur. Eo autem participio, vt ibi prolato, ita exprimitur actus baptizandi exercendus ab Apostolis, & ab eorum successoribus in potestate baptizandi, vt etiam denotetur eum actum ab ipsis procedere: dicitur enim, *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; actus ergo baptizandi ita debet exprimi in forma, vt etiam denotetur ministrum re ipsa baptizantem esse qui baptizat. Et id est maximè congruum, quia maximè congruum est, vt in forma ita exprimatur actus baptizandi, siue actiuè siue passiuè, vt saltem denotetur prout ab aliqua persona determinata factus, aliàs valdè confusè & imperfectè exprimeretur: sed non est ita exprimendus, vt denotetur procedere à Christo vel à Deo, quia ineptè diceretur, *Deus* vel *Christus te baptizat*, aut *baptizeris à Christo*, vel *à Deo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, quia Deus, vel Christus vt Deus, non baptizat auctoritate Patris & Filij & Spiritus sancti; ergo actus baptizandi ita exprimendus est, vt denotetur à ministro procedere, quia non est alius à quo procedere possit, nisi à Deo vel à ministro.

Vnde in forma Græcorũ, *Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, nequit subintelligi *à Christo*, vel *à Deo*, sed *à me*, quia baptizans loquitur se cum quasi cum altero, vt non rarò fit. Et id denotatur verbo illo Imperatiui *baptizetur*, quia eo ipso quòd imperatiuè baptizat, dicendo *baptizetur*, denotat se habere potestatem ad baptizandum, & esse qui baptizat: quia si eam potestatem non haberet, ineptè diceret *baptizetur*, quia imperare proprium est habentis potestatem. Dirigitur autem dictum imperium non ad effectum ipsum, quia effectus non significatur à verbo *baptizetur*, quia in primis non significatione verbali quam habet ex hominum impositione, vt patet; nec significatione Sacramẽtali, quia hæc significatio conuenit toti formæ, & toti materiæ proximæ indiuisibiliter; sed dirigitur ad ipsummet ministrum actu exercentem actum baptizandi, non imperium strictè & propriè, sed latè & impropriè, quod solùm potest eo verbo significari, ad quemcumque dirigatur. Qui autem baptizaret absque imperio, dicendo, *baptizatur talis seruus Christi*, vel *baptizaris*, non denotaret eum Baptismum ab ipso procedere, quia non baptizat imperatiuè, nec proferendo aliquid quo id denotetur, ac proinde inualidè baptizaret, quidquid dicat Vasquez num. 19. Et ideò Eugenius IV. in suo Decreto fidei, quamuis tradat, vt sufficientem, hanc formam Græcorum, *Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris*, &c. non tamen hanc, *Baptizatur in nomine Patris*, &c. nisi addendo, *baptizatur manibus meis*. Ex quibus constat ad posterius exemplum adductum pro Soto.

Vasquez. Eugen. IV.

Et ad prius exemplum ab ipso adductum, quamuis admittamus, Constantinum ea forma confirmatum fuisse; (quod non est certum, vt Vasquez aduertit) nihilominùs eo exemplo nihil contra nos fit, quia etiam in ea forma significatur actio ministri, denotando à ministro procedere, eo ipso quòd verbo imperatiui (quamuis non imperando, sed deprecando) signat, & sigillat signo Crucis in fronte confirmandi: quia eo ipso denotat se habere potestatem signandi & sigillandi, vt ministrum Dei, & se esse qui signat & sigillat; ac proinde sensus illius formæ est: *Signet te Deus sigillo fidei suæ* (id est *signo Crucis*) subintellige *à me exhibito, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in consignatione fidei*, id est *consignatione interiori*, quæ fit medio charactere: vnde illud, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non cadit supra illud, *signet te Deus*, sed supra illud *sigillo fidei*, subintelligendo *à me exhibito*. *Vasquez.*

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm ad essentiam formæ Baptismi necessaria sit inuocatio explicita Trinitatis.

INuocationem Trinitatis necessariam esse ad essentiam formæ Baptismi, constat ex dictis Difficultate VII. restat tamen difficultas, An sufficiat implicita, an necessaria sit explicita.

Magister. Adrian.

Magister in 4. dist. 3. & Adrianus in 4. q. 2. de Baptismo, §. *Ad rationes*, docent, ad essentiam formæ Baptismi non esse necessariam explicitam inuocationem Trinitatis, dicendo, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sed sufficere implicitam, dicendo, *in nomine Christi*, aut *in nomine Dei*, aut in nomine alicuius personæ diuinæ, quia in quolibet ex his tribus est tota Trinitas, & multò meliùs *in nomine Trinitatis*, nullam exprimendo personam. Quod tradidisse videntur Ambrosius lib. de Spiritu sancto cap. 3. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 2. Beda in cap. 10. Actorum, Bernardus Epist. 140. & Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum cap. 104. Et refertur de Consecratione dist. 4. can. *A quodam Iudæo*. & indicari videtur Actor. 2. & 8. & 10. & 19. dum dicitur Apostolos baptizasse in nomine Christi, nullius alius personæ mentione facta.

Ambros. Hugo Victorin. Beda. Bernard. Nicol. Pap.

S. Thomas. Canus. Bellarmin. Suarez. Vasquez. Ægidius.

S. Thomas verò quæst. 66. Canus 6. de Locis, cap. 8. ad 7. Bellarminus lib. 1. de Baptismo, cap. 3. Suarez disput. 21. sect. 3. Vasquez disp. 143. Ægidius art. 6. num. 62. & communiter Doctores docent, & meritò, ad essentiam formæ Baptismi requiri explicitam inuocationem Trinitatis, dicendo, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Quod tradunt plures Patres, quos refert Vasquez, & id indicatur Matth. vltimo, illis verbis, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Vbi ex communi totius Ecclesiæ sensu traditur forma Baptismi, & apertè definitum est à Zacharia Papa can. *In Synodo*, de Consecratione, dist. 4. Quod etiam definitum videtur à Pelagio Papa in can. *Multi*, eadem dist. & ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi, vt traditur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate & fide Catholica; & ab Alexandro III. in cap. 1. de Baptismo & eius effectu, & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dum

Zachar. Papa. Pel. Pap. Innoc. III. Alex. III. Eugen. IV.

dum assignantes formam Baptismi, in ea exprimunt tres personas Trinitatis.

Patres verò pro aduersariis adducti, à nonnullis intenduntur in aliquo bono sensu pro nobis explicari, re tamen vera non possunt, quia verè sunt in sententia aduersariorum, etiam Nicolaus Pontifex. Hic tamen, vt aduertunt Canus, Vasquez & Ægidius, id tantùm affirmauit vt priuatus Doctor, priuatam opinionem secutus, & non definiuit vt Pontifex, quia de eo nullatenus fuit interrogatus, sed id tantùm dixit obiter & per transennam, exempli gratia, & absque dubio ipsi dum id scripsit, non occurrit definitio Zachariæ, qui verè id definiuit vt Pontifex, confirmans Synodum Anglicanam prouincialem.

Canus. Vasquez. Ægidius.

Ad capita vero Actorum, in quibus dicitur Apostolos baptizasse in nomine Christi, respondent S. Thomas, Altisiodorensis lib. 3. Summæ tit. 3. c. 4. quæst. 2. Bonauentura in 4. dist. 3. 1. p. distinctionis, art. 2. q. 2. Durandus & Paludanus quæst. 1. Apostolos ex peculiari dispensatione ipsis facta baptizasse in nomine solius Christi, vt nomen Christi fieret illustrius: Armacanus verò lib. 8. de Quæstionibus Armenorum, c. 3. Canus, Bellarminus, Suarez, Vasquez & Ægidius existimant, nec Apostolos in nomine solius Christi baptizasse; & non absque fundamento, quia Apostoli can. 5. reprobant Baptismum collatum in morte Christi, id est, in nomine solius Christi mortui. Vbi huius redditur hæc ratio, quia scilicet non dixit Dominus, *in morte mea baptizate*, sed, *docete omnes gentes, baptizantes ipsos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et can. 49. præscribitur, vt Baptismus conferatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nulla mentione facta permissionis baptizandi in nomine solius Christi, imò Clemens lib. 7. Constitutionum Apostolicarum c. 23. & Dionys. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 3. aliàs 2. qui cum Apostolis conuersati sunt, nulla mentione facta dictæ permissionis, affirmant Baptismum conferendum esse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quòd ergo in dictis capitibus Actorum dicitur plures baptizatos fuisse in nomine Christi, à pluribus Patribus & Scholasticis ita exponitur, vt *in nomine Christi* non sit idem quod inuocatione Christi, sed auctoritate & virtute accepta à Christo, sicut quando Marci vltimo dicitur, *in nomine meo dæmonia eycient*, & ab aliis non paucis ita exponitur, & meliùs, vt *in nomine Christi* idem sit, quod inuocatione Christi, non tamen solius, sed etiam Patris, & Spiritus sancti, siue sub nomine tantùm Filij, quia Christus est verè Filius Dei; siue sub nomine Filij simul & Christi, dicendo, *In nomine Patris, & Christi Filij, & Spiritus sancti.*

S. Thomas. Altisiodor. Bonauent. Durandus. Paludan. Armac. Canus. Bellarm. Suarez. Vasquez. Ægidius. Clemens Roman. Dionysius Areopag.

Ita tamen ad essentiam formæ Baptismi est necessaria inuocatio explicita trium personarum in vnitate essentiæ vt necessarium sit denotari, Deum vnum & trium esse auctorem & causam principalem Baptismi, non minùs quàm quòd baptizans sit minister à quo procedat actus baptizandi, vt aduertit Vasquez num. 48. & insinuat Eugenius IV. in suo Decreto fidei, quod optimè denotatur verbis pro forma præscriptis, *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.*

Vasquez. Eugen. IV.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit tres personas exprimi nominibus consuetis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

GLossa in can. *Multi*, de Consecratione dist. 4. Caietanus quæst. 66. art. 5. Victoria in Summa §. 14. de Baptismo, docent, ad essentiam formæ Baptismi non esse necessarium exprimi personas diuinas nominibus consuetis *Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sed sufficere eas exprimi nominibus *Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroque*: imò & quibuscumque aliis æquiualentibus, quamuis non synonymis, quibus ex vsus accommodatione possint exprimi: in quod etiam inclinat Ægidius art. 6. num. 55. & probari potest, quia in aliis formis mutatio verborum in alia, quamuis non synonyma, quæ non destruit sensum eorum, non obstat valori Sacramentorum, ergo nec in forma Baptismi; ergo Baptismus collatus in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroque, validus erit, & sub quibuscumque aliis nominibus æquiualentibus, quamuis non synonymis, quia idem est sensus omnium eorum.

Glossa. Caietanus. Victoria. Ægidius.

S. Thomas verò quæst. 66. art. 5. Scotus in 4. dist. 3. quæst. 2. §. 3. de Forma, Vasquez disp. 144. & communiter Doctores docent, ad essentiam formæ Baptismi necessariam esse inuocationem explicitam trium personarum sub nominibus consuetis Patris & Filij & Spiritus sancti, & non sufficere sub aliis, quamuis idem significantibus, & meritò: quia cùm Sacramentum Baptismi sit Sacramentum fidei, quo fideles initiantur, vt illud suscipiendo profiteantur fidem in facie Ecclesiæ, conuenientissimum fuit non fieri validè nisi sub inuocatione trium personarum sub vna essentia, & auctoritate essentiali, quod est primum & præcipuum mysterium nostræ fidei; & sub illis nominibus, sub quibus tres personæ sunt fidelibus in quolibet idiomate communiter notæ, vt in idiomate Latino sunt sub nominibus Patris, Filij, & Spiritus sancti, & sub aliis quæ his in quolibet idiomate respondent, & non sub aliis, sub quibus non sunt communiter notæ nisi Theologis, vt sub nominibus Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroque, & sub nominibus Omnipotentis, & Sapientis, & Boni. Quod quamuis non conuincat sic esse à Christo institutum, verisimile tamen fit ob dictam maximam conuenientiam. Imò idem etiam credimus institutum fuisse pro forma Confirmationis, quia etiam est Sacramentum fidei, quo in ea roboramur.

S. Thomas. Scotus. Vasquez.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quamuis in aliis formis possit absque nullitate fieri mutatio in alia verba æquiualentia, non tamen in formis Baptismi & Confirmationis, quoad personas diuinas, ob dictam peculiarem rationem.

Vnde non valebit Baptismus collatus in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti, tum quia Filius non est communiter notus sub nomine Iesu Christi; tum præcipuè, quia nomen Iesus Christus non significat idem quod Filius; valebit tamen si addatur, *& Iesu Christi Filij eius*; & etiam

valebit, quamuis tertia persona tantùm inuocetur
Vasquez. sub nomine *Spiritus*, non addendo *sancti*, vt Vasquez aduertit, quia *Spiritus* absque *sancto* est nomen proprium seu appropriatum Spiritui sancto, quo communiter cognoscitur, quamuis communiter addatur *sanctus*; quia non additur tamquam aliquid nominis, sed tamquam epitheton: ac proinde non obstabit valori Baptismi, si fiat inuocatione Spiritus paracleti, quia tunc retinetur nomen ipsi appropriatum, & ei additur paracleti tamquam epitheton; sicut etiam non obstat valori Baptismi, quando Patri additur nomen omnipotentis, & Filio nomen sapientis.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm Sacramentum Baptismi iterari possit.

SVpponimus, in quo Doctores conueniunt, Sacramentum Baptismi in lege noua esse vnum secundùm speciem: quod satis significat Paulus ad Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*: & esse vnum secundùm speciem infimam, quia constat vnâ materiâ & vnâ formâ secundùm speciem infimam, & ad vnum finem secundùm speciem infimam ordinatur.

Hoc supposito, est difficultas, An Baptismus, qui in omnibus est vnius & eiusdem speciei infimæ, & in diuersis est numero multiplicabilis, possit in vno & eodem numero multiplicari, seu iterari & repeti.

Circa hanc rem quamuis Marcionistæ errauerint, existimantes, Sacramentum Baptismi iterari
Epiphan. Damasc. posse, vt refert Epiphanius Hæresi 42. & Damascenus lib. de Hæres. iam tamen non tantùm Catholici, sed etiam hæretici conueniunt, Sacramentum Baptismi validè collatum, repeti & iterari non posse; quod communiter tradunt Patres, quos
Vasquez. Can 46. refert Vasquez disp. 146. & constat ex perpetua Ecclesiæ traditione; & ita definitum est Cano-
Concil. Lateranense. ne 46. Apostolorum, & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refert in cap. *Firmiter* 1. de Summa Trinit. & fide Catholica, &
Eug. IV. Trident. ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & in Tridentino sess. 7. can. 9. de Sacramentis, & can. 11. de Baptismo. Et id deducitur primò ex significatione & causalitate Sacramentali ipsius Baptismi, quia Baptismus est signum spiritualiter generans, & qui eo iustificantur, dicuntur spiritualiter nasci, vt constat ex Ioan. 3. natiuitas autem & generatio vni semel tantùm contingit, & non ampliùs. Secundò id etiam deducitur ex eo, quòd imprimit characterem; ac proinde si Baptismus repeti posset, etiam possent esse simul plures characteres, ex quibus vnus tantùm esset sufficiens, & reliqui superflui.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis ex Patribus & Pontificibus nullus exprimat, secundum Baptismum eidem applicatū esse nullum, nihilominùs certum est, non solùm esse illicitum, sed etiam nullum; & id absque dubio Pontifices & Patres intendunt. Et sanè si post semel validè susceptum Baptismum, nullus vmquam illud potest licitè recipere, absque dubio nullus ex Christi institutione est capax illius: ad quid enim Christus instituisset capacem Baptismi eum, qui numquam potest illum licitè recipere? Sicut ergo nullus est absque charactere capax aliorum Sacramentorum, ita etiam nullus, qui charactere Baptismi non careat, est capax Baptismi.

DIFFICVLTAS XII.

Quando possit Baptismus sub conditione iterari.

SVpponimus, in quo Doctores conueniunt, baptizatum aliquando posse licitè baptizari sub conditione (siue exteriùs expressa, siue interiùs tantùm concepta) sub ea videlicet: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* & id traditur in cap. *De quibus* 2. de Baptismo.

Hoc supposito, difficultas est, Quando id liceat. Circa quam conueniunt Doctores, quando dubium est an Baptismus fuerit collatus, posse licitè reiterari sub conditione, quia tunc reiteratione sub conditione nulla irrogatur irreuerentia Sacramento Baptismi, quia non fit absque graui & prudenti causa, quia scilicet est periculum manendi re ipsa absque Baptismo. Ita definitur ab Alexandro III. *Alex. III.* in dicto cap. *De quibus.* Et idem est, quando est dubium an Baptismus sit integrè & essentialiter collatus, quia est dubium, an caruerit aliquo essentialiter requisito; in quo etiam Doctores conueniunt, quia etiam tunc est idem periculum. Et idem etiam est, quando est dubium an Baptismus fuerit validus, quia est dubium an materia, aut forma, aut intentio, quam constat fuisse adhibitam, sit sufficiens ad valorem (quod dicitur dubium Iuris) vt aduertunt Vasquez disp. 146. c. 4 & Ægidius *Vasquez. Ægidius.* q. 66. art. 9. dub. 1. quia etiam tunc est idem periculum. Dicitur autem dubium in præsentiarum, quoties pro parte negatiua siue facti siue iuris est probabilis opinio, aut saltem est prudens seu probabilis coniectura aut suspicio, quamuis pro parte affirmatiua sit prudens & probabilis opinio, seu iudicium, quia tunc Baptismus non est omnino moraliter certus, & est prudens timor, ac proinde periculum manendi re ipsa absque Baptismo.

Quando verò ita certum est aliquem esse baptizatum, & validè, vt pro parte negatiua, seu in oppositum, nulla sit prudens coniectura nec suspicio, quamuis adsint aliqui leues scrupuli, nullatenus licitum est, adhuc sub conditione reiterare Baptismum, vt docent communiter Doctores, & traditur in Catechismo Romano, seu Tridentino p. 2. *Catechis. Roman.* c. 2. de Baptismo, §. 43. quia tunc nulla adest prudens causa reiterandi Baptismum adhuc sub conditione, cùm Baptismus præteritus sit omnino moraliter certus, quo ipsi Baptismo, qui semel tantùm est conferendus, irreuerentia irrogatur.

Vnde qui inter Christianos natus est, & à parentibus Christianis, & ab eis aut ab aliis Christianis educatus vsque ad ætatem in qua omnes pauuli solent esse baptizati, quamuis leuiter dubitet an sit baptizatus, non est adhuc sub conditione baptizandus, quamuis nullus adsit qui id possit testari, quia tunc est omnino moraliter certum illum fuisse baptizatum. Et eodem modo non est baptizandus, neque sub conditione, infans expositus in terris Christianorum, quando scripto aliquo dicitur esse baptizatus; si aliàs in oppositum non adsit prudens aliquis timor: secùs verò quando absque dicto testimonio seu scripto expositus est,

est, quia tunc sub conditione est baptizandus: absolutè verò, quando adsit scriptura, qua dicitur non esse baptizatus, quia tunc est omnino moraliter certum non esse baptizatum.

Obseruandum est, eum cui aliàs extra necessitatem ex officio incumbit baptizare, teneri etiam extra necessitatem baptizare sub conditione eum, cuius Baptismus non est omnino moraliter certus modo supradicto, siue sit paruulus siue adultus, quia sic baptizatus habet ius, aut quasi ius, vt baptizetur sub conditione. Imò & quemcumque alium, qui ob necessitatem potest sic baptizatum licitè sub conditione baptizare, teneri ex misericordia id facere in ea necessitate, & non tantùm paruulum sic baptizatum existentem in articulo mortis, sed etiam adultum qui vult baptizari, quia misericordia exigit, vt proximo existenti in ea necessitate, volenti adhuc interpretatiuè vt sibi prouideatur, remedium securius adhibeatur: ipsum verò adultum, qui est incertus an sit validè baptizatus absque opinione probabili pro parte affirmatiua, teneri baptizari sub conditione, & ex virtute religionis, vt satisfaciat præcepto suscipiendi saltem probabiliter Baptismum; non verò teneri, quando probabile est baptizatū esse validè (quidquid dicat Ochagauia q. 11.) quia prudenter iudicat se esse validè baptizatum, & satisfecisse dicto præcepto suscipiendi validè Baptismum. *Ochagau.*

Quando verò adultus, qui absolutè rebaptizatur, & qui eum absolutè rebaptizat, & qui sic rebaptizanti ministrat, fiant irregulares, dicimus Tract. de Irregularit. Disp. 11. Diffic. 1.

DIFFICVLTAS XIII.

Quando fuerit Sacramentum Baptismi à Christo institutum.

SVpponimus, in quo conueniunt non solùm Catholici, sed etiam illi hæretici qui aliqua Sacramenta admittunt, Sacramentum Baptismi fuisse à Christo institutum. Quod expressum est Matth. vltimo, Marci 16. & Ioan. 3. & definitum in Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere. *Trident.*

Hoc supposito, difficultas est circa tempus in quo fuit institutum. Et primò est difficultas, An fuerit institutum ante mortem Christi.

Rupertus lib. 4. in Ioannem, in illa verba cap. 3. *Venit Iesus in terram Iudæam,* & Albertus in 3. distinct. 3. art. 3. docent, Sacramentum Baptismi non fuisse à Christo ante mortem institutum, sed post mortem & resurrectionem. Quod probabile existimat Canus 8. de Locis, cap. 5. & in id maximè inclinant Leo I. Epist. 4. cap. 3. & Chrysostomus Hom. 28. in Ioannem. Et ratione probari potest, quia ante mortem Christi non legitur eius Discipulos baptizasse, nisi viuente Ioanne Baptista, ac proinde solo Baptismo Ioannis Baptistæ; & solùm post resurrectionem legitur Matth. vlt. missos fuisse à Christo ad baptizandum, & eis designasse formam; ergo Baptismus Christi non fuit ante resurrectionem, sed pòst institutus. *Rupertus. Albertus. Canus. Leo I. Chrysost.*

Magister verò in 4. dist. 3. S. Thomas 3. p. q. 66. art. 2. Vasquez disp. 140. & communiter Theologi docent, Sacramentum Baptismi fuisse à Christo ante mortem institutum: quod etiam sensit Augustinus Tract. 15. in Ioan. & Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 57. & Hugo de S. Victore 2. de Sacram. par. 6. c. 4. & id efficaciter deducitur ex Ioan. 3. & 4. vbi tempore Ioannis Baptistæ Christus dicitur baptizasse, & non per se ipsum, sed per Apostolos; quo clarè significatur, Apostolos tempore Baptistæ Baptismo à Christo instituto baptizasse, non Baptismo Ioannis; aliàs potiùs Ioannes diceretur per illos baptizasse, quàm Christus. Quod non leuiter confirmatur ex eo quòd Ioan. 3. discipuli Ioannis Baptistæ apud ipsum conquerebantur, quòd Christus eo tempore baptizaret (subintelligе per Discipulos) quod non facerent, si Discipuli Christi Baptismo Ioannis baptizarent, cùm id esset Ioanni maximè honorificum: Baptismus autem à Christo institutus, & quo Christus per Apostolos vtebatur etiam tempore Ioannis Baptistæ, gratiam & Spiritum sanctum conferebat, vt prædixit Ioannes Baptista Matth. & Luc. 3. Marc. & Ioan. 1. dum opponens suum Baptismum Baptismo à Christo instituendo & conferendo, ait, se baptizare in aqua, Christum verò baptizaturum in Spiritu sancto; Baptismus ergo institutus fuit à Christo in signum collatiuum gratiæ & Spiritus sancti, seu in Sacramentum ante mortem. Quod autem Ioan. 7. dicitur, *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus,* non obstat, vt dicatur Baptismum fuisse institutum in Sacramentum conferens gratiam & Spiritum sanctum ante resurrectionem, in qua Christus fuit glorificatus; quia ibi tantùm est sermo de donatione visibili Spiritus sancti, modo visibili futura in die Pentecostes, & posteà; aliàs Eucharistia non habuisset in cœna vim iustificandi, seu conferendi inuisibiliter gratiā quæ appropriatur Spiritui sancto. *Magister. Vasquez. Augustt. Cyrillus. Hugo de S. Victore.*

Et id ratione Theologica probatur; quia Christus in cœna antequam pateretur, contulit Apostolis Sacramentum Eucharistiæ & Ordinis, vt constat ex Matthæi 26. & ex Lucæ 22. & ex Tridentino sess. 22. cap. 1. ergo etiam ante mortem & passionem instituit Sacramentum Baptismi, & illud per se ipsum, aut per Apostolos, aut vtroque modo contulit, cùm instituerit Sacramentum Baptismi ianuam ad recipienda reliqua Sacramenta. *Trident.*

Ad prius autem fundamentum aduersariorum, desumptum ex Leone & ex Chrysostomo, concedimus ipsos fauere aduersariis, eorum tamen auctoritatem non obstare; quia pro nobis sunt Augustinus, Cyrillus & Hugo de S. Victore, quibus maximè fauent Scriptura, & ratio Theologica. Neque obstat, quòd id dixerit Leo Pont. in Epist. decretali: quia, vt Vasquez ait, id non dixit definiendo auctoritate Pontificia, sed auctoritate priuata Doctoris priuati; quia id tantùm dixit vt Episcopis Siciliæ persuaderet, ne conferrent Baptismum in die Epiphaniæ, sed illum differrent vsque ad Resurrectionem & Pentecosten. *Vasquez.*

Et ad posterius ex ratione desumptum respondemus, quòd quamuis non legatur Apostolos ante mortem Christi, nisi viuente Ioanne Baptista, baptizasse, neque legatur Christum designasse formam ante mortem, non sufficit vt dicamus Baptismum Christi non fuisse ante mortem ipsius institutum: quia legitur Christum, & non Ioannem, baptizasse per Apostolos; quo satis significatur baptizasse Baptismo nō Ioannis, sed instituto ab ipso.

Ita tamen Christus solitus erat per Apostolos baptizare (quod Ioannis 4. significatur, & non amplius) vt verisimile sit Christum per se ipsum

aliquos baptizasse, vt B. Virginem, & etiam Petrum, vt iste iam baptizatus aliquos Apostolos & alios baptizaret: quia incredibile videtur, Christum per se ipsum numquam baptizasse; & conueniens erat, nullum non baptizatum, præter Christum, alios baptizare.

Secundò est difficultas, Quo tempore ante mortem instituerit Sacramentum Baptismi.

Conueniunt Theologi, Christum non instituisse suum Baptismum antè quàm ipse baptizaretur à Ioanne Baptista; vt ita posset Baptismo Ioannis baptizari, non contempto Baptismo qui ab ipso Christo fuisset institutus: & institutum fuisse non post multos menses a tempore quo Christus fuit baptizatus à Ioanne, quia non post multos menses Discipuli Christi baptizabant (vt deducitur ex Ioannis 3. & 4.) & non nisi Baptismo Christi, vt anteà dicebamus.

Est ergo difficultas, An fuerit institutus à Christo eo tempore quo ipse fuit baptizatus à Ioanne, eadem videlicet hora, aut die.

Magister. Sotus. Caietanus. Valentia. Vasquez. Tertull. Ambros. August. Beda. Hilarius. Hieron. Nazianz.

Magister in 4. dist. 3. Sotus q. vnica, art. 2. Caietanus 3. p. q. 66. art. 2. Valentia disp. 4. punct. 4. & Vasquez 140. cap. 6. docent, Baptismum fuisse à Christo institutu eo tempore quo ipse fuit à Ioanne baptizatus; quod sensisse videntur Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, Beda, Hilarius, Hieronymus, & Nazianzenus, à Vasquez relati, dum dicunt, Christum Baptismo, quo ipse tinctus est, aquas Iordanis, & in his reliquas sanctificasse & mundasse; & dum Ambrosius & Beda dicunt, aquas Baptismo ipso, quo Christus baptizatus est, ius Baptismi induisse. Et id suadet, quòd Christo baptizato à Ioanne, statim Ioannes baptizatus fuerit à Christo; vt deduci videtur ex eo, quod Matth. 3. postquam Ioannes dixit Christo, *Ego à te debeo baptizari*, respondit Christus, *sine modo*; quo indicasse videtur, quòd ipse statim baptizaturus erat Ioannem.

Scotus. Gabriel. Suarez. Ægidius.

Scotus verò in 4. dist. 3. quæst. 4. art. 1. Gabriel q. 1. art. 3. dub. vlt. Suarez disp. 19. sect. 2. & Ægidius q. 66. art. 2. docent, Baptismum instituturn fuisse à Christo non eo tempore quo ipse baptizatus est à Ioanne, sed paulò pòst tempore alio opportuno. Et non immeritò: quia in primis Christus non instituit tunc suum Baptismum in actu exercito, id est opere aliquo, quia non receptione ipsa Baptismi Ioannis, vt patet, quamuis receptione illius, & suo tactu, aquam moraliter sanctificauerit, & eam reddiderit moraliter aptiorem ad lauandum nos à peccatis, vt partem materialem Sacramenti Baptismi, & sic aquam quodammodò induisse ius Baptismi: neque illum tunc instituit, quia ipse tunc suo Baptismo baptizauerit Ioannem; quia nulla prudenti coniectura conijci potest Christum tunc baptizasse Ioannem: imò potiùs Matth. 3. vbi refertur Ioannem baptizasse Christum, insinuatur, Christum tunc non baptizasse Ioannem. Et quia Ioanni prohibenti Christum baptizari ab ipso illis verbis, *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* solùm respondit Christus, *Sine modò*, quasi diceret, Non recuses me baptizare, quamuis ego modò non te baptizem, sed postea; & reddit rationem: *Sic enim decet nos implere omnem iustitiam*; id est, quia oportet me efficere hoc opus pium virtutis humilitatis, recipiendo à te Baptismum pœnitentiæ. Et tamen, si Christus statim esset baptizaurus Ioannem, etiam respondisset, Ego enim etiam te statim baptizabo; quia optime congrueret verbis, quibus Ioannes recusabat baptizare Christum; & quia immediatè, postquam dicitur, *Sine modò, sic enim decet nos implere omnem iustitiam*, additur, *tunc dimisit eum* (id est non prohibuit Christum ab ipso baptizari) *baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua.* Nec tunc instituit Baptismum in actu signato, præscribendo videlicet materiam & formam, & eis tribuendo vim iustificandi, quia id nullatenus constat, imò potiùs oppositum deducitur ex eo quòd fiat mentio Baptismi Ioannis recepti à Christo, & non fiat mentio institutionis Baptismi Christi: imò Historia sic contexitur, vt supponatur tunc non fuisse institutum.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm Baptismus sit necessarius necessitate medij ad salutem.

Pelagian.

ERror fuit Pelagianorum, Baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis, quia illud contrahi negabant, sed tantùm ad adeptionem gloriæ. Hæretici nostri temporis, quamuis admittant in paruulis esse peccatum originale, negant tamen Baptismum esse necessarium ad remissionem illius, si sint filij fidelium, quia eo ipso illis non imputatur; neque esse necessarium ad adeptionem gloriæ in eisdem: imò sunt qui affirment ad id sufficere, quòd eorum parentes, aut aliqui alij eorum ascendentes fuerint aliquando fideles.

Veritas tamen Catholica est, Baptismum post Christum esse necessarium ad salutem omnibus hominibus qui peccatum originale contrahunt: quod Patres communi consensu tradunt, & definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei; & *Eugen. IV.* à Tridentino sess. 7. can. 5. de Baptismo. Quod et- *Trident.* iam definierunt Siricius Papa in Epist. 1. ad Himerium cap. 2. Innocentius I. in Epist. 26. ad Concilium Mileuitanum, & Leo I. Epist. 8. ad Episc. Campaniæ; & apertè traditur Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* vbi absque dubio sermo est de Baptismo, quem Christus tunc instituit, aut instituere promisit. *Siricius Papa. Innoc. I. Leo I.*

Sed obijciunt Primò hæretici illud Gen. 17. vbi Deus Abrahæ & posteritati illius promittit terram optimam, & sub hac patriam cælestem: sed nos per Christum etiam sumus filij Abrahæ, vt dicitur ad Roman. 9. ergo nobis promissa est patria cælestis, ac proinde ad eam adipiscendam, & ad remissionem peccati originalis, sine qua nequit adipisci, non est nobis necessarius Baptismus.

Respondemus, quòd quamuis Abrahæ & filiis ipsius carnalibus promissa fuerit terra Chanaan, & sub ea patria cælestis; hæc tamen non nisi ipsi Abrahæ fideli fide viua, & filiis fidei ipsius eum in fide imitantibus: & quia paruuli absque Baptismo in re suscepto non sunt filij fidei viuæ Abrahæ, ideò ipsis non intelligitur facta promissio gloriæ, nisi iam baptizatis, qui eo ipso habent fidem habitualem viuam.

Obijciunt Secundò illud 1. ad Corinth. 7. *Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*; quibus verbis Paulus supponere videtur, eo ipso

ipso quòd aliquis est filius eorum quorum saltem alter est fidelis, esse sanctum.

Respondemus, filios natos ex vno saltem parente fideli, dici sanctos non re ipsa & perfectè, sed inchoatiuè & in spe, quia sperati potest eos futuros fideles & sanctos industriâ parentis fidelis, sicut ibidem etiam dicitur infidelem coniugem sanctificari per fidelem, quòd tantùm est verum inchoatiuè, & in spe; quod dixit Paulus, vt suaderet Corinthiis fidelibus, non separari à coniugibus infidelibus volentibus cohabitare absque iniuria Creatoris.

Est autem Baptismus omnibus, tam paruulis quàm adultis, necessarius necessitate medij; in quo Doctores conueniunt, & constat ex eo, quòd in dicto loco Ioannis, & in dictis Decretis & definitionibus generaliter dicitur esse necessarium omnibus, tam videlicet paruulis quàm adultis, & tamen paruulis nequit esse necessarius necessitate præcepti, quia sunt incapaces præcepti. Est tamen Baptismus diuerso modo necessarius necessitate medij paruulis & adultis; quia paruulis est necessarius determinatè in re susceptus, quia ipsis est vnicum medium, quia præter Baptismum reipsa susceptum, non est illis aliud remedium (saltem ordinarium) quo liberari possint à peccato originali. Adultis verò non est necessarius determinatè Baptismus in re susceptus, sed in re vel in voto sub disiunctione.

In explicando tamen quo pacto Baptismus in re vel in voto sit adultis necessarius necessitate medij ad salutem, non parum variant Doctores: omissis verò variis modis id explicandi, vel quia continent falsam doctrinam, vel quia obscuri sunt, ex eo Baptismus in re vel in voto est adultis necessarius necessitate medij ad salutem (id est ad iustificationem, & consequenter ad saluationem) quia scilicet nequeunt iustificari, & consequenter neque saluari, nisi Baptismo in re susceptо, vel contritione perfecta (siue expressa siue virtuali) in qua votum & propositum suscipiendi Baptismum continetur, ex eo tempore quo Baptismus cœpit esse sub præcepto; & vtrouis eorum absque altero iustificari possunt, id est, quia nequeunt iustificari nisi vno vel altero; & vtrouis possunt, quia neque vnum neque alterum est adultis determinatè medium necessarium, nisi aliquando per accidens, vt contingit, quando quis post intentionem suscipiendi Baptismum, & post elicitam attritionem, incidit in amentiam ante susceptionem Baptismi; quia tunc huic ad iustificationem est determinatè necessarius Baptismus in re susceptus, quia in amentia nequit perfectè conteri; & etiam quando quis existit in articulo mortis, & caret copia Baptismi, vel ex defectu baptizantis, vel ex defectu aquæ; quia tunc huic ad iustificationem est determinatè necessaria contritio perfecta, quia non potest aliter iustificari.

Dicuntur autem peccatores adulti non baptizati iustificari Baptismo in voto, quando contritione perfecta iustificantur ante realem susceptionem Baptismi, non quia ex Baptismo deriuetur virtus aliqua in contritionem, vt iustificare possit, quia contritio ex se absque dependentia à Baptismo est sufficiens ad iustificandum, siue tamquam forma, siue tamquam vltima dispositio; sed quia in contritione, per quam tunc iustificantur, continetur votum & desiderium efficax susciendi Baptismum suo tempore, non minùs quàm votum seruandi quodcumque aliud præceptum graue; quia, qui conteritur, proponit saltem virtualiter non peccare mortaliter, ac proinde neque transgredi præceptum aliquod graue: & ad denotandum, post iustificationem contritione factam manere obligationem suscipiendi reipsa Baptismum (in quo posset aliquis dubitare, sicut circa Sacramentum Pœnitentiæ dubitauit, imò errauit Petrus Oxomensis; quia Sacramentum Baptismi, sicut & Pœnitentiæ, ordinatur in remissionem peccatorum) dicitur communiter, & à Tridentino sess. 6. c. 4. Baptismus in re vel in voto necessarius ad iustificationem. *Petrus Oxomensis.* *Trident.*

Vnde si Baptismus non esset adulto sub præcepto, iustificatio per contritionem facta adscriberetur ipsi contritioni absque voto Baptismi, quia tunc votum Baptismi non contineretur in contritione, ac proinde Baptismus tunc non esset necessarius in re vel in voto: esset tamen tunc necessarius Baptismus in re, aut contritio perfecta sub disiunctione, quia non posset fieri iustificatio, nisi Baptismo, aut contritione, & vtrouis posset.

DIFFICVLTAS XV.

A quo tempore Baptismus cœperit esse necessarius necessitate medij.

QVamuis tempore Bernardi fuerint, qui dixerint, Baptismum cœpisse esse necessarium ab eo tempore, quo Christus Ioan. 3. dixit, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei,* vt Bernardus ipse refert Epist. 77. iam tamen conueniunt Doctores, non cœpisse esse necessarium ante mortem Christi, neque necessitate medij; quia ante mortem Christi non euanuerunt antiqua remedia ad iustificationem instituta, quia ante mortem Christi non fuit abrogatum vetus Testamentum; quia nouum, cuius confirmatione erat abrogandum, non fuit confirmatum vsque ad mortem Christi, vt supponit Paulus ad Hebræos 9. neque necessitate præcepti, aliàs eo ipso Christus abrogasset antiqua remedia instituta ad iustificationem, quæ posset fieri Baptismo, si Baptismus ex tunc manisset sub præcepto. vnde verba illa Christi, *Nisi quis renatus,* &c. dicta fuerunt à Christo non pro eo tempore in quo dicebantur, sed pro futuro. *Bernard.*

Est tamen difficultas, A quo tempore Baptismus cœperit esse necessarius necessitate medij; & eadem est de tempore à quo cœperit esse necessarius necessitate præcepti, quia hæc semper est coniuncta cum necessitate medij in operibus quæ sunt in nostra potestate.

Suarez d. 27. sect. 4. Filiucius tit. 2. cap. 6. Ægidius quæst. 69. art. 1. dub. 2. & alij plures docent, Baptismum non cœpisse esse necessarium neque necessitate medij, neque necessitate præcepti, ante Pentecosten, quia tempore Pentecostes, & non antea, Euangelium fuit ab Apostolis promulgatum: ante promulgationem autem non fuit Baptismus necessarius, non solùm necessitate præcepti, quia præceptum ante sui promulgationem non obligat, sed neque necessitate medij, vt videtur supponere Tridentinum sess. 6. cap. 4. dum loquens de iustificatione, quæ est translatio abstatu, in quo *Suarez.* *Filiucius.* *Ægidius.* *Trident.*

quis nascitur filius Adæ,ad statum gratiæ,ait: *Quæ quidem translatio post Euangelium promulgatum, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest, sicut scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto,* &c. Vbi supponit, ante promulgationem (quæ verè facta fuit ab Apostolis in die Pentecostes) iustificationem fieri potuisse aliter quàm Baptismo & eius voto.

Auctores tamen huius opinionis diuisi sunt: quia Ægidius & alij existimant, à Pentecoste vbique cœpisse Baptismum esse necessarium, & vtroque modo;quia eo die promulgatum fuit Euangelium ab Apostolis: Suarez verò & Filiucius existimant, à Pentecoste non cœpisse vbique, sed in vnaquaque Prouincia cœpisse quando in ea Euangelium fuit sufficienter promulgatum,vt expressit Bernardus Epist.77.

Vasquez, Ochagau. Vasquez disp.145.cap.3. Ochagauia quæst.14. & plures alij docent, Baptismum cœpisse esse necessarium necessitate medij & præcepti à tempore mortis Christi, quod tradidisse videntur Hugo de S. Victore lib. 6. de Sacram. cap. 4. Hieronymus quoque & Augustinus in Epistolis, quas sibi mutuò de legalibus scripserunt, dum supponunt, cærimonias legis morte Christi fuisse mortuas, & consequenter absque vtilitate ad iustificandum mansisse; quibus in hac re magis acquiescimus, quàm Bernardo: & idem est, & non minori ratione,de quocumque alio remedio ad iustificandum, etiam legis naturæ.

Hugo de S. Victore. Hieron. August.

Et ratione Theologica probatur. Et in primis, Baptismum reipsa susceptum, cœpisse à morte Christi esse paruulis necessarium necessitate medij,quia morte ipsa Christi remedia antiqua ad iustificationem paruulorum euanuerunt; ergo non mansit illis aliud remedium,quàm Baptismus,qui iam erat institutus in Sacramentum habens vim iustificandi, ac proinde à morte Christi fuit illis necessarius necessitate medij. Consequentia patet; Antecedens autem,nempe,morte ipsa Christi euanuisse dicta remedia,probatur:quia morte Christi abrogatum fuit Testamentum vetus, quia morte ipsa confirmatum fuit nouum,vt supponit Paulus ad Hebr.9. prius autem Testamentum confirmatione posterioris abrogatur. Deinde, Baptismum in re vel in voto cœpisse esse necessarium adultis necessitate medij ad iustificationem, probatur: quia ex vna parte adulti non baptizati, à morte Christi non poterant iustificari,nisi Baptismo iam instituto, aut contritione perfecta, siue expressa, siue virtuali; & ex altera parte à morte Christi cœpit Baptismus esse sub præcepto,ac proinde à morte Christi cœpit in contritione perfecta contineri votum suscipiendi Baptismum, ergo à morte Christi cœpit Baptismus in re vel in voto esse adultis necessarius necessitate medij ad iustificationem.Quòd autem à morte Christi cœperit Baptismus esse adultis sub præcepto, probatur: quia ex vna parte ante mortem Christi Baptismus institutus erat, & erat impositum præceptum illius pro tempore futuro illis verbis Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua,* &c. & morte Christi Domini fuit confirmatum & consummatum, sicut totum Testamentum nouum quod viuendo disposuerat; & ex altera parte, vt Baptismus ex tunc esset sub præcepto, non fuit necessaria promulgatio aliqua, neque quæ facta fuit in die Pentecostes, neque quæ facta fuit posteà: quia si promulgatio est necessaria pro lege humana,vt habeat vim legis, tantùm est necessaria ex Iure humano, & non ex natura rei, quia absque promulgatione ex Iure humano Princeps non loquitur vt Princeps & vt publica persona, quod ad rationem legis requiritur, & si Princeps vellet Ius illud abrogare, & ei non stare, posset: Christus autem ante promulgationem illam factam in die Pentecostes locutus est vt publica persona,quando præcepit Baptismum pro tempore futuro, nempe pro tempore mortis suæ; ergo Baptismus ante Pentecosten à tempore mortis Christi cœpit esse sub præcepto; promulgatio ergo Baptismi, & totius legis Euangelicæ in die Pentecostes,& posteà facta solùm, fuit necessaria, vt lex Baptismi,& tota alia mundo innotesceret,& non ignoraretur, non verò vt haberet vim legis obligantis.

Tridentinum verò dum ait, iustificationem à peccato originali post Euangelium promulgatum non posse fieri sine lauacro regenerationis,aut sine eius voto,non supponit adhuc tacitè ante promulgationem non posse fieri; quia dictis verbis, eis non aduersando,posset addere,*imò & ante promulgationem à morte Christi,* quod non addidit, vt solùm definiret quod erat certum,& taceret id quod erat sub opinione.

Dicitur autem Baptismus adultis necessarius in re vel in voto, quia possunt iustificari & saluari, vel Baptismo in re,vel contritione perfecta, in qua continetur votum suscipiendi Baptismum, ab eo tempore à quo Baptismus est sub præcepto.

DIFFICVLTAS XVI.

Quando teneatur adultus Baptismum recipere.

SVpponimus,adultos (qui eo ipso sunt capaces præceptorum) teneri præcepto diuino Baptismum suscipere, in quo Doctores conueniunt, & constat ex illo Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest,* &c. vnde ad minus tenentur baptizari in extremo vitæ periculo, quia ad id tenentur dum viuunt.

Est tamen difficultas, An teneantur ante dictum extremum periculum vitæ. Circa quam etiam conueniunt Doctores, teneri ante illud baptizari, quod Patres communiter significant, dum reprehendunt eos qui Baptismum differunt vsque in finem vitæ,vt constat ex Clemente Romano lib.6. Constitutionum Apost.cap.15.ex Basilio Hom.13. ex Nazianzeno Oratione in sanctum Baptismum, quæ est 40. ex Chrysostomo Homil. 1. in Acta Apostolorum. *Clemens Romanus. Basilius. Nazianz. Chrysost.*

Punctum ergo difficultatis est in assignando tempore, pro quo adulti teneantur baptizari ante finem vitæ.

Ledesma 1.p. quarti, q.9. art. 3. dub.1. docet, præceptum diuinum Baptismi pro nullo tempore determinato ante finem vitæ obligare,sed pro tempore indeterminato,sicut Sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ,quia nullum videtur discrimen inter hæc duo ex vna parte, & inter Baptismum ex altera. *Ledesma.*

Caietanus verò & Ægidius quæst.68.art.3.Vasquez disp.149.cap.4. Suarez d.31.sect.2.& communiter Doctores docent,adultos ex præcepto diuino teneri baptizari statim atque commodè possunt; *Caietanus. Ægidius. Vasquez. Suarez.*

sunt; & meritò: quia sicut ex præcepto fidei tenetur quisque statim, atque ei mysteria fidei sunt sufficienter proposita, credere, ita etiam verisimile est, Christum, qui ad Baptismum adultos obligauit, voluisse ipsos statim atque commodè possint, obligare ad susceptionem Baptismi, quia Baptismus est professio fidei, & per quem, qui baptizantur, recipiuntur in numerum fidelium, & fiunt Ecclesiæ subditi, & capaces aliorum Sacramentorum; in quibus omnibus Baptismus differt à Pœnitentia & Eucharistia, & ideò ad hæc duo non obligauit statim.

Addidimus, *adultos statim, atque commodè possunt, teneri,* quia quando adest aliqua rationabilis causa ad differendum Baptismum, possunt, in quo Auctores nostræ opinionis conueniunt, vt quando dilatio expedit, vt baptizandus melius instruatur, vel vt solemniùs baptizetur, vel vt euitetur damnum aliquod considerabile corporis aut diuitiarum, siue proprium siue alienum, vel quando expedit fructui spirituali, siue proprio siue alieno. Ita tamen possunt ex rationabili causa Baptismum differre, vt ad maiorem dilationem maior requiratur causa. Vnde magni viri, qui Baptismum distulerunt, id fecerunt vel ex iusta causa, vt constat de S. Sebastiano & de aliis, aut ex ignorantia inuincibili dictæ obligationis, & bona fide.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm Ecclesia possit determinare & præscribere tempus præcepti diuini suscipiendi Baptismum ante finem vitæ.

Caietanus. Sotus. Ledesma. CAietanus quæst. 68. art. 3. Sotus in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 3. & Ledesma 1. part. 4. q. 9. art. 3. dub. 1. docent, Ecclesiam posse determinare tempus præcepti diuini, quo adulti obligantur baptizari ante finem vitæ, quia Christus Ecclesiæ commisit Sacramentorum dispensationem, ergo potest determinare tempus pro susceptione Baptismi, sicut determinauit pro susceptione Pœnitentiæ & Eucharistiæ.

Confirmatur, quia Ecclesia de facto determinauit Vigilias Resurrectionis & Pentecostes in can. *Non ratione.* & in can. *Duo tempora,* & in can. *Proprie,* de Consecratione, dist. 4. ergo in Ecclesia verè reperitur potestas ad id.

Vasquez. Suarez. Othag. Vasquez verò disput. 150. cap. 2. Suarez d. 31. sect. 2. & Ochagauia quæst. 15. docent, in Ecclesia non esse potestatem determinandi tempus præcepti diuini, quo adulti ante finem vitæ baptizari tenentur, & meritò: quia præcepto diuino determinatum est hoc tempus, nempe cùm primùm commodè possint, ergo Ecclesia nequit aliud determinare, non solùm definiendo, sed neque interpretando; etiamsi, quando occurrit dubium, an causa aliqua sit sufficiens ad dilationem Baptismi, id possit interpretari, non minùs quàm quilibet vir doctus, imò multò meliùs.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quamuis Ecclesia ex commissione, quam habet dispensandi Sacramenta, possit definire tempus præcepti diuini Pœnitentiæ & Eucharistiæ, quia tempus præcepti eorum ante finem vitæ relictum fuit à Christo indeterminatum, non tamen potest definire tempus aliquod pro præcepto diuino, quia præcepto ipso fuit à Christo determinatum.

Ad confirmationem respondemus, in dictis canonibus, in quibus decernitur Baptismum tantùm esse conferendum in Vigiliis Resurrectionis & Pentecostes (nisi vrgente necessitate) non fuisse definitum pro baptizandis, vt anteà non tenerentur, sed pro ministris, vt probare possent infideles, qui petebant Baptismum, an sincerè illum peterent, ne ab eis facilè deciperentur, & etiam ob reuerentiam Baptismi: prædicti tamen Canones iam sunt antiqua consuetudine aboliti.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm paruuli saluari possint absque Baptismo reipsa suscepto, & absque morte pro Christo perpessa.

Alexand. Gerson. Altisiodor. Bonauent. Caietanus. ALexander 4. part. memb. 5. art. 1. Gerson Alphab. 59. litt. R. Altisiodorensis lib. 3. titul. 3. cap. 4. quæst. 2. Bonauentura in 4. dist. 3. 1. part. dist. art. 2. quæst. 2. & Caietanus quæst. 68. art. 2. partem affirmatiuam tuentur, quam non omnes prædicti eodem modo defendunt: quia Caietanus existimat, paruulos omnes, qui baptizari non possunt, posse saluari remedio legis naturæ, fide videlicet, aut oblatione parentum, quia eo etiam poterant saluari paruuli Iudæorum, quando secundùm legem circumcidi non poterant, aut quando ante octauum diem moriebantur, ante quem secundùm legem non poterant circumcidi, & tamen nostri paruuli non sunt peioris conditionis quàm illi. Quod Caietanus art. 11. etiam existimat verum de paruulis periclitantibus in vtero materno, quòd scilicet saluari possint fide parentum, aut benedictione aliqua in nomine Trinitatis; quia de diuina misericordia credi non possit, quòd eos ita reliquerit, vt nullum remedium possit illis prodesse. Gerson verò existimat, paruulos, qui baptizari non possunt, posse saluari, quamuis non omnes, neque remedio aliquo communi ex lege diuina certa, sed tamen aliquos, & priuilegio particulari orationibus parentum, quia id possit de diuina misericordia sperari. Altisiodorensis & Bonauentura existimant, eos qui incipiunt baptizari, & non manent verè baptizati, quia in eorum Baptismis fuit defectus aliquis essentialis, vel in materia, vel in forma, vel in intentione, verè saluari particulari priuilegio, Deo supplente defectum Baptismi, quamuis non omnes, sed tantùm aliquos, imò id non esse omnino certum.

Sotus. Vasquez. Suarez. Ægidius. Ochag. August. Sotus vero in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 2. Vasquez disp. 151. Suarez dist. 27. sect. 3. Ægidius quæst. 68. art. 2. dub. 1. & Ochagauia quæst. 16. partem negatiuam meritò tradunt, quam expressit Augustinus lib. 3. de Anima & eius origine, cap. 6. dum ait: *Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur morte præuentos, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.*

Et in primis infantes absque Baptismo (aut forsan absque morte pro Christo perpessa) saluari non posse alio remedio communi, & ex lege certò (in quo Doctores communiter conueniunt) adeò certum est, vt oppositum, quòd Caietanus affirmat, non benè audiat: quia à Soto & ab aliis hære-

hæreticum, & à Vasquez & ab aliis erroneum iudicatur: ob quod à Pio V. deleti fuerunt Commentarij art. 2. & art. 11. & id manifestè constat ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*; quod Patres omnes de paruulis & adultis intelligunt, & de paruulis ita vt absque Baptismo reipsa suscepto (aut forsan absque morte pro Christo perpessa) saluari non possint: quod ita esse, communi omnium fidelium sensu existimatur.

Pius V.

Quòd verò nullus infans absque Baptismo reipsa suscepto, & essentialiter perfecto (aut forsan absque morte pro Christo perpessa) possit saluari de potentia ordinaria ex peculiari aliquo priuilegio (in quo contra Gersonem, Altisiodorensem & Bonauenturam conueniunt Sotus, Suarez, Vasquez, Ægidius & Ochagauia, probatur: quia etiamsi Deus potuisset decernere aliquos absque Baptismo, & absque morte pro Christo perpessa saluare, adhuc pronuntiata lege illa communi & vniuersali Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei*; nihilominùs hac lege communi pronuntiata, & nullo dato à Deo vehementi indicio aut signo quòd decreuerit aliquos aliter saluare, nequit absque temeritate affirmari, quia id affirmatur absque vrgenti fundamento, contra legem communem à Deo manifestè pronuntiatam.

Sotus. Suarez. Vasquez. Ægidius. Ochagau.

Ad rationem pro Caietano respondemus, in lege scripta non fuisse duo remedia pro paruulis, vnum in defectu alterius; sed tantùm fuisse vnicum, nempe legis naturæ, fidem videlicet, aut oblationem parentum, qua Deo illos offerebant, siue tantùm interiorem, siue exteriùs significatam, vel circumcisione, vel alio signo exteriori pro voluntate parentum: & quamuis hoc remedium oblationis, aut fidei parentum, sit facilius quam Baptismus, nihilominùs nostri paruuli non sunt peioris conditionis quàm illi, quia minor facilitas Baptismi suppletur maiori vbertate fructus & gratiæ. Quod verò pro Gersone & aliis dicitur de diuina misericordia, non conuincit, quia nihil illius derogatur, ex eo quòd paruuli baptizari non possint (quod rarissimè contingit) & damnentur, quia digni sunt qui à Deo deserantur & damnentur, quia sunt Deo inimici.

Sed an paruuli saluari possint morte pro Christo perpessa, Difficultate XX. dicemus.

DIFFICVLTAS XIX.

Vtrùm adulti saluari possint absque Baptismo reipsa suscepto, & absque martyrio.

NOn defuerunt tempore Hugonis & Bernardi, qui existimauerint, nullum adultum saluari posse absque Baptismo reipsa suscepto, aut absque martyrio vice illius, quia Ioannis 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit*, &c. imò & nostro tempore Michaël Baius Doctor Louanienſis, quibusdam testimoniis Augustini malè intellectis sibi persuasit, adultum catechumenum non posse absque Baptismo reipsa suscepto consequi remissionem peccatorum, etiamsi actu contritionis & charitatis possit consequi iustificationem.

Michaël Baius.

Reliqui Doctores vnanimi consensu docent, adultum absque Baptismo reipsa suscepto, & absque martyrio vice illius, posse saluari obtinendo alia via iustificationem & remissionem peccatorum, nempe actu contritionis perfectæ, aut alio actu charitatis. Ita significatur in cap. *Debitum*, de Baptismo, & in cap. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato, & supponitur in Tridentino sess. 6. cap. 4. dum dicitur, iustificationem à peccatis non baptizati non posse fieri absque Baptismo aut eius voto; & efficaciter deducitur ex eodem Tridentino sess. 13. cap. 4. dum contritioni perfectæ ante susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ tribuitur vis iustificandi à peccatis, quia eadem vis erit in contritione perfecta ad iustificandum à peccatis ante realem susceptionem Baptismi.

Trident.

Et id constat ex Scriptura, in qua pœnitentiæ & dilectioni Dei extra Sacramentum attribuitur iustificatio à peccatis, Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam.* & Ezechiel. 18. *Agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* & 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* & Ioan. 3. *Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* & 1. Ioan. 4. *Qui diligit, ex Deo natus est*; & subditur, *qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Illud vero peculiare quod Michaël Baius dixit, nempe posse adultum ante susceptionem Baptismi actu charitatis iustificari absque eo quòd ei remittantur peccata, præterquam quòd est contra aliqua testimonia Scripturæ ex suprà allatis, in quibus pœnitentiæ & dilectioni charitatis tribuitur remissio peccatorum, etiam est peculiariter damnatum à Pio V. & à Gregorio XIII. in Bulla contra illum peculiariter edita, & est manifestè contra rationem, quia vera iustificatio, vtpote vera mundities, omnino pugnat cum sorde peccati mortalis, vt ostendit Vasquez 1. 2. d. 140.

Pius V. Greg XIII. Vasquez

Neque testimonia Augustini, quibus id sibi persuasit, ipsi fauent, vt aduertit Vasquez 3. p. disput. 152. Illo autem testimonio Ioan. 3. *Nisi quis renatus*, &c. quo ducti fuerunt Doctores illi tempore Hugonis & Bernardi, nihil aliud probatur, quàm Baptismum in re, aut in voto incluso in actu contritionis, aut in alio actu charitatis, esse necessarium ad saluationem: iste autem dicitur *Baptismus flaminis*, quia est amoris & desiderij; & etiam dicitur *Baptismus pœnitentiæ*, quia est actus pœnitentiæ, siue expressæ siue implicitæ.

Ita tamen votum seu propositum suscipiendi Baptismum est medium sufficiens absque Baptismo in re suscepto, & absque martyrio ad iustificationem & salutem, vt necessarium non sit quòd sit expressum, sed sufficit implicitum, & contentum in contritione perfecta, siue formali siue virtuali, etiam illis qui notitiam habent Baptismi, vt contra Sotum, qui existimat necessarium esse expressum illis qui non ignorant inuincibiliter Baptismum, docent Vasquez disp. 152. num. 16. & communiter Doctores, quia etiam illis sufficit actus perfectæ contritionis, aut alius actus dilectionis Dei, qui haberi potest absque proposito expresso suscipiendi Baptismum, non solùm quando non aduertitur esse præceptum suscipiendi Baptismum, sed etiam quando aduertitur, vt in simili latè dicemus Tractatu de Pœnitentia Disput. v 1. Diffic. v 1. Quamuis verum sit, eum, qui perfectè conteritur, siue formaliter siue virtualiter, & aduertit esse præceptum suscipiendi Baptismum, vix posse

Vasquez.

posse abstinere à dicto proposito expresso, quia contritio perfecta dum perseuerat, vehementer excitat & impellit ad proponendum obseruare, quodcumque præceptum graue, quod memoriæ occurrit.

DIFFICVLTAS XX.

Vtrùm paruuli saluari possint morte pro Christo perpessa absque Baptismo re ipsa suscepto.

Alexand. Armac. ALexander 4.p.q.8.memb.9.art.5. & Armacanus lib.8. de Quæstionibus Armenorum cap.37. partem negatiuam tuentur Primò, quia nulla est promissio Dei, qua morti pro Christo perpessæ iustificatio promittatur. Secundò, quia aliàs perpessio mortis pro Christo esset Sacramentum. Tertiò, quia aliàs dicta perpessio prodesset sine charitate, quod est contra Paulum 1.ad Corinth.3.& 4. quia non iustificaret paruulum dum viueret, sed post mortem; quia dum viuit, non patitur mortem. Addit Armacanus, ex infantibus propter Christum ab Herode occisis eos tantùm fuisse saluatos, qui aliàs circumcisione, aut remedio legis naturæ fuerant iustificati. In quod etiam *Adrianus.* inclinat Adrianus in 4.q. vlt. de Baptismo §. *Ad rationes.*

S.Thomas. Vasquez. Suarez. Ægidius. S. Thomas verò 2.2. q. 124. art. 1. Vasquez disp.153. Suarez d.29. Ægidius quæst.66.art.12. dub.1. & communiter Doctores docent, paruulos morte pro Christo tolerata iustificari ab originali, & saluari; & meritò: quia negari non potest (vt Armacanus negat) infantes omnes ab Herode pro Christo occisos saluatos fuisse, quia omnes indiscriminatim ab Ecclesia vt Martyres & vt Beati venerantur & coluntur, & plures ex Patribus omnes illos indiscriminatim Martyres appellant, & eos in numerum Beatorum referunt, vt videre est *Vasquez.* apud Vasquez cap.7. & tamen maximè credibile est, aliquos eorum non fuisse iustificatos ante mortem pro Christo perpessam, præsertim ex infantibus Gentilium qui Iudæis permixti erant, & ex infantibus Iudæorum, qui ante octauum diem, ante quem circumcidi non poterant, & à parentibus non fuerant Deo oblati, occisi fuerunt. Ergo negandum non est, eos infantes, qui in peccato originali ad occisionem arripiebantur, morte ipsa pro Christo tolerata iustificatos & saluatos fuisse; & alios, qui iustificati præsupponebantur, in sanctitate & iustitia creuisse. Quòd si infantes ab Herode occisi pro Christo (id est, qui intentione occidendi Christum occisi sunt, & qui sua occisione confessi sunt Messiam esse Christum, & regem animarum) morte ipsa iustificati, & saluati fuerunt, idem etiam dicendum est de quibuscumque aliis infantibus, qui pro Christo aut ob eius fidem occisi sunt, & in posterum occidentur, nempe quòd morte ipsa ab originali iustificentur & saluentur; & quòd, si Baptismo suscepto sint iam iustificati, crescant in sanctitate & iustitia: quia eadem est causa & ratio de eis, ac de occisis ab Herode, quod etiam nonnulli ex Patribus, quos Vasquez refert, docent.

Et id est verum non tantùm de infantibus, qui iam nati extra vterum maternum occiduntur pro Christo, sed etiam de illis qui in vteris maternis *Scotus.* pro Christo occiduntur, vt aduertunt Scotus, Richardus, Gabriel, Paludanus, Vasquez, & Ægidius; quia eos esse intra vterum, non obest iustificationi: quod nos (quidquid Ægidius dicat) solùm intelligimus verum, quando tyrannus cognoscit matrem esse grauidam, & aduertit, aut timet etiam occidere infantem, quia aliàs infans non occideretur pro Christo, nisi inaduertenter, & valdè per accidens. *Richardus. Gabriel. Paludan. Vasquez. Ægidius.*

Quòd autem in Tridentino sess.6.c.4. dicitur, remissionem originalis post Euangelium promulgatum non posse fieri absque Baptismo in re, aut in voto in paruulis, tantùm est verum ordinariè, in his videlicet qui non occiduntur pro Christo, quia qui sic occiduntur (vt Augustinus ait 13. de Ciuitate, cap.7.) à Christo excepti sunt ab illa sententia Ioan.3. *Nisi quis renatus*, &c. illis verbis Matth.10. & 16. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* *Trident.* *August.*

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, quòd quamuis nulla extiterit promissio Dei pro infantibus ab Herode propter Christum occisis, de conferenda gratia ob perpessionem mortis, extitit tamen voluntas Dei, quæ nobis traditione constat, & sufficit absque promissione. Iam tamen à prædicatione Christi extat promissio, etiam pro infantibus, dictis verbis Matth.10. & 16.

Ad secundam respondemus, mortem pro Christo perpessam, quamuis ex promissione Christi ex opere operato significet & conferat gratiam paruulis, non esse Sacramentum; quia illa non significat & confert gratiam vt illata à tyranno, sed vt tolerata à paruulis; & de ratione Sacramenti est, vt significet & conferat gratiam etiam vt procedens ab aliquo, & vt actio est, siue passiuè significetur aut sumatur, & non vt tantùm tolerata, aut recepta, seu quasi recepta, vt videre est in Sacramentis nouæ & veteris legis, vt aduertit Vasquez *Vasquez.* num.42.

Ad tertiam respondemus, mortem pro Christo perpessam, quamuis non toleretur ex affectu charitatis erga Deum paruulis prodesse, quod non est contra Paulum, qui si loquitur de operibus ex charitate procedentibus, non loquitur in paruulis, sed in adultis.

Ad quartam respondemus, mortem pro Christo perpessam sanctificare non post hanc vitam, sed ante mortem, in eo videlicet tempore in quo Martyrita affectus est, vt non tantùm non possit naturaliter viuere, sed neque possit sensu aliquo vti, quia tunc censetur moraliter mortuus, & mors censetur consummata. Dari autem semper aliquod tempus anterius in quo homo nequeat sensibus vti, constat ex eo, quòd dispositio conseruatiua, quæ semper successiuè corrumpitur, requiritur maior ad vsum sensuum, quàm vt anima informet, vt experientiâ constat.

DIFFICVLTAS XXI.

Vtrùm adulti saluari possint morte pro Christo perpessa absque Baptismo in re & in voto.

COnueniunt Doctores, mortem pro Christo perpessam posse absque Baptismo in re suscepto adultis sufficere ad iustificationem à peccatis,

catis, & consequenter ad gloriam consequendam.

Clemens Romanus. Cyprianus. August. Quod apertè tradunt Clemens lib. 5. Constitutionum, cap. 5. aliàs 7. Cyprianus Epist. 73. Augustinus 13. de Ciuitate Dei, c. 7. & est expressum in Scriptura, Marc. 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam*; & Lucæ 12. *Viuificabit eam.* & ad id sufficere quando procedit ex perfecta dilectione & charitate erga Deum (in qua votum perfectum Baptismi continetur:) & non mirum, quia dilectio Dei etiam absque dicta mortis perpessione sufficit ad id.

Est tamen difficultas, An mors pro Christo perpessa sufficiat ad iustificationem & saluationem, quando non toleratur ex dilectione Dei in qua votum Baptismi continetur, ac proinde an sufficiat etiam absque Baptismo in voto perfecto.

Bonauent. Durand. Canus. Vasquez. Ochagau. Bonauentura in 4. dist. 4. 2. parte distinctionis, art. 1. q. 2. Durandus q. 8. Canus Relectione de Pœnitentia, part. 3. Vasquez d. 153. & Ochagauia q. 17. docent, mortem pro Christo perpessam non sufficere adultis ad iustificationem à peccatis, nisi toleretur ex affectu charitatis erga Deum, ac proinde non sufficere absque Baptismo in voto perfecto; quod sentire videtur Bernardus Epist. 77. dum significat, martyrium non supplere vicem Baptismi, nisi ex merito fidei. Et expressisse videtur Paulus 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et ratione probatur: quia si mortis perpessio pro Christo absque dilectione Dei haberet vim iustificandi à peccatis, eam haberet non ex sua natura, vt patet, sed ex voluntate & lege Dei: nullo autem fundamento constat de ea voluntate, quia non constat Scriptura, neque traditione, neque definitione Ecclesiæ, neque efficaci aliqua ratione.

Caietanus. Sotus. Suarez. Valentia. Ægidius. Raconis. Caietanus verò 3. part. quæst. 87. art. 1. Sotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. Suarez d. 29. Valentia d. 8. q. 2. punct. 2. Ægidius q. 66. art. 12. dub. 2. & Raconis quæst. 2. art. 2. docent, mortem pro Christo perpessam, quamuis non toleratam ex affectu charitatis erga Deum, sufficere adultis ad iustificationem à peccatis, & ad saluationem, ac proinde etiam absque Baptismo in voto perfecto. Quod expressisse videtur

Clemens. Clemens vbi suprà, dum de catechumeno, qui martyrium subit, ait: *Lætus discedat* (id est moriatur) *passio enim, quam pro Christo sustinet, cedet ei in veriorem Baptismum: quoniam ipse re ipsa commoritur Christo, aly figurâ.* vbi non ait, passionem ei cedere in veriorem Baptismum, quia eam ex maiori charitate subit; sed quia re ipsa

Cyprianus. Christo commoritur. Et Cyprianus vbi suprà, dum ait: *Numquid potest vis Baptismi esse maior aut potior quam confessio, vt quis coram hominibus Christum confiteatur, & suo sanguine baptizetur?* vbi vim martyrij tribuit ipsi passioni, non charitati, & illam comparat virtuti Baptismi; Baptismus autem verè remittit peccata, & confert primam gratiam iustificantem absque affectu charitatis. Et

Augustinus. Augustinus vbi suprà, dum ait: *Quicumque etiam, non suscepto regenerationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis: qui enim dixit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. non minus generaliter dixit: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est.* vbi nulla facta mentione charitatis, de morte tolerata pro confessione Christi, ait, valere ad remissionem peccatorum non minùs quàm Baptismum; & non leuiter significat id conuenire dictæ morti ex promissione Christi non minùs quàm Baptismo.

Et id tradidisse videtur Christus Matth. 10. & 16. & Marc. 8. & Lucæ 12. verbis suprà relatis, dum morti proter ipsum & propter suum Euangelium promittit viuificationem animæ, & inuentionem illius, & consequenter iustificationem à peccatis, qua anima mortua viuificatur, & perdita inuenitur, & qua, si in ea steterit, salua fiet: id autem promittit dictæ morti ratione sui, non ratione charitatis, tum quia id promittit morti, nulla mentione facta charitatis, neque alius rei; tum etiam, quia nihil noui & peculiare promitteret ipsi morti, quo induceret ad tolerantiam illius quod intendit, quia charitas id habet ratione sui absque morte.

Et ratione probatur: quia perpessio mortis pro Christo habet vim iustificandi paruulos, vt diximus Difficultate præcedenti, in quibus nequit oriri ex affectu charitatis, ergo etiam adultos, quamuis in eis non oriatur ex affectu charitatis, quia eisdem verbis vtrisque promittitur salus & vita animæ ob dictam mortem.

Vnde particula *propter me* in dictis testimoniis Scripturæ, non est idem ac *ex affectu charitatis erga Christum*; quod etiam deducitur ex eo, quod Marc. 8. additur, *propter Euangelium*, & tamen Euangelium nequit affectu charitatis diligi: sed est idem, ac pati mortem illatam in odium Christi, aut suæ fidei, vel intentione occidendi Christum; vt contigit Innocentibus, qui occisi sunt intentione occidendi Messiam, & ideò sua morte confessi sunt Christum esse Messiam.

Et non solùm perpessio mortis pro Christo prodest ex opere operato, & instar Sacramenti, peccatoribus ad iustificationem, sed etiam iustis ad augmentum iustitiæ (sicut Baptismus & Pœnitentia) quia non minùs debet prodesse iustis quàm peccatoribus, cùm non minùs confiteantur Christum, quàm peccatores, & Christus omnibus morte confitentibus ipsum promisit eos in cœlis confiteri.

Ex dictis constat, mortem pro Christo perpessam, per se non requirere maiorem dispositionem in adulto peccatore peccato actuali, vt eum à peccatis iustificet, quàm veram attritionem eorum, non contritionem, neque alium actum charitatis; aliàs numquam sua vi iustificaret à peccatis, quia id supponeret factum contritione, aut alio actu charitatis. Addidimus *per se*, quia etiamsi quis passurus sit mortem pro Christo, tenetur præcepta aliàs obligantia seruare, si possit, vt præceptum Baptismi, & Confessionis, & Eucharistiæ, sed non præceptum contritionis perfectæ, ad quam peccator in articulo mortis obligatur, quando nequit Sacramentaliter confiteri; quia tantùm tenetur ad perfectam contritionem, quando nequit alio remedio à mortalibus liberari, ne in statu peccati in æternum discedat, quia tunc passione ipsa mortis, attritione præsupposita, liberabitur, vt supponimus.

Ita tamen existimamus attritionem sufficere in adulto peccatore peccato actuali, vt iustificetur patiendo mortem pro Christo, vt in eo etiam requiratur ad id: quia vt dicitur in Tridentino sess. 14. c. 1. *Pœnitentia semper fuit omnibus, qui mortaliter peccarunt, necessaria ex diuina institutione,* *Trident.*

tione; quia conuenientissimum est, vt qui propria voluntate peccauit, illud retracter, vt ab eo liberetur. Nec huic obstat, quòd morientibus pro Christo promittatur iustificatio à peccatis, quia etiam promittitur suscipientibus Baptismum, & tamen adultis peccatoribus peccato actuali non confertur iustificatio, nisi saltem sint attriti. Nihilominùs eo ipso, quòd Ecclesia cognoscit aliquem pro Christo aut pro eius lege aut fide mortuum fuisse, etiamsi anteà fuerit in peccatis, piè credit, quando aliunde oppositum non constat, iustificatum fuisse præsupposito sufficienti dolore; quia piè credit Deum non deesse in ea occasione suis militibus: & quando id credit, non nisi ab Spiritu sancto directa credit. Præter attritionem autem in adultis peccatoribus etiam requiritur voluntas patiendi mortem ad iustificationem à peccatis, & in iustis ad augmentum iustitiæ, sicut in adultis suscipientibus Baptismum, sed non requiritur in illis voluntas actualis, neque virtualis patiendi mortem, quia adulti nihil ad martyrium efficiunt, sed tantùm patiuntur (& voluntas actualis aut virtualis tantùm requiritur, quando voluntas est effectiua) sed sufficit habitualis, quæ scilicet præcesserit, & non sit retractata, qua voluerint mori pro Christo: quia conuenientissimum est, vt adultis, qui sunt domini suæ voluntatis, nihil adhuc ex priuilegio conducat ad iustificationem absque proprio consensu, præsertim ad primam, qua à peccatis propria voluntate contractis liberantur; in iustis verò sufficit voluntas moriendi pro Christo absque attritione, & absque omni alia dispositione, vt passio mortis ipsis adinstar Sacramenti proficiat ad augmentum iustitiæ, sicut illis sufficit voluntas suscipiendi Sacramenta viuorum, vt ipsis proficiant ad augmentum iustitiæ.

Bernardus ergo Epist. 77. dum ait, martyrium habere vim supplendi Baptismum ex merito fidei, non vult id obtineri fide patientis mortem, aliàs non proficeret paruulis: sed tantùm vult, martyrium habere à Christo vim supplendi Baptismum ob fidem, id est vt honorificetur fides, cui Martyr passione mortis honorificentissimum perhibet testimonium.

Paulus verò 1. ad Corinth. 13. illis verbis, *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, non fauet aduersariis, quia vel sensus est, dictam passionem, si non procedat ex charitate, vel si ad charitatem non perducat (vt potest defectu aliquo non perducere) nihil prodesse patienti, vt non pauci exponunt: vel sensus est, prædictam passionem non procedentem ex fine seu affectu virtutis (qui secundùm phrasim Augustini dicitur charitas) sed ex malo fine, nihil prodesse patienti, vt Anselmus, Beda, & S. Thomas exponunt. *Anselmus. Beda. S. Thomas.*

Et ad rationem pro aduersariis adductam, constat ex dictis, vim iustificandi instar Sacramenti conuenire morti pro Christo ex priuilegio, & voluntate Dei, quæ non parum est indicata in Scriptura, Matth. 10. & 16. Marc. 8. & Lucæ 12. & à Patribus intellecta & nota.

DISPVTATIO II.

De Ministro Baptismi.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm quilibet homo sit minister sufficiens ad valide baptizandum.

Caluinus. CIRCA rem hanc errauit Caluinus, existimans, neminem, qui non sit minister ordinarius ad id deputatus seu ordinatus, posse adhuc in extrema necessitate baptizare, quia Christus Matth. vltimo non omnibus dixerit, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, sed tantùm Apostolis, ac proinde in ipsis etiam Episcopis eorum successoribus. Sed non explicat Caluinus, an minister sic ordinatus sit necessarius ad valide, an tantùm ad licitè baptizandum.

Catholici tamen conueniunt, quemcumque hominem, etiam hæreticum, & non baptizatum, & feminam, esse ministrum sufficientem ad valide baptizandum: quod perpetua & constanti Ecclesiæ traditione constat, & definitum est ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi cap. 1. (& refertur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate & fide Catholica) & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dum ait: *In casu autem necessitatis non solùm Sacerdos vel Diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare potest.* *Innoc. III.* *Eug. IV.*

Quòd si quilibet homo in extrema necessitate baptizare potest, etiam poterit valide extra illam: quia qui pro aliquo tempore sufficiens est ad valorem Sacramenti, etiam est pro omni. Addidit autem Eugenius, *in casu necessitatis*; vt ostendat, in eo casu quemlibet non tantùm valide, sed etiam licitè posse.

Nonnulli verò Patres, quos refert Vasquez d. 147. qui contra dictam veritatem obijciuntur, tantùm intendunt, non quemlibet posse licitè baptizare; quod, excepto casu extremæ necessitatis, verissimum est. Gregorius verò II. in Epist. ad Bonifacium, dum ait, *Quos à Paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, vt denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus*, tantùm significat, baptizatos à Paganis iterùm esse baptizandos, quia non fuerunt validè baptizati, non quia baptizati fuerint à Paganis, sed quia non fuerunt baptizati in nomine Trinitatis, vt in dicto testimonio indicatur. *Vasquez.* *Gregorius Papa.*

Christus ergo Matth. vlt. non dedit nouiter Apostolis potestatem baptizandi, quia creditur illam ante suam mortem dedisse, quando Baptismum instituit, & omnibus generaliter, vt Ecclesiæ traditione, & Pontificum definitione constat; sed præceptum docendi & baptizandi. & quamuis eam potestatem tunc dedisset, potuit illis eam dedisse non vt Episcopis, neque vt Sacerdotibus, sed vt hominibus.

DIFFI-

DIFFICVLTAS II.

Quibus conueniat ex officio baptizare.

CONueniunt primo Doctores, non solùm Episcopum, vt manifestum est, sed etiam Sacerdotem, quamuis simplicem, ex vi sui Ordinis posse ex officio baptizare. Quod satis constat ex vsu & praxi Ecclesiæ, & supponunt Clemens Romanus & Gelasius Papa vbi infrà, & exprimitur ab Eugenio IV. in suo Decreto, dum de Baptismo ait: *Minister huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio conuenit baptizare.* Quod satis conuenienter institutum est à Christo, quia Sacerdos ex vi sui Ordinis habet potestatem efficiendi Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, quod est Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis, iuxta Paulum 1. ad Cor. 10. ac proinde fuit maximè conueniens, vt ex vi eiusdē Ordinis etiam posset per Baptismum efficere membra Ecclesiæ, & participes vnitatis illius.

Clemens Romanus. Gelasius Papa. Eug. IV.

Ita tamen Sacerdos ex vi sui Ordinis potest ex officio Baptismum administrare, vt eo ipso id possit absque indignitate & irreuerentia in Baptismum efficere independenter à Parocho, seu absque licentia illius, vt contra Vasquez d. 147. c. 3. aduertit Suarez d. 23. sect. 2. (sicut potest efficere Eucharistiam) quia ex vi sui Ordinis habet potestatem completam ad baptizandum quemlibet, ita vt, quantum est ex parte potestatis, non deficiat Sacerdoti aliquid quod egeat à Parocho recipere, quia baptizare non est actus iurisdictionis (sicut est absoluere à peccatis) sicut neque consecrare: imò Parochus nullam habet in baptizandum, nec Episcopus; quia quousque baptizatus sit, non est Ecclesiæ subditus. Verum est, Sacerdotem non posse absque voluntate Parochi incolas parochiæ illius absque iniuria in ipsum Parochum baptizare, & eius communitati aliquem medio Baptismo adscribere: quia ipsi Parocho incumbit extraneos ad suam communitatem admittere; ac proinde Sacerdos contra eius voluntatem baptizans peccat peccato iniustitiæ, imò graui, sed non sacrilegij, seu irreuerentiæ in Baptismum.

Suarez.

Vnde commissio, aut potiùs licentia aut voluntas Parochi requisita in Sacerdote ad baptizandum incolam parochiæ illius (quæ sufficit interpretatiua, aut præsumpta, & non tantùm præsens, sed etiam futura, quæ contingit quando præsumitur, id ignorante Parocho) requiritur vt non baptizet illicitè contra iustitiam, non verò vt non baptizet illicitè contra reuerentiam Baptismi.

Vasquez.

Aduertit Vasquez, Sacerdotes non Parochos egere ex consuetudine approbatione Episcopi ad baptizandum. Hanc tamen consuetudinem non inuenimus: quia etiamsi in aliquibus Episcopatibus, Sacerdotibus petentibus approbationem requisitam à Tridentino pro administrando Sacramentum absolutionis sæcularibus, concedatur pro administratione omnium Sacramentorum, sed non in omnibus, & in his in quibus conceditur, non conceditur tamquam quid necessarium, aut saltem non acceptatur vt tale, nisi ab ignorantibus.

Conueniunt secundò Doctores, Diaconum ex vi sui Ordinis non posse ex officio baptizare independenter à Sacerdotibus; quod satis insinuat Eugenius IV. dū solis Presbyteris attribuit esse ministros Baptismi ex officio, & id tradit Gelasius Papa in Epist. ad Episc. Lucan. (& refertur in can. *Diaconos*, 93. dist.) dum de Diaconis ait: *Absque Episcopo vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis Ordinibus fortasse longiùs constitutis, necessitas extrema compellat.* & Clemens lib. 8. Constit. Apostol. c. 46. dum ait: *Neque enim fas est Diacono baptizare.* Nihilominùs Diacono ex vi sui Ordinis conuenit vt possit, ex commissione aut licentia Sacerdotis, baptizare, vt insinuat Gelasius verbis illis, *absque Episcopo vel Presbytero*, id est absque commissione vel licentia Episcopi vel Presbyteri, supponens, ex ea posse & absque ea non posse, nisi in extrema necessitate, & absentibus Episcopo & Presbytero, sicut neque laicos: & id exprimitur in ordinatione Diaconi illis verbis: *Diaconum enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare.* Quod etiam constat ex eo, quòd Diaconus ex vi ordinationis instituitur vt ministret Episcopo & Presbytero, & eis inseruiat in Baptismo & in aliis Ecclesiasticis ministeriis.

Clementi Romanus. Eug. IV. Gelasius Papa.

Vnde hoc potest Diacono committi, sed non absque necessitate graui (quia hæc sola in considerationem venit) qua ordinatur vt ministret & iuuet; ergo nequit id adhuc ex commissione efficere, nisi quando iuuamen & ministerium ipsius necessarium est; sed non requiritur necessitas extrema, quia in hac etiam possunt laici, & absque commissione & licentia.

Conueniunt tertiò Doctores, nullum Diacono inferiorem, quamuis Parochum, posse dignè & competenter baptizare adhuc ex commissione, nisi in extrema necessitate, id est, nisi quando aliquis prudenter iudicatur moriturus absque Baptismo, nisi ab aliquo inferiore baptizetur. Et in primis, quòd in extrema necessitate possit, constat ex Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & ex perpetua traditione. Quòd vero extra eam nequeat, constat ex omnibus Patribus & Iuribus, quæ id tantùm attribuunt Sacerdotibus & Diaconis, in quibus eo ipso supponitur id non posse Diacono inferiores.

Eug. IV.

Diaconus ergo absque graui necessitate baptizans, quamuis ex commissione, & quamuis Baptismo non solemni, peccat peccato mortali sacrilegij, quia absque graui necessitate nequit adhuc ex commissione dignè & competenter baptizare, & etiam reliqui Diacono inferiores baptizantes absque extrema; quia extra hanc non possunt dignè & licitè. Imò omnes prædicti in casibus dictis etiam peccant peccato graui iniustitiæ contra Parochum, si id efficiant in eius parochia absque ipsius aut Episcopi voluntate saltem præsumpta.

An verò qui baptizat quando non potest competenter baptizare, vt Diaconus absque commissione, & absque graui necessitate, & omnis alius inferior absque necessitate extrema, fiat irregularis, dicimus Tractatu de Irregularitate Disput. 11. Diffic. 11.

DIFFICVLTAS III.

Quis ordo seruandus sit inter eos, qui tantùm in extrema necessitate possunt dignè & competenter baptizare.

CONueniunt Doctores, inter eos qui non possunt dignè & competenter baptizare nisi in extrema necessitate, nempe inferiores Diacono, & hunc absque licentia Sacerdotis, si adsint & bapti-

baptizare possint, eum qui fuerit Clericus, præferendum esse laico, & Clericum digniorem, verbi gratia Subdiaconum, præferendum esse Clerico non Subdiacono, & virum feminæ, & baptizatum non baptizato; & dictum ordinem ita seruandum esse, vt in ipsius inuersione forsan sit peccatum.

Vasquez. Est tamen difficultas, An inuersio dicti ordinis sit mortalis, an tantùm venialis. Vasquez disp. 147. cap. 5. docet, quamcumque inuersionem ex dictis, etiam qua femina præfertur viro, esse mortalem, quia quæcumque prælatio ex dictis est materia grauis, & Iure diuino præscripta.

Sotus. Suarez. Sotus in 4. dist. 4. quæst. vnic. art. 2. Suarez disp. 31. sect. 4. docent, quamcumque inuersionem ex dictis tantùm venialem, quia in nullius inuersione est vsurpatio officij; quia nulli ex prædictis conuenit ex officio baptizare, adhuc Diacono, absque licentia Sacerdotis.

Reginald. Ægidius. Reginaldus verò lib. 27. num. 44. & Ægidius quæst. 67. art. 5. dub. 2. docent, & meritò, inuersionem, qua inferiores Diacono ei præferuntur, esse mortalem, non verò inuersionem inter alios Diacono inferiores. Et in primis inuersionem, qua inferiores Diacono ipsi præferuntur, esse mortalem (quod etiam tenuit Suarez disp. 23. sect. 2. in fine, & in quo conuenit Vasquez) probatur: quia ex vna parte Diaconus Iure diuino præfertur alijs sibi inferioribus, quia ex vi sui Ordinis est magis aptus ad id quàm alij inferiores, & ex altera hæc prælatio est materia grauis & considerabilis, ergo opposita inuersio & prælatio erit mortalis, vtpote grauis vsurpatio cuiusdam prælationis & inchoationis officij; & ob hanc rationem inuersio, qua Sacerdote inferiores, etiam Diaconus, illi præferuntur, est mortalis, in quo Doctores conueniunt, quia scilicet Sacerdos Iure diuino, vtpote ex vi sui Ordinis, præfertur Diacono & alijs inferioribus, & hæc prælatio est materia grauis.

Sotus. Suarez. Quòd verò inuersio inter inferiores Diacono non sit mortalis, in quo etiam conueniunt Sotus & Suarez, probatur: quia inter inferiores Diacono nulla est prælatio Iure diuino præscripta, quia eo iure soli Sacerdoti & Diacono conuenit, quia ipsis conuenit ex vi sui Ordinis, non verò alijs. Ex quo constat ad rationem Vasquez. Neque præscripta est Iure aliquo Ecclesiastico, quia de eo non constat. Quia tamen in inuersione dicti ordinis inter inferiores Diacono nonnulla indecentia reperitur, in eo videlicet quòd femina præferatur viro, & laicus Clerico, & Clericus inferior digniori, & non baptizatus baptizato, ideò forsan dicta inuersio erit venialis, sed leuissima.

Nauarrus. Vasquez. Addunt Nauarrus cap. 22. num. 7. & Vasquez, non excommunicatum præferendum esse excommunicato; & meritò, ob peculiarem prohibitionem Ecclesiæ, qua excommunicatus prohibitus est Sacramenta administrare: quod credimus esse verum, vt contra Henriquez exprimit Nauarrus, & insinuat Vasquez: quamuis non excommunicatus sit laicus, & excommunicatus sit Sacerdos, quia excommunicatus, quamuis Sacerdos, est peculiariter prohibitus, & non laicus; & quamuis excommunicatus non sit nominatim excommunicatus, quia eodem modo est prohibitus, ac nominatim excommunicatus.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Diaconus possit solemniter baptizare.

SVpponimus, in quo communiter conueniunt Doctores, ex dispensatione Pontificis quemlibet, etiam laicum, posse solemniter baptizare in casibus, in quibus Iure diuino potest baptizare, quia solemnitas Baptismi solo Iure Ecclesiastico introducta est, & absque dispensatione id non posse Diacono inferiores: quia solemnitas Baptismi non est præscripta ab Ecclesia pro his, quibus ex vi Ordinis non conuenit dignè & competenter baptizare, sed tantùm pro ordinatis ad id.

Est ergo difficultas; An Diaconus absque dispensatione Pontificis possit solemniter baptizare.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Circa quam Doctores, qui eam attingunt, conueniunt, posse solemniter baptizare, quando in casu necessitatis, siue extremæ siue non extremæ, ipsi committitur baptizare. Ita Vasquez disp. 247. cap 4. Suarez d. 23. sect. 2. & Ægidius quæst. 77. artic. 5. dub. 3. & meritò, quia Diacono ex vi suæ ordinationis posse dignè & competenter baptizare, conuenit ex commissione Sacerdotis in casu necessitatis grauis, siue extremę siue non extremæ; ergo quando ex commissione baptizat in casu grauis necessitatis, poterit etiam solemniter baptizare, quia ex vna parte solemnitas præscripta est ab Ecclesia pro ministris, quibus ex vi sui Ordinis conuenit dicta potestas, & ex altera parte solemnitas hæc non est Diacono prohibita: imò decentius est ministrum, pro quo præscripta est, eum ea quàm absque ea baptizare.

Addidimus, *quando ipsi committitur baptizare*, quia Diaconus absque commissione Sacerdotis nequit solemniter baptizare adhuc in extrema necessitate, vt contra Suarez aduertit Ægidius, quia quamuis in extrema necessitate possit dignè & competenter baptizare absque commissione, absque ea tamen non baptizat vt Diaconus, seu ex vi sui Ordinis, sed vt laicus; quia ex vi sui Ordinis, & vt Diaconus, tantùm potest competenter baptizare vt minister Sacerdotis, & vt ei inseruiens, quia Diaconus ad id tantùm ordinatur; ac proinde Diaconus absque commissione Sacerdotis non potest solemniter baptizare adhuc in extrema necessitate, ob rationem dictam, quia scilicet solemnitas tantùm est præscripta pro ministris ex vi Ordinis. Ægidius.

Sacerdos verò in aliena Parochia posset absque commissione Parochi solemniter baptizare absque irreuerentia erga Baptismum (quamuis non absque iniuria in Parochum) quia Sacerdos etiam absque commissione est minister ex officio, & ex vi sui Ordinis, & tantùm eget commissione, vt non irroget iniuriam Parocho ac proinde etiam absque commissione Parochi posset ex sola voluntate præsumpta illius, quia tunc nulla illi irrogatur iniuria.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm plures simul integrè baptizantes eumdem validè baptizent.

CONueniunt Doctores, quando plures ita concurrunt ad baptizandum vnum & eumdem, vt quilibet eum integrè baptizet, integram proferendo formam, & integrè abluendo, & intendendo baptizare per se independenter ab alio, si simul tempore perficiant omnia requisita ad Baptismum, tunc eos plures verè & validè baptizare, quia quilibet ex illis integrè baptizat, ac si solus baptizaret. Quòd autem vnus alterum comitetur in baptizando, ex nullo capite obstare potest valori Baptismi. Et quando vnus ex illis priùs perficit omnia requisita ad Baptismum quàm alter, illum solum validè baptizare: quia qui posteriùs illa perficit, inuenit hominem iam validè baptizatum, ac proinde incapacem alterius Baptismi validi.

Dictam autem doctrinam existimamus veram, non solùm quando quilibet baptizat modo prædicto sub forma Baptismi in numero singulari, nempe *Ego te baptizo* (in quo Doctores conueniunt) sed etiam quando quilibet baptizat modo prædicto sub forma in numero plurali, nempe, *Nos te baptizamus*, &c. vt contra Vasquez d. 148. & contra Ægidium q. 67. art. 6. n. 43. aduertunt *Durandus. Suarez.* Durandus in 4 d. 3. q. 3. n. 15. & Suarez d. 25. sect. 3. quia etiam tunc quilibet adhibet sufficientem formã, quia illa æquiualet huic, *Ego te baptizo, & iste etiam te simul baptizat.* in quibus verbis vera forma continetur, quamuis in ea aliquid non necessarium addatur, illud videlicet, *& iste etiam te simul baptizat.* quo non destruitur sensus formæ consuetæ, quia verba hæc, *nos te baptizamus*, possunt à ministro proferri ad significãdum se abluere vt causam totalem (vt verè requiritur ad valorem Baptismi) quia verba hæc æquiuoca sunt ad significandum, baptizantes sub ipsis verbis baptizare, seu abluere vt causas partiales, & vt causas totales; quia quilibet verè & naturaliter potest, quando alius abluit, abluere, aut partialiter, vt quando abluunt vna infusione ex aliquo vase, aut mergendo baptizandum; aut totaliter, vt quando quilibet diuersa infusione baptizat, præsertim in distincta parte (aliàs non possent plures sub forma in numero singulari validè baptizare) ac proinde illa proferens, potest illis vti ad significandum se abluere vt causam totalem, & in hoc sensu illa proferre. Secùs contingit in his verbis, *Nos trahimus nauim*, quia vniuoca sunt, & eis tantùm potest quis vti ad significandum se trahere nauim vt causam partialem; quia quando plures illam trahunt, non possunt eam nisi vt causæ partiales trahere.

Sed quamuis, quando plures simul eumdem baptizant, validè in casu dicto baptizent, illicitum tamen est, & peccatum (imò graue) plures simul eumdem baptizare, quamuis validè, quia saltem se exponunt temeratiè manifesto periculo rebaptizandi, quia moraliter semper vnus ex illis priùs perficit Baptismum quàm alter; in quo casu posterior rebaptizat, quia baptizat iam baptizatum ab altero: & quamuis periculum istud cesset, & ex eo non peccent, quando quilibet baptizat sub conditione (saltem interiùs concepta) non baptizandi, si alter priùs perficiat Baptismum, peccant tamen ex eo quòd absque necessitate baptizent sub conditione, quia moraliter numquam erit necessarium plures sic baptizare.

Quòd si plures Sacerdotes recenter ordinati, qui simul consecrant eumdem panem & idem vinum cum Episcopo ordinante, non peccant, & excusantur ab irreuerentia, quamuis se exponant manifesto periculo proferendi inaniter verba consecrationis supra materiam iam fortè ab altero priùs consecratam, est, quia Christus speciàliter voluit, & satis congruenter id fieri in ordinatione Sacerdotis, quia ea cærimonia est maximè congrua, & conueniens institutioni Eucharistiæ, quia in ea Christus simul cum Apostolis Eucharistiam sumpsit, & officium consecrandi illis commisit, & præcepit vt in memoriam suæ passionis illam consecrarent & sumerent, & re ipsa vtrumque simul cum Christo facerent; nisi ad non consecrandum cum Christo præualeret, quod erat maximè conueniens, quòd consecratione à Christo solo facta denotaretur, quòd ipse erat auctor tanti Sacramenti, de quo in Tract. de Eucharistia Disput. XI. Difficul. II.

Est tamen difficultas, An, quando plures ita simul baptizant eumdem, vt quilibet illum integrè baptizet, quia simul tempore perficiunt omnia requisita, ac proinde sint plures numero Baptismi, sint etiam plura numero Sacramenta Baptismi, an tantùm vnum.

Sotus in 4. dist. 4. q. vnic. art. 4. Vasquez disp. 148. c. 2. & Ochagauia q. 13. docent, tunc esse vnum tantùm numero Sacramentum Baptismi, quia significatio gratiæ, quæ in illis pluribus Baptismis reperitur, est tantùm vna numero, sicut & gratia ipsa significata & collata per illos est tantùm vna numero; vnitas autem Sacramenti desumenda est ex vnitate significationis Sacramentalis, quia hæc est forma totalis Sacramenti, & non ex vnitate rerum materialium quibus significatio illa inest. *Sotus. Vasquez. Ochag.*

Gabriel verò in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 3. dub. 4. Caietanus 3. p. quæst. 67. art. 6. & ibidem Ægidius dub. 1. docent, tunc esse plura numero Sacramenta Baptismi, & meritò: quia tunc ita sunt plura numero materialia totalia Baptismi, coalescentia ex pluribus ablutionibus & ex pluribus formis, vt cuilibet independenter ab alio conueniat ex institutione Christi significatio gratiæ, ac si pluribus personis applicarentur, ergo illis conuenit non vna tantùm significatio gratiæ, sed multiplex, sicut si pluribus personis applicarentur. Quòd autem gratia per illos significata & collata sit vna tantùm numero, non sufficit vt significatio sit tantùm vna numero, sicut neque sufficit quòd Petrus significatus per vocem Petri sit vnus, vt diuersis vocibus Petri prolatis à diuersis insit vna numero significatio, quia reuerà inest multiplex. Nihilominùs tunc dicti plures Baptismi possunt virtualiter dici vnum tantùm Sacramentum, quia non habent maiorem virtutem quàm si esset vnum tantùm Sacramentum: & in hoc sensu à S. Thoma q. 67. art. 6. dicuntur vnum Sacramentum. *Gabriel. Caietan. Ægidius. S. Thomas.*

Quòd autem quilibet minister in casu dicto sit integer & totalis & sufficiens, & quilibet Baptismus sit integrum signum gratiæ totale & sufficiens, ac proinde plures causæ gratiæ totales ministeriales & instrumẽtales, non inconuenit: quia quamuis

quamuis sint totales & sufficientes in actu primo, quia quælibet est sufficiens vt moueat Deum, & sic causet gratiam independenter ab alia; non tamen sunt totales & sufficientes in actu secundo, quia tunc quælibet non mouet totaliter & sufficienter, sed tantùm ipse plures simul, ita vt si quælibet moueret Deum seorsim, aliter moueret, ac quando mouet simul cum alia, ea proportione, qua duo fines, quorum quilibet est sufficiens ad mouendum, quando simul mouent non mouet quilibet totaliter, sed partialiter.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm plures diuidentes ministerium Baptismi, validè baptizent.

Marsilius. Caietanus. MArsilius in 4. q. 4. art. 4. dub. 11. & Caietanus 3. p q. 67. art. 6. docent, in casu extremæ necessitatis validè fieri Baptismum à duobus diuidentibus ministerium Baptismi, vt si esset infans non baptizatus statim moriturus, & ei non adessent, nisi duo, quorum vnus careret brachijs, qui non posset abluere, & alter esset mutus, qui non posset verba Baptismi proferre, tunc validus esset Baptismus, si mutus ablueret infantem illum, & carens brachijs proferret verba Baptismi.

S Thomas. Ægidius. Vasquez. Suarez. S. Thomas q. 67. art. 6. & ibidem Ægidius dubio 1. Vasquez d. 148. c. 4. Suarez d. 23. sect. 3. & communiter Doctores docent, numquam posse fieri validè Baptismum à pluribus, quorum quilibet concurreret tantùm ad partem Baptismi, vt quando vnus tantùm abluit, & alter tantùm profert verba formæ, & meritò: quia in casu dicto proferens verba formæ falsum enuntiaret; ergo nihil efficeret, quia verbis falsis nihil efficitur ex institutione Christi. Quòd autem sic proferens verba formæ falsum enuntiaret, patet, quia ipse non baptizaret, neque ablueret exteriore ablutione, quod verba formæ significant. Et quamuis verbum *baptizo* in dicta forma idem esset, ac administro tibi Baptismum, etiam falsum enuntiaret, quia sic proferens verba non administraret Baptismum, sed tantùm partem, nempe formam. Vnde etiam enuntiaret falsò, quamuis vteretur illis verbis in numero plurali, *nos te baptizamus*, quia sensus horum verborum est, *ego te baptizo, & iste baptizat*, & verba hæc, *ego te baptizo* falsa sunt, vt iam diximus. Et eodem modo etiam falsum enuntiaret, quamuis non abluens proferret verba formæ Græcorum, *Baptizetur seruus Christi*, quia hæc verba eumdem sensum efficiunt, quem verba formæ Latinorum, *ego te baptizo*, quia eadem est substantialiter forma Latinorum & Græcorum, quia sensus formæ Græcorum est, *Baptizetur à me seruus Christi*, vt diximus Disputatione 1. Difficultate VII. ergo si in casu dicto forma Latinorum non esset substantialiter vera, neque esset forma Græcorum.

Suarez. Ægidius. Addimus, vt optimè Suarez & Ægidius, eodem modo fieri inualidè Baptismum à duobus, quamuis non diuidant ministerium baptizandi, sed vterque simul abluat, & formam Baptismi proferat, quando neuter intendit baptizare vt integer minister, sed vteruis intendit vt causa tantùm partialis baptizare, quasi adiuuans alterum ad vnum Baptismum, & quasi cum eo vnum integrum ministrum componens ad illum; quia ea intentio contraria est institutioni Christi, qui voluit vt minister Baptismi eum administret vt causa totalis, & integra vt vsus Ecclesiæ, quæ semper voluit vt Baptismus ab vno tantùm ministretur, ostendit; quod etiam formâ ipsâ Baptismi, *Ego te baptizo*, denotatur. Et hac ratione etiam probatur, quòd suprà diximus, nempe Baptismum à pluribus exteriùs diuidentibus ministerium Baptismi, inualidè fieri, quia tunc à nullo procedit vt ab integro ministro.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm vnus possit plures simul baptizare.

COnueniunt Primò Doctores, vnum posse plures simul validè baptizare his verbis, *Ego vos baptizo*, &c. si adsint reliqua requisita, quia tunc nihil deficit ad valorem Baptismi. Secundò conueniunt, vnum plures simul baptizare extra grauem necessitatem esse illicitum & peccatum, quia est contra consuetudinem Ecclesiæ, nolentis sic fieri Baptismum extra necessitatem grauem; imò id est peccatum mortale, vt contra Sotum existimant Scotus, Gabriel, Ægidius & Vasquez, quia est magna mutatio in re graui. *Scotus. Gabriel. Ægidius. Vasquez.*

Est tamen difficultas, An in casu dicto sint plures Baptismi, & plura Sacramenta. Circa quam conueniunt Doctores, esse plures Baptismos, & plura Sacramenta: quia sunt plures ablutiones formaliter & expresè, & sunt plures formæ, quamuis non formaliter & expressè, sed æquiualenter, quia, *ego vos baptizo*, æquiualet his, *ego te baptizo, & ego te baptizo*; quia illis verbis, *ego vos baptizo*, verè significantur omnes ablutiones, quibus minister sub his verbis baptizat, quod sufficit, vt ex dicta forma, quæ æquiualenter est plures, & ex dictis pluribus ablutionibus plures fiant Baptismi, & plura Sacramenta.

DIFFICVLTAS VIII.

Quanta coniunctio, seu temporis simultas inter formam & materiam proximam Baptismi requiratur, & sufficiat ad valorem ipsius.

COnueniunt Doctores, ad valorem Baptismi non requiri materiam proximam, nempe ablutionem & formam simul incipere, neque simul finiri, quia neque veritas formæ, neque aliquid aliud tantam coniunctionem requirit; & credi non potest, Christum ab hominibus requirere, quod humanâ diligentiâ nequit discerni. Et conueniunt contra Glossam in can. *Detrahe.* 1. quæst. 1. non requiri materiam proximam perseuerare vsque ad vltimam prolationem verborum, quia id nec requirit veritas verborum formæ, quia quamuis finiatur ablutio antequam finiantur verba, verum est dicere, *ego te baptizo*, neque aliquid aliud id requirit.

Circa difficultatem ergo Scotus in 4. dist. 6. quæst 3. Gabriel quæst. 1. art. 2. & Caietanus tomo 1. Opusculorum, tit. 26. docent, ad valorem Baptismi eam tẽporis simultatem inter proximam *Scotus. Gabriel. Caietanus.*

materiam & formam requiri, vt neutra finiatur antequam altera incipiat, nempe vt ablutio non finiatur antequam incipiat prolatio verborum, neque econtrà, quia simultas hæc videtur necessaria ad veritatem verborum formæ; quia nequit esse verum, *ego te baptizo*, quod est præsens Indicantis, si antè aut pòst fiat omnino ablutio, & non tunc quando forma aut aliquid formæ profertur. Et ob eamdem rationem idem existimant de simultate materiæ proximæ & formæ in Sacramento Confirmationis, quia scilicet forma illius etiam significatur verbo præsentis Indicatiui.

Sotus. Suarez. Vasquez. Ægidius.

Sotus verò in 4. dist. 3. q. vnica, art. 8. Suarez d. 2. sect. 2. Vasquez d. 138. c. 7. & Ægidius q. 60. artic. 6. docent, ad valorem Baptismi non requiri tantam temporis simultatē inter materiam proximam & formam illius, vt necessarium sit alteram incipere ante finitionem alterius, & econtrà, sed sufficere, quòd ante vel post alteram incipiat altera, & econtrà, dum inter vnam & alteram non sit magna interpolatio physica, & meritò: quia non requiritur maior simultas inter proximam materiam & inter formam, quàm ea quæ sufficit ad veritatem formæ cadentis supra ipsam materiam; quia eo ipso forma & materia possunt ad vnam & eamdem actionem Sacramentalem pertinere, & ex eis potest vnum & idem Sacramentum coalescere. Simultas autem inter formam & materiam proximam Baptismi, quamuis cum aliqua discontinuatione & interpolatione, dum non sit magna, sed parua, sufficit ad veritatem formæ Baptismi cadentis supra materiam proximam illius: quia qui, postquam abluit, statim aut paulò pòst dicit, *ego abluo*, verum dicit, & econtrà, qui, postquam dicit, *ego abluo*, statim aut paulò pòst abluit, verum dicit, quia tunc moraliter & humano modo actio illa abluendi censetur præsens, quando profertur verbum illam significans; sicut qui, postquam potauit, statim aut paulò pòst dicit, *ego poto*, verum dicit, & econtrà, qui habens vas plenum aqua in manu dicit, *ego poto*, verum dicit, si statim aut paulò pòst potet. Ex quo constat ad rationem aduersariorum. Addidimus, *dum inter vnam & alteram non sit magna interpolatio physica*, quia quando est, vt quadrantis horæ, imò & minoris temporis, simultas, quæ cum illa interpolatione est, non sufficit ad valorem Baptismi, quia non sufficit vt forma sit vera, quia tunc materia proxima non censetur moraliter præsens, qualiter formâ ipsâ significatur.

Suarez. Vasquez. Ægidius.

Idem quoque existimant Auctores nostræ sententiæ de simultate inter materiam proximam & formam Confirmationis, ob eamdem omnino rationem. Et idem exprimunt Suarez, Vasquez & Ægidius de simultate inter materiam proximam & formam Extremæ Vnctionis, ratione Pronominis *istam*, contenti in forma illius, quia significat præsentiam saltem moralem Vnctionis. Et idem dicunt Suarez & Ægidius de simultate inter proximam materiam & formam Ordinis ratione verbi contenti in forma illius, quod actionem præsentem, saltem moraliter, significat.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm præter ministrum qui confert Baptismum, necessarius sit patrinus.

QVamuis ad valorem Baptismi necessarius non sit qui baptizandum teneat dum baptizatur, & pro eo respondeat, & eum de sacro Baptismatis fonte suscipiat, qui *patrinus* dicitur, Iure tamen Ecclesiastico necessarius est ad Baptismum solemnem, vt licitè fiat, vt constat ex consuetudine Ecclesiæ quæ antiquissima est; & illius fit mentio apud antiquos Patres, & Concilia, & in pluribus Canonibus de Consecratione, dist. 4.

Obseruandum est, quòd quamuis Iure antiquo Canonis *Non plures*, de Consecratione, dist. 4. & cap. vltim. *de Cognatione spirituali, in 6.* vnus tantùm siue vir siue femina posset esse patrinus in Baptismo, iam tamen Iure nouo Tridentini sess. 24. c. 2. conceditur, vt possint esse duo, vnus & vna; excipiuntur tamen Primò Monachi, qui can. *Monachi*, de Consecratione, dist. 4. prohibiti sunt exercere dictum munus. Sub Monachis tamen, qui sibi solis vacant, vt Ægidius aduertit, non comprehenduntur Religiosi Mendicantes, qui etiam vacant alijs.

Excipiuntur Secundò in can. *In Baptismate*, de Consecratione, dist. 4. qui non sunt baptizati, vt nequeant esse patrini, non prohibitione ad ipsos directa, quia non baptizati non subduntur Ecclesiasticæ prohibitioni, sed directa ad baptizantes, & ad quoscumq; alios ad quos pertinet designare patrinos, ne eligāt non baptizatos ad munus patrini.

Excipiuntur Tertiò parentes, qui can. *Peruenit*, & can. *Ad limina*, 30. quæst. 1. prohibiti sunt esse patrini propriæ sobolis, quamuis non adsit alius qui possit esse patrinus, quia munus patrini non est magnæ necessitatis; eos tamen non priuari iure petendi, quamuis absque necessitate & absque ignorantia id faciant, dicimus Tractatu de Matrimonio, Disput. x. Diffic. vi.

Sanctius. Vasquez. Ægidius. Vrban. II.

Maritus tamen & vxor possunt alienæ prolis absque peccato esse patrini, vt aduertunt Sanctius lib. 7. d. 57. Vasquez & Ægidius q. 67. art. 7. quia id nullibi prohibetur, vt fatetur Vrbanus. II. in can. finali, 30. quæst. 4. Quòd autem ipse in eo Canone statuat, quòd non sint patrini, non obstat, vel quia id non prohibet, vt ex contextu deduci videtur; vel quia si id prohibuit, non est vsu receptum.

De impedimento autem cognationis spiritualis dirimente matrimonium contrahendum, ortæ ex munere patrini Baptismi, dicimus Tractatu de Matrimonio Disput. xviii.

Circa obligationem, quam patrinus Baptismi habet instruendi baptizatum in fide & moribus, conueniunt Doctores, eam habere, quoties parentes alij ve id non faciunt, quia munus patrini ad id etiam institutum est: ni hilominùs, qui est patrinus baptizati inter Christianos commorantis, ab ea obligatione excusatur (nisi aliàs ipsi constet baptizatum carere instructore) quia regulariter sunt alij qui id faciant.

DISPV-

DISPVTATIO III.

De suscipientibus Baptismum.

DIFFICVLTAS I.

Utrùm omnes adulti sint capaces Baptismi.

CONVENIVNT Doctores, adultos omnes viatores, vsu rationis præditos, esse capaces Baptismi. Ita supponitur Marci vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* & Matthæi vlt. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.* Addidimus *viatores*, quia soli isti sunt capaces Baptismi, quia ad eos solos, tamquam ad subiecta susceptiua Baptismi, directa est institutio illius, vt constat ex dictis testimonijs, & ex sensu & vsu Ecclesiæ, ac proinde ipsis solis prodest Baptismus.

Quòd si objicias illud Paul. 1. ad Corinth. 15. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, vt quid baptizantur pro illis?* quibus verbis supponere videtur Paulus, viatorem, seu viuum, vice mortui seu pro mortuo baptizari posse, & Baptismum à viuo receptum pro mortuo qui baptizari non potuit, ipsi mortuo prodesse;

Respondemus, Paulum in dicto testimonio homine Baptismi non intelligere Sacramentum Baptismi, sed lamenta & alia opera pœnalia, vt aliquando sumitur in Scriptura, Marc. 10. *Potestis bibere calicem quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* & supponere, lamenta & omnia opera pœnalia pro mortuis assumpta ipsis prodesse, & non inaniter assumi pro illis, vt ex antiquissima Iudæorum traditione, qui ea pro suis defunctis assumebant, inferat corporum resurrectionem: quia ex eo, quòd prædicta proficerent animabus ad liberationem à pœna, vt ab ea liberatæ vita æterna perfruerentur, benè infertur animas esse immortales, ac proinde etiam habituras præmium æternum, aut pœna æterna puniendas; & consequenter etiam in consortio corporum, in quibus existentes factæ sunt dignæ præmio aut pœna, habituras ipsum præmium aut pœnam, quia id valdè consonum est rationi, de quo legendi sunt Vasquez d. 157. c. 3. & Ægidius d. 11. de Purgatorio, dub. 1. *Vasquez. Ægidius.*

Quòd verò ad valorem Baptismi, & aliorum Sacramentorum qui in vsu consistunt, in adultis, qui sunt aut aliquando fuerunt vsu rationis prædìti, necessarius sit consensus suscipiendi, & quòd sufficiat habitualis (id est præteritus non reuocatus) imò & metu extortus, diximus in Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione 1v. Difficultate 111. vbi etiam diximus, ad eorum valorem nullum requiri actum fidei in suscipiente.

DIFFICVLTAS II.

Utrùm infantes ante vsum rationis sint capaces Baptismi.

CIrca rem hanc tempore Bernardi errarunt Henricus quidam, & quidam Petrus de Bruis, existimantes, paruulos ante vsum rationis non esse capaces Baptismi, quia sunt incapaces actus fidei: quia Marci vltimo insinuari videtur, eum, qui non potest credere, non posse baptizari, dum dicitur, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit:* & idem nostro tempore docent Anabaptistæ, ducti dicto fundamento, & etiam alijs, quæ videri possunt apud Bellarminum lib. 1. de Baptism. c. 9. & apud Vasquez d. 144. *Henricus. Petrus de Bruis. Anabap. Bellarmin. Vasquez.*

De Fide tamen est, infantes ante vsum rationis capaces esse Baptismi. Ita definitum est in Tridentino sess. 7. can. 13. & à non paucis Pontificibus, quos Vasquez refert. Et id constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam nobis scriptam reliquerunt Clemens lib. 6. Instit. Apostolicarum, c. 15. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia cap. vlt. Augustinus lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, c. 24. & Origenes lib. 5. in Epistolam ad Roman. in cap. 6. Quod etiam deducitur ex Scriptura Matth. 19. Marc. 10. & Luc. 18. dum dicitur: *Sinite paruulos venire ad me; talium enim est regnum cælorum.* vbi Christus supponit, paruulos & infantes esse pro ea ætate capaces Regni cælorum: quòd si pro ea ætate capaces sunt Regni cælorum, etiam sunt capaces Baptismi, quia, vt dicitur Ioannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Quod ampliùs expendit Vasquez c. 1. *Trident. Clem. Rom. Dionys. August. Origenes. Vasquez.*

Addimus, infantes, adhuc dum sunt intra vterum maternum, capaces esse Baptismi, vt aduertunt communiter Doctores; quia dicti infantes cõceptione ipsa verè sunt nati, vt Baptismo possint dici renasci, vt patet in his, qui tantũ exerunt manum, aut exsecãtur ex vtero matris iam mortuę: ac proinde, si industriâ aut artificio aliquo lauentur sub forma Baptismi, validũ recipient Baptismum.

Id autem quod dictum est de infantibus, etiam est verum de grandibus furiosis aut amentibus, qui numquam vsi sunt ratione, quia eadem omnino est ipsorum & infantium ratio.

Illud verò Marc. vltimo, cui innituntur hæretici, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, vbi requiritur fides ad receptionem Baptismi, intelligitur de adultis, vt deducitur ex verbis proximè antecedentibus, *prædicate Euangelium omni creaturæ*, quia infantibus non erat prædicandum. Imò in adultis non requiritur actus fidei ad valorem Baptismi, vt posteà dicemus, sed tantùm vt dispositio ad recipiendam gratiam; in paruulis verò neque vt dispositio ad effectum gratiæ, in quo Patres & Scholastici conueniunt: alias Baptismus illis nõ prodesset ad salutẽ, quia paruuli non possunt credere. Et quidẽ Christus, qui etiam pro

infantibus Baptismum instituit, non potuit ab ipsis actum fidei, quem habere non possunt, requirere. Id verò quod Lutherus ait, illis accelerari vsum rationis, absque fundamento dicitur, & contra manifestam experientiam, de quo legi potest Vasquez cap. 3.

Vasquez.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm infantes non baptizatorum validè baptizentur inuitis parentibus.

COnueniunt Doctores, infantes baptizatorum, quamuis hæreticorum & apostatarum, validè baptizari, inuitis adhuc eorum parentibus, quod ex dicendis constabit.

Est tamen difficultas, An infantes non baptizatorum validè baptizentur eorum parentibus inuitis. Durandus in 4. dist. 6. quæst. 7. Paludanus dist. 4. quæst. 4. Marsilius quæst. 4. art. 4. dub. 3. Capreolus dist. 5. quæst 1. artic. 3. Siluester v. Baptismus 4. quæst. 7. & Catherinus in Opusc. de Pueris Iudæorum recipiendis ad Baptismum, docent, infantes non baptizatorum, quamuis subditorum Principibus Christianis, non posse validè baptizari eorum parentibus inuitis, aut alijs quibus cura infantium incumbit: quia ad valorem Baptismi requiritur consensus aliquis, qui cùm infantibus nequeat esse proprius, requiritur aliorum, & non nisi eorum quibus cura illorum incumbit, vt sunt parentes, & ijs deficientibus, aut non potentibus, illi qui parentibus succedunt quoad curam infantium.

Durandus. Paludan. Marsilius. Capreolus. Siluester. Catherin.

Antoninus verò 3. part. tit. 14. cap. 13. Caietanus & Ægidius quæst. 68. artic. 10. Vasquez disp. 155. Suarez d. 25. sect. 1. & communiter recentiores docent, infantes quorumcumque non baptizatorum validè baptizari eorum parentibus inuitis, & quibuscumque alijs quibus eorum cura incumbit, quamuis id fiat cum iniuria parentum, aut aliorum quibus infantium cura incumbit, & meritò: quia infantibus non est possibilis consensus quo in Baptismum consentiant, ergo non fuit à Christo requisitus ad valorem Baptismi ipsorum. Consequentia patet, Antecedens verò probatur, quia non possunt consentire in Baptismum consensu proprio, vt patet; neque consensu parentum, neque aliorum: quia neque voluntas parentum, neque quorumcumque aliorum est voluntas infantium, sed distincta; neque infantes aliquid commiserunt parentibus neque alijs pro se faciendum aut petendum. Verum est Iure ciuili, voluntatem parentum, aut aliorum, aliquando valere paruulis ad aliquos ciuiles effectus à voluntate Reipublicæ pendentes: eos tamen non dicuntur infantes verè velle. Si ergo infantes non possunt consentire in Baptismum consensu parentum, neque aliorum loco parentum, nullo fundamento neque colore affirmari potest, consensum eorum requiri ad valorem Baptismi ipsorum infantium.

Antonin. Caietan. Ægidius. Vasquez. Suarez.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm infantes non baptizatorum possint inuitis parentibus licitè baptizari.

DIfficultas hæc non procedit de infantibus filijs baptizatorum, quamuis hæreticorum & apostatarum, quia infantes isti possunt licitè baptizari eorum parentibus inuitis, quia eorum parentes, vtpote Ecclesiæ subditi ratione Baptismi, cogi possunt ad seruanda omnia præcepta naturalia, & diuina, & Ecclesiastica, ac proinde ad baptizandum suos infantes tempore consueto, quia ad hoc tenentur ex Iure Ecclesiastico consuetudine introducto, & non alio, quia de alio non constat. Neque procedit de infantibus filijs non baptizatorũ, qui non sunt subditi Principibus Christianis, & debellari non possunt, quia horum infantes nequeunt extra extremam necessitatem licitè baptizari, eorum parentibus inuitis, quamdiu sunt sub cura eorum; quia eorum parentes à nullo Principe Christiano, neque iure superioris neque iure belli (quando alias debellari non possunt) priuari possunt patria potestate, qua priuari debent si baptizentur infantes ob periculum peruersionis infantium, si perueniant ad adultam ætatem, & non sint à parentibus infidelibus separati.

Difficultas ergo procedit de infantibus non baptizatorum subditorum Principibus Christianis, an possint licitè baptizari parentibus inuitis, ex consensu saltem interpretatiuo Principum, à quibus parentes, vtpote eis subditi, aliàs priuari possunt patria potestate, quia extra extremam necessitatem infantium, qui aliàs morituri sunt absque Baptismo, non possunt priuata auctoritate absque dicto consensu licitè baptizari, aliàs extra eam priuata auctoritate priuarentur patria potestate, vt priuari deberent ob dictũ peruersionis periculum.

Circa difficultatem sic intellectam Scotus in 4. dist. 4. quæst. 9. & Gabriel quæst. 2. artic. 3. dub. 5. docent, infantes non baptizorum Principi Christiano subditorum, posse inuitis parẽtibus ex consensu Principis (siue expresso siue interpretatiuo) licitè baptizari, etiam extra extremam necessitatem. Quia si pater vellet infantem occidere, aut nollet ipsum à periculo mortis, in quo sit, liberare, posset ex consensu Principis inuito patre infanti subueniri, quamuis necessarium esset ipsum de potestate patris eripere & extrahere: imò id etiam potest Princeps, quoties videt filium à patre prauis moribus instrui, & malè educari; quia ad Principem spectat abusum patriæ potestatis in filios corrigere & emendare: sed infantes dictorum non baptizatorũ sunt in manifesto periculo infidelitatis quando adulti fiant, & sunt in peccato originali, & parentes nolunt illis subueniri, sed volunt eos in morte originalis perseuerare, & eos iterùm morte infidelitatis occidere, si adulti fiant; ergo Princeps, & quilibet alius ex consensu illius potest infantes dictorum non baptizatorum adhuc inuitorum licitè baptizare, & eos à patria potestate eripere.

Scotus. Gabriel.

S. Thomas verò quæst. 68. artic. 10. & ibidem Ægidius & Vasquez disput. 155. Suarez d. 25. sect. 4. & communiter Doctores docent, & meritò, dictos infantes non posse licitè inuitis parentibus baptizari. Quod maximè probat consuetudo Ecclesiæ, quæ numquam vsa est infantes non baptizatorum, adhuc Iudæorũ, Principibus Christianis subditorum, inuitis ipsis parentibus baptizare. Ratio autem est, quia infans, quando baptizatur inuitis parentibus, debet ab ipsis separari ob manifestum periculum apostasiæ, quando peruenit ad adultam ætatem, ex consortio parentum infidelium, vt ex se patet & exprimitur in Concilio

S. Thomas. Ægidius. Vasquez. Suarez.

Concil. Tolet. IV. Concilio Toletano IV. Can. 48. & refertur in can. *Iudæorum* 28. quæst. 1. Sed prædicta separatio fieri nequit absque iniuria in parentes contra eorum patriam potestatem; ergo parentibus inuitis nequeunt licitè baptizari adhuc ex consensu Principis Christiani, cui parentes sint subditi, absque iniuria in ipsos. Quòd autem infantes nequeant à parentibus separari, vt baptizentur, probatur; quia parentes Iure naturali parentum habent potestatem habendi curam filiorum non vtentium ratione, & eos secum habendi, & educandi, vt ex se patet; & ea potestate, dum baptizati non sunt, nequeunt à suis Principibus priuari, quia nolint filios suos baptizari, quia id nequeunt Principes vt superiores humani, generali ratione superiorum humanorum: quia vt sic non habent potestatem emendandi, corrigendi, & puniendi abusum patriæ potestatis, nisi quando parentes ea abutuntur, quoad ea quæ sunt contra pacem & gubernationem exteriorem & ciuilem, imbuendo filium prauis moribus contra dictam pacem, quia tantùm in ordine ad hanc habent iurisdictionem, & non habent potestatem corrigendi & puniendi abusum patriæ potestatis erga filios quoad Baptismum, & quoad fidem Christianam, nolendo filios suos baptizari, & eos imbuendo erroribus contra fidem; sicut neque vt superiores humani possunt adultis præcipere Baptismum, neque fidem, neque vt filios baptizent, neque ad ea cogere, neque eorum omissionem punire: neque id possunt Principes ex commissione aliqua Christi, quia non constat Christum id illis commisisse; imò potiùs voluit fidem suam absque læsione aliqua iuris iustitiæ propagari, ne inde magna sequeretur perturbatio, ob quam fides ipsius redderetur infidelibus inuisa.

Ex quo patet ad posteriorem partem rationis aduersariorum. Et ad priorem cõcedimus, quemlibet, etiam priuatam personam, posse subuenire infanti quem pater vellet occidere, aut quẽ nollet à periculo mortis liberare, etiam eripiendo illum à potestate patris: quia sicut innocenti licitum est iure suæ defensionis, vt se ab aggressore defendat, ius aggressoris infringere, quando ad sui defensionem necessarium est; ita etiam cuicumque alteri, in fauorem innocentis; non verò, quando infanti nulla fit iniuria, vt verè non fit, ex eo quòd non permittatur à patre baptizari, cùm id infans neque petat neque cupiat, neque illi fit iniuria ex eo, quòd erroribus contra fidem imbuatur, nisi cogatur ad id.

Vasquez. Ægidius. Obseruandum tamen est Primò, vt optimè Vasquez & Ægidius, infantem in extrema necessitate constitutum, de cuius vita desperatum est, posse licitè baptizari inuitis parentibus, & in eorum præsentia, & quamuis non sint subditi Principi Christiano, quia tunc non est necessarium quòd extrahatur & separetur à parentibus (ad quod est necessaria auctoritas publica) cùm tunc in infante ob instantem mortem ante vsum rationis nullum sit periculum apostasiæ ex consortio parentum, & tunc solùm obstet, infantes inuitis parentibus baptizare, quando ad hoc, ob dictum periculum apostasiæ, necessarium sit illos à parentibus separare; quia parentibus tantùm fit iniuria in separatione, & non immediatè in eo quòd infantes illis inuitis baptizentur, quia ipsi non habent ius, vt ipsi soli curent de salute spirituali infantium, quia id etiam possunt reliqui; sed tantùm, vt nullus id efficiat lædendo patriam potestatem modo dicto, neque per vim ingrediendo domos eorum: ac postquam quis admissus est pacificè in eorum domibus, poterit infantem moribundum baptizare, etiam repugnantibus parentibus. Quòd autem parentes ob id passiuè scandalizentur, sumendo occasionem conijciendi conuitia in fidem & religionem Christianam, & vtendi circa infantem cerimonijs Iudaicis aut Mahumetanis in opprobrium Baptismi, non impedit vt licitè baptizari possit, quamuis tale scandalum oriatur ex ignorantia, aut ex fragilitate; quia Baptismus est omnino necessarius illi infanti, & ipsi ministro incumbit obligatio ex misericordia illum baptizandi, quæ non sunt dimittenda ob scandalum passiuum adhuc pusillorum.

Ex dictis deducitur, quòd si contingat infantem ita esse separatum à cura parentum, quamuis iniustè, vt iam non sit spes quòd restituetur parentibus, posse licitè baptizari, quamuis parẽtes sciant, & repugnent, quia etiam tunc non est necessarium separare infantem à parentibus; neque ob Baptismum impedietur ad parentes redire, quia aliàs impediendus est, vt supponimus: quod verum est, quamuis parentes non sint subditi Principi Christiano, qui habeat publicam potestatem in illos, quia hæc tantùm est necessaria ad priuandum parentes subditos patria potestate, separando infantem ab illis, & impediendo reditum ad illos; in casu autem posito non est necessarium separare infantem à parentibus, neque impedire reditum ad illos.

Obseruandum est Secundò, ita necessarium esse consensum parentum ad licitè baptizandum infantem, vt sufficiat consensus vnius, adhuc matris; in quo Doctores conueniunt, & significatur in Concilio Toletano IV. Can. 62. quia quilibet habet ius sufficiens ad educandum filium, & non maius est in viro quàm in femina, ac proinde consensus volentis infantem baptizari, quamuis fœminæ, præualere debet, quia vult infantem benè educari; quod alter nequit legitimè impedire, etiamsi, quando cetera sint paria, consensus viri præualere debeat. *Concil. Tolet. IV.*

Quòd si infantes orbati sint vtroque parente, quamuis sub curatoribus sint, possunt illis inuitis licitè baptizari ex consensu Principis, quia curatores non habent Iure naturali potestatem curandi minores & pupillos, sicut habent parentes, sed tantùm Iure ciuili, in quo Princeps dispensare potest: imò tunc Princeps ipse habet supremam potestatem curatoris pupillorum, ex quo inferiores illam accipiunt, ac proinde ex consensu illius adhuc tantùm interpretatiuo, absque dispensatione, poterit infans licitè baptizari.

Obseruandum est Tertiò, quemlibet puerum, cùm peruenit ad perfectum vsum rationis, sufficientem ad peccandum mortaliter, ita esse dominum sui, vt possit inuitis parentibus licitè baptizari; in quo Doctores conueniunt: dissentiunt tamen, An, quando est dubium an peruenerit ad perfectum vsum rationis, & non sit in extrema necessitate, possit inuitis parentibus licitè baptizari.

Sotus in 4. dist. 5. quæst. vnica, art. 10. docet, posse licitè baptizari ob fauorem fidei & religionis Christianæ. *Sotus.*

Vasquez. Ægidius. Vasquez verò n. 36. & Ægidius n. 61. docēt, tunc non posse licitè baptizari, sed differendum esse Baptismum vsquequò constet de pleno vsu rationis, & meritò: quia in dicta dilatione nullum est periculum, & in festinatione adest vel peruersionis, si baptizatus relinquatur apud parentes, vel faciendi contra patriam potestatem. Et eodē modo differendus est in dicto dubio, quando parentes puerum renitentem offerunt ad Baptismum: quia tunc in baptizādo illum, est periculū irritandi Sacramentum Baptismi ex defectu consensus pueri, si fortè præditus est perfecto vsu rationis, & apostasiæ in ipso; in differendo verò Baptismum, nullum est periculum. Quòd si dictus puer sit in extrema necessitate, baptizandus est; quia tunc in non baptizando illum, est periculum negandi illi necessaria ad salutem æternam, contra misericordiam spiritualem; quod est magis vitandum quàm periculum irritationis Sacramenti contra Religionem, & apostasiæ contra fidem, quamuis religio & fides sint meliores virtutes, quàm misericordia spiritualis: quia cùm Sacramenta instituta sint à Christo in vtilitatem spiritualem hominum, potiùs habenda est ratio extremæ necessitatis fratris, quàm reuerentiæ debitæ Sacramentis. & quàm periculi apostasię, cùm apostasia futura sit ex propria voluntate pueri baptizandi.

Vasquez. Ægidius. Obseruandum est Quartò, vt optimè Vasquez & Ægidius, extra extremam necessitatem non fuisse licitum in lege naturæ, infantes infidelium Gentilium inuitis parentibus Deo offerre, seu consecrare, remedio legis naturæ; quia etiam tunc erat necessarium illos separare à parentibus ob periculum peruersionis ex consortio parentum, & peruersione amittendi habitum fidei & sanctitatis. Et ob eamdem rationem posteà in lege veteri non erat licitum circumcidere infantes infidelium inuitis eorum parentibus, vtendo circumcisione vt remedio legis naturæ ad iustificationem. Et quamuis esset illicitum, ipsis inuitis eorum paruulos circumcidere, vtendo circumcisione vt cærimonia Iudaica, sed non ob prædictum periculum; quia vt sic non iustificabat, sed tantùm ratione vulneris, quia dicti infantes non erant necessariò ex lege circumcidendi.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm infantes filij non baptizatorum seruorum possint licitè inuitis parentibus à domino baptizari.

Capreolus. Marsilius. Caietan. Catherin. CApreolus in 4. dist. 5. quæst. 1. art. 3. Marsilius quæst. 4. dub. 2. Caietanus q 68. art. 10. & Catherinus in Opusculo de Pueris Iudæorum recipiendis ad Baptismum, docent, infantes filios non baptizatorum seruorum, seu mancipiorum, non posse à dominis, neque ex eorum licentia, licitè baptizari inuitis parentibus, quia infantes Iure naturali subditi sunt parentibus quoad educationem, & Iure diuino quoad Baptismum & salutem spiritualem: his autem Iuribus nequit derogare Ius ciuile, ex quo solo conuenit dominis potestas in seruos. Accedit, quòd Ecclesia notabitur, quòd violenter contra voluntatem parentum baptizet infantes.

Durandus. Sotus. Durandus verò in 4. dist. 4. quæst. 6. & 7. Sotus dist. 5. quæst. vnica, art. 10. Vasquez disp. 155. cap. 4. Ægidius quæst. 68. artic. 10. dub. vnico, & communiter recentiores docent, infantes non baptizatorum mancipiorum posse inuitis parentibus à dominis, aut ex ipsorum licentia, licitè baptizari, & meritò: quia dominus potest eos infantes (quamuis isti fortè non sint mancipia) à parentibus separare, ergo tunc poterunt licitè à domino, aut ex ipsius licentia baptizari, si aliàs sufficiens cautela adhibeatur, vt quando adulti nequeant à parentibus conueniri & peruerti. Consequentia patet, quia tunc in ea separatione nulla fit iniuria parentibus, quia eam potest dominus iure dominij licitè efficere, & sola iniuria separationis infantium à parentibus id posset illicitum reddere, quando necessaria esset ad vitandum periculum peruersionis filiorum: & ob id, vt optimè Vasquez & Ægidius contra nonnullos, dicti infantes possunt, antequam ab ipsis separentur parentes, his inuitis licitè baptizari (dummodò antequam peruerti possint, sufficienti cautela separentur) quia parentibus nulla fit iniuria in eo præcisè quòd ipsis inuitis baptizentur, etiam dum non sunt separati, quia parentes non habent ius, vt ipsi soli, quamuis secum habeant filios, curam gerant Baptismi & salutis spiritualis eorum, & vt impedire possint Baptismum, qui ab alijs intenditur, ministrari ipsorum infantibus: quia non habent Ius naturale ad id, vt patet; neque diuinum, quia de eo non constat. Imò neque habent Ius naturale, vt ipsi soli educent filios, & eos instruant adhuc in rebus pertinentibus ad pacem & gubernationem exteriorem, neque vt impediant alios emendare in filijs id in quo errant quoad dictam pacem & gubernationem: quia quicumque, adhuc priuata auctoritate, id emendare potest, & eos instruere, dum non cogat parentes ab illis separari, neque eorum domos vi ingrediatur. Et idem ob rationem dictam dicendum est, quando infantes sunt serui & mancipia, quamuis parentes serui non sint, quòd scilicet possint licitè inuitis parentibus baptizari; quia scilicet licitè possunt extrahi à cura parentum, eos à parentibus separando; & meliùs, ac quando parentes sunt serui, & infantes liberi.

Vasquez. Ægidius. *Vasquez. Ægidius.*

Ex quo constat ad rationem aduersariorum. Quòd verò apud ignorantes, siue baptizatos siue non baptizatos, aliqua nota contra Ecclesiam generetur, ex eo quòd infantes inuitis parentibus baptizentur, curandum non est; quia Baptismus est magnæ considerationis, & ea nota absque ratione, imò contra rationem generabitur. Verum est, aliquando ex Baptismo dictis parentibus inuitis facto, tale incommodum, quamuis extrinsecum, oriri posse, vt non liceat sic fieri, quod iudicio prudentis expendi debet.

Ita tamen licitum est dominis dictos infantes adhuc inuitis parētibus baptizare, vt etiam teneantur ad id non tantùm in extrema necessitate, sed etiam extra eam. Quod manifestùm videtur de infantibus separatis à parentibus, quia tunc dominis incumbit obligatio eos educandi, ac proinde eos baptizandi, orta ex præcepto Ecclesiastico, pertinens ad virtutem religionis: imò ex misericordia tenentur ad non restituendos infantes seruos parentibus infidelibus liberis (vt quādo infantes in bello aut aliter capiuntur absque parentibus) ob periculum, in quo constituuntur vt decipiantur, &

vt

vt decepti sectam parentum amplectantur. Quando verò infantes coniuncti sunt parentibus seruis, obligatio est ex misericordia in dominis, separandi infantes antè quàm veniant ad vsum rationis ob dictum periculum. Quamdiu tamen infantes coniuncti sunt parentibus, non incumbit dominis obligatio eos infantes baptizandi, quia non obligatio ex religione, quia ex hac virtute tantùm tenentur, quamdiu eis incumbit obligatio educandi illos, neque dominis incumbit obligatio emendandi errorem parentum quoad Baptismum, & educationem spiritualem infantium. Ita tamen domini ad prædicta tenentur, vt possint à dicta obligatione etiam misericordiæ excusari ratione alicuius grauis incommodi, quod etiam arbitrio prudentis expendi debet.

Sed quæres, An Iudæi sint serui & mancipia Principum in quorum regnis habitant, an verò liberi, & ciues.

Durandus. Caietan. Durandus in 4. dist. 4. quæst. 6. & Caietanus quæst. 68. art. 10. docent, Iudæos esse verè seruos Principum in quorum regnis habitant, quia ob mortem Christo illatam meruerunt libertatem amittere, & eam de facto amiserunt per Titum & Vespasianum.

Vasquez. Vasquez verò cap. 5. & Sotus in 4. dist. 5 quæst. vnica, art. 10. docent, & meritò, non esse seruos, *Sotus.* sed verè liberos, & ciues politicè & ciuiliter tantùm subiectos. Quod significat Innocentius III. *Innoc. III.* in cap. *Et si Iudæos*, de Iudæis & Sarracenis. Et id experientia ipsa demonstrat, quia verè tractantur vt ciues, quia permittuntur ire quò volunt, & bona habere, & sibi negotiari, quamuis non semper permittantur quæcumq; genera bonorum habere, quia sic expedit Reipublicæ, & regulariter nullum peculiare seruitium neque tributum exhibent.

Et quamuis ob mortem Christo illatam digni fuerint vt in seruitutem redigerentur, qui eam Christo intulerunt, & qui ei consenserunt, non tamen alij qui id ignorarunt: imò & illi quamuis digni fuerint redigi in seruitutem, de facto tamen non sunt ab aliquo in seruitutem redacti, neque à Tito & Vespasiano, quia id nullo fundamento constat.

DISPVTATIO IV.

De effectibus Baptismi.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm per Baptismum remittantur omnia peccata.

ERROR est hæreticorum nostri temporis, qui, secuti Proclum Origenistam, affirmant per Baptismum non tolli & eradicari peccata, sed tantùm radi, tegi, & desinere imputari à Deo (quod generaliter docent de omni remissione peccatorum, etiam de ea quæ fit quocumque alio Sacramento, & extra Sacramentum) quod deduci videtur ex Paulo, qui ad Roman. 7. concupiscentiam, seu fomitem peccati, appellat peccatum, & tamen manet post Baptismum, ergo per Baptismum verè non tolluntur peccata.

De Fide tamen est, per Baptismum verè tolli & eradicari peccata omnia, tam originale quàm actualia. Quod specialiter definitur, & oppositus *Trident.* error specialiter damnatur in Tridētino sess. 5. decreto de Peccato originali, & supponitur sess. 14. *Eugen. IV.* cap. 1. & idem etiam definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, §. *Primum omnium.* dum ait: *Huius Sacramenti*, nempe Baptismi, *effectus est remissio omnis culpæ originalis & actualis.* Et id con- *Symbolum Nicænum.* tinetur in Symbolo Nicæno in illis verbis: *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum*, & exprimitur in Scriptura ad Ephes. 5. dum dicitur: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi*, ac proinde verè expertem omnis culpæ, quia si maculæ peccatorum verè manerent post Baptismū, quamuis tectæ, baptizatus non diceretur mundatus, sed sepulchrum dealbatum, immunditijs plenum. Et etiam Act. 2. *Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrùm in remissionem peccatorum.* vbi generaliter est sermo de peccatis, nullo excepto, & de vera remissione, cùm locutio sit absoluta.

Concupiscentia autem quæ post Baptismum manet, dicitur à Paulo peccatum, non quia verè sit culpa, & verè peccatum, sed quia oritur à peccato, & quia ad peccatum inclinat, vt exponit Tri- *Trident.* dentinum decreto de Peccato originali.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm per Baptismum etiam remittatur tota pœna peccatis debita.

CONueniunt Doctores, per Baptismum remitti totam pœnam peccatis etiam actualibus debitam. Quod definitur ab Eugenio IV. in *Eugen. IV.* suo Decreto, §. *Primum omnium*, dum ait: *Huius Sacramenti effectus est remissio omnis culpæ originalis, & actualis, omnis quoq; pœnæ quæ pro ipsa culpa debetur.* Et in Tridētino sess. 5. Decreto de Pecca- *Trident.* to originali, si rectè expendatur. Et id supponitur sess. 6. cap. 14. quod ex perpetua Ecclesiæ traditione constat: & deducitur ex perpetuo vsu Ecclesiæ, non iniungentis baptizatis pœnitentiam aliquam in satisfactionem pro peccatis ante Baptismum commissis.

Quando autem dicimus, totam pœnam omnibus peccatis debitam auferri per Baptismum, non loquimur de pœnalitatibus quæ peccatum primi parentis, & originale in nobis ex illo contractum sequuntur indirectè, vt fames, sitis, morbus, mors, & alia, à quibus aliàs peculiari Dei prouidentia liberaremur, si non fuissent prædicta peccata, quia pœnalitates istæ non auferuntur per Baptismum, vt experiētiâ constat; sicut neque sunt pœnæ directè inflictæ ob dicta peccata: sed tantùm loquimur de pœna, quæ per se & directè debita est ob peccata quę Baptismo remittuntur, quia tota hæc aut tota dignitas ad illam per Baptismum semper

semper aufertur, quamuis non semper per Sacramentum Pœnitentiæ, quod Christus voluit, & instituit valdè congruenter diuinæ iustitiæ, quia huic maximè congruit, vt totam pœnam in Baptismo condonet, quamuis aliquando iustè posset aliquid illius exigere, quia peccata infidelium vt plurimùm committuntur ex ignorantia (quamuis vincibili) non verò peccata iam baptizatorum. *Trident.* Et id tantùm voluit Tridentinum sess. 14. c. 8. dum dictum discrimen inter Baptismum & Pœnitentiam reducere videtur ad exigentiam diuinæ iustitiæ, id est, in magnam congruentiam ipsi diuinæ iustitiæ.

Vasquez. Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez disp. 156. c. 4. non semper ex vi iustificationis in Baptismo factæ remitti totam pœnam peccatis debitam, sicut neque ex vi iustificationis factæ in Sacramento Pœnitentiæ, quia gratia iustificans in vtroque collata est eiusdem rationis, & dispositio ad illam in vtroque potest esse eadem, & peccata in vtroque remittenda possunt esse eiusdem rationis, & æqualia: imò contingere potest, quòd dispositio in Baptismo sit minor, & quòd peccata in eo remittenda sint plura & maiora; sed remissionem totius pœnæ, quæ aliquando nequit tota vi iustificationis remitti, compleri ex opere operato, & ex condonatione Dei, sicut etiam per Sacramentum Pœnitentiæ aliquid pœnæ debitæ remittitur ex opere operato, & ex condonatione Dei, vt dicimus Tractatu de Pœnitentia Disp. XIV. Diffic. XI.

DIFFICVLTAS III.

Quosnam alios effectus conferat Baptismus.

COnueniunt Doctores, tam paruulis quàm adultis per Baptismum conferri gratiam habitualem, & virtutes infusas, saltem Theologicas. *Eugen. IV.* Et in primis, paruulis gratiam habitualem conferri, negari non potest: quia ab Eugenio IV. in suo Decreto generaliter definitur, Sacramenta nouæ legis (inter quæ numerat Baptismum) gratiam conferre. *Trident.* Quod etiam definitur in Tridentino sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere. Et specialiter, quòd Baptismus conferat paruulis gratiam, per quam deleatur originale, definitur sess. 5. decreto de Peccato originali; quod etiam constat ex eo, quòd paruuli per Baptismum non minùs redduntur immaculati, quam adulti, vt constat ex dictis Diffic. 1. quod nequit fieri absque gratia iustificante. In paruulis autem nulla alia gratia iustificans excogitari potest, quàm gratia habitualis, & permanens; ergo negari non potest, paruulis per Baptismum gratiam habitualem conferri.

Deinde, adultis gratiam habitualem per Baptismum conferri, quamuis non sit ita certum ac conferri paruulis, quia adulti sunt capaces gratiæ actualis ex se iustificantis, nempe actus contritionis, & cuiuscumque alius actus charitatis, quo iustificari possunt; dubitandum non est, etiam illis gratiam habitualem per Baptismum conferri, non solùm quando attritione disponuntur, quia tunc nulla alia forma iustificans per Baptismum collata excogitari potest qua iustificentur, quàm gratia habitualis; sed etiam quando disponuntur contritione perfecta, qua possunt formaliter iustificari, quia etiam tunc per Baptismum non confertur contritio illa, neque alius actus charitatis, & tamen per Baptismum semper confertur gratia iustificans non ponentibus obicem.

Gratiæ autem habituali per quodcumque Sacramentum collatæ annexam esse à Deo collationem auxiliorum gratiæ, conducentium ad peculiarem finem illius Sacramenti, ex vi cuius gratia habitualis collata est, ratione cuius dicitur Sacramentalis, dicimus Tract. de Sacramentis in genere, Disp. III. Difficul. III. ac proinde gratiæ habituali per Baptismum collatæ annexa est collatio auxiliorum conducentium ad dignè suscipienda reliqua Sacramenta, & ad seruanda præcepta Christi, & ad Christianè viuendum, ad quod Baptismus peculiariter ordinatur.

Et diuersis paruulis per Baptismum æqualem gratiam habitualem conferri, & etiam per quodcumque aliud Sacramentum, cuius sunt capaces, & non maiorem vni quàm alteri; & diuersis adultis æqualem aut inæqualem conferri pro æqualitate aut inæqualitate dispositionis, & etiam eidem, quando repetit receptionem eiusdem Sacramenti, dicimus eodem Tractatu & Disput. Diffic. V.

Quod verò attinet ad habitus infusos fidei & spei, nondum est definitum per Baptismum infundi & conferri: est tamen traditum, vt probabilius, in Concilio Viennensi sub Clemente V. & refer- *Concilium Viennense.* tur in Clementina vnic. de Summa Trinitate & fide Catholica. Quando verò in Tridentino sess. 6. c. 7. dicitur in iustificatione adulti (per Baptismum videlicet facta, de qua ibi est sermo) cum remissione peccatorum hominem accipere simul infusas, fidem, spem, & charitatem. Per fidem & spem non intelligit habitus saltem determinatè, sed intelligit actus, & ad summum actus vel habitus indiscriminatim, quia in adulto, qui iustificatur per Baptismum, est necessarius actus fidei, & etiam actus spei (qui etiam dicuntur à Deo infundi ratione auxilij prærequisiti, quod Deus in nobis sine nobis operatur:) per charitatem verò intelligit aliquid permanens, quod non potest esse nisi qualitas, & non quæcumque nisi habitus; quia in dicta iustificatione non interuenit necessariò actus charitatis. Particula autem *simul* vel idem est quod *pariter*, quia omnia illa accipit adultus in iustificatione; vel idem est quod *simul tempore*, non quòd in eodem instanti necessario infundantur, sed in toto eo tempore à quo prima præparatio incipit, quia in eo tempore adultus recipit fidem, spem, & charitatem, & regulariter priùs tempore fidem, deinde spem, & tandem habitum gratiæ & charitatis, vt indicatur in Tridentino eis sequentibus verbis: *Nam fides, nisi ad eam spes accedat & charitas.* In quibus verbis, & in multis alijs eiusdem & sequentis capitis, per fidem & spem actus, non habitus denotantur. De quo videndus est Vasquez 1. *Vasquez.* 2. disp. 203. c. 9.

Et quod per Baptismum etiam producatur character in anima, dicimus dicto Tractatu Disputatione III. Difficultate X.

Alij verò effectus falsò tribuuntur Baptismo ab hæreticis, Primò, quòd Baptismo reddantur homines impeccabiles, aut saltem indamnabiles, quamuis peccent, dum ab Ecclesia Catholica non discedant. Secundò, quòd baptizatis non imputetur ad culpam, neque noceat quòd legem Dei transgrediantur. Tertiò, quòd baptizati nequeant obligari lege aliqua Ecclesiastica. Quartò, quòd

vota

vota à baptizatis emissa fint irrita, & nullius valoris. Quintò, quòd baptizati solâ memoriâ baptismi iustificentur. De quibus contra hæreticos vi-
Vasquez. dendus est Vasquez disp. 156. c. 6.

DIFFICVLTAS IV.

An ad effectum Baptismi percipiendum requiratur aliqua contritio peccatorum.

NOmine contritionis intelligimus displicentiam & detestationem peccati, prout abstrahit sub disiunctione à displicentia pura, quæ non est formaliter dolor, sed radix illius; & à displicentia dolorosa orta ex dicta pura displicentia. Intelligimus autem vnam vel alteram sub disiunctione, quia ad effectum Baptismi eodem modo sufficit aut non sufficit vna & altera: & vtraq; potest appellari dolor, quia posterior est dolor formaliter, & prior est dolor radicaliter, & in viatoribus ad displicentiam puram regulariter sequitur displicentia dolorosa.

Hoc ergo supposito, difficultas hæc tantùm procedit de contritione requisita ad gratiam iustificantem percipiendam, quia ad recipiendum characterem certum est nihil aliud requiri, quàm id quod requiritur ad valorem Baptismi, quia qui validè baptizatur, eo ipso insignitur charactere baptismali: & solùm procedit de contritione requisita ad gratiam iustificantem in adultis, qui sunt, aut aliquando fuerunt sui compotes; quia in paruulis, & in amentibus, qui numquam fuerunt sui compotes, nulla fuit requisita à Christo dispositio, vtpote incapacibus illius: & procedit de adultis, in quibus non tantùm est peccatum originale, sed etiam actuale mortale, quia in eis, in quibus est originale absque actuali mortali (vt contingere potest) ad iustificationem ab originali per Baptismum suscipiendam nulla requiritur contritio, & nulla retractatio, sicut neque propria voluntate peccarunt; quamuis ad id requiratur in illis fides, sine qua impossibile est adultos placere Deo. Quò spectat illud Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* & in eis etiam requiratur spes, qua confidant virtute Baptismi sibi remittenda esse peccata à Deo, vt significatur in Tridentino sess. 6. c. 7. sicut etiam requiritur ad iustificationem medio Sacramento Pœnitentiæ.

Est ergo difficultas, An in adultis, qui mortaliter peccarunt, ad recipiẽdam per Baptismum gratiam iustificantem, requiratur aliqua contritio & pœnitentia peccatorum actualium mortalium.

Caietan. Caietanus q. 86. art. 2. ad 1. docet, ad id etiam in dictis adultis non requiri formalem aliquam & expressam contritionem peccatorum mortalium, sed sufficere voluntatem suscipiendi Baptismum (quæ in adultis etiam non habentibus peccatum actuale requisita est ad valorem Baptismi, non tamquam pars essentialis, sed tamquam quid præ-
Ledesma. uium) quòd probabile censet Ledesma 1. p. quarti, q. 10. art. 9. dub. 1. quia voluntas suscipiendi Baptismum est virtualis quædam contritio & pœnitentia peccatorum, quia Baptismus suscipitur ad remissionem & destructionem peccatorum; ad id autem sufficiens videtur dicta contritio & pœnitentia virtualis. Quod etiam probabile existimat Ægidius q. 62. artic. 1. n. 36. de voluntate suscipiendi Baptismum orta ex actu spei. Ægidius.

Vasquez verò d. 158. c. 3. Suarez d. 28. sect. 1. & communiter Doctores docent, ad percipiendam gratiam iustificantem per Baptismum in adulto, qui peccauit mortaliter, requisitam esse formalem & expressam cõtritionem peccatorum. Quod definitum videtur à Tridentino sess. 6. c. 6. dum ait, ante Baptismum necessariam esse pœnitẽtiam, quæ est motio aduersus peccata per odium & detestationem. vbi absque dubio fermo est de pœnitentia, odio & detestatione formali, vt verba ipsa præseferunt. Quod expressisse videtur Paulus Actorum 2. illis verbis: *Pœnitemini, & baptizetur vnusquisque vestrùm.* quibus verbis Paulus plus exigebat, quàm voluntatem suscipiendi Baptismum, quia hanc sufficienter exigebat verbis illis, *baptizetur vnusquisque vestrùm.* Vasquez. Suarez. Trident.

In eo tamen qui tantùm peccauit venialiter, (vt etiam contingere potest) nõ est necessaria contritio ad percipiendam gratiam iustificantem per Baptismum, etiamsi ad iustificationem ab eo veniali requiratur contritio illius, quia nullum peccatum actuale remittitur in Sacramento aliquo absque præuia contritione & detestatione.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm ad gratiam iustificantem per Baptismum percipiendam in eo qui peccauit mortaliter, sufficiat contritio imperfecta.

GAbriel in 4. dist. 4. q. 2. artic. 2. & Petrus Sotus de Institutione Sacerdotum lect. 4. de Baptismo §. *Vltimo tandem*, docent, ad percipiendam gratiam iustificãtem in eo qui peccauit mortaliter, necessariam esse contritionem perfectam. Quod tradere videtur Tridentinum sess. 6. cap. 6. dum ait, ante Baptismum necessariam esse pœnitentiam seu detestationem peccatorum, & significat eam oriri ex dilectione Dei, vt constat ex verbis antecedentibus; pœnitentia autem & contritio peccatorum ob dilectionem Dei est contritio perfecta. Et ratione probari potest, quia homo per peccatum mortale auertitur à Deo vltimo fine, & conuertitur ad peccatum, & ad obiectum peccati; ergo vt iustificetur, & mundetur ab illo, adhuc per Baptismum necessaria est contritio, qua auertatur ab illo, & conuertatur ad Deum; sed sola contritione perfecta auertitur homo à peccato, & conuertitur ad Deum, ergo ad iustificationem ab illo percipiendam per Baptismum necessaria est contritio perfecta. Gabriel. Sotus. Trident.

Vasquez verò d. 158. c. 3. & 4. Suarez d. 28. sect. 2. Ægidius q. 62. art. 1. dub. 2. & communiter Doctores docent, ad percipiendam gratiam iustificantem per Baptismum in eo qui peccauit mortaliter, non esse necessariam contritionem perfectam, sed sufficere imperfectam (quæ dicitur attritio) & meritò: quia remissio peccatorum, etiam actualium, est effectus Baptismi, vt definit Eugenius IV. in suo Decreto, §. *Primum omnium.* & habetur Actorum 2. dum dicitur: *Baptizetur vnusquisque vestrùm in remissionem peccatorum*, & c. 22. dum dicitur: *Baptizare, & ablue peccata tua.* vbi nomine *peccatorum*, & nomine *peccata tua*, etiam significa- Vasquez. Suarez. Ægidius. Eug. IV.

significantur actualia, quia originale vniuscuiusque tantùm est vnum; ergo ad remissionem peccatorum etiam actualium, & ad gratiam ab illis iustificantem percipiendam per Baptismum, non requiritur contritio perfecta, quia per hanc ante Baptismum præsupponeretur collata gratia iustificans, & facta remissio peccatorum, quia contritio perfecta sufficiens est ad remissionem peccatorum, vel tamquam forma, vel tamquam dispositio proxima & infallibilis.

In Tridentino autem cap. illo 6. vbi sermo est de pœnitentia & detestatione prærequisita ad Baptismum, nomine pœnitentiæ & detestationis non intelligitur perfecta cõtritio, sed attritio, vt ostendit Vasquez 1. 2. disp. 203. c. 9. Neque obstat, sermonem esse de pœnitentia orta ex dilectione Dei; quia tantùm est sermo de pœnitentia orta ex dilectione concupiscentiæ, qua peccator incipit sibi concupiscere Deum, vt principium & fontem iustitiæ, & sanctitatis, & remissionis peccatorum; ex qua regulariter tantùm oriri potest contritio imperfecta, imò hæc quamuis regulariter oriatur ex dicta dilectione, tamen non exigit ex illa oriri.

Vasquez.

Ad rationem verò respondemus, quòd quamuis ad iustificationem extra Sacramentum adhuc à peccato originali, sit necessaria perfecta conuersio in Deum, quia extra Sacramentum nullum aliud est medium ordinarium iustificationis, non tamen est necessaria ad iustificationem faciendam per Baptismum, quia Baptismus ex Christi institutione supplet defectum illius ex eo ipso, quòd institutus est in remissionem peccatorum.

Ita tamen sufficit contritio imperfecta, seu attritio, ad iustificationem per Baptismum, vt non sit necessarium, quòd virtute Baptismi excitetur contritio perfecta, per quam fiat iustificatio, quia semper per Baptismũ, præsupposita fide, & spe, & attritione, fit iustificatio, & tamen non semper excitatur contritio perfecta, vt experientiâ constat. Et sanè ex opposito fieret, moribundum, quamuis petierit Baptismum, & fuerit attritus, credens & sperans, si in amentiam incidat, superfluè & absque fructu gratiæ (ac proinde illicitè) baptizari, quia in eo excitari nequit contritio perfecta.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm attritio ad gratiam in adulto qui peccauit mortaliter, sufficiens debeat esse existimata contritio, & non sufficiat attritio scita.

Nauarrus. Corduba.

NAuarrus c. 1. n. 39. Corduba lib. 1. q. 2. partem affirmatiuam tuentur, quia ex vna parte Tridentinum sess. 6. c. 6. & non pauci Patres ad gratiam & remissionem peccatorum ab adultis percipiendam per Baptismum videntur requirere dolorem de peccatis, ortum ex dilectione Dei; & ex altera parte Baptismus vi sua aliquando abluit peccata actualia, quod fieri non potest, si contritio prærequiratur, quia per hanc supponentur abluta; ergo vt minimùm prærequiritur attritio, quæ existimetur contritio.

Vasquez. Suarez. Ægidius.

Vasquez verò disp. 158. cap. 4 Suarez dist. 28. sect. 2. Ægidius q. 62. art. 1. dub. 2. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia dicta existimatio non est dispositio adhuc partialis ad gratiam percipiendam, quia est error quidam, ac proinde indecens, vt à Christo institueretur in dispositionem ad gratiam; neque attritioni, quæ est sufficiens dispositio, aliquid boni positiui affert, quo attritio perficiatur, cùm sit error: neque est necessaria, vt excuset baptizandum à peccato aliquo, quod committeret non accedendo ad Baptismum cum contritione perfecta, quasi ex præcepto religionis teneatur accedere in statu gratiæ, quia verè nullum est præceptum sic accedendi, quia non est præceptum aliquod positiuum, quia de eo non constat, neque est præceptum aliquod naturale; quia si aliquod, maximè naturale diuinum ortum ex natura Baptismi, suppositis eius institutione, vt quis dignè ad illum accedat: sed non est tale præceptum, quia Baptismus institutus est pro spiritualiter mortuis, ac proinde ad illum non accedit indignè, qui accedit scienter mortuus & peccator, si aliàs accedit cum dispositione sufficiente ad effectum illius; infirmus enim, quamuis sciat esse infirmus, prudenter accedit ad medicinam, si aliàs accedit cum dispositione sufficiente ad effectum medicinæ. Et sanè si existimatio illa tantùm deseruiret vt baptizandus excusaretur à peccato contra præceptum aliquod contritionis, quod esset accedendi cum illa, verè non esset necessaria, quia ad eam excusationem sufficeret ignorantia aut inconsideratio inuincibilis talis præcepti.

Ad rationem ergo aduersariorum constat ex dictis Diffic. v. Tridentinum (& idem est de Patribus) ad gratiam Baptismi non prærequirere dolorem ortum ex amore amicitiæ Dei, sed tantùm dolorem, qui regulariter oritur ex amore concupiscentiæ Dei, vt fontis iustitiæ, qui potest esse attritio.

DIFFICVLTAS VII.

Quæ & qualis attritio sufficiat ad gratiam Baptismi in adulto qui peccauit mortaliter.

CIrca naturam & qualitatem attritionis sufficientis, & vt minimùm prærequisitæ ad gratiam remissiuam peccatorum in adulto qui peccauit mortaliter, percipiendam per Baptismum, dicendum est, eam attritionem, & talem sufficere, & vt minimùm prærequiri, quam & qualem dicimus sufficere & prærequiri ad gratiam remissiuam peccatorum per Sacramentum Pœnitentiæ percipiendam, quia eadem & similis absque dubio sufficit & prærequiritur ad gratiam remissiuam peccatorum per vtrumque Sacramentum percipiendam.

Iuxta ea ergo, quæ dicemus Tractatu de Pœnitentia Disp. VI. circa naturam & qualitatem attritionis ad gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ percipiendam sufficientis, & vt minimùm prærequisitæ, dicendum est, ad gratiam remissiuã peccatorum per Baptismũ in adulto qui peccauit mortaliter, requiri attritionem & dolorem de peccatis, & non sufficere attritionem & dolorem de carentia & defectu doloris, & requiri attritionem & dolorem de omnibus mortalibus factis ante Baptismum nondum remissis per contritionem, aut per alium actũ charitatis, siue expressè de omnibus, siue ex motiuo cõprehendente omnia illa. Et quãnis ad

ad dictum effectum sufficiat attritio concepta ex motiuo & malo æterno (id est pertinente ad alteram vitam) vt ex turpitudine & malitia peccatorum, & ex pœna alterius vitæ, non tamen esse necessarium concipi ex tali motiuo, sed sufficere concipi ex motiuo & malo temporali, tamen respiciente Deum vt inflictorem illius mali, vt ex motiuo infamiæ, vel ex motiuo nocumenti salutis: quia attritio ex motiuo mali, vt sic, verè est ob pœnam diuinam, quæ tantùm potest esse motiuum ad dolendum de peccato, & non de bono opere, & est potens excludere affectum peccandi, quia Deus eo malo punit peccatum, & non opus bonum: & prærequiri attritionem ita perfectam, & firmam de peccatis, vt excludat voluntatem peccandi similia peccata, imò includat implicitè propositum non committendi similia peccata, quod propositum absque expresso sufficit, etiamsi peccata memoriæ occurrant, quamuis quando occurrunt memoriæ, & attritio est firma & perfecta de peccatis præteritis, vix possit attritus contineri ab expresso proposito non committendi similia peccata. Et quamuis requisita sit attritio ex auxilio gratiæ procedens, non tamen requiritur attritio supernaturalis quoad substantiam.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Baptismus fictè susceptus, posteà, recedente fictione, conferat suum effectum gratiæ.

DIfficultas hæc procedit de fictione opposita, non valori Baptismi, sed effectui gratiæ iustificantis, vt contingit quando quis voluntariè baptizatur, sed absque dispositione sufficiente ad gratiam Baptismi percipiendam.

Conueniunt ergo Doctores, Baptismum sic fictè susceptum, ob quod quando suscipitur, non confert gratiam iustificantem, posteà ablata seu recedente fictione illa, valere ad salutem animæ, & remissionem peccatorum. *Quod expressit Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas cap. 12. & lib. 3. cap. 13. & lib. 6. c. 5. dum docet, Baptismum in hæresi aut schismate susceptum, tunc incipere valere & prodesse ad remissionem peccatorum, & tunc operari salutem, quando fictè baptizatus posteà corrigitur, & conuertitur ab ea peruersitate & separatione, & tunc sub Baptismo anteà fictè susceptо dimitti peccata.* *August.*

Io. Medina. Io. Andr. Ioannes ergo Medina Cod. de Confessione, quæst. de Confessione ficta iteranda, & Ioannes Andreas in Can. *Tunc valere*, de Consecratione, dist. 4. dum dicunt, remissionem peccatorum, quæ post Baptismum fictè susceptum fit, recedente fictione non fieri Baptismo ipso, sed contritione qua recedit fictio, ita vt nihil peculiare tribuant Baptismo anteà fictè susceptо, manifestè aduersantur Augustino, quem omnes alij Doctores secuti sunt.

Scotus. Gabriel. Vasquez. Ex Doctoribus ergo, qui doctrinam Augustini sic vniuersè traditam amplectuntur & interpretantur, Scotus in 4. dist. 4. q. 5. & Gabriel q. 1. art. 3. du. 2. (quibus consentit Vasquez d. 159. c. 4.) docent, Baptismum fictè susceptum posteà recedente fictione, valere ex opere operato ad remissionem totius pœnæ restantis post remissionem culpæ commissę ante Baptismum factam per contritionem, aut per Sacramentum Pœnitentiæ, quibus recedit fictio, non verò ad remissionem culpæ, quia hæc iam præsupponitur remissa contritione, aut Sacramento Pœnitentiæ, quibus auferetur fictio.

Verùm Augustinus, quem dicti Doctores sequi intendunt, absque dubio etiam concedit Baptismo anteà fictè susceptо remissionem culpæ, quia locis suprà citatis satis significat, Baptismum post ablationem fictionis valere ad remissionem peccatorum, ad quam ob fictionem non valuit, ad quam valeret si fictè non reciperetur; si autem fictè non reciperetur, etiam valeret ad remissionem culpæ. Et id expressit Augustinus lib. 3. cap. illo 13. dum ait, Baptismum in hæresi aut in schismate susceptum, posteà ita valere ad dimittenda peccata, vt idem ipse, qui propter discordiam (id est propter hæresim aut schisma) operabatur mortem, propter pacem (id est propter conuersionem à schismate aut hæresi) intus operatur salutem: vbi Augustinus morti opponit salutem; ac proinde sicut per mortem intelligit culpam, per salutem intelligit remissionem illius. *Augustin.*

Addit tamen Vasquez, Baptismum fictè susceptum posteà valere, & prodesse ad salutem & remissionem culpæ, non ex opere operato, sed aliquo modo; & non ipsum solùm, sed ipsum cum Sacramento Pœnitentiæ, vel cum contritione (quibus recedit fictio) quamuis diuerso modo: quia cum Sacramento Pœnitentiæ prodest, quia per Baptismum, quamuis fictè receptum, baptizatus factus fuit capax Sacramenti Pœnitentiæ, quo posteà recepto omnia peccata remittuntur; cum contritione verò, per quam post Baptismum sic receptum elicitam etiam remittuntur peccata, prodest ad eorum remissionem, quia contritio ex eo quòd Baptismus fuerit iam receptus validè, quamuis fictè remittit peccata illa, absque eo quòd includat votum Baptismi, quia iam non includit illud. *Vasquez.*

Doctrina tamen hæc quam Vasquez addit, non est ad mentem Augustini: quia Augustinus absque dubio plus tribuit Baptismo fictè recepto quoad remissionem culpæ, dum de Baptismo sic recepto ait priùs operari mortem, & posteà operari salutem, & post ablationem fictionis incipere valere ad remissionem peccatorum, ad quam non valuit ob fictionem. Vbi absque dubio ipsi Baptismo immediatè & ratione sui tribuit remissionem peccatorum etiam quoad culpam, sicut illam efficeret in principio, si non fuisset fictè susceptus. Et sanè ridiculum videtur, prædictis verbis tantùm voluisse, Baptismum, quando contritione aufertur fictio, valere ad remissionem peccatorum, quia contritio, per quam remittuntur, non contineat votum illius, quia contritio ex eo quòd non includat votum Baptismi, quia iam est validè susceptus, non fit magis remissiua, sed eodem modo est efficax ad id, ac si includeret votum Baptismi, & iste non esset susceptus; ergo Baptismus ex eo nihil valet ad id media contritione, quia ipsam in nihilo iuuat ad id.

S. Thomas verò, & Caietanus qu. 69. art. 10. Suarez d. 28. sect. 4. Ægidius q. 62. art. 1. dub. 5. & communiter Doctores docent, Baptismum fictè susceptum, posteà recedente seu ablata fictione, reuiuiscere quoad suum effectum gratiæ, id est, tribuere ex opere operato gratiam iustificantem, &

remissiuam peccatorum quoad culpam & pœnam, quam tribueret quando suscipitur, si fictè non susciperetur. Quod adsque dubio voluit & *Augustin.* docuit Augustinus, vt constat ex dictis testimonijs, quæ optimè expendit Ægidius.

Qua autem ratione Augustinus ductus fuerit ad id affirmandum, non satis constat: ad id tamen non deficit cõgruentia, & multò maior quàm pro reliquis Sacramentis fictè & validè receptis, quia videlicet Baptismus ex vna parte est medium necessarium ad iustificationem ab originali, & ab alijs mortalibus actualibus ante Baptismum commissis, & ex altera parte iterari non potest. Ex eo autem, quòd dicta peccata possint contritione per se deleri, aut Sacramento Pœnitentiæ per accidens, tantùm deducitur, dictam congruentiam non esse rationem Metaphysicè efficacem, non tamen, non esse maximè congruentem: præsertim quòd si Baptismus fictè susceptus, posteà recedente fictione non operaretur suam gratiam iustificantem, qui fictè baptizaretur, priuaretur in æternum gratia Sacramentali Baptismi, quæ supra ipsam vt iustificantem addit annexionem auxiliorum ad finem Baptismi proportionatorum.

Quòd autem Baptismus post ipsummet fictè susceptum non existat, sed transierit, non obstat, vt possit suam gratiam Sacramentalem conferre, quia non est necessarium quòd illam conferat, vt instrumentum physicum; sed sufficit vt morale, ad quod necessaria non est actualis existentia illius, imò etiam quando actu existit, illam tantùm confert vt instrumentum morale, vt generaliter de omnibus Sacramentis dicimus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione III. Difficultate II.

Et quamuis remissio venialium non sit necessaria ad salutem, nihilominùs, supposito quòd Baptismus reuiuiscit quoad remissionem mortalium, etiam reuiuiscit quoad remissionem venialium, sicut hanc in principio conferret, quia etiam ad eam institutus est, quamuis ea non sit ad salutem necessaria.

DIFFICVLTAS IX.

Quid requiratur, vt Baptismus fictè susceptus reuiuiscat, & gratiam iustificantem conferat.

COnueniunt Doctores, quòd, vt Baptismus fictè susceptus fictione non valori sed gratiæ opposita (id est absque dispositione sufficiente ad gratiam iustificationis) posteà reuiuiscat, & illam conferat ei qui post Baptismum sic receptum commisit peccatum mortale, iam subiectum clauibus Ecclesiæ (quale est peccatum post Baptismum omnino commissum, aut saltem completum & perfectum post Baptismum, quamuis anteà inceptum; quale est peccatum indignæ susceptionis Baptismi, quia malitia huius peccati post Baptismum completur, cùm supponat priùs naturâ ipsam susceptionem Baptismi) non sufficiat attritio, sed necessaria sit contritio, aut Sacramentum Pœnitentiæ: quia dictum peccatum, tam omnino commissum, quàm completum post Baptismum, non est obnoxium Baptismo, sed Sacramento Pœnitentiæ, vtpote peccatum personæ iam baptizatæ; ergo non remittitur absque Sacramento Pœnitentiæ in re susceptо, aut absque voto illius in contritione incluso. Sed nullum peccatum graue adhuc originale remittitur, non remisso quocumque alio graui existenti, quia gratia, per quam peccatum aliquod graue remittitur, quodcumque illud sit, est incompossibilis cum quocumque peccato graui; ergo Baptismus in casu dicto nequit suam gratiam iustificantem à peccatis ante perfectum Baptismum contractis tribuere absque Sacramento Pœnitentiæ, aut absque perfecta contritione, qua aut quo dictum illud peccatum remittatur: aliàs absque contritione & absque Sacramento Pœnitentiæ remitteret illud peccatum dictum Sacramẽto Pœnitentiæ obnoxium.

Quòd si respondeas, in casu dicto Baptismum fictè receptum remittere per accidens & indirectè peccatum illud Sacramento Pœnitentiæ obnoxium, tribuendo per se & directè gratiam iustificantem à peccatis ante Baptismum contractis, qua etiam per accidens remittitur quodcumque peccatum existens in baptizato, sicut etiam Sacramentum Pœnitentiæ per accidens & indirectè remittit peccata oblita; Contra respondetur tamen est manifestum discrimen: quia quòd Sacramentum Pœnitentiæ ex Christi institutione remittat peccata mortalia, non solùm confessa, sed etiam oblita, est maximè conueniens, quia peccatorum oblitorum nequit fieri confessio, & non erat expediens, quòd dicta obliuio impediret remissionem expressorum in confessione, & quia vnum mortale nequit remitti sine alio, ideò Christus satis conuenienter instituit, vt etiam quando est dicta obliuio peccatorum, Sacramentum Pœnitentiæ conferat gratiam, qua etiam peccata mortalia oblita remittantur. Ad hoc autem quòd Baptismus fictè susceptus remittat peccata obnoxia Sacramento Pœnitentiæ adhuc per accidens dicto modo, nulla magna conuenientia cogit, cùm illa possint facilè remitti Sacramento ipsi Pœnitentiæ, cui sunt obnoxia.

Est tamen difficultas, An quando quis fictè absque sufficiente dispositione suscepit Baptismum, & neque in ipsa susceptione peccauit mortaliter, quia bona fide illum suscepit, quia bona fide absque scrupulo credidit, aut se esse sufficienter dispositum, aut nullam dispositionem esse necessariam ad dignam susceptionem Baptismi, & neque post ipsum susceptum aliud mortale commisit, an scilicet tunc vt Baptismus posteà reuiuiscat, & conferat gratiam iustificantem, necessaria sit contritio perfecta, an sufficiat attritio, quæ sufficeret in principio, quando actu susciebatur.

Vasquez disp. 160. cap. 2. docet, tunc non sufficere attritionem, sed necessariam esse contritionem: quia quòd Baptismus fictè susceptus posteà reuiuiscat quoad suam gratiam, magis nititur auctoritate Augustini, & antiquorum Scholasticorum qui eum secuti fuerunt, quàm ratione aliqua. Augustinus autem, & antiqui Scholastici numquam dixerunt, id habere Baptismum ratione attritionis, sed aut ratione contritionis, aut ratione Sacramenti Pœnitentiæ. *Vasquez.*

Suarez verò disp. 28. sect. 5. Henriquez lib. 1. de Baptismo, cap. 4. & Ægidius quæst. 62. art. 1. dub. 6. docent, tunc sufficere attritionem, & meritò: quia attritio sufficeret in principio, quando Baptismus susciebatur; ergo etiam sufficit posteà. Patet consequentia, quia Baptismus retinet *Suarez. Henriq. Ægidius.*

suam

suam vim antiquam, & post susceptionem illius nullum nouum impedimentum appositum est. Et confirmatur, quia tunc sola attritione recedit fictio, quæ solùm fuit defectus attritionis; ergo tunc sufficit attritio. Patet consequentia, quia vt Baptismus reuiuiscat quoad suam gratiam, sufficit quòd recedat fictio. Et quamuis Augustinus & antiquiores Scholastici non expresserint ad id in casu dicto sufficere attritionem, quia casus rarus est, deducitur tamen ex his quæ ipsi dicunt, nempe quòd Baptismus fictè susceptus, posteà vi sua, quam retinet, operatur salutem, & remittit peccata, qua etiam remittit peccata ante Baptismum perfectum contracta, etiam quando post Baptismum committitur aut perficitur peccatum mortale, quod regulariter contingit; tunc tamen non sufficit attritio, sed necessaria est contritio, aut Sacramentum Pœnitentiæ. Et in hoc casu, quia regulariter contingit, loquuntur Augustinus & antiqui Scholastici, quando significant necessariam esse contritionem, aut Sacramentum Pœnitentiæ, vt Baptismus fictè susceptus posteà reuiuiscat quoad dictum effectum.

Ex dictis constat, ad remissionem peccatorum actualium ante Baptismum contractorum, & ideò faciendam per Baptismum, sufficere attritionem eorum, etiamsi, quando sunt alia peccata mortalia commissa post Baptismum, quæ eo ipso sunt obnoxia Sacramento Pœnitentiæ, egeat Baptismus vt peccata sibi obnoxia remittat, iuuari à Sacramento Pœnitentiæ, aut à contritione, vt peccata ipsi Sacramento Pœnitentiæ obnoxia remittantur, quod Baptismus sua vi non potest adhuc per accidens, quia vis illius ad remittenda sibi obnoxia, impedita est peccatis mortalibus obnoxijs Sacramento Pœnitentiæ, nisi simul adsit ipsum Sacramentum Pœnitentiæ, aut contritio, qua aut quo remittantur: sicut neque Sacramentum Pœnitentiæ potest absque Baptismo fictè recepto remittente peccata ante Baptismum perfectum contracta, remittere per accidens peccata post Baptismum commissa.

Vnde quando etiam sunt peccata mortalia Sacramento Pœnitentiæ obnoxia, & hæc remittuntur per illud, tunc Baptismus & pœnitentia simul omnino concurrunt ad productionem gratiæ iustificantis ab omnibus peccatis vtrique obnoxijs, quia effectus gratiæ & remissionis peccatorum prouenit ab vtroque mutuò se comitanter adiuuante; & maior ab vtroque quàm à quolibet per se proueniret, quia à quolibet prouenit tanta gratia, quanta proueniret si seorsim applicaretur; quia vis, quam quodlibet habet conferendi tantam gratiam, non impeditur ab altero ob concursum illius, quamuis tunc omnes gradus gratiæ respondeant vtrique, tamquam vni causæ totali morali, & cuilibet tamquam partiali. Producitur autem ab vtroque eo ipso, quòd posita attritione, quæ vtrique deseruit vt dispositio ad gratiam, perficitur Sacramentum Pœnitentiæ, & non prius adhuc natura à Sacramento Pœnitentiæ; quia Baptismus, vt peccata sibi obnoxia remittat, non est necessarium, quòd præsupponat remissionem factam à Sacramẽto Pœnitentiæ (sicut neque econtrà) sed sufficit, vt præsupponatur attritio conducens, vt dispositio, per quam aufertur fictio priuatiua, cum qua fuit susceptus, & ablatio siue cessatio peccati mortalis in fieri, id est, quòd quis non peccet mortaliter, quia tam carentia attritionis, quàm ipsum peccare mortaliter, resistunt Baptismo, & quodlibet sufficienter, vt producat suam gratiam.

Et eodem modo, quando peccata obnoxia Sacramento Pœnitentiæ remittuntur per contritionem, remissio peccatorum, quæ sunt obnoxia Baptismo, etiam fit à Baptismo, & non priùs adhuc naturâ à contritione: quamuis admittamus, contritionem esse de facto formam remittentem peccata; & quamuis admittamus, ante contritionem præsupponi gratiam habitualem in priori naturæ, & in genere causæ efficientis, vt sit principium efficiens contritionem: quia tunc remissio facta à contritione, & à gratia habituali præsupposita, non est necessaria, nec conducit, vt Baptismus conferat gratiam, & remittat peccata; sed tantùm conducit ipsa contritio, vt dispositio ad gratiam iustificantem Baptismi, & non vt forma sanctificans, & remittens peccata: nec hoc modo gratia habitualis, quæ est principium contritionis; quia iustificatio & remissio, facta mediâ contritione, & mediâ hac gratiâ habituali, non conducit ad iustificationem & remissionem factam post Baptismum, quia fit simul ab his & à gratia per Baptismum collata, quæ in hoc casu distincta est ab ea quæ correspondet contritioni, non vt dispositioni ad gratiam Baptismi, sed vt fini, & effectui efficiendo per gratiam habitualem: quia quæ sic respondet contritioni, est causa efficiens. Et in hoc genere causæ, prior est gratia habituali collata per Baptismum, quia gratia altera habitualis est causa efficiens physica contritionis, & contritio est dispositio excitans Deum in genere causæ efficientis moralis simul cum Baptismo ad conferendam gratiam habitualem, ac proinde de primo ad vltimum gratia correspondens contritioni vt effectui est causa efficiens gratiæ Baptismatis, & consequenter distincta ab ea quoad gradum. Nihilominùs remissio per Baptismum facta non est posterior remissione facta per contritionem & eius gratiam, imò nec sanctificatio; tum quia contritio & eius gratia non remittunt nec sanctificant in eo genere causæ, in quo sunt priores gratiâ Baptismi, nempe in genere causæ efficientis, sed tantùm in genere causæ formalis: tum etiam, quia quamuis in eo genere sanctificarent & remitterent, sanctificatio tamen & remissio ab eis prouenientes non esset prior sanctificatione & remissione prouenientes à gratia baptismali, quia non conduceret ad sanctificationem & remissionem à gratia baptismali prouenientem, quamuis ipsa contritio & eius gratia sint priores dicta sanctificatione & remissione baptismali, quia sunt causa mediata efficiens gratiæ baptismalis, à qua prouenit dicta sanctificatio & remissio.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Baptismus reuiuiscens maiorem gratiam sibi respondentem tribuat magis attrito, aut magis contrito, aut melius disposito.

SVarez disp. 28. sect. 4. & Ægidius dub. 6. docent, Baptismum semel impeditum posteà reuiuiscentem, conferre minimam gratiam quam *Suarez. Ægidius.*

conferre potest, tantam videlicet quantam confert infantibus, quia attritio aut contritio per quam posteà auferetur obex seu fictio, non disponit positiuè ad susceptionem Baptismi, quia est post ipsum, sed tantùm est remouens impedimentum seu obicem, ex quo non crescit effectus, quia ex illo non crescit efficacitas causæ, nec capacitas subiecti.

Ochagauia Ochagauia verò q. 24. docet, Baptismum posteà reuiuiscentem maiorem aut minorem gratiam conferre, iuxta mensuram attritionis aut contritionis per quam auferetur obex, ac proinde semper tribuere maiorem minimâ: quod docet etiam Vas-

Vasquez. quez d. 159. ex suppositione, quòd Baptismus reuiuiscat ad talem effectum gratiæ, & meritò: quia tunc attritio aut contritio verè est dispositio positiuè disponens ad id ad quod etiam est dispositio, quando actu suscipitur Baptismus; ergo iuxta mensuram illius confertur maior aut minor gratia. Consequentia patet. Antecedens verò probatur, Primò, quia dispositio in physicis non est vt causa applicetur passo, sed vt effectus producatur aut recipiatur in subiecto; ergo quamuis tunc contritio aut attritio nequeant disponere ad susceptionem Baptismi, seu ad applicationem illius ad baptizatum, non inconuenit, quia dispositio non est vtilis ad id, sed tantùm ad effectum gratiæ, ad quem optimè possunt disponere, & disponunt. Secundò, quia aliàs Baptismus sic reuiuiscens remitteret peccata actualia absque dispositione aliqua; vnde attritio tunc non est tam remouens impedimentum & obicem, quàm fictionem priuatiuam, seu defectum dispositionis necessariæ, & non aliter quàm disponendo positiuè: & contritio eodem modo se habet, & non aliter, quando non sunt peccata actualia mortalia post Baptismum commissa; & quando sunt, non solùm se habet vt dispositio remouens fictionem priuatiuam, sed etiam est remouens obicem & impedimentum positiuum, quo impeditus erat Baptismus ad remittenda peccata sibi obnoxia, ex defectu contritionis ad remittenda peccata Sacramento Pœnitentiæ obnoxia, absque adiutorio comitante Sacramenti Pœnitentiæ aut contritionis.

DISPVTATIO V.

De cærimonijs seu ritibus Baptismi.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm cærimoniæ, quibus Baptismus solemnis celebratur, sint conuenientes & laudabiles.

HÆRETICI nostri temporis irridet cærimonias, quæ Baptismo solemni ab Ecclesia adhiberi solent, & damnant tamquam vanas, quia non sunt sacrâ Scripturâ præscriptæ, non attendentes, eas ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine & traditione adhiberi.

Nihilominùs Catholici conueniunt, dictas cærimonias esse conuenientes, & laudabiliter obseruari, tum, quia seruiunt ad maiorem solemnitatem & splendorem Baptismi, ne vilis à rudioribus habeatur, & contemnatur; tum etiam, quia eis aliquid fructuosè significatur. De qua re contra hæ-

Bellarmin. Valdens. reticos legendi sunt Bellarminus lib. 1. de Baptismo, c. 24. & Waldensis de Sacramentis c. 45.

Quòd autem dictæ cærimoniæ non sint in Scriptura præscriptæ, non sufficit vt non obseruentur laudabiliter, quia ad hoc sufficit Ecclesiæ institutio ob conuenientem significationem earum, aut ob alium honestum finem; quia Ecclesiæ non deest auctoritas ad aliquid noui addendum, quod, saluâ essentiâ Baptismi, expediens iudicauerit.

DIFFICVLTAS II.

Quæ cærimoniæ adhibendæ sint in Baptismo solemni.

PRimò, circa tempus, quod non tam cærimonia quàm circumstantia est, nullum est nunc pro Baptismo solemni determinatè præscriptum, quamuis olim Sabbato tantùm Resurrectionis & Pentecostes solemniter administraretur adultis.

Secundò, circa locum in quo Baptismus solemniter adhibendus est, qui non tam cærimonia quàm circumstantia est, quamuis olim essent loca ad id peculiariter deputata, & ab Ecclesijs separata, quæ *Baptisteria* dicebantur; iam tamen in singulis Parochijs Baptismus solemniter confertur in loco quodam determinato, in quo vas lapideum ad id consecratum est, in quo adest aqua ad Baptismum præparata, extra quòd ex Clemen- *Clem. V.*
tis V. præscripto in Clement. vnica, de Baptismo & eius effectu, non est licitum Baptismum solemniter ministrare, nisi filijs Regum & Principum, aut in casu necessitatis, in quo infans nequeat absque periculo ad Ecclesiam deferri. Per Principes autem Glossa intelligit supremos Regiam iurisdictionem habentes.

Tertiò, aqua naturalis, quæ necessaria est ad valorem Baptismi, debet esse benedicta peculiaribus inuocationibus, & consecratione, trina Chrismatis perfusione, vt habetur in Rituali, non necessitate Sacramenti, sed tantùm præcepti Ecclesiastici, orta ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine.

Quartò, adhibendus est Patrinus. Quintò, in Baptismo nomen imponitur baptizandis. Sextò, fit abrenuntiatio satanæ. Septimò, fit professio fidei, seu publica recitatio Symboli. Octauò, imprimitur signum Crucis fronti & pectori baptizandi. Nonò, fit exorcismus seu abiuratio dæmonis, & trina exsufflatio annexa ipsi exorcismo. Decimò, fit appositio salis exorcizati in ore baptizandi. Vndecimò, aures & nares baptizandi ter saliuâ tinguntur. Duodecimò, fit impositio manus Sacerdotis super caput baptizandi, & benedictio. Decimotertiò, fit Vnctio, qua baptizandus oleo benedicto vngitur in pectore & in scapulis. Decimoquartò, fit vnctio, qua iam baptizatus vngitur

gitur Chrismate in vertice. Decimo quintò, postquam iam baptizatus vnctus est Chrismate in vertice, caput illius cooperitur veste candida. Decimo sextò, iam baptizato vncto, & candida veste cooperto, conceditur cereus accensus in signum luminis fidei & gratiæ acceptæ.

Hæ sunt cærimonię quibus nunc vtitur Ecclesia, ordine tamen in Rituali præscripto, & quibus ab initio vsa est, quamuis nonnullæ sint aliqualiter mutatæ, de quibus, & de earum conuenientia, fructu, significatione, & antiquitate, videndi sunt Vasquez, Suarez, & Ægidius quæst. 71. *Vasquez. Suarez. Ægidius.*

TRACTATVS DE CONFIRMATIONE.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit Confirmatio.

VT à nomine exordiamur, Sacramentum Confirmationis variè à Patribus & Doctoribus appellatur. Primò dicitur *manuum impositio*, à cærimonia qua Apostoli Actorum 8. & 19. illud aut eius effectum conferebant fidelibus, imponendo videlicet manus super illos; & hoc modo appellatur ab Augustino lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 16. Deinde secundò, à materia remota ipsius, quæ est Chrisma, dicitur *Sacramentum Chrismatis*: & hoc modo appellatur à Cypriano Epist. 12. Rursus tertiò appellatur *Sacramentum consignationis*, & *signaculum Dominicum*, & *signum Christi*: quia forma huius Sacramenti applicatur imprimendo fronti confirmandi signum Crucis, & hoc signo illum consignando. Tandem quartò communiter à suo effectu appellatur *Confirmatio*, quia etiam recenter baptizatis, qui sunt quasi modò geniti infantes, confert augmentum gratiæ, cui annexa sunt auxilia gratiæ, quibus confirmantur & roborantur in fide, vt possint tentationes contra eam vincere. *Trident.* *Clem. Pap.* *Vrbā. Pap.* *Mel. Papa.* *Bellarmin.* *Suarez.* *Ægidius.* *Augus.* *Cyprian.*

Ad rem verò accedendo, Confirmatio definiri potest physicè per suas partes physicas, quòd scilicet sit, *Vnctio exterior Chrismatis ab Episcopo consecrati in fronte, manu Episcopi in modum Crucis facta, sub præscripta forma verborum.* Metaphysicè verò definiri potest Confirmatio, quòd sit, *Sacramentum confirmatiuum in fide*: quia definitur per *Sacramentum*, quod est genus ad Confirmationem, & ad reliqua Sacramenta, & per *confirmatiuum in fide*, quod est differentia, per quam distinguitur à reliquis Sacramentis nouæ legis.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Confirmatio sit Sacramentum nouæ legis.

HÆretici tam antiqui quàm recentiores constanter negant, Confirmationem esse Sacramentum nouæ legis, quia id non constat ex Scriptura.

De Fide tamen est, Confirmationem esse Sacramentum nouæ legis distinctum ab omnibus alijs, quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & can. 1. de Confirmatione. Quod etiam constat ex perpetua traditione, quam nobis scriptam reliquerunt Clemes Papa Epist. 4. Vrbanus Papa in sua Epistola cap. 7. Melchiades Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, & plures alij Pontifices & Patres, quos referunt Bellarminus lib. de Confirmatione à cap. 3. Suarez disput. 32. sect. 1. & Ægidius q. 62. art. 1. dub. 1. *Eugen. IV.*

Quòd autem Sacramentum Confirmationis, prout coalescens ex vnctione Chrismatis ab Episcopo consecrati, & ex verbis formæ, non deducatur efficaciter ex Scriptura, non obstat, vt esse illud in Ecclesia admittamus; quia plura de fide credimus, quę ex Scriptura non constant. Quod significat Paulus 2. ad Thess. 2. dum ait: *Tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* & Ioan. Epist. 3. dum ait: *Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum & calamum, spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur.*

Addidimus, *Sacramentum Confirmationis, prout coalescens ex vnctione Chrismatis, & ex verbis formæ, non deduci efficaciter ex Scriptura*, quia ex Actor. 8. & 19. deducitur, Apostolos per manuum impositionem, vt distinctam, & non pertinentem ad Baptismum, Spiritum sanctum iam baptizatis contulisse, ac proinde illam manuum impositionem fuisse verum Sacramentum Confirmationis, quamuis materialiter distinctum à Sacramento Confirmationis, coalescente ex dicta vnctione & verbis.

Et in primis, quòd per manuum impositionem, vt cærimoniam distinctā à Baptismo, & ad ipsum non pertinentem, collatus fuerit Spiritus sanctus, constat ex eo, quòd Actorum 8. & 19. supponitur, iam baptizatis post tempus non paruum factam fuisse impositionem manuum, & Spiritum sanctum fuisse collatum. Quòd verò per eam impositionem conferretur Spiritus sanctus mediâ gratiâ sanctificante, & non medio dono linguarum, aut saltem non tantùm medio hoc dono, constat, tum quia per solam gratiam sanctificantem Spiritus sanctus dicitur simpliciter & absolutè conferri, sicut etiam per eam solam dicitur venire & habitare: tum quia omnibus, quibus fiebat manuum impositio, conferebatur Spiritus sanctus, & tamen non omnibus conferebatur donum linguarum.

rum. Et quòd Apostoli per manuum impositionem non intenderint Deo commendare baptizatos, seu pro eis orare, sed Spiritum sanctum conferre, constat ex Actor. 8. vbi postquam dicitur, Apostolos Petrum & Ioannem, missos ab Ierosolymis Samariam, pro iam baptizatis orasse vt acciperent Spiritum sanctum, subditur: *Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum sanctum.* Accedit, quòd Petrus & Ioannes frustrà mitterentur, vt iam baptizatos Deo commendarent, tum quia ipsi absentes id possent facere, tum quia Philippus, qui illos baptizauerat, posset ipsos Deo commendare, quia ad hoc non erat necessaria dignitas Apostolica & Episcopalis, qua carebat Philippus, & gaudebant Petrus & Ioannes.

August. Augustinus verò dum lib. 3. de Baptismo c. 16. ait, *Manuum impositio non est aliud, quam oratio super hominem*, non loquitur de manuum impositione, quæ est Confirmatio, de qua loquitur in principio capitis, sed de alia, qua olim hæretici iam pœnitentes admittebantur ad reconciliationem, & de qua ait iterari posse.

DIFFICVLTAS III.

Quando fuerit Sacramentum Confirmationis à Christo institutum.

SVpponimus contra hæreticos, Confirmationem non fuisse à Melchiade Papa institutam: & contra Alexandrum & Bonauenturam, non fuisse institutam à Concilio Meldensi; quia Confirmatio fuit antiquior Melchiade & dicto Concilio, vt constat ex Patribus Diffic. 11. relatis, qui fuerunt illis antiquiores, & mentionem fecerunt Confirmationis; sed institutam fuisse immediatè

Trident. à Christo, vt generaliter de omnibus Sacramentis definitur à Tridentino sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & ea omnia in particulari enumerante.

Hoc ergo supposito, difficultas est, Quando Christus instituerit Cõfirmationem. Circa quam primò non defuerunt, qui existimauerint, Confirmationem fuisse à Christo institutam Matth. 19. quando paruulis sibi oblatis manus imposuit, ac benedixit. Id tamen absque fundamento dicitur, tum quia impositio illa facta fuit paruulis non baptizatis, quibus Christus nullum Sacramentum instituit præter Baptismum; tum etiam, quia ibi nulla fit mentio Spiritus sancti, imò neque Spiritus sanctus fuit specialiter collatus adhuc per hoc Sacramentum ante resurrectionem, & corporalem glorificationem Christi, vt significatur Ioannis 7.

Secundò alij existimarunt, Confirmationem institutam fuisse à Christo in die Pentecostes, quia tunc fuerunt Apostoli confirmati. Id tamen etiam absque fundamento dicitur: quia quamuis Apostoli tunc fuerint confirmati, sed non medio Sacramento, sed immediatè à Deo: imò est contra rationem, quia cùm Christus in mundum venerit ad saluandos homines, & ad nouum Testamentum condendum, non est credibile, quòd instituerit remedia nostræ salutis, postquam mundum reliquit, & in cælum rediuit, & non anteà.

Tertiò alij existimant, Confirmationem institutam fuisse à Christo post resurrectionem, Ioannis 20. quando Apostolos perfecit Sacerdotes, & eos instituit Episcopos: quia sicut Tridentinum *Trident.* sess. 14. c. 1. ex eo, quòd tunc illis contulerit potestatem remittendi & retinendi peccata, deducit fuisse institutum Sacramentum Pœnitentiæ; ita etiam ex eo quòd tunc contulerit Apostolis potestatem Episcopalem, ac proinde confirmandi, deduci videtur tunc fuisse Confirmationem institutam. Id tamen absque sufficienti fundamento dicitur: quia quamuis tunc Christus Apostolis contulerit Episcopalem & plenam potestatem, ac proinde etiam confirmandi, ex eo tamen non deducitur tunc instituisse Confirmationem; quia conferre potestatem confirmandi, non fuit designare materiam & formam Confirmationis, & ipsis virtutem conferendi plenitudinem Spiritus sancti annectere, in quo institutio Confirmationis consistit. Ex eo verò quòd contulerit potestatem remittendi & retinendi peccata, optimè deducitur tunc instituisse Sacramentum Pœnitentiæ, eius partes designando, & ipsis virtutem iustificandi annectendo, quia tunc Christus suis verbis contulit illis potestatem remittendi peccata tamquam iudicibus, seu in iudicio, ac proinde media absolutione, confessione rei præsupposita, & non historica, sed dolorosa, & satisfactione imposita.

Quartò ergo Sotus in 4. dist. 7. q. vnica, art. 1. *Sotus.* Victoria in Summa v. *Confirmatio*, Bellarminus *Victoria.* cap. 8. Suarez disp. 32. sect. 2. Reginaldus lib. 28. *Bellarm.* n. 4. & communiter recentiores existimant, Chri- *Suarez.* stum Confirmationem instituisse in nocte Cœnæ: *Reginald.* & non immeritò, quia nullum aliud tempus ad id aptius excogitari potest, quã illud in quo Christus longè egit de suo Testamento, & de Ecclesiæ statu. Quod tradidisse videtur Fabianus Papa Epist. 2. *Fab. Papa.* cap. 1. dum ait: *In illa die Dominus Iesus, postquam cœnauit cum Discipulis suis, & lauit eorum pedes, (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) Chrisma conficere docuit.* vbi per Chrisma Sacramentum Confirmationis intelligitur. Et quamuis tantùm intelligatur pars ex qua Sacramentum ipsum conficitur, ex eo tamen verisimiliter deducitur tunc instituisse Sacramentum Confirmationis, quia non videtur Christus ad alium vsum illos docuisse conficere Chrisma, quia non ad vsum, quo nunc Chrisma ponitur in vertice baptizati; quia cærimonia hæc non fuit à Christo instituta, sed multò posteà à Siluestro Papa, vt refert Hugo lib. 2. de Sacra- *Hugo.* mentis parte 7. cap. 3.

DIFFICVLTAS IV.

Quæ sit materia remota Sacramenti Confirmationis.

CIrca hanc rem variæ fuerunt Doctorum sententiæ: quia Primò nonnulli Canonistæ, vt refert Marsilius in 4. quæst. 5. art. 1. visi sunt sen- *Marsilius.* tire, materiam remotam Sacramenti Confirmationis non esse Chrisma, sed manum Episcopi, dum dicunt Confirmationem non fieri vnctione aliqua, sed nuda manuum impositione. ducuntur autem ad id, quia in Scriptura non legitur alio confirmasse Apostolos, quàm manuum impositione.

Secundò Canus, vt refert Valentia disp. 5. q. 1. *Canus.* punct. 2.

punct. 2. sensit, ma etiam remotam Confirmationis esse oleum & balsamum, & quodlibet eorum sufficere: id tamen absque fundamento aliquo sensit & affirmauit.

Caietanus. Nauarrus. Sotus. Couarru. Valentia. Tertiò Caietanus q. 72. art. 2. Nauarrus cap. 2. num. 8. Sotus in 4. dist. 7. quæst. vnica, art. 2. Couarruuias lib. 1. Variarum cap. 10. num. 4. & Valentia vbi suprà, sentiunt, solum oleum oliuarum esse materiam essentialiter requisitam, & sufficientem ad valorem Confirmationis: mixtionem verò illius cum balsamo, tantùm esse necessariam necessitate præcepti (siue Ecclesiastici, vt existimat Caietanus, siue diuini, vt existimat Sotus) quod *Innoc. III.* tradidisse videtur Innocentius III. in cap. *Pastoralis*, de Sacramentis non iterandis, dum interrogatus, an is, qui dum confirmaretur, non fuit Chrismate sed oleo tantùm vnctus, debeat iterùm confirmari; respondet, in talibus nihil esse iterandum, sed cautè supplendum quod fuit omissum. Sentit ergo tunc validum fuisse Sacramentum Confirmationis, & solùm aliquid accidentale defuisse, aliàs iterandum foret. Et ratione probatur: quia credi non potest, rem adeò rarissimam & carissimam, præsertim tunc quando in sola Iudæa nasci agnoscebatur, institutam fuisse vt necessariam ad valorem Sacramenti, quod toto orbe ministrandum erat.

Bonauent. Suarez. Henriq. Ægidius. Bonacina. Quartò ergo Bonauentura in 4. dist. 7. ar. 1. q. 2. Suarez disp. 33. sect. 1. Henriquez c. 2. Ægidius quæst. 72. art. 3. dub. 1. Bonacina d. 3. quæst. vnica, punct. 3. & plures alij docent, & meritò, materiam remotam essentialiter requisitam, & sufficientem, esse Chrisma confectum ex oleo oliuarum & ex balsamo.

Eugen. IV. Et in primis esse materiam essentialem, seu essentialiter requisitam, satis indicat Eugenius IV. in suo Decreto, dum ait: *Secundum Sacramentum est Confirmationis, cuius materia est Chrisma confectum ex oleo & balsamo.* Quo satis denotat, esse materiam essentialem, seu requisitam ad valorem Confirmationis; quia ex vna parte loquitur de materia, quæ necessariò præsupponitur ad formam, & ex altera absolutè dicit esse materiam, & in omnibus alijs Sacramentis nihil, quod necessariò præsupponitur ad formam, appellat materiam, quod non sit materia essentialis. Addimus, *quod necessariò præsupponitur ad formam*, quia etiam satisfactionem, quæ non est essentialis Sacramento Pœnitentiæ, appellat quasi materiã illius, sed satisfactio non præsupponitur necessariò ad formam.

Accedit, quòd, quando loquitur de materia consecrationis Sanguinis, non ait esse mixtum ex vino & aqua, sed esse vinum, cui debet admisceri aqua, quo denotat vinum tantùm esse materiam essentialem, seu necessariam necessitate Sacramenti, & non aquam, sed hanc tantùm esse necessariam necessitate præcepti.

Et ratione probatur, quia ad veritatem formæ Confirmationis, nempe *Confirmo te Chrismate salutis*, requiritur Chrisma compositum ex oleo & balsamo; ergo Chrisma ex his compositum est materia essentialiter requisita ad Cõfirmationem. Consequentia patet, Antecedens autem probatur, quia quamuis Chrisma ex sua primæua significatione significet quodlibet vnguentum, tamen ex accommodatione Ecclesiæ & Patrum significat *Fabianus.* mixtum ex oleo & balsamo, vt patet ex Fabiano, Cypriano, Innocentio, & alijs relatis à Bellarmino cap. 8. quamuis Patres aliquando nomine olei Chrisma significent, quia Chrisma componitur ex multo oleo, & paucissimo balsamo.

Cyprianus. Innocens. Bellarmin.

Ita tamen balsamum est necessarium ad materiam Confirmationis necessitate Sacramenti, vt non referat an sit Palæstinum, an Indicum; quia etiam Indicum est verum balsamum, vt constat ex eius qualitatibus & effectibus.

Quòd verò Chrisma sit materia sufficiens, imò & totalis, cõstat & ex eo, quòd Eugenius IV. nihil aliud assignauit pro materia; & ex eo quòd vnctio Chrismatis in modum Crucis facta sit sufficiens materia proxima, imò & totalis, supra quam sufficienter & totaliter cadit tota forma Confirmationis, vt dicemus Difficultate VI. vnde manus Episcopi non tam est materia, quàm instrumentum applicans materiam, & eâ vtens.

Eugen. IV.

Quod autem balsamum tempore Christi fuerit rarum & carum, non efficit incredibile, quòd institutum fuerit pro complemento materiæ essentialis: quia ad confectionem Chrismatis ad Confirmationem necessarij, sufficit parum; quia ad hoc, quòd Chrisma sit mixtum ex oleo & balsamo, non est necessarium omnem partem Chrismatis continere formaliter aliquid balsami, sed sufficit, & ad minus est necessarium, vt quælibet pars sit alterata à balsamo, recipiendo in se odorem & alias qualitates balsami, ad quod sufficit parum balsami pro multo oleo.

Innoc. III.

Innocentius verò III. in dicto cap. *Pastoralis* non solùm fuit interrogatus de eo quod suprà retulimus, sed etiam, an, qui absque præuia Confirmatione fuit Sacris initiatus, ministrare possit: & ad hæc generaliter respondit, in talibus nihil esse iterandum, sed cautè supplendum quod fuit prætermissum. quasi dicat, in eiusmodi nihil, quod sit validè factum, iterandum esse, sed supplendum esse, aut quod fuit omnino omissum, aut quod fuit inualidè factum, quod est moraliter esse omissum; ex hoc tamen non deducitur, solo oleo confirmatum, fuisse validè confirmatum.

Quòd verò Chrisma sit nouum (id est præsentis anni) vel sit vetus, non refert ad valorem Confirmationis, dum incorruptum sit, vt patet: etiamsi grauiter peccet, qui vetere Chrismate confirmat, vt constat ex Fabiano Epistola 2. ad Orientales.

Fab. Papæ.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm ad valorem Sacramenti Confirmationis necessarium sit Chrisma esse ab Episcopo benedictum.

COnueniunt communiter Doctores, ad valorem Sacramenti Confirmationis requiri quòd Chrisma sit ab Episcopo benedictum seu consecratum, & non sufficere à simplici Sacerdote (vt falsò existimat Caietanus) adhuc ex commissione Episcopi (in quo fallitur Ledesma) neque summi Pontificis (vt falsò existimat Sotus.) Quod efficaciter deducitur ex Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dum ait: *Materia Sacramenti Confirmationis est Chrisma ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto*; ibi autem assignat materiam essentialem, ergo benedictio

Caietan. Ledesma. Sotus. Eugen. IV.

Episcopi etiam requiritur essentialiter, sicut mixtio ex oleo & balsamo. Quod etiam significat Fabianus Epistola 2. ad Orientales, dum ait, Christum in nocte Cœnæ docuisse Apostolos conficere Chrisma, id est miscere oleum & balsamum, & benedicere, quia sic conficitur Chrisma: quod autem est necessarium Sacramento ex Christi institutione, est essentiale ipsi Sacramento.

Quòd autem ita necessarium sit benedictionem fieri ab Episcopo, vt nequeat illa committi simplici Sacerdoti, adhuc à summo Pontifice (quamuis illi possit, & aliquando commissa fuerit administratio Confirmationis) etiam significat Eugenius IV. dum subdit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & vrgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto* (id est compositio ex oleo & ex ballamo, & benedicto) *hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Quod etiam constat ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam Chrismatis benedictionem simplici Sacerdoti commisit, etiam si aliquando administrationem commiserit.

Ex eo autem, quòd simplici Sacerdoti possit committi Confirmationis administratio, quæ est maior quàm Chrismatis benedictio, non fit, posse ipsi committi benedictionem: sicut neque ex eo, quòd simplices Sacerdotes possint absque commissione efficere consecrationem Corporis Christi, quæ est maior benedictione Chrismatis, & administratione Confirmationis, fit, posse absque commissione benedicere Chrisma, & administrare Confirmationem; quia axioma illud, *Qui potest ad maius, potest ad minus*, non habet locum in his quæ sunt iuris positiui, pendentia ex libertate Superioris, quales sunt materiæ Sacramentorum: imò neque in alijs rebus physicis, nisi subordinatæ sint, & eiusdem rationis. Ignis enim quamuis possit producere calorem, nequit producere frigiditatem; & homo quamuis possit ratiocinari, nequit volare.

Ita tamen benedictio Chrismatis essentialiter requiritur ad valorem Confirmationis, vt ad eum sufficiat quomodolibet benedici inuocatione Dei: quia credi nequit Christum formulam aliquam pro benedictione determinasse, vt aduertunt Suarez, Ægidius, & alij: modus tamen benedicendi Chrisma præscriptus est ab Ecclesia, qui necessitate præcepti obseruandus est.

Ex dictis, contra Paludanum constat, Ecclesiam dispensare non posse, vt Chrisma non benedictum ad valorem Confirmationis sufficiat, quia benedictio requiritur ex Christi institutione, ad cuius dispensationem non agnoscitur potestas in Ecclesia.

DIFFICVLTAS VI.

Quæ sit materia proxima Sacramenti Confirmationis.

CONueniunt Doctores, materiam proximam essentialem Sacramenti Confirmationis esse vnctionem ex Chrismate factam, quia hæc vnctio est actualis vsus ipsius Chrismatis, quod est materia remota, & supra quam cadit forma Sacramenti Confirmationis: & esse sufficientem & totalem, quia supra eam solam cadit sufficienter tota forma Confirmationis.

Est tamen difficultas circa qualitatem & quantitatem dictæ vnctionis. Circa qualitatem vnctionis conueniunt Doctores, ad valorem Confirmationis requiri, vnctionem fieri in modum seu figuram Crucis, & in fronte baptizati.

Et in primis, requiri, baptizatum signari à ministro signo Crucis, constat ex illis verbis formæ, *Signo te signo Crucis.*

Secundò, requiri, hanc signationem fieri vnctione ipsa, præterquam quòd constat ex vsu & ritu Ecclesiæ, quæ præscribit vt signum Crucis vnctione ipsa formetur; etiam constat ratione, quia sola vnctio est materia proxima Confirmationis; ergo essentialiter requiritur quòd fiat in modum Crucis. Consequentia patet, quia aliàs non verificabitur tota forma Confirmationis, nempe, *Signo te signo Crucis, & cõfirmo te Chrismate salutis*, quia forma tantùm potest verificari ratione materiæ proximę, sicut supra eam solam cadere potest. Antecedens autem, nempe solam vnctionẽ esse materiam proximam, constat, & quia solùm Chrisma est materia remota, & quia sola vnctio sufficit, vt tota forma Confirmationis sit vera; quia si sola ea sufficit, absq; fundamento dicetur, aliud quàm ipsam ingredi materiã proximam Confirmationis.

Tertiò, ad valorem Confirmationis requiri, vnctionem fieri in fronte baptizati, constat & ex perpetuo vsu Ecclesiæ, & ex testimonio Patrum, qui absque vllo discrimine docent, eam signationem formandam esse in fronte: & etiam ex fine Confirmationis deducitur; quia hæc instituta fuit à Christo ad roborandum baptizatum in fide, ne fidem & Crucem Christi erubescat, ac proinde conuenientissimum fuit institui fieri in fronte, vbi sedes est verecundiæ, sicut ob eumdem finem institutum est quòd vnctio fiat in modum Crucis.

Quartò, ad minus ex præcepto Ecclesiæ requiri, vnctionem fieri immediatè manu ipsa ministri, & non medio aliquo instrumento, imò & pollice dextro, constat ex vsu & ritu Ecclesiæ: fieri tamen pollice dextro, non requiritur ad valorem Confirmationis, in quo communiter conueniunt Doctores, quia credi non potest, Christum instituisse, vt ex re non tanti momenti pendeat valor Sacramenti Confirmationis: & ob hanc rationem credi potest, ad valorem Cõfirmationis non requiri, quòd vnctio fiat immediatè manu ipsa Episcopi, sed sufficere quòd fiat instrumento aliquo, vt contra Suarez, Ægidium, Reginaldum, & alios aduertunt Henriquez cap. 2. n. 3. & Viualdus de Confirmatione cap. 5. *Suarez. Ægidius. Reginald. Henriq. Viualdus.*

Circa quantitatem vnctionis certum est, ad valorem Confirmationis ad minus requiri, & etiam sufficere, tantam partem frontis vngi, quanta sit necessaria vt in ea possit Crux sensibilis formari: & tantam partem Chrismatis requiri & sufficere, quanta necessaria sit & sufficit ad formationem Crucis sensibilis, cùm formanda sit Chrismate ipso, quia vtrumque requiritur & sufficit, vt forma Confirmationis verificetur; sicut etiam ad valorem Baptismi requiritur & sufficit, tantam partem corporis ablui, & tantâ aquâ, quanta necessaria est & sufficit vt forma Baptismi verificetur, seu vt quis sit & dicatur absolutè ablutus.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Apostoli confirmauerint vnctione Chrismatis.

Alexand. Bonauent. IN primis Alexander 4.p.q.24. & Bonauentura in 4.dist.7. artic. 1. q. 1. & 2. existimant, Apostolos nuda manuum impositione absque vnctione confirmasse, seu Sacramentum Confirmationis contulisse, quia Actor. 19. vbi dicitur Apostolos baptizatis Spiritum sanctum contulisse, non aliter id dicitur factum quàm manuum impositione.

VValdens. Bellarm. Ægidius. Secundò, Waldensis Tom. 2. de Sacramentis c. 113. Bellarminus de Sacramento Confirmat. c.9. & Ægidius q.72.a.3. dub.2. existimant, Apostolos nullo alio confirmasse, & Spiritum sanctum baptizatis contulisse, quàm vnctione Chrismatis manibus Apostolorum facta, quia ex vna parte vnctione Chrismatis manibus Apostolorum facta satisfit tam Scripturæ, in qua dicitur, Apostolos per manuum impositionem Spiritum sanctum contulisse, quàm Dionysio, Fabiano, & aliis Patribus, dicentibus, Apostolos vsos fuisse vnguento Chrismatis ad administrationem Sacramenti Cõfirmationis: & ex altera parte expediens fuit, Apostolos non vti particulari dispensatione ad confirmandum nuda manuum impositione absque vnctione, quæ à Christo instituta relinquebatur generaliter & in perpetuum.

S. Thomas. Sotus. Gabriel. Suarez. Tertiò, S. Thomas quæst.72.a.2.&4. Sotus in 4. dist.7.art.2. Gabriel q.1.a.15. & Suarez disput.33. sect.4. existimant, & meritò, Apostolos aliquando nuda manuum impositione absque vnctione effectum Confirmationis contulisse, & aliquando vnctione Chrismatis sub verbis formæ, sicut modò fit.

Et in primis Apostolos effectũ Confirmationis nuda impositione manuum absque vnctione contulisse, expressisse videtur Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum docet, loco manus impositionis Apostolorum dari in Ecclesia Confirmationẽ (id *Eugen. IV.* est vnctionem Chrismatis sub verbis formæ) quia si manus impositio non esset distincta ab vnctione, sed eadem cum ea quæ modò fit in Ecclesia, hæc non diceretur dari loco illius, sicut Baptismus qui modò fit, non dicitur dari loco illius qui dabatur ab Apostolis. Et satis indicatur in Scriptura; quia numquam, quod in ea dicitur Apostolos Spiritum sanctum dedisse, fit mentio vnctionis, sed tantùm nudæ manuum impositionis. Et mirum esset, nullam fieri mentionem vnctionis, & fieri impositionis manuum, si hæc non esset alia quàm vnctio digito manus in fronte baptizati facta. Imò vnctionẽ fieri in fronte medio digito, non sufficeret, vt ratione illius Apostoli dicerentur manus imposuisse supra baptizatos, vt dicitur Actorum 8. quia id tantùm esset digito tangere frontem baptizati. Quòd si nunc, quando Confirmatio fit vnctione modo dicto, etiam dicitur manuum impositio, ideò est, quia, vt ait Eugenius IV. vnctio hæc datur loco impositionis manuum Apostolorum ad eumdem effectum & finem: dicitur autem dari loco illius, quia Apostoli vsi fuerunt priùs manuum impositione quàm vnctione.

Deinde Apostolos etiam vsos fuisse vnctione Chrismatis ad dandum Spiritum sanctum, sicut modò fit in Ecclesia, constat ex Dionysio de Eccle- *Dionys. Areopag.* siastica Hierarchia c.4. & ex Fabiano Epistola 2. ad *Fabian.* Episcopos Orientales, & ex aliis Patribus, qui dicunt, Apostolos vsos fuisse Chrismate in administratione Sacramenti Confirmationis, quo Spiritus sanctus datur: quod fuit maximè conueniens, vt Apostoli, qui erant primi Pastores & Magistri, & qui fundamenta Ecclesiæ iaciebant, & qui eam instruebant, non omitterent vnctionem Chrismatis à Christo in perpetuum institutam, sed etiam ea vterentur. Imò credi potest, Apostolos ea ordinatiè vti cœpisse à tempore, quo Ecclesia cœperat esse sufficienter fundata & instructa, & non anteà; quia in principio conueniens fuit illos vti manuum impositione, qua visibiliter conferebant Spiritũ sanctum, vt ita suaderent & stabilirent fidem Christi. Vtebatur autem hac manuum impositione ex speciali commissione & dispensatione Christi.

Addimus, vt supponunt Alexander & Bonauẽ- *Alexand. Bonauen.* tura, nudam manuum impositionem Apostolorum fuisse verum Sacramentum Confirmationis; quia ex promissione contulit Spiritum sanctum media gratia sanctificante: cui non obstat, non fuisse institutam lege aliqua stabili & firma, sed tantùm pro breui tempore, quia absque fundamento aliquo dicitur id requiri ad rationem Sacramenti, sed non esse Sacramentum distinctum formaliter, & in ratione Sacramenti à Confirmationis Sacramento, quod nunc fit media vnctione Chrismatis sub verbis formæ, quia illa manuum impositio ad eumdem effectum & finem fuit instituta ad quem dicta vnctio, sed tantùm fuisse materialiter distinctum. Quod insinuatur ab Eugenio IV. *Eugen. IV.* dum ait, loco impositionis manuum Apostolorum dari in Ecclesia Confirmationem: & id sufficit, vt ex eo Patres deduxerint, solos Episcopos esse ministros Confirmationis quæ nunc est, quia scilicet est idem Sacramentum formaliter cum impositione manuum Apostolorum, qui fuerunt Episcopi.

Quòd verò Actorum 8. Apostoli orauerint pro baptizatis, vt acciperent Spiritum sanctum, non fuit superfluum, quamuis eorum impositio illum ex promissione Christi infallibiliter conferret, quia oratione illa vel tantùm petebant à Deo dispositionem in baptizatis ad receptionem Spiritus sancti, medio augmento gratiæ sanctificantis, vel quòd visibiliter veniret Spiritus sanctus, quem illi visibiliter conferebant ex virtute miraculorum, ad quorum patrationem oratio est maximè vtilis.

DIFFICVLTAS VIII.

Quæ sit forma Sacramenti Confirmationis.

CONueniunt Doctores, hæc verba, *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, esse sufficientem formam Sacramenti Confirmationis, vt ostendit perpetuus Ecclesiæ vsus, & expressit Eugenius IV. in suo Decreto fidei. Vnde *Eugen. IV.* quæcumque alia verba prædictis æquiualentia sunt sufficientia ad valorem Confirmationis, quia in Sacramentis (exceptis Baptismo & Confirmatione, quoad inuocationem trium personarum nominibus consuetis, ob peculiarem rationem) quæcumque verborum mutatio, quæ non destruit

sensum Sacramentalem, non est substantialis, sed tantùm accidentalis, quæ non obest valori eorum.

Est tamen difficultas, An omnia prædicta verba sint essentialia, seu ad valorem Confirmationis requisita.

Non desunt qui credant, verba illa, *signo Crucis*, non esse essentialia, quia includuntur in illis, *signo te*: & non desunt, quibus videatur, verba illa, *Chrismate salutis*, non esse essentialia, quia includuntur in verbo *confirmo*; imò & duo illa verba, *signo* & *confirmo*, non esse essentialia, sed sufficere vnum aut alterum.

Nihilominùs conueniunt communiter Doctores, omnia dicta verba esse essentialia, & ad valorem Confirmationis requisita, quia omnibus illis semper vsa est Ecclesia, & omnia illa assignantur *Eugen. IV.* ab Eugenio IV. pro forma, in qua necessaria est expressio personæ quæ confirmatur, non minùs quàm in forma Baptismi, ob eadem ratione quam pro Baptismo attulimus Disp. 1. Diff. 7. Expressio quoque trium personarum in vnitate essentiæ, non est minùs necessaria in forma Confirmationis quàm in forma Baptismi; quia Cõfirmatio est quoddam complementum Baptismi; quia est instituta, vt eam suscipiens propugnet fidem; sicut Baptismus, vt eum suscipiens accipiat fidem, ob quod conuenientissimè institutum est, vt in forma vtriusque exprimatur mysterium Trinitatis, quod est primum & præcipuum nostræ fidei: imò & quod exprimatur nominibus consuetis Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Reliqua etiam, quæ de forma Baptismi diximus, applicanda sunt formæ Confirmationis, quia eadem ratio est in formis vtriusque.

Quòd verò nullus ex Patribus expresè tradiderit totam formam Confirmationis, non obstat, quia id omiserunt, quia eorum instituto non deseruiebat, & alias ex quotidiano Ecclesiæ vsu id apertè constabat.

DIFFICVLTAS IX.

Quos effectus tribuat Sacramentum Confirmationis.

COnueniunt Primò Catholici contra hæreticos, Sacramentum Confirmationis characterem imprimere, vt definitur ab Eugenio IV. in *Eugen. IV. Trident.* suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 7. can. 9. de *Augustin.* Sacramentis in genere, & id significat Augustinus lib. 2. Contra litteras Petiliani, cap. 104. qui neque sibi neque nobis aduersatur lib. 3. de Baptismo, cap. 16. dum ait: *Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest: quid enim est aliud quàm oratio super hominem?* quia non loquitur de manus impositione quæ est Confirmatio, sed de ea qua olim hæretici iam pœnitentes admittebantur ad reconciliationem. Quod etiam ratione Theologica constat, quia Confirmatio iterari non *Eugen. IV.* potest, vt notissima traditione constat, & ex Eugenio IV. & ex Tridentino vbi suprà: id autem ex *Trident.* nullo alio capite oriri potest, nisi quia imprimit characterem indelebilem, ne duplex character frustrà imprimatur.

Sed quamuis sacrilegium graue sit bis confirmari, & bis eumdem confirmare, ob neutrum tamen incurritur irregularitas, quamuis qui bis baptizat, & qui bis baptizatur, fiant irregulares, vt dicimus Tractatu de Irregularitate, Disp. 11. Diff. 1. quia id pro Confirmatione nullo iure exprimitur.

Et quamuis character Confirmationis, sicut & Ordinis, supponat characterem Baptismi, absque quo non patet aditus ad Confirmationem, neque ad alia Sacramenta, tamen est diuersæ speciei à charactere Baptismi, vtpote ad diuersum munus institutus, quia charactere Baptismi insignimur tamquam domestici Dei; charactere verò Confirmationis tamquam eius milites: reliqua verò, quæ de charactere in communi dicimus Tractatu de Sacramentis in genere, Disp. III. Diff. x. applicanda sunt characteri Confirmationis.

Secundò conueniunt Catholici, Sacramentum Confirmationis ex opere operato conferre augmentum gratiæ iustificantis: quia, vt constat ex dicto Tractatu Disp. III. Diff. I. omnia Sacramenta nouæ legis conferunt ex opere operato gratiam iustificantem, quod huic Sacramento conuenire constat specialiter ex eo, quòd Patres communiter docent, per illud Spiritum sanctum & Spiritus sancti plenitudinem conferri, & quia Sacramentum Confirmationis (saltem per se) non confert primam gratiam, quia non est Sacramentum mortuorum ad iustificandam animam institutum, ideò confert augmentum gratiæ, ac proinde prærequirit in suscipiente statum gratiæ, & cõsequenter vt peccator suscipiat Confirmationem disponendus est vel Sacramento Pœnitentiæ, vel perfecta contritione, prout maluerit, quia nullo præcepto constringitur Sacramentum Pœnitentiæ præmittere, vt docent communiter Doctores; quia non præcepto diuino, neque positiuo, neque naturali, vt patet, neque positiuo Ecclesiastico, quia de neutro constat. In Canone autem, *Vt ieiunij*, de Consecratione, dist. 6. non præcipitur susceptio Pœnitentiæ ad Confirmationem, sed tantùm fit monitio illius, sicut & ieiunij. Addimus, *saltem per se*, quia sunt, qui de quinque Sacramentis viuorum generaliter affirment, attrito, qui bona fide accedit ad illa, existimans vel se esse in statu gratiæ, vel inuincibiliter ignorans esse necessarium accedere in eo statu, conferre per accidens primam gratiam iustificantem, & remissionem peccatorum, quamuis nos in dicto Tractatu Disp. III. Diff. IV. dicamus id esse falsum.

Ita tamen per Confirmationem confertur augmentum gratiæ iustificantis, vt huic sit annexa collatio auxiliorum fini Confirmationis proportionatorum, nempe publicæ professioni fidei, & propugnationi illius coram Tyrannis, iuxta id quod in dicto Tractatu Disp. III. Diff. III. generaliter dicimus de gratia Sacramentali: imò & per illam remitti peccata venialia habenti attritionem eorum, dicimus Tractatu de Pœnitentia Disp. II. Difficultate XVI.

Sed an per Confirmationem, ceteris paribus, detur maior gratia iustificans, quàm per Baptismum, difficile est: nihilominùs verisimilius est, per Confirmationem conferri maiorem gratiam quàm per Baptismum, quod satis indicant Clemens, Vrbanus, Melchiades, Cyprianus, & plures alij, dum per antonomasiam dicunt, per Confirmationem Spiritum sanctum & Spiritus sancti plenitudinem conferri. Quod etiam consonum est institutioni Confirmationis, quia instituta est instar accretionis corporalis, per quam maior substantia & quantitas acquiritur toto tempore *Clemens. Vrbanus. Melchiad. Cyprianus.*

quo

quo crescimus, à natiuitate vsque ad virilem ætatem, quàm per primam generationem, instar cuius institutus est Baptismus.

DIFFICVLTAS X.

Qui sint capaces Sacramenti Confirmationis.

COnueniunt primò Doctores, solos baptizatos esse capaces Sacramenti Confirmationis (id est, eos solos posse validè confirmari) quod definit Innocentius III. in cap. *Veniens* 3. de Presbytero non baptizato, & meritò: quia baptismus est ianua omnium Sacramentorum, vtpote institutus instar generationis, quæ præsupponitur ad accretionem, instar cuius instituta est Confirmatio, & ad omnia alia, quorum instar reliqua Sacramenta instituta sunt, Spiritus sanctus verò, qui Actorum 10. dicitur visibiliter descendisse in non baptizatos, non descendit in eos media Confirmatione, cuius dicimus non baptizatos esse incapaces, sed immediatè à Deo communicatione gratiæ iustificantis, & non characteris. *Innoc. III.*

Conueniunt secundò, baptizatos omnes, cuiuscumque ætatis & sexus, esse capaces Confirmationis. Quod deducitur ex Actibus Apostolorum, in quibus sæpè dicitur, Apostolos manus imposuisse supra baptizatos, absque discrimine aliquo inter eos: & id ostendit praxis & vsus Ecclesiæ; quod fuit satis conuenienter institutum, vt sicut omnes qui generantur, sunt capaces accretionis, sic etiam omnes qui spiritualiter generantur, sint capaces accretionis spiritualis, ad quod alludit Vrbanus relatus can. 1. de Consecratione, distin. 5. dum ait: *Omnes fideles per manuum impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, vt plenè Christiani inueniantur.* *Vrbanus.*

Obseruandum tamen est, quòd quamuis in infantia baptizati possint licitè confirmari, vt exprimitur in Catechismo Romano part. 2. cap. 3. num. 14. quia id nullatenus prohibetur: conuenientius tamen est, vsum rationis expectare, saltem vsque ad septimum ætatis annum, vt dicitur in dicto Catechismo, vt ita cum maiori fructu ratione dispositionis, quæ eo tempore esse potest, recipiatur; cùm aliàs Confirmatio non sit medium necessarium ad salutem, sicut est Baptismus. Id tamen non tollit, ob aliquam rationabilem causam pueros in infantia conuenienter confirmari, vt si timeatur, puerum, si in infantia non confirmetur, vel numquam esse confirmandum, vel nimis differendam, ob quod antiquitus, quando in Ecclesia erat persecutio, & Episcoporum paucitas, infantes statim confirmabantur. Est autem valdè conueniens, infantibus, & adultis statim morituris Confirmationem conferre, saltem ob fructum augmenti gratiæ, ob quem etiam expedit illam perpetuò amentibus conferre, & etiam his qui aliquando vsi fuerunt ratione, nisi sciatur hos statim post peccatum aliquod mortale ante contritionem perfectam de illo, in amentiam incidisse, vel habuisse voluntatem non recipiendi Confirmationem: quia Christiani, qui hanc non habent, censentur voluntatem habere saltem implicitam recipiendi illam, quæ ad eius susceptionem sufficit, quòd si speretur amentes aliquando vsum rationis habituros, & tunc futuram esse occasionem recipiendi Confirmationem, conuenientius erit tempus illud expectare, vt decentiùs & fructuosiùs recipiatur. *Catechis. Roman.*

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm baptizati teneantur suscipere Confirmationem.

SCotus in 4. dist. 7. quæst. 2. Bonauentura art. 3. quæst. 2. Waldensis 2. de Sacramentis cap. 111. Siluester v. *Confirmatio*, num. 3. Petrus Sotus lect. 2. de Confirmatione, & plures alij docent, verè esse præceptum, quo baptizati tenentur confirmari: quia Can. *Omnes* de Consecratione, dist. 15. qui est Vrbani Papæ, dicitur: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum, Spiritum sanctum accipere debent, vt plenè Christiani inueniantur.* Et Can. *Vt ieiunij*, eadem dist. dicitur: *Numquam erit Christianus, nisi Confirmatione Episcopali chrismatus fuerit*; & can. *De his*, eadem dist. dicitur, non posse Baptismum sine Confirmatione ritè perfici. Ex Auctoribus huius sententiæ quidam existimant, præceptum hoc suscipiendi Confirmationem esse diuinum, alij esse Ecclesiasticum, alij verò esse naturale, quando adest opportunitas suscipiendi illam; quia si tunc non suscipitur, verè contemnitur. Et in hoc etiam inclinat Durandus q. 1. art. 2. quando instat occasio profitendi fidem coram Tyranno, ob periculum deficiendi à fide defectu auxiliorum annexorum gratiæ quæ per Confirmationem confertur. *Scotus. Bonauen. VV. Idens. Silueſter. Petrus Sot. Durand.*

Sotus verò in 4. dist. 7 q. vnica, art. 8. Couarruuias 1. Variarum c. 10. n. 5. Vasquez q. 90. art. 1. dub. 4. Suar. d. 38. sect. 1. Ægidius q. 72. art. 8. & plures alij docent, nullum esse præceptum suscipiendi Confirmationem adhuc data opportunitate, & meritò: quia nullum potest ostendi præceptum. Quia non diuinum, vt patet; neque Ecclesiasticum, quia de eo nullatenus constat traditione aliqua, vt patet; neque aliquo scripto, quia quamuis in dictis Canonibus necessitas aliqua suscipiendi Confirmationem aut debitum significetur, non tamen verbis adeò strictis, vt in eis verum præceptum contineatur, sed tantùm necessitas Confirmationis ad aliquem finem, nempè vt baptizatus augmento gratiæ per Confirmationem collato, & auxilijs ei annexis euadat Christianus perfectus, & quamdam veluti perfectionem Baptismi adipiscatur: huius tamen perfectionis adipiscendę nullum extat præceptum. *Sotus. Couar. Vasquez. Suarez. Ægidius.*

Et tandem neque est præceptum aliquod naturale suscipiendi Confirmationem adhuc oblata occasione & opportunitate, quia etiam tunc potest omitti absque contemptu, vt patet, si ex tædio, aut aliter quis omittat Confirmationem, & non quia eam parui pendat, sicut non contemnit Eucharistiam, qui etiam data opportunitate illam non suscipit. Periculum autem deficiendi à fide ex defectu Confirmationis, etiam quando adest Tyrannus, non est proximum, neque aliter sufficiens, vt sit obligatio & præceptum suscipiendi Confirmationem; cùm sint alia media, quibus à Deo impetremus auxilia efficacia ad id, & saltem absque illa non desunt auxilia sufficientia

cientia ad id. Vnde non erit peccatum, saltem mortale, non suscipere Confirmationem; quia quod non est contra præceptum aliquod, non est peccatum.

Addimus, neque esse præceptum aliquod suscipiendi Confirmationem ante Ordines, quia quamuis in Tridentino sess. 23. cap. 4. de Confirmatione dicatur, *Prima tonsura non initientur, qui Confirmationem non susceperint*; in his tamen verbis nullum continetur præceptum suscipiendi Confirmationem ante primam tonsuram. Imò neque imponitur ipsi Episcopo non tradendi primam non confirmato, sed in illis tantùm continetur directio & admonitio.

Trident.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm solus Episcopus possit validè conferre Sacramentum Confirmationis.

COnueniunt Catholici contra hæreticos, solum Episcopum posse potestate ordinaria absque commissione aliqua validè conferre Confirmationem. Ita definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto, dum definit, Episcopum esse ordinarium ministrum Confirmationis; quia in illo loquitur de ministro essentialiter, & ad valorem requisito, quia in eo loquitur de ministris quibus simul cum materia & forma perficiuntur Sacramenta, & ideò docet, quemlibet posse esse ministrum in Baptismo, & tamen non quilibet potest licitè. Et id clariùs definitur in Tridentino sess. 7. can. 3. de Confirmatione, dum definit, non simplicem Sacerdotem, sed solum Episcopum esse ordinarium ministrum Confirmationis. Quod etiam constat ex perpetua & constante Ecclesiæ traditione, quam nobis scriptam reliquerunt Vrbanus, Melchiades, & Eusebius Pontifices, relati can. 1. & 3. & 4. de Consecrat. dist. 5. & plures alij Pontifices & Patres. Et id deducitur ex Scriptura, in qua quoties fit mentio impositionis manuum, cui nostra Confirmatio successit, tantùm dicitur facta ab Apostolis, & numquam ab inferioribus.

Eugen. IV. *Trident.* *Vrbanus. Melchiad. Eusebius.*

In Concilio autem Toletano I. c. 20. vbi dicitur, Presbyterum posse absente Episcopo chrismare, & eo præsente ex ipsius licentia, tantùm est sermo de vnctione quæ baptizatis fit in vertice, & quæ olim non licebat Presbyteris nisi ex licentia Episcopi, aut eo absente, vt significat Leo Epistola 88. & de eadem vnctione sermo est in Concilio Arausicano can. 2. dum solùm in absentia Episcopi permittitur Presbyteris hæreticos, qui conuertebantur, consignare Chrismate, quod fortè fiebat, vel quia hæretici illi eam vnctionem in Baptismo omittebant, vel quia eam malè vsurpabant. Et de eadem vnctione sermo est in can. *Omni tempore*, de Consecratione, dist. 4. dum dicitur: *Presbyter non signet infantes Episcopo præsente, nisi ex licentia illius.* & de eadem loquitur Ambrosius in cap. 4. Epistolæ ad Ephes. dum ait: *Apud Ægyptios signant Presbyteri, si non sit Episcopus.* Innocentius verò I. Epistola 1. §. 6. dum ait, Presbyterum absente Episcopo posse manus imponere, loquitur de manuum impositione quæ fiebat super energumenos, quam olim sibi Episcopi vsurpabant.

Concil. Toletan. I. *Leo.* *Concil. Arausicanū.* *Ambros.* *Innocent. I.*

Ita tamen Episcopus potest validè confirmare, vt nullus possit, absque iniustitia in Episcopum confirmati, non sibi subditum confirmare absque voluntate proprij Episcopi, sicut diximus de baptizante incolam alienæ parochiæ.

Et quia potestas confirmandi est Ordinis saltem reductiuè, & non iurisdictionis, ideò Episcopus, quamuis hæreticus & excommunicatus, adhuc non toleratus, & degradatus, validè confirmat adhuc non sibi subditum.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm simplex Sacerdos possit ex commissione Papæ Sacramentum Confirmationis conferre.

COnueniunt iam communiter Doctores contra Durandum & paucos alios, simplicem Sacerdotem ex commissione Papæ posse Confirmationem conferre. Ita S. Thomas quæst. 72. art. 11. & ibidem Ægidius, Suarez disp. 36. sect. 2. Reginaldus lib. 28. cap. 4. & Laiman lib. 5. Tractatu 3. cap. 6. Quod constat ex facto D. Gregorij Papæ, qui, vt dicitur lib. 3. cap. 26. id commisit Sacerdotibus Sardiniæ: & id probat Eugenius IV. in suo Decreto, dum, postquam dixit Episcopum esse ordinarium ministrum Confirmationis, subdit: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & vrgente admodum causa, simplicem Sacerdotem Sacramentum Confirmationis administrasse*, vbi Eugenius absque dubio ad factum D. Gregorij alludit. Vnde qui respondent, Gregorium in eo facto errasse, non tantùm irrogant iniuriam Gregorio, sed etiam Eugenio IV. & Concilio Florentino, quod Decretum Eugenij approbauit.

S. Thomas. *Ægidius.* *Suarez.* *Reginald.* *Laiman.* *Greg. Papa.* *Eugen. IV.*

Ex quo constat, ministrum essentialem Confirmationis non tantùm esse Episcopum, sed etiam simplicem Sacerdotem ex commissione Papæ (quod Christum ita instituisse, constat ex dictis) ita vt, sicut Confirmatio, potestate ordinaria administrata, est actus Ordinis Episcopalis, ita etiam administrata ex Papæ commissione, sit actus Ordinis Sacerdotalis: ipsa tamen commissio Papæ est actus non Ordinis, aliàs posset ab alijs Episcopis fieri, quia potestas Ordinis Episcopalis in Papa & in Episcopis est æqualis; sed est actus iurisdictionis, ac proinde fieri potest à Papa electo nondum consecrato, quamuis ab ipso non consecrato nequeat Confirmatio validè administrari, sicut collatio iurisdictionis completæ ad absoluendum potest fieri à Parocho nondum Presbytero, quamuis ipse nequeat absoluere.

Fit autem dicta commissio validè, quamuis fiat absque causa; quia non est dispensatio in aliqua lege diuina, sed est concessio cuiusdam facultatis; non tamen fit licitè, absque causa iusta, vt indicat Eugenius IV. verbis suprà adductis: & dicta commissio non expirat morte Papæ illam concedentis, vt aduertunt Suarez & Ægidius, quia est concessio gratiæ.

Eugen. IV. *Suarez. Ægidius.*

Addimus, in quo etiam conueniunt communiter Doctores, dictam commissionem fieri non posse ab alijs Episcopis, vt quidam falsò existimant, sed tantùm à Papa; & non posse fieri alijs inferioribus Clericis, vt alij falsò docent, sed tantùm Sacerdotibus; quia hæc tantùm duo constant ex vsu & praxi Ecclesiæ, & non aliud adhuc ex alio fundamento.

DIF-

DIFFICVLTAS XIV.

Quibus cærimonijs Sacramentum Confirmationis conferatur.

IN primis ante administrationem Confirmationis conficitur Chrisma ab Episcopo, mixtione olei & balsami, & eorum benedictionibus: & supra Chrisma iam factum aliquoties halat Episcopus: & iam omnino consecratum salutatur ab Episcopo & Presbyteris his verbis: *Aue sanctum Chrisma.* Quorum conuenientiam ostendit Bellarminus de Confirmatione cap. 13. *Bellarm.*

Secundò, quando baptizatus confirmandus est, adhibetur patrinus qui confirmandum tenet, quod in Ecclesia est antiquissimum, vt constat ex can. *In Catechismo*, de Consecratione, dist. 4. & ex can. *De his*, 30. quæst. 1. & ex c. 1. de Cognatione spirituali, in 6. & patrinus qui non tenet confirmandum, non contrahit cognationem spiritualem, vt dicimus Tractatu de Matrimonio, Disputatione XVIII. Difficul. XIII. & non tenetur patrinus confirmatum instruere in rebus fidei & in moribus, nisi in defectu patrini Baptismi; & non potest esse patrinus, nisi vnus aut vna, vt patet ex can. *Non plures*, de Consecratione, dist. 4. & ex cap. finali de Cognatione spirituali, in 6. & non potest esse nisi qui est confirmatus, vt deducitur ex can. *In Baptismate*, de Consecratione, dist. 4. etiam potest esse qui fuit patrinus in Baptismo.


Tertiò, Episcopus confert pacem iam confirmato in signum acceptæ gratiæ Spiritus sancti, cuius effectus est pax.

Quartò, confirmato alapam infligit, vt aduertat, ipsum in posterum forti animo quamcumque ignominiam pro Christo toleraturum.

Quintò, caput confirmati vittâ lineâ ligatur, ne Chrisma defluat, quæ tamdiu ferenda est, quamdiu consuetudo obtinuerit, nisi ex rationabili causa citiùs ex consensu Episcopi tollatur.

Sextò, Confirmatio quouis tempore, etiam in Festo, & interdicti, conferri potest, sicut Baptismus, & extra Ecclesiam, & à non ieiunis conferri & suscipi.

Addimus, omnes dictas cærimonias, & omnes alias quæ in Sacramento Confirmationis adhibentur, conuenientes esse, vt generaliter de omnibus cærimoniis, quæ in administratione Sacramentorum adhibentur, definit Tridentinum sessione 7. can. 13. de Sacramentis in genere. *Trident.*



TRACTATVS DE POENITENTIA.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura & essentia virtutis Pœnitentiæ.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit Pœnitentia.

Isidorus. Augustin.

VT à nomine ipso exordiamur, Pœnitentia, vt constat ex Isidoro 3. Etymologiarum, cap. vlt. & ex Augustino de Vera & falsa pœnitentia, cap. 19. dicitur à pœna, ita vt pœnitere idem sit quod pœnam tenere: & pœnitentia, vt indicat Augustinus, idem quod pœnæ tenentia; aut idem quod punientia, vt loquitur Isidorus. Et quia displicentia & dolor de peccato est prima pœnitentia, imò præcipua, ideò pœnitentia præcipuè significat displicentiam & dolorem peccati commissi: quamuis hæreticis, quibus omnis austeritas displicet, videatur quòd pœnitentia non sit idem quòd pœnæ tenentia, nec dolor seu afflictio, sed idem quod resipiscentia quædam, & amor nouæ vitæ. Gratis tamen & absque fundamento ita sentiunt, & contra Auctores Latinos, quibus in hac re maximè credendum est, & etiam contra Patres, imò & contra Scripturam, vt ostendunt Suarez disp. 1. sect. 1. & Ægidius disp. 1. dub. 1.

Suarez. Ægidius.

Augustin.

Vt verò ad rem accedamus, pœnitentia variè à Patribus definitur. Ab Augustino Epist. 108. definitur, quòd sit, *bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes, Dimitte nobis debita nostra.* & de Vera & falsa pœnitentia cap. 19. quòd sit, *quædam dolentis vindicta semper puniens quod dolet commisisse.* & lib. 3. Hypognosticôn, quòd sit, *res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum.* Et à Gregorio Hom. 34. in Euangelia definitur, quòd sit, *perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare:* hoc autem posterius addit, vt indicet in pœnitentia includi propositum non peccandi in futurum. Exacta tamen & metaphysica definitio pœnitentiæ tradetur à nobis Diffic. IV.

Gregorius.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm sit aliqua virtus Pœnitentiæ.

COnueniunt primò Doctores, odium seu detestationem peccati commissi, id est affectum quo odio habemus & detestamur nos peccasse, & dolorem seu tristitiam de peccato commisso, id est affectum quo dolemus & tristamur quia peccauimus, esse actus pœnitendi, vt ex se patet, & supponitur in Tridentino sess. 14. cap. 1. & 4. quia duo prædicti affectus sunt actus pœnitendi de peccato commisso, quamuis diuerso modo; quia dolor seu tristitia est affectus pœnitendi formaliter, vt patet; & odium seu detestatio est affectus pœnitendi radicaliter, quia est radix prædicti affectus doloris seu tristitiæ. *Trident.*

Pro huius autem intelligentia obseruandum est, circa malum apprehensum vt præsens, esse in voluntate duplicem affectum, alterum puræ displicentiæ absque vitali inquietudine, & anxietate, seu afflictione (qualis est in Deo & in Beatis de peccatis nostris, & in Beatis etiam de propriis peccatis commissis in via) qui dicitur odium & detestatio; & alterum displicentiæ, quæ est vitalis quædam inquietudo, angor, seu afflictio (qualis non reperitur in Deo, quia est incapax illius, nec in Beatis, quia sunt impediti gaudio beatifico) & dicitur dolor & tristitia. Imò prior ille affectus puræ displicentiæ etiam dicitur dolor & tristitia in subiecto capaci doloris & tristitiæ, & non impedito ad habendum affectum doloris & tristitiæ; quia in eo subiecto prior ille affectus regulariter est radix & causa doloris & tristitiæ: eo enim ipso quòd quis odio habet malum aliquod, quod apprehendit aliquo modo vt præsens, regulariter tristatur & angitur ob illud. Isti tamen duo affectus (qui possunt esse efficaces & inefficaces) quamuis versentur circa idem obiectum materiale & formale, specie physica distinguuntur ob dictum diuersum modum, quo voluntas mediis illis tendit in idem obiectum materiale & formale, sed non distinguuntur specie morali, quia habent eamdem bonitatem moralem, seu consonantiam ad rationem.

Constat ergo, affectum doloris seu tristitiæ de peccato commisso esse formaliter actum pœnitentiæ, cùm sit formaliter pœnitudo; odium verò seu detestationem puram peccati commissi esse radicaliter actum pœnitentiæ, quia est radix & causa dicti affectus doloris, in quo consistit formaliter pœnitudo.

Conueniunt secundò Doctores, intentionem seu voluntatem destruendi peccatum quoad culpam & offensam Dei, esse actum pœnitentiæ, quia intentio destruendi peccatum est maximum quoddam & efficax pœnitere de peccato, non pœnitere formaliter, quia dicta intentio non est formaliter pœnitudo; imò non est pura displicentia seu fuga peccati,

peccati, sed complacentia & prosecutio ipsius non esse peccati, seu destructionis illius: nec radicaliter, quia non est radix doloris de peccato, sed esse pœnitere, seu actum pœnitendi consequenter, quia est quædam complacentia efficax, seu prosecutio ipsius non esse peccati, orta ex displicentia seu fuga efficaci tam pura quàm dolorosa peccati (quia ex vtrauis oriri potest) & ab ea distincta specie physica, quamuis non morali; sicut ex displicentia seu fuga inefficaci peccati tam pura quàm dolorosa potest oriri prosecutio inefficax ipsius non esse peccati; quæ etiam suo modo sunt actus pœnitendi (quamuis imperfecti) alia radicaliter, nempe pura displicentia; alia formaliter, nempe displicentia dolorosa; alia consequenter, nempe dicta prosecutio inefficax.

Conueniunt tertiò Doctores, ad dictos actus pœnitentiæ esse in voluntate habitum, quia in eis eliciendis est in voluntate aliqua difficultas.

Est tamen difficultas, An habitus in dictos actus pœnitentiæ inclinans, & eos eliciens, sit verè virtus.

Ratio difficultatis pro parte negatiua desumitur ex Aristotele 4. Ethicor. cap. 9. dum ait, verecundiam non esse virtutem, sed passionem laudabilem; ergo nec pœnitentia est virtus. Consequentia probatur, quia si verecundia non est virtus, maximè quia supponit turpe factum de quo quis erubescit; sed etiam pœnitentia supponit actum turpem de quo quis pœnitet; ergo etiam pœnitentia non est virtus. *Aristot.*

Nihilominùs Theologi conueniunt, habitum pœnitentiæ inclinantem in prædictos actus pœnitentiæ, esse verè virtutem (& consequenter esse aliquam virtutem pœnitentiæ) quia dicti actus pœnitentiæ sunt honesti, vt patet, & constabit ex dicendis; ergo habitus pœnitentiæ in eos inclinans est verè virtus. Consequentia patet, quia virtus est qua honestè viuitur.

Obseruandum est, quòd quamuis in voluntate possit esse affectus puræ displicentiæ, & affectus doloris circa peccatum, vt dissonum rationi, & offensiuum Dei: in appetitu verò sensitiuo, neutro modo esse potest affectus circa peccatum, quia præterquam quòd peccatum, vt offensiuum Dei, est ad alterum, nempe ad Deum, & appetitus sensitiuus nequit esse ad alterum, etiam peccatum tam vt dissonum rationi, quàm vt offensiuum Dei, non est quid materiale, sed quid spirituale seu immateriale, circa quod vt sic nequit versari appetitus sensitiuus, quia in sensu interiori, cuius solius cognitione ducitur appetitus sensitiuus, nequit esse cognitio rei, aut rationis immaterialis. Nihilominùs in appetitu sensitiuo potest esse affectus displicentiæ, tam puræ quàm dolorosæ circa peccatum apprehensum quasi malum materiale, qui deriuari potest, & sæpè deriuatur ex affectu displicentiæ voluntatis in appetitum sensitiuum: ad eo tamen affectu non accipit bonitatem, quia quando affectus displicentiæ elicitur, non elicitur ex motiuo dicti affectus voluntatis, tamquam medium vtile ad motiuum affectus voluntatis, nec tamquam electio alicuius medij vtilis ad illud, sed elicitur ex suo proprio motiuo. Vnde affectus displicentiæ circa peccatum in appetitu sensitiuo propriè non est actus peculiaris virtutis pœnitentiæ, nec imperatus, sed tantùm deriuatus ex affectu illius, ratione connexionis & sympathiæ naturalis inter voluntatem & appetitum sensitiuum.

Addimus, humiliationem & alia opera satisfactoria facta ex intentione puniendi culpam, vt offensam Dei, pertinere ad pœnitentiam non elicitiuè, nec imperatiuè, sed tantùm reductiuè.

Ad rationem difficultatis respondemus, verecundiam, seu pudorem de facto turpi, non esse actum virtutis, nec laudabilem (quamuis aliquando habeat effectum laudabilem, quando scilicet retrahit à peccato) quia verecundia est timor infamiæ, prouenies ex motiuo & affectu propriæ æstimationis & honoris, siue in debita mensura, siue non: & quia hoc motiuum vt sic non minùs impellit aliquando ad peccatum, quàm aliquando retrahit ab illo, ideò verecundia & pudor ex se non est actus honestus & laudabilis, ac proinde nec virtutis; detestatio verò & dolor de peccatis contra Deum semper ex se est actus honestus & laudabilis, quamuis supponat actum turpem, ac proinde potest esse actus virtutis.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm sit aliqua peculiaris & determinata virtus Pœnitentiæ.

ALtisiodorensis lib. 4. Summæ, tractatu 6. quæst. 3. & Maior in 4. dist. 14. quæst. 2. dubio 1. docent, non esse aliquam peculiarem & determinatam virtutem pœnitentiæ, ad quam peculiariter pertineat detestari & dolere de peccatis, & eorum destructionem intendere, sed generaliter ad quamlibet virtutem pertinere detestationem & dolorem peccatorum sibi oppositorum, & eorum destructionem intendere; ac proinde quamlibet virtutem, vt inclinantem in hos dictos actus pœnitentiæ, esse veram pœnitentiam. Et probari potest, Primò, quia ad id tantùm pertinet fugere malum aliquod, & eius destructionem intendere, ad quod pertinet prosequi bonum cui illud malum opponitur: sed ad quamlibet virtutem pertinet prosequi bonum sicui peccato oppositum; ergo ad quamlibet pertinet fugere peccatum illud suo bono oppositum, & eius destructionem intendere, & non ad aliam virtutem; ac proinde quælibet virtus est verè pœnitentia respectu peccati sibi oppositi, prout inclinat in fugam peccati sibi oppositi, & in intentionem destructionis illius, & præter eas non est alia peculiaris virtus ad quam id pertineat. Secundò, quia intentio satisfaciendi pro offensa parentibus & proximis illata, pertinet ad pietatem aut iustitiam, contra quas delinquendo illos offendimus, & non ad aliam virtutem; ergo intentio satisfaciendi pro offensa Deo facta (& idem est de detestatione & dolore illius) pertinet ad eam virtutem, contra quam delinquendo Deum offendimus, & non ad aliam distinctam. *Altisiodor. Maior.*

S. Thomas verò quæst. 85. artic. 2. dub. vnico, & communiter Scholastici in 4. distinct. 14. docent, esse peculiarem & determinatam aliquam virtutem pœnitentiæ, & meritò: quia verè sunt actus aliqui pœnitentiæ honesti, propria & peculiari honestate, non conuenientes generaliter virtutibus, & in quibus eliciendis voluntas patitur aliquam difficultatem: ergo verè est *S. Thomas. Vasquez.*

aliqua virtus pœnitentiæ determinata & peculiaris. Antecedens probatur, quia deteſtatio & dolor peccati, quo peccator deteſtatur peccatum, & dolet de eo quatenus eſt offenſa Dei ex complacentia ipſius peccatoris, quia ipſi eſt malum offendiſſe Deum, ſunt verè actus pœnitentiæ (deteſtatio radicaliter, & dolor formaliter) vt patet, & ſunt honeſti (vtpote rationi conſoni) vt etiam patet, & non conueniunt generaliter virtutibus, quia virtutes generaliter non deteſtantur peccatum, & dolent de eo, vt eſt offenſa Dei ex complacentia ipſius peccatoris, ſed tantùm vt eſt diſſonum rationi; ac proinde ſunt honeſti peculiari honeſtate non conueniente generaliter virtutibus, & in eis eliciendis eſt in voluntate difficultas, vt etiam patet. Et eodem modo intentio peccatoris compenſandi offenſam Deo illatam per peccatum, & eam deſtruendi ex complacentia ſui, quia ſibi eſt malum perſeuerare in ſtatu offenſoris Dei, etiam eſt actus pœnitentiæ, & honeſtus, & peculiari honeſtate, & non conueniens generaliter virtutibus, & in eo actu eliciendo eſt in voluntate aliqua difficultas; ergo.

Ad primam ergo rationem aduerſariorum reſpondemus, quòd quamuis quælibet virtus deteſtetur peccatum ſibi oppoſitum, & de eo doleat ex ſuo proprio motiuo, ac proinde quælibet poſſit dici pœnitentia, prout inclinat in eos actus deteſtationis & doloris ex ſuo proprio motiuo elicitos, non tamen deteſtatur peccatum, nec dolet de peccato quatenus eſt offenſa Dei, & ſub hoc reſpectu non opponitur illis, ſed tantùm quatenus eſt contra rationem, & ei diſſonum, non habito reſpectu ad Deum: quia quamuis ipſa culpa ſeu malitia, quæ conſiſtit in diſſonantia & contrarietate ad rationem, ſit ipſa offenſa Dei, quia ea diſſonantia eſt obiectum diſplicens Deo, in quo conſiſtit eſſe offenſam Dei; nihilominùs formaliter diſtinguitur ab offenſa Dei, quia diſſonantia ad rationem non concipitur vt offenſa Dei, dum tantùm concipitur vt diſſonantia ad rationem, quouſque etiam concipiatur vt obiectum diſplicens Deo: & ideò præter alias virtutes, quibus deteſtamur peccatum vt rationi diſſonum, conſtituenda eſt peculiaris virtus pœnitentiæ, qua deteſtemur culpam, ſeu diſſonantiam ad rationem, vt offenſam Dei, & qua de culpa, quatenus offenſa Dei, doleamus, & qua intendamus deſtruere ſtatum culpæ vt eſt offenſa Dei, quod eſt compenſare offenſam Dei, & pro ea ſatisfacere.

Et ad ſecundum concedimus Antecedens, & negamus Conſequentiam, ob diſcrimen inter offenſam parentibus & proximis ex vna parte, & inter offenſam Deo factam per peccatum ex altera; quia offenſa parentibus & proximis facta eſt ſtrictè contra iuſtitiam in illos, quia eos verè lædimus, offenſa autem contra iuſtitiam ſtrictè in aliquem, verè aufertur per iuſtitiam oppoſitam iniuſtitiæ, & non per aliam virtutem, quia tantùm per actum illius aufertur læſio contra ipſam, & intentio illam auferendi elicita ex complacentia ipſius intendentis (& idem eſt de deteſtatione & dolore illius) etiam eſt iuſtitiæ, & non alius virtutis; ac proinde ad hanc intentionem, & ad ablationem dictæ iniuſtitiæ, ſufficit virtus iuſtitiæ, quæ erga parentes dicitur pietas, & erga proximos retinet nomen iuſtitiæ. Offenſa verò Deo illata per peccatum, etiam ſacrilegij, non eſt contra iuſtitiam aliquam ſtrictè in Deum, quia non offendimus Deum ipſum lædendo, ſed ei diſplicendo noſtris peccatis, & efficiendo nos ipſi inuiſos, & coram ipſo maculatos, quod non aufertur actu oppoſitæ virtutis, ſed actu charitatis; quia hoc actu, & non actu oppoſitæ virtutis, efficimur Deo grati, & coram ipſo mundi; & intentio deſtruendi dictam offenſam elicita ex complacentia operantis (& idem eſt de deteſtatione & dolore illius) non eſt charitatis, per cuius actum deſtruitur, quia non elicitur ex complacentia Dei, nec eſt illius virtutis contra quam fuit peccatum, quia ad hanc tantùm pertinet deſtructio peccati vt offenſa Dei, ac proinde intentio illa (& idem eſt de deteſtatione & dolore illius vt offenſa Dei eſt) pertinet ad virtutem pœnitentiæ, diſtinctæ ab omnibus aliis.

Ex dictis conſtat, obiectum materiale peculiaris & determinatæ virtutis pœnitentiæ, quoad actus deteſtationis & doloris, eſſe peccatum prout eſt offenſa Dei; & obiectum formale illius, quoad eoſdem actus (quod in vnaquaque virtute eſt proprium, & proximum motiuum actuum illius) eſſe idem peccatum vt offenſam Dei, quatenus ipſi pœnitenti malum vt ſic: Quia peccatum vt offenſa Dei, vt ſic malum pœnitenti, eſt motiuum deteſtationis & doloris peccati, vt offenſæ Dei, ſiue perſeuerantis, ſiue iam remiſſi. Obiectum verò materiale virtutis pœnitentiæ, quoad dictam intentionem deſtruendi offenſam Dei eſſe deſtructionem offenſæ Dei, ſeu non eſſe offenſæ Dei, prout ſubeſt deſtructioni; formale verò, eſſe bonitatem ipſius deſtructionis, quâ eſt bona ipſi pœnitenti.

Obſeruandum tamen eſt, quòd quando ſancti Patres nos ad pœnitentiam interiorem exhortantur, & eius valorem prædicant, non curant de dicta peculiari pœnitentia, quia hæc nec eſt neceſſaria ad iuſtificationem quam Patres nobis deſiderant mediâ pœnitentiâ, nec ad illam ſufficit, quia nec eſt ſanctitas, nec vltima diſpoſitio ad illam; ſed loquuntur de contritione perfecta, quæ verè ſanctificat animam, aut tamquam forma, aut tamquam vltima diſpoſitio ad illam. Et quamuis contritio perfecta eliciatur à charitate, vt dicemus Diſp. II. Diffic. I. nihilominùs optimè dicitur pœnitentia; quia perfecta contritio eſt vera diſplicentia peccati ſiue pura ſiue dolorosa: & quia perfecta contritio eſt ſufficiens & efficax ad deſtruendum peccatum, ideò poteſt reflexè imperari ab intentione compenſandi ſeu deſtruendi offenſam Deo per peccatum illatam, quæ intentio eſt actus elicitus à dicta peculiari virtute pœnitentiæ, à qua intentione contritio perfecta nullam accipit bonitatem, ſed tantùm ex motiuo charitatis à qua elicitur: quia quando ipſa contritio elicitur, non elicitur ex motiuo pœnitentiæ, nec ob bonitatem pœnitentiæ, ſed tantùm ex motiuo charitatis à qua elicitur, ipſa tamen intentio dicta accipit bonitatem moralem à contritione perfecta imperata, quia ipſa intentio, quantum eſt ex ſe, inducit voluntatem ad ipſam contritionem.

DIFFI-

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm virtus peculiaris pœnitentiæ ita sit peculiaris, vt sit distincta à iustitia, & à religione, & ab alijs omnibus.

Scotus. Durand. Gabriel.

SCotus in 4. dist. 14. quæst. 2. Durandus q. 2. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 9. docent, peculiarem virtutem pœnitentiæ non esse distinctam à iustitia, quia per pœnitentiam recompensari intenditur offensa & iniuria Deo facta per peccatum. Proprium autem est iustitiæ, iniurias recompensare, & omnem inæqualitatem auferre. Dissentiunt tamen prædicti in assignanda iustitia, à qua dicunt pœnitentiam non distingui: quia Scotus existimat, non distingui à iustitia punitiua seu vindicatiua; Durandus, non distingui à iustitia commutatiua; & Gabriel, non distingui à iustitia distributiua.

Suarez. Ægidius.

Suarez disp. 7. sect. 2. & Ægidius d. 1. dub. 4. docent, virtutem peculiarem seu specialem pœnitentiæ non esse distinctam à virtute religionis.

S. Thomas.

Quod indicare videtur S. Thomas 2. 2. q. 85. ar. 1. dum ait, religionem dici à reeligendo, quia Deum, quem negligenter amiseramus, reeligimus per religionem; id autem efficimus per pœnitentiam. Et ratione probatur Primò, quia per pœnitentiam intendimus compensare offensam Deo per peccatum illatam: sed per peccatum offendimus Deum, ipsi auferendo honorem; ergo per pœnitentiam intendimus Deo honorem ipsi ablatum reddere, & ipsum colere, quod ad religionem pertinet, ergo pœnitentia est religio. Secundò, quia ad intentionem satisfaciendi pro offensa parentibus & proximis illata, non datur virtus aliqua distincta ab omnibus aliis, quia ad id sufficit pietas aut iustitia, contra quas delinquendo illos offendimus; ergo ad intentionem satisfaciendi pro offensa Deo facta, quæ etiam ad pœnitentiam pertinet, sufficit illa virtus, contra quam delinquendo Deum offendimus.

Sotus. Bellarm. Valentia. Vasquez.

Sotus verò in 4. d. 14. quæst. 2. art. 3. Bellarminus 2. de Pœnitentia cap. 7. Valentia disp. 7. q. 2. punc. 1. & Vasquez q. 85. art. 3. docent, & optimè, virtutem pœnitentiæ esse ita peculiarem seu specialem, vt sit distincta à iustitia, & à religione, & à charitate, & ab obedientia, & à qualibet alia.

Et in primis distinguitur à iustitia strictè sumpta; quia satisfactio, seu recompensatio ex iustitia strictè sumpta, supponit illatam iniustitiam strictè sumptam, & inæqualitatem, quam reducat ad æqualitatem & ad iustitiam: satisfactio autem, seu recompensatio pro offensa Dei, quæ intenditur per pœnitentiam, non supponit iniustitiam aliquam strictè sumptam Deo per peccatum illatam, quia peccatis nostris, v. g. superbiæ, nullam strictè iniustitiam contra Deum committimus; aliàs quolibet peccato, v. g. intemperantiæ, peccantes, duplex ad minus peccatum committeremus, alterum contra temperantiam, & alterum contra iustitiam in Deum, quod est manifestè falsum, quia nullo peccato distincto à peccato sacrilegij. Imò nec isto possumus Deo iniustitiam strictè sumptam inferre, quia Deus nullo nostro peccato, neque sacrilegij, quo Deo honorem auferimus, potest strictè lædi & damnificari, sicut ex nullo nostro obsequio & bono opere, neque religionis, potest Deo aliquid strictè emolumenti euenire, vt significatur Iob 22. *Quid prodest Deo si iustus fueris, aut quid ei confert, si fuerit immaculata via tua?* de quo latè diximus Tractatu de Incarnatione, Disp. 1. Diffic. xx. Ergo pœnitentia est distincta virtus ab omni strictà iustitia, præsertim à commutatiua.

Et specialiter distingui à iustitia distributiua, contra Gabrielem probatur, quia hæc respicit æqualitatem non Arithmeticam, seu inter duas res, vt inter pecuniam & mercem; sed æqualitatem Geometricam, seu inter duas proportiones, qualis est æqualitas quæ ex vna parte versatur inter proportionem bonorum distributorum, & ex altera inter proportionem meritorum plurium personarum, quibus facienda est distributio. Ille autem qui per pœnitentiam intendit recompensare offensam Deo illatam, non intendit ponere æqualitatem Geometricam, aut saltem ad eam non attendit; sed tantùm ad Arithmeticam, nempe ad eam quæ est inter offensam Deo illatam, & inter recompensationem illius.

Et quòd etiam distinguatur à iustitia punitiua seu vindicatiua strictè sumpta (qualis in nobis reperitur) contra Scotum probatur, quia in primis pœnitentia, quatenus intendit compensare seu delere offensam Dei, non est iustitia punitiua seu vindicatiua, quia pœnitentia vt sic, non intendit punire & vindicare, sed destruere offensam Dei. Et quamuis intentio satisfaciendi pro debito pœnæ temporalis, etiam pertineat ad pœnitentiam (quamuis reductiuè tantùm) quia id est intendere punire offensam Dei; nihilominùs nec pœnitentia vt sic est iustitia punitiua seu vindicatiua strictè, quia ipsa satisfactio pro pœna non est actus iustitiæ punitiuæ seu vindicatiuæ strictè, quia per eam satisfactionem non resarcitur Deo offenso iniuria, seu iniustitia strictè sumpta, quia nulla talis infertur nec inferri potest Deo per peccatum.

Deinde secundò pœnitentia distinguitur à religione, quia per religionem strictè profitemur Dei excellentiam, ipsum colendo, vt fit per adorationem, per sacrificium, per orationem, per votum, per iuramentum, & non per quodcumque aliud opus bonum, nisi latiori significatione; aliàs à contrario quodcumque peccatum esset sacrilegium contra religionem: sed per actus pœnitentiæ non profitemur strictè excellentiam Dei, ipsum strictè colendo, quia displicentia, qua nobis displicet offensa Deo per peccatum illata, & intentione satisfaciendi pro illa, quæ sunt actus pœnitentiæ, non colimus strictè Deum, nec eum vt excellentem recognoscimus & respicimus, sed tantùm vt offensum; ergo.

Rursus tertiò pœnitentia distinguitur à charitate, quia quamuis charitas etiam detestetur omne peccatum vt offensam Dei, & de quocumque vt sic doleat, vt detestatur & dolet pœnitentia, sed non ex complacentia pœnitentis, ex qua pœnitentia detestatur & dolet, sed ex complacentia Dei, quia est offensa ipsius Dei.

Deinde quartò distinguitur ab obedientia, quia quamuis hæc etiam detestetur omnem transgressionem legis, & de ea doleat ex complacentia ipsius pœnitentis, sed non nisi quando facta est in contemptum ipsius legis, & tunc non quia est offensa Dei, sed quia facta est in contemptum legis.

Tandem quintò, quòd etiam distinguatur ab omnibus aliis virtutibus, constat ex eo, quòd actus pœnitentiæ suprà assignati nulli alij virtuti conueniunt, vt discurrenti per singulas facilè patebit.

Pœnitentia ergo peculiaris, ita est virtus peculiaris, vt sit distincta ab omnibus aliis, habens tamen aliquam similitudinem cum iustitia, quia aliquo modo est ad alterum, nempe ad Deum, quia elicit actus, qui versantur circa Deum, quia actus, quos elicit, versantur circa peccatum, seu circa maculam & culpam, apprehensam vt offensam Dei; & ob id pœnitentia dici potest pars iustitiæ non subiectiua (quales sunt species respectu generis, homo v. g. respectu animalis) sed potestatiua, deficiens à propria & stricta iustitia, sicut religio.

Ad rationem ergo pro Scoto, Durando & Gabriele, concedimus, per pœnitentiam intendi recompensationem offensæ & iniuriæ Deo illatæ per peccatum (quamuis per actum pœnitentiæ non fiat immediatè & formaliter, sed mediatè & efficienter moraliter, quia inducit ad contritionem, per quam recompensatur & deletur) quia tamen iniuria illa non est propriè & strictè iniustitia, sed latè, ideò pœnitentia, per quam intenditur compensari, non est iustitia strictè, sed latè.

Ad rationem verò pro Suarez & Ægidio, negamus, quocumque actu peccati auferri strictè honorem Deo, sed tantùm peccato sacrilegij, sicut nec quocumque opere bono strictè honoramus Deum, sed opere virtutis religionis; ac proinde per pœnitentiam, per quam intendimus satisfacere Deo pro quocumque peccato, non intendimus strictè reddere Deo honorem, quod pertinet ad religionem; sed intendimus offensam Dei destruere, quod non pertinet ad religionem, adhuc quando offensa illata est Deo opere sacrilego, quo aufertur Deo honor: quia offensa, quæ per pœnitentiam intenditur destrui, non consistit in ablatione honoris, nec ea offensa quæ fit opere sacrilego, sed in ipsa malitia seu culpa; hæc autem offensa non destruitur reddendo Deo honorem ablatum, adhuc quando strictè est ablatus opere sacrilego, sed emundando animam à macula illa & culpa relicta post actum peccati, quæ reipsa est ipsa offensa Dei, quod nec intenditur, nec fit opere religionis, sed intenditur per pœnitentiam, & fit per actum charitatis, & quamcumque aliam formam iustificantem.

Pœnitentia ergo peculiaris pro actu formalissimo est dolor, quo quis dolet se offendisse Deum, aut in statu offensoris perseuerare; & sumpta pro virtute, est habitus inclinans in dolorem, quo quis dolet se offendisse Deum, aut se in statu offensoris perseuerare.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm virtus peculiaris pœnitentiæ sit supernaturalis.

SVpponimus, virtutem peculiarem, seu speciem pœnitentiæ, non esse Theologicam, sed moralem: quia quamuis actus ipsius sint circa Deum, sed non circa Deum in recto, seu directè, sed tantùm in obliquo seu indirectè, sicut religio. Quia sicut religio habet pro obiecto directo cultum Dei, & non Deum nisi in obliquo, tamquam eum cui cultus defertur; ita etiam peculiaris pœnitentia habet pro obiecto directo intentionis ab ipso elicitæ compensationem seu destructionem iniuriæ Deo factæ, & non Deum nisi in obliquo; & pro obiecto directo displicentiæ ab ipsa elicitæ habet ipsam offensam Dei, & non Deum nisi in obliquo, tamquam eum cuius est ipsa offensa, quæ displicet, & destrui intenditur.

Hoc ergo supposito, Durandus in 4. d. 14. q. 2. Ioannes Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 1. docent, peculiarem virtutem pœnitentiæ esse naturalem, & non esse aliquam supernaturalem. Canus vero Relect. de Pœnitentia 2. parte, concl. vlt. & Vasquez quæst. 85. art. 5. dub. 2. docent contrà esse supernaturalem, & nullam posse esse naturalem. *Durandus. Ioannes Medina. Canus. Vasquez.*

Nos tamen existimamus posse esse aliquam peculiarem virtutem pœnitentiæ supernaturalem, & aliquam naturalem (quod etiam conuenit omnibus aliis virtutibus moralibus, & supponit Bartholomæus Medina 1 2. quæst. 61. art. 5.) quia sunt aliqui actus pœnitentiæ peculiaris, qui sunt ex obiecto supernaturales, & alij qui sunt naturales, ergo. Antecedens autem probatur, quia potest esse displicentia peccati vt offensiui Dei, tam pura quàm dolorosa, quæ sit ob motiuum supernaturale proprium, nempe ob offensam Dei vt est mala pœnitenti, vt conciui Sanctorum, & domestico Dei, eleuato ad finem supernaturalem; & potest etiam esse displicentia peccati, vt offensiui Dei, tam pura quàm dolorosa, quæ sit ob motiuum naturale proprium, nempe ob offensam Dei vt est mala pœnitenti, vt ciui congregationis humanæ secundùm se, non eleuato ad finem supernaturalem. Et eadem proportione potest esse intentio compensandi seu destruendi culpam seu peccatum vt offensam Dei, quæ sit ob motiuum supernaturale proprium, nempe ob compensationem seu destructionem offensæ Dei, vt ea compensatio seu destructio est bona ipsi pœnitenti, vt ciui supernaturali; & potest esse aliqua, quæ sit ob motiuum naturale proprium, nempe quia ea compensatio seu destructio est bona pœnitenti, vt ciui naturali, non eleuato ad finem supernaturalem. *Bartholom. Medina.*

Quòd si est aliqua virtus specialis pœnitentiæ supernaturalis, etiam erit per se infusa, quia ad omnem actum supernaturalem ex obiecto, qui difficilè elicitur, vt eliciuntur dicti actus pœnitentiæ specialis supernaturalis, Deus infundit habitum perfectiorem ipsis actibus, quo tamquam principio potentiam eleuante, ab ipsa connaturaliter eliciantur. Id tamen non tollit actibus pœnitentiæ supernaturalibus acquiri habitum, qui etiam sit virtus, & quo actus supernaturales illius promptè & facilè eliciantur, & qui sit minùs principalis quàm actus, quia non concurrit ad eorum substantiam, sed tantùm vt promptè & facilè eliciantur.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm omne peccatum sit obiectum materiale peculiaris virtutis pœnitentiæ.

COnueniunt Theologi, peccatum actuale proprium, non solùm mortale, sed etiam veniale, esse obiectum materiale peculiaris virtutis pœnitentiæ. Quod de mortali est manifestum, quia

quia in peccato actuali mortali proprio cuiuslibet, verè fuit offensa Deo illata, quam dicta virtus possit detestari, & de qua possit dolere, & cuius destructionem possit intendere: & id etiam de veniali negari non potest, quia etiam in eo verè est culpa & offensa Deo ipsi displicens, quamuis levis, quam etiam peculiaris virtus pœnitentiæ possit detestari, & de qua possit dolere, & cuius destructionem possit intendere.

Et ob rationem dictam non solùm peccatum ipsum actuale proprium, tam mortale quàm veniale, vt fuit actualiter, seu in primo fieri, est obiectum materiale peculiaris virtutis pœnitentiæ, sed etiam postquam transiit, & tantùm perseverat habitualiter, vt aduertunt Suarez disp. 2. sect. 1. & Ægidius disp. 1. dub. 3. quia pœnitens non solùm detestatur & dolet se offendisse Deum, sed etiam detestatur se esse in statu offensoris Dei, & de eo dolet, imò tantùm intendit destruere offensam vt habitualiter perseuerantem, quia hoc est possibile, & non vt fuit in primo fieri; quia impossibile est, quòd pœnitens intendat destruere quod offenderit Deum, cùm impossibile sit quòd non offenderit illum. *Suarez. Ægidius.*

Circa peccatum originale vnicuique proprium, non est negandum, posse esse in nobis displicentiam (tam puram quàm dolorosam) qua ex complacentia nostri displiceat illud vt offensam habitualem Dei contraxisse, & etiam in eo vt sic perseuerasse, quia nobis est malum fuisse, & esse habitualiter offensores Dei, & ipsi inuisos: & quamdiu perseuerat, etiam posse esse in nobis intentionem destruendi illud vt offensam Dei ex complacentia nostri, quia destructio illius vt sic, est nobis bona.

Vnde negandum non est, dictos actus displicentiæ & intentionis circa peccatum originale, vt offensiuum habitualiter Dei, elici à virtute peculiari pœnitentiæ, sicut ab ea eliciuntur actus displicentiæ & intentionis similes circa peccatum actuale mortale habituale, quia omnes isti & illi actus sunt pœnitendi (siue radicaliter siue formaliter, siue consequenter) de offensa Dei, & eiusdem rationis quoad esse morale. Cui non obstat, quòd dicti actus circa originale proprium non habeant rationem retractationis & resipiscentiæ cum displicentia peccati, & intentio illud destruendi tantùm habeat rationem retractationis & resipiscentiæ, quando est de peccato propria voluntate contracto: quia respectus retractationis & resipiscentiæ absque fundamento aliquo exigitur ad rationem pœnitentiæ, imò contra rationem, quia absque eo respectu possunt esse actus verè pœnitendi & dolendi.

Peccatum ergo originale proprium verè est obiectum materiale virtutis peculiaris pœnitentiæ, & prædicti actus circa illud sunt verè pœnitentiæ, & habitus, vt in eos inclinans verè est virtus peculiaris pœnitentiæ, quamuis non ita strictè, ac vt inclinans in similes actus circa peccatum actuale propria voluntate contractum, vt aduertit S. Thomas quæst. 48. art. 2. ad 3.

Peccatum verò alienum, siue actuale siue originale, non est obiectum materiale virtutis peculiaris pœnitentiæ (vt aduertit Vasquez quæst. 85. art. 4. dub. 2.) quia displicentia, quæ esse potest de peccato proximi vt offensiuo Dei, vel est ex complacentia Dei, quia Deo displicet, & hæc est charitatis erga Deum; vel ex complacentia proximi, qui peccauit & Deum offendit, quia ipsi fuit vel est mala, & hæc est beneficentiæ erga ipsum proximum. Etsi esse potest, & aliquando est ex complacentia ipsius, cui culpa & offensa est aliena, nequit esse eiusdem honestatis & virtutis, ac est in ipso proximo; quia huic aliter est mala quàm illi alteri; ex ipso tamen motiuo, ex quo elicitur, discernenda est, an sit honesta, & cuius virtutis, & an mala, & an indifferens.

DIFFICVLTAS VII.

Quod sit subiectum proximum & immediatum virtutis peculiaris Pœnitentiæ.

ALtisiodorensis lib. 4. Summæ tract. 6. q. 3. qui ibi docuit, pœnitentiam non esse peculiarem aliquam virtutem; sed generaliter ad quamlibet virtutem pertinere, esse pœnitentiam, & pœnitere de peccatis sibi oppositis. Consequenter docuit, non esse vnum aliquod determinatum subiectum proximum pœnitentiæ, sed esse varia subiecta proxima pro varietate virtutum, quibus etiam conuenit esse pœnitentias, quatenus inclinant in actus pœnitentiæ circa peccata sibi opposita. Modus tamen iste dicendi supponit, non esse peculiarem aliquam virtutem pœnitentiæ. Quod esse falsum, ostendimus Diffic. 111. *Altisiodor.*

Alij verò (vt referunt Alexander 4. p. quæst. 12. memb. 2. art. 3. & Bonauentura in 4. dist. 14. 1. p. distinct. art. 2. quæst. 1.) docuerunt, peculiarem virtutem pœnitentiæ proximè subiectari in intellectu, quia pœnitentia est iustitia quædam; iustitia autem constituenda est in intellectu, quia tamquam Iudex tribuit vnicuique quod suum est, & satisfacit pro iniuria vnicuique facta. Modus etiam iste dicendi non placet, quia actus interior iustitiæ non consistit in iudicando quid sit vnicuique tribuendum, nec quid sit faciendum pro iniuria vnicuique facta, sed tantùm consistit in affectu tribuendi vnicuique quod suum est, aut satisfaciendi pro iniuria strictè vnicuique facta. *Alexand. Bonauent.*

S. Thomas verò & Caietanus quæst. 85. art. 4. Vasquez dub. 1. Suarez disp. 7. sect. 5. & Ægidius disp. 1. dub. 6. docent, peculiarem virtutem pœnitentiæ proximè subiectari in voluntate, & meritò: quia actus huius virtutis sunt affectus voluntatis, nempe displicentia peccati, vt offensiui Dei, & intentio illud vt sic destruendi, & non sunt actus intellectus; ergo habitus pœnitentiæ peculiaris illis actibus deseruiens (in quo virtus pœnitentiæ peculiaris consistit) est in voluntate, & non in intellectu. *S. Thomas. Caietanus. Vasquez. Suarez. Ægidius.*

Est autem in voluntate, quatenus concupiscibili, quia est in ipsa quatenus concupiscente seu appetente destructionem offensæ Dei, & quatenus hanc offensam detestante, & de ea dolente; & non est in illa quatenus irascibili: quia appetitio quasi vindictæ & recruciationis pro offensa Dei, quæ esse potest in pœnitente, & pertinet ad voluntatem vt irascibilem, tantùm pertinet ad pœnitentiam reductiuè, non elicitiuè, nec imperatiuè, vt diximus Difficultate 11.

DIFFICVLTAS VIII.

In quibus sit peculiaris virtus Pœnitentiæ.

SVpponimus, peculiarem virtutem pœnitentiæ ex sua natura acquisitam (si datur) siue naturalem siue supernaturalem, esse in omnibus illis personis aut naturis, in quibus fuerunt actus illius repetiti, quia eis acquiritur; & non fuisse in illis in quibus non fuerunt dicti actus, quia eis solùm acquiritur.

Hoc supposito, difficultas est, In quibus fuerit peculiaris virtus pœnitentiæ supernaturalis, & per se infusa, vt credimus dari.

Circa hanc difficultatem, omissis variis modis dicendi, existimamus, peculiarem virtutem pœnitentiæ per se infusam non fuisse in Christo; fuisse tamen in omnibus aliis iustis viatoribus, & beatis hominibus, & Angelis, & in hominibus iustis, siue in statu innocentiæ siue in statu naturæ lapsæ, & in his siue paruulis siue adultis, etiam confirmatis in gratia, & in hominibus.

S. Thomas. Paludan. Sotus. Vasquez.

Et in primis non fuisse in Christo (vt contra Argentinam docent S. Thomas in 4. disp. 14. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. Paludanus q. 4. Sotus q. 2. ar. 5. Vasquez q. 85. ar. 4. dub. 2. & communiter Theologi) probatur, quia in Christo fuisset omnino superflua: quia in Christo nullo modo, nec antecedenter, potuit esse peccatum, ac proinde in Christo ex defectu materiæ non potuit esse aliquis actus perfectus pœnitentiæ, qui tantùm potest esse circa peccatum proprium. Quòd verò in Christo potuerit esse affectus destruendi peccatum, sub conditione si ipse peccaret, non cogit ad constituendam in Christo virtutem pœnitentiæ infusam: quia virtus per se infusa, vtpote omnino liberè infusa à Deo, tantùm infunditur quando potest esse actus aliquis perfectus illius, vt perfectè & connaturaliter eliciatur, non verò quando tantùm potest esse actus imperfectus, qualis est dictus ille conditionatus: nec cogit ad illam constituendam in Christo, quòd ea sit ornamentum animæ, quia non est ornamentum animæ Christi; quia cùm actus illius supponant peccatum, nequit esse ornamentum, nisi his qui peccauerunt, aut absolutè peccare potuerunt.

Quòd verò infundatur, aut infusa fuerit omnibus aliis iustis in eorum iustificatione, probatur. Et in primis, quòd infundatur paruulis in Baptismo simul cum charitate & aliis virtutibus infusis, quia paruuli absolutè possunt peccare, & priùs venialiter quàm mortaliter; ergo est maximè expediens, in Baptismo fieri potentes ad perfectè & connaturaliter pœnitendum de peccatis venialibus, quæ possunt committere antequam peccato aliquo mortali amittant virtutem pœnitentiæ simul cum iustificatione, & aliis virtutibus infusis, comitibus sanctitatis & iustitiæ: etiam illos paruulos, qui de facto non sunt peccaturi (vel quia morituri sunt ante vsum rationis, vel alia de causa) quia absolutè potuerunt peccare; aliàs illis, qui ante vsum rationis sunt morituri, non infunderetur fides, nec spes, nec charitas (si hæc distinguitur à gratia habituali) quia de facto nullum actum earum sunt elicituri.

Et ob rationem dictam admittenda est virtus pœnitentiæ per se infusa in adultis iustis, etiam in illis qui in statu vsus rationis sunt iustificati: quia scilicet peccare possunt, & priùs venialiter, quàm mortaliter: & etiam in confirmatis in gratia (vt in B. Virgine) quia etiam isti antecedenter possunt aut potuerunt peccare, & priùs venialiter quàm mortaliter, quamuis de facto non sint aut non erant peccaturi, ob externam manutenentiam & protectionem Dei. Et etiam in primis parentibus in statu innocentiæ sanctificatis, quia etiam isti antecedenter potuerunt peccare, & priùs venialiter quàm mortaliter, quamuis externa manutenentia Dei non erant de facto peccaturi venialiter in eo statu.

Et quòd in prædictis iustis, quibus in via fuit pœnitentia infusa, etiam perseueret in patria, seu in statu beatitudinis, probatur: quia non est cur ab illis auferatur quando patriam ingrediuntur, imò eis deseruit in ornamentum. Dispar autem est ratio de virtutibus fidei & spei, vt auferantur ad introitum gloriæ (si verum est auferri:) quia his duabus virtutibus in patria succedunt alia perfectiora, quia virtuti seu habitui fidei succedit habitus luminis gloriæ animæ. Quod præsertim est verum in illis beatis, qui de facto peccarunt in via, quia in eis potest esse actus pœnitentiæ radicaliter, nempe pura displicentia & odium peccati absque dolore, afflictione, & angore, qui gaudio beatifico impeditur.

Tandem ob rationem supradictam credimus fuisse infusam omnibus Angelis in eorum sanctificatione, quia scilicet peccare potuerunt, & priùs venialiter quàm mortaliter; & eam perseuerare in Angelis beatis in ornamentum eorum, sicut in hominibus beatis: in damnatis verò, etiam hominibus, quibus fuit infusa in via, non perseuerare, quia ea fuerunt expoliati simul cum gratia, & charitate, & aliis virtutibus moralibus infusis, quando mortaliter peccarunt.

DISPVTATIO II.

De effectu Pœnitentiæ.

NOMINE pœnitentiæ in hac disputatione intelligimus non habitum & virtutem pœnitentiæ, sed detestationem & dolorem peccatorum, & non detestationem & dolorem pertinentes ad specialem virtutem pœnitentiæ circa quæcumque peccata, vt sunt offensiua Dei, & de eis vt sic dolet; nec pertinentes ad alias virtutes, quæ detestantur peccata sibi opposita, vt dissonantia ad rationem, & de eis vt sic dolent: sed intelligimus contritionem perfectam, quæ est perfectissima pœnitentia actualis, & quam Patres intelligunt nomine pœnitentiæ.

DIFFI-

DIFFICVLTAS I.

Quid sit contritio perfecta.

Trident. CONtritio formalis, prout abstrahit à perfecta & imperfecta, definitur à Tridentino sess. 14. cap. 4. quòd sit, *Animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero.* Est autem discrimen inter dolorem & detestationem de peccato commisso ex vna parte, & inter propositum non peccandi de cetero ex alia, quòd dolor expressus aut detestatio expressa sufficit & requiritur ad essentiam contritionis formalis, propositum verò expressum nec sufficit nec requiritur ad illam.

Et in primis, quòd dolor expressus aut detestatio expressa sufficiat, & non propositum expressum, patet: quia dolore expresso aut detestatione expressa formaliter conterimur, & non proposito expresso. Deinde, quòd dictus dolor aut dicta detestatio requiratur, & non dictum propositum, etiam patet: quia absque eo proposito, solo dicto dolore aut sola dicta detestatione conterimur formaliter, & non dicto proposito absque eo dolore aut ea detestatione. Non negamus, sed fatemur, aliquando in expresso dolore & in expressa detestatione virtualiter & implicitè contineri propositum, quando sunt affectus firmi & perfecti, quia qui sic verè dolet de peccato commisso, aut illud detestatur, virtualiter & implicitè proponit vitare peccatum de cetero.

Addimus, dolorem expressum aut detestationem expressam sub distinctione sufficere ad contritionem; quia quilibet affectus tam puræ displicentiæ, quam nos nomine detestationis significamus, quàm affectus doloris seu displicentiæ dolorosæ, sufficit ad contritionem, cùm quilibet sit vera displicentia peccati, quæ ad contritionem sufficit. Quòd autem Tridentinum dixerit, contritionem esse dolorem ac detestationem, addendo particulam *ac*, quæ copulatiua est, quo indicare videtur, vtrumque affectum requiri ad contritionem, non obstat; vel quia Tridentinum vsum est nominibus *doloris & detestationis*, quasi synonymis, prout significantibus affectum displicentiæ, prout abstrahit à pura & à dolorosa; vel quia pura displicentia, quam nos nomine *detestationis* significamus, & dolor, semper saltem regulariter reperiuntur simul in subiecto capaci doloris, & non impedito.

Trident. Prædicta autem contritio formalis, vt tradit Tridentinum vbi suprà, duplex est: vna perfecta, & altera imperfecta. Contritio perfecta, est detestatio aut dolor de peccato propter Deum ex charitate dilectum, vt ibi significat Tridentinum dum supponit, aliquando contritionem charitate perfectam esse, & Deo reconciliare extra Sacramentum. Conuenit autem contritioni in specie perfectio charitatis, non accidentaliter & imperatiuè, vt non pauci affirmant, sed essentialiter & elicitiuè, *Vasquez.* vt Vasquez q. 86. art. 2. num. 45. & plures alij docent: quia illi conuenit ex proprio motiuo, seu obiecto formali, quamuis partiali, quia in contritione perfecta, quæ est vna actio realiter indiuisibilis, est duplex respectus ratione distinctus, alter fugæ, seu displicentiæ ad peccatum vt offensiuum Dei, quo peccatum vt sic fugimus, & nobis displicet (cuius respectus obiectum tam materiale quàm formale est ipsa offensa Dei, quia ipsa displicet ob ipsam:) & alter prosecutionis, seu complacentiæ ad Deum, quo prosequimur amore Deum, & in ipso complacemus ob eius bonitatem, ex cuius complacentia nobis displicet peccatum vt ipsi offensiuum (cuius obiectum materiale est Deus, & formale bonitas ipsius Dei.) Quod in omni affectu voluntatis generaliter contingit: in omni enim affectu, tam amoris quàm odij, est duplex respectus, alter ad bonum vel ad malum, quod alicui volumus aut nolumus, & alter ad personam, cui volumus aut cui nolumus malum aut bonum: qui duo respectus non distinguuntur ex natura rei, sed tantùm ratione, quia numquam re ipsa separantur; quia amare aliquem beneuolè, est illi velle bonum, aut nolle illi malum ex complacentia illius; & odio habere aliquem, est nolle illi bonum, aut velle illi malum ex displicentia illius; quia numquam volumus aut nolumus bonum aut malum, nisi nobis aut aliis, & numquam nos nec alios amamus vel odio habemus, nisi volendo vel nolendo nobis aut aliis bonum aut malum. Contritio ergo perfecta non imperatur ab actu charitatis Dei, sed formaliter & elicitiuè est actus charitatis Dei vtpote ex partiali suo respectu & motiuo, quamuis ex altero suo respectu & motiuo partiali sit detestatio aut dolor de peccato.

Contritio verò imperfecta (quæ à Doctoribus & à Tridentino sess. 14. cap. 4. dicitur attritio) est detestatio aut dolor de peccato ex motiuo pœnarum inferni, aut alius damni spiritualis, aut turpitudinis & malitiæ peccati, vt traditur in Tridentino. *Trident.* Dicitur autem contritio imperfecta, non quia sit mala seu defectuosa, sed quia non attingit perfectionem contritionis elicitæ ex motiuo bonitatis Dei, cui displicet peccatum, & quem, ei displicendo mediâ malitiâ seu culpâ peccati, offendimus, & non aliter.

Est tamen difficultas, An contritio imperfecta, seu attritio, possit fieri contritio perfecta.

Circa hanc difficultatem certum est, hominem ex attrito posse fieri contritum, tam formaliter & actualiter, quia post attritionem potest elicere actum contritionis; quàm habitualiter, quia accedens ad Sacramentum Baptismi aut Pœnitentiæ cum attritione accipit habitum charitatis, qui est habitus & principium connaturale ad eliciendam contritionem, quia contritio est formaliter actus charitatis, & amoris amicitiæ Dei. Est tamen difficultas, An attritio ipsa possit fieri contritio.

Scotus in 4. d. 14. quæst. 2. & Paludanus d. 17. *Scotus.* quæst. 1. art. 1. docent, attritionem ipsam fieri con- *Paludan.* tritionem perfectam, id tamen non eodem modo tuentur, quia Paludanus existimat, attritionem elicitam ex aliquo motiuo ex supradictis, aduenientе statu gratiæ, fieri contritionem perfectam, quia extrinsecè informatur & perficitur habitu ipso gratiæ & charitatis. Scotus verò, quia existimat, actum doloris de peccatis propter Deum super omnia dilectum esse attritionem, vsque ad aliquod certum tempus soli Deo notum, & vsque ad illud non iustificare, & ab eo tempore incipere esse contritionem, & iustificare.

S. Thomas verò in 4. d. 17. quæst. 2. art. 1. quæ- *S. Thomas, Medina.* stiunc. 3. Medin. Cod. de Pœnitentia q. 5. Vasquez *Vasquez.* quæst.

Suarez. quæst. 86. art. 2. Suarez disp. 5. sect. 3. & communiter Theologi docent, attritionem non posse fieri contritionem, & meritò: quia attritio & contritio sunt actus substantialiter & specificè diuersi habentes substantias & essentias specificè diuersas, vtpote elicitæ ex motiuis disparatis, vt patet ex dictis; vna autem substantia & essentia actus nequit fieri alia substantia & essentia alterius actus.

Non negamus, attritionem perseuerantem vsque ad statum gratiæ, informari extrinsecè, & perfici ipso habitu gratiæ, & fieri meritoriam de condigno gloriæ, ex eo tamen non fit contritio, quia dolor de peccatis non est contritio perfecta, quia extrinsecè perficitur habitu gratiæ, sed quia perficitur actuali dilectione Dei (vt satis indicatur in *Trident.* Tridentino sess. 14. cap. 4. & constat ex dictis) siue extrinsecè & imperatiuè, quia ab ea imperatur, vt non paucis placet; siue intrinsecè & elicitiuè, vt nobis probatur, quia contritio intrinsecè & formaliter, quamuis tantùm partialiter, est dilectio Dei: attritio autem neutro modo perficitur actuali dilectione Dei, quia attritio non est propter Deum super omnia dilectum, in quo fallitur Scotus, & in eo, quòd si esset dilectio Dei super omnia, non iustificaret vsque ad aliquod certum tempus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm contritio perfecta sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.

COnueniunt Theologi, nullum actum peculiaris virtutis pœnitentiæ sufficere ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, vt constat ex illo Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* & etiam ratione: quia nulla dispicentia peccati, vt offensiui Dei ex complacentia pœnitentis, nec intentio destruendi illud ex complacentia eiusdem, est sanctitas animæ, vt patet; nec est vltima seu proxima dispositio ad sanctitatem, quia non est vltima aut proxima ex natura rei, vt patet; nec ex institutione Dei, quia de hac nullatenus constat. Imò ex facto testimonio Ioannis constat, non esse eam institutionem, quia nullus actus peculiaris virtutis pœnitentiæ est dilectio Dei. Et ob dictum testimonium, & ob dictam rationem idem dicendum est de detestatione & dolore peccati, vt dispositioni rationi, vt generaliter potest pertinere ad quamlibet virtutem.

Est tamen difficultas, An contritio perfecta, quæ est actus perfectissimæ pœnitentiæ non peculiaris, sed pertinens ad charitatem erga Deum, sufficiat ad iustificationem & remissionem peccatorum extra Sacramentum.

Kemnit. Circa hanc rem errauit Kemnitius 2. par. Examinis, reprehendens eos, qui remissionem peccatorum tribuunt contritioni absque Sacramento; quia aliàs nec Sacramentum Baptismi esset medium necessarium ad remissionem peccatorum antecedentium, nec Sacramentum Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum.

Conueniunt tamen Catholici, contritionem perfectam sufficere ad iustificationem & remissionem peccatorum absque Sacramento, quod supponitur in Tridentino *Trident.* sess. 6. cap. 4. & 14. & exprimitur sess. 14. cap. 4. & efficaciter deducitur ex Scriptura: & in primis ex illis locis, in quibus significatur, pœnitentiam sufficere ad remissionem peccatorum, quia contritio perfecta est perfectissima pœnitentia omnium, ex illo Reg. 12. vbi Dauid dicenti, *Peccaui Domino* (quo actum pœnitentiæ significauit) statim Nathan dixit, *Dominus quoque transtulit peccatum:* & ex illo Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam:* & ex illo Ezechielis 18. *Agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Deinde efficaciter deducitur ex illis locis, in quibus dilectioni Dei tribuitur infallibiliter remissio peccatorum: ex illo 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum:* & 1. Ioan. 7. *Qui diligit, ex Deo natus est:* & infrà, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* quia contritio perfecta aut est formaliter & intrinsecè actus dilectionis, vt nos credimus, aut saltem à dilectione Dei imperatur.

Et ita contritio perfecta est sufficiens ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, vt extra illud etiam sit necessaria ad illam, quia absque contritione, siue formali expressa, siue virtuali & implicita, nequit fieri remissio peccatorum, vt constat ex illo Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte:* & ex illo Lucæ 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.*

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm contritio perfecta expressa, absque expresso proposito non peccandi, sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.

ADrianus Quodlib. 5. art. 3. Paludanus in 4. d. 17. q. 1. & Sotus d. 15. q. 1. ar. 5. partem negatiuam tuentur, quam indicare videtur Ambrosius in definitione pœnitentiæ, quam ex ipso adducit Magister in 4. d. 14. *Pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterùm non committere;* & Gregorius in simili definitione pœnitentiæ, quam ex ipso Hom. 34. in Euangelia adduximus Disp. 1. Diffic. 1.

Adrianus. Paludan. Sotus. Ambros. Magist. Gregorius.

Maior verò in 4. dist. 14. q. 1. Medina Cod. de Pœnitentia, q. 3. & Vasquez q. 86. ar. 2. dub. 4. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia perfecta contritio adhuc absque expresso proposito non peccandi, est perfectissima pœnitētia, & auersio à peccatis, & etiam est vera & formalis dilectio Dei, & perfectissima coniunctio beneuolentiæ cum Deo, & perfectissima conuersio in ipsum; ergo absque dicto expresso proposito sufficit ad reconciliandum peccatorem cum Deo, & ad remissionem peccatorum illius.

Maior. Medina. Vasquez.

Addimus, eum, qui perfectè conteritur de peccatis præteritis, & dum conteritur recordatur periculi peccandi in futurum, vix posse contineri à proposito expresso non peccandi in futurum, quia contritio perfecta ad id proponendum excitat vehementer, & impellit (& in eo sensu est moraliter efficax ad id, ob quod propositum non peccandi dicitur in contritione virtualiter & implicitè contineri; & pœnitentia non tantùm dicitur præterita mala plangere, sed etiam plangenda iterùm nS committere:) sed non necessariò excitat,

excitat, vt aduertit Maior, quia nulla inter perfectam contritionem & dictum propositum est connexio ex natura rei, cuius oppositum absque firmo fundamento affirmat Vasquez.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm, vt contritio sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, necessarium sit, quòd feratur in omnia peccata in particulari.

Lodolphius. COnueniunt Doctores contra Lodolphum, ad remissionem peccatorum extra Sacramentum non esse necessariam singularem contritionem pro singulis peccatis, & meritò: quia ad remissionem illorum extra Sacramentum sufficit perfecta dilectio beneuolentiæ Dei, quæ eo ipso est perfectissima auersio à peccatis, & perfectissima conuersio in Deum, & coniunctio seu adhæsio amicitiæ & beneuolentiæ cum ipso: perfecta autem contritio peccatorum, quamuis sit omnium simul, est perfecta dilectio beneuolentiæ Dei.

Est tamen difficultas, An, quamuis sufficiat vna contritio omnium peccatorum, simul necessarium sit quòd feratur in omnia peccata seorsim, & in particulari recogitata, ea omnia seorsim & in particulari attingendo.

Canus. Canus Relectione de Pœnitentia 3. p. dub. vlt. concl. 3. partem affirmatiuam tuetur, quam tradidisse videntur Chrysostomus tom. 5. lib. 1. & 2. *Chrysost.* de Contritione, & Augustinus de Vera & falsa *August.* Religione, cap. 9. & 14. & 17. & deducitur ex illo Isaiæ c. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos*, &c. & ex illo Psal. 76. *Cogitaui dies antiquos.*

Suarez. Vasquez. Ægidius. Suarez verò disp. 4. sect. 3. Vasquez q. 86. art. 2. dub. 7. & Ægidius disp. 2. dub. 8. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia contritio perfecta, etiam illa quæ fertur in peccata in communi & in confuso apprehensa, est perfecta dilectio beneuolentiæ Dei, & expresè auertens perfectissimè à peccatis; ad remissionem autem peccatorum extra Sacramentum sufficit perfecta dilectio beneuolentiæ Dei, saltem expressa, auertens à peccatis, vt dicemus Difficultate sequenti, siue sufficiat tamquam forma, siue tamquam proxima & immediata dispositio ad formam remissiuam peccatorum.

Chrysostomus verò vbi suprà tantùm indicat, recogitationem peccatorum in particulari esse vtilem ad comparandam humilitatem: & Augustinus cap illo 9. tantùm indicat, ad remissionem peccatorum necessarium esse dolorem omnium eorum, dolor tamen omnium haberi potest absque eo quòd feratur in ea expresè & in particulari: & cap. 14. & 17. tantùm loquitur de cogitatione peccatorum in ordine ad confessionem faciendam.

In relatis autem verbis Isaiæ 38. & Psalm. 76. tantùm habetur, Isaiam & Dauid peccata sua in particulari cogitasse, & de eis in particulari doluisse, quod quamuis perfectissimum & vtilissimum sit, non tamen necessarium.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm contritio tantùm virtualis & implicita sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.

SVpponimus ex iam dictis, contritionem expressam & formalem, qua expresè & formaliter displicet nobis peccatum quia est contra Deum ex complacentia ipsius Dei, sufficere ad remissionem illius extra Sacramentum.

Est tamen difficultas, An ad id sufficiat contritio virtualis, quæ est contenta & implicita in quocumque alio actu dilectionis amicitiæ seu beneuolentiæ Dei.

Canus. Canus Relect. de Pœnitentia, part. 3. & Petrus *Petrus Sotus.* Sotus lect. 3. de Pœnitentia, partem negatiuam tuentur. Primò, quia perfecta pœnitentia & contritio non est minùs necessaria ad iustificationem & remissionem peccatorum extra Sacramentum, quàm fides Christi; sed nullus potest iustificari extra Sacramentum absque fide expressa & explicita Christi, ergo nec absque expressa & explicita contritione peccatorum. Secundò, quia martyrium, quod est actus charitatis imperatiuè, non sufficit in hæretico, nec in schismatico, ad iustificationem, nisi hæreticus expresè reconcilietur cum Ecclesia per abiurationem hæresis, & schismaticus per obedientiam: ergo nec actus charitatis sufficit ad iustificationem absque expressa pœnitentia & contritione; quia in eo qui peccauit, non est minùs necessaria pœnitentia ad iustificationem, quàm fides in hæretico, & obedientia in schismatico.

Medina. Vasquez. Suarez. Ægidius. Medina verò Cod. de Pœnitentia, quæst. 2. Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 1. Suarez disp. 9. sect. 1. & Ægidius disp. 2. dub. 6. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ad iustificationem & remissionem peccatorum sufficit actus dilectionis amicitiæ Dei, siue tamquam forma, siue tamquam proxima dispositio: sed in peccatore potest esse actus dilectionis Dei super omnia, absque expressa contritione peccatorum: ergo ad iustificationem ab illis non est necessaria expressa contritio illorum. Maior propositio, nempe quòd ad iustificationem à peccatis sufficiat actus dilectionis amicitiæ Dei, constat ex illo Ioan. 14. *Si quis diligit me, Pater meus diliget eum*; & ex illo 1. Ioan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Minor verò, nempe quòd etiam in peccatore possit esse actus dilectionis Dei absque expressa contritione, probatur: quia expressa contritio non est necessaria antecedenter ad actum dilectionis Dei tamquam principium, nec tamquam alio modo conducens ad eum eliciendum, quia sic non est necessaria ad illum ex institutione Dei, quia de hac non constat; nec est necessaria ex natura rei, quia ex natura rei, absque eo quòd quis antea expresè conteratur, potest Deo desiderare bonum aliquod ipsi extrinsecum, vt gloriam & honorem, aut in aliquo bono ipsius, siue intrinseco siue extrinseco, complacere ex complacentia ipsius, in quo vera ratio dilectionis amicitiæ erga Deum reperitur: nec est necessaria expressa contritio consequenter ad actum dilectionis Dei, quasi ad eum necessariò consequatur, quia diligenti Deum potest non occurrere in memoriam peccatum mortale. In quo

quo casu non poterit expressè conteri. Et quamuis occurrat, diligens non necessariò elicit expressam contritionem, cùm ex eo quòd quis velit Deo bonum aliquod ex complacentia illius, non necessariò elicit alios actus, quibus ipsi velit quodcumque aliud bonum, & detestatur omne quod illi grauiter displicet; etiamsi quando occurrit, vix possit contineri ab expressa contritione illius, quia dilectio amicitiæ Dei vehementer impellit ad expressam contritionem peccati mortalis memoriæ occurrentis, ob quod expressa contritio dicitur virtualiter & implicitè contineri in dilectione Dei, quia scilicet dilectio Dei habet virtutem moralem, quantum est ex se, efficacem moraliter ad excitandam expressam contritionem mortalis memoriæ occurrentis.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus, ad iustificationem & remissionem peccatorum extra Sacramentum necessariam esse fidem explicitam Christi, quia sufficit fides implicita in fide alicuius alius obiecti.

Et ad secundam respondemus, quòd quamuis in hæretico, adhuc manente hæretico, possit esse perpessio mortis in defensionem rerum fidei, sed non erit martyrium, nec iustificabit à peccatis, quia habet quòd sit martyrium, & iustificet, ex actu dilectionis Dei à quo imperatur, qui nequit esse in hæretico manente hæretico (etiamsi in eo manente tali possit esse aliquis actus fidei ob reuelationem diuinam) quia actus dilectionis Dei destruit peccatum hæresis, quia est incompossibilis cum quocumque peccato mortali. Potest tamen esse in hæretico desinente esse hæreticum, & ab eo actu perpessio mortis erit martyrium, & iustificabit à peccato hæresis (sicut à quocumque alio mortali) absque expressa retractatione & abiuratione erroris (præsertim quando error non occurrit memoriæ) sola retractatione implicita in ipso actu dilectionis. Et idem suo modo contingere potest in schismatico sine expressa obedientia Ecclesiæ, solâ obedientiâ implicitâ in actu dilectionis Dei.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm contritio sit sufficiens ex natura rei ad iustificationem extra Sacramentum.

PRocedit difficultas de contritione perfecta, prout disiunctim abstrahit à formali & à virtuali, seu, quod idem est, ab expressa & ab implicita, quia contritio vt sic (id est vna aut altera) est medium sufficiens ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, vt constat ex dictis: imò vt sic esse medium necessarium ad id, diximus Diffic. 11. & constat ex illo Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* & ex illo Lucæ 13. *Si pœnitentiam non habueritis, omnes simul peribitis.*

Est tamen difficultas, An contritio dicto modo sumpta, sit medium sufficiens ex natura rei ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, an tantùm ex diuina institutione.

Medina. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 2. art. 2. docet, contritionem perfectam dicto modo sumptam non esse sufficientem ex natura rei ad id, sed tantùm ex diuina institutione. Quod etiam indicat *Suarez.* Suarez disp. 9. sect. 3. quia contritio vt sic non est forma suâ naturâ sanctificans, & incompossibilis cum peccatis; nec suâ naturâ, sed tantùm ex diuina institutione, est dispositio proxima ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.

Sotus verò in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 7. Canus Relect. de Pœnitentia, part. 3. Vega 13. in Trident. cap. 20. Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 1. & Ochagauia Tract. 1. de Sacramento Pœnitentiæ, q. 13. docent, contritionem perfectam dicto modo sumptam esse ex natura rei sufficientem ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, & meritò: quia contritio perfecta, siue expressa siue implicita, est forma suâ naturâ sanctificans, & formaliter incompossibilis cum peccato mortali, vt dicemus Difficultate sequenti, ergo. Ex quo ad rationem aduersariorum constat, primam partem Antecedentis esse falsam. *Sotus. Canus. Vega. Vasquez. Ochagau.*

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm contritio sit forma ex se formaliter sanctificans, & remissiua peccatorum.

SVarez disp. 8. sect. 7. & lib. 7. de Gratia c. 8. sect. 13. & 14. Henriquez 1. de Pœnitentia, cap. 30. num. 3c. & Ægidius disp. 2. dub. 3. docent, contritionem perfectam, siue expressam siue implicitam, non esse formam ex se sanctificantem, & remittentem peccata, sed tantùm esse dispositionem vltimam & proximam ad gratiam habitualem, mediâ quâ peccator formaliter sanctificatur & emundatur à peccatis. *Suarez. Henriq. Ægidius.*

Vasquez verò 12. disp. 203. Iansenius in Concordia Euangelica cap. 48. in illud Lucæ 7. *Ideo dico tibi*; Vincentius de Gratia Christi, quæst. 1. & Ochagauia Tract. 1. de Sacramento Pœnitentiæ, quæst. 13. docent, contritionem, siue expressam siue implicitam, esse formam ex se formaliter sanctificantem, & formaliter remissiuam peccatorum, quod satis significant Augustinus de Natura & gratia, cap. 42. & cap. vlt. dum charitatem appellat *iustitiam*, & Tractatu 9. in Epistolam Ioan. dum charitatem appellat *sanitatem* & *pulchritudinem animæ* (eum autem loqui de charitate sumpta pro actu, constat ex contextu) & Ephrem libro de Die iudicij, cap. 5. & Bernardus lib. de Modo benè viuendi, ad sororem cap. 10. dum contritionem appellat *sanitatem animæ* & *illuminationem*, quia prædictis verbis satis significant, actum charitatis & contritionem esse ipsam formam, qua anima redditur formaliter iusta, sana, & pulchra; quia iustitia, sanitas & pulchritudo est forma reddens iustum, sanum, & pulchrum. *Vasquez. Iansenius. Vincent. Ochagau. Augustin. Ephrem. Bernard.*

Et ratione probatur: quia contritio, siue expressa siue implicita, vtpote dilectio beneuolentiæ Dei, est formaliter adhæsio & coniunctio perfectissima & affectuosa amicabiliter cum Deo dilecto amore amicitiæ seu beneuolentiæ, ergo contritio est forma ex se constituens ipsum, qui conteritur, formaliter coniunctum cum Deo beneuolè amato, & ipsi charum seu placentem, & actualiter amicum seu beneuolum & redamabilem ab ipso Deo, qui diligentes se diligit: ergo contritio causans seu præstans formaliter omnia hæc, est forma ex se sanctificans, reddens amicum Dei ipsum qui conteritur. Consequentia patet, quia in omnibus prædictis quæ formaliter præstat, constitit aliquem esse sanctum & amicum Dei, ac proinde eum qui conteritur, si sit maculatus peccato mortali, quod est inimicitia cum Deo, quantum est ex se

se emundat ab eo peccato; quia forma ex se sanctificans, & quæ est amicitia cum Deo, est incompossibilis cum peccato, quod est inimicitia cum Deo, & quantum est ex se illud extinguit & expellit: imò ita sufficienter illud expellit & extinguit, vt non egeat aliqua superaddita remissione à Deo facta, quia in nullo peccato (nec in eo quod est contra Religionem) præter malitiam ipsam, seu culpam & maculam qua Deo displicemus, & qua, si est grauis, efficimur formaliter obiectum diuini odij, quæ sufficienter potest expelli contritione tamquam forma incompossibili cum ipsa, reperitur alia iniuria seu offensa stricte contra iustitiam in Deum, pro cuius recompensatione vltra formam incompossibilem cum culpa seu macula peccati adhuc mortalis, necessariù sit reddere seu restituere aliquid aliud Deo, vt peccator non maneat illi offensus seu inuisus, quia Deus nullo in rigore damnificatur. Contritio ergo ita est forma ex se sanctificans, & remissiua peccatorum, vt sufficiat ad omnino extinguendum & expellendum peccatum, quamuis mortale, & ad sanctificeandam animam, & eam emundandam ab illo.

Quòd autem habitus gratiæ efficiat formaliter animam sanctam, & Deo gratam, non tollit, quòd etiam contritio id formaliter efficiat, & de facto, quia forma in subiecto capaci nequit non tribuere ei suum effectum formalem primarium, qui coalescit ex ipso subiecto, & ex ipsa forma subiecto communicata; quamuis iste effectus formalis primarius contritionis sit diuersæ speciei ab effectu formali primario habitus gratiæ, & inferioris speciei quàm effectus ipsius gratiæ, sicut etiam contritio est diuersæ speciei ab ipso habitu, vt patet, & etiam inferior, vtpote effectus in genere causæ efficientis ipsius habitus tamquam causæ principalis æquiuocæ. Ita tamen contritio perfecta est forma ex se sanctificans, & de facto ita sanctificat animam, vt ab ea transacta relinquatur anima habitualiter sancta, & conuersa perfectè in Deum: quod non habet ab habitu gratiæ transacto, quamuis auferretur absque peccato, quia proprium est affectus voluntatis, relinquere illam affectam & conuersam ad obiectum amatum.

Trident. Tridentinum autem sess. 6. cap. 7. dum ait, *Vnica est causa formalis iustificationis, iustitia videlicet Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit*; illâ particulâ *vnica*, quæ exclusiua est, tantùm excludit iustitiam increatam Dei, & fauorem aliquem extrinsecum Dei, non pluralitatem formarum quæ nobis insint, quarum quælibet sit sufficiens ad iustificationem.

Sed obijciunt aduersarij Primò testimonia Scripturæ & Patrum, in quibus ob perfectam contritionem promittitur sanctificatio & remissio peccatorum, aut saltem ei attribuitur tamquam nouum, & beneficium superadditum ipsi contritioni: ergo sanctificatio & remissio peccatorũ non est effectus formalis contritionis, quia effectus formalis, vtpote inseparabilis à forma, non est beneficium nouum, & superadditum ipsi formæ, & frustrà promittitur ob ipsam formam. Respon-

Vasquez demus, vt optimè Vasquez in eis testimonijs, in quibus conuersioni aut pœnitentiæ attribuitur sanctificatio & remissio peccatorum tamquam nouum beneficium Dei, aut ob eam promittitur, non esse sermonem de perfecta pœnitentia & conuersione, sed de imperfecta, nempe de attritione, comitantibus operibus pœnalibus, & alijs bonis operibus: quia ob attritionem sic comitatam promissa est remissio peccatorum (non minùs quàm ob eleemosynam) & illi potest attribui tamquam nouum & superadditum beneficium: in illis verò, in quibus sermo est de pœnitentia seu contritione perfecta, & ei attribuitur sanctificatio & remissio peccatorum, vel ob eam promittitur, tunc non attribuitur illi vt superadditum beneficium, nec ob illam promittitur stricte & rigorosè, sed tantùm attribuitur illi tamquam effectus inseparabilis ab ipsa, vt ad ipsam omnes afficiantur ob eius inseparabilem vtilitatem; vt quando quis habenti manus immundas, ait, Laua manus tuas, & erunt mundæ; vel, Promitto tibi earum munditiem.

Obijciunt Secundò, contritionem perfectam esse dispositionem ad iustificationem & remissionem peccatorum, vt significari videtur in Triden- *Trident.* tino sess. 6. c. 6. dum peccatores dicũtur disponi ad iustitiam detestatione peccati, & dilectione Dei; & sess. 14. cap. 4. dum de contritione, quam dixit fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, ait, præparare ad remissionem peccatorum: ergo contritio non est forma ex se sanctificans & remissiua peccatorum, quia nulla forma est dispositio ad effectum formalem, quem ipsa præstare potest. Respondemus, nomine detestationis, contritionis, & dilectionis Dei, quæ præparant ad remissionem peccatorum, & ad quas consequitur iustificatio à peccatis, non intelligi à Tridentino detestationem & contritionem perfectam, nec dilectionẽ amicitiæ Dei, sed nomine dilectionis Dei intelligi dilectionẽ concupiscentiæ, qua nobis cõcupiscimus Deum vt bonũ nostrum, & fontẽ iustitiæ seu iustificationis nostræ, vt patet ex contextu; & nomine detestationis & cõtritionis intelligi detestationem & contritionem prout abstrahit à perfecta & imperfecta. Quia sess. 6. loquitur de detestatione & contritione, quæ est dispositio ad iustificationem peccatoris, quæ fit medio Baptismo; & sess. 14. de contritione quæ est dispositio ad iustificationem peccatoris, quæ fit medio Sacramento Pœnitentiæ: & tamen detestatio & contritio perfecta non est dispositio ad iustificationem peccatoris, quæ fit medio Sacramento, sed tantùm contritio imperfecta. Et ita sess. 14. cap. illo 4. postquam Tridentinum dixit, motum contritionis præparare ad remissionem peccatorum, posteà subdit, *& si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*, &c. Loquitur ergo anteà de contritione prout abstrahit à contritione perfecta & imperfecta, quæ ratione imperfectæ præparat ad iustificationem peccatoris faciendam medio Sacramento Baptismi, & medio Sacramento Pœnitentiæ: & ratione eiusdem fuit omni tempore necessaria, ad impetrandam veniam peccatorum, etiam extra Sacramentum, non necessitate metaphysica, sed morali, quia regulariter nemini contingit iustificari à peccatis etiam extra Sacramentum, nisi præuia attritione. Et eadem necessitate morali sess. 6. can. 9. dicitur, quòd præter fidem sit etiam necessarius motus aliquis voluntatis, vt disponamur ad iustificationem: quod verificatur ratione attritionis, etiam quando iustificatio fit extra Sacramentum.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm contritio perfecta de facto iustificet à peccatis, vt forma.

Turrianus. TVrrianus Complutensis Opusc. 7. dub. 13. partem negatiuam tuetur (quam expressit *Vasquez.* Vasquez 1. 2. disput. 203. in fine) quia contritio, vtpote actus charitatis erga Deum, procedit ab habitu gratiæ & charitatis, vt connaturaliter eliciatur; ac proinde præsupponit ipsum habitum inhærentem animæ, & eam informantem; aliàs non posset ab ipso efficienter procedere: ergo contritio præsupponit & inuenit peccatum mortale expulsum per habitum ipsum præsuppositum, qui verè est sufficiens ad illud expellendum; ergo contritio ipsa non expellit illud, cùm iam expulsum inueniat.

Iansenius. Iansenius verò in Concordia Euangelica c. 48. in illud Lucæ 7. *Ideo dico tibi*, &c. partem affirmatiuam tradit, sub nomine dilectionis Dei (& non *Vasquez.* absque probabilitate) quam etiam supponit Vasquez 3. par. disp. 2. num 62. dum ait, *Iustificationem à peccatis extra Sacramentum certius est fieri contritione tamquam forma, quàm habitu gratiæ*; & *Sotus.* eam non leuiter indicant Sotus in 4. dist. 14. q. 2. *Vincentius.* art. 2. & dist. 15. quæst. 1. art. 6. & Vincentius de Gratia Christi quæst. 1. circa 6. conclusionem: imò *S. Thomas.* etiam S. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 8. dum ait, priùs naturâ esse infusionem gratiæ (subintellige habitualis) deinde contritionem perfectam, & tandem expulsionem peccati: Ceterùm pars hæc persæpè defenditur in nostra Complutensi Academia, cuius in re Theologica iudicium plurimi vbique habetur: nec modò à Doctoralis laureæ candidatis in publico Academiæ Gymnasio, sed etiam à Religiosis familijs in Theologicis thesibus non rarò propugnatur, magno doctiorum plausu: quin etiam doctissimi viri sæpè euidentem indigitant, semel dato contritionem ex se sanctificare. Sit hoc ad testimonium veritatis, non ad fastum Auctoris.

Ratio autem à priori huius doctrinæ est, quia ex vna parte contritio est forma ex se sufficiens ad expellendum peccatum mortale, vt diximus Difficultate præcedenti, & ex altera parte ante contritionem ipsam non præsupponitur facta expulsio peccati: ergo hæc verè fit formaliter per ipsam contritionem, quamuis aliàs fiat sufficienter per habitum gratiæ infusum in eodem instanti durationis, in quo elicitur contritio. Quòd autem non præsupponatur facta expulsio peccati ante ipsam contritionem, probatur: quia non præsupponitur facta in aliquo instanti durationis priori; quia habitus gratiæ, per quem præsupponeretur facta, non infunditur anteà, sed in eodem instanti in quo elicitur contritio; nec præsupponitur facta in aliquo priori naturæ ante ipsam contritionem, ita vt expulsio peccati antecedat ipsam contritionem, & sit prior contritione prioritate naturæ, quia prioritas naturæ formaliter nihil aliud est quàm causalitas, & conducentia actualis, quia illud tantùm dicitur prius alio, à quo hoc aliud dependet; & illud tantùm est posterius aliquo, quod dependet ab hoc aliquo: & ideò prioritas naturæ dicitur prioritas *à quo*, & non *in quo*, & etiam dicitur prioritas dependentiæ & causalitatis: expulsio autem peccati non concurrit, nec conducit ad contritionem (quamuis habitus gratiæ, per quem etiam fit expulsio, concurrat, & conducat ad ipsam contritionem) non solùm vt causa, vt patet, sed nec vt ablatio impedimenti, quo habitus gratiæ esset impediendus ad causandam contritionem: quia quamuis peccatum mortale, per possibile vel impossibile esset simul cum habitu gratiæ & charitatis, non impediret actiuitatem ipsius habitus ad causandam contritionem; sicut nec mutuò impedirentur calor & frigiditas naturaliter incompossibiles, si à Deo simul in eodem subiecto conseruarentur, quia non apparet quomodo se impedirent, nec huius potest afferri aliquod indicium. imò mirum esset, subiectum habens simul calorem vt octo, & frigiditatem vt octo, non calefacere nec frigefacere.

Et confirmatur, & simul declaratur ratio facta, quia habitum gratiæ esse priorem naturâ contritione, in eo formaliter consistit, quòd sit causa efficiens contritionis absque alia prioritate, & contritionem esse posteriorem natura habitu gratiæ, in eo solùm formaliter consistit, quòd sit effectus ipsius habitus absque alia posterioritate: ex eo autem solùm, quòd habitus gratiæ sit causa contritionis absque alia prioritate, & contritio sit effectus ipsius habitus absque alia posterioritate, non fit, habitum gratiæ priùs expellere peccatum, quàm contritio expellat, quia habitus gratiæ ex eo quòd sit causa contritionis, non priùs incipit existere quàm contritio, quia non habet aliam prioritatem, quàm esse causam illius.

Expulsio ergo peccati mortalis, & iustificatio ab illo, de facto fit ab habitu gratiæ, & simul ab actu contritionis perfectæ, à quolibet sufficienter & totaliter, quia quilibet est sufficienter incompossibilis cum peccato mortali, quod neuter supponit, nec inuenit expulsum ab altero: & non inconuenit eamdem numero expulsionem, & eumdem numero effectum negatiuum fieri simul, à duplici causa creata, à qualibet sufficienter & totaliter, quia non fit ab illis influxu aliquo positiuo, & positiua dependentia effectus à causa, sed per solam incompossibilitatem causarum cum forma expulsa.

Habitus ergo gratiæ dupliciter expellit peccatum mortale: vno modo immediatè in genere causæ formalis (qua ratione etiam contritio illud expellit) altero modo mediatè in genere causæ efficientis media contritione, quam efficienter producit, eo modo quo calor ignis expellit frigiditatem ab aqua. Quia ergo habitus gratiæ expellit peccatum efficienter media contritione formaliter expellente peccatum, quam habitus efficienter producit, ideò optimè dicitur habitus in eo priori naturæ (id est in genere causæ efficientis) in quo est prior contritione, expellere peccatum. Hoc tamen modo dicendi potiùs significatur, contritionem expellere illud formaliter (quia mediâ ipsâ habitus illud efficienter expellit) quàm quòd contritio illud inueniat, & præsupponat expulsum ab habitu.

Vnde contritio est satisfactio perfecta & condigna pro macula, culpa, & offensa peccati mortalis,

talis, vt exprimit Vasquez disput. illa 2. cap. 4. & 6. (quamuis non pro toto debito pœnæ obiectiuo) non tamen meretur remissionem culpæ & offensæ, quia hæc remissio est effectus formalis physicus (quamuis secundarius) inseparabilis à contritione in peccatore: imò non indigens decreto Dei ad ipsam immediatè terminato, quia sufficit decretum dandi auxilium efficax ad contritionem, & concurrendi cum voluntate peccatoris ad illam; ac proinde contritione nequit impetrari à Deo remissio illa, quia contritio nequit mouere Deum ad decernendam eam remissionem.

Quòd si ad prædictam nostram rationem à priori respondeas, habitum gratiæ non tantùm esse priorem contritione in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ formalis, quia nequit contritionem efficere, nisi simul cum voluntate; ad hoc autem prærequiritur, quòd habitus vniatur ipsi voluntati, aut animæ, & eam informet, quia voluntas nequit vti habitu separato: eo autem ipso, quòd informat voluntatem aut animam, expellit ab ipsa peccatum mortale, quia eo ipso quòd ipsam informat, efficit ipsam sanctam, ac proinde etiam expulsio peccati præsupponitur ad contritionem, cùm ad hanc præsupponatur habitus informans, qui vt informans est incompossibilis cum peccato mortali.

Contra hanc responsionem est, quòd quamuis ad hoc, quòd habitus causet cum voluntate contritionem, sit prærequisita vnio ipsius cum voluntate aut cum anima, sed non prærequiritur vt est informatio, sicut nec vt est receptio (quamuis vnio, & informatio, & receptio re ipsa non distinguantur) tum quia informatio tantùm est necessaria habitui vt causæ formali ad suos effectus formales, efficiendi subiectum sanctum, & expellendi immediatè peccatum, tum etiam quia habitui, vt efficiat contritionem, sufficit vnio vt vnio, respiciens voluntatem aut animam vt extremum, non vt subiectum; quia vt efficiat contritionem cum voluntate, sufficit quòd sit vnitus cum illa tamquam cum cooperante & coefficiente. Et quamuis admittamus, quòd ad hoc, quòd habitus efficiat cum voluntate contritionem, sit ipsi habitui necessaria informatio, vt est formaliter informatio, seu vt est causalitas ipsius habitus vt causæ formalis, imò etiam quòd sit voluntati necessaria vnio cum habitu, vt est formaliter receptio, seu causalitas voluntatis aut animæ, vt causæ materialis ipsius habitus gratiæ, ac proinde quòd ad contritionem prærequiratur esse sanctum, quod est effectus formalis habitus gratiæ, & effectus materialis ipsius subiecti, nempe voluntatis aut animæ; nihilominùs expulsio peccati non est prærequisita, vt voluntas & habitus efficiant contritionem: quia expulsio peccati nec cõducit positiuè ad contritionem, vt patet: nec tamquam remotio impedimenti, quia voluntas & habitus non impedirentur peccatõ mortali ad contritionem, vt iam diximus. Vnde, quamuis in eo priori naturæ (id est, in genere causæ efficientis) in quo habitus præsupponitur ad contritionem, etiam præsupponatur voluntas, & quamuis gratis admittamus etiam præsupponi informationem & receptionem habitus formaliter vt tales, imò etiam animam esse sanctam, quasi conducant ad efficiendam contritionem; nihilominùs in eo priori (id est, in illo genere causæ) non præsupponitur expulsio peccati, quia ad efficiendam contritionem non conducit, adhuc vt expeditio voluntatis & ipsius habitus, & vt remotio impedimenti. Ex eo verò quòd habitus informans sit in compossibilis cum peccato mortali, tantùm deducitur, quòd in eodem instanti temporis, in quo est habitus gratiæ in voluntate, sit expulsio peccati, & non peccatum; non tamen quòd sit in eodem priori naturæ respectu contritionis, si in eo genere causæ, nempe efficientis, in quo habitus causat contritionem, in eo expulsio peccati non causet illam, vt verè non causat: quia prioritas naturæ tantùm est prioritas causalitatis, & à quo, & id tantùm est prius naturâ alio quod est causa illius. Et non solùm in eo priori naturæ, in quo habitus est prior contritione, non est expulsio peccati, sed nec est peccatum ipsum, quia peccatum nec est in eodem instanti temporis in quo est habitus & contritio, nec conducit ad contritionem.

Quòd si obijcias Primò: Contritio perfecta, quamuis sit perfecta satisfactio pro culpa & offensa peccati mortalis, & possit esse pro toto debito subiectiuo (id est pro tota dignitate pœnæ) non tamen pro toto peccato mortali, quia non est nec esse potest satisfactio pro toto debito obiectiuo peccati (id est pro tota pœna, quæ est obiectum dignitatis dictæ, & debiti subiectiui) quia nequit esse pro carentia auxilij prærequisiti ad ipsam contritionem, quæ est pœna debita peccati, & obiectum dictæ dignitatis, & debiti subiectiui: quia ad habendam contritionem necessariò præsupponitur facta remissio & condonatio dictæ carentiæ auxilij, cuius remissio & condonatio fit, quando peccatori, debenti carere auxilio, confertur auxilium ipsum. Sed hæc condonatio & remissio ex eo solùm præsupponitur ad contritionem, quia præsupponitur collatio auxilij, quæ reipsa & de facto est condonatio dicti debiti obiectiui, ex eo solùm quòd præcedat dignitas, & debitum subiectiuum carendi auxilio, quamuis quòd ea collatio auxilij sit condonatio, & quòd præcedat dignitas, non conducat ad contritionem, sed sit impertinens ad illam. Ergo quamuis expulsio peccati non conducat ad contritionem, ex eo solùm quòd habitus gratiæ, qui præsupponitur ad contritionem, de facto & reipsa expellit peccatum, etiam expulsio peccati præsupponetur ad illam.

Respondemus, concedendo, contritionem non esse perfectam satisfactionem pro toto peccato mortali, quia non est pro debito obiectiuo: quia condonatio huius sumpta materialiter pro collatione auxilij, quæ reipsa est condonatio, necessariò præsupponitur ad contritionem, saltem prioritate naturæ, quia ipsa collatio auxilij est necessaria, & conducit ad contritionem eliciendam: quia verò nihil expulsionis peccati præsupponitur ad contritionem (etiamsi præsupponatur habitus gratiæ expellens peccatum) quia non præsupponitur duratione ad contritionem, vt patet; nec naturâ, quia non conducit ad contritionem, ideò nullo modo est prior, nec præsupponitur ad contritionem: præsupponitur tamen condonatio auxilij modo prædicto, nempe materialiter, quod sufficit vt contritio nequeat esse satisfactio pro dicto debito obiectiuo, cùm ad ipsam contritionem necessario præsupponatur condonatio seu remissio

talis debiti, materialiter sumpta pro collatione ipsa auxilij, quæ reipsa est condonatio.

Quòd si obijcias Secundò, Macula peccati relicta post actum peccati transactum, seu peccatum habituale perseuerans, à quo seu à qua postea peccator emúdatur per iustificationẽ, est priuatio gratiæ sanctificantis debitæ: expulsio autem huius priuationis, seu cessatio illius præsupponitur ad contritionem; ergo expulsio peccati seu maculæ præsupponitur ad contritionem, ac proinde contritio illud non expellet, cùm inueniat illud expulsum. Quòd autem expulsio priuationis gratiæ sanctificantis debitæ præsupponatur ad contritionem, probatur: quia ad contritionem præsupponitur gratia sanctificans vnita animæ, aut eam informans; gratia autem sanctificans vnita animæ, aut eam informans, est formaliter ipsa expulsio seu cessatio priuationis ipsius gratiæ, & expulsio seu cessatio priuationis gratiæ est formaliter ipsa gratia, sicut lux est formaliter non esse tenebrarum, & tenebræ sunt formaliter non esse lucis.

Respondemus, primum tantùm peccatum mortale inducere dictam priuationem gratiæ, & non reliqua peccata, quia reliqua inueniunt gratiam iam expulsam, & priuationem illius: & hanc priuationem, quæ inducitur primo peccato, non semper esse peccatum habituale, & maculam, sed tantùm quando est voluntaria in se ipsa, nempe quando quis aduertit, quòd suo peccato mortali priuandus est gratia: imò tunc priuationem gratiæ tantùm esse materiale ipsius peccati habitualis, seu maculæ, quia formale situm est in dissonantia ad rationem superaddita priuationi gratiæ; ac proinde gratia sanctificans, quamuis sit formaliter, non esse ipsius materialis peccati habitualis; non tamen est non esse ipsius formalis: & consequenter, quamuis ad contritionem præsupponatur gratia sanctificans, non eo ipso præsupponitur expulsio, seu non esse peccati, seu maculæ sitæ formaliter in dicta dissonantia. Et addimus, præter dictam maculam peccati, quæ tantùm reperitur in dicto primo peccato mortali (& non semper) etiam reperiri alteram maculam, quæ semper est in omni peccato mortali, nempe ipsam maculam seu culpam, quæ fuit primò in ipso actu peccati, etiam consistentem in dissonantia ad rationem, & habitualiter perseuerantem quousque formaliter aut virtualiter retractetur. Hæc autem macula non est formaliter non esse gratiæ sanctificantis, quia formaliter non est carentia illius, & ideò nec ipsa gratia est formaliter non esse, seu expulsio illius; ac proinde non eo ipso quòd ad contritionem præsupponitur gratia sanctificans, præsupponitur expulsio illius maculæ: & quia aliàs carentia dictæ dissonantiæ non conducit ad contritionem, quamuis gratia sanctificans conducat, ideò expulsio peccati seu maculæ non præsupponitur prioritate naturæ ad contritionem, quamuis gratia sanctificans præsupponatur. Quamuis ergo gratis admittamus, priuationem gratiæ esse formaliter maculam, & semper, & in omni peccato mortali, & hanc præsupponi expulsam ante contritionem aduentu gratiæ sanctificantis; altera tamen macula, quæ primò fuit in actu peccati, in prædicta macula seu culpa consistens, non præsupponitur expulsa, ac proinde non præsupponetur expulsio totius peccati, seu totius maculæ, & consequenter contritio hanc maculam expellet, præsertim quòd macula numquam consistit formaliter in dicta priuatione gratiæ, vt iam diximus.

DIFFICVLTAS IX.

In quo consistat contritionem perfectam esse detestationem, aut dolorem peccati super omnia.

SVpponimus, in quo conueniunt Doctores, contritionem esse detestationem aut dolorem peccati super omnia mala. Hoc verò supposito, difficultas est, In quo consistat hunc affectum esse super omnia mala.

Circa quam conueniunt Doctores contra Adrianum, & Petrum Sotum, quòd vt contritio sit detestatio peccati super omnia mala, non sit necessarium quòd sit maxima intensiuè (vt Adrianus dixit) nec quòd sit intensior detestatione cuiuscumque alterius mali, vt dixit Petrus Sotus: quia neutrum horum cum fundamento aliquo requiritur, vt contritio sit detestatio peccati super omnia mala; quia eo ipso quòd quis ita detestatur peccatum, vt ex vi talis detestationis admittat aut patiatur quodcumque aliud malum, si necessarium sit vt non incidat in peccatum, dicitur detestari peccatum appretiatiuè super omnia mala, quamuis illud remissè detestetur. In quo sensu Christus Matth. 10. dixit: *Qui amat patrem & matrem plus quam me, non est me dignus.* quasi dicat, qui amore patris & matris non dubitat me Deum grauiter offendere, non est me dignus. Vt ergo contritio perfecta sit detestatio peccati super omnia mala, non est necessarium quòd sit maxima intensiuè, nec maior detestatione cuiuscumque alius mali, sed sufficit quòd sit maxima quoad pretium seu æstimationem. *Adrian.* *Pet. Sotus.*

Nihilominùs in explicanda hac maioritate seu superioritate quoad pretium, non parum variant Doctores. Omissis autem multis explicationibus, quas refert Vasquez, & nobis non placent, illa explicatio nobis probatur, quam adhibet Vasquez 1.2. disp. 194. ca. 3. Pessantius ad 3.p.q. 3. dub. 6. & Turrianus 2.2. disp. 74. dub. 1. nempe, contritionem perfectam esse detestationem peccati super omnia mala appretiatiuè, in eo consistere quòd sit detestatio peccati, quia Deo displicuit, seu quia fuit offensiuum illius ex complacentia ipsius Dei, quia eo ipso quòd est ex complacentia Dei, dum exiit, non admittit secum fugam efficacem alterius mali, cuius admissio sit necessaria ad vitandum peccatũ; quia qui ita detestatur peccatũ, dum in ea detestatione perseuerat, nõ timebit efficaciter, nec fugiet, sed potiùs admittet quodcumque aliud malum, cuius admissio sit necessaria ad non peccandum: in quo detestatio peccati Deo displicentis, habita ex complacentia illius, distinguitur à detestatione mali proximo displicentis, habita ex complacẽtia ipsius proximi; quòd hæc secum admittit fugam efficacem mali, cuius admissio sit necessaria ad vitandum malum proximo, dum ea fuga, seu non admissio mali non fiat ex displicentia illius. *Vasquez.* *Pessantius.* *Turrianus.*

Et eadem proportione Dei dilectio, qua volumus bonum ex complacentia ipsius, est super omnia

omnia bona appretiatiuè, quia est dilectio beneuolentiæ Dei, & eo ipso quòd est talis, dum existit, nullius alius boni, verbi gratia fornicationis, dilectionem liberam admittit, quòd ipsi Deo displiceat aut grauiter aut leuiter pro qualitate dilectionis, quia dilectio illius non est compossibilis cum dilectione beneuolentiæ erga Deum. In quo etiam dilectio beneuolentiæ Dei distinguitur à dilectione beneuolentiæ proximi, quia hæc secum admittit dilectionem alius boni etiam grauiter displicentis amico, dum non sit ex displicentia illius.

DIFFICVLTAS X.

Quomodo, & quo ordine excitetur in nobis contritio perfecta.

NEgari non potest, peccatorem aliquando, quamuis rarò, ex consideratione suorum peccatorum quibus Deum offendit, & ex actu fidei diuinæ, quo Deum, quem offendit, cognoscit esse summè bonum in se, proximè & immediatè excitari & moueri ad contritionem, nempe ad detestationem peccatorum, prout sunt offensa Dei, ex complacentia ipsius: nihilominùs regulariter & ferè semper plures alij interueniunt actus ante contritionem: quia Primò solet esse actus fidei diuinæ, quo peccator credit impium iustificari à Deo. Secundò solet esse actus timoris diuinæ iustitiæ & pœnarum, quo peccator sua peccata considerans concutitur. Tertiò solet, se ad diuinam misericordiam conuertendo, in spem veniæ & remissionis peccatorum erigi. Quartò solet etiam in peccatore excitari amor concupiscentiæ Dei, quo sibi Deum concupiscit, & diligit vt sibi bonum, & fontem & principium omnium bonorum. Quintò solet esse intentio delendi peccatum & offensam Dei, & se iustificandi, habita ex complacentia sui. Sextò ex hac intentione solet peccator excitari ad id medio quo iustificatur, nempe vel ad susceptionem Sacramenti, vel ad contritionem perfectam.

Obseruandum tamen est, prædictum ordinem, quo dicimus solere excitari contritionem, non semper contingere, sed aliquando deficere, quia aliquando vnus aut alter actus ex dictis deficit, & aliquando ordo eorum prædictus transmutatur.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm vnum peccatum mortale possit remitti sine alio media contritione.

COnueniunt Catholici, potentiâ ordinariâ Dei vnum peccatum mortale non posse remitti sine alio quo affectus sit peccator, quacumque forma fiat remissio: quod tradit Augustinus de Vera & falsa pœnitentia, dum ait, impietatem infidelitatis esse, à Deo dimidiam sperare salutem: & Innocentius III. in cap. *Maiores* 3. de Baptismo & eius effectu, dum ait, non posse remitti originale, nisi etiam remittatur actuale. quod amplius ex dicendis constabit. *Augustin.*

Est tamen difficultas, An de potentia Dei absoluta possit vnum mortale remitti sine alio, siue remissio fiat contritione, siue gratia habituali, siue quacumque alia forma.

Scotus in 4. dist. 14. quæst. 1. Medina Cod. de Pœnitentia, q. 12. & Ægidius disp. 2. dub. 11. partem affirmatiuam tuentur; quia existimant, maculam ex peccato trãsacto relictã posse sola voluntate & cõdonatione extrinseca Dei deleri, quia dicta macula vel sita est in destinatione ad pœnam facta à Deo, vel in iniuria Deo facta habitualiter permanente: Deus autem pro sola sua voluntate potest remittere pœnam vnius mortalis, non remittendo pœnam alterius, & cedere iniuriæ sibi factæ vno peccato mortali, & non iniuriæ sibi factæ altero mortali. *Scotus. Medina. Ægidius.*

Sotus verò in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. & Vasquez 1. 2. disp. 207. cap. 5. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia remissio mortalium nequit fieri sola extrinseca condonatione Dei, vt optimè Vasquez 1. 2. disp. 206. quia macula ex peccato relicta non est sita in destinatione aliqua ad pœnam, sed in aliquo priori ad illam, nempe in ipsa malitia, & culpa, & offensa Deo facta, quæ fuit primò in actu peccati, & quæ eo transacto habitualiter perseuerat; quæ non est iniuria seu offensa strictè sumpta contra iustitiam, cui Deus possit pro sua voluntate cedere, sed est vera macula & iniustitia apud Deum, vt ibidem ostendit Vasquez; ac proinde remissio mortalium tantùm potest fieri vera sanctitate & iustitia apud Deum ipsi peccatori inhærente. Nulla autem est sanctitas & iustitia inhærens, quæ non opponatur omnibus mortalibus, vt patet; quia in ipso habitu nihil est peculiare respectu alicuius peccati. Si verò iustitia & sanctitas, per quam fit remissio, sit contritio perfecta, etiam hæc æquè opponitur omnibus mortalibus, vel quia est vera sanctitas & iustitia, quæ eo ipso pugnat cum quocumque mortali; vel quia est perfecta detestatio omnium mortalium, quia est dilectio amicitiæ Dei, vel orta ex ipsa: dilectio autem amicitiæ Dei nullam patitur secum offensam grauem erga Deum, quam non detestetur perfectè saltem virtualiter. Quòd si iustitia & sanctitas, tam actualis quàm habitualis, sua natura opponitur cuicumque mortali, nequit adhuc de potentia Dei absoluta, quando aliqua ex eis infunditur, non fieri remissio omnium mortalium; quia Deus non potest impedire destructionem peccati, si non impediat infusionem iustitiæ: quia si aliquo modo posset destructionem peccati impedire, maximè conseruando peccatum seu maculam illius in præsentia iustitiæ, sicut potest conseruare frigiditatem vt octo in præsentia caloris vt octo; Deus autem nequit maculam peccati conseruare adhuc in absentia iustitiæ, sicut nequit illam in initio efficere. *Sotus. Vasquez.*

Addimus tamen, peccatum originale tolli posse non ablato actuali mortali existente cum originali, sed non econtrà. Ratio prioris est, quia originale auferri potest absque iustitia aliqua inhærente, solo lapsu & decursu temporis, ac proinde elapso illo tempore cessabit originale, manente actuali mortali, quod nequit absque iustitia inhærente auferri. Quòd verò solo temporis lapsu & decursu auferri possit originale, probatur: quia originale saltem pro materiali consistit in priuatione iustitiæ debitæ inesse, seu inhærere descendentibus ex Adamo; debitum autem habendi iustitiam habuit ortum ex pacto & ex institutione Dei, qui potuit statuere, quòd dicti descendentes illam deberent habere tantùm

vsque ad aliquod tempus determinatum ex voluntate Dei, & non eo tempore elapso, ac proinde ipso elapso, carentia iustitiæ in dictis descendentibus non esset carentia iustitiæ debitæ, & consequenter ex ea parte cessaret peccatum originale. Ratio verò posterioris est, quia peccatum actuale mortale nequit auferri, nisi iustitia inhærente; hæc autem etiam opponitur originali; ergo remissio peccati actualis mortalis non potest fieri absque remissione originalis existentis simul cum ipso mortali.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm in homine iusto ad remissionem venialium sufficiat actus dilectionis amicitiæ Dei absque expressa contritione.

DIfficultas hæc, & sequentes, procedunt de remissione venialium in homine iusto, quia in homine peccatore nequeunt remitti absque mortali, vt aduertit Vasquez 1.2. disp. 141. c. 2. & constabit ex dicendis. *Vasquez.*

Supponimus, in quo conueniunt Doctores, contritionem expressam venialium extra Sacramentum sufficere ad remissionem eorum quorum est expressa contritio, quia hæc est perfectissima conuersio in Deum, à quo per venialia, quorum est dicta contritio, fuimus aliqualiter auersi; & est perfectissima auersio à creatura, in quam per venialia fuimus aliqualiter conuersi.

Est tamen difficultas, An ad remissionem venialium in homine iusto sufficiat actus dilectionis amicitiæ Dei, qui non sit expressa contritio & displicentia eorum.

Durand. Durandus in 4. dist. 16. q. 2. negat, actum dilectionis Dei, quantumuis feruidum, sufficere, quia peccatum veniale non opponitur actui dilectionis quantumuis feruido & intenso, quia potest esse simul cum eo.

S. Thomas. Vasquez. S. Thomas verò quæst. 87. art. 1. Vasquez eodem artic. dub. 1. & communiter Doctores affirmant, actum dilectionis Dei sufficere ad remissionem eorum venialium, quorum contritio in eo actu virtualiter continetur, & meritò: quia actus iste dilectionis Dei perfectè (quamuis solùm virtualiter) opponitur illis venialibus, quia est perfecta conuersio in Deum, & perfecta auersio ab illis, quamuis solùm virtualis; tunc autem contritio peccati venialis continetur virtualiter in aliquo actu dilectionis Dei, quando est adeò feruidus, aut talis differentiæ indiuidualis, vt impelleret saltem moraliter ad expressam contritionem illius peccati venialis, si tunc memoriæ occurreret.

Est tamen discrimen inter peccatum mortale & veniale, quòd mortale, quodcumque illud sit, est grauis offensa Dei, eius gratiam & amicitiam dissoluens, ob quod quæcumque dilectio amicitiæ Dei opponitur cuicumque peccato mortali, & contritio cuiuscumque mortalis virtualiter continetur in quacumque dilectione amicitiæ Dei: peccatum verò veniale non est grauis offensa Dei, nec eius gratiam & amicitiam dissoluens, ob quod non quæcumque dilectio amicitiæ Dei opponitur veniali, nec quæcumque continet virtualiter contritionem illius, sed tantùm hæc aut illa dilectio, vel ratione intensionis aut feruoris, vel ratione talis differentiæ indiuidualis.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm attritio venialium in iusto sufficiat absque Sacramento ad remissionem eorum.

DVrandus in 4. dist. 16. q. 2. & dist. 21. q. 1. Gabriel dist. 16. q. 5. Henriquez 1. de Pœnitentia cap. 15. Azor lib. 4. cap. 10. quæst. 13. & Ægidius disput. 2. dub. 14. docent sufficere. Primò, quia per attritionem peccati venialis ita sufficienter retractatur voluntas præterita illius, vt iam pœnitens non maneat in illa adhuc virtualiter; ergo attritio peccati venialis sufficit ad illud destruendum. Secundò, quia attritio peccati venialis opponitur ipsi veniali, cùm non patiatur quòd fiat veniale simile ei cuius est attritio, quia excludit voluntatem peccandi, vt dicitur in Tridentino sess. 14. cap. 4. ergo sufficit ad destructionem venialis. *Durandus. Gabriel. Henriq. Azor. Ægidius. Trident.*

Addunt Durandus & Gabriel, attritionem etiam in peccatore sufficere ad remissionē venialium, & id probant dictæ duæ rationes, si aliquid probant.

S. Thomas verò q. 87. art 2. & 3. & 4. Vasquez art. 1. dub. 1. Petrus Sotus lect. 18. de Pœnitentia, & Ochagauia tract. 1. q. 20. docent, adhuc in iusto non sufficere, & meritò, Primò, quia aliàs peccatum veniale iusti (quod negari nequit esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ) numquam remitteretur virtute Sacramenti Pœnitentiæ, quia semper præsupponeretur remissum per attritionem aut contritionem, quæ debet præsupponi ad Sacramentum. Secundò, quia malitia seu culpa venialis est vera offensa Dei, vtpote ipsi displicens (in quo consistit ratio offensæ erga Deum) quamuis non grauis, sed leuis, & insufficiens ad dissoluendam amicitiam cum ipso, & consequenter etiam est aliqualis auersio à Deo, qualis esse potest inter amicos, & est aliqualis macula, qua anima aliqualiter maculatur; ergo vt macula seu culpa venialis destruatur, necessaria est aliqua conuersio in Deum, & quæ sit aliqualis mundities animæ; attritio autem, quamuis iusti, nullo modo est conuersio in Deum, nec vera mundities & sanctitas animę; ergo non est sufficiens ad tollendam & abstergendam culpam, & auersionem, & maculam peccati venialis. *S. Thomas. Vasquez. Pet. Sotus. Ochagan.*

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, quòd quamuis attritio peccati venialis, imò etiam peccati mortalis sufficiat, vt voluntas non maneat affecta ad obiectum illius peccati, & vt non maneat in actu seu in affectu præterito illius peccati, quod etiam habet attritio tam peccati mortalis quàm venialis, etiam elicita à peccatore, imò etiam ex malo fine; non tamen sufficit, vt voluntas non maneat in ipsa culpa, & macula, & offensa præterita, cùm nullo modo sit conuersio in Deum, nec mundities & sanctitas animæ.

Ad secundam concedimus, attritionem peccati venialis, & etiam mortalis, ita opponi posse peccato cuius est ipsa attritio, & ita posse esse retractationem illius, vt non patiatur simile peccatum admitti, & excludat voluntatem illius: negamus tamen, eam oppositionem & retractationem sufficere ad destructionem venialis; sicut nec attritio peccati mortalis potest sufficere ad destructionem illius, quia attritio peccati non opponitur ipsi peccato

cato vt conuersio in Deum, nec vt mundities animæ; quamuis quamdiu durat, opponatur illi quoad admissionem peccati similis illi cuius est ipsa attritio, quod etiam habet attritio peccatoris, & ex malo fine elicita.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm reliqua opera bona iusti, distincta ab expressa contritione, & à quacumque alia dilectione Dei, & ab attritione, sufficiant ad remissionem venialium.

Gabriel. GAbriel in 4. dist. 16. quæst. 5. art. 2. concl. 4. docet, peccatum veniale in homine iusto remitti per quodcumque opus bonum: quod etiam Medina. indicat Medina Cod. de Pœnitentia, q. 3. §. *Oppositum*, & existimat verum Scotus dist. 21. quæst. 1. Scotus. quando opus bonum magis placet Deo quàm displicuit veniale, & quando fit intentione delendi veniale: qui addit, quòd si tale opus bonum non referatur ab operante ad finem delendi veniale, refertur à Deo in alia vita, & sic relatum in ea remittit illud.

Opinio hæc absolutè, vt traditur à Gabriele, probatur. Primò, quia quodcumque opus bonum iusti meretur de condigno vitam æternam, ergo etiam remissionem venialium, quia remissio venialis est quid minus quàm vita æterna; qui autem potest ad maius, etiam potest ad minus. Secundò, quia quodcumque opus bonum iusti satisfacit pro pœna venialis, & eius dignitatem tollit; ergo etiam satisfacit pro culpa veniali, & eam tollit, quia nequit tollere dignitatem pœnæ, nisi etiam tollat culpam. Tertiò, quia ad remissionem venialis non requiritur opus ita insigne, ac requiritur ad remissionem mortalis; ergo ad remissionem venialis sufficit opus minus quàm contritio & dilectio, quæ sufficiunt ad remissionem mortalis: sed non est maior ratio, ob quam remissio peccati venialis tribuatur operi vnius virtutis, quàm alterius; ergo cuicumque tribui potest.

Suarez. Et id probabile censet Suarez disp. 11. sect. 3. num. 21. quando opus bonum fit intentione obtinendi à Deo remissionem venialis, quia opus ex ea intentione factum, includit virtualem detestationem peccati venialis, quæ ad eius remissionem sufficit.

S. Thomas. Vasquez. Pet. Sotus. Ochagau. S. Thomas verò q. 87. ar. 2. Vasquez art. 1. dubio 1. Petrus Sotus lect. 18. de Pœnitentia, & Ochagauia q. 20. docent, venialia non remitti bonis operibus iusti, quamuis sint magis bona quàm peccata venialia sint mala, & quamuis fiant ex intentione delendi illa, & meritò: quia dicta opera bona, quæuis facta in statu gratiæ & ex dicta intentione, non sunt vera conuersio in Deum, nec vera mundities animæ; ergo nequeunt destruere culpas & maculas veniales, quia peccata venialia aliquo modo auertunt à Deo, & habent veram rationem maculæ; quamuis non simpliciter, sed tantùm secundùm quid.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus, quodcumque opus bonum iusti mereri de condigno vitam æternam, quia ad id sufficit quòd sit opus Filij Dei, ipsi Deo placens; negamus tamen esse meritorium de condigno remissionis venialis, quia ad id erat necessarium, quòd gratia habitualis esset semen remissionis venialis, sicut est vitæ æternæ, & augmenti ipsius gratiæ, quod non agnoscitur in gratia. Prædictum autem axioma, *Qui potest ad maius, etiam potest ad minus*, tantùm est verum in his quæ sunt eiusdem rationis, quales non sunt vita æterna & remissio peccati venialis.

Ad secundam respondemus, quòd quamuis quæcumque opera bona iusti, præsertim pœnalia, sint satisfactoria in actu primo pro pœna peccati venialis, & possint dignitatem illius tollere, & de facto tollant, si accedat diuina acceptatio, de quo dicemus Disp. XIII. ex eo tamen non infertur, quæcumque opera bona iusti, adhuc pœnalia, esse etiam satisfactoria pro culpa veniali, & posse eam tollere; quia auferre culpam, est quid maius quàm dignitatem pœnæ. Et ad probationem negamus, quòd nequeat tolli dignitas pœnæ culpæ venialis, quin etiam tollatur culpa ipsa venialis: & si non posset tolli, opera bona satisfactoria pro dignitate pœnæ culpæ venialis, non essent satisfactoria pro ea dignitate, nisi suppositа ablatione culpæ.

Ad tertiam negamus, ad remissionem venialis extra Sacramentum non requiri opus ita insigne, ac requiritur ad remissionem mortalis: quia etiam ad remissionem venialis requiritur perfecta contritio saltem virtualis, ob rationem dictam. Imò addimus, ad remissionem mortalis sufficere aliquam contritionem, quæ non sufficiat ad remissionem venialis: quia quæcumque perfecta contritio sufficit ad remissionem mortalis, & non ad remissionem venialis. Vnde in hoc sensu dici potest, quòd extra Sacramentum facilius remittitur mortale quàm veniale, quia scilicet peccatum mortale plura habet oppositа quàm veniale. Nihilominùs econtrà remissio peccati venialis in Sacramento est facilior, quia venialia remittuntur per quodcumque Sacramentum, non verò mortalia; & in alio sensu tam in Sacramento quàm extra, remissio peccati venialis est facilior remissione mortalis, quia scilicet auxilium gratiæ prærequisitum ad remissionem venialium tam intra quàm extra Sacramentum facilius obtinetur à Deo, quàm auxilium ad remissionem mortalis, ob tria: & quia est donum minus, quod facilius impetratur quàm donum maius, & quia veniale ratione sui minùs obstat impetrationi; & quia facilius fit impetratio pro iusto quàm pro peccatore.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm Sacramentalia sufficiant in homine iusto ad remissionem venialium absque contritione eorum.

NOmine *sacramentalium* intelligimus actiones quasdam, quibus remissio venialium attribuitur, quæ hoc versu continentur.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Quæ sic communiter explicantur. *Orans*, id est, Oratio Dominica, & Oratio in Ecclesia consecrata, & tunsio pectoris, qua vti solemus quando oramus. *Tinctus*, id est aspersio Aquæ benedictæ, & etiam vnctio cærimonialis Episcoporum & Regum. *Edens*, id est manducatio Panis benedicti. *Confessus*, id est confessio generalis, quæ dicitur in initio Missæ. *Dans*, id est eleemosyna. *Benedicens*,

dicens, id est benedictio Episcopi, & Abbatis consecrati.

Conueniunt ergo Doctores, dictis Sacramentalibus venialia remitti, vt constat ex communi sensu fidelium, & ex antiquissima consuetudine vtendi Sacramẽtalibus ad remissionẽ venialium.

Est tamen difficultas, Quomodo his Sacramentalibus remittantur venialia; an scilicet proximè & immediatè, sicut remittuntur medijs Sacramentis; an solùm mediatè, media scilicet contritione perfecta, vel quia Sacramentalia ad eam excitant, vel quia eam à Deo impetrant.

Sotus. Anton. Victoria. Valentia. Henriq.

Sotus in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 3. Antoninus 1. part. tit. 10. cap. 1. Victoria n. 99. Valentia disp. 7. quæst. 4. punct. 1. & Henriquez 1. de Pœnitentia cap. 15. docent, venialia remitti Sacramentalibus proximè & immediatè, sicut Sacramentis, quia Sacramentalia semper & infallibiliter remittunt venialia, quia ex opere operato remittunt illa, & tamen non semper excitant nec impetrant contritionem perfectam venialium: ergo proximè & immediatè absque contritione remittunt illa. Ad id tamen nonnulli prærequirunt attritionem aliquam venialium quæ remittuntur, & alij contenti sunt intentione vtendi Sacramentalibus ad id, absque expressa displicentia venialium.

S. Thom. Alexand. Paludan. Pet. Sotus. Vasquez.

S. Thomas verò quæst. 7. de Malo art. 12. Alexander 4. p. quæst. 15. memb. 3. art. 4. Paludanus in 4. d. 16. q. 1. ar. 2. Petrus Sotus lect. 18. de Pœnitentia, & Vasquez q. 87. art. 3. dub. 1. docent, Sacramentalibus non remitti venialia proximè & immediatè, sed tantùm media contritione perfecta formali aut virtuali, vel quia ad eam excitant, vel quia eam à Deo impetrant, & meritò: quia Sacramentalia non remittunt immediatè venialia instar Sacramentorum, quia non ex institutione Christi, quia de hac institutione nullatenus constat; nec ex institutione Ecclesiæ, quia in Ecclesia non agnoscitur auctoritas instituendi remedia ad remittendas immediatè culpas, præsertim cùm venialia nequeant remitti, nisi media iustitia & sanctitate, & in Ecclesia non agnoscatur auctoritas instituendi remedium quod immediatè conferat iustitiam & sanctitatem, quia auctoritas hæc esset instituendi Sacramenta.

Sacramentalia ergo mediatè tantùm & remotè remittunt venialia, quatenus scilicet excitant ad contritionem venialium, aut eam impetrant à Deo. Et quia ad eam non excitant, nec eam impetrant ex institutione aliqua, non dicuntur ex opere operato remittere venialia: & quia non semper excitant nec impetrant contritionem eorum, non dicuntur ea remittere infallibiliter. Nihilominùs dictis Sacramentalibus peculiariter attribuitur remissio venialium potiùs quàm aliis bonis operibus, quibus etiam remissionem venialium impetrare solemus, vel quia Ecclesia peculiariter adiunxit suam deprecationem pro remissione peccatorum petendo salutem mentis, nempe Aquæ benedictæ, & pani, & nouis fructibus benedictis, & orationi factæ in Ecclesia, & benedictioni Episcopi & Abbatis, & vnctioni Regum; vel quia Sacramentalibus peculiariter petitur venia peccatorum, nempe Oratione Dominica, tunsione pectoris, & confessione generali; vel quia Sacramentalibus peculiariter promissa est à Deo venia peccatorum, nempe eleemosynæ. Attribuitur autem peculiariter Sacramentalibus remissio venialium, & non mortalium, non solùm illis, quibus Ecclesia adiunxit suam deprecationem peculiariter pro remissione venialium petendo salutem mentis, quia veniale non est mors animæ, sed tantùm infirmitas; sed etiam alijs Sacramentalibus, quibus aliquando remissio mortalium impetratur, quia scilicet multò faciliùs & frequentiùs impetratur remissio venialium, quàm mortalium.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus, Sacramentalia semper & infallibiliter remittere venialia: & ad probationem negamus, illa remittere ex opere operato. Et quamuis illa remitterent ex opere operato, non semper illa remitterent, sicut nec Sacramenta semper & infallibiliter conferunt auxilia gratiæ, quamuis illa conferant ex opere operato.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm quodlibet Sacramentum sufficiat ad remissionem venialium absque contritione eorum.

COnueniunt communiter Doctores, Sacramentum Baptismi, & etiam Pœnitentiæ, ratione sui immediatè ex opere operato remittere venialia absque aliquo actu præuio ex se sufficiente ad eorum remissionem: quia Sacramentum Baptismi ratione sui est perfectè abluens & regenerans, vt formâ ipsius significatur, ac proinde abluit ab omni macula etiam veniali; & in Sacramento Pœnitentiæ fit absolutio ab omni culpa expressa in confessione, vt formâ ipsius significatur; aliàs peccata venialia non essent materia clauium & absolutionis. Id etiam conuenire Sacramento Extremæ Vnctionis, docent Vasquez quæst. 87. art. 3. dub. 2. & Ochagauia quæst. 23. & meritò: quia formâ illius (nempe, *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum*, &c.) etiam remissio venialium significatur, quia non ratò per visum, & per alios sensus, & in aliis partibus venialia committuntur. Id quoque Sacramento Eucharistiæ conuenire, negari non potest, vt antiqua Patrum traditione firmatum est, & traditur in Tridentino sess. 13. cap. 2. dum dicitur, Eucharistiam esse antidotum, quo à peccatis quotidianis liberemur, & à peccatis mortalibus præseruemur. Et constat ex eo quòd Eucharistia in cibum & nutritionem animæ sit instituta: cibus autem & nutritio etiam ordinatur ad restaurandum quod deperditur, ac proinde ad remissionem venialium, qua anima reparatur.

Vasquez. Ochagan. Trident.

Et quamuis non sit constans, Confirmationem, Ordinem, & Matrimonium immediatè & ratione sui remittere venialia; nihilominùs S. Thomas q. 87. art. 3. Paludanus & Capreolus in 4. dist. 23. Sotus dist. 15. Ledesma in 4. 1. part. quæst. 28. ar. 3. Vasquez & Ochagauia id generaliter tribuunt omnibus Sacramentis, etiam his tribus, & meritò: quia remissio venialium est illis maximè consona & proportionata, vtpote Sacramentis viuorum, & amicorum Dei, vt ex vi ipsorum non tantùm crescat amicitia Dei, sed etiam auferantur offensæ inter amicos compossibiles.

S. Thomas. Paludan. Capreol. Sotus. Ledesma. Vasquez. Ochagan.

Vnde ad remissionem venialium per Sacramenta non requiritur perfecta contritio tamquam dispositio, quia per eam præsupponerentur remissa: requiritur tamen attritio, quia per solam gratiam

tiam habitualem, quantumuis intensam, nudè sumptam, remitti non possunt, quia compatiuntur cum gratia habituali secundùm se absolutè collata, quantumuis intensissima.

Remittuntur ergo per gratiam habitualem infusam, aut per augmentum ipsius infusum intuitu attritionis, tamquam retractationis venialium, & aliquo modo illis oppositæ; qua ratione infunditur recipienti Sacramentum, & habenti attritionem illorum, vt gratia sic infusa, aut augmentum gratiæ sic infusum, acquirat respectum quemdam, seu fiat fundamentum cuiusdam respectus oppositionis cum venialibus, & reconciliationis ab illis, ratione cuius gratia fiat incompossibilis cum venialibus iam commissis, & non cum similibus futuris, quia tantùm iam commissorum est attritio.

Addidimus, *qua ratione infunditur recipienti Sacramentum*; quia extra Sacramentum non infunditur iusto augmentum illius intuitu attritionis, vt est retractatio, quia id reseruatur infusioni gratiæ factæ per Sacramentum ob dictam necessitatem, sed vt est quoddam opus bonum condignum illius (ea ratione qua infunditur intuitu aliorum operum bonorum) attendendo ad bonitatem illius, non ad rationem retractationis; & augmentum sic infusum non fit incompossibile cum venialibus quorum fuit attritio, quia tunc non acquirit dictum respectum. Si tamen extra Sacramentum infunderetur (vt potest à Deo infundi) intuitu attritionis venialium, vt retractatio est, quamuis non excederet meritum condignum ipsius attritionis, absque dubio acquireret dictum respectum, & fieret incompossibile cum venialibus, & illa expelleret.

Constat ergo, venialia in peccatore habente originale aut mortale actuale, aut vtrumque, remitti non posse non remisso originali aut mortali, aut vtroque: quia, vt constat ex dictis, venialia remitti non possunt nisi media sanctitate, siue actuali siue habituali, quæ multò magis opponitur originali & mortali, quàm ipsis venialibus.

DIFFICVLTAS XVII.

Quomodo remittatur peccatum veniale post hanc vitam in Purgatorio.

SVpponimus, in quo conueniunt Theologi, peccata venialia, in quibus iustus ex hac vita decedit, remitti in Purgatorio etiam quoad culpas, ne in æternum impediatur à consecutione gloriæ, ad quam habet ius acquisitum.

Est tamen difficultas in explicãdo, quomodo remittatur, & in primis quoad culpam & maculam.

Circa hanc difficultatem, varijs modis dicendi omissis, S. Thomas q. 7. de Malo, artic. 11. Vasquez quæst. 87. artic. 1. dub. 2. Valentia disp. 7. quæst. 4. punct. 3. Suarez disp. 11. sect. 3. Ægidius disp. 2. dub. 17. & communiter Theologi docent, peccata venialia in Purgatorio remitti quoad culpam & maculam sola perfecta contritione, siue formali siue virtuali (sicut in hac vita remittuntur extra Sacramentum) & meritò: quia præter gratiam habitualem in Sacramento infusam intuitu attritionis, quæ iam in Purgatorio non sic infunditur, nequeunt venialia remitti nisi contritione perfecta, quia præter eam nihil est quod sit venialibus sufficienter oppositum, vt constat ex sæpè repetitis.

S. Thomas. Vasquez. Valentia. Suarez. Ægidius.

Remittuntur autem in instanti, quia in instanti elicitur contritio per quam remittuntur: & remittuntur in primo in quo anima separatur à corpore, quia in eo primo instanti anima cognoscit culpas in quibus decedit, & in eo maximè desiderat ab illis liberari, & ab eo instãti præstò adest illi auxilium efficax prærequisitum ad contritionem: remittuntur autem per contritionem non tamquam per dispositionem, nec tamquam per meritum condignum remissionis, sed tamquam per formam formaliter ab illis emundantem.

Dignitas verò pœnæ pro venialibus debitæ (& etiam pro mortalibus quoad culpam remissis) paulatim minuitur ipsâ tolerantiâ pœnæ, quousque tandem extinguatur: & nihil illius auferetur actu ipso contritionis, nec illo, quo remittuntur quoad culpam (quia quamuis actus contritionis etiam in eo statu sit satisfactorius in actu primo pro pœna debita restante, non tamen satisfacit in actu secundo, quia non acceptatur à Deo in eo statu in locum pœnæ debitæ, iuxta ea quæ dicemus Disputatione XIII. Difficultate IV.) in quo distinguitur dignitas pœnæ æternæ debitæ ob peccatum mortale, quia hæc tollitur formâ iustificante à peccato mortali.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm peccata per contritionem, aut aliter remissa, redeant iterùm de facto per subsequens peccatum mortale.

NOn est difficultas, An peccata semel remissa iterùm redeant quoad actionem ipsam peccandi, quia certum est, quoad eam non posse redire; sed an redeant quoad culpam seu maculam, & etiam quoad dignitatem pœnæ.

Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramẽtis, par. 14. cap. 9. Gratianus dist. 4. de Pœnitentia, & Guillielmus Parisiensis Tract. de Sacramento Pœnitentiæ, fol. 45. col. 3. docent, peccata omnia remissa posteà redire per peccatum mortale subsequens, cuiuscumque generis sit. Quod indicare videtur Augustinus in illud Psalmi 108. *In memoriam redeat iniquitas patris eius*, dum ait: *Si Iudas teneret illud ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret.* Quo Augustinus (vt à contrario sensu deducitur) indicare videtur præteritam culpam Iudæ ad ipsum iterùm pertinere, & ipsi iterùm imputari, quia in Apostolatu non stetit. Et Beda in illud Lucæ 11. *Reuertar in domum, vnde exiui*, dum ait: *Timendus est iste versiculus, non exponendus, ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per iniuriam nos vacantes opprimat.*

Hugo Vict. Gratianus. Guilliel.

August.

Id quoque deduci videtur ex Scriptura, in qua peccata sæpè dicuntur in memoriam Dei reuocari, Psal. 78. & 108. & 3. Regum 17. iuxta phrasim autem Scripturæ peccata in memoriam Dei reuocari, idem est, ac semel remissa iterùm reuiuiscere, & apud Deum imputari, sicut Deum esse oblitum peccatorum, idem est, ac peccata iam esse dimissa, quia Deus post remissionem peccatorum se habet quasi eorum oblitus.

Et ratione probatur, desumpta à paritate reuiuiscentiæ meritorum per iustificationem subsequentem, quam Diffic. XXIII. formauimus & examinauimus.

Prædi-

Prædictam doctrinam, nempe quod peccata semel remissa iterùm redeant per subsequens peccatum mortale, limitat Præpositiuus, vt tantùm sit vera, quando peccatum subsequens est vnum ex quatuor generibus peccatorum, nempe odium fratris, aut apostasia à fide, aut contemptus confessionis; aut quando quis habet affectum, quo nollet habuisse pœnitentiam. Et quod attinet ad odium fratris, non leuiter indicant Ambrosius in cap. 4. Epistolæ ad Ephes. Augustinus Sermone 15. de Verbis Domini, Chrysostomus Homilia 26. in illa verba Matth. 18. *tradidit eum tortoribus*. Theophylactus in dictum cap. 18. Matth. imò Christus in eo capite id indicare videtur, dum adducit parabolam cuiusdam domini, qui reuocauit omne debitum quod remiserat seruo crudeli in conseruum suum, & posteà illam accommodans ait: *Sic Pater meus faciet vobis, si non remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris.*

Præpos. *Ambros.* *August.* *Chrysost.* *Theophyl.*

S. Thomas verò quæst. 88. artic. 1. Vasquez dubio 1. & 1. 2. disp. 208. Suarez disp. 13. sect. 1. Ægidius disput. 2. dub. 18. & communiter Theologi, docent, & meritò, peccata semel remissa per nullum genus peccati subsequentis iterùm redire quoad culpam, nec quoad dignitatem pœnæ æternæ: quod definitum videtur à Gelasio Papa de Pœnitentia d. 4. can. *Diuina*, & 23. quæst. 4. can. *Si illic:* dum ait: *Diuina clementia dimissa peccata in vltionem iterùm redire non patitur.*

S. Thomas. *Vasquez.* *Suarez.* *Ægidius.* *Gel. Pap.*

Prosper. Quod etiam expressit Prosper in lib. ad Capitula Gallorum, in responsione ad secundam obiectionem.

Et ratione probatur, quia peccata quoad culpam seu maculam, & quoad dignitatem pœnæ æternæ de facto tantùm remittuntur per gratiam & sanctitatem nobis inhærentem, suâ naturâ pugnantem cum illis quoad duo prædicta, per gratiam autem & sanctitatem istam peccata absolutè, & non sub conditione in posterum non peccandi, remittuntur & extinguuntur, quia gratia & sanctitas suâ naturâ opponitur peccatis quoad culpâ seu maculam directè, quia hæc est formaliter iniustitia & immundities apud Deum, cui gratia & sanctitas suâ naturâ opponitur: & etiam opponitur quoad dignitatem pœnæ æternæ consequenter & indirectè, quia hæc dignitas dependet suâ naturâ in conseruari à culpa seu malitia, cui, vt diximus, gratia & sanctitas suâ naturâ directè opponitur, sicut calor vt octo, absolutè, & non sub conditione aliqua, destruit frigus vt octo, quia suâ naturâ opponitur frigori vt octo; ergo peccata, vt de facto remittuntur, per nullum peccatum subsequens redeunt.

Augustinus verò non fauet aduersarijs, quia tantùm vult, peccata propria Iudæ, & suorum parentum, quæ in ipso fuerunt temporaliter punita, non fuisse sic punienda, si in sua vocatione stetisset. Et Beda non loquitur de reditu peccatorum quoad culpam & dignitatem pœnæ æternæ, sed tantùm nos admonet, vt cauti simus, & sententiam in illo versiculo contentam timeamus, quia contingere potest, vt ob negligentiam labamur in peccata prioribus similia, & in peccata similia eis quæ ita remissa esse credebamus, & eorum radicem ita esse extinctam, vt amplius non essemus in ea lapsuri.

In Scriptura autem peccata in memoriam Dei reuocari, non est peccata iam remissa iterùm à Deo imputari; sed Deum temporaliter punire peccata, quorum punitionem ita distulerat, vt eorum appareret oblitus: vnde Deus non solùm dicitur obliuisci peccatorum, quando peccata iam sunt dimissa, sed etiam dicitur obliuisci, quando peccata nondum dimissa, non punit temporaliter.

Ambrosius verò, Augustinus, Chrysostomus & Theophylactus, adducti pro Præpositiuo, tantùm volunt, ob peccatum odij aut crudelitatis in fratrem, peccata prærerita iam remissa redire, non eadem numero, sed similia, quia scilicet Deus ob dictum peccatum permittit sic peccantem labi in peccata similia, peccatis iam remissis, quod est debita iam remissa quodammodò exigere.

Nec parabola illa Matth. 18. fauet Præpositiuo, quia sensus accommodationis, & conclusionis illius, nempe, *Sic Pater meus cœlestis faciet vobis*, &c. vel est, Deum non fore benignum in nos, & nobis non remissurum peccata, nisi etiam nos proximis iniurias contra nos illatas remittamus (iuxta illud Luc. 6. *Dimittite, & dimittemini*, & iuxta quod subditur, *Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis*) vt exponunt Maldonatus in dictam parabolam, & Vasquez 1. 2. disp. 108. cap. 7. & Ægidius dub. 18. Vel sensus est, Deum permissurum, eum cui remissa sunt peccata, iterùm labi in similia, nisi remittat fratri iniurias: & non est sensus, peccata iam remissa eadem iterùm à Deo imputari non remittenti iniurias, quia non omnia, quæ in parabolis continentur, sunt semper ipsi veritati accommodanda; sed illa, quæ fini parabolæ intento sufficiunt. Christus autem in dicta parabola vel tantùm intendit nos admonere, vt fratribus iniurias remittamus, si volumus remissionem peccatorum à Deo impetrare; vel tantùm intendit, quòd si nolumus à Deo deseri, & misericordiam à Deo non impetrare, iniurias remittamus. Ad prius autem intentum ex his duobus sufficit accommodare & concludere, quòd sicut dominus ille à seruo crudeli exigit priora debita, quamuis remissa, ita etiam potiori ratione Pater cælestis ob crudelitatem non remittentium iniurias non remittet, & exiget vera debita, & peccata nondum remissa. Ad posterius verò intentum sufficit, accommodare & concludere, quòd sicut dominus ille à seruo crudeli exigit debita, quamuis iam remissa, ita etiam Deus ob crudelitatem in fratres iterùm exiget & imputabit peccata iam remissa, non eadem numero, sed similia, permittendo lapsum in ea.

Mallon. *Vasquez.* *Ægidius.*

DIFFICVLTAS XIX.

Vtrùm peccata semel remissa quoad culpam, possint de potentia Dei absoluta quoad eam redire per subsequens peccatum.

SCotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. Gabriel quæst. 1. art. 3. dub. 2. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 9. & Valentia disp. 7. quæst. 5. puncto 1. partem affirmatiuam tuentur: quia culpa seu macula, post peccatum transactum relicta, aut consistit in destinatione ad pœnam à Deo facta; hæc autem potest à Deo auferri sub condi-

Scotus. *Gabriel.* *Medina.* *Valentia.*

conditione non peccandi in futurum; ergo si ita fiat à Deo, vt potest, peccata redibunt conditione non impleta, nempe si posteà committatur peccatum. Aut consistit in malitia, seu iniuria Deo facta, habitualiter perseuerante: & hæc etiam potest à Deo condonari seu remitti sub conditione non peccandi in futurum, non minùs quàm vnus homo potest alteri iniuriam sibi factam sub conditione remittere; ergo si Deus ita remittat, vt potest, & posteà committatur aliud peccatum, iterùm redibunt peccata anteà remissa.

Situs. Valquez. Suarez. Turrianus.

Sotus verò in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2. Vasquez quæst. 88. art. 1. & 1. 2. disp. 208. Suarez disp. 13. sect. 1. Turrianus Complutensis disp. 12. dubio 1. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Deus nequit sub conditione peccata quoad culpam seu maculam remittere, sed tantùm absolutè; nec potest illa reproducere, nec potest pro sola sua voluntate illa iterùm imputare; ergo semel remissa nequeunt adhuc de potentia Dei absoluta quoad culpam seu maculam redire. Consequentia patet: Antecedens autem probatur, & in primis quoad primam partem; quia Deus nequit sola extrinseca condonatione, nec cessione, sed tantùm media sanctitate animæ inhærente, peccata quoad culpam seu maculam remittere: per sanctitatem autem peccata nequeunt sub conditione, sed tantùm absolutè auferri, non minùs, imò magis quàm frigus vt octo per calorem vt octo, quia non minùs, imò magis opponitur suâ naturâ peccatis, quàm calor frigori. Quòd autem Deus nequeat peccata extrinseca condonatione, nec extrinseca cessione remittere, sed tantùm media sanctitate animæ inhærente, probatur, quia culpa seu macula peccati, relicta post peccatum transactum, non consistit in aliqua strictè iniuria, seu damnificatione contra Deum, cui ipse possit cedere, sed consistit in ipsa malitia, quæ primò fuit in actu ipso peccati, & habitualiter perseuerat, qua anima manet maculata, & in culpa apud Deum: ergo remitti nequit nec auferri sola extrinseca Dei cessione, nec extrinseca condonatione, sed tantùm media vera sanctitate, quæ est mundities animæ, & suâ naturâ pugnat cum illa; & consequenter, ita vt de potentia Dei absoluta nequeat esse cum macula seu culpa: quia si illa nequit suâ naturâ conseruari simul cum ea sanctitate, neque potest à Deo conseruari cum illa, sicut nec à principio produci. Deinde idem Antecedens quoad secundam partem est manifestum, quia Deus nequit esse causa culpæ seu maculæ peccati; ergo multò minùs reproductionis, & renouationis illius. Et tandem idem Antecedens quoad tertiam partem constat, quia Deus nequit pro sola sua voluntate culpam imputare, ergo multò minùs eam iterùm imputare.

Ad fundamentum ergo aduersariorum negamus, maculam peccati post actum peccati transactum relictam consistere in destinatione ad pœnam, sed in ipsa malitia peccati, seu offensa & iniuria Dei habitualiter perseuerante, quam nequit Deus sub conditione remittere, quamuis possit homo iniuriam & offensam sibi factam remittere sub conditione, ob discrimen inter vtramque: quia offensa in hominem facta non consistit in aliqua malitia, culpa seu macula, sed in stricta damnificatione contra illud, cui, vtpote tali, ipse potest pro sola sua voluntate cedere, cùm possit iuri suo cedere; ac proinde non solùm potest illam absolutè remittere, sed etiam sub conditione: iniuria autem, seu offensa contra Deum, non consistit in stricta damnificatione contra iustitiam in Deum, cui ipse possit cedere, sed in vera malitia, culpa & macula, cui cedi nequit, sed auferri debet vera sanctitate & munditie suâ naturâ pugnante cum illa, per sanctitatem autem & munditiem suâ naturâ pugnantem cum ipsa malitia & macula, nequit sub conditione, sed tantùm absolutè auferri, sicut frigus vt octo per calorem vt octo.

DIFFICVLTAS XX.

Vtrùm peccata integrè remissa etiam quoad dignitatem pœnæ æternæ, possint quoad hanc solam de potentia Dei absoluta per subsequens peccatum redire.

Suarez. Henriq. Ægidius.

SVarez disp. 13. sect. 2. Henriquez 1. de Pœnitentia, cap. 32. & Ægidius disput. 2. dub. 18. partem affirmatiuam tuentur, quia Deus sua potentia absoluta potest remittere culpam seu maculam mortalem, non remittendo dignitatem pœnæ æternæ, vtpote distinctam ab illa; ergo Deus, culpa mortali absolutè remissa, poterit dignitatem pœnæ æternæ remittere sub conditione in posterum non peccandi, ac proinde dignitas pœnæ æternæ poterit de potentia Dei absoluta per subsequens peccatum redire.

Vasquez. Ochagauia. Sotus.

Vasquez verò quæst. 88. artic. 1. dubio 1. & 1. 2. disput. 208. numero 29. & Ochagauia quæst. 24. partem negatiuam tradunt (quam indicat Sotus in 4. disp. 16. quæst. 1. art. 1. §. *Forsan*) & meritò: quia nemo potest esse dignus pœnâ pro sola voluntate Dei, non solùm antequam peccet, sed nec postquam peccauit, sed solùm fit dignus pœna peccato ipso, quod est pœna dignum; quia dignitas pœnæ, vtpote extrinseca quædam denominatio, nequit produci neque conseruari à Deo in se ipsa, sed ipsa consurgit & conseruatur ex suo fundamento, nempe ex peccato pœna digno: sed peccatum absolutè remissum quoad culpam & maculam, & offensam Dei, non manet dignum ex se æternâ pœnâ, vt patet: ergo illo absolutè remisso quoad culpam, & maculam, & offensam, & quoad eam non redeunte, nequit homo manere nec redire dignus pœna æterna adhuc de potentia Dei absoluta.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus Antecedens, nempe Deum posse remittere culpam mortalem, non remittendo dignitatem pœnæ æternæ: quia quamuis hæc sit distincta à culpa mortali, sanctitas tamen auferens culpam mortalem etiam aufert dignitatem pœnæ æternæ, quia hæc dignitas suâ naturâ pendet in conseruari à culpa seu macula mortali; eo enim ipso quòd quis desinit inimicus Dei, desinit esse dignus pœna æterna.

Addimus primò, peccatum originale remissum non posse, adhuc de potentia Dei absoluta, redire, nec quoad culpam, nec quoad dignitatem pœnæ æternæ damni, quia quoad vtramque nequit remitti nisi absolutè, quia nequit remitti immediatè volûtate Dei, sed media sanctitate suâ naturâ absolutè

lutè pugnante cum illo quoad culpam, & quoad dictam dignitatem pœnæ æternæ. Non negamus, redire posse carentiam iustitiæ debitæ (in qua consistit culpa seu macula peccati originalis saltem pro materiali) per subsequens peccatum mortale, si Deus statuat, vt potest, quòd etiam post peccatum subsequens debeatur haberi iustitia. Nihilominùs tunc non diceretur peccatum originale remissum redire, vel quia posteà carentia iustitiæ debitæ esset distincta à priori, vel saltem quia prior carentia, prout primò contracta, non imputaretur ad culpam, sed prout posteà contracta.

Addimus secundò, peccata venialia remissa quoad culpam, non posse adhuc de potentia Dei absoluta, quoad eam redire per peccatum subsequens, quia quoad eam non remittuntur immediatè voluntate Dei, sed sanctitate sua natura cum illis absolutè pugnante: posse tamen quoad dignitatem pœnæ temporaneæ, quia quoad hanc remitti possunt sub conditione, aut sub exceptione non peccandi in futurum, siue quoad illam remittantur solutione ipsius pœnæ debitæ, quia potest pœna infligi à Deo intentione illa puniendi dependente à conditione, aut ab exceptione non peccandi in futurum; siue remittantur satisfactione moraliter æquiualente, quia vt remittantur satisfactione, necessaria est acceptatio diuina, vt dicemus Disputatione XIII. Difficul VI. quæ potest à Deo fieri sub conditione, aut sub exceptione non peccandi in futurum.

DIFFICVLTAS XXI.

Vtrùm peccata semel remissa redeant aliquo modo per subsequens peccatum.

COnueniunt Theologi, peccata semel remissa iterùm aliquo modo redire per subsequens peccatum mortale ratione circumstantiæ ingratitudinis, quæ verè committitur, iterùm offendendo Deum post beneficium remissionis ab ipso acceptum, quia ratione huius ingratitudinis peccatum subsequens fit grauius non maioritate seu excessu grauitatis æquiualente grauitati peccatorum remissorum; vt patet, ac proinde, quamuis peccata semel remissa aliquo modo redeant, sed non æquiualenter.

Scotus. Gabriel. Addunt Scotus in 4. dist. 22. quæst. 1. §. *De tertio articulo*, & Gabriel quæst. 1. art. 2. peccatum commissum post remissionem peccatorum factam per pœnitentiam, etiam fieri grauius ex eo quòd ille, qui peccat post eam, faciat contra promissionem iterùm non peccandi factam in ea iustificatione: falluntur tamen, vt aduertunt Medina Cod. de Pœnitentia, q. 9. Vasquez q. 88. artic. 2. & Suarez disp. 13. sect. 3. quia ad iustificationem adhuc mediâ pœnitentiâ factam non est necessaria dicta promissio (aliàs omne peccatum post iustificationem sic factam etiam esset sacrilegium contra virtutem Religionis) sed sufficit propositum iterùm non peccandi (imò sufficit implicitum:) propositum autem istud, adhuc expressum, non auget malitiam peccati post illud commissi.

Medina. Vasquez. Suarez.

Est tamen difficultas, An peccare in statu sanctitatis post remissionem peccatorum, sit maior ingratitudo, quàm peccare in statu sanctitatis & innocentiæ ante commissionem & contractionem peccati, vt contigit in Adamo; & procedit quæstio, quando aliàs sanctitas est æqualis.

Bonauent. Scotus. Gabriel. Bonauentura in 4. d. 22. ar. 1. q. 2. Scotus q. 1. Gabriel q. 1. ar. 3. dub. 1. docent, esse maiorem ingratitudinem, peccare in statu innocentiæ ante peccatum, quia maior ingratitudo est peccare post maius beneficium acceptum à Deo; status autem innocentiæ, & præseruatio à peccatis, maius beneficium est, quàm ab eis iam commissis aut contractis liberari.

Caietan. Vasquez. Ægidius. Caietanus verò 22. q. 106. art. 2. Vasquez q. 88. art. 2. & Ægidius disp. 2. dub. 19. docent, maiorem esse ingratitudinem, peccare in statu sanctitatis post remissionem peccatorum, & meritò: quia quamuis præseruatio à peccatis secundùm se, & quasi materialiter, sit aliqualiter maius beneficium, quàm eorum remissio secundùm se & quasi materialiter sumpta, quia præseruari à peccatis est in se aliqualiter melius, quàm eorum iam commissorum remissio; nihilominùs quia remissio fit ei qui est positiuè indignus eo beneficio, & non dicta præseruatio (quamuis hæc fiat non digno) ideò remissio, omnibus pensatis, est maior in ratione beneficij, quia excessus, quo remissio excedit præseruationem, ex eo quòd fiat indigno (qui potest dici excessus formalis) est multò maior, quàm aliqualis ille excessus, quo præseruatio excedit remissionem, qui potest dici materialis. ergo, ceteris paribus, ex parte sanctitatis qua fit remissio, maior ingratitudo est, peccare post remissionem peccatorum, quàm post innocentiam: & ob eamdem rationem, peccare post remissionem mortalis actualis est maior ingratitudo, quàm post remissionem originalis, quia remissio mortalis actualis, vtpote facta magis indigno, est maius beneficium, ceteris paribus, ex parte sanctitatis.

Obseruandum est, etiam in commissione peccati venialis post remissionem peccatorum esse aliquam ingratitudinem; quia est aliqualis offensa contra Deum, & consequenter ratione talis ingratitudinis, redire aliquo modo peccata priùs remissa, etiam mortalia, per subsequens peccatum veniale. Sed quia ea ingratitudo non est notabiliter aggrauans, sed tantùm leuiter, ideò peccata priùs remissa, adhuc mortalia, non redeunt sensibiliter per subsequens veniale. Et id voluit S. Thomas quæst. 88. artic. 2. ad 2. dum *S. Thomas.* negat per veniale redire aliquo modo peccata priùs remissa: sicut etiam, quando in veniali negat ingratitudinem, tantùm negat grauem & sensibilem.

DIFFICVLTAS XXII.

Vtrùm ingratitudo in quocumque peccato reperta, ratione cuius peccata remissa aliquo modo redeunt, sit speciale peccatum.

SVpponimus, in quocumque peccato esse ingratitudinem aliquam, quia omne peccatum fit post beneficia à Deo accepta.

Est tamen difficultas, An hæc ingratitudo addat aliquam specialem malitiam distinctam à malitia, quam peccatum, in quo est ingratitudo ipsa, habet ex suo obiecto.

Medina

Medina. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 9. docet, ingratitudinem in quocumque peccato repertam supra propriam malitiam peccati in quo reperitur, v. g. furti aut homicidij, addere aliam specialem malitiam ingratitudinis Deo factæ, quia quodcumque peccatum sit contra duplicem virtutem; v. g. peccatum furti fit contra iustitiam, & etiam contra gratitudinem: ergo quodcumque peccatum habet duplicem malitiam, alteram contra iustitiam aut aliquam aliam virtutem, & alteram contra gratitudinem. Addit tamen Medina, hanc ingratitudinem, quamuis sit speciale peccatum, non esse necessariò in confessione explicandam, quia est notissima Confessariis.

S. Thomas. Vasquez. Scotus. Ægidius. S. Thomas verò quæst. 88. art. 4. Vasquez ibidem, Scotus in 4. dist. 22. quæst. 1. & Ægidius disp. 2. dub. 19. docent, circumstantiam ingratitudinis in quocumque peccato repertam, non addere aliquam specialem malitiam (nisi quando peccatum, in quo reperitur, fit expresè in contemptum beneficij accepti) sed tantùm aggrauare peccatum intra propriam speciem peccati in quo reperitur, v. g. furti aut homicidij; & meritò: quia dicta ingratitudo absque expresso contemptu beneficij non opponitur speciali virtuti gratitudinis, ergo non habet specialem malitiam ingratitudinis. Consequentia patet, quia species peccatorum sumuntur ex oppositione ad virtutem. Antecedens autem probatur, quia ad specialem rationem gratitudinis non sufficit efficere aliquid gratum ei à quo acceptum est beneficium; quia id non sufficit, vt fiat in gratiarum actionem, quod requiritur ad specialem rationem gratitudinis, & id efficit erga Deum quæcumque alia virtus distincta à gratitudine: sed necessarium est id efficere ex animo, seu ex intentione expressa recompensandi aliquo modo beneficium acceptum, quia id requiritur, vt illud fiat in gratiarum actionem; ergo offendere eum à quo acceptum est beneficium, non opponitur speciali virtuti gratitudinis, nisi expresè fiat in contemptum beneficij accepti: sicut etiam non obedire Superiori, non est speciale peccatum inobedientiæ, nisi quando non obeditur ex contemptu Superioris, seu expresso animo non parendi Superiori; quia nec obedire Superiori est specialis obedientia, nisi obediatur expressa intentione obediendi Superiori, id est quia Superior præcipit. Et quid simile contingit in peccato odij, & in peccato specialis scandali, & in aliquibus aliis, in quibus non est oppositio adæquata cum virtutibus quoad obiectum materiale adæquatum earum, absque expresso quodam affectu & expressa quadam intentione. Secùs est in peccato fornicationis, furti, homicidij, sacrilegij, & in aliquibus aliis, in quibus absque expressa intentione inuenitur malitia specialis eorum, quia absque ea intentione inuenitur in illis adæquata oppositio cum virtutibus quoad obiectum materiale speciale eorum.

Ad rationem ergo Medinæ negamus, quodcumque peccatum etiam esse contra gratitudinem specialem, nisi quando fit ex contemptu beneficij accepti.

DIFFICVLTAS XXIII.

Vtrùm merita vitæ æternæ per peccatum mortale subsequens mortificata, reuiuiscant per sequentem iustificationem, media contritione aut aliter factam.

SVpponimus, merita vitæ æternæ mortificari per peccatum mortale subsequens, quia anteà iustus, per sequens peccatum mortale fit iniustus, & inimicus Dei, & dignus vt non præmietur vitâ æternâ anteà promeritâ, quo merita vitæ æternæ impediuntur quoad hominem ipsum à sua virtute morali perducendi illum ad vitam æternam, & à vi denominandi, qua possent ipsum hominem absolutè denominare dignum vita æterna; quia post peccatum mortale, quamdiu perseuerat, non denominant hominem dignum vita æterna saltem expeditè, sed potiùs à peccato mortali subsequente denominatur dignus pœna æterna, tam sensus quàm damni.

Hoc supposito, difficultas est, an merita vitæ æternæ per peccatum mortale subsequens mortificata, posteà per sequentem iustificationem reuiuiscant.

Ratio difficultatis pro parte negatiua sumitur ex illo Ezechiel. 18. *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ illius non recordabuntur*; at si, quando contingit posteà iustificari, reuiuiscerent, Deus recordaretur earum.

Nihilominùs Theologi conueniunt, merita vitæ æternæ iusti per subsequens peccatum mortale mortificata, posteà per sequentem iustificationem reuiuiscere. Quod efficaciter deducitur ex Tridentino sess. 6. cap. 16. dum ait, iustificatis nihil deesse, vt bonis operibus in statu gratiæ factis, & procedentibus ex gratia antecedente, comitante, & subsequente, si in gratia decedant, gloriam suo tempore consequendam promeruisse censeantur. Loquitur autem Tridentinum non solùm de iustificatis, qui gratiam semel acceptam semper conseruant, sed etiam de illis, qui gratiam amissam recuperant, vt ex contextu patet: ergo operibus meritoriis iusti factis ante peccatum mortale, quo posteà mortificantur, nihil deest vt vitam æternam consequantur, si iustus ille, qui mortaliter peccauit, posteà resurgat, & decedat in gratia. Consequentia patet, quia iustus ille decedit in gratia, & eius merita peccato mortali mortificata facta fuerunt in statu gratiæ, & processerunt ex gratia antecedente, comitante, & subsequente; ergo merita vitæ æternæ iusti per subsequens peccatum mortificata, posteà reuiuiscunt ad resurrectionem iusti qui mortaliter peccauit, & fuit spiritualiter mortuus. *Trident.*

Et ratione probatur, desumpta ex S. Thoma in 4. disp. 22. q. 1. art. 1. ad 6. quia quamuis merita vitæ æternæ iusti per subsequens peccatum mortale mortificentur, quia per illud impediuntur non in se, sed quoad ipsum hominem, quia per illud impediuntur à sua virtute, & vi morali perducendi ipsum ad vitam æternam, ex eo quòd per illud fit dignus, vt non præmietur vita æterna anteà promerita, & quia eo peccato impediuntur, vt non denominent ipsum hominem dignum vita æterna, *S. Thomas.*

ex eo quòd eo peccato fit dignus vt non præmietur vita æterna promerita (quod quamuis sit impossibile formis physicis physicè perseuerantibus, non tamen formis moralibus & solùm moraliter perseuerantibus, qualia sunt merita physicè præterita) quo merita vitæ æternæ iusti mortificari, & quasi tegi dicuntur; nihilominùs per peccatum illud subsequens non destruuntur, nec extinguuntur, nec eorum dignitas, sed ipsa & eorum dignitas manent viua habitualiter: quia peccatum mortale non opponitur bonitati, nec dignitati meritorum, sed tantùm sanctitati & munditiei animæ, nec bonitas & dignitas eorum pendet in conseruari à sanctitate; ergo ablato peccato mortali, seu macula ipsius, qua merita vitæ æternæ in se ipsis viua, erant impedita, & mortificata, expediuntur & reuiuiscunt, vt possint perducere hominem in vitam æternam, & eum efficiant & denominent dignum vita æterna.

Quia verò, vt ait S. Thomas vbi suprà, & nos diximus Diffic. XVIII. peccata & demerita extinguuntur & eradicantur per gratiam & sanctitatem aduenientem, quia eorum malitia & culpa est formaliter iniustitia & immundities apud Deum, cui gratia & sanctitas suâ naturâ opponitur, & dignitas pœnæ æternæ suâ naturâ pendet in conseruari à malitia & culpa, ideò peccata & demerita semel remissa non redeunt per subsequens peccatum mortale.

Ex dictis constat, merita vitæ æternæ, supposita remissione peccati mortalis, per quod fuerunt mortificata, ad quam necessaria fuit misericordia Dei, reuiuiscere ex natura rei, & non immediatè ex misericordia Dei, vt contra Scotum, Bonauenturam, & Durandum aduertit Vasquez q. 85. art. 5. *Vasquez.* dub. 1. quia ex vna parte opera bona iusti ex se sunt digna vita æterna, & non ex acceptatione & voluntate Dei; & ex altera parte ipsa opera eo modo, quo erant digna ante peccatum mortificans, reuiuiscunt, ablato eo peccato, quia fuerunt facta, & digna, & non fuerunt præmiata, & per peccatum subsequens non fuerunt destructa & extincta, sed tantùm impedita & mortificata.

Addimus, merita vitæ æternæ peccato mortali finali illius, qui est damnandus in æternum (quamuis quasi physicè sint tantùm mortificata) censeri tamen moraliter extincta & destructa, quia numquam sunt reuictura.

Merita autem iusti ita expediuntur, & reuiuiscunt quoad dignitatem & rationem meriti, ablato peccato mortificante, vt adhuc de potentia Dei absoluta nequeant non reuiuiscere quoad illam (quamuis Deus possit non remunerare illa) quia merita non reuiuiscunt ex volunrate Dei, sed ex sua natura, supposito quòd fuerunt facta, & non sunt remunerata; fieri autem non potest, adhuc de potentia Dei absoluta, vt merita amittant suam naturam, & quòd non fuerint facta, & quòd sint remunerata, supposito quòd facta fuerint, & non fuerunt remunerata.

Ad rationem autem difficultatis pro parte negatiua respondemus, testimonium illud Ezechielis, intelligi sub exceptione pœnitentiæ, quasi dicat: Si iustus fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ illius non recordabuntur, nisi egerit pœnitentiam, quia si hanc non agat, merita illius præcedentia non præualebunt contra iniquitatem.

DIFFICVLTAS XXIV.

Vtrùm merita iusti reuiuiscant in integrum.

CONueniunt Theologi, merita iusti reuiuiscere non solùm quoad præmium accidentale, nempe quoad gaudium de illis in cælo futurum, sed etiam quoad præmium essentiale gloriæ, vt significatur in Tridentino sess. 6. cap. 16. dum de meritis iusti procedentibus ex gratia ait, nihil illis deesse, vt censeatur promeruisse vitam æternam suo tempore consequendam, si iustus in gratia decedat; ex quo Diffic. XXIII. reuiuiscentiam meritorum deduximus. Quod etiam constat ex dictis in ea Difficultate, nempe quòd ablato peccato illa mortificante, reuiuiscunt & expediuntur ad eamdem dignitatem & rationem meriti, quam habuerunt facta in statu gratiæ; dignitas autem illa & ratio meriti est vitæ æternæ. *Trident.*

Ita tamen reuiuiscunt quoad dignitatem & rationem meriti vitæ æternæ, vt illis correspondeat, & conferendus sit aliquis peculiaris gradus vitæ æternæ, distinctus à gradu correspondente iustificationi, per quam reuiuiscunt. In quo Theologi communiter conueniunt. Quod constat ex dictis, quia merita, peccato ea mortificante per iustificationem ablato, reuiuiscunt ad eamdem antiquam dignitatem & rationem meriti, quam ante illud peccatum habebant: illis autem, si non fuissent per peccatum mortificata, corresponderet aliquis peculiaris gradus gloriæ, distinctus ab eo qui correspondet iustificationi sequenti per quam reuiuiscunt. Et quidem si solùm reuiuiscerent quoad eumdem gradum gloriæ, aliàs titulo iustificationis sequentis conferendum, eorum reuiuiscentia nihil prodesset iusto, cùm ipsi nihil gloriæ ex reuiuiscentia accresceret.

Est tamen difficultas, An reuiuiscant quoad totam gloriam, seu quoad omnem gradum gloriæ, quem ante sui mortificationem merebantur.

Alexander 4. parte quæst. 12. memb. 4. art. 5. ad 7. Bonauentura in 4. dist. 14. part. 2. art. 2. q. 1. ad 4. Paludanus quæst. 1. Capreolus quæst. 2. art. 1. & Sotus dist. 16. q. 2. art. 5. docent, merita mortificata non semper reuiuiscere quoad omnem gradum vitæ æternæ; qui non omnes eodem fundamento, sed variis ad id ducuntur. *Alexand. Bonauent. Paludan. Capreol. Sotus.*

Magister verò in 4. dist. 14. Albertus art. 21. Richardus art. 8. q. 2. Almainus q. 1. art. 2. Scotus dist. 22. q. 1. Durandus in 3. dist. 31. q. 2. Vasquez q. 89. art. 5. dub. 2. & Ægidius disp. 2. dub. 20. docent, semper, & per quamcumque iustificationem, quantumuis minimam, reuiuiscere quoad totam antiquam dignitatem & rationem meriti vitæ æternæ, & quoad adeptionem totius gloriæ, quam aliàs adipiscerentur si mortificata non fuissent. Quod in primis constat ex Tridentino, dum supponit, nihil aliud esse necessarium, vt opus bonum iusti vitam æternam mereatur, & vt eam, quam merebatur, consequatur, nisi quòd fiat in statu gratiæ, & quòd procedat ex auxilio gratiæ, & quòd iustus in gratiæ decedat: hæc autem tria non minùs conueniunt meritis mortificatis, quàm si non fuissent mortificata; ergo Tridentinum supponit, reuiuiscere quoad totam dignitatem, & rationem meriti vitæ æternæ quam ante mortificationem habe- *Magister. Albertus. Richard. Almain. Scotus. Durand. Vasquez. Ægidius. Trident.*

habebant, & quoad adeptionem totius gloriæ, quam adipiscerentur si mortificata non fuissent, per quamcumque iustificationem, quantumuis minimam, reuiuiscant, quia quæcumque sufficit, vt homo decedat in gratia.

Et idem ratione constat: quia si peccato mortali, quo merita mortificata fuerunt, per quamcumque iustificationem ablato, reuiuiscunt ad antiquam dignitatem & rationem meriti vitæ æternæ, necesse est, quòd non ad minorem, sed ad eamdem reuiuiscant, quia per peccatum nihil dignitatis & meriti fuit extinctum, & quacumque iustificatione secuta, quantumuis minima, nihil peccati quoad culpam seu offensam manet, quo merita vitæ æternæ possint quoad aliquid dignitatis & meriti impediri; ergo reuiuiscunt & per quamcumque iustificationem quoad totam antiquam dignitatem & rationem meriti & vitæ æternæ; & consequenter etiam quoad adeptionem totius vitæ æternæ, cuius ante peccatum mortificans erant digna & meritoria, quia Deus vnicuique reddit gloriam secundùm opera sua, seu secundùm dignitatem operum, siue iustus disponatur ad iustificationem sequentem dispositione intensiori, siue remissiori ipsis antiquis meritis.

Obseruandum est, merita iusti mortificata non tantùm reuiuiscere quoad totam dignitatem & rationem meriti de condigno vitæ æternæ, sed etiam quoad congruitatem & rationem meriti de congruo aliorum donorum, si etiam quoad hanc mortificata sunt (quod est difficile, cùm ea congruitas sit expeditè compossibilis cum peccato mortali) ob eamdem omnino rationem, quia scilicet quoad nihil fuerunt extincta, & non fuerunt quoad congruitatem remunerata. Et ob eamdem rationem merita de congruo facta in statu peccati, si quoad eam congruitatem alio peccato mortali sequenti mortificantur (quod etiam est difficile, quia quoad illam sunt expedita in peccatore) posteà ablato illo peccato reuiuiscunt quoad eam congruitatem.

DIFFICVLTAS XXV.

Vtrùm gratia habitualis per peccatum amissa, posteà peccato illo per iustificationem ablato restituatur, & in integrum.

CIrca hanc Difficultatem (variis modis dicendi omissis) dicendum est Primò, gratiam habitualem meritis antiquis mortificatis correspondentem, siue eorum intuitu collatam, restitui, & in integrum, & statim in iustificatione ipsa per quam merita reuiuiscunt, quantacumque sit iustificatio. Ita Maior in 4. d. 22. quæst. 1. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 8. Suarez in Opusculis Relect. 2. Vasquez q. 89. art. 5. dub. 3. Pessantius disp. 3. & Ægidius disp. 2. dub. 20. Ratio huius est, quia gratia habitualis ideò fuit anteà antiquis meritis collata, & tota, quæ eis correspondebat, & statim ac facta fuerunt, quia erant meritoria de condigno illius, seu condigna dispositio ad illam: sed per iustificationem, qua aufertur peccatum mortificans, quantumuis minimam, reuiuiscunt merita ad totam antiquam condignitatem & rationem meriti, & dispositionis condignæ; ergo gratia habitualis eis correspondens antiquitus eorum intuitu collata, restituitur, & tota, & statim in ipsa iustificatione per quam reuiuiscunt.

Maior. Medina. Suarez. Vasquez. Pessant. Ægidius.

Sed obijcies Tridentinum sess. 6. cap. 7. dum air, *Trident.* in iustificatione gratiam conferri & infundi iuxta vniuscuiusque dispositionem; ergo in iustificatione non semper restituitur tota gratia meritis viuificatis correspondens, sed maior aut minor pro quantitate dispositionis vniuscuiusque. Respondemus, dictum Antecedens, ex Tridentino desumptum, tantùm intelligi de gratia collata intuitu dispositionis ad illam (imò tantùm de gratia quæ confertur in Sacramento ex opere operato ex vi ipsius Sacramenti) non verò de gratia, quæ restituitur intuitu meritorum antiquorum iam reuiuiscentium.

Dicendum Secundò est, nihil gratiæ habitualis collatæ ex opere operato virtute Sacramenti, & per peccatum amissæ, restitui (vt contra Suarez & Ægidium, dicentes verè restitui, & in integrum, & statim, aduertit Vasquez) quia nec reuiuiscit Sacramentum, intuitu cuius fuit anteà collata, nec reuiuiscit aliud quod exigat restitutionem illius, nec ex se reuiuiscere potest, vt patet. Quòd autem restitutio illius pertineat ad excellentiam meritorum Christi, & congruat misericordiæ Dei, non sufficit, vt dicatur fieri à Deo; quia etiam multa alia beneficia, & miracula, quæ Deus nec facit, pertinerent ad excellentiam meritorum Christi, & congruerent misericordiæ Dei. *Vasquez.*

Sed obijcies: Ergo peccatum illud mortale, quo amissa fuit illa gratia, quamuis remissum per sequentem iustificationem, punietur pœna æterna, nempe priuatione illius gratiæ quæ numquam restituenda est.

Respondemus, priuationem huius gratiæ aut non fuisse pœnam peccati, per quod gratia ipsa fuit expulsa, sed tantùm effectum secundarium illius: aut si fuit pœna, solùm fuisse, quamdiu peccatum non fuit remissum quoad culpam, quia quamdiu non remittebatur, placebat Deo priuatio illa in pœnam illius peccati, non verò post remissionem.

Ex dictis constat, eum, qui resurgit à peccato ad gratiam, aliquando resurgere ad minorem gratiam, quam habebat ante peccatum, aliquando ad æqualem, & aliquando ad maiorem: quia quamuis semper restituatur tota gratia meritis antiquis correspondens, nihil tamen gratiæ intuitu Sacramenti collatæ restituitur: & quia gratia, quæ confertur præcisè ex vi iustificationis, per quam peccator resurgit, aliquando est maior quàm gratia Sacramentalis amissa, aliquando æqualis, & aliquando minor, quia datur iuxta præsentem dispositionem, aut contritionem, quæ aliquando est maior, aliquando est æqualis, & aliquando minor quàm fuerat præcedens dispositio, iuxta quam collata fuit gratia illa Sacramentalis, quæ non restituitur, ideò peccator resurgens aliquando resurgit ad maiorem, aliquando ad æqualem, & aliquando ad minorem gratiam quàm fuit gratia per peccatum amissa, vt docet S. Thomas q. 89. art. 2.

Obseruandum est, vt optimè S. Thomas art. 6. *S. Thomas.* opera bona facta extra statum gratiæ, quæ dicuntur mortua (non mortifera, qualia sunt peccata mortalia) quia carent vita gratiæ & charitatis, nullatenus viuificari per iustificationem sequentem, vt manifestum est.

DISPVTATIO III.

De præcepto Pœnitentiæ.

NOmine *Pœnitentiæ* in hac Disput. III. (sicut etiam in II.) tantùm intelligimus perfectam contritionem, quæ est perfectissima pœnitentia actualis, & quam Patres nomine pœnitentiæ intelligunt.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm perfecta contritio sit sub præcepto.

Victoria. VICTORIA (vt refert Canus Relect. de Pœnitentia, p. 4.) docuit, contritionem perfectam, quamuis sit medium necessarium ad salutem, extra Sacramentum non esse sub præcepto, aliàs nullus damnaretur ob vnicum tantùm peccatum mortale, quia cum quocumque alio peccato mortali esset aliud peccatu mortale omissionis contritionis perfectæ.

S. Thomas. Vasquez. Suarez. S. Thomas verò quæst. 84. art. 7. Vasquez q. 86. art. 2. dub. 2. Suarez disp. 15. sect. 1. & communiter Theologi docent, contritionem perfectam esse sub præcepto, & meritò: quia id deducitur ex illo Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis:* sicut etiam ex illo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit,* &c. deducitur, Baptismum esse sub præcepto, & ex illo Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis,* &c. deducitur, Eucharistiam esse sub præcepto.

Et ratione constat, quia omnia quæ sunt media necessaria ad salutem, & aliàs sunt in nostra potestate, sunt sub præcepto; ex eo enim fides est sub præcepto, quia est medium necessarium ad iustificationem, & aliàs est in nostra potestate: sed contritio est medium necessarium ad iustificationem peccatoris, qui non iustificatur medio Sacramento, & aliàs est in eius potestate supposito auxilio; ergo est peccatori sub præcepto.

Vasquez. Ex quo deducitur, vt optimè Vasquez, præceptum contritionis non obligare absolutè, sed ex suppositione peccati mortalis, & non remissi, vt ab eo iustificemur; ac proinde, quando peccator aliàs iustificatus est medio Sacramento, cessat obligatio dicti præcepti, quia dictum præceptum tantùm obligat ratione iustificationis: & quia iustificatio extra Sacramentum obtineri potest non tantùm contritione expressa, sed etiam implicita in alio actu dilectionis amicitiæ erga Deum, ideò contritio expressa determinatè non est sub præcepto, sed expressa, aut implicita sub disiunctione, quamuis peccatum non remissum memoriæ occurrat, etiam si quando occurrit ei, qui alio actu dilectionis, quo sufficienter iustificatur, diligit Deum, vix possit contineri ab actu expressæ contritionis.

Ad rationem ergo in contrarium, concedimus, nullum damnandum esse ob vnicum tantùm peccatum mortale, nisi repentè moriatur existens in statu vnius tantùm peccati mortalis; aut nisi existens in articulo mortis, prudenter iudicet se esse iustificatum; aut nisi inuincibiliter ignoret dictum præceptum, vel illius naturaliter obliuiscatur: quia in quocumque casu ex his, omissio dicti præcepti non imputatur ad culpam.

DIFFICVLTAS II.

Quale sit præceptum contritionis.

PEtrus Sotus Lect. 13. de Pœnitentia, docet, præceptum contritionis oriri & obligare ex speciali virtute pœnitentiæ. Modus tamen iste dicendi non placet, quia ex ea virtute nequit oriri obligatio, nisi ad intentionem satisfaciendi, seu destruendi peccatum vt offensam Dei, aut illud vt offensam Dei detestandi, aut de eo vt offensa Dei dolendi ex complacentia ipsius pœnitentis, quia specialis virtus pœnitentiæ non habet alium actum proprium, & nulla virtus obligare potest nisi ad proprium actum; & si aliquando etiam obligat ad actum alterius virtutis, est quando iste est necessarius ad proprium actum, qui sit sub obligatione illius virtutis: contritio autem perfecta nec est necessaria ad aliquem actum proprium specialis virtutis pœnitentiæ, nec aliquis actus proprius huius virtutis est sub obligatione ipsius. *Petrus Sotus.*

Suarez disp. 15. sect. 1. docet, præceptum contritionis, obligans ratione iustificationis, quando hæc non fit medio Sacramento, esse ex iustitia erga Deum, quo Deo media contritione satisfacimus pro offensa ipsi facta, & eam delemus. Hic etiam modus dicendi non placet, quia Deus peccatis nostris non læditur verè & strictè, nec lædi potest contra peculiarem & strictam iustitiam; ergo præceptum contritionis, qua Deo satisfacimus pro offensa ipsi facta, & eam delemus, non oritur ex peculiari & stricta iustitia, nec ipsa contritio est actus iustitiæ, quia non est recompensatio alicuius strictæ & peculiaris iniustitiæ. *Suarez.*

Scotus verò in 4. dist. 17. quæst. 1. Canus Relectione de Pœnitentia p. 3. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 3. & Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 3. docent, præceptum contritionis esse ex charitate erga Deum, ac proinde ad primum præceptum Decalogi pertinere, & meritò: quia ad contritionem tenemur ratione iustificationis in fine vitæ, vt moriamur Deo reconciliati, quia contra rationem est, homines in Dei amicitiam ordinatos, in eius inimicitia in perpetuum discedere; præceptum autem quod est, & obligat ratione reconciliationis cum Deo, ad charitatem erga ipsum pertinet, & ex ea oritur. *Scotus. Canus. Medina. Vasquez.*

Id verò quod addunt Scotus, Canus, & Medina, nempe, dictum præceptum contritionis etiam esse & obligare ex propria misericordia erga nosmetipsos, falsum est, vt aduertit Vasquez: quia sicut misericordia erga proximos non exigit vt eos liberemus à malis, adhuc spiritualibus, à quibus ipsi se liberare possunt, & nolunt, quia tunc non habet locum compassio miseriæ proximorum, quia ipsi tunc se habent quasi non patientes, & quasi *Vasquez.*

non

non dolentes de sua miseria, ita nec misericordia exigit, vt liberemus nos ipsos à malis adhuc spiritualibus, nec in articulo mortis, sed in hoc articulo tantùm obligamur ex charitate erga Deum, vt liberemur à peccato graui: & obligamur liberari à peccato graui, non vt liberemur à damno, sed vt reconciliemur cum Deo.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm præceptum contritionis obliget statim, ac commissum est peccatum mortale.

DIfficultas hæc procedit de obligatione non in actu primo, quæ idem est ac vis seu virtus ad obligandum, ratione cuius præcepta adhuc affirmatiua dicuntur obligare semper; sed de obligatione in actu secundo, ratione cuius præcepta affirmatiua, excepto præcepto restitutionis, dicuntur non obligare pro semper.

Guillielm. Argent. Maior. Petrus Sotus. Siluester. Antonin. Guillielmus ergo Parisiensis Tract. de Pœnit. cap. 19. Thomas Argentina in 4. d. 17. art. 4. Maior q. 2. Petrus Sotus Lect. 13. de Pœnitentia, Siluester v. *Contritio*, num. 4. & Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 18. docent, præceptum contritionis, statim ac commissum est peccatum mortale, obligare (loquuntur de obligatione in actu secundo, quando aliàs peccator non iustificatur medio Sacramento) Primò, quia vnusquisque tenetur statim restituere quod abstulit proximo, siue famam, siue aliam rem; ergo peccator statim, ac grauiter offendit Deum, tenetur ipsi pro offensa satisfacere, ac proinde ad contritionem, per quam Deo satisfit pro offensa. Secundò, quia vnusquisque tenetur, quàm primùm possit, se liberare à graui damno corporis; ergo maiori ratione à graui damno animæ relicto ex peccato mortali. Tertiò, quia vnusquisque tenetur statim monere proximum, vt à peccato mortali iustificetur; ergo maiori ratione vnusquisque tenetur statim iustificari ab illo, ac proinde ad contritionem, si aliàs non iustificatur medio Sacramento. Quartò, quia qui peccato mortali amisit statum sanctitatis & gratiæ, est in periculo probabili committendi aliud peccatum

Gregorius. mortale, quod significat Gregorius lib. 1. in Ezechielem Hom. 11. dum ait: *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud.* & ratio ipsa ostendere videtur, quia gratia habitualis seu sanctitas est necessaria ad seruandam totam legem; ergo statim post peccatum mortale tenetur ab eo iustificari, vt desinat esse in dicto periculo.

Durand. Paludan. Sotus. Medina. Suarez. Vasquez. Ægidius. Durandus verò in 4. dist. 17. q. 10. Paludanus quæst. 1. Dominicus Sotus quæst. 2. art. 6. Medina Cod. de Pœnitentia, quæst. 6. Suarez disp. 15. sect. 5. Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 5. & Ægidius disp. 3. dub. 3. docent, præceptum contritionis non obligare (loquuntur de obligatione in actu secundo) statim ac commissum est peccatum mortale, quamuis peccator non iustificetur ab illo per Sacramentum; & merito: aliàs qui statim post commissum peccatum mortale non conteritur, peccaret mortaliter continuè & absque interruptione, quousque conteratur (non minùs quàm qui non restituit rem grauem, quando commodè potest) quia semper absque interruptione transgrederetur præceptum graue; consequens autem est durum, & contra omnium sensum & existimationem. Ratio autem huius doctrinæ est, quia dicta obligatio ex nullo capite & ex nullo fundamento constat, nec deduci potest, vt constabit ex solutione eorum quæ pro aduersariis adducta sunt: obligatio autem adeò rigorosa, dura, & grauis non est absque noto & grauissimo fundamento admittenda.

Id quoque quod Bonauentura in 4. dist. 17. *Bonauent.* 2. part. art. 2. quæst. 2. addit, nempe Religiosos ob perfectionem sui status teneri statim ac committunt peccatum mortale, ad iustificationem, non admittimus, quia absque firmo fundamento id attribuit Religiosis, quia isti ratione sui status tantùm obligantur suis votis, & peculiaribus præceptis suæ Religionis.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus Antecedens, & negamus Consequentiam, ob discrimen inter ablationem famæ, aut alius rei homini factam, & inter offensam factam Deo: quia homo per ablationem sibi factam non solùm læditur actualiter, quando sibi fama aut alia res aufertur, sed etiam quamdiu ei non restituitur, ac proinde non tantùm vsurpatio seu ablatio, sed etiam non restitutio est actualiter contra iustitiam, & est peccatum actuale iniustitiæ: Deus verò quamuis per quodlibet peccatum offendatur, & per sacrilegium peculiariter inhonoretur, nullo tamen læditur, nec damnificatur, quia non offenditur quia lædatur, sed quia fit aliquid contra aliquam virtutem, quod ei displicet; & ideò Deus, quamuis in principio, quando fit actualiter peccatum, actualiter offendatur, quia tunc fit contra aliquam virtutem, postea verò in non satisfaciendo pro offensa, seu in non delendo illam, non fit actualiter peccatum, sicut fit in principio; quia postea non fit contra aliquam virtutem, sicut factum fuit in principio.

Ad secundum admittimus Antecedens, nempe, grauiter damnificatum in corpore, statim teneri à graui illo damno liberari, quando non est rationabilis aliqua causa patiendi illud, quamuis non teneatur statim sub mortali, nisi dilatio sit notabilis, aut grauiter periculosa: negamus tamen, grauiter damnificatum in anima per peccatum mortale, teneri statim liberari ab eo damno, ob discrimen inter liberationem à damno corporali, & inter liberationem à dicto damno spirituali: quia liberatio à damno corporali pertinet ad virtutem fortitudinis (sicut liberatio à damno in fama, vel in honore, vel in diuitiis, ad liberalitatem;) fortitudo autem sicut obligat, nequis seipsum in principio damnificet corporaliter, & ne absque rationabili causa patiatur simile damnum ab altero, ita etiam nequis absque rationabili causa permittat continuationem illius damni, vt corpus sit integrum, & perseueret sicut natura disposuit: liberatio verò à damno spirituali tantùm pertinet ad virtutem charitatis erga Deum ratione reconciliationis cum ipso, non ratione damnificationis, qua anima damnificata est: charitas autem erga Deum non obligat ad eam reconciliationem, nisi in articulo mortis, nequis in perpetuum discedat in inimicitia Dei: & obligatione earumdem virtutum (quamuis non primariâ, sed tantùm secundariâ) tenemur procurare liberationem proximorum à prædictis damnis, quando ipsi voluntariè illa admittunt, aut admissuri sunt (vt semper admittunt damna spiritualia) vel eorum continuationem,

potiùs quàm obligatione misericordiæ, cuius proprium est compati miseriæ proximorum, & non propriè dicimur compati quando patiens, aut passurus malum vult non liberari.

Ad tertiam negamus Antecedens, nempe, nos teneri monere proximum, vt à peccatis commissis iustificetur; quia materia monitionis, seu correctionis fraternæ, non est peccatum præteritum, sed futurum, quia tantùm tenemur corrigere fratrem ne peccet: & ad hoc tenemur, non ex misericordia spirituali, sed ex illa virtute, contra quam frater est peccaturus; & non tenemur primaria obligatione qua frater ipse tenetur, sed secundaria.

Ad quartam negamus, eum, qui est in peccato mortali, eo ipso esse in periculo probabili committendi aliud. Et ad priorem probationem ex Gregorio desumptam respondemus, eum tantùm loqui de peccato, in cuius complacentia permanet peccator, seu quod connexionem aliquam habet cum alio, vt superbia cum inuidia, quia tunc tale peccatum suâ complacentiâ trahit ad aliud; & non loquitur generaliter de peccato, quod tantùm permanet habitualiter. Et ad posteriorem probationem, negamus, gratiam habitualem esse necessariam antecedenter, seu tamquam principium, ad seruandam totam legem; sed tantùm esse necessariam consequenter, quia qui diu totam legem obseruat, post obseruationem illius totius obtinebit à Deo gratiam habitualem, siue medio Sacramento, siue media contritione.

DIFFICVLTAS IV.

Quando ergo obligat præceptum contritionis?

COnueniunt Primò Theologi, peccatorem, qui Sacramento non iustificatur, teneri in actu secundo præcepto contritionis, ratione sui, & per se in articulo & in periculo mortis. Aliàs homo ad amicitiam Dei à Deo ipso ordinatus, discederet in æternum in eius inimicitia, quod est contra charitatem, cuius contritio est actus.

Conueniunt Secundò, peccatorem aliquando extra articulum & periculum mortis ad contritionem obligari per accidens, ratione præcepti alterius virtutis à charitate distinctæ, vt quando administrandum est aliquod Sacramentum, & non fit confessio, quia tunc est obligatio contritionis non per se ex charitate, cuius contritio est actus, sed per accidens ex virtute religionis, vt dignè & religiosè administrentur & tractentur Sacramenta. Vnde qui tunc absque contritione administrat Sacramentum, peccat peccato commissionis sacrilegij, non peccato omissionis contritionis.

Est tamen difficultas, An extra articulum & periculum mortis, præceptum ipsum contritionis ratione sui obliget aliquando peccatorem, qui aliàs non iustificatur medio Sacramento.

In primis non desunt, qui in casu præsentis difficultatis dicant, peccatorem teneri præcepto ipso contritionis, quoties peccatum mortale non remissum memoriæ occurrit. Id tamen omnino gratis & absque fundamento dicitur: quia si præceptum ipsum contritionis non obligat statim, ac homo peccat mortaliter, vt diximus Diff. III. nullo fundamento dici potest, obligare, quoties mortale non remissum memoriæ occurrit.

Secundò, Marsilius in 4. q. 12. art. 1. Viguerius c. 16. §. 4. & Petrus Sotus Lect. 13. de Pœnitentia, docent, peccatorem teneri præcepto ipso contritionis in diebus Festis, quia obseruatio diei festi ordinatur in sanctificationem animarum. Immeritò tamen, & absque sufficienti fundamento inducitur obligatio adeò dura & stricta, quia in die Festo tantùm præcipitur cultus Dei ad Religionem pertinens (imò non omnis, sed tantùm auditio Missæ, & cessatio ab operibus seruilibus:) quòd autem cultus iste, qui præcipitur, ordinetur in sanctificationem animarum tamquam in finem extrinsecum, non sufficit vt eo ipso præcipiatur contritio, mediâ quâ fit sanctificatio; quia finis extrinsecus actus præcepti, non cadit sub præceptú talis actus. *Marsil. Viguerius. Petrus Sotus.*

Tertiò, Adrianus in 4. q. 3. de Confessione, & Petrus Sotus docent, peccatorem obligari præcepto ipso contritionis, quando magna aliqua calamitas populo imminet. Immeritò tamen, & absque fundamento sufficienti, dicitur, tunc peccatorem teneri præcepto contritionis: & quamuis tunc esset obligatio contritionis, non oriretur ex præcepto ipso contritionis, sed ex præcepto orationis. Imò nec hoc præceptum credimus tunc esse. *Adrianus. Petrus Sotus.*

Quartò, Sotus in 4. dist. 17. quæst. 1. art 6. docet, peccatorem teneri præcepto ipso contritionis, quando est in periculo probabili obliuionis peccatorum. Sed immeritò, quia falsò supponit ad iustificationem per contritionem requiri, quòd contritio sit cuiuslibet peccati in particulari, vt diximus Disp. 11. Diffic. v. *Sotus.*

Quintò, Suarez disp. 15. sect. 6. Ægidius disp. 3. dub. 3. & Ochagauia q. 16. docent, peccatorem obligari præcepto ipso contritionis ante articulum mortis, ad non multùm differendam contritionem, postquam commissum fuerit peccatum mortale; nullum tamen tempus determinatum assignant, pro quo peccator obligetur. Sed immeritò, quia præterquam, quòd absque sufficienti fundamento eam obligationem inducunt, non est contra rationem, differre reconciliationem cum Deo, dum in eius inimicitia non moriamur. Quo etiam reijciuntur reliqui supradicti modi dicendi. *Suarez. Ægidius. Ochagau.*

Tandem ergo Caietanus in Summa, v. *Contritio*, & Vasquez quæst. 86. art. 2. dub. 6. docent, peccatorem præcepto ipso contritionis non teneri nisi in articulo mortis, aut in periculo mortis; & meritò: quia tantùm videtur contra rationem, & contra charitatem erga Deum (ex qua sola oritur præceptum contritionis) in æternum permanere in inimicitia Dei. *Caietan. Vasquez.*

Addimus, vt optimè Vasquez, peccatorem excusari ab obligatione præcepti contritionis, quando aliâ viâ iustificatur; quia tota obligatio præcepti contritionis oritur ex necessitate iustificationis, ac proinde cessat, cessante dicta necessitate.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm postquam quis iustificatus est à peccatis, teneatur de eisdem iterùm dolere, & conteri.

ALexander 4. part. quæst. 68. memb. 2. art. 2. Richardus in 4. dist. 14. art. 9. quæst. 1. Gabriel q. 3. art. 5. dub. 1. Paludanus dist. 17. quæst. 1. art. 3. & Siluester v. *Contritio*, quæst. 2. docent, eum qui peccauit, teneri præcepto affirmatiuo habendi *Alexand. Richardus. Gabriel. Paludan. Siluester.*

bendi contritionem aut dolorem de peccatis, quamuis iam remissis, & quoties memoriæ occurrunt. Quod tradidisse videntur Augustinus de Vera & falsa pœnitentia, cap. 13. Isidorus lib. 2. de Summo bono, & Hugo lib. 2. de Sacramentis, part. 14. cap. 2. & ratione probari potest, Primò, quia quoties memoriæ occurrit peccatum vt est offensa Dei, tenetur voluntas circa illud, vtpote rem arduam, actum aliquem displicentiæ elicere, aliàs parui pendet peccatum & offensam Dei. Secundò, quia voluntas nostra debet esse conformis diuinæ: sed peccatum nostrum, quamuis remissum, semper displicet Deo; ergo etiam debet nobis displicere quoties memoriæ occurrit.

August. Isidorus. Hugo Victorinus.

Caietanus. Vasquez. Suarez. Sotus. Medina. Petrus Sotus.

Caietanus verò quæst. 84. art. 8. & 9. Vasquez art. 9. dub. vnico, Suarez disp. 15. sect. 4. Sotus in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 9. Medina Cod. de Pœnitentia, q. 6. & Petrus Sotus Lect. 13. de Pœnitentia, docent, eum qui peccauit, non teneri præcepto affirmatiuo habendi contritionem aut dolorem de peccatis iam remissis, & meritò: quia non modò hæc obligatio adeò dura inducitur absque fundamento, sed etiam contra rationem; quia præceptum istud eatenus obligat in actu secundo, quatenus indigemus iustificatione à peccatis, & reconciliatione cum Deo, vt suprà diximus; ergo qui semel ab illis iustificatus est, manet exemptus ab obligatione illius.

Augustinus verò, Isidorus & Hugo pro aduersariis adducti, quando significant pœnitentiam esse necessariam etiam post remissionem peccatorum, nomine *necessitatis* intelligunt vel magnam vtilitatem ad obtinenda à Deo auxilia gratiæ in futurum, vel obligationem ex præcepto negatiuo non complacendi in peccatis: quod impleri potest (quidquid Canus dicat) quamuis ille, cuius memoriæ peccata occurrunt, non detestetur illa, quia potest suspendere omnem affectum circa illa, quia nullo cogitur elicere affectum aliquem circa illa.

Et ad primam rationem negamus, eum, cuius memoriæ occurrit peccatum vt offensa Dei, teneri ad contritionem, aut ad aliam displicentiam illius: ex eo autem quòd nullam displicentiam habeat illius, non parui pendet offensam Dei, & iustificationem ab illa.

Et ad secundam respondemus, quòd quamuis peccatum iam remissum semper displiceat Deo, nos tamen non tenemur etiam displicere de illo, vt Deo conformemur, quia non est necessaria maior conformatio, quàm quòd nobis non placeat quod Deo displicet, ex eodem motiuo ex quo Deo displicet.

DISPVTATIO IV.

De natura & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

DIFFICVLTAS I.

Ex quibus constet Sacramentum Pœnitentiæ.

SVPPONIMVS, in quo conueniunt Catholici contra hæreticos nostri temporis, Pœnitentiam sumptam pro exteriori cærimonia confessionis dolorosæ peccatorum, & absolutionis ab eis, & satisfactionis pro ipsis, vt fit in Ecclesia Christiana, esse verum Sacramentum, & vnum ex septem institutis à Christo. Quod constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & definitum est in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. & in Florentino in Decreto Eugenij IV. habito post vltimam sessionem, & in Tridentino sess. 14. can. 1. & 2. Quod etiam ampliùs constabit ex dicendis de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, & de potestate absoluendi à peccatis collata Sacerdotibus.

Concilium Constans. Florent. Trident.

Hoc ergo supposito, difficultas est, Ex quibus constet & coalescat hoc Sacramentum Pœnitentiæ. Scotus in 4. dist. 14. q. 4. docet, totam essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, sitam esse in absolutione à peccatis à Sacerdote facta, quia sola absolutio significat totum effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nempe remissionem peccatorum. Vnde Scotus d. 16. q. 1. consequenter docet, contritionem, confessionem, & satisfactionem non esse partes Sacramenti Pœnitentiæ, esse tamen necessarias; contritionem & confessionem, tamquam quid præuium ad absolutionem; & satisfactionem, tamquã quid consequens, quãdo restat pœna aliqua soluenda, vt eã absumat.

Scotus.

Durand. Durandus in 4. dist. 14. q. 3. docet, totam essentiam Sacramenti Pœnitentiæ sitam esse in confessione pœnitentis, & in absolutione Sacerdotis, contritionem verò & satisfactionem non pertinere ad essentiam illius. Id autem de contritione probatur, quia hæc est spiritualis & insensibilis, ergo ex ea nequit constitui Sacramentum Pœnitentiæ, quod est sensibile. De satisfactione verò id probatur, quia hæc consequitur Sacramenti essentiam, quia consequitur, & supponit primarium effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nempe remissionem peccatorum quoad culpam & pœnam æternam, à Sacramento ipso iam essentialiter constituto prouenientem, seu causatam.

S. Thomas verò, & eius Interpretes quæst. 84. art. 2. & 3. reliqui Scholastici in 4. dist. 14. docent, & meritò, Sacramentum Pœnitentiæ constare non tantùm absolutione, sed etiam contritione (siue perfecta siue imperfecta) confessione, & satisfactione; his tamquam materiâ, & absolutione tamquam formâ, quod expressum est in dicto Decreto Eugenij IV. & in Tridentino sess. 14. c. 3.

S. Thomas. *Eugen. IV. Trident.*

Et ratione probatur; & in primis, quòd constet ex illis tamquam ex partibus, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est instar iudicij; iudicium autem constat ex explicatione delicti, & ex sententia iudicis, & ex satisfactione pro delicto tamquam ex partibus. Et quia in hoc iudicio Sacramenti Pœnitentiæ sententia iudicis est absolutio remissiua delicti, ideò non quæcumque delicti explicatio est satis apta ad illud, nisi quæ fit ab ipso pœnitente, & illud detestante, aut de eo dolente. Sacramentum ergo Pœnitentiæ constat ex contritione, confessione, & ex satisfactione pœnitentis, & ex absolutione Sacerdotis tamquam ex partibus. Quòd verò constet ex contritione, &

confessione tamquam ex materia, seu tamquam ex partibus materialibus, & ex absolutione tamquam ex forma, seu tamquam ex parte formali probatur: quia tres dicti actus pœnitentis modificantur & perficiuntur absolutione Sacerdotis ad significandum effectum Sacramentalem; modificari autem & perfici est proprium materiæ, perficere verò est proprium formæ.

Nihilominùs contritio, confessio, & satisfactio dicuntur ab Eugenio IV. & à Tridentino quasi materia, cum eo addito *quasi*, & non absolutè, non quia non sunt materia physica, quia etiam materia aliorum Sacramentorum non est materia physica, & tamen ab ipsis dicitur materia absolutè & absque addito; sed quia materia physica, tam prima quàm secunda, nempe compositum substantiale, est vera substantia: actus autem pœnitentis, qui sunt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, & peccata, quæ sunt materia remota illius, non sunt substantiæ, sed accidentia; materia verò, quæ in aliis Sacramentis assignatur ab Eugenio IV. & à Tridentino, dicitur ab ipsis materia absolutè & absque addito, quia in illis assignatur materia remota, quæ verè est substantia: absolutio tamen, quamuis sit accidens, dicitur forma, absolutè (sicut formæ aliorum Sacramentorum) & non dicitur quasi forma, quia ratio formæ physicæ non solùm conuenit substantiæ, sed etiam accidenti.

Ita tamen contritio, confessio, & satisfactio sunt partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ, & absolutio ita est pars formalis, vt contritio, confessio, & absolutio sint ipsi Sacramento essentiales, quia absque illis nequit quoad suam essentiam constare, quia institutum est instar iudicij; iudicium autem essentialiter coalescit ex explicatione delicti, & ex sententia iudicis. Et quia in hoc iudicio sententia est absolutio & remissio delicti, ideò non quæcumque delicti explicatio est satis apta ad illud, nisi facta ab ipso pœnitente, & dolorosa saltem radicaliter, quæ eo ipso est vera confessio & accusatio, quamuis sufficiat dolor confessionem subsequens, vt dicemus Disp. VI. Diffic. X. Et quia ad iudicium non est essentialiter requisita satisfactio, quia hæc in iudicio sequitur post sententiam, ac proinde post iudicium essentialiter perfectum, ideò satisfactio non est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ: dicitur tamen pars integralis, quia quodammodò complet & perficit essentiam ipsam iudicij pœnitentiæ, & non perfectione extra substantiam ipsius, qua ratione accidens perficit substantiam, sed intra, quia conducit ad perfectam remissionem peccatorum, factam per illud iam essentialiter perfectum, absumendo ex opere operato pœnam temporalem, quæ post contritionem, confessionem, & absolutionem sæpè supereſt soluenda, quo remissio ipsa intra rationem remissionis perficitur & completur.

Ad rationem ergo Scoti respondemus, quòd quamuis in solis verbis absolutionis sit sufficiens & sola significatio verbalis, & speculatiua (quam habent ex institutione hominum) effectus huius Sacramenti, nempe remissionis peccatorum; non tamen Sacramentalis & practica, quam Sacramentum Pœnitentiæ habet ex institutione Christi, quia hæc conuenit contritioni, confessioni & absolutioni, quod non leuiter indicat Tridentinum *Trident.* sess. 14. cap. 3. dum ait, efficacitatem huius Sacramenti præcipuè esse in absolutione; quia ea partibus *præcipuè* denotat, etiam esse in aliis partibus, dicit tamen præcipuè esse in absolutione, quia in ea reperitur tamquam in forma modificante, & perficiente contritionem & confessionem pœnitentis; & ob id in Sacerdote dicitur esse potestas ipsa clauium, & remissiua peccatorum.

Et ad rationem Durandi respondemus, quòd quamuis contritio secundùm se sit insensibilis, sit tamen sensibilis per confessionem factam in ordine ad absolutionem, quia confessio sic facta est effectus contritionis, & quodammodò sentitur per suum effectum sensibilem. Est autem confessio eo modo facta effectus contritionis, aliquando quoad suam substantiam, vt quando ex contritione antecedente, pœnitens excitatur & inducitur ad confessionem sic faciendam, & semper confessio in ratione confessionis & accusationis est effectus contritionis, quia ratione huius confessio non est, aut si fuit, desinit tamen esse historica narratio, & fit vera confessio & accusatio (siue contritio antecedat siue subsequatur confessionem:) quod sufficit vt contritio possit esse pars essentialis Sacramenti sensibilis, præsertim quòd id, quod est omnino spirituale & insensibile, potest esse pars essentialis totius materialis & sensibilis, vt videre est in anima rationali, quæ quamuis sit spiritualis & insensibilis, est pars essentialis hominis, qui est materialis & sensibilis.

DIFFICVLTAS II.

Quid in Sacramento Pœnitentiæ sit Sacramentum tantùm, quid res Sacramenti tantùm, quid res & Sacramentum simul.

INnocentius III. in cap. *Cùm Marthæ* 6. de Celebratione Missarum, distinguit, & assignat in Sacramento Eucharistiæ Sacramentum tantùm, & rem Sacramenti tantùm, & rem & Sacramentum simul. Ex quo Doctores intendunt tria hæc etiam in aliis Sacramentis distinguere & assignare. Id autem appellatur Sacramentum tantùm, quod significat, & non significatur; & id res Sacramenti tantùm, quod significatur, & non significat; & id res & Sacramentum simul, quod significat & significatur. *Innoc. III.*

Conueniunt ergo Doctores, in Sacramento Pœnitentiæ ipsum compositum ex actibus pœnitentis & ex absolutione, esse Sacramentum tantùm, quia ipsum compositum est quod significat gratiam Sacramentalem, & ipsum non significatur per aliquid aliud; & ipsam gratiam Sacramentalem esse rem Sacramenti tantùm, quia ipsa significatur per dictum compositum, quod est Sacramentum, & ipsa non significat aliquid; & contritionem ipsam esse Sacramentum, & rem Sacramenti simul. Est autem Sacramentum non totaliter, sed partialiter; quia est pars essentialis Sacramenti simul cum confessione & absolutione, significans & conferens gratiam sanctificantem.

Est tamen difficultas, Quomodo contritioni etiam conueniat esse rem Sacramenti. Ratio difficultatis pro parte negatiua est, quia aliquid esse rem Sacramenti, est esse effectum Sacramenti; contritio autem non est effectus Sacramenti Pœnitentiæ, quia contritio est antequam sit Sacramentum

mentum ipsum, quia ex ea præsuppositâ componitur, & effectus non est ante suam causam.

Circa hanc difficultatem, omissis variis modis ad eam respondendi, quia vel sunt difficiles, vel obscuri, qui videri possunt apud Vasquez q. 84. art. 1. dub. 3. hos respondemus, ideò contritionem esse rem Sacramenti, quia significatur per confessionem factam in ordine ad absolutionem, & quoad suam sensibilitatem ab ipsa confessione sic facta causatur, quia à confessione vt sic efficitur sensibilis, quia contritio mediâ confessione ordinata ad absolutionem quodammodò percipitur per sensus.

Ad rationem ergo difficultatis respondemus, quòd quamuis id quod est res Sacramenti tantùm, sit quoad suam substantiam effectus illius quod est Sacramentum tantum; non tamen omne quod ita est res Sacramenti, vt etiam sit Sacramentum simul, qualis est contritio, sed sufficit quòd significetur per Sacramentum tantùm, quamuis ab eo non causetur: sicut etiam id quod non tantùm est Sacramentum, sed etiam est res Sacramenti simul (qualia sunt Corpus & Sanguis Christi in Eucharistia, & vinculum in Matrimonio) vt sit Sacramentum, sufficit, quòd significet, quamuis non causet; præsertim quòd contritio non solùm quoad substantiam significatur per confessionem, sed etiam quoad suam sensibilitatem causatur ab ipsa, quæ etiam conueniunt Corpori & Sanguini Christi in Eucharistia, quæ non solùm in ea sunt Sacramenta, quia vt sunt sub speciebus quodammodò significant gratiam cibantem; sed etiam sunt res Sacramenti, & tamen quoad suam substantiam non causantur ab speciebus, sed tantùm quoad sensibilitatem, quia quodammodò sunt sensibilia per species quibus teguntur, & quoad suam substantiam significantur per illas.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm quodlibet peccatum sit materia Sacramenti Pœnitentiæ.

SVpponimus, peccata esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ, non proximam, quia Sacramentum hoc proximè solùm coalescit ex contritione, confessione, & satisfactione tamquam ex materia; sed esse remotam, quia hæ partes materiales proximè versantur circa peccata, tamquam circa materiam (ea proportione, qua in Baptismo aqua non est materia proxima, sed remota, quia Baptismus proximè tantùm constat ex ablutione tamquam ex materia) & ob rationem dictam peccata tantùm esse materiam circa quam, & non ex qua.

Hoc supposito, conueniunt Primò Doctores, peccata actualia ante Baptismum commissa non esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ, imò nec illa quæ in ipsa actuali susceptione Baptismi committuntur, sed solùm ea quæ post Baptismum essentialiter perfectum (ante quem nullus est intra Ecclesiam) commissa sunt, quia ex Christi institutione sola peccata iam subiecta Ecclesiæ sunt clauibus, & absolutioni Ecclesiæ subijcienda.

Obseruandum tamen est, omnia peccata actualia post Baptismum commissa ita esse materiam remotam Sacramenti Pœnitentiæ, vt mortalia sint materia necessaria, non quia sint necessaria ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, quia verè non sunt; sed quia sunt necessariò confitenda: & venialia sint materia libera, quamuis sufficiens; libera, quia non est obligatio confitendi illa: & sunt materia sufficiens, quia essentia Sacramenti Pœnitentiæ constare potest cum confessione venialium tantùm, absque confessione mortalium, quod etiam habent peccata mortalia semel legitimè confessa, quòd scilicet sint materia libera & sufficiens alterius confessionis, vt constat ex perpetuo vsu fidelium, & definit Benedictus XI. in Extrau. *Inter cunctas*, de Priuilegiis.

Circa peccatum originale conueniunt Secundò Doctores, quòd quamuis sit materia peculiaris virtutis Pœnitentiæ, vt diximus Disp. 1. Diffic. VI. non tamen Sacramenti Pœnitentiæ, tum quia non est peccatum actuale propria voluntate contractum, tum etiam quia contrahitur ante Baptismum in primo instanti conceptionis.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ possit repeti & iterari.

NOn defuerunt hæretici, qui (vt refert Augustinus de Vera & falsa pœnitentia) dixerunt, lapsis post Baptismum semel tantùm concedi Sacramentum pœnitentiæ. Quibus fauere videtur Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia, cap. 10. dum ait, pœnitentiam semel tantùm concedendam esse pœnitentibus. Et non parum fauere videtur, quòd Christus numquam eumdem bis à morte ad vitam reuocauit, nec eumdem bis sanauit. Quod etiam ratione probatur, Primò, quia aliàs iterata peccatorum remissio occasio esset facilitans ad peccatum. Secundò, quia aliàs Deus videretur amare peccata, cùm eis remittendis semper præstò adsit. *Augusti.* *Ambros.*

Nihilominùs de Fide est, Sacramentum Pœnitentiæ iterari & repeti posse, imò debere semper, quòd post Sacramentum pœnitentiæ susceptum committitur peccatum mortale. Quod constat ex traditione & praxi Ecclesiæ, & definitur à Tridentino sess. 14. cap. 2. & Can. 1. & deducitur ex illo Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. quia his verbis absque vlla limitatione conceditur ministris Ecclesiæ potestas remittendi peccata. Deducitur quoque ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ, quod institutum est instar iudicij & instar medicinæ; iudicium autem repeti potest semper, quòd iteratur causa aliqua iudicij; & etiam medicina semper, quòd infirmitas iteratur. *Trident.*

Ambrosius verò, dum dixit, pœnitentiam semel tantùm concedendam esse pœnitentibus, locutus est non de Sacramento Pœnitentiæ, sed de pœnitentia solemni, quæ antiquitus in Ecclesia fieri consueuit; & non nisi semel. Quòd verò Christus neminem sanauerit nec resuscitauerit bis, non fauet dicto errori; quia, vt ait Augustinus, id ita factum est, vt quisque timeat iterùm peccare.

Et ad primam rationem respondemus, iteratam peccatorum remissionem, ex se amorem potiùs & gratitudinem erga Deum conciliare, quibus retrahamur à peccando, quàm ad peccandum incitare. Et ad secundam respondemus, ex eo quòd Deus ita præstò adsit ad remissionem & deletionem peccatorum, potiùs deduci, vt etiam ait Augustinus, Deum odio habere peccata, quàm illa amare. *Augusti.*

Quan-

Quando verò Sacramentum Pœnitentiæ sit necessariò repetendum & iterandum, quia fuit inualidum, & fuit peccatorum mortalium, commodiùs dicimus Disput. VIII. Diffic. VII.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ sit medium necessarium ad salutem.

SVpponimus, ea quæ sunt necessaria ad salutem (id est ad iustificationem, & consequenter ad gloriam, quæ nequit sine iustificatione obtineri) esse in triplici differentia. Quia alia sunt necessaria necessitate tantùm præcepti, alia necessitate tantùm medij, alia sunt necessaria necessitate præcepti & medij simul. Illa sunt necessaria ad salutem necessitate tantùm præcepti, quæ ex eo solùm sunt necessaria ad salutem, quia sunt sub præcepto graui. Illa sunt necessaria ad salutem necessitate tantùm medij, quæ sunt necessaria tamquam media seu remedia conducentia ad illam, & non quia sint sub præcepto graui, qualia sunt media necessaria ad salutem, quæ non sunt in nostra potestate, vt Baptismus respectu paruulorum, & auxilia præuenientia respectu adultorum. Illa tandem sunt necessaria necessitate præcepti & medij simul, quæ vtroque modo dicto sunt necessaria, nempe & quia sub præcepto graui, & quia sunt media necessaria ad salutem, quales sunt actus fidei, & Baptismus in re vel in voto adultis peccatoribus.

Est tamen discrimen inter tria prædicta, quòd ea, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate tantùm præcepti, solùm sunt ad illam necessaria negatiuè, quia tantùm sunt necessaria, quatenus eorum obseruatio est necessaria vt non amittatur salus, quia est necessaria, vt non fiat peccatum mortale, quo amittitur gratia & sanctitas, absque qua nequit obtineri vita æterna; & non sunt necessaria positiuè: quia quamuis aliquando conducant ad iustificationem, & ad perseuerantiam in ea, tamen quatenus positiuè conducunt (qua ratione sunt media, & vtilia) non sunt necessaria, & ob id non dicuntur necessaria vt media, seu necessitate medij. Illa verò, quæ sunt necessaria necessitate tantùm medij (quæ etiam dicuntur necessaria necessitate salutis, & finis) sunt necessaria positiuè, quia sunt necessaria quatenus media, & vtilia, & quatenus positiuè conducentia seu influentia in salutem animæ, vt sunt auxilia præuenientia adultis, & Baptismus in re susceptus paruulis, quia absque eorum positiuo influxu nequit acquiri salus animæ. Ea tandem, quæ sunt necessaria necessitate præcepti & medij simul, sunt necessaria negatiuè & positiuè simul modo prædicto.

Ex dicto discrimine inter necessitatem præcepti & necessitatem medij, oritur aliud, nempe quòd necessitas tantùm præcepti excusatur ignorantia inuincibili, aut impotentia implendi præceptum, quia necessitas præcepti solùm est, vt non fiat peccatum mortale, à quo excusat tam ignorantia inuincibilis, quàm impotentia; necessitas verò medij non excusatur ignorantia, nec impotentia, quia hæc necessitas est ob influxum positiuum necessarium, quem non supplet ignorantia, nec impotentia.

Hoc ergo præsuppositio, conueniunt Doctores, Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto sub disiunctione esse necessarium lapsis in mortale post Baptismum, necessitate medij, ad iustificationem (& consequenter ad gloriam) quod supponit Tridentinum sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 4. dum supponit, primam iustificationem baptizatorum non fieri nisi medio Sacramento Pœnitentiæ, aut medio voto ipsius. Trident.

Variant tamen Doctores in explicando, qua ratione Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto sit medium necessarium lapsis in mortale post Baptismum ad iustificationem ab illo.

Omissis autem variis eorum modis id explicandi, vel quia continent falsam doctrinam, vel quia sunt obscuri: ex eo Sacramentum Pœnitentiæ in re vel in voto est prædictis medium necessarium ad iustificationem, & quia nequeunt, nisi vel medio Sacramento Pœnitentiæ in re susceptо, vel media contritione perfecta (siue formali siue virtuali) in qua votum seu desiderium efficax suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ continetur, à peccato mortali iustificari; & quia vtrouis eorum absque altero iustificari possunt, id est, quia nequeunt nisi vno vel altero iustificari; & vtrouis possunt, quia nec vnum nec alterum est determinatè medium necessarium, nisi aliquando per accidens, vt contingit quando quis post elicitam attritionem, & factam confessionem incidit in amentiam ante absolutionem, quia tunc huic ad iustificationem est determinatè necessarium Sacramentum Pœnitentiæ in re susceptum, quia tantùm potest iustificari absolutione, suppositis attritione & confessione, quia in amentia nequit contritionem perfectam elicere: & etiam quando quis existit in articulo mortis, & caret copia confessarij, quia tunc huic ad iustificationem est determinatè necessaria perfecta contritio, quia non potest aliter iustificari.

Dicuntur autem à Tridentino & à Doctoribus lapsi in mortale post Baptismum iustificari per Sacramentum Pœnitentiæ in voto, quando iustificantur per contritionem perfectam ante realem susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, non quia ex eo deriuetur virtus aliqua in contritionem vt iustificare possit, quia contritio ex se absque dependentia à Sacramento Pœnitentiæ est potens iustificare (siue tamquam forma, siue tamquam proxima dispositio) non minùs quàm in lege naturæ & scripta ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ, sed quia in contritione, per quam tunc iustificantur, continetur votum seu desiderium efficax suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ suo tempore, & etiam votum seruandi quodcumque aliud præceptum graue, quia qui perfectè conteritur, ad minus virtualiter & implicitè proponit, & paratus est ad non peccandum mortaliter, ac proinde ad non transgrediendum præceptum aliquod graue; nihilominùs à Tridentino vbi suprà dicta iustificatio, quæ fit extra Sacramentum, peculiariter attribuitur voto Sacramenti Pœnitentiæ, & non voto aliarum rerum quæ sunt sub præcepto graui, ob rationem quam adducemus Difficultate sequenti.

Vnde si Sacramentum Pœnitentiæ non esset peccatori sub præcepto, iustificatio per contritionem facta adscriberetur ipsi contritioni, absque voto Sacramenti Pœnitentiæ, quia tunc votum huius Sacramenti non contineretur in contritione, ac

ac proinde tunc Sacramentum Pœnitentiæ non esset necessarium in re vel in voto, esset tamen necessarium ipsum in re, vel contritio sub disiunctione, quia non posset fieri iustificatio nisi ipso aut contritione, & vtrouis posset.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm votum Sacramenti Pœnitentiæ necessarium ad iustificationem extra Sacramentum debeat esse explicitum, an sufficiat implicitum in ipsa contritione.

Canus. CAnus Relectione de Pœnitentia, parte 5. concluſ. 3. docet, ad iustificationem extra Sacramentum esse necessarium votum explicitum Sacramenti Pœnitentiæ superadditum contritioni perfectæ, & non sufficere votum in ea implicitum.

Trident. Quod deduci videtur Primò ex Tridentino sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 4. dum remissionem peccatorum attribuit Sacramento Pœnitentiæ, vel voto ipsius, quia si per votum non intelligeret votum explicitum, sed tantùm implicitum in contritione, non attribueret peculiariter eam remissionem voto Sacramenti Pœnitentiæ, quia in contritione, per quam fit ea remissio, etiam continetur votum Eucharistiæ, & aliarum rerum quæ sunt sub præcepto graui. Secundò idem deduci

Concilium Complut. videtur ex Concilio Complutensi, in quo inter alias propositiones Petri Oxomensis, prima quæ damnatur, est ista: *Peccata mortalia, quantum ad culpam & pœnam alterius sæculi, delentur per solam contritionem cordis, sine ordine ad claues.* ergo in eo Concilio maximè indicatur ad iustificationem extra Sacramentum præter contritionem, & præter votum Sacramenti in ea necessariò contentum, etiam requiri votum expressum ipsius Sacramenti.

Et ratione probatur Primò, quia Sacramentum Pœnitentiæ non est minùs necessarium lapsis post Baptismum ad iustificationem, quàm Baptismus his qui veniunt ad Ecclesiam: sed ei, qui nequit Baptismum suscipere, est necessarium ad iustificationem votum explicitum Baptismi, vt significant Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 8. Bernardus Epistola 77. & Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, part. 6. cap. 7. ergo ei, qui non suscipit Sacramentum Pœnitentiæ, vel quia non potest, vel quia nondum est obligatio illud suscipiendi, necessarium est ad iustificationem votum explicitum suscipiendi illud.

Augustin. Bernard. Hugo de S. Victore.

Secundò probatur ab exemplo hæretici, cui non remittuntur peccata, nisi priùs expressè proponat reijcere errorem, vt significat Augustinus de Vera & falsa pœnitentia, c. 12. ergo peccator, qui expressè non proponit se subijcere clauibus Ecclesiæ, nequit à peccatis iustificari.

Augustin.

S. Thomas. Vasquez. Suarez. S. Thomas verò quæst. 69. art. 4. ad 2. Vasquez quæst. 84. art. 5. Suarez disp. 17. sect. 3. & communiter Theologi docent, & meritò, ad iustificationem extra Sacramentum non esse necessarium votum explicitum Sacramenti Pœnitentiæ, sed sufficere implicitum in ipsa contritione perfecta, siue formali siue virtuali. Quod efficaciter deducitur ex Tridentino sess. 14. c. 5. dum, postquam dixit, per contritionem charitate formatam hominem ante Sacramenti susceptionem iustificari, addit, tunc iustificationem non esse adscribendam ipsi contritioni absque voto Sacramenti quod in ea includitur. Supponit ergo Tridentinum ad iustificationem extra Sacramentum sufficere votum Sacramenti Pœnitentiæ in contritione perfecta inclusum.

Et ratione probatur, quia ad iustificationem extra Sacramentum Pœnitentiæ votum explicitum huius Sacramenti non est necessarium ex natura rei, nec ex diuina institutione; ergo nullo modo est necessarium. Et in primis non est necessarium ex natura rei, quia contritio perfecta absque dicto voto explicito est perfectissima dilectio beneuolentiæ erga Deum, quæ sufficit ad iustificationem, siue vt forma, siue vt vltima dispositio. Deinde non est necessarium ex diuina institutione, quia non est necessarium ex institutione qua Deus decreuerit non dare auxilium efficax ad contritionem absque dicto voto, quia de hac institutione nullatenus constat: nec ex institutione qua decreuerit non iustificare habentem contritionem absque dicto proposito expresso, quia præterquam quòd de hac institutione non constat, etiam contritio absque eo proposito suâ naturâ est forma sanctificans, & remissiua peccatorum independenter ab institutione diuina, & ita independenter, vt à Deo impediri non possit quoad dictum effectum: verum est, eum, qui perfectè conteritur, siue formaliter siue virtualiter, & aduertit esse præceptum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, vix posse contineri à dicto proposito expresso.

Tridentinum ergo remissionem peccatorum extra Sacramentum media contritione factam attribuit voto Sacramenti Pœnitentiæ in contritione implicito & contento, vt denotetur post remissionem peccatorum anteà factam manere obligationem suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, in quo posset aliquis dubitare aut errare, cùm Sacramentum Pœnitentiæ ordinetur ad remissionem illorum, & iam supponantur remissa. Et in eo errauit Petrus Oxomensis, qui existimauit, peccata semel remissa per contritionem, non debere subijci Sacramento Pœnitentiæ, seu clauibus Ecclesiæ. Vnde in Concilio Complutensium, quando propositio illa dicti Petri damnatur, nempe, *Peccata mortalia, quantum ad culpam & pœnam alterius sæculi, delentur per solam contritionem cordis, sine ordine ad claues,* tantùm est sermo de ordine ad claues, seu de voto suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ in contritione ipsa implicito; quod Petrus ille negabat, negando manere obligationem subijciendi clauibus Ecclesiæ peccata per contritionem remissa. Et Tridentinum remissionem peccatorum extra Sacramentum contritione factam non attribuit voto aliarum rerum, quæ sunt sub præcepto graui, quamuis etiam votum earum in contritione includatur: quia non agebat de illis, sed tantùm de Sacramento Pœnitentiæ, & quia circa illas non est illa occasio errandi, quòd post remissionem peccatorum non maneant sub præcepto, quia non sunt institutæ in remissionem peccatorum, sicut est institutum Sacramentum Pœnitentiæ.

Et ad primam rationem respondemus, concedendo Maiorem, & negando Minorem. Et ad probationem ex Patribus desumptam, respondemus,

mus, Patres tantùm velle, eos qui audiunt necessitatem Baptismi, condemnari si baptizari nolunt, saluari tamen quando nequeunt baptizari, si habeant desiderium illius; eorum tamen testimonio satisfit voto seu desiderio in contritione implicito.

Ad secundam negamus, hæretico non remitti peccata, nisi priùs expressè proponat reijcere errorem, quia sufficit quòd illum reijciat, virtualiter habendo contritionem, aut aliud iudicium saltem confusè oppositum errori, præsertim quando error non occurrit memoriæ. Augustinus verò vbi suprà tantùm vult, extra Ecclesiam non esse veram pœnitentiam, quod nobis non aduersatur, quia hæreticus contritione, aut dicto iudicio absque aliquo expresso proposito, reducitur ad Ecclesiam.

DISPVTATIO V.

De Absolutione.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in Ecclesia sit potestas absoluendi à peccatis.

NON desunt hæretici, qui negent in Ecclesia esse potestatem absoluendi à peccatis, & ea remittendi; quibus fauere videtur illud Lucæ 5. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?*

Conueniunt tamen Catholici, in Ecclesia (nempe in eius ministris) esse potestatem absoluendi à peccatis, & ea remittendi. Quod Patres communiter tradunt, & definitur in Concilio Constantiensi sess. 8. & 15. & in Lateranensi cap. 1. & in Florentino, in Decreto Eugenij IV. & in Tridentino sess. 14. c. 1. & 6. *Concil. Constant. Lateran. Florent. Trident.*

Et id constat ex illo Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Hæc autem verba intelligenda esse non de potestate ad prædicandam aliis remissionem peccatorum, nec ad declarandum eam esse aliis factam (vt volunt hæretici) sed ad eam faciendam, Patres docent, & verba ipsa id præseferunt, & definit Tridentinum sess. 14. c. 1. & can. 3. Esseque intelligenda de potestate ad faciendam remissionem peccatorum non in Sacramento Baptismi (vt etiam hæretici volunt) sed in Sacramento Pœnitentiæ, ibidem definit Tridentinum, & docent Chrysostomus Homil. 85. in Ioan. Augustinus Serm. 11. de Verbis Domini, Ambrosius lib. 2. de Pœnitentia cap. 7. & communiter Patres, & deducitur ex eo, quòd potestas hæc est ad faciendam remissionem peccatorum instar iudicij, vt denotatur collatione potestatis remittendi & retinendi, soluendi & ligandi, quod non fit sic in Sacramento Baptismi, sed in Sacramento Pœnitentiæ, quod institutum est instar iudicij. *Trident. Ambros.*

Illis verò verbis Lucæ 5. tantùm significatur, solum Deum posse propria auctoritate remittere peccata, & id tantùm volunt nonnulli Patres, dum similia verba proferunt, quod non tollit, id posse Sacerdotes vice & commissione Dei.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm potestas absoluendi à peccatis, quæ est in Ecclesia, sit absoluendi ab eis quoad culpam.

MAgister, Bonauentura, Gabriel & Maior in 4. d. 18. Marsilius quæst. 12. art. 2. Hugo de S. Victore in Summa sententiarum Tract. 5. cap. 11. Richardus de S. Victore Tract. de Potestate ligandi & soluendi, cap. 12. & Medina Cod. de Confess. quæst. 38. §. *Videtur*, docent, potestatem absoluendi à peccatis, quæ est in ministris Ecclesiæ, non esse absoluendi ab illis quoad culpam: quia existimant, Deum ante absolutionem Sacerdotis remittere culpam pœnitenti, quia existimant, eum ante absolutionem debere esse perfectè contritum. Quod tradidisse videtur Gregorius Homil. 26. in Euang. dum supponit, peccatorem priùs viuificari à Deo, quàm à Sacerdotibus absoluatur. Quod etiam significant Clictoueus lib. 7. in Ioan. cap. 23. & Augustinus Serm. 8. de Verbis Domini. Idem quoque indicat Hieronymus in cap. 16. Matth. dum significat, quòd sicut Leuitici Sacerdotes tantùm discernebant inter lepram & lepram, & eam non poterant auferre; ita etiam Sacerdotes Euangelici se gerunt circa peccata. *Magister. Bonauent. Gabriel. Maior. Marsil.* *Hugo de S. Victor. Richard. S. Victor. Medina. Gregorius. Clictou. August. Hieron.*

Addunt tamen prædicti Doctores, in Ecclesia & in eius ministris esse potestatem absoluendi à peccatis quoad pœnam, quamuis varient in explicando à qua pœna, quia Hugo & Richardus existimant, in Ecclesia esse potestatem absoluendi à pœna æterna damni & sensus, Medina à pœna tantùm æterna damni, & Magister à pœna tantùm temporali relicta post remissionem culpæ.

S. Thomas verò q. 84. art. 3. & ibidem eius Expositores, Vasquez dub. 2. Suarez disp. 16. Ægidius disp. 4. dub. 2. & communiter Scholastici in 4. d. 14. docent, & meritò, in Ecclesia esse potestatem absoluendi à peccatis, non tantùm quoad pœnam, sed etiam quoad culpam. Et in primis in Ecclesia esse potestatem absoluendi à peccatis quoad culpam, satis significat Christus illis verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis:* quia vox *peccata* absolutè sumpta, culpas significat. Et ob eamdem rationem idem satis significat Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum ait, rem Sacramenti Pœnitentiæ esse remissionem peccatorum. Cui accedit, quòd si res seu effectus huius Sacramenti non esset remissio culparum, sed tantùm pœnarum, id declarasset Eugenius IV. & non ita absolutè loqueretur, cùm proceat doctrinaliter. Et id videtur expressisse Tridentinum sess. 6. cap. 14. dum ait, Sacramento Pœnitentiæ, vel eius voto, pœnam æternam vnà cum culpa remitti: & clariùs sess. 14. c. 3. dum loquens de Sacramento Pœnitentiæ, postquam in principio dixerat, vim huius Sacramenti præcipuè sitam esse in verbis absolutionis, subdit: *Res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo.* Quod etiam non leuiter *S. Thomas. Vasquez. Suarez. Ægidius. Eug. IV. Trident.*

Pius V. Greg. XIII. leuiter indicant Pius V. & Gregorius XIII. in Bulla edita contra Michaëlem Baium, in qua inter alias propositiones huius Doctoris damnatas, propositio 54. est: *Peccator pœnitens non viuificatur ministerio Sacerdotis absoluentis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans, viuificat eum & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solus reatus tollitur aduersary.* ergo dum dicunt absolutionem Sacerdotis non deseruire ad remissionem culpæ, aduersantur Scripturæ, Eugenio IV. & Tridentino, & Pio V. & Gregorio XIII.

Quòd si in Ecclesia est potestas absoluendi à peccatis quoad culpam, etiam est potestas absoluendi ab illis quoad reatum pœnæ æternæ, tam damni quàm sensus. Quod etiam significat Tridentinum sess. 6. cap. 14. dum ait, Sacramento Pœnitentiæ, vel eius voto, pœnam æternam vnà cum culpa remitti. vbi sermo est de pœna æterna, & absolutè, absque vlla limitatione. Et ratione constat: quia si in Ecclesia est potestas remittendi peccata quoad culpam, & efficiendi pœnitentem iustum, & amicum Dei, & heredem vitæ æternæ, etiam erit potestas auferendi reatum pœnæ æternæ, tam damni quàm sensus, quia iste dependet in conseruari à culpa mortali, & est incompossibilis cum sanctitate & amicitia Dei. Trident.

Gregorius verò, Clictouæus, & Augustinus tantùm volunt, peccatorem à Deo viuificari ante absolutionem Sacerdotis, non viuificatione sanctitatis & gratiæ, sed aliquali motu vitæ, ad quem Deus suo auxilio excitat peccatorem, nempe attritione, confessione, & alijs actibus, quibus ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam disponitur. Et Hieronymus tantùm vult, quòd Sacerdotes non possint pro libito absoluere & ligare absque respectu ad dispositionem pœnitentis, cuius Sacerdotes non sunt causa, sed tantùm Iudices illam discernentes, sicut nec Sacerdotes Leuitici efficiebant leprosos, nec mundos, sed tantùm discernebant qui erant leprosi & qui mundi.

Quòd verò ante absolutionem Sacerdotis non sit pœnitenti necessaria perfecta contritio, dicemus Disput. VI. Diffic. II.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Absolutio conferri debeat modo deprecatiuo, an indicatiuo.

COnueniunt Doctores, formam absolutionis modo aut sensu deprecatiuo factam, nempe, *Absoluat te Deus*, insufficientem esse ad valorem & essentiam Sacramenti Pœnitentiæ: quod efficaciter deducitur ex Decreto Eugenij IV. dum in eo forma Sacramenti Pœnitentiæ assignatur verbis Indicatiui, nempe *ego te absoluo:* & ex Tridentino, dum sessione 14. cap. 3. eadem forma assignatur. In Dicto autem Decreto, & in Tridentino absque dubio traditur forma ad essentiam & valorem huius Sacramenti requisita; ergo forma absolutionis modo & sensu deprecatiuo facta, non est sufficiens ad essentiam & valorem Sacramenti Pœnitentiæ, quia hoc modo facta est substantialiter distincta à forma modo Indicatiuo ab Eugen. IV. & à Tridentino præscripta. Cui accedit, quòd Tridentinum subdit, nempe dictæ formæ absolutionis de more Ecclesiæ preces quasdam adiungi ad essentiam formæ non pertinentes; vna autem ex precibus quæ adiunguntur, est forma absolutionis modo deprecatiuo facta, nempe, *Dominus noster Iesus Christus te absoluat.* ergo hoc modo facta non pertinet ad valorem & essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde nec sufficit: aliàs si sufficeret, cùm dicta deprecatio præmittatur ad absolutionem modo Indicatiuo factam, duplex forma, aut eadem bis repetita supra eamdem numero confessionem adhiberetur. Eug. IV. Trident.

Ratio autem dictæ doctrinæ est, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est à Christo instar iudicij, in quo Sacerdos constituitur iudex, vt tradit Tridentinum sess. 14. cap. 5. & can. 9. sententia autem iudicis decisiua causæ, qualis est absolutio, nequit tradi modo deprecatiuo; & quia in Sacramento Extremæ Vnctionis Sacerdos adhibens formam, non se gerit vt iudex, sed vt medicus vnctione sanans, ideò nequit adhibere formam modo Indicatiuo, sed deprecatiuo, nempe, *Indulgeat tibi Deus*, &c.

Leo ergo I. Epistola 91. relatus 33. quæst. 3. can. *Multiplex*, absolutionē Sacerdotis appellat supplicationem & orationem, non quia adhibeatur per modum supplicationis, sed quia se habet vt oratio & supplicatio, quantum ad hoc, quòd sicut Deus ad orationē & supplicationem facit quod ab ipso petitur, ita etiam ad absolutionem Sacerdotis modo Indicatiuo factam remittit peccata. Leo I.

Obseruandum tamen est, formam absolutionis non tantùm esse sufficientem ad valorem & essentiam Sacramenti, quando fit modo & sensu indicatiuo, sed etiam quando fit modo & sensu imperatiuo, vt dicendo *Absoluaris*, vel *Absoluatur Petrus*, quia sententia decisiua iudicis rectè & conuenienter adhibetur modo imperatiuo: vnde eadem verba absolutionis, quæ sensu deprecatiuo collata non sufficiunt, verè sufficiunt, si modo & sensu imperatiuo proferantur. Imò (vt contra Caietanum & Petrum Sotum aduertunt Scotus in 4. dist. 14. quæst. 4. Gabriel quæst. 2. art. 1. Rosella v. *Absolutio*, Vasquez quæst. 84. art. 3. dub. 3. & Suarez disp. 19. sect. 1.) forma absolutionis est sufficiens ad valorem Sacramenti quibuscumque verbis proferatur, quoties eis significatur actus iudicis sententiam decisiuam absolutionis à peccatis proferentis, nempe, *Volo absolu...ris*, *Placet te absolui*: quia quoties talis actus verbis absolutionis significatur, saluatur sensus Sacramentalis formæ absolutionis, quia instituta est à Christo instar sententiæ iudicis. Nihilominùs quamuis forma absolutionis supradicto modo prolata sit sufficiens ad valorem Sacramenti, illicitè fiet, si non proferatur modo Indicatiuo, quia erit contra consuetudinem Ecclesiæ solo modo Indicatiuo vtentis: id tamen non erit peccatum mortale, sed tantùm veniale, quia ea mutatio non est grauis, sed leuis. Scotus. Gabriel. Rosella. Vasquez. Suarez.

DIFFICVLTAS IV.

Quæ verba sint de essentia formæ Absolutionis.

VErba, quibus forma absolutionis in Ecclesia communiter profertur, sunt hæc, *Ego te absoluo a peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Est tamen difficultas, An omnia hæc sint de essentia formæ absolutionis.

Conueniunt Doctores, duo illa verba, *Absoluo te* (aut alia ipsi æquiualentia) esse requisita ad essentiam formæ absolutionis. Quod indicant Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 14. cap. 3. dum assignantes formam absolutionis, exprimunt duo prædicta verba, & meritò: quia vtrolibet deficiente, deficit significatio à Christo intenta, & sensus à Christo intentus, quia deficiente verbo *Absoluo*, deficit significatio actus iudicialis sententiæ remissiuæ; & deficiente Pronomine *te*, deficit significatio practica remissionis, seu sententiæ remissiuæ (qua ratione significatur à iudice sententia) quia non significatur practicè remissio, quando non declaratur, cui fiat.

Eugen. IV. Trident.

Superest tamen difficultas, An dicta duo verba sufficiant ad essentiam formæ absolutionis.

Caietanus in Summa v. *Absolutio*, docet, ea duo sufficere. Paludanus in 4. d. 22. q. 3. docet, non sufficere duo illa, sed necessaria esse tria hæc, *Absoluo te à peccatis*. Durandus eadem dist. q. 2. docet, his tribus addendam esse inuocationem Dei aut Trinitatis, & sufficere siue fiat ante illa verba, siue post.

Caietanus. Paludan. Durandus.

Vasquez verò quæst. 84. art. 3. dub. 4. Suarez disp. 19. sect. 1. Ægidius disp. 4. dub. 3. & Turrianus Complutensis disp. 2. dub. 4. docet, & meritò, ad essentiam formę absolutionis non sufficere duo illa verba, *Absoluo te*, sed necessaria esse omnia hæc verba, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, & ea sufficere absque inuocatione aliqua.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Turrianus.

Et in primis ad essentiam formæ absolutionis requiri Pronomen *ego*, probatur: quia eo deficiente, deficit significatio practica sententiæ remissiuæ, quia non significatur remissio declarando à quo fiat. & id indicat Eugenius & Tridentinum, dum assignantes formam absolutionis, exprimunt Pronomē *ego*. Deinde ad essentiā formę absolutionis requiri verba illa, *à peccatis tuis*, probatur: quia absque eis non sufficienter significatur sententia remissiua peccatorum. Quod etiam indicant Eugenius IV. & Tridentinum, dum assignantes formam absolutionis, dicunt esse illa verba, *Ego te absoluo*, &c. quia addendo particulam *&c.* denotant plura alia verba, quàm suprà expressa, esse formam absolutionis, ac proinde ad minus verba, *à peccatis tuis*: quia si aliqua alia præter expressa requiruntur, maximè hæc.

Eugen. IV. Trident.

Quod verò sufficiant hæc, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, & non sit necessaria inuocatio aliqua, probatur: tum quia ex nullo verisimili fundamento deduci potest necessitas alicuius inuocationis; tum etiam, quia per prædicta verba sufficienter significatur practicè sententia remissiua peccatorum pœnitentis.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez, Suarez, Ægidius & Turrianus, ad formam absolutionis ita necessaria esse verba hæc, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, vt non sit necessarium exprimere particulam *ego*, nec particulas *à peccatis tuis* (quod forsan voluit Caietanus) sed sufficere, quòd contineantur seu implicentur in illis verbis, *absoluo te*, vel potiùs quòd sub eis intelligantur, vt verè in eis continentur, & sub eis intelliguntur: quia pronomen *ego* verè continetur in verbo *absoluo*, & sub eo intelligitur, vt patet; & verba *à peccatis tuis*, in eis *absoluo te*, & sub eis intelliguntur: quia quamuis non contineantur in eis absolutè prolatis, nec sub eis intelligantur; continentur tamen in eis, & sub eis intelliguntur, vt prolatis post confessionem præcedentem, & vt per eam modificatis, & vt ad eam comparatis, vt verè modificantur, & comparantur, quia supra eam cadunt.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Turrianus.

Ita tamen hæc duo verba, *absoluo te*, expressè prolata, quatenus in eis quodammodò continentur, aut sub eis intelliguntur, particula *ego* & particulæ *à peccatis tuis* sufficiunt ad essentiam formæ absolutionis, vt quando *ego* & *à peccatis tuis* exprimuntur, vt regulariter fit, etiam pertineant ad essentiam formæ, & cum illis duobus expressis ad effectum Sacramentalem concurrant, vt Vasquez aduertit, quia ex vna parte, quando exprimuntur, nihil noui sensus seu significati efficiunt, sed eumdem omnino sensum, ac quando tantùm subintelliguntur, & quodammodò continentur in alijs; & ex altera parte potuit à Christo institui, vt pertineant essentialiter ad formam, & concurrant ad effectum Sacramentalem, siue exprimantur, siue tantùm subintelligantur. Ergo credendum est ita fuisse à Christo institutum, & noluisse illa, quando exprimuntur, excludere ab essentia formæ, & à concursu in effectum Sacramentalem.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm formæ absolutionis possit apponi aliqua conditio.

COnueniunt Doctores, conditionem de præsenti (& idem est de conditione de præterito) additam formæ absolutionis, non reddere formam irritam, si subsistat conditio, quia nec suspendit sensum, nec effectum, nec efficit aliud quod obstare possit valori formæ absolutionis: imò nec illam reddere illicitam, quando ad eam addendam adest aliqua rationabilis causa, vt contingit quando ad valorem Sacramenti, aut vt licitè fiat, necessarium est quòd subsistat id, quod ponitur sub conditione, & dubium est an subsistat. Vnde Confessarius dubitans an protulerit verba absolutionis, potest validè & licitè absoluere sub hac conditione (siue vocaliter expressa, siue mentaliter tantùm concepta) *Si non es absolutus, ego te absoluo*, &c. Et dubitans, an puer vel an phreneticus confessus sit cum perfecto vsu rationis, potest validè & licitè absoluere sub hac conditione, *Si possum, aut si capax es, ego te absoluo*, &c. Et dubitans, an ea quæ pœnitens confessus est, sint peccata, potest validè & licitè eum absoluere sub hac conditione, *Si ea quæ confessus es, sunt peccata, ego te absoluo*, &c.

Est tamen difficultas, An formæ absolutionis possit addi conditio de futuro, v. g. *Si restituero, ego te absoluo.*

Caietanus v. *Absoluo*, Armilla eodem verbo, Suarez Tom. 3. disp. 13. Vasquez quæst. 84. art. 3. dub. 5. Ægidius quæst. 64. art. 8. dub. 2. Ochagauia Tract. 1. quæst. 7. & communiter Doctores docent, & meritò, conditionem de futuro, additam formæ absolutionis, non solùm eam reddere illicitam & sacrilegam, sed etiam irritam & nullam. Quod Turrianus & alij probant: quia verba hæc, *ego te absoluo*, ratione conditionis de futuro illis additæ, v. g. *si cras restituas*, æquiualent his, *ego te absoluam*. quæ manifestè sunt in sufficientia. Hæc tamen ratio, licet aliquando nobis placuerit, iam tamen, re meliùs cõsiderata, non placet: quia dicta verba,

Caietanus. Armilla. Suarez. Vasquez. Ægidius. Ochagau. Turrianus.

verba, *ego te absoluo, si cras restituas*, non æquiualent his, *ego te absoluam*, sed his, *ego ex nunc te absoluo, si cras restituas*, vt in simili dicimus Tract. de Matrimonio Disput. VII. Diffic. III.

Prædicta ergo doctrina ex eo à nobis probatur, quia qui profert verba absolutionis ex intentione absoluendi elicita, sub conditione de futuro, priùs tempore finit & perficit prolationem verborum, quàm perficiatur intentio absoluendi Sacramentaliter, seu efficiendi quòd prolatio ipsa verborum fiat pars Sacramentalis, & priùs quàm intentio ipsa desinat esse suspensa (vt in simili de consensu, seu intentione contrahendi matrimonium elicita sub conditione de futuro, significatur in cap. *Super eo*. 5. de Conditionibus) quia dicta intentio est suspensa, & non est perfecta quousque impleatur conditio. Prolatio verò verborum absolutionis statim ac fit, finitur & perficitur, & non manet suspensa, vt patet, quia nulla actio materialis, v. g. prolatio verborum, ablutio, vnctio, suspendi potest, quia ipsi nulla potest addi conditio adhuc de præsenti, quamuis per ignorantiam ei intendatur addi & apponi, etiamsi addi possit intentioni efficiendi aliquam materialem actionem partem alicuius Sacramenti. In potestate autem ministri Sacramenti non est, quòd omnes partes Sacramenti iam finitæ & positę, maneant Sacramentaliter suspensæ, seu expectantes rationem Sacramentalem pendentem ex perfectione intentionis ministri facienda per impletionem conditionis de futuro, quia statim ac finiuntur, debent habere eam rationem Sacramentalem, aut numquam habebunt: ergo conditio de futuro apposita prolationi verborum absolutionis, efficit illam Sacramentaliter nullam, & consequenter etiam illicitam & sacrilegam.

Quòd si Iudex exterior dicens, *Ego ex nunc te absoluo ab hoc delicto, si cras feceris hoc*, validè absoluit, dum lex aliqua nõ obstat. Ratio est, quia iste iudex potiùs absoluit voluntate exteriùs expressa (quam potest conditioni de futuro alligare) quàm verbis ipsis. Ratio verò Sacramenti absolutionis non conuenit intentioni Sacramentaliter absoluendi adhuc vocaliter expressæ, sed ipsi prolationi verborum, & ideò hæc prolatio semel finita & perfecta, præsuppositis attritione & confessione, statim ex intentione ministri debet habere rationem Sacramenti, aut numquam illam habebit.

Vnde quando Prælatus committit Confessario inferiori absolutionem à sibi reseruatis, sub ea conditione quòd pœnitens posteà illa eadem peccata reseruata iterùm sibi confiteatur, ita intelligendum est, non quòd absolutio Confessarij inferioris conferenda sit sub ea conditione, *si posteà confitearis Prælato*, quia hæc conditio redderet absolutionem nullam & sacrilegam; sed ita vt Confessarius inferior obliget pœnitentem ad id siue præcepto, siue promissione, siue aliter, de quo dicemus Disput. II.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm absolutio possit conferri absenti.

Paludan. Pet. Sotus. Antonin. Siluester. Medina.

PAludanus in 4. d. 17. quæst. 2. Petrus Sotus lect. 11. de Cõfessione, Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. Siluester v. *Confessio* 3. & Medina Cod. de Confessione, quæst. 15. docent, absolutionem posse validè conferri absenti (& consequenter etiam licitè in casu necessitatis:) quod videtur supponere Cyprianus lib. 3. epist. 17. dum ait, lapsos per litteras ab ipso petijsse reconciliationem. *Cyprian.* Et idem sensisse videtur S. Thomas Cantuarien sis, qui dicitur instante morte misisse ad Curiam pro absolutione. *S. Thomas Cantuar.* Et ratione probatur, quia in iudicio humano, instar cuius Sacramentum Pœnitentiæ institutum est, validè fertur sententia in absentem, ergo etiam in hoc Sacramento Pœnitentiæ.

Sotus verò in 4. d. 18. quæst. 2. art. 6. Valentia disp. 7. q. 11. p. 10. Toletus lib. 3. cap. 6. Vasquez quæst. 91. art. 4. dub. 2. Suarez disp. 19. sect. 3. Ægidius disp. 4. dub. 10. Reginaldus lib. 6 n. 5. Bonacina disp. 5. q. 4. pun. 5. & Laymannus tract. 6. c. 3. docent, & merito, absolutionem non posse validè ferri in absentem, quamuis cõfessio facta fuerit in præsentia. Quod adeò verum est, vt Clemẽs VIII. anno 1602. oppositum ad minus damnauerit vt falsum, temerariũ & scandalosum, ac prohibuerit & præceperit, ne vmquã vt probabile defendatur, quod factum fuit his verbis: *Sanctissimus Dominus noster, &c. re maturè ac diligenter considerata, hanc propositionem, scilicet licere per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam, temerariam & scandalosam damnauit ac prohibuit, præcepitque, ne vmquam tamquam aliquo casu probabilis defendatur.* Vbi non solùm declarat, absolutionem ab absente collatam esse illicitam, dum damnat *asserere illam licere*, sed etiam esse nullam, quia id intendit, & in eo sita erat controuersia: quod satis exprimit, dum absque restrictione damnat asserere quòd liceat, & dum prohibet defendere, illam licere in aliquo casu: quia si non esset nulla, verè esset licita in aliquo casu. In hoc autem Decreto non solùm damnatur dicta propositio, particulâ illâ & sumptâ copulatiuè seu complexiuè, ad cuius falsitatem sufficit falsitas cuiuslibet partis; sed etiam sumptâ diuisiuè, ita vt quælibet pars seorsim damnata sit, id est, quòd tam confessio per litteras seu internuntium sit nulla, siue absolutio fiat in præsentia pœnitentis, siue in absentia, quàm absolutio collata ab absente, siue confessio facta sit Sacerdoti præsenti, siue absenti, vt Paulus V. declarauit. *Sotus. Valentia. Toletus. Vasquez. Suarez. Ægidius. Reginald. Bonacina. Layman. Cle. VIII. Paulus V.*

Ratio à priori huius veritatis est intentio Christi instituentis pro forma Sacramenti Pœnitentiæ absolutionem à præsenti collatam: hæc autem institutio Christi constat ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quæ numquam vsa est absolutione in absentia, sed tantùm in præsentia, cui Clemens VIII. innixus oppositam doctrinam damnauit, & cui Paulus V. etiam innixus, damnationem à Clemente factam approbauit.

Cyprianus ergo tantùm vult, ab ipso fuisse petitam publicam aliquam pœnitentiam pro reconciliatione, seu absolutione publica ab excommunicatione, non pro reconciliatione Sacramentali. Nec S. Thomas Cantuariensis misit ad curiam pro absolutione Sacramentali, sed vel pro indulgentia (quæ etiam est quædam absolutio) vel pro absolutione ab aliqua censura, ad cautelam.

Ad rationem verò concedimus, in iudicio humano sententiam ferri in absentem, quia ita iure humano sancitum est; non verò sententiam absolutionis Sacramentalis, quia ita Christus instituit. Vnde Sacramentum Pœnitentiæ non est quoad omnia institutum instar iudicij humani.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm absolutio possit validè per scriptum conferri.

EX dictis Difficultate præcedenti constat, absolutionem à Confessario absente collatam, siue verbo siue scripto, esse nullam. Est tamen modò difficultas, An absolutio sit nulla ex eo præcisè quòd conferatur scripto, quamuis à Confessario præsente.

Paludan. Pet. Sotus. Medina. Paludanus in 4. dist. 17 quæst. 2. Petrus Sotus lect. 11. de Confessione, & Medina Cod. de Confessione quæst. 15. docent, absolutionem posse scripto validè conferri, Primò, quia confessio potest scripto validè fieri, ergo etiam absolutio. Secundò, quia in iudicio humano (instar cuius Sacramentum Pœnitentiæ institutum est) potest sententia validè scripto conferri, & de facto confertur, ergo etiam in iudicio confessionis, sententia absolutionis.

Suarez. Valentia. Layman. Bonacina. Ægidius. Suarez verò disp. 21. sect. 3. Valentia disp. 7. puncto 3. Laymannus tractatu 6. cap. 3. Bonacina disp. 5. q. 4. puncto 6. Ægidius disp. 4. dub. 9. & iam communiter Doctores docent, & meritò, absolutionem non posse validè scripto conferri: quod constat ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quæ numquam vsa est absolutione in scriptis, & multò minùs nutibus, sed tantùm verbis. Et deducitur ex decreto Eugenij IV. vbi postquam generaliter dixerat, Sacramenta constare verbis tamquam formâ, hoc limitat in Sacramento Matrimonij, dum ait, causam efficientem matrimonij regulariter esse mutuum consensum per verba de præsenti expressum, quibus denotat, in alijs Sacramentis semper esse necessaria verba strictè sumpta, & non sufficere scripturam, & multò minùs nutus, quæ sufficiunt in Sacramento matrimonij. Quod etiam *Trident.* deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 3. dum ait, formam Sacramenti Pœnitentiæ sitam esse in illis verbis ministri, *Ego te absoluo.* Ratio à priori huius est institutio Christi, quæ nobis cõstat ex perpetuo vsu Ecclesiæ, & ex Eugenio IV. & ex Tridentino.

Ad primam ergo rationem concedimus, confessionem posse validè fieri scripto & nutibus, non tamen absolutionem, quia Christus instituit illas sic (vt constat ex vsu Ecclesiæ) & satis congruenter, quia vix potest offerri necessitas conferendi absolutionem in scriptis, & nutibus, potest tamen sæpè offerri necessitas confitendi scripto & nutibus. Et ad secundam concedimus, in iudicio humano sententiam validè scripto ferri, quia ita sancitum est legibus humanis; non tamen in iudicio confessionis, sed sõlis verbis, quia Christus ita instituit.

DIFFICVLTAS VIII.

Quid significent verba absolutionis, nempe, Ego te absoluo à peccatis tuis.

IN primis hæretici (qui, vt diximus Difficultate 11. dicunt, in Ecclesia non esse potestatem remittendi peccata) existimant, sensum eorum verborum formæ absolutionis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, esse, *Ego te absolutum declaro.* Hæc tamen expositio sensus, seu significatio verborum formæ absolutionis, præterquam quòd est contra proprietatem verborum, & absque necessitate, quia proprietate seruata possunt aliter & optimè explicari, etiam est damnata à Tridentino sess. 14. *Trident.* cap. 6. & can. 9.

Secundo, Theologi (qui, vt diximus Difficultate 11. dicunt in Ecclesia non esse potestatem remittendi peccata quoad culpam, sed tantùm quoad pœnam) existimant sensum dictorum verborum esse, *Ego te absoluo a peccatis tuis quoad pœnam.* Hæc etiam expositio nobis non probatur, quia præterquam quòd ad sic exponendum verba illa, falsò innituntur fundamento, vt vidimus ea Difficul. 11. & præterquam quòd est contra proprietatem verborum, & absque necessitate, nequit cum ea expositione consistere veritas illorum in eo, qui post remissionem suorum peccatorum quoad culpam per contritionem perfectam, & quoad dignitatem totius pœnæ etiam per contritionem & per alia opera pœnalia confitetur, & subijcit absolutioni peccata sic remissa, vt teneatur confiteri & subijcere absolutioni.

Tertiò, alij existimant, sensum dictorum verborum esse, *Ego te absoluo ab obligatione confitendi, seu subijciendi clauibus Ecclesiæ peccata mihi legitimè confessa.* Sed nec expositio hæc placet, quia præterquam quòd est contra proprietatem verborum, & absque necessitate, nequit cum hac expositione consistere veritas illorum in eo, qui tantùm confitetur peccata venialia aut mortalia, à quibus fuit anteà legitimè absolutus, quia in illo non est obligatio confitendi & subijciendi absolutioni dicta peccata.

Quartò, S. Thomas q. 84. art. 3. ad 5. existimat, *S. Thom.* sensum horum verborum, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, esse, *Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo.* Hæc explicatio, quamuis in aliquo sensu recta sit, tamen vt iacet & sonat, est difficilis & obscura, quia, præterquam quòd est contra proprietatem verborum, qui absoluit non confert totum Sacramentum Pœnitentiæ, sed tantùm applicat formam materiæ suppositæ à pœnitente, & quantum est ex se, solùm vt causa partialis confert effectum Sacramenti.

Quartò, Suarez disp. 19. sect. 2. existimat, sen- *Suarez.* sum verborũ formæ absolutionis esse, *Ego, quantum est ex me, confero tibi gratiam remissiuam peccatorum.* Hæc etiam expositio, quamuis in aliquo sensu recta sit, tamen vt iacet & sonat est difficilis, quia dicta verba, significatione quam habent ex institutione hominum, propriè significant remissionem peccatorum, & id sonant, & non gratiam remissiuam; & hæc significatio potest salua consistere attenta virtute & effectu sacramentali verborum: ergo eam remissionem significant, & non gratiam remissiuam, quamuis hæc sit necessaria ad eam remissionem, vt dicta verba verificentur.

Sensus ergo eorum verborum formæ absolutionis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, seu quod per ea significatur, est, *Ego, quantum est ex me, remitto tibi peccata tua quoad culpam, & quoad id quod ad remissionem culpæ consequitur.* Quia ex vna parte dicta verba hanc remissionem propriè significant significatione, quam habent ex humana institutione, quia peccata absolutè prolata culpas significant; & à peccatis absoluere, absolutè prolatum, significat à peccatis liberare, & ea remittere: & ex alia parte significatio dicta potest salua

salua consistere, attentâ virtute Sacramentali ipsorum verborum, quam habent ex superaddita institutione Christi, & attento effectu Sacramentali ipsorum. Quia dicta verba ex institutione Christi, tamquam pars essentialis formalis completiua Sacramenti Pœnitentiæ, simul cum contritione & confessione pœnitentis præsuppositis, conferunt, quantum est ex se, gratiam ex se remittentem peccata saltem quoad culpam, etiamsi aliquando per accidens non remittant illa in actu secundo, quando præsupponuntur remissa; minister ergo absolutionis, præsuppositis sufficiente cõtritione & legitima confessione pœnitentis, verè profert & dicit, *Ego quantum est ex me, seu quantum ad me attinet, remitto tibi peccata tua quoad culpam, & te ab eis libero quoad eam*, quia ipse suis verbis, vt institutis à Christo, confert pœnitenti gratiam quantum est ex ipsa remittentem peccata, quo minister verificat sensum & significatum dictorum verborum. Et in hoc sensu potest habere locum expositio S. Thomæ, & etiam expositio Suarez, quia scilicet minister efficit completiuè Sacramentum, & confert gratiam Sacramentalem, quibus dicta significatio verborum verificatur; & non quia dicta verba significent collationem Sacramenti absolutionis, nec gratiam remissiuam.

Verba ergo absolutionis, *Ego te absoluo à peccatis tuis*, significatione verbali, quam habent ex hominum institutione, significant remissionem ipsam peccatorum saltem quantum ad culpam, & eam totaliter & sufficienter significant; significatione verò Sacramentali, quam habent ex superaddita institutione Christi, immediatè significant (sicut & conferunt) gratiam remissiuam peccatorum, ratione cuius verificantur dicta verba quoad significationem verbalem, quam habent ex institutione hominum, quia ratione talis gratiæ & mediante ipsa verificatur, quòd minister absoluens quantum est ex se remittat peccata, & ab eis liberet. Hæc tamen significatio Sacramẽtalis indiuisibiliter conuenit absolutioni Sacerdotis, & contritioni & confessioni pœnitentis simul sumptis, & non soli absolutioni, & in illis tribus sic sumptis est indiuisibiliter (ea proportione qua anima rationalis est indiuisibiliter tota in omnibus partibus corporis) & non in solâ absolutione.

DISPVTATIO VI.

De contritione peccatorum requisita ad effectum & ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ.

NOMINE contritionis intelligimus displicentiam peccati, prout abstrahit sub disiunctione à displicentia pura, quæ non est formaliter dolor, sed radix illius; & à displicentia dolorosa, orta ex dicta pura displicentia: intelligimus enim vnam vel alteram sub disiunctione, quia ad effectum, & ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ eodem modo sufficit aut non sufficit vna & altera, & vtraque potest appellari dolor, quia prior est radicaliter dolor, & posterior est dolor formaliter; & nomine contritionis intelligimus contritionem sub disiunctione, abstrahentem à perfecta & ab imperfecta, vnam videlicet vel alteram sub disiunctione.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm ad effectum pœnitentiæ percipiendum requiratur aliqua contritio.

SVpponimus (in quo conueniunt Doctores) ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum, gratiam videlicet Sacramentalem remissiuam peccatorum, requiri in pœnitente intentionem seu voluntatem suscipiendi hoc Sacramentum, quia ex institutione Christi requiritur ad valorem seu essentiam Sacramenti, non tamquam partem supra quam cadat absolutio, sed tamquam quid præuium ad ipsam essentiam: absque essentia autem seu valore Sacramenti nequit percipi fructus illius, quia iste causatur, ab ipso Sacramento essentialiter perfecto.

Hoc supposito, difficultas est, An præter intentionem suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ requiratur aliqua expressa contritio ad percipiendum fructum seu effectum huius Sacramenti.

Siluester v. *Confessio* 1. q. 21. Rosella v. *Confessio* 1. §. 4. & Angelus v. *Confessio* 1. num. 27. docent, ad id sufficere intentionem suscipiendi Sacramentum ipsum, & non esse necessariam aliquam expressam contritionem seu displicentiam; quia intentio suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, est quædam virtualis contritio, & displicentia peccatorum, quæ ad id sufficiens videtur. *Siluester. Rosella. Angelus.*

Suarez verò d. 26. sect. 1. Vasquez q. 92. art. 1. dub. 1. Ægidius disp. 4. dub. 5. & communiter Doctores docent, ad id non sufficere voluntatem suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, sed necessariam esse aliquam expressam contritionem, seu displicentiam peccatorum: quod apertè constat ex Decreto Eugenij IV. & ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dum dicunt, contritionem (quam asserunt esse dolorem, & Tridentinum addit, *& detestationem*) esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, & vt ex contextu constat, absque dubio loquuntur de contritione expressa, & de expresso dolore: est autem contritio, vt diximus Disputatione 1v. Difficultate 1. pars essentialis, & requisita ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ; ergo contritio expressa etiam est requisita ad percipiendum effectum huius Sacramenti, quia non causatur nisi ab ipso Sacramento essentialiter perfecto. Requiri autem ad effectum huius Sacramenti non solùm vt partem, sed etiam vt dispositionem, satis significat Tridentinum dicto c. 4. ad finem. *Suarez. Vasquez. Ægidius. Eugen. IV. Trident.*

Vnde post Decretum Eugenij IV. & post Tridentinum, opinio aduersariorum non est satis tuta.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat contritio imperfecta.

Magister. Bonauen. Gabriel. Maior. Marsilius. Hugo Vict. Richardus de S. Vict. Medina.

MAgister, Bonauentura, Gabriel & Maior in 4. distinct. 18. Marsilius quæst. 12. artic. 2. Hugo de S. Victore in Summa Tractatu 5. cap. 11. Richardus de S. Victore Tract. de Potestate ligãdi & soluendi, cap. 12. & Medina Cod. de Confessione quæst. 38. docent, ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiẽdam prærequisitam esse contritionem perfectam, & non sufficere contritionem imperfectam, quæ dicitur attritio. Primò, quia peccator priùs viuificatur à Deo, quàm absoluatur à Sacerdote, vt indicare videntur Gregorius, Clictouæus, & Augustinus, quos retulimus Disp. v. Diffic. 11. ergo ad absolutionem præsupponi debet contritio perfecta, per quam peccator viuificetur & iustificetur; ergo etiam debet præsupponi ad percipiendum effectum Sacramenti Pœnitentiæ, qui absque absolutione non percipitur. Secundò, quia confessio est peccatorum prout sunt offensa Dei; ergo etiam contritio debet esse peccatorum prout sunt offensa Dei, quia debet conformari & proportionari confessioni; cõtritio autem peccatorum prout sunt offensa Dei, est contritio perfecta. Tertiò, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad remissionem peccatorum, quibus peccator propria voluntate auersus est à Deo; ergo ad percipiendam eam remissionem in hoc Sacramento, prærequiritur contritio, qua peccator propria voluntate conuertatur in Deum, sed non conuertitur in Deum, nisi media contritione perfecta; ergo hæc prerequiritur ad percipiendum effectum huius Sacramenti.

Gregorius. Clictouæus. Augustin.

S. Thomas. Scotus. Paludan. Canus. Ledesma. Suarez. Vasquez. Ægidius.

S. Thomas verò in 4. disput. 17. quæst. 3. art. 5. quæstiunc. 1. Scotus dist. 14. quæst. 4. art. 3. Paludanus dist. 19. quæst. 1. art. 2. Canus Relect. de Pœnitentia p. 5. Ledesma 2. par. quarti, quæst. 20. art. 1. Suarez disp. 20. Vasquez quæst. 92. artic. 1. dubio 2. & Ægidius quest. 62. art. 1. dub. 2. docent, & meritò, ad percipiendum effectum Sacramenti Pœnitentiæ non prærequiri contritionem perfectam, sed sufficere imperfectam seu attritionem.

Trident.

Quod efficaciter deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 4. dum de contritione imperfecta seu attritione ait: *Quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere nequeat peccatorem, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Subintelligit autem, sufficienter & infallibiliter, quia extra Sacramentum etiam disponit (vt ex se patet, & in eodem cap. supponitur) sed non sufficienter vltimò, & infallibiliter, vt in eodem cap. significatur, dum dicitur: *Quamuis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere nequeat peccatorem.*

Et ratione ab absurdo desumpta probatur; quia si contritio perfecta prærequiritur ad effectum huius Sacramenti, & ad absolutionem Sacerdotis, verè auferetur potestas clauium ad remittenda peccata quoad culpam, quia antequam hoc Sacramentum sit essentialiter perfectum, quod sic absolutione perficitur, præsupponetur peccatum remissum quoad culpam per eam contritionem perfectam.

Ad primam ergo rationem aduersariorum, ex prædictis Patribus desumptam, iam diximus Disput. v. Diffic. 11. eos non loqui de viuificatione sanctitatis & gratiæ, sed de aliquali motu vitæ, quo peccator mouetur dispositiuè ad iustificationem.

Ad secundam negamus, confessionem esse peccatorum vt sunt offensa Dei, quamuis sit peccatorum quæ verè sunt offensa Dei: & quamuis esset peccatorum vt sunt offensa Dei, ex eo non inferretur, contritionem prærequisitam esse eorum vt sunt offensa Dei, quia contritio non debet conformari confessioni in motiuo, sed tantùm in materia, in eo videlicet, quòd sit eorum peccatorum quorum fit confessio.

Ad tertiam concedimus, Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse ad remissionem peccatorum, quibus propria voluntate auersi sumus à Deo; negamus tamen, ad eam percipiendam in hoc Sacramento prærequiri conuersionem in Deum.

Henriq. Caietan. Ferrar.

Id verò, quoad ad dunt Henriquez Quodlib. 1. q. 32. Caietanus q. 84. art. 1. & Ferrar. 4. contra Gentes c. 72. nempe, quòd quamuis attritio sufficiat vt peccator accedat ad hoc Sacramentum, & absolutionem recipiat, tamen iustificationem non fieri nisi media contritione, excitata virtute absolutionis præuia attritione susceptæ; falsum est, vt aduertunt Vasquez & Suarez: quia attritio sufficienter & infallibiliter disponit ad iustificationem in hoc Sacramento, & tamen non semper excitat contritionem perfectam, quamuis subsequatur absolutio; ergo non disponit ad iustificationem faciendam media contritione perfecta, sed faciendam immediatè per Sacramentum ipsum. Et quidem si in Sacramento Pœnitentiæ homo attritus, & legitimè confessus, non iustificatur nisi mediâ contritione perfecta, excitata per absolutionem, præsuppositâ attritione ad ipsam absolutionem, non posset moribundo, quamuis iam attrito & confesso, conferri absolutio, si incidat in amentiam (quod est contra communem sensum, & vsum) quia in eo moribundo frustraretur Sacramentum suo effectu, quia in illo nequit excitari contritio, media qua efficienda esset peccatorum remissio.

Vasquez. Suarez.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm attritio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiens, debeat esse existimata contritio perfecta.

Scotus. Victoria. Cordub.

SCotus in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 2. Victoria Relectione de Potestate Ecclesiæ, qu. 2. & Corduba lib. Quæstionum Theologicarum q. 2. partem affirmatiuam tuentur. Quod probant duabus vltimis rationibus Difficultate præcedente adductis pro nostris aduersarijs, quibus potiùs videbatur probari, necessarium esse veram contritionem, quàm existimationem illius.

Paludan. Adrian. Suarez. Vasquez. Ægidius. Trident.

Paludanus verò in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. Adrianus in 4. quæst. 5. de Confessione, Suarez disp. 20. Vasquez quæst. 92. art. 1. dubio 2. Ægidius qu. 62. art. 1. dubio 2. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt. Quod significat Tridentinum sess. 14. cap. 4. dum de attritione, nulla facta mentione dictæ existimationis, ait disponere (subintelligit, sufficienter, & infallibiliter) ad impetrandam

gratiam

gratiam in Sacramento Pœnitentiæ. Quod Tridentinum absque dubio adderet, si ea existimatio esset necessaria, cum doctrinaliter procedat, & intendat fideles instruere.

Et ratione probatur, quia existimatio, qua attritio iudicatur contritio, nec est dispositio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, quia cùm sit error quidam, esset indecens, quod à Christo institueretur dispositio ad gratiam sanctificantem: nec attritioni, quæ est dispositio ad illam, aliquid boni positiui affert, quo attritio perficiatur, cùm sit error: nec excusat pœnitentem à peccato aliquo, quod committeret non accedens contritus, quasi ex præcepto teneatur accedere in statu gratiæ, quia verè non est præceptum aliquod accedendi ad hoc Sacramentum in statu gratiæ, quia non est præceptum positiuum, quia de eo non constat; nec est præceptum naturale, quia si esset aliquod, maximè naturale diuinum, ortum ex natura Sacramenti Pœnitentiæ, supposita institutione diuina illius, vt pœnitens dignè ad illud accederet; sed non est tale præceptum, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est pro spiritualiter mortuis, ac proinde ad illud non accedit indignè, qui accedit spiritualiter mortuus, & in statu peccati mortalis, si aliàs accedat cum dispositione sufficienti ad effectum illius, sicut scienter infirmus prudenter accedit ad medicinam, si accedit cum dispositione sufficiente ad effectum medicinæ. Et sanè si existimatio illa tantùm deseruiret, vt pœnitens excusaretur à peccato contra præceptum aliquod contritionis, illa non esset necessaria; quia etiam sufficeret ignorantia aut inconsideratio inuincibilis talis præcepti gratis admissi: quia qui scienter accederet attritus, ignorans, aut non considerans, inuincibiliter esse tale præceptum, excusaretur à peccato contra illud.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat attritio, qua pœnitens dolet se non habere dolorem peccatorum.

Paludan. Nauarrus. Sà. PAludanus in 4. dist. 17. quæst. 11. art. 5. Nauarrus cap. 1 num. 18. & Sà v. *Contritio*, partem affirmatiuam tuentur, quia in ea attritione virtualiter continetur dolor peccatorum.

Vasquez. Filliucius. Vasquez verò q. 92. art. 1. dub. 3. & Filliucius Tractatione 7. cap. 6. quæsito 2. partem negatiuam tradunt. Quam supponunt communiter Doctores, & significant Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 14. præsertim cap. 4. dum ad effectum huius Sacramenti requirunt dolorem de peccatis; quia dolor de defectu seu carentia doloris de peccatis, non est dolor de peccatis, non solùm formaliter & expressè, vt patet, sed nec virtualiter & implicitè, quia peccatum, quod est obiectum ipsius doloris de peccato, non continetur in ipsa carentia doloris de peccato, quæ est obiectum illius alterius doloris; nec virtualiter, quia dolor ipse de carentia doloris peccati non continet virtualiter dolorem de peccato, quia dolor ille non sufficit ad efficaciter excitandum dolorem de peccato.

Eugen. IV. Trident.

DIFFICVLTAS V.

Ex quo motiuo debeat esse attritio, vt sufficiat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.

COnueniunt Doctores, attritionem & dolorem de peccatis ob malum æternum (id est ob malum ad alteram vitam pertinens) vt ob turpitudinem seu malitiam peccati, vel ob pœnas alterius vitæ, esse sufficientem ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum, vt exprimitur in Tridentino sess. 14 cap. 4. *Trident.*

Est tamen difficultas, An ad id sufficiat attritio & dolor de peccatis ob malum temporale (id est ob malum ad præsentem vitam pertinens) vt ob infamiam, vel ob nocumentum salutis, vel ob pœnam, siue pecuniariam siue corporalem, qua peccator damnatus est vel damnandus à iudice humano, vel ob similia.

Sotus in 4. d. 18. q. 3. art. 3. & Canus Relect. de Pœnit. p. 5. partē affirmatiuam tuētur, quia ex vna parte dolor iste potest esse honestus, & ex altera est ob malum inflictum à Deo: quia quodcumque malum, excepta culpa, infligitur à Deo. Id tamen limitat Sotus, vt generaliter sit verum in omni attritione, quando existimatur contritio; & Canus, quando existimatur sufficere ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ. *Sotus. Canus.*

Vasquez quæst. 92. art. 1. dub. 3. Suarez disp. 20. sect. 2. & Reginaldus lib. 3. sect. 2. partem negatiuam tradunt, quia malum temporale est motiuum doloris, tam de bono quàm de malo opere, & non excludentis affectum peccati, qualis à Tridentino vbi suprà requiritur, vt disponat ad percipiendum effectum huius Sacramenti, nempe gratiam remissiuam peccatorum. *Vasquez. Suarez. Reginald.*

Ægidius verò disp. 4. n. 39. & Ochaga. Tract. 1. quæst. 18. docent, & meritò, attritionē & dolorem peccatorum ob malum temporale, cum respectu ad Deum, à quo immissum aut immittendum est in pœnam, id est, dolorē de peccato, quia Deus ob illud immisit aut immittet dictum malum (vt verè fieri potest, quia quodcumq; malum, quod non sit culpa, à Deo immittitur) sufficere ad effectum Sacramenti Pœnitentię; non verò ob malum temporale, vt aliunde eueniens aut euenturum absque respectu ad Deum. Ratio prioris partis est, quia dolor ob malum temporale modo dicto respiciens Deum (qua ratione quodammodò est æternum, & ad alteram vitam pertinens) ex se non solùm est honestus, sed etiam habet motiuum, quod tantùm est ad dolendum de peccato, & non ad dolendū de bono opere, & excludit affectum peccandi, quia Deus etiam eo malo punit peccatum, & non opus bonum. Et confirmatur hæc ratio: quia dolor iste vt sic, oritur ex displicentia, aut ex metu pœnarum diuinarum, quem Tridentinum supponit sufficere ad effectū huius Sacramenti. Ratio verò posterioris partis est, quia dolor ob malū temporale, vt non respiciēs Deum vt punitorem, sed vt aliunde proueniens, quamuis possit esse honestus, habet tamen motiuum, quod potest esse ad dolendum de bono opere; quia etiam opus bonum potest esse occasio talis mali, & ob id ex se non excludit affectum peccandi, quod Tridentinū requirit in dolore, vt sufficienter disponat ad gratiam huius Sacramenti. *Ægidius. Ochagau.*

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm dolor ad effectum huius Sacramenti sufficiens, sit ordinis naturalis.

Suarez. Henriq. Ægidius. SVarez disp. 20. sect. 2. Henriquez 1. de Pœnitentia c. 26. & Ægidius disp. 4. dub. 5. docent, omnem dolorem, qui est sufficiens dispositio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, esse ordinis supernaturalis quoad substantiam, quia ad eum dolorem requiritur auxilium gratiæ, quod non requiritur nisi ad actum supernaturalium quoad substantiam.

Sotus. Canus. Vasquez. Sotus verò in 4. d. 18. q. 3. art. 3. Canus Relectione de Pœnitentia p. 5. & Vasquez 1. 2. disputatione 194. c. 4. docent, non omnem dolorem, qui est sufficiens dispositio ad effectum huius Sacramenti, esse supernaturalem quoad substantiam; & meritò: quia ad id sufficit dolor conceptus ob turpitudinem seu malitiam peccati, sitam in dissonantia ad naturam rationalem, vt non eleuatam ad finem supernaturalem, & etiam dolor conceptus ex metu mali temporalis à Deo infligendi naturaliter etiam quoad modum: isti autem dolores sunt naturales quoad substantiam, quamuis sint alij quoad substantiam supernaturales, non solùm dolor qui est contritio perfecta, sed etiam alij qui solùm sunt attritio, vt dolor qui est ob turpitudinem seu malitiam peccati sitam in dissonantia ad naturam rationalem, vt eleuatam & conciuem sanctorum, & dolor qui est ob amissionem gloriæ.

Addimus verò, spem veniæ (quæ etiam est dispositio necessaria ad effectum huius Sacramenti, nempe ad remissionem peccatorum) esse supernaturalem quoad substantiam, vt Vasquez aduertit, *Vasquez.* quia est spes seu desiderium adeptionis gratiæ remissiuæ peccatorum à Deo, supernaturaliter potente conferre illam.

Ad rationem verò aduersariorum Sotus & Canus respondent, negando, ad omnem dolorem sufficientem ad effectum huius Sacramenti requiri auxilium gratiæ Dei; quia existimant, ad eum qui est ordinis naturalis, non requiri: immeritò tamen, *Trident.* & contra Tridentinum sess. 14. cap. 4. affirmans, dolorem sufficientem ad dictum effectum esse donum Dei. Respondemus ergo, concedendo, ad omnem dolorem sufficientem ad eum effectum requiri auxilium gratiæ Dei; negamus tamen, non requiri ad dolorem ordinis naturalis (sicut generaliter requiritur ad omne opus bonum etiam ordinis naturalis) ad eum tamen sufficit auxilium ordinis naturalis quoad substantiam, de quo latè dicitur in Tractatu de Gratia.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm dolor debeat esse omnium mortalium, vt sufficiat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.

COnueniunt Doctores, ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum necessarium esse dolorem omnium mortalium, quæ non sunt remissa (quamuis oblita sint) siue ob motiuum generale omnia illa comprehendens, vt ob infernum, siue ob peculiares & proprias turpitudines eorum. Et meritò: quia adultis nullum remittitur peccatum mortale propria volùtate commissum, absque proprio actu pœnitentiæ, siue formali siue virtuali; vnde ad remissionem cuiusuis mortalis in hoc Sacramento, in quo necessaria est expressa & formalis pœnitentia, non solùm tamquam pars essentialis huius Sacramenti, sed etiam tamquam dispositio ad effectum illius, requiritur dolor cuiusuis illius: in hoc autem Sacramento (sicut etiam extra illud) non remittitur vnum mortale sine alio; ergo ad effectum remissionis peccatorum mortalium faciendæ per hoc Sacramentum, requiritur dolor omnium eorum quæ remissa non sunt, etiam oblitorum, non tamquam pars essentialis huius Sacramenti, quia vt sic, sufficit sit eorum quorum est facta confessio (imò vt est dolor aliorum, non est pars; quia dolor tantùm fit sensibilis per confessionem, ac proinde aptus vt sit pars essentialis huius Sacramenti sensibilis) sed tamquam dispositio ad effectum huius Sacramenti percipiendum, nempe ad remissionem peccatorum non remissorum, & ad gratiam remissiuam, ob rationem dictam, nempe quia adultis nullum remittitur peccatum mortale absque proprio actu pœnitentiæ, siue formali siue virtuali; & in hoc Sacramento absque expressa & formali pœnitentia, etiam eorum quæ per accidens (id est absque eorum confessione) remittuntur.

Addidimus, ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum necessarium esse dolorem omnium mortalium quæ non sunt remissa. Primò, quia mortaliũ, quæ iam sunt remissa, siue per perfectam contritionem, siue per aliud præcedens Sacramentum, non est necessarius dolor ad effectum huius Sacramenti, nempe ad gratiam remissiuam peccatorum, nisi tantùm eorum quorum sit confessio, & ex necessitate, quãdo horum fit confessio, vt sunt illa quorum non est anteà facta confessio, vel quia fuerunt oblita, si remissa sunt per accidens per præcedens Sacramẽtum, vel quia remissa fuerunt per contritionem perfectam, quia horum sicut est necessaria confessio, etiam est necessarius dolor eorum, vt confessio sit vera accusatio qualis à Christo exigitur; non verò est necessarius eorum quæ iam sunt remissa, & non fit confessio eorum quia sunt oblita, vel ob aliam iustã causam, quamuis numquam sint confessa, quia tunc dolor non est necessarius vt pars huius Sacramenti, quia vt sic non est necessarius, nisi tantùm eorum quorum fit confessio, dolor enim vt pars, & confessio semper conformantur quoad obiectum (quamuis non semper dolor vt dispositio, & confessio) nec est necessarius vt dispositio ad illorum remissionem, quia iam sunt remissa; nec ad gratiam remissiuam conferendam per Sacramentum, quia tunc ad eam gratiam sufficit vt dispositio, dolor eorum peccatorum quæ non sunt remissa, siue tunc fiat confessio omnium eorum, siue tantùm aliquorum, & non omnium, quia non est memoriã omnium, vel ob aliam iustam causam.

Secundò id addidimus, nempe ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ percipiendum, necessarium esse dolorem omnium mortalium, quia ad eum non est necessarius dolor omniũ venialium, etiamsi eorum fiat confessio; non solùm quando aliàs fit confessio alicuius mortalis, vt patet (quamuis non fiat remissio venialium, quorum non fuerit dolor;) sed etiam quando tantùm fit confessio venialium,

quia

quia in hoc casu sufficit dolor aliquorum : imò vnius tantùm, quia ex vna parte non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, & ex altera vnum potest remitti sine alio. Et idem quoad dolorem est de mortalibus anteà legitimè confessis & dimissis, quando quis ea iterùm confitetur. Quòd autem non sit dolor omnium venialium, nec omnium mortalium quæ iam sunt remissa per confessionem, non obstat veritati verborum formæ absolutionis, quia hæc forma non est vniuersalis, sed indefinita, & indefinitè profertur, vt tantùm cadat supra peccata confessa, quorum sit sufficiens dolor, vt dicemus Disputatione VIII. Difficultate VI.

Addimus, dolorem sufficientem ad effectum pœnitentiæ debere esse ita firmum & perfectum, vt excludat voluntatem & affectum peccandi, vt definitur in Tridentino sess. 15. cap. 4. in fine; ac proinde virtualiter & implicitè includentem propositum efficax non peccandi in futurum; & hoc propositum in eo dolore inclusum, absque expresso proposito, ad eum effectum sufficere, vt affirmant Bonacina disp. 5. q. 5. punct. 3. c. 3. & Laymannus tract. 6. c. 4. & supponunt Suarez disput. 20 ad finem, & Filliucius Tract. 7. cap. 6. quæst. 10. & indicat Vasquez q. 92. art. 2. dub. vnico, n. 21. & probabile censet Reginaldus lib. 5. c. 1. num. 8. & satis indicat Tridentinum sess. 14. cap. 4. dum ad effectum huius Sacramenti contentum est attritione excludente voluntatem peccandi. vnde quando in principio capitis 4. definit contritionem, prout abstrahit à perfecta & ab imperfecta (quam cap. 3. dixerat esse partem pœnitentiæ) dicens esse dolorem ac detestationem de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero, nomine *propositi* intelligit virtuale, vt Concilium ipsum se explicat in fine capitis, dum ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ contentum est attritione excludente voluntatem peccandi. Addit autem, *cum proposito non peccandi*, quamuis virtualiter contineatur in dolore & detestatione, in qua consistit contritio, quia non in quocumque dolore & detestatione includitur, sed infirmo & efficaci. Vnde, quidquid dicant Ægidius & Ochagauia, ad effectum huius Sacramenti non est necessarium, quòd propositum, præsertim virtuale, se extendat positiuè ad plura peccata, quàm dolor ipse in quo virtualiter includitur, aut ex quo oritur, quando est expressum, dum non adsit voluntas peccandi mortaliter : sed sufficit propositum vitandi peccata similia eis quorum est dolor, seu non reincidendi in ea; quia propositum debet quoad obiectum correspondere dolori, in quo includitur, aut ex quo oritur. Id autem quod dicimus, nempe ad effectum huius Sacramenti non requiri propositum expressum vitãdi peccata in futurum, intelligimus, etiam si ipsum peccare in futurum memoriæ occurrat: quamuis verum sit, quòd tunc pœnitens non poterit contineri, aut vix poterit, ab expresso proposito non peccandi in futurum. Nihilominùs quia res hæc est magni momenti, & securius est, propositum non peccandi mortaliter esse expressum, & extendi ad omnia mortalia, absolutè conandum est ad id, & persuadendum est pœnitentibus, præsertim in confessione quæ creditur futura esse vltima.

Trident. *Bonacina. Layman. Suarez. Filliucius. Vasquez. Reginald.* *Ægidius. Ochagau.*

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm ex defectu doloris Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe.

SAcramentum illud dicitur informe, quod est essentialiter perfectum & validum, sed infructuosum, & absque effectu gratiæ.

Maior ergo in 4. dist. 17. quæst. 5. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 2 Adrianus quæst. 5. de Confessione, dubio 5. Medina Cod. de Confessione, quæst. 20. de Confessione ficta non iteranda, Vasquez q. 92. ar. 2. Ægidius disp. 4. dub. 1. Ochagauia Tract. 2. q. 30. & Laymannus Tract. 6. ca 9. docent, Sacramentũ Pœnitentiæ non posse esse informe ex defectu doloris; quia dolor, qui requiritur & sufficit ad essentiam & valorẽ huius Sacramenti vt pars illius, etiam requiritur & sufficit vt dispositio ad effectum illius; ergo eo ipso quòd est essentialiter perfectum & validum, nequit ex defectu doloris esse infructuosum & absque effectu. Consequentia patet, Antecedens autem significari videtur in Tridentino sess. 14. c. 3. & 4. quia postquam c. 3. dixit, contritionem esse partem (subintelligit essentialem) Sacramenti Pœnitentiæ, posteà cap. 4. eamdem contritionem definit, quòd sit, *dolor ac detestatio de peccato cõmisso, cum proposito non peccandi de cetero:* & eam diuidit in contritionem perfectam, quam ait iustificare ante susceptionem huius Sacramenti; & in attritionem, conceptam ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu gehennæ & pœnarum, & de hac ait disponere (subintelligit, sufficienter & infallibiliter) ad gratiam Dei in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Sentit ergo, dolorem requisitum & sufficientem ad essentiam & valorem Sacramenti Pœnitentiæ vt partem illius, etiam esse requisitum & sufficientem vt dispositionem ad effectum illius; cùm dolorem, quem dixit esse partem huius Sacramenti, dicat etiam esse dispositionem ad gratiam & effectum illius.

Maior. *Gabriel.* *Adrian.* *Medina.* *Vasquez.* *Ægidius.* *Ochaga.* *Layman.* *Trident.*

S. Thomas verò in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. quæstiun. 1. Richardus art. 2. q. 8. Paludanus q. 8. Durandus q. 3. Sotus d. 18. q. 3. art. 2. Couarruuias in cap. *Alma mater* Nauarrus cap. 9. num. 13. Petrus Sorus lect. 8. de Confessione, Suarez disput. 20. sect. 5. Filliucius Tract. 7. q. 11. & plures alij docent, Sacramentum Pœnitentiæ, posse esse informe ex defectu doloris, & meritò : quia dolor, qui requiritur vt dispositio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, non requiritur ad essentiã & valorem illius; ergo Sacramentum Pœnitentiæ potest esse essentialiter perfectum & validum, & absque effectu gratiæ, ex defectu doloris ad effectum requisiti, & non ad valorem. Consequentia patet; Antecedens autem, in quo est tota difficultas, variè probatur & declaratur ab Auctoribus huius nostræ opinionis: ex omnibus tamen eorum probationibus & declarationibus illa solùm nobis placet, qua vtuntur Suarez & Filliucius, nempe, quia ad essentiam & valorem huius Sacramenti non semper requiritur dolor vt pars, ita extensus & vniuersalis ex parte obiecti, ac requiritur vt dispositio ad effectum illius; quia ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ requiritur tamquam dispositio dolor omnium mortalium non remissorum, vt diximus Difficultate præcedenti, quia in Sacramento Pœnitentiæ

S. Thomas. *Richardus.* *Paludan.* *Durand.* *Sotus.* *Couarru.* *Nauarrus.* *Pet. Sotus.* *Suarez.* *Filliucius.*

nitentiæ nullum remittitur peccatũ mortale propria voluntate commissum, absque proprio & expresso actu pœnitentiæ, tendente in illud saltẽ virtualiter, ob motiuum etiam comprehendens illud; dolor verò ad essentiam & valorem Sacraméti requisitus tamquã pars, sufficit quòd sit eorum mortalium quorũ fit confessio, & non requiritur quòd sit aliorum quorum non fit confessio, vel ob obliuionem, vel ob aliam iustam causam. Imò vt est horum quorum non fit confessio, nequit esse pars, quia dolor non est pars huius Sacramenti, nec ad eius essentiam pertinet, nisi quatenus fit sensibilis per confessionem: per hanc autem tantùm fit sensibilis respectu eorum peccatorum quorum est ipsa confessio, ac proinde dolor qui est peccatorum quorum fit confessio, & etiam aliorum quorum non fit confessio, quamuis sit dispositio vt est omnium eorum, non tamen est pars, nisi vt est dolor eorum quorum fit confessio. In eo ergo pœnitente, qui commisit plura peccata mortalia, & nõ confitetur omnia, vel quia est oblitus aliquorum, vel ob aliam iustam causam, & tantùm habet dolorem eorum quæ confitetur, sic Sacramentum erit essentialiter perfectum & validum (si aliàs non peccet mortaliter in non dolendo de omnibus, vt potest non peccare, si prudenter credat non habere alia peccata mortalia nisi ea quæ confitetur, vel si credit aut scit se habere alia, non tamen credit se teneri dolere de alijs, ne frustret Sacramẽtum suo effectu, aut ad id non aduertit inaduertentia non mortali) & erit infructuosum & absque effectu, quia pœnitenti deficit dolor requisitus vt dispositio ad effectum Sacramenti, quia non habet dolorem omnium mortalium, absque quo non infundetur à Deo gratia remissiua omnium, ne remittatur aliquod absque aliquo dolore illius.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, Antecedens illius esse falsum. Ad probationem autem illius ex Tridentino respondemus, Tridentinum aut tantùm significare, eumdem dolorem, quoad perfectionem & motiuum, qui sufficit ad essentiam Sacraméti Pœnitentiæ vt partem, etiam sufficere ad effectum illius vt dispositionem ad illum, quod est verum; non verò significare, eumdem quoad extensionem & vniuersalitatẽ ex parte obiecti ipsius doloris, qui sufficit ad essentiam, etiam sufficere ad effectum: aut si etiam hoc significat, tantùm loqui de dolore vt parte essentiali Sacramenti, & de dolore vt dispositione ad effectum per se illius, quia idem dolor etiam quoad extensionem, qui sufficit vt pars ad essentiam huius Sacramenti, etiam sufficit vt dispositio ad effectum per se, nempe ad remissionem peccatorum quorum fit confessio & absolutio, quia ad horum remissionem idem dolor, qui est pars, etiam est sufficiens dispositio; non verò ad remissionem aliorum quorum non fit confessio & absolutio, quia etiam ad horum remissionem est necessarius dolor vt dispositio, quamuis non vt pars, & quia absque his non possunt remitti alia quorum fit confessio & absolutio, ideò ad horum remissionem etiam est necessarius dolor vt dispositio, non per se, sed per accidens, vt scilicet eorum remissio non impediatur.

Addimus, Sacramentum Pœnitentiæ non tantùm posse esse informe ex defectu doloris, sed etiam ex defectu fidei, & ex defectu actus spei veniæ peccatorum, quia Sacramentum Pœnitentiæ potest recipi validè absque nouo actu fidei diuinæ Dei iustificatoris, & absque nouo actu spei veniæ, & absque eis perseuerantibus actu post aliud Sacramentum Pœnitentiæ priùs susceptum: & tamen sic receptum non confert gratiam, quia quoties nouiter recipitur, requiritur tamquam noua dispositio actus spei veniæ, ac proinde etiam actus fidei diuinæ Dei iustificatoris, & veniam concedentis, necessarius ad eum actũ spei veniæ; quamuis non sit necessarium, quòd hi actus sint actu quando Sacramentum recipitur, sed sufficiat quòd præcesserint, & non sint reuocati. Quòd autem Sacramentum Pœnitentiæ possit validè recipi absque eis actibus nouiter eliciti, & absque eis actu perseuerantibus post aliud Sacramentum Pœnitentiæ priùs susceptum, constat; quia ex vna parte dicti actus non sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, nec sunt intentio recipiendi illud vt Sacramentum; & ex altera potest recipi absque illis, non peccando mortaliter in eorum omissione, si recipiatur absque illis ex ignorantia, aut cum ignorantia inuincibili, vel ex inconsideratione, aut cum inconsideratione naturali necessitatis eorum ad effectum Sacramenti. Sed an Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe ex defectu integritatis confessionis, dicemus Disputat. IX. Difficul. XII.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ informe operetur postea suum effectum, recedente fictione.

SAnctus Thomas in 4 d. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 1. Durandus quæst. 13. Canus Relect. de Pœnit. p. 5. & Suarez disp. 20. sect. 5. partem affirmatiuam tuentur, quia Sacramentum Baptismi id habet, quia est medium necessarium ad iustificationem ab originali, & ab actualibus mortalibus ante Baptismum commissis; ergo id etiam est concedendum Sacramento Pœnitentiæ, quia est medium necessarium ad iustificationem à mortalibus post Baptismum commissis; aliàs peccata mortalia in Sacramento pœnitentiæ informi confessa non necessariò remitterentur per Sacramentum Pœnitẽtię, nec in re susceptum, vt patet. Quia non per ipsum informe, vt patet; nec per aliud sequens, quia iam non est obligatio illa iterùm confitendi; nec per Sacramentum Pœnitentiæ in voto, quia contritio perfecta, per quam postea per se remitterentur, aut attritio, per quam simul cum Sacramento sequenti etiam per accidens remitterentur, non includunt votum iterùm confitendi illa, quia non est obligatio iterùm illa confitendi, vtpote iam subiecta confessioni validæ & legitimæ. *S. Thom. Durandus. Canus. Suarez.*

Sotus verò in 4. d. 18. q. 3. art. 3. Medina Cod. de Confessione q. 20. de Confessione ficta iteranda, & Vasquez q. 92. art. 3. dub. 4. partem negatiuam tradunt (quam etiam supponit S. Thomas 3. parte, quæst. 69. art. 10. dum id tantùm tribuit Baptismo, quo retracta esse videtur quod in 4. dixerat) & meritò: quia si Sacramentum Pœnitentiæ informe haberet virtutem conferendi gratiam recedente fictione, eam tantùm haberet ex institutione Christi. Nullo autẽ firmo fundamento constat, Christum eam virtutem tribuisse Sacramento Pœnitẽtiæ informi, quia id non constat *Sotus. Medina. Vasquez. S. Thom.*

Scriptura,

Scriptura, nec traditione, vt patet, nec testimonio Patrum, quia ex Patribus solus Augustinus lib. 10. de Baptismo parvulorum contra Donatistas c. 12. & lib. 3. cap. 13. id tantùm tribuit Baptismo, & satis obiter, & non docendo, sed solùm arguendo contra Donatistas; & non ob aliam rationem; si aliqua est, nisi quia ex vna parte Baptismus est medium necessarium ad iustificationem ab originali, & ab alijs mortalibus ante Baptismum commissis, & ex altera parte iterari non potest: Sacramentum verò Pœnitentiæ, quamuis sit medium necessarium ad iustificationem à mortalibus post Baptismum commissis, tamen potest iterari; est ergo inter vtrumque Sacramentum discrimen sufficiens, vt quamuis id tribuatur Baptismo, non debeat tribui Sacramento Pœnitentiæ. *August.*

Nihilominùs etiamsi Sacramentum Pœnitentiæ informe, recedente fictione, non operetur suum effectum, dicitur medium necessarium ad iustificationem à mortalibus in Sacramento informi confessis, non quia per ipsum informe in re susceptum, aut in voto, remittantur, quia tunc tantùm remittuntur per se per contritionem perfectam, aut per accidens per attritionem simul cum Sacramento Pœnitentiæ sequente, non continentes votum confessionis illorum, quia non est obligatio illa iterùm confitendi, cùm iam sint legitimè confessa, sed quia non possent remitti, nisi re ipsa fuissent legitimè confessa, & subiecta clauibus Ecclesiæ, aut nisi medio voto illa confitendi & subijciendi.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ necessarius debeat præsupponi ad confessionem.

Ægidius. Ochagan. AEgidius disp. 4. dub. 6. & Ochagauia Tract. 1. quæst. 18. docent, dolorem ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitum debere antecedere confessionem, non solùm prioritate naturæ, sed etiam temporis, aliàs Sacramentum futurum esse nullum. Et in primis quòd debeat antecedere prioritate naturæ, probatur, quia explicatio peccatorum, vt sit pars essentialis huius Sacramenti, debet esse confessio & accusatio, cùm hoc Sacramentum institutum sit instar iudicij, & dolor esse debet sensibilis, cùm sit pars Sacramenti sensibilis: sed si explicatio peccatorum non procedat ex dolore tamquam ex causa, non habebit rationem confessionis & accusationis, sed puræ narrationis, & dolor ipse non erit sensibilis, quia tantùm fit sensibilis per confessionem, & per hanc nequit fieri talis, nisi tamquam per effectum ipsius doloris, quia confessio non potest prodere & significare seu indicare dolorem nisi tamquam effectus ipsius doloris (eo modo quo fumus prodit & significat ignem) quia non potest tamquam purum signum significare dolorem, quia tamquam purũ signum tantùm significat peccata, & non nisi ex institutione hominum. Deinde quòd dolor etiam tempore debeat antecedere confessionem, deducitur ex eo, quòd dolor debeat esse causa confessionis, & eam antecedere prioritate naturę & causalitatis, quia dolor fit in instanti, & confessio in tempore; ac proinde dolor ad minus debet esse in instanti immediato ante tempus in quo fit confessio.

Canus verò de Pœnitentia p. 5. Suarez disp. 20. n. 31. Vasquez quæst 84. art. 1. dub. 3. n. 21. Filliucius tract. 7. c. 6. q. 9. docent, & optimè, non esse necessarium, quòd dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitus, præsupponatur ad confessionem, sed sufficere quòd antecedat absolutionem, etiam si tempore aliquo post confessionem eliciatur. Quod fideles communiter sentiunt, dum contenti sunt se habere dolorem ante absolutionem, & non rarò post confessionem se ipsos ad dolorem excitant, vt eum tunc eliciant, vt si fortè eum ante confessionem, aut in ipsa non habuerunt, non absoluantur absque dolore. Et sæpè pœnitentes, de quibus timetur absque dolore confiteri, excitantur à Confessarijs post confessionem ad dolorem. *Canus. Suarez. Vasquez. Filliucius.*

Quod etiam ratione constat, quia absque firmo fundamento, & absque necessitate exigitur antecedentia doloris ad confessionem, imò & actualis coëxistentia cum confessione: quia quod ab aduersarijs adducitur, efficax non est; quia vt explicatio peccatorũ sit vera cõfessio & accusatio, & vt dolor fiat sensibilis, non est necessarium quòd explicatio peccatorum; quoad substantiam prouenìat à dolore, sed sufficit quòd ab eo prouenìat, quoad rationem confessionis & accusationis, quod habere potest à dolore quamuis sequente, & posteà elicito, quia explicatio peccatorum per dolorem posteà sequentem informata, & ipsi moraliter coniuncta, acquirit seu induit rationem confessionis & accusationis, quia ratione doloris sequentis explicatio peccatorum iam facta habet quòd humiliter subijciatur absolutioni, ex quo acquirit & induit denominationem confessionis & accusationis, & fit apta & proportionata absolutioni, & consequenter dolor ipse per confessionem tamquam per suum effectum in ratione confessionis & accusationis fit sensibilis, & significatur & proditur sicut ignis per fumum.

Quanta autem coniunctio & simultas sit necessaria inter dolorem & confessionem, & inter has duas partes ex vna parte, & inter absolutionem ex altera, disputamus in Tractatu de Sacramentis in genere, Disputat. 1. Difficul. 11.

DISPV-

DISPVTATIO VII.

De præcepto confessionis Sacramentalis.

An hac Disputatione incipimus agere de confessione Sacramentali, quæ est vna ex tribus partibus essentialibus Sacramenti Pœnitentiæ, de quo Disp. IV. diximus, esse necessarium necessitate medij ad salutem: & nunc in hac agendum est de necessitate præcepti confessionis Sacramentalis, & eo ipso ipsius Sacramenti Pœnitentiæ, quia de ipsa confessione seorsim ab alijs partibus non est præceptum, sed de ipsa vt coniuncta dolori, & vt subiecta absolutioni.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm confessio Sacramentalis peccatorum mortalium sit Iure diuino præcepta.

CONfessio Sacramentalis dicitur confessio peccatorum coniuncta dolori, & subiecta absolutioni; id est facta ad obtinendam absolutionem: & dicitur Sacramentalis, quia instituta est in partem Sacramenti.

Circa hanc rem (omissis hæreticis, qui eo ipso quòd negant confessionem fuisse à Christo institutam in partem Sacramenti, consequenter negant fuisse ab illo præceptam) inter Doctores, qui admittunt confessionem fuisse à Christo in partem Sacramenti institutam, Glossator in principio de Pœnitentia dist. 5. Panormitanus in cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentijs & remissionibus, & Petrus Oxomensis, Doctor Salmanticensis (vt refert Castro v. *Confessio*) docent, confessionem adhuc mortalium non fuisse à Christo præceptam, sed tantùm ab Ecclesia: imò Petrus Oxomensis addebat, hoc præcepto Ecclesiastico non teneri eum, qui contritione perfecta iustificatus est: & consequenter dicebat, mortalia remitti per contritionem sine ordine ad claues, id est non manente obligatione confitendi illa.

Glossator. Panorm. *Pet. Oxom.*

Vera tamen & Catholica doctrina est, confessionem non solùm fuisse à Christo institutam, sed etiam confessionem mortalium fuisse ab ipso præceptam. Ita definitum est, & oppositum damnatum in Concilio Constantiensi sess. 8. & in Bulla Martini V. quam adducit Castro v. *Confessio*, & in Concilio Complutensi, habito sub Alfonso Carrillo Archiepiscopo Toletano, ex mandato Sixti IV. contra Petrum Oxomensem, in quo non solùm damnatur, quòd contritio iustificet à mortalibus sine ordine ad claues, sed etiam quòd eorum confessio non sit Iuris diuini, & in Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 6. & 7.

Concilium Constant. Mart. V. *Concilium Complut.* *Trident.*

Ex quo constat, non solùm institutionem confessionis Sacramentalis, vtpote factam à Christo, sed etiam obligationem confessionis mortalium sub præcepto, vtpote ab eodem impositam, antiquiorem esse Innocentio III. ac proinde non fuisse primò ab ipso inuentam, & sub præcepto positam, vt falsò affirmant hæretici. Et sanè mirum est, hæreticos id ita clarè affirmare, cùm sint plures Patres Innocentio III. antiquiores, qui necessitatis & obligationis confessionis Sacramentalis mentionem faciunt (imò ex eis nonnulli significant esse necessariam ex Iure diuino) quos referunt Vasquez quæst. 90. art. 1. dub. 1. Bellarminus lib. 3. de Pœnitentia cap. 6. & Ægidius disp. 5. dub. 1.

Vasquez. Bellarmin. Ægidius.

Ita tamen confessio mortalium, vt fit in Ecclesia, est Iure seu præcepto diuino necessaria, vt non sit necessaria Iure diuino naturali, id est Iure orto ex natura confessionis, vt institutæ à Christo in Sacramentum, quia si hoc Iure esset necessaria, maximè quia esset medium vnicum ad iustificationem; at non est medium vnicum ad id, quia peccator etiam potest iustificari per contritionem, sed tantùm est necessaria Iure diuino positiuo lato à Deo, non Iure diuino veteri, quasi Christus non præceperit de nouo confessionem, sed approbauerit legem aliquam veterem confessionis, & nonnulla circa illam suppleuerit (vt falsò existimat Waldensis tom. 2. cap. 40.) quia quamuis in veteri Testamento fuerit lex offerendi sacrificium pro peccato, quo denotabatur, eum, pro quo offerebatur, esse peccatorem; & quamuis etiam fuerit lex confitendi aliqua peccata, quibus annexæ erant aliquæ irregularitates ad eas auferendas, confessio tamen omnium mortalium minutim, etiam purè interiorum, & in ordine ad remissionem eorum etiam quoad culpas, vt fit in Ecclesia, nullatenus fuit in veteri Testamento instituta, nec præcepta. Confessio ergo Sacramentalis, vt fit in Ecclesia, fuit à Christo in Sacramentum instituta, & confessio mortalium fuit ab eodem positiuè præcepta: & id traditione à Christo per Apostolos in nos deriuata constat.

Waldens.

Quod etiam deducitur ex illis verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* vt significat Tridētinum sess. 14. cap. 5. dum ait, vniuersam Ecclesiam, confessionem esse necessariam Iure diuino, colligere ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ, quam cap. 1. affirmauerat factam fuisse relatis verbis Ioannis.

Trident.

Deducitur autem ex dictis verbis, quia eis Christus Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, contulit tamquam iudicibus potestatem absoluendi à mortalibus, & ea ita detinendi seu non absoluendi, vt eo ipso etiam in cælis detineantur, seu non remittantur, vt Ecclesia semper intellexit, & verba ipsa id præseferunt. Ex hoc ergo ita deducitur, quia cùm Sacerdos non semper possit ita detinere mortalia, vt si re ipsa detineat, seu non absoluat, etiam re ipsa non remittantur à Deo, quia perfectè contrito semper re ipsa remittuntur à Deo, quamuis Sacerdos non absoluat re ipsa, non potest Sacerdos ita detinere, & non absoluere à mortalibus, vt non remittantur à Deo, nisi ea detinendo in re, vel in voto, quia non remittuntur à Deo absque absolutione Sacerdotis re ipsa recepta, vel absque voto receptionis illius in contritione incluso, quia si receptio absolutionis in re, vel in voto sub disiunctione non est peccatori

catoti necessaria ad remissionem mortalium, non potest Sacerdos ita detinere mortalia, vt eo ipso etiam apud Deum detineantur: necessitas autem receptionis absolutionis in re, vel in voto sub disiunctione, nequit esse, nisi sit præceptum, & obligatio recipiendi illam, quia necessitas huius voti non oritur nisi ex præcepto, vt diximus Disputat. IV. Diffic. V. necessitas autem receptionis absolutionis à peccatis faciendæ à Sacerdote vt à iudice, supponit necessitatem confessionis illorum faciendæ à peccatore, quia absolutio iudicis à delictis, & detentio, seu negatio absolutionis ab eis, nequeunt fieri, nisi cognitis delictis; ergo eo ipso, quòd Christus Ioan. 20. supradictis verbis contulit Sacerdotibus potestatem absoluendi à peccatis tamquam iudicibus, & ea ita detinendi, vt eo ipso etiam detineantur in cælis, posuit sub præcepto receptionem absolutionis à peccatis, & eorum confessionem.

Ita tamen Christus illis prioribus verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, contulit Sacerdotibus potestatem absoluendi à peccatis etiam venialibus, vt illis posterioribus, *Quorum retinueritis, retenta sunt*, non contulerit potestatem detinendi venialia modo supradicto, vt traditione constat. Et mirum non est, quòd Christus id fecerit, cùm peccata venialia facillimè committantur; vnde in prioribus verbis, in quibus absolutio continetur, nomine peccatorum etiam comprehendit venialia, cùm absolutio sit fauorabilis; non verò in posterioribus verbis, in quibus negatio absolutionis continetur, cùm odiosa sit. Potestas autem detinendi peccata mortalia modo supradicto explicata, distincta est à potestate omnino positiuè ligandi Sacerdotibus promissa Matth. 16. & 18. & concessa Ioan. 20. & 21. quia hæc consistit in eo, quòd possint obligare pœnitentes ad satisfactionem Sacramentalem, vt indicat Trident. sess. 14. c. 8. in fine, & etiam in eo quòd possint in foro exteriori censuris ligare. *Trident.*

Sed obijciunt hæretici Primò, quòd Nectarius Episcopus Constantinopolitanus in sua Ecclesia confessionem abrogauerit, quod non fecisset, si Iure diuino fuisset præcepta. Respondemus, vt optimè Vasquez dub. 3. & Ægidius, Nectarium non abrogasse confessionem Sacramentalem, sed confessionem quamdam publicam, & coram testibus quorumdam peccatorum publicorum, de quibus agenda erat publica pœnitentia, quæ fiebat cuidam Presbytero ad id constituto, cuius consilio pœnitentia illa erat agenda: eam autem abrogauit Nectarius occasione concubitus habiti in Ecclesia cuiusdam Diaconi cum matrona quadam publicam pœnitentiam agente, ob cuius impletionem per aliquot dies fuit commorata in Ecclesia. *Vasquez. Ægidius.*

Obijciunt Secundò Chrysostomum Homilia 2. in Psalm. 50. & Homilia de Lazaro, vbi ait, peccata confitenda esse Deo, non hominibus. Respondemus, vt optimè Vasquez, Chrysostomum in eis locis non negasse confessionem Sacramentalem, quia hanc admittit Homilia 33. in Ioannem, & lib. 2. de Sacerdotio, sed in illis & in aliis locis tantùm intendere exhortari fideles ad examen quotidianum conscientiæ, & ad confessionem quotidianam peccatorum coram Deo, seu ad contritionem eorum, vt ab eis statim liberentur; & vt ad hanc faciliùs moueat, eam ostendit suauem & facilem, dicendo sòli Deo esse faciendam, & ab ea remouet difficultatem, quæ in confessione Sacramentali Sacerdoti facta solet inueniri, nempe verecundiæ & confusionis, & exprobrationis, qua pœnitens aliquando à Confessario exprobratur. *Vasquez.*

DIFFICVLTAS II.

Pro quo tempore obliget præceptum diuinum confessionis mortalium.

SVpponimus, præceptum, seu Ius diuinum confessionis (quod tantùm est confessionis mortalium) semper obligare quasi in actu primo, aut, quod idem est, semper habere vim obligandi pro suo tempore (quod generale est omnibus præceptis etiam affirmatiuis) & non semper obligare quasi in actu secundo, aut, quod idem est, non obligare pro semper.

Hoc ergo supposito, difficultas est, Pro quo tempore præceptum diuinum confessionis obliget, seu quando obliget quasi in actu secundo.

Circa quam conueniunt Primò communiter Doctores contra Guillielmum Parisiensem, dictum præceptum non obligare pro statim ac commissum est mortale (quia aliàs peccator non iustificetur media contritione) quia tantæ obligationis nullum est idoneum fundamentum: & non solùm non obligare sæculares, sed nec Religiosos, quidquid de Religiosis dicat Bonauentura; quia isti ratione sui status tantùm obligantur peculiariter suis votis, & peculiaribus præceptis suę Religionis.

Conueniunt Secundò, dictum præceptum obligare pro articulo physico mortis, & pro tempore periculi mortis, quod moraliter est articulus mortis, quia articulus mortis, siue physicus siue moralis, vtpote articulus extremæ necessitatis, est accommodatissimus, vt pro eo fuerit latum; aliàs si pro eo non obligaret, nullus teneretur hoc præcepto, vt etiam constabit ex dicendis.

Est tamen difficultas, An dictum præceptum obliget quasi in actu secundo etiam extra articulum mortis, tam physicum quàm moralem.

Scotus in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. & Gabriel quæst. 1. art. 3. docent non obligare nisi in articulo mortis, quia maioris obligationis nullum est idoneum fundamentum. *Scotus.*

Vasquez verò quæst. 90. art. 1. dub. 4. Suarez disp. 35. sect. 3. Ægidius disp. 5. dub. 2. & communiter Doctores, docent, & optimè, præceptum diuinum confessionis etiam obligare extra articulum mortis. Quod efficaciter deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. dum ait: *Nec enim per Concilium Lateranense Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod Iure diuino institutum & necessarium esse intellexerat, sed vt præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* Vbi Tridentinum supponit, statutum, seu præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis esse modificationem præcepti diuini; sed nequit esse modificatio illius præcisè quoad articulum mortis, ob tria, Primò, quia præceptum diuinum quoad hoc tempus est determinatum à Deo. Secundò, quia præceptum Ecclesiasticum est annuæ confessionis, quod nequit esse modificatio quoad articulum mortis. Tertiò, quia aliàs, qui in anno semel confessus esset, non teneretur intra eumdem annum iterùm confiteri in articulo mortis, ergo *Vasquez. Suarez. Ægidius. Trident.*

præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis est modificatio diuini quoad tempus extra articulum mortis.

Ita tamen Christus præcepit confessionem fieri etiam extra articulum mortis, vt nullum determinauerit tempus pro obligatione illius, vt deducitur ex dictis verbis Tridentini, quia in eis supponitur, præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis, esse determinationem præcepti Christi quoad extra articulum mortis; ac proinde præceptum diuinum confessionis non est determinatum quoad extra hunc articulum, quamuis fuerit determinatum quoad ipsum articulum.

Ex dictis deducitur, præceptum confessionis ita latum fuisse à Christo pro extra articulum mortis, vt, prout ab ipso latum pro eo tempore, non obliget semel confiteri à tempore vsus rationis, vsque ad articulum mortis exclusiuè; aliàs Christus determinasset tempus extra articulum mortis, nempe tempus ab vsu rationis vsque ad dictum articulum exclusiuè. Christus ergo ita tulit præceptum confessionis pro tempore extra articulum mortis, vt nullum determinauerit tempus, sed huius determinationem commisit & reliquit arbitrio Ecclesiæ; ac proinde si Ecclesia nullum tempus determinasset, nemo extra articulum mortis præcepto diuino confessionis teneretur, quia absque determinatione facta ab Ecclesia maneret vagum, & quasi suspensum, expectans temporis determinationem, vt esset perfectum; & sufficienter potens ad obligandum, quia nullius particularis personæ iudicio determinari posset, quia nullius particularis iudicio id commisit Christus, sed tantùm iudicio Ecclesiæ, nempe Pontificis, aut Concilij ab ipso approbati.

Medina. Id ergo quod Medina Cod. de Confessione quæst. 14. §. 2. docet, nempe præceptum diuinum confessionis extra articulum mortis obligare, quoties est periculum obliuionis alicuius peccati mortalis, vt possit fieri integra confessio mortalium, dicitur absque idoneo fundamento, quia non est obligatio confitendi omnia mortalia quæ re ipsa commissa sunt, sed tantùm ea quæ post prudentem diligentiam memoriæ occurrunt, & oppositum est nimis durum; imò est contra rationem, quia sæpè pro spatio anni integri est periculum obliuionis alicuius mortalis, ac proinde esset obligatio confitendi ante annum, quod immeritò admittit Medina contra praxim, & communem sensum fidelium.

Christus ergo præcepit fieri confessionem, non solùm determinatè in articulo mortis, sed etiam extra articulum mortis indeterminatè, non determinando quando, nec quoties, sed id reliquit determinationi Ecclesiæ, quæ dictum præceptum Christi quoad hanc partem, qua præcipitur fieri confessionem extra articulum mortis, determinauit fieri ad minus semel in anno; ita tamen, vt contenta sit, quod attinet ad determinationem ab ipsa factam, confessione facta in articulo mortis pro eo anno, in quo contingit articulus mortis: & quia præceptum diuinum, latum pro tempore extra articulum mortis, non extinguitur transacto eo tempore quod est ante articulum mortis, sed etiam perseuerat in articulo mortis, imò & post articulum mortis, si fortè mors non sequatur; quia latum fuit à Christo, ne contingat nimiùm differri confessionem, ideò præceptum Ecclesiæ annuæ confessionis, quod est determinatiuum quoad tempus dicti præcepti Christi, lati pro tempore extra articulum mortis, etiam obligat pro articulo mortis, si articulus mortis etiam sit finis anni, & anteà in eo anno non sit facta confessio, ac proinde qui tunc in eo articulo mortis, & in eo fine anni non confitetur, incurrit pœnas latas ab Ecclesia pro transgredientibus præceptum annuæ confessionis. Vnde particula *extra*, quando dicimus præcepti Christi lati pro tempore extra articulum mortis, non est exclusiua articuli mortis, sed additiua supra articulum mortis temporis indeterminati, determinandi ab Ecclesia, siue in eo etiam per accidens contingat articulus mortis, siue non, ita vt sensus sit: Baptizati teneantur confiteri in articulo mortis, & etiam in quocumque tempore quod fuerit ab Ecclesia præscriptum.

DIFFICVLTAS III.

Qui teneantur præcepto diuino confessionis.

SVpponimus, præcepto diuino confessionis teneri omnes baptizatos, etiam impuberes, & Romanum Pontificem, habentes peccatum mortale commissum post Baptismum, in quo Doctores conueniunt, etiam Sotus, in 4. d. 18. q. 1. art. 3. ad finem, etiamsi d. 12. q. 1. art. 11. ad finem oppositum significet quoad pueros ante duodecimum annum. *Soto.*

Est tamen difficultas, An eo præcepto teneantur non baptizati, ac proinde teneantur baptizari, non tantùm ex vi præcepti Baptismi, sed etiam ex vi præcepti diuini confessionis, vt possint validè & licitè confiteri Sacramentaliter.

Richardus in 4. d. 17. art. 2. q. 4. Siluester v. *Confessio* 2. q. 5. & Angelus eod. verbo n. 2. partem affirmatiuam tuentur, quia Christus, vtpote homo-Deus, potestatem habuit obligandi etiam non baptizatos, & non constat eos exclusisse à suo præcepto; ergo eo tenentur etiam non baptizati. *Richardus. Siluest. Angelus.*

Maior verò d. 17. q. 1. Almainus q. 1. art. 2. Suarez disp. 35. sect. 2. & Vasquez q. 90. art. 2. dub. 1. docent, & meritò, non baptizatos non teneri præcepto diuino confessionis, quod supponitur in Tridentino sess. 14. c. 2. & 5. dum dicitur confessionem esse necessariam lapsis in mortale post Baptismum. Et ratione probatur, quia præceptum diuinum confessionis nõ obligat absolutè, sed tantùm ex suppositione, quòd quis habeat peccatum mortale post Baptismum commissum, quia sola peccata mortalia post Baptismũ commissa, ex institutione Christi, facta sunt materia confessionis, in quo hoc præceptum differt à præcepto diuino communionis, quia istud absolutè fertur pro omnibus, Ioan. 6. illis verbis: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. & non tantùm ex suppositione Baptismi, quia Christus prædictis verbis loquebatur omnibus, etiam non baptizatis. Vnde non baptizati non tantùm ex vi præcepti Baptismi, sed etiam ex vi præcepti communionis baptizari tenentur, quamuis ex vi huius posterioris solùm, vt fiant habiles ad validam & licitam communionem. *Maior. Almain. Suarez. Vasquez. Trident.*

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quãuis Christus potuerit suis præceptis non baptizatos obligare, noluit tamen eos suo præcepto confessionis, eo ipso quòd sola peccata post Baptismum commissa fecit materiam aptã confessioni.

DIFFI-

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm confessio semel instituta à Christo posset ab Ecclesia præcipi, si relicta fuisset arbitrio fidelium, & non præcepta à Christo modo supradicto.

Durand. Paludan. Sotus. Canus. Nauarrus.

DVrandus in 4. dist. 17. quæst. 8. Paludanus quæst. 2. art. 2. Sotus dist. 18. quæst. 1. art. 1. Canus Relect. de Pœnitentia p. 5. & Nauarrus de Pœnitentia dist. 5. num. 18. partem negatiuam tuentur, quia Ecclesia non habet potestatem instituendi Sacramenta; ergo nequit instituere, confessionem Sacramentalem esse necessariam sub præcepto.

Medina. Vasquez. Suarez. Filliucius. Trident.

Medina verò Cod. de Confessione quæst. 2. de Obligatione confitendi, Vasquez quæst. 90. art. 1. dub. 4. Suarez disp. 35. sect. 1. & Filliucius tract. 7. cap. 2. quæst. 2. partem affirmatiuam meritò tradunt, quam indicat Tridentinum sess. 21. cap. 1: dum ait, Ecclesiam circa Sacramentorum vsum posse statuere ea quæ saluti fidelium congruunt. Et ratione probatur, quia supposita institutione confessionis in Sacramentum, confessio est maximè conueniens Reipublicæ Christianæ, & suo fructu, & sua maxima vtilitate fit aliquo modo suauis & tolerabilis; ergo potuit ab Ecclesia præcipi: quia si non potuisset, maximè ob nimiam asperitatem & difficultatem, quæ esset in confessione.

Obseruandum est, quòd quamuis Ecclesia potestate generali purè humana superioris purè humani, non possit peccatori directè præcipere confessionem peccatorum omnino interiorum, de facto tamen pœnitens tenetur omnia peccata mortalia etiam purè interna confiteri, & eorum dolorem habere, & non solùm ex vi præcepti diuini obligantis ad integram confessionem mortalium, & ad dolorem eorum, sed etiam ex vi præcepti Ecclesiastici annuæ confessionis, non solùm vt est diuinum quoad substantiam tantùm, & non quoad determinationem temporis, sed etiam vt est Ecclesiasticum (quod est confessionis quoad substantiam non nudè sumptam, sed quoad eam & quoad determinationem temporis simul) quia factum est non potestate generali humana condendi leges, sed ex speciali commissione Christi, qui Ecclesiæ commisit potestatem præcipiendi confessionem, determinando tempus ab ipso non determinatum extra articulum mortis. Nihilominùs Ecclesia non potest punire transgressionem confessionis peccatorum omnino interiorum, nec nullitatem confessionis mortalium prouenientem ex defectu confessionis mortalium omnino interiorum, nec prouenientem ex defectu doloris, quia supradicta commissio non fuit ad puniendum.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, Ecclesiam non posse instituere Sacramenta; negamus tamen, non posse eorum semel institutorum vsum præcipere, quia instituere est distinctum & altius, quàm præcipere vsum eius quod iam institutum supponitur.

DIFFICVLTAS V.

Quomodo confessio Sacramentalis sit sub præcepto Ecclesiastico.

SVpponimus (in quo Doctores etiam Durando conueniunt) Ecclesiam in Concilio Lateranensi II. approbato ab Innocentio III. c. 21. confessionem Sacramentalem his verbis præcipere: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.* Quod etiam habetur in tit. de Pœnitentiis, & remissionibus, capitulo 12. *Concilium Lateran.*

Hoc ergo supposito, Adrianus in 4. q. 1. de confessione docet, dictum præceptum annuæ confessionis esse purè humanum quoad substantiam & quoad tempus, & non modificatiuum diuini, quia existimat diuinum tantùm obligare pro articulo mortis, tam physico quàm morali.

Sotus. Vasquez.

Sotus verò in 4. dist. 18. q. 1. art. 4. Vasquez q. 90. art. 1. dub. 4. & communiter Doctores docent, & optimè, præceptum annuæ confessionis non esse purè humanum, sed includere aut supponere præceptum diuinum confessionis quoad substantiam, quo præcipitur confessio vagè quoad tempus extra articulum mortis, & superaddere modificationem quoad tempus, quam Christus prætermisit. Quod clarè significat Tridentinum sess. 14. c. 5. dum ait: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod Iure diuino necessarium & institutum esse intellexerat, sed vt præceptum confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* *Trident.*

Quod etiam ratione, desumpta ex dictis Diff. 11. probatur, quia præceptum diuinum confessionis traditur non tantùm pro articulo mortis, sed etiam pro tempore extra eum articulum vago & indeterminato; ergo præceptum Ecclesiasticum confessionis, traditum ab Ecclesia in dicto Concilio Lateranensi, non est omnino & purè humanum, sed determinatiuum diuini, lati à Christo pro tempore extra articulum mortis vago & indeterminato.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Pontifex dispensare possit in præcepto confessionis.

DIspensatio legis in eo differt ab abrogatione, quòd dispensatio legis est ablatio seu relaxatio legis cum aliquo particulari, lege ipsa in sua vi circa reliquos perseuerante; abrogatio verò legis, est ablatio seu relaxatio illius in totum, ita vt, facta abrogatione legis, nullus ea lege ampliùs teneatur.

Conueniunt ergo Primò Doctores, Pontificem non posse dispensare in præcepto diuino confessionis, & multò minùs illud abrogare; quia præcepta & iura superiorum nequeunt ab inferioribus auferri, nec in totum (vt fit abrogatione) nec in partem (vt fit dispensatione) absque peculiari commissione, quam non agnoscimus in Pontifice ad auferendum præceptum diuinum confessionis: dispensat autem Pontifex in voto, quod obligat

Iure naturali, virtutis religionis, seu fidelitatis sacræ, non auferendo directè obligationem dictæ virtutis, sed indirectè, cedendo nomine Dei, & tamquam eius Vicarius, verbo promissionis Deo collato, & quasi iuri, quod Deus acquisiuit ex dicto verbo acceptato.

Conueniunt Secundò Doctores, Pontificem posse in præcepto annuæ confessionis dispensare, imò & illud abrogare, ita vt non maneat obligatio confitendi determinatè in quolibet anno, quia præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis, est purè Ecclesiasticum quoad temporis determinationem ad singulos annos, quod potest Pontifex in partem seu cum aliquo, aut in totum seu cum omnibus, auferre, & non solum validè, vt patet, sed etiam licitè, si causa rationabilis subsistat, quæ non difficilè reperietur respectu alicuius particularis personæ.

Ita tamen Pontifex annuam obligationem confessionis potest in partem & in totum auferre, vt semper sit valdè expediens tempus aliquod pro præcepto diuino confessionis lato pro tempore extra articulum mortis determinare, attentis circumstantiis temporum & personarum: imò id potuit esse Pontifici sub obligatione, si confessio fuisset parum in vsu, & ob id mores essent valdè perditi.

Obseruandum est, Pontificem, qui etiam tenetur præcepto annuæ confessionis, etiam vt Ecclesiastico, vt dicemus Diffic. 1x. posse causa rationabili subsistente secum licitè, & etiam absque causa, validè in eo dispensare non minùs quàm cum aliis, non verò in diuino, sicut nec cum aliis.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm ex vi præcepti annuæ confessionis teneamur confiteri venialia, quando non sunt mortalia.

CONueniunt Doctores, ex vi præcepti purè diuini, nullum teneri confiteri venialia, quamuis non habeat mortalia: & eum qui habet mortalia, non teneri ex vi præcepti annuæ confessionis confiteri venialia; quia huic, vt confiteatur Sacramentaliter, quo satisfacit præcepto annuæ confessionis, non est necessaria confessio venialium; & ob eamdem rationem, eum qui tantùm habet venialia, non teneri ex vi præcepti annuæ confessionis omnia illa confiteri, quia scilicet huic, vt confiteatur Sacramentaliter, non est necessaria confessio omnium venialium, quia sufficit aliquorum, aut alicuius.

Est ergo difficultas, An ille, qui tantùm habet venialia, teneatur ex præcepto annuæ confessionis aliqua venialia confiteri.

Alexand. Bonauent. Richard. Alexander 4.p.q.18.memb.4.art.2. Bonauentura in 4.d.17. parte 2.art.2.quæst.1. & Richardus art.2.quæst.4. partem affirmatiuam tuentur, quia ex vna parte Ecclesia potest præcipere confessionem venialium, vtpote exteriorem & honestam, & ad quam quis potest se ex voto obligare; & ex altera parte in c. *Omnis vtriusque sexus* 12. de Pœnitentiis & remissionibus, præcipitur semel in anno confessio Sacramentalis; ergo quando sunt peccata venialia, quamuis non sint mortalia, debet ex vi dicti præcepti fieri confessio, quia tunc est materia sufficiens, vt possit fieri confessio, & dicto præcepto satisfieri.

S. Thom. Scotus. Suarez. Vasquez. S. Thomas verò in 4.d.17. quæst.3. art.1. quæstiunc.3. Scotus q.1. Suarez disp.36. sect.2. Vasquez q.90.art.2. dub.2. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Ecclesia præcepto annuæ confessionis tantùm præcipit semel in anno fieri id, quod Christus præcepit fieri extra articulum mortis, non determinando tempus, vt diximus Diffic. v. Christus autem nullo modo præcepit confessionem venialium, sed tantùm mortalium; ergo ex vi dicti præcepti nullus tenetur ad confessionem venialium, adhuc quando non habet mortalia.

Nullus ergo fidelis, carens peccato mortali, tenetur ad confitendum ex vi præcepti confessionis, nec puri diuini, nec Ecclesiastici annuæ confessionis: imò nec ad comparendum coram suo Parocho, nisi fortè aliquando per accidens ad sedandum scandalum, quando fortè ortum sit ex eo quòd quis non confiteatur.

Ad rationem ergo pro aduersariis concedimus, Ecclesiam posse præcipere confessionē venialium, vt dicemus Diffic. sequenti; negamus tamen de facto fuisse præceptā præcepto annuæ confessionis.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm ex vi alicuius præcepti Ecclesiastici sit aliquando obligatio confitendi venialia, quando tantùm sunt venialia.

DIfficultas hæc occasionata est ex Clementina, *Ne in agro Dominico*, de Statu Monachorum; vbi præcipitur Monachis nigris, id est Benedictinis, vt singulis mensibus confiteantur: quia ergo regulariter contingit eos non habere nisi venialia, orta est difficultas, an Ecclesia præcipere possit confessionem venialium, & an dicti Monachi, quando tantùm habent venialia, teneantur ex vi dictæ Clementinæ ad eorum (quamuis non omnium) confessionem.

Paludan. Soto. Glossa. Paludanus in 4.d.17.q.2.art.4. Sotus d.18.q.1. art.3. & Glossa dictæ Clementinæ, partem negatiuam tuentur, quia Ecclesia immutare nequit materias & formas Sacramentorum, & eas aliter, quàm à Christo institutæ sunt, constituere: Christus autem reliquit peccata venialia materiam liberam confessionis; ergo Ecclesia nequit illa efficere materiam necessariam, & sub obligatione.

Canus. Nauarrus. Suarez. Vasquez. Laymann. Canus verò Relect. de Pœnitentia p.5. Nauarrus in cap. *Placuit*, de Pœnitentia d.6. num.22. Suarez disp.36. sect.5. Vasquez quæst.90. art.2. dub.3. & Laymannus Tract.6.cap.5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò. Et in primis quòd confessio venialium possit ab Ecclesia præcipi, probatur: quia ex vna parte eorum confessio est actus exterior, & honestus, & valdè vtilis profectui spirituali, & non est admodum difficilis; & ex altera parte præcipere confessionem illorum, non est mutare materiā Sacramenti Pœnitentiæ, aliam instituendo, sed tantùm est præcipere materiam ipsam, quam Christus liberam & absque præcepto reliquit, non est ergo cur non possit ab Ecclesia præcipi. Quòd verò etiàm de facto in dicta Clementina præcipiatur, quando non sunt mortalia, probatur; quia præceptū dictæ Clementinæ latum est pro reformatione status Religiosi, vt per confessionem singulis mensibus Monachi perfectiùs & cautiùs viuant, quia ad hoc maximè conducit confes-

confessio, quamuis tantùm venialium; ergo in ea Clementina præcipitur confessio, quamuis non sint mortalia. Quod confirmatur primò ex eo, quòd in dicta Clementina non præcipitur confessio omnium peccatorum (vt præcipitur in cap. *Omnis vtriusque sexus*) quod propriè habet locum in venialibus, quia ex his sufficit aliqua confiteri, vt confessio sit capax absolutionis. Et confirmatur secundò ex eo, quòd dictum præceptum tantùm imponitur Religiosis, qui regulariter tantùm habent venialia.

Vnde præceptum dictæ Clementinæ non est determinatiuum præcepti diuini lati à Christo pro tempore extra articulum mortis (vt est præceptum annuæ confessionis) sed est purè Ecclesiasticum; ac proinde per illud nullo modo præcipitur confessio peccati purè interioris, nec præcipitur directè dolor, sed tantùm indirectè, quatenus necessarium est, vt absolutio, quæ præcipitur recipi, non fiat irrita.

Ita tamen in ea Clementina præcipitur dictis Monachis menstrua confessio, vt quando sunt mortalia, non teneantur confiteri venialia; & quando tantùm sunt venialia, non teneantur confiteri omnia illa, sed sufficiat vnum aut alterum, quia in ea Clementina tantùm præcipitur, quòd fiat confessio Sacramentalis, quæ sufficienter fit vtrouis modo dicto.

Addimus, dictum præceptum obligare sub mortali, non solùm quando sunt mortalia, vt patet, sed etiam quando tantùm sunt venialia, vt contra Canum aduertit Vasquez: quia quamuis tunc materia remota confessionis sit leuis (vtpote peccatum veniale) ipsa tamen confessio peccati venialis, quæ est materia proxima dicti præcepti, est grauis, non minùs, imò magis quàm auditio Missæ, quia est confessio Sacramentalis, per quam confertur augmentum gratiæ, & quæ valdè conducit ad vitæ reformationem. *Vasquez.*

DIFFICVLTAS IX.

Qui baptizati teneantur præcepto annuæ confessionis.

COnueniunt primò Doctores, Pontificem teneri præcepto annuæ confessionis, non tamquam præcepto, & ratione obedientiæ, cùm non sit inferior Concilio, à quo approbatione Innocentij III. latum fuit, sed ratione conformitatis cum reliquis fidelibus: quia rationi dissonum est, caput non conformari cum reliquis membris; sed non ligari pœnis impositis transgressoribus illius, quia istæ annexæ sunt violationi illius, vt præceptum est.

Conueniunt secundò, omnes adultos, & pueres habentes conscientiam peccati mortalis, teneri & ligari præcepto annuæ confessionis, ob rationem quam statim adducemus.

Est tamen difficultas, An pueri & impuberes hoc præcepto teneantur.

Sotus. Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 11. ad finem, docet, pueros ante duodecim annos dicto præcepto non teneri: & dist. 18. q. 1. art. 3. ad finem docet, pueros in quauis ætate, conscios peccati mortalis, eo præcepto teneri: subdit tamen, pueros post septimum annum posse peccare mortaliter, Ecclesiam tamen nolle eos ante duodecimum vel decimum quartum annum cogere suis præceptis & censuris, sed eos relinquere Iuri diuino.

Reliqui tamen Doctores conueniunt, pueros & impuberes omnes in quauis ætate, conscios peccati mortalis post Baptismum commissi, teneri præcepto annuæ confessionis, quod satis significatur in dicto capitulo, *Omnis vtriusque sexus*, iis verbis: *Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur.* Et ratione constat, quia præcepto annuæ confessionis tenentur omnes, pro quibus latum est præceptum diuinum pro tempore extra articulum mortis, quia est modificatiuum illius quoad tempus, & nihil supra illud addit, nisi temporis determinationem: sed dictum præceptum diuinum latum est pro omnibus habentibus peccatum mortale commissum post Baptismum, nemine excepto; ergo.

Vnde pro obligatione præcepti annuæ confessionis, non est considerandum tempus pubertatis, quod in masculis est quatuordecim annorum, & duodecim in feminis, sed tempus perfecti vsus rationis seu discretionis sufficientis ad peccandum mortaliter, qui in aliis tardiùs & in aliis citiùs contingit.

Addimus contra Cordubam in Summa q. 6. & contra Ochagauiam Tract. 2. quæst. 7. etiam impuberes non implentes præceptum annuæ confessionis, incurrere pœnas impositas non implentibus illud, quia nullo Iure eximuntur à pœnis, ac proinde posse puniri priuatione Ecclesiasticæ sepulturæ, & ingressus Ecclesiæ, assignata in capitulo *Omnis vtriusque sexus*, & incurrere excommunicationem maiorem, quæ in aliquibus diœcesibus ipso facto imponitur, de quo nonnihil diximus Tract. de Censuris in communi, Diffic. VII. *Corduba. Ochagan.*

DIFFICVLTAS X.

Qua ratione debeat computari annus pro impletione præcepti annuæ confessionis.

SOtus in 4. d. 18. quæst. 1. art. 4. docet, annum pro impletione præcepti annuæ confessionis computandum esse à tempore confessionis factæ in tempus quo completur annus, ita vt post vltimam confessionem nequeat quis sequentem confessionem differre vltra duodecim menses. Hic tamen modus computandi annum communiter displicet, & meritò, quia in cap. *Omnis vtriusque sexus*, in quo traditur hoc præceptum, non dicitur, quòd fidelis teneatur duodecimo quoque mense, seu intra annum à tempore confessionis factæ, sed quòd confiteatur semel in anno: his autem verbis denotatur annus qui fixis terminis incipit & finitur, & his verbis satisfit, confitendo semel à Ianuario in Ianuarium, vel ab vno Paschate Resurrectionis in alterum, iuxta varias opiniones de computatione anni, quamuis ab vna confessione in alteram plures quàm duodecim menses intercedant. *Sotus.*

Suarez disp. 36. sect. 3. Ægidius disp. 5. dub. 6. Reginaldus lib. 6. num. 37. Filliucius tract. 7. c. 3. & Laymannus tract. 6. cap. 5. docent, annum pro impletione dicti præcepti computandum esse à Quadragesima in Quadragesimam, aut à Paschate in Pascha (sumptis Quadragesima & Paschate, pro quindecim diebus à Dominica Palmarum *Suarez. Ægidius. Reginald. Filliucius. Laymann.*

vsque ad Dominicam in Albis, pro quibus est obligatio communicandi) quia ita communiter à fidelibus computatur annus pro impletione præcepti: & etiam ab Episcopis, qui excommunicant eos, qui Paschate finito non sunt confessi.

Vasquez. Ochagau. Vasquez verò quæst. 90. art. 2. dub. 1. Ochagaua tract. 2. qüæst. 9. docent, annum pro impletione dicti præcepti computandum esse à Ianuario in Ianuarium, & meritò; quia ex vna parte annus absolutè dictus (vt absolutè dicitur in cap. *Omnis vtriusque sexus*, in quo præceptum annuæ confessionis traditur) sic communiter & ordinariè computatur: & ex altera parte nullum est sufficiens fundamentum, vt pro impletione dicti præcepti ad aliam extraordinariam computationem anni recurramus.

Quod verò aduersarij, dicunt fideles communiter pro impletione præcepti annuæ confessionis annum à Paschate in Pascha computare, falsum est; quamuis verum sit, non paucos decipi, existimantes dictum præceptum pro Paschate obligare: nec Episcopi excommunicant eos, qui finito Paschate non sunt confessi, sed eos qui eo finito non communicarunt: aut si fortè aliqui Episcopi etiam excommunicant eos, qui Paschate finito non sunt confessi, quasi non impleuerint præceptum annuæ confessionis, verè decipiuntur, sicut etiam credimus nostros aduersarios decipi.

DIFFICVLTAS XI.

Pro quo tempore anni obliget præceptum annuæ confessionis per se, & ratione ipsius confessionis.

COnueniunt Doctores, præceptum annuæ confessionis per se & ratione sui obligare ad confitendum, quamuis non sit recipienda Eucharistia, vt constat ex cap. *Omnis vtriusque sexus*; aliàs puer, qui nondum tenetur præcepto communionis, non peccaret non confitendo: & obligare ad confitendum saltem semel in anno, vt constat ex eodem cap.

Est tamen difficultas, Pro quo tempore anni obliget.

Petrus Sot. Medina. Petrus Sotus lect. 5. de Confessione, & Medina Cod. de Confessione quæst. 18. de Confessione semel in anno, docent, præceptum annuæ confessionis obligare pro Quadragesima sumpta pro illis

Sixt. IV. supradictis quindecim diebus, quibus fauet Sixtus IV. in Extrau. *Vices*, de Tregua & pace, dum ait, parochianos teneri confiteri suis Parochis saltem in Paschate. Et ratione probatur, quia sic à fidelibus tamquam necessarium obseruatur ex con-

Trident. suetudine approbata à Tridentino sess. 14. c. 5. & confirmata constitutionibus plurium diœcesium; ergo dictum præceptum obligat pro eis diebus vt consuetudo declarat, aut saltem pro tunc obligat ex hac consuetudine.

Sotus. Victoria. Suarez. Vasquez. Dominicus tamen Sotus in 4. d. 18. q. 1. art. 4. Victoria in Summa, num. 137. Suarez disp. 36. sect. 3. Vasquez quæst. 90. art. 3. dub. 1. & communiter Doctores docent, & optimè, præcepto annuæ confessionis satisfieri, confessione facta in qualibet parte anni. Quod satis indicat Tridentinum

Trident. sess. 14. c. 5. dum, postquam dixit, ex decreto Concilij Lateranensis nos teneri saltem semel in anno confiteri, & esse morem in Ecclesia confitendi in Quadragesima, posteà subdit, *quem morem hæc sancta Synodus maximè probat ac amplectitur, tamquam pium & meritò retinendum.* Quibus verbis satis indicat, hunc morem non esse sub præcepto.

Et ratione constat, quia præceptum annuæ confessionis nec in dicto cap. *Omnis vtriusque sexus*, vbi traditur, limitatur ad aliquam partem anni (etiamsi præceptum communionis, quod etiam ibi traditur, limitetur ad Pascha) nec ex consuetudine fidelium, quia consuetudo confitendi in Quadragesima (quamuis non determinatè in dictis quindecim diebus) quæ à maiori parte populi tamquam necessaria obseruatur, non est confitendi ratione ipsius confessionis (cuius tantùm vt sic est præceptum annuæ confessionis) sed ratione susceptionis Eucharistiæ, quæ pro Paschate est sub præcepto, quamuis inde imperitum vulgus deceptum sit, vt existimet etiam illis, qui non communicant, inesse obligationem confitendi in Quadragesima (quamuis non determinatè in illis quindecim diebus) & ob id etiam hi pauci regulariter in Quadragesima quasi pro tunc obligati confitentur; quo nequit consuetudo, habens vim legis, introduci, quia à paucissimis obseruatur (ex quo constat ad rationem pro aduersariis) ergo præceptum confessionis per se & ratione sui non obligat pro Quadragesima.

Sixtus ergo IV. in dicta Extrauagante tantùm intendit, confessionem non posse fieri nisi proprio Parocho: quia tamen confessio debet semel in anno fieri saltem in Paschate ratione Communionis, ideò obiter addidit, *saltem in Paschate*, non quia non satisfaciat confitendo in qualibet alia parte anni. Quod verò ad constitutiones aliquarum diœcesium attinet, Suarez & Vasquez aduer- *Suarez.* tunt, & benè, illis non posse tempus pro impletio- *Vasquez.* ne præcepti confessionis & Communionis determinari, præsertim postquam vniuersalis Ecclesia illud determinauit; nec id illis intenditur, sed tantùm quòd impleatur præceptum Communionis, quod pro Paschate obligat, & quòd pro digna Communione fiat pro tunc confessio, qua etiam satisfit præcepto annuæ confessionis: & in eis solent apponi transgressoribus pœnæ, quas non incurrunt adhuc illi, qui tantùm tenentur præcepto confessionis (& non Communionis) quamuis non confiteantur in Paschate, quia ex eo non sunt transgressores dictorum præceptorum.

Ex dictis deducitur, eum, qui in principio anni confitetur mortalia, & etiam in fine sequentis, satisfacere pro illis duobus annis, ac proinde, iuxta nostram sententiam, quoad computationem anni, eum, qui in Ianuario anni præcedentis, & in Decembri sequentis mortalia confitetur, satisfacere præcepto annuæ confessionis pro illis duobus annis, quia iste confitetur semel in quolibet eo anno. Addidimus, *eum, qui confitetur mortalia*; quia qui tantùm confitetur venialia, non satisfacit præcepto annuæ confessionis (in quo fallitur Ochagauia) quia eo tantùm præcipitur confessio mortalium; ac proinde si anno illo post confessionem tantùm venialium committat mortale, tenetur intra eumdem annum illud confiteri: si verò post confessionem mortalium in eodem anno committat aliquod mortale, aut recordetur peccati mortalis, quod ob oblitionem naturalem non fuit confessus, non tenetur intra eumdem illud de nouo commissum, nec illud, cuius recordatus est, confi-

cõfiteri, quia iam semel confessus est omnia mortalia quorum tempore confessionis habuit conscientiam, quò impleuit præceptum annuæ confessionis; quia præceptum hoc non est confitendi omnia peccata mortalia, quæ quis committit in anno, vna aut pluribus confessionibus, sed tantùm est confitendi semel omnia mortalia quorum quis habet conscientiam tempore confessionis. Ille tamen tenetur anno sequenti confiteri illud mortale de nouo commissum aut naturaliter oblitum, & confessione siue de nouo commissi, siue naturaliter obliti, facta in anno sequenti, satisfacit præcepto anni sequentis, quamuis post eam confessionem de nouo committat intra eumdem annum sequentem aliud peccatum mortale, iuxta ea quæ dicemus Difficultate sequenti.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm qui in toto anno non confitetur, teneatur in principio sequentis confiteri absque dilatione.

Antonin. Siluester. Tabiena. ANtoninus 3. parte, tit. 9. c. 9. Siluester v. *Eucharistia* 3. q. 15. dub. 3. & Tabiena v. *Communicare*, num. 10. docent, eum, qui in toto anno non est confessus, non teneri ampliùs præcepto anni elapsi, sed eo elapso eius obligationem extingui, ac proinde illum posse differre confessionem vsque in finem anni sequentis. Quod probari potest exemplo aliorum præceptorum, nempe audiendi Missam, ieiunandi, recitandi Horas; quæ præcepta, quia obligant intra determinatum diem, eo elapso obligatio illorum extinguitur, ita vt non obliget pro die sequenti; sed præceptum annuæ confessionis etiam obligat intra determinatum annum fixis terminis clausum, ergo eo determinato anno transacto extinguitur obligatio dicti præcepti.

Suarez. Vasquez.

Sotus. Nauarrus. Victoria. Medina. Vasquez. Ægidius. Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 4. Nauarrus cap. 21. num. 45. Victoria num. 147. Medina Cod. de Confessione q. 14. Vasquez q. 90. art. 3. dub. 2. Ægidius disp. 5. dub. 8. & communiter Doctores docent, eum, qui in toto anno non confitetur, teneri præcepto illius anni elapsi, & obligationem illius non extingui adhuc eo elapso, ac proinde non posse differre confessionem, sed semper actualiter peccare quousque confiteatur; & meritò: quia præceptum annuæ confessionis non fuit latum in honorem anni pro quo præcipitur fieri confessio, sed tantùm ne confessio nimiùm differatur; ergo eo anno elapso, non extinguitur obligatio talis præcepti, in quo hoc præceptum distinguitur à præceptis audiendi Missam, ieiunandi, & recitandi Horas, quia hæc imponuntur in honorem illius diei determinati, & ei tantùm alligantur, ob quod eo die elapso extinguitur obligatio illorum.

Et ob rationem dictam obligatio præcepti communicandi pro tempore Paschatis, non extinguitur elapso Paschate, sed semper perseuerat in eo qui tempore Paschatis non communicauit, vt contra Sotum, Victoriam, & Medinam aduertunt *Nauarrus. Vasquez.* Nauarrus & Vasquez, quia scilicet præceptum Communionis non tantùm latum est in honorem Cœnæ Domini quæ eo tempore celebratur, sed etiam ne nimiùm differatur Communio.

Ex dictis constat, eum qui anno præcedenti omisit confessionem peccatorum mortalium, & ob id tenetur à principio anni sequentis ad confessionem illorum, confessione tantùm eorum facta eo anno sequenti, non satisfacere præcepto confitendi eo anno sequenti, etiamsi fiat ad finem anni sequentis, quia ea confessio tantùm pertinet ad annum antecedentem. Addidimus, *confessione tantùm eorum*, quia si ea confessione etiam confiteatur aliquod peccatum mortale illius anni sequentis, ea etiam satisfacit præcepto illius anni sequentis, quia tunc illa confessio pertinet ad vtrumque annum, quia confitetur peccata mortalia in vtroque anno commissa, quorum habuit conscientiam quando confessus est, sicut etiam satisfaceret præceptis vtriusque anni, si mortalia, quæ ea vna confessione confitetur, confiteretur duabus confessionibus, vna mortalia anni antecedentis, & altera confessione peccata mortalia anni sequentis iam præsentis. Obseruandum tamen est, eum qui in articulo mortis non est confessus, nec communicauit, vel quia noluit, vel quia non potuit, eo articulo elapso non teneri confiteri, neque communicare ex vi præcepti pro articulo mortis, quia hoc priùs tantùm est latum, nequis decedat ex hac vita absque confessione mortalis, & absque Viatico; elapso autem articulo mortis iam non decedet pro ea occasione absque confessione mortalis, nec decedet absque Viatico.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm præceptum confessionis aliquando obliget pro determinato tempore.

COnueniunt Primò communiter Doctores, eum, qui prudenter timet se non habiturum copiam Confessoris in residuo anni, teneri ex vi præcepti annuæ confessionis statim in principio anni confiteri, ob duplicem titulum, quorum vterque est sufficiens. Primus est, quia iam adest tempus in quo est obligatio, quia obligatur ad confessionem intra latitudinem anni, ac proinde si non potest in residuo anni, in quo etiam est perseueratura obligatio, tenetur in principio; sicut qui in die Festo non potest audire postremam Missam, tenetur audire priorem. Secundus est, ne nimiùm differatur confessio, quod proximè & quasi intrinsecè intendit Ecclesia, præcipiendo annuam confessionem. Et ob eosdem duos titulos, qui prudenter timet se non habiturum copiam Eucharistiæ in fine Paschatis sumpti pro illis quindecim diebus, tenetur ex vi præcepti annuæ Communionis anticipare Communionem intra ipsum Pascha.

Addimus, peccatorem, qui prudenter timet se non habiturum occasionem confessionis anno sequenti, teneri ex vi præcepti annuæ confessionis, ob dictum posteriorem titulum, confiteri ante annum illum, ne scilicet nimiùm seu vltra annum sequentem differatur confessio: & ob eumdem posteriorem titulum etiam, qui prudenter timet se non habiturum copiam Eucharistiæ intra sequens Pascha, tenetur ante illud communicare, ne scilicet nimiùm seu vltra Pascha differatur Communio. Nihilominùs si hic, qui præuenit Communionem, posteà adipiscatur opportunam occasionem communicandi tempore Paschatis, etiam tenetur tunc, quia ad hoc tenetur per se: at qui

timet se in die Festo sequenti non posse audire Missam, non tenetur die antecedente anticipare auditionem Missæ, quia ad id nullus adest titulus, quia nec die antecedenti est obligatio illa, nec præceptum audiendi Missam latum est ne nimiùm differatur auditio Missæ, sed tantùm in honorem & solemnitatem illius diei determinati.

Conueniunt Secundò Doctores, eum, qui est in articulo mortis, siue physico siue morali, teneri in eo confiteri saltem ex vi præcepti diuini, quia pro eo articulo latum fuit a Christo, vt diximus Diffic. II. Addidimus, *saltem ex vi præcepti diuini*, quia si tempus articuli mortis sit etiam finis anni, in quo nondum confessus sit, tunc etiam tenetur ex vi præcepti annuæ confessionis, vt patet, quia in eo tempore non solùm obligatur, quia in eo est articulus mortis, sed etiam quia est ipsum tempus ab Ecclesia determinatum pro impletione præcepti diuini lati pro tempore extra articulum mortis, vt diximus Diffic. II. non verò si non sit finis anni; quia quamuis tunc ante finem sit obligatio præcepti annuæ confessionis, cui tunc possit satisfacere, & posteà forsan non poterit, quia forsan morietur, non sufficit, vt tunc ante finem anni teneatur confiteri ex vi dicti præcepti: quia si posteà forsan non est futurus potens, est quia forsan est moriturus, ac proinde posteà non est futura obligatio; obligatio autem anticipandi impletionem præcepti est, quando etiam posteà est futura obligatio, & non est futura potestas satisfaciendi illi.

Addimus, eum, qui prudenter timet, se in articulo mortis non habiturum copiam confessoris, nec Eucharistiæ, teneri ex vi præcepti diuini ante dictum articulum confiteri, & communicare, saltem ob titulum similem supradicto titulo posteriori, ne scilicet ex hac vita decedat absque confessione mortalis numquam confessi, & ne decedat absque Viatico; si tamen posteà habeat copiam confessionis & communionis, teneri in articulo mortis communicare, & si peccauit mortaliter, teneri confiteri: & etiam teneri ad anticipatè confitendum ex vi præcepti annuæ confessionis, si tempus articuli mortis sit etiam finis anni, & ex vi præcepti annuæ communionis ad anticipatè communicandum, si tempus articuli mortis sit etiam finis Paschatis.

Occasione tamen obligationis confitendi in articulo mortis, siue physico siue morali, præceptum
Innoc. III. est Medicis ab Innocentio III. in cap. *Cùm infirmitas*, de Pœnitentiis & remissionibus, vt cùm ad infirmos vocantur, antequam curationem incipiant, eos de confessione facienda moneant. Et quia lex hæc desuetudine abrogata erat, ideò
Pius V. Pius V. motu proprio, qui incipit, *Super gregem*, eam legem renouauit, addendo, ne Medici vltra tertium diem ægrotum visitent, nisi ipsis constet de confessione facta per fidem Confessarij in scriptis datam.

Circa quam legem obseruandum est, vt optimè
Vasquez. Reginald. Vasquez quæst. 90. & Reginaldus lib. 6. num. 24. eam legem tantùm obligare in morbis periculosis (sed non solùm quando adest periculum, sed etiam quando prudenter iudicatur futurum) in quibus si infirmus absque consilio Confessarij differat confessionem vltra tertium diem, non potest Medicus vltra illum diem visitare infirmum, nisi infirmus in proposito non confitendi persistens constituatur in discrimine moriendi ex defectu curationis, quia in hoc casu, ne contra misericordiam fiat (quod Pontifex non intendit) potest, imò & tenetur Medicus infirmum curare. Et quod attinet ad id, quod addit de testimonio confessionis dando in scriptis à Confessario, standum est consuetudini patriæ, secundùm quam ferè in omnibus Prouinciis sufficit, quòd id constet Medico per domesticos, aut per ipsum ægrotum, si aliàs credatur fide dignus, aut aliâ viâ; & secundùm eam consuetudinem interpretanda est obligatio dictæ legis, & consequenter iuramenti facti de obseruatione illius, quia solùm petitur, & fit in confirmationem obligationis dictæ legis.

Conueniunt Tertiò Doctores, confessionem obligare determinatè, quando sumenda est Eucharistia ab eo qui est in peccato mortali, vt dicitur in Tridentino sess. 13. cap. 7. obligat tamen tunc *Trident.* confessio non ex vi præcepti annuæ confessionis, sed ex vi præcepti diuini, aut Apostolici, non per se ratione confessionis lati, sed per accidens ratione Eucharistiæ; & ideò qui ad Eucharistiam accedit absque præuia confessione in peccato mortali, vno tantùm peccato mortali peccat, & commissionis, & sacrilegij, nempe indignæ & sacrilegæ receptionis Eucharistiæ.

Sed quamuis confessio sit sub præcepto ad recipiendam Eucharistiam, non tamen ad recipienda reliqua Sacramenta, vt contra Adrianum, Paludanum & Marsilium docent Vasquez, Suarez, *Vasquez. Suarez.* Reginaldus, & communiter Doctores, quia id nul- *Reginald.* lo fundamento constat pro aliis Sacramentis.

Conueniunt Quartò Doctores, confessionem esse sub præcepto Sacerdotibus statim post celebrationem, quando vrgente necessitate celebrandi, & deficiente copia Confessarij, celebrarunt cum conscientia mortalis numquam confessi. Vnde Sacerdos, qui ignarus peccati mortalis accessit ad celebrandum, non tenetur statim post celebrationem confiteri: nec tenetur quando conscius peccati mortalis accessit, si accessit vel non vrgente necessitate celebrandi, vel non deficiente Confessario. Est autem hoc præceptum Ecclesiasticum modificatiuum diuini lati pro tempore extra articulum mortis, ac proinde ex vi illius, vtpote diuini quoad substantiam, tenentur Sacerdotes etiam directè ad confessionem mortalium merè internorum (ac proinde etiam quamuis non habeant alia mortalia) & etiam ad dolorem illum.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm per quamcumque confessionem satisfaciamus præcepto affirmatiuo confessionis.

CONueniunt Primò Doctores, Sacramento Pœnitentiæ valido & essentialiter perfecto, quamuis informi (si informe esse potest) satisfieri præcepto affirmatiuo confessionis tam purè diuino, quàm annuæ confessionis, quia vtroque præcepto tantùm præcipimur verum Sacramentum recipere, & non præcipimur iustificari, quamuis iustificatio sit finis extrinsecus vtriusque præcepti, quia finis extrinsecus præcepti non cadit sub præcepto. Addidimus, *Sacramento Pœnitentiæ valido, quamuis informi, satisfieri præcepto affirmatiuo confitendi*; quia Sacramento valido informi non satisfit præcepto negatiuo diuino naturali, non indigne

dignè recipiendi ipsum Sacramentum Pœnitentiæ, quia receptione Sacramenti informis, quod suo effectu priuatur, irrogatur iniuria ipsi Sacramento recepto, & consequenter peccatur peccato mortali commissionis sacrilegij indignæ susceptionis Sacramenti, nisi quis ab eo peccato ignorantia inuincibili excusetur : & hoc est necessarium, vt dictum Sacramentum sit validum, & essentialiter perfectum (& consequenter, vt eo satisfiat supradicto duplici præcepto affirmatiuo confessionis) quia si non excusetur ab eo peccato mortali, confessio non erit integra, quia peccatum illud non explicatur in confessione, nec de illo est dolor.

Conueniunt Secundò Doctores, eum, qui non absoluitur, quia non confitetur integrè formaliter, seu absque culpa, nulli præcepto confessionis satisfacere, nec purè diuino, nec annuæ confessionis, nec diuino naturali negatiuo indignæ susceptionis, si sic confessus absoluatur.

Est tamen difficultas, An qui integrè confitetur, sed non absoluitur ob defectum doloris, satisfaciat præcepto affirmatiuo confessionis.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, illum non satisfacere præcepto purè diuino, quia hoc præcepto præcipitur susceptio Sacramenti, & ille non suscipit illud, quia ei deficit dolor essentialiter requisitus ad Sacramentum.

Punctum ergo difficultatis est, An satisfaciat præcepto affirmatiuo annuæ confessionis.

Gabriel. Siluester. Victoria. Gabriel in 4. dist. 17. quæst. 1. art. 3. dub. 5. Siluester v. *Confessor* 4. num. 3. & Victoria in Summa num. 163. partem affirmatiuam tuentur, quam in-

Alexander Papa. dicare videtur Alexander Papa in cap. *Quod quidam* 5. de Pœnitentiis & remissionibus, dum ait, recipiendam esse confessionem eorum, qui dicunt se à peccatis abstinere non posse, & tamen illi non sunt absoluendi, vt patet; ergo confessio etiam absque absolutione, ob defectum doloris & propositi, sufficit ad impletionem præcepti annuæ confessionis. Et ratione probatur, quia Ecclesia nequit præcipere actus merè internos; ergo præceptum annuæ confessionis nequit obligare ad receptionem absolutionis, quando ob defectum doloris nequit recipi, sicut nec dolorem ipsum.

Durand. Sotus. Vasquez. Suarez. Ægidius. Durandus verò in 4. d. 17. quæst. 14. Sotus d. 18. quæst. 3. art. 3. Vasquez q. 92. art. 3. dub. 5. Suarez disp. 36. sect. 3. Ægidius disp. 5. dub. 9. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò, quia præcepto annuæ confessionis præcipimur Sacramentum Pœnitentiæ recipere; qui autem non recipit absolutionem, non recipit hoc Sacramentum, quia etiam ex absolutione essentialiter coalescit; ergo qui non recipit absolutionem ob defectum doloris, quamuis aliàs integrè confiteatur, non satisfacit præcepto annuæ confessionis. Quòd autem præcepto annuæ confessionis præcipiatur receptio Sacramenti, probatur, quia hoc præceptum quoad rem præceptam est diuinum, quamuis quoad tempus sit ab Ecclesia modificatum; præcepto autem diuino receptio huius Sacramenti præcipitur : & ob hanc dictam rationem præcepto annuæ confessionis non satisfit receptione Sacramenti inualidi, quocumque modo inualidum fiat, siue ob defectum pœnitentis, siue ob defectum confessarij, siue interiores siue exteriores, siue inculpabiles siue culpabiles, quia eo præcepto præcipitur receptio veri Sacramenti.

Vnde quamuis Ecclesia præcepto purè humano, potestate communi & generali legislatricis humanæ lato, nequeat directè præcipere intentionem recipiendi Sacramentum, nec dolorem, nec confessionem peccati omnino interioris; nihilominùs præcepto annuæ confessionis, vtpote non purè humano, sed etiam diuino, integrum Sacramentum, etiam quoad tria dicta præcipitur : imò eo non solùm vt diuino, sed etiam vt humano, vtpote lato non potestate generali purè humana, quæ nequit ad purè interiora se extendere, sed peculiari Christi commissione ipsi Ecclesiæ facta, ac proinde non solùm qui non absoluitur, sed etiam qui absoluitur, si Sacramentum ob aliquem alium defectum, quamuis omnino interiorem, siue intentionis siue doloris, siue confessionis peccati omnino interioris, sit inualidum, non satisfacit præcepto annuæ confessionis adhuc vt humano. Nihilominùs contra Ægidium existimamus, eum, qui suscipit Sacramentum Pœnitentiæ inualidum ob defectum tantùm interiorem, non incurrere pœnas Iuris communis cap. *Omnis vtriusque sexus*, nec excommunicationem, quamuis forte in aliqua diœcesi imposita sit, quia harum pœnarum impositio tantùm fit ab Ecclesia ex potestate generali humana, quæ vt sic nequit defectus purè interiores punire, sicut nec de illis iudicare. Eas tamen incurrit (quidquid Vasquez dicat) qui recipit Sacramentum inualidum ex defectu confessionis peccati exterioris, quia iste defectus est exterior non solùm formaliter, sed etiam obiectiuè, quia est defectus confessionis exterioris, & peccati exterioris (quamuis ad confessionem illius requiratur actus interior attentionis & examinis) quem Ecclesia potestate generali purè humana punire potest.

In dicto autem cap. *Quod quidam*, tantùm dicitur, confessionem illorum recipiendam esse, vt illis monita salutaria dentur, vt constat ex ipso contextu, non verò vt per illam satisfaciant præceptò, & ita in eo dicitur pœnitentiam illorum non esse veram.

Obseruandum est, peccatorem ab impletione præcepti annuæ confessionis, etiam vt diuini, excusari ob grauem aliquam causam, vt si sit periculum reuelationis confessionis, aut incurrendi graue odium confessarij, aut si sit periculum damni notabilis, aut in vita, aut in honore, aut in fortunis, aut si ad confessionem faciendam necessarium sit longum & laboriosum iter conficere, vt aduertit Ægidius disp. 5. dub. 10. quia præcepta positiua, adhuc diuina, non obligant cum notabili dispendio. In articulo tamen mortis difficiliùs excusatur peccator à præcepto confessionis, ne fortè ex defectu illius damnetur. Nihilominùs si sit periculum grauissimi damni, & aliàs firmiter iudicet se habere, aut habuisse contritionem perfectam peccatorum, excusabitur à præcepto confessionis, quamuis purè diuino.

DISPV-

DISPVTATIO VIII.

De qualitate confessionis.

NON pauci Doctores sedecim conditiones confessionis Sacramentalis assignant, versibus sequentibus contentas:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Ex his dictis conditionibus confessionis Sacramentalis, quædam sunt quæ tantùm requiruntur ad maiorem reuerentiam, & quædam ad valorem; quas omnes explicant Antoninus 3. p. tit. 4. c. 19. Reginaldus lib. 6. cap. 3. Ochagauia tract. 2. q. 11. & Bonacina disp. 5. quæst. 5. sect. 2. punct. 2. Nos tamen nunc earum explicationem omittimus, quia omnes necessarias ad valorem confessionis in variis Disputationibus explicabimus.

Antoninus. Reginald. Ochagau. Bonacina.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm confessio tantùm secreta sit Sacramentalis, seu ad valorem Sacramenti idonea.

SVpponimus, in quo conueniunt Doctores, confessionem secretam & auricularem, id est, factam absque teste & absque interprete, esse Sacramentalem, & idoneam Sacramento Pœnitentiæ, vt constat ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & ex praxi & vsu Ecclesiæ.

Trident.

Est ergo difficultas, An etiam confessio publica sit Sacramentalis, & idonea Sacramento Pœnitentiæ.

Non desunt qui partem negatiuam tueantur (quam probabilem existimat Richardus in 4. distinct. 17. art. 3. quæst. 8.) quia peccatum publica confessione fit aptum, vt in iudicio externo publicetur & probetur, quod videtur contra institutionem Christi.

Richard.

Vasquez verò quæst. 91. art. 4. dub. 1. Suarez disput. 21. sect. 2. Ægidius disp. 6. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, quam supponit Tridentinum sess. 14. cap. 5. dum sermonem instituens de confessione Sacramentali, ait, Christum non voluisse publicam peccatorum confessionem fieri. Quod etiam constat ex praxi & vsu Ecclesiæ, in qua admittitur confessio per interpretem facta. Vnde potest quis validè & licitè duobus confessariis simul confiteri, quamuis ab vno tantùm possit licitè absolui.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Trident.

Ex eo autem, quòd peccatum confessione publica fiat aptum, vt in exteriori iudicio probetur, non fit, confessionem publicam ineptam esse Sacramento Pœnitentiæ, nec contra institutionem Christi.

Obseruandum est, confessionem publicam peccatorum non solùm esse idoneam Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam vtilem & expedientem, si, cessante scandalo & aliis extrinsecis incommodis (vt cessare possunt) fiat ob aliquam rationabilem causam, vt quando nequit aliter saltem commodè fieri, vel quando fit in ædificationem aliorum, vel in humiliationem ipsius pœnitentis, vt supponitur in Tridentino vbi suprà. Et quamuis non fiat ob rationabilem causam, sed quia ita placet pœnitenti, non est contra præceptum aliquod, quia non est contra aliquod diuinum, vt supponitur in Tridentino; nec contra præceptum aliquod naturale, vt patet: nec contra aliquod Ecclesiasticum, quia non est contra aliquod scriptum, vt constat; nec contra aliquod consuetudine introductum, quia non est consuetudo confitendi secretò quasi ex obligatione, qua sola consuetudine introducitur lex & præceptum.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm confessio publica aliquando obliget pœnitentem.

COnueniunt Doctores, extra articulum mortis neminem teneri ad confitendum publicè, nec medio interprete, quamuis nequeat aliter confiteri, vt supponitur in Tridentino sess. 14. c. 5. quia nimis onerosum & durum est, extra articulum extremæ necessitatis obligari ad confessionem publicam, quod Ecclesia non præsumpsit factum fuisse à Christo, quamuis potuerit, & ita in Ecclesia id quasi traditione receptum est.

Trident.

Est tamen difficultas, An in articulo mortis, siue physico siue morali, teneatur pœnitens ad confitendum publicè, quando nequit secretò confiteri.

Siluester v. *Confessio* 1. q. 15. & Suarez disp. 36. sect. 6. partem affirmatiuam tuentur, quia iactura famæ, quæ est in confessione per interpretem, aut aliter publica, non est comparabilis cum iactura salutis æternæ, quæ est, si peccator non confiteatur in articulo mortis; ergo quando non potest secretò, tenetur publicè.

Siluester. Suarez.

Caietanus v. *Confessio*, cond. 11. Vasquez q. 91. art. 4. dub. 3. Ægidius disp. 5. dub. 10. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò, quia in articulo mortis confessio publica nullo Iure & præcepto obligat. Non Iure naturali, quia ex natura rei nulla est obligatio confitendi, nec publicè, nec secretò: nec Iure diuino positiuo Christi, quia Christus non præcepit confessionem publicam, vt dicitur in Tridentino vbi suprà; nec Iure aliquo Ecclesiastico, quia si aliquod est etiam pro articulo mortis, tantùm est modificatiuum Iuris positiui Christi quoad tempus, iure autem Christi non obligat confessio publica, ergo nec Iure aliquo Ecclesiastico.

Caietanus. Vasquez. Ægidius.

Obseruandum tamen est, in articulo mortis teneri peccatorem Iure naturali virtutis charitatis erga Deum ad contritionem perfectam, vel ad confessionem, quamuis publicam sub disiunctione, ad vnam videlicet vel ad altetam, quia dicto Iure naturali tenetur ad reconciliationem cum Deo, ne ex hac vita decedat in inimicitia cum ipso. Reconciliatio autem cum Deo vtrauis potest sufficienter

cienter obtineri, & non nisi vna vel altera. In casu autem in quo peccator videat se moraliter impotentem ad contritionem perfectam, ac proinde non nisi confessione satisfacturus sit dicto iuri naturali charitatis erga Deum, & non possit nisi publicè confiteri, sufficiet ei vnum aut alterum peccatum confiteri, omissis aliis (quamuis grauioribus) quorum confessione grauiter infamandus est apud interpretem, aut apud alios, quia ea infamatio est sufficiens ad excusandum ab integritate materiali confessionis (in eo casu moraliter necessariæ) à Christo præcepta.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm confessio Sacerdoti præsenti facta mediâ scripturâ, aut nutibus, aut alijs signis à voce distinctis, sit sufficiens ad valorem Sacramenti.

COnueniunt communiter Doctores, vno aut altero excepto, confessionem nutibus, aut scripturâ, aut aliis signis, quamuis non vocalibus, factam, esse Sacramentalem, seu idoneam ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. Ita S. Thomas Quodlib. 1. art. 10. Suarez d. 21. sect. 3. Vasquez quæst. 91. art. 4. dub. 4. Henriquez lib. 2. de Pœnitentia c. 2. & Ægidius disp. 6. dub. 1. Quod constat ex Concilio Arausicano I. sub Leone I. c. 12. dum dicitur, obmutescentem, si nutibus confiteatur, absoluendum esse. Et etiam constat ratione, quia scripturâ, aut nutibus, aut aliis signis, quamuis distinctis à vocibus, potest peccator peccata sua sufficienter exprimere confessario; ergo absque fundamento negabitur confessionem mediis talibus signis factam esse Sacramentalem. Quod maximè confirmat praxis, & vsus Ecclesiæ, quæ mutos ad Sacramentum Pœnitentiæ admittit.

S. Thomas. Suarez. Vasquez. Henriq. Ægidius. Concilium Arausic.

Eugenius verò IV. dum in suo Decreto fidei, habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem, dixit, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse oris confessionem, nomine confessionis oris intelligit quamcumque externam confessionem, quia confessio externa fit regulariter ore; & ideò Tridentinum, vt omnem ambiguitatem tolleret, omissâ particula *oris*, dixit, confessionem esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Discrimen verò, ob quod absolutio aliter quàm voce facta sit nulla, & non confessio, adduximus Disputat. v. Difficultate v 11.

Eug. IV.

Obseruandum tamen est, vt communiter Doctores, confessionem aliter quàm voce factam, quamuis validam, esse illicitam, si sic fiat absque rationabili causa, vt significatur in can. *Quem pœnitet.* de pœnitentia, distinctione prima, non prohibitione naturali, nec diuina, sed Ecclesiastica, & non scripta, sed consuetudine Ecclesiæ introducta, quia fideles, quando commodè possunt voce confitentur quasi obligati: esse tamen licitam scriptura, nutibus, aut aliis signis factam, quando nequit fieri voce absque nimia verecundia, aut absque alia nimia difficultate, quia consuetudo voce confitendi non est cum tanto rigore introducta.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm qui nequit aliter confiteri Sacerdoti præsenti, quàm scripturâ, aut nutibus, aut alijs signis, ad id teneatur tempore præcepti.

COnueniunt communiter Doctores, eum, qui non potest aliter confiteri quàm nutibus, aut aliis signis distinctis à voce & ab scriptura, ad id teneri tempore præcepti, siue purè diuini, siue annuæ confessionis, quia confessio potest absque inconuenienti dictis signis fieri.

Est tamen difficultas, An teneatur ad confitendum mediâ scripturâ, quando aliter non potest.

Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 6. Nauarrus cap. 21. num. 36. Medina Cod. de Confessione quæst. 15. Victoria n. 173. Toletus lib. 3. cap. 6. Henriquez lib. 2. de Pœnitentia, cap. 2 & Valentia disp. 7. q. 11. pun. 1. partem negatiuam tuentur; quia confessio facta per scripturam non est secreta, sed publica; quia scriptura, vtpote permanens, est instrumentum publicum, aut saltem est exposita periculo publicationis, quia perdi potest, & etiam potest à Sacerdote aliis ostendi.

Sotus. Nauarrus. Medina. Victoria. Toletus. Henriq. Valentia.

Maior verò in 4. dist. 17. q. 1. Gabriel q. 1. art. 2. Siluester v. *Confessio* 1. nu. 16. Petrus Sot. Lect. 11. de Confessione, Suarez disp. 36. sect. 6. Vasquez quæst. 91. art. 4. dub. 5. & Ægidius disp. 5. dub. 10. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia confessio, ex eo quòd fiat per scriptum, non est publica, nec exposita morali periculo publicationis, quia scriptura non est magis publica quàm vox, vt patet, quamuis ex eo, quòd sit permanens, sit magis exposita periculo publicationis quàm vox. Potest tamen ita fieri, vt non sit exposita periculo morali publicationis; quia scriptura rumpi potest statim ac fit confessio, & paulò ante confessionem scribi, & ita cautè custodiri vt moraliter nequeat perdi. Ex eo verò quòd possit à Sacerdote aliis ostendi, non est exposita morali periculo publicationis, sicut nec confessio per vocem facta, quamuis vtraque possit à Sacerdote publicari.

Maior. Gabriel. Siluester. Petrus Sot. Suarez. Vasquez. Ægidius.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm confessio per litteras, aut per internuntium Sacerdoti absenti facta, sit idonea ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ.

PAludanus in 4. distinct. 17. quæst. 2. Adrianus in 4. quæst. 1. de Confessione, Petrus Sotus lect. 11. de Confessione, Medina Cod. de Confessione quæst. 15. Nauarrus cap. 21. num. 36. & plures alij docent, confessionem per litteras aut per internuntium absenti factam, esse sufficientem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ (ac proinde etiam esse licitam in casu necessitatis) quod videtur supponere Leo I. in can. *Qualis* 30. quæst. 5. dum ait, pœnitentiam adulteræ per scripturam esse recipiendam. Et ratione potest probari desumpta ex exemplo matrimonij, quod potest fieri inter absentes per litteras, & per internuntium, & exemplo

Paludan. Adrianus. Petrus Sot. Medina. Nauarrus.

iudicij

iudicij humani, instar cuius Sacramentum Pœnitentiæ institutum est, quod potest per litteras seu scripturas inter iudicem & reum absentes validè fieri.

Caietan. Sotus. Victoria. Valentia. Toletus. Vasquez. Ægidius. Caietanus verò in Summa v. *Confessio*, conditione 11. Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 6. Victoria num. 171. Valentia disput. 7. quæst. 11. puncto 1. Toletus lib. 3. cap. 6. Vasquez quæst. 91. art. 4. dub. 2. Ægidius disput. 4. dub. 10. & plures alij docent, confessionem per litteras aut per internuntium absenti factam, non esse idoneam & sufficientem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ: *Clem. VIII* quod adeò verum est, vt oppositum Clemens VIII. anno 1602. damnauerit vt falsum, temerarium, & scandalosum, & prohibuit, ac præcepit ne vmquam vt probabile defendatur, cuius verba retulimus & expendimus Disputatione v. Difficultate v 1. quod etiam Paulus V. declarauit & approbauit. *Paulus V.*

Ratio à priori huius doctrinæ est institutio Christi, instituentis pro parte materiali Sacramenti Pœnitentiæ, confessionem Sacerdoti præsenti factam; hæc autem institutio constat ex praxi & vsu Ecclesiæ, quæ numquam vsa est confessione nisi præsenti facta ab ipso pœnitente, siue per se ipsum, siue per interpretem, quamuis tantùm referentem quod pœnitens in absentia Sacerdotis confessus est: cui vsui Clemens VIII. innixus, oppositam doctrinam damnauit, & eidem Paulus V. innixus, damnationem à Clemente VIII. factam, declarauit & approbauit.

In dicto autem can. *Qualis*, qui est Leonis I. tantùm est sermo de confessione publica in ordine ad pœnitentiam Canonicam, non de Sacramentali: imò est sermo de confessione facienda in præsentia, quia scriptura ibi tantùm requiritur propter maiorem certitudinem.

Et ad rationem concedimus, Sacramentum matrimonij posse inter absentes celebrari, & etiam iudicium humanum, non tamen Sacramentum Pœnitentiæ, quod Christus instituit instar iudicij humani, quoad alia, & non quoad hoc: nec illud instituit instar Sacramenti Matrimonij, quia hoc instituit in ipso contractu aliàs ciuili, qui verè potest inter absentes celebrari, non minùs quàm alij contractus.

Leo I. Concilium Arausic. Carthag. Id verò, quod Disputatione 1x. sequenti, Difficultate 1x. ex Leone I. & ex Concilio Arausicano, & ex Carthaginensi IV. dicemus, nempe absoluendum esse moribundum, qui ægritudine impeditus nequit per se ipsum in præsentia Sacerdotis signa doloris & confessionis præbere, si testimonio adstantium, & in præsentia pœnitentis constet signa illa ante aduentum Sacerdotis præbuisse, non contrariatur dicto decreto Pontificio, *Ægidius.* nec nostræ doctrinæ; vt aduertit Ægidius disp. 7. dub. 10. quia confessio hæc, quæ fit Sacerdoti ab adstantibus, non fit Sacerdoti absenti & distanti à pœnitente, sed iam præsenti illi, mediis adstantibus, vel tamquam testibus, vel quasi interpre- *Clem. VIII* tibus & non quasi internuntiis. Et ob id Clemens VIII. interrogatus, an moribundus in casu dicto esset Sacramentaliter absoluendus, respondit, debere absolui, & se absoluturum illum, & casum hunc non comprehendi suo Decreto, vt Cardinalis Bellarminus, & Archiepiscopus Armacanus testificati sunt se ex ipso audiuisse, de quo Armacanus testimonium scriptum manu sua subsignatum præbuit Lessio, & pluribus Doctoribus Louanien sibus, vt refert Ægidius vbi suprà. *Bellarm. Armacan.*

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm mendacium in confessione sit peccatum mortale.

CIrca mendacium de peccato veniali, conueniunt communiter Doctores, mendacium, quo pœnitens interrogatus negat peccatum veniale quod verè commisit, non esse peccatum mortale, quia ex vna parte eo mendacio non decipit confessarium in re necessaria, & ex altera dictum mendacium non est ipsi Sacramento iniuriosum, quia nec obstat materiæ, nec formæ Sacramenti, nec dispositioni ad effectum Sacramenti requisitæ, quia cum his omnibus compati potest.

Est tamen difficultas, An mentiri, sibi falsò imponendo veniale, quod ipse pœnitens non commisit, sit peccatum mortale. Procedit autem, quando aliàs pœnitens confitetur aliquod aliud peccatum quod verè commisit, quia si hoc aliud non confiteatur, peccabit peccato mortali sacrilegij, quia tunc absolutio erit nulla, vtpote cadens supra materiam falsam.

Circa difficultatem ergo Caietanus v. *Confes-* *Caietan.* *sio*, conditione 4. Paludanus in 4. dist. 21. quæst. 2. *Paludan.* Ledesma 2. par. quarti, quæst. 5. articulo 4. dub. 4. *Ledesm.* & Armilla v. *Confessio*, num. 5. docent, dictum *Armill.* mendacium esse peccatum mortale, quia tunc pœnitens supponit materiam falsam absolutioni Sacramentali, quod est peccatum mortale, non minùs quàm verbis consecrationis inter veras hostias supponere hostiam apparentem, & non veram.

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. Nauar- *Sotus.* rus cap. 21. num. 37. Suarez disp. 22. sect. 10. Vas- *Nauarr.* quez quæst. 91. art. 1. dubio 7. Ægidius disp. 6. *Suarez.* dub. 3. & Turrianus disput. 29. dubio 7. docent, *Vasquez.* dictum mendacium non esse mortale, sed tantùm *Ægidius.* veniale; & meritò: quia eo mendacio nec decipitur confessarius in re necessaria, imò nec in graui, nec irritatur Sacramentum, quia non obstat materiæ illius, quia non excludit materiam sufficientem, nec necessariam, vt patet: nec obstat formæ absolutionis, quia non obstat veritati illius, quia forma absolutionis non est distributiua cadens supra omnia peccata confessa, sed tantùm est indefinita, & indefinitè tantùm profertur, vt tantùm cadat supra peccata vera confessa, quæ sunt necessariò confitenda (vt sunt mortalia non confessa) aut si non sunt necessariò confitenda (vt sunt venialia) vt tantùm cadat supra ea quorum pœnitens habet sufficientem dolorem (aliàs etiam falsificaretur, si pœnitens confitens plura venialia, vnius non haberet sufficientem dolorem, & consequenter peccaret mortaliter (quod est falsum) in quo forma absolutionis distinguitur à verbis consecrationis, quia hæc cùm sint demonstratiua, cadunt & feruntur in omnia quæ proponuntur consecranda, ac proinde partialiter falsificantur, quando inter hostias veras supponitur falsa. Nec eo mendacio frustratur Sacramentum Pœnitentiæ suo effectu, quia non obstat dispositioni ad illum requisitæ, quia non obstat fidei, *Turrian.*

neque

neque spei, neque dolori, quia nihil horum excludit; ergo dictum mendacium ex nullo capite est peccatum mortale.

Circa mendacium de mortali conueniunt Doctores, mentiri circa mortale non confessum, illud negando, esse mortale, quia est contra integritatem confessionis, quæ est necessaria & magni mométi.

Est tamen difficultas, An mentiri in confessione imponendo sibi peccatum mortale quod non commisit, sit peccatum mortale.

Silvester. Non desunt, qui existiment tale mendacium non esse mortale (quod etiam indicat Siluester v. *Confessio* 1. quæst. 8.) quia pœnitens eo peccato sibi imposito, non se infamat grauiter, quia hæc infamatio est in cõfessione, & tantùm apud vnum, & respectu ipsius pœnitentis, qui potest cedere iuri suo, præsertim quando infamatio attento pœnitente est leuis, vt sæpè esse potest, vt vulneratio à pœnitente milite inflicta.

Sotus. Suarez. Vasquez. Ægidius. Sotus verò, Suarez, Vasquez, Ægidius vbi suprà, & communiter Doctores docent, dictum mendacium esse mortale, non quia infamatio sit grauis, quia non semper est grauis, nec quia est deceptio in materia graui & necessaria, & in ordine ad iudicium & sententiam Sacramentalem, quia ea deceptio præcisè vt est deceptio, & tantùm contra veritatem in dicendo, non est mortalis, sed quia forma absolutionis partialiter falsificatur, quia fertur in omnia mortalia confessa, vtpote quæ confitentur necessariò seu ex obligatione, & quorum pœnitens debet habere dolorem.

Vnde existimamus, in eo mendacio triplex reperiri peccatum: aliud mendacij contra veritatem in dicendo, quod tantùm est veniale; aliud sacrilegij contra religionem, & contra reuerentiam Sacramenti, quia eius formam falsificat, quod est mortale; & aliud infamationis, seu prodigalitatis famæ contra liberalitatem, quo pœnitens suam famam prodigit, quod aliquando est mortale, quando, attentâ personâ pœnitentis, & alijs circumstantijs, infamatio est grauis.

Obseruandum est, confiteri vni Sacerdoti peccata mortalia, & posteà alteri venialia, non esse peccatum mortale, non solùm quando fit tantùm semel aut iterùm, in quo Doctores conueniunt, sed etiam quando fit sæpè, vt contra Victoriam num. 196. docent Nauarrus cap. 21. num. 4. Suarez *Nauarrus. Suarez. Ægidius.* disp. 22. sect. 1. & Ægidius disp. 6. dub. 4. imò nec id ex suo obiecto est veniale, quia id non obstat integritati confessionis, nec veritati doloris & propositi.

DIFFICVLTAS VII.

Quando confessio sit inualida.

SVpponimus, Sacramentum confessionis multis modis posse fieri inualidum, tam ex parte pœnitentis quàm ex parte Confessarij, & consequenter esse necessariò repetendum, quando confessio fuit mortalium.

In primis ex parte pœnitentis fit inualidum, quando ipsi deficit intẽtio suscipiendi Sacramentum, & etiã quando ipsi deficit dolor peccatorum.

Est tamen difficultas Primò, An fiat inualidum, quando pœnitens est excommunicatus.

Conueniunt Doctores, fieri inualidum, quando pœnitens aduertit se esse excommunicatum, & excommunicationem esse impedimentum saltem prohibens susceptionem Sacramenti, & quia tunc non confitetur integrè; quia non confitetur peccatum mortale, quod tunc committit accedendo ad susceptionem Sacramenti, & quia non dolet integrè, quia non dolet de illo; & quia ponit obicem peccati mortalis oppositi dispositioni requisitæ ad effectum, nempe dolori.

Punctum ergo difficultatis est, An quando pœnitens naturali obliuione aut ignorantia inuincibili excommunicationis, aut rationis impedimenti ad susceptionem Sacramenti bona fide accedit, etiam fiat inualidum: & procedit de excommunicato non tolerato (id est publicè denuntiato, aut notoriè excommunicato ob percussionem Clerici notorietate facti seu percussionis) quia toleratus validè suscipit Sacramentum fauore facto Cõfessario, cui relinquitur iurisdictio, vt licitè & validè possit communicare cum excõmunicato tolerato.

Sotus. Ægidius. Circa punctum Difficultatis Suarez de censuris disp. 10 sect. 3. & Ægidius disp. 14. dub. 5. docent, non fieri inualidum, quia nullo Iure inualidatur.

Siluester. Vasquez. Siluester v. *Confessio* 1. quæst. 3 & Vasquez de Excommunicatione dub. 4. docẽt, fieri inualidum, & meritò: quia Ecclesia non paucis Iuribus excludit excommunicatum à participatione passiua Sacramentorum, & ita vt ei non solùm prohibeat illam, sed etiam irritet, quia eum excludit quantum potest, eum habendo & tractando quasi Ethnicum & publicanum. Ecclesia autem potest illi irritare susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, extrahendo ipsum à iurisdictione omnium Confessariorum Papa inferiorum, sic efficiendo eum inabsolubilem ab illis, de quo latiùs Tractatu de Excommunicatione, Disput. 111. Diffic. 111.

Secundò est difficultas, An fiat inualidum, quando suscipitur ex malo fine.

Certum est, fieri inualidum, quando suscipitur ex malo fine mortali, peccando mortaliter, & quia nec confitetur, nec dolet integrè, & quia ponit obicem effectui Sacramenti.

Est ergo difficultas, An fiat inualidum, quando suscipitur ex malo fine veniali, venialiter peccãdo.

Conueniunt Doctores, non fieri inualidum, quando suscipitur principaliter ex fine remissionis, seu veniæ peccatorum, etiamsi minùs principaliter suscipiatur ex fine veniali.

Est ergo punctũ difficultatis, An fiat inualidum, quando principaliter suscipitur ex fine veniali.

Siluester. Siluester v. *Confessio* 1. quæst. 7. docet, tunc fieri inualidum, imò quando suscipitur principaliter ex quocumque alio fine quàm remissionis & veniæ peccatorum, quia hæc sola est principalis effectus Sacramenti Pœnitentiæ; ergo ea sola est principaliter intendenda.

Sotus. Vasquez. Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 3. ar. 3. & Vasquez quæst. 92. art. 3. dub. 2. docent, non fieri inualidum ex quocumque fine suscipiatur, dum in eo non peccetur mortaliter, quamuis ex eo principaliter & tamquam ex motiuo suscipiatur, dum etiam suscipiatur ex fine remissionis & veniæ peccatorum, quamuis minùs principaliter, & tantùm impulsiuè; & meritò: quia ex eo quòd hoc modo suscipiatur, non deficit intentio suscipiẽdi Sacramentum, nec aliqua pars essentialis Sacramenti; ergo non ex eo fit inualidum, quia valor Sacramenti tantùm pendet ex dicta intentione, & ex partibus es-

sentialibus illius. Imò nec ex eo fit infructuosum: quia etiamsi susciptatur ex fine peccati venialis, peccando venialiter, & ex eo principaliter susciptatur, non tollit etiam susceptus ex fine remissionis & veniæ peccatorum, & cum dolore sufficiente vt dispositione ad eam remissionem, quæ sufficiunt ad eam. Ex eo autem quòd remissio & venia peccatorum sit effectus principalis Sacramenti Pœnitentiæ, tantùm deducitur, esse congruum & consonum institutioni illius, remissionem & veniam peccatorum principaliter intendere, non tamen esse necessarium ad effectum illius.

Tertiò, Sacramentum Pœnitentiæ fit inualidum ex defectu integritatis confessionis mortalium, quando scilicet pœnitens absque graui incommodo extrinseco ipsi Sacramento omittit confiteri aliquod mortale, non solùm scienter, in quo Doctores conueniunt, sed etiam quando omittit ex ignorantia seu negligentia culpabili, vt contra non paucos, nec ignobiles, docent Ioannes Medina, Suarez & Vasquez, & latiùs dicemus Disp. IX. Diff. X.

Ioannes Medina. Suarez. Vasquez.

Quartò, ex parte pœnitentis solet assignari alius defectus, ob quem confessio (quamuis valida) debeat repeti, nempe quando pœnitens oblitus est culpabiliter pœnitentię Sacramentalis sibi à Confessario iniunctæ: id tamen esse falsum, dicemus Disputatione XIV. Difficultate II.

Deinde Sacramentum confessionis fit inualidum ex parte Cõfessarij. Primò, ex defectu intentionis absoluendi Sacramentaliter: Secundò, ex defectu iurisdictionis, vel quia ea simpliciter careat, vel quia ea priuatus est per excommunicationem non toleratam, quamdiu hæc durat: Tertiò, ex defectu perceptionis peccati, quia scilicet Confessarius nullum peccatum pœnitentis percipit, siue ob distractionem, siue ob linguæ ignorantiam: quamuis Henriquez lib. 5. cap. 14. & Laymannus tract. 6. cap. 9. sentiant esse validum, si pœnitẽs bona fide processit. Sed an quando Confessarius percipit peccatum, nescit tamen discernere an sit mortale an veniale, etiam fiat inualidum, dicemus Disput. X. Difficultate XV.

Henriq. Layman.

Obseruandum est, quòd quando necessarium est confessionem aliquam repetere, quia ob defectum alicuem fuit inualidè facta, non est necessarium confessiones intermedias repetere, quando factæ sunt bona fide, quia ex eo præcisè quòd fiant post confessionem illam inualidam, non fiunt inualidæ, sed tantùm illam, in qua fuit defectus illam inualidans, & alias confessiones, quæ post illam mala fide factæ sunt, si harum & illius defectus memoriæ occurrant.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm quando confessio repetenda est quia fuit inualida, necessarium sit iterùm peccata distinctè confiteri, ac si non fuissent confessa.

DIfficultas hæc non procedit, quando confessio anteà inualida repetenda est diuerso Confessario, quia tunc ita distinctè repetenda est, ac si numquam fuisset facta, sed quando repetenda est eidem Confessario.

Conueniunt Doctores, quòd quando fit eidem Confessario, qui retinet notitiam (quamuis confusam) sufficientem ad imponendam conuenientem pœnitentiam, non sint necessariò distinctè repetenda, quia post confessionem distinctè factam, & à Confessario perceptam, non est necessaria ipsi Confessario maior recordatio seu notitia peccatorum, quàm sufficiens ad imponendam pœnitentiam conueniẽtem; ergo non est necessarium, quòd illi fiat iterùm distinctè confessio, sed sufficiet defectum confessionis inualidæ explicare, & vnico verbo confiteri peccata in confessione inualida distinctè confessa, & ea absolutioni subijcere, vt si pœnitens dicat se accusare de peccatis in illa confessione confessis. Quod est verum, etiamsi confessio, quæ fuit inualida, non fuerit Sacramentalis, vel quia facta fuit non iudici, vt Sacerdoti excommunicato non tolerato, vel non approbato, quia illa repetitione, sic in confuso, & vnico verbo facta, fit Sacramentalis omnium anteà distinctè confessorum.

Est tamen difficultas, An quando Confessarius non retinet dictam notitiam peccatorum, tunc pœnitens teneatur iterùm distinctè confiteri peccata, ac si illa non fuisset confessus.

Corduba in Summa quæst. 6. partem affirmatiuam tuetur, quia tunc Confessarius se habet, ac si ipsi numquam facta fuisset confessio illa. Medina Cod. de Confessione, quæst. 28. de Confessione facta Confessori prauo, partem negatiuam tradit, quia ex vna parte iam illi facta est distinctè confessio, & ex altera non est necessarium, quòd Confessarius imponat pœnitentiam commensuratam peccatis, & statui pœnitentis.

Corduba. Medina.

Nos verò existimamus (vt indicant Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. & Siluester v. *Confessio* 1. q. 3.) quòd si Confessarius pœnitentiam imposuit, & ea est ipsi nota, vel ipsi fit nota à pœnitente, non sit necessarium quòd ei fiat iterùm distincta peccatorum confessio, quia ad absoluendum sufficit, confessionem fuisse à pœnitente distinctè factam, & distinctè à Confessario perceptam, & ab eo impositam aut taxatam pœnitentiam, & horum notitia; quia absque fundamento ampliùs exigitur. Si verò Confessarius non imposuit pœnitentiam, vel non taxauit illam, aut si imposuit vel taxauit, & non recordatur illius, nec habet notitiam aliàs sufficientem ad eam prudenter taxandam, necessarium est quòd ipsi fiat confessio maior, quàm quæ fit illo vnico supradicto verbo; sed non requiritur confessio distinctè facta, sed sufficit confessio aliqua confusa peccatorum anteà distinctè confessorum, talis qualis sufficit vt Confessarius acquirat notitiam sufficientem ad prudenter taxandam pœnitentiam, quia tunc ad id tantùm requiritur noua confessio peccatorum anteà distinctè confessorum. Ad causandam autem in Confessario notitiam sufficientem ad taxationem pœnitentiæ, non requiritur confessio distinctè facta, quia ad eam taxationem sufficit notitia confusa, qualis post longam pœnitentis confessionem solet in Confessario relinqui.

Antonin. Siluest.

DISPV-

DISPVTATIO IX.

De integritate Confessionis Sacramentalis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm omnia peccata mortalia sint necessariò explicanda.

CONVENIVNT Doctores, necessariam esse confessionem omnium mortalium, quæ post Baptismum commissa sunt. Quod significatur in Concilio Lateranensi II. approbato ab Innocentio III. in cap. 21. quod est 12. in titulo de Pœnitentia & remissionibus, & incipit, *Omnis vtriusque sexus*; & in Decreto Eugenij IV. in Concilio Florentino post vltimam sessionem, & etiam significatur in Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. & eam confessionem esse necessariam Iure diuino, conueniunt communiter Doctores: quod etiam indicatur in dictis Concilijs, imò in Tridentino exprimitur. Quod etiam constat, quia necessitas confessionis omnium mortalium deducitur ex eo, quòd Christus Ioannis 20. Apostolis & eorum in Sacerdotio successoribus, contulit potestatem absoluendi & retinendi peccata, ex quo id deducit Tridentinum cap. illo 5. & nos deduximus Disputatione VII. Difficultate 1. quòd maximè congruum fuit ita à Christo institui, quia sicut numquam vnum peccatum mortale remittitur sine alio, ita etiam maximè conueniens fuit, vt in hoc Sacramento, ad remissionem peccatorum instituto, non fiat absolutio directè & per se, nisi ab omnibus mortalibus; ad absolutionem autem per se & directam peccati, requisita est confessio illius.

Concilium Lateranen. *Eugen. IV. Trident.*

Ita tamen Iure diuino est necessaria confessio integra omnium mortalium, vt non solùm sit necessaria necessitate præcepti diuini, seu quia præcepta est à Christo, sed etiam sit necessaria necessitate Sacramenti, seu ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, vt significat Tridentinum, vbi suprà: quia in primis cap. illo 5. vtramque necessitatem significat, dum ait: *Ex institutione Sacramẽti Pœnitentiæ vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Deo integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis Iure diuino necessariam existere.* Vbi prioribus verbis significat, integram peccatorum mortalium confessionem institutam esse à Christo partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde esse necessariam ad valorem illius: & posterioribus verbis, nempe, *Et omnibus post Baptismum lapsis Iure diuino necessariam existere*, significat, etiam esse necessariam necessitate præcepti diuini. Et can. 7. clariùs significat, illam esse necessariam ad valorem, dum ait, confessionem omnium mortalium esse Iure diuino necessariam ad remissionem peccatorum; quia nequit ad hanc esse necessaria, nisi sit valida. Hæc autem necessitas confessionis omnium mortalium, ad effectum remissionis peccatorum, & antecedenter ad valorem, probatur congruenter dicta congruentia, quia scilicet vnum peccatum mortale non potest remitti sine alio.

Trident.

Est autem duobus prædictis modis necessaria confessio omnium mortalium, non omnium materialiter seu physicè, id est omnium quæ commissa sunt, sed omnium formaliter seu moraliter, id est omnium quæ modo humano & commodo confiteri possunt, de quo posteà.

Ex dictis deducimus, eum, qui confitetur tempore pro quo præcisè obliget præceptum diuinum, siue purum, vt in articulo mortis, siue etiam diuinum Ecclesiasticũ annuæ confessionis, & non confitetur integrè omnia sua peccata mortalia, duplex peccatum mortale committere, alterum omissionis, contra præceptum diuinum positiuum affirmatiuum confitendi integrè, siue purè diuinum, siue etiam Ecclesiasticum; & alterum commissionis contra præceptum diuinum naturale negatiuum non inualidandi Sacramentum Confessionis: eum verò, qui confitetur tempore pro quo non obligatur, & non confitetur omnia mortalia, peccare tantùm dicto posteriori peccato commissionis, & non priori omissionis.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm omnes species peccatorum sint necessariò confitendæ.

CONueniunt Doctores, non esse necessarium, confiteri omnes species peccatorum physicè distinctas, nempe quòd occisio facta sit gladio, aut quòd facta sit veneno.

Est tamen difficultas, An sit necessarium confiteri omnes species peccatorum moraliter, seu in ratione peccati distinctas.

Caietanus tomo 1. Opusculorum, tract. 5. q. 3. *Caietanus.*
Nauarrus in cap. *Desideret*, de Pœnitentia, dist. 5. *Nauarrus.*
Canus Relectione de Pœnitentia, part. 5. §. *Ad quartum argumentum*, docent, non omnes species peccatorum moraliter distinctas esse necessariò confitendas, sed tantùm illas, quæ ad sui curationem & remedium causant in Confessario diuersum iudicium, vt quòd occisio sit patris, aut sit Clerici; non verò reliquas, vt quòd diuinatio fiat per aquam, aut quòd fiat per ignem, quas existimant (quamuis formidose) specie morali differre, quæ eodem modo curanda sunt à Confessario: illas autem species existimant Caietanus & Canus diuersum iudicium causare in ordine ad curationem, quæ communiter sunt notæ mediocriter doctis, non verò alias species subtiliores. *Canus.*

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. *Sotus.*
Suarez disp. 22. sect. 2. Vasquez quæst. 91. art. 1. dub. 1. *Suarez.*
Ægidius disputat. 7. dubio 2. & communiter Doctores docent, & meritò, omnes species peccatorum moraliter, seu in ratione peccati distinctas, esse necessariò confitendas. Quod absque dubio definitum est in Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. dum absolutè, nulla adhibita exceptione *Vasquez.* *Ægidius.* *Trident.*

nec limitatione, decernitur, omnes ſpecies peccatorum, & omnes circumſtantias ſpeciem mutantes eſſe confitendas. Quod etiam inſinuat Tridentinum in ratione quam adducit, quia ſcilicet aliàs Sacerdos non poterit rectè de criminum grauitate iudicare, & pœnitentiam, quam oportet, pro illis imponere; quia negari non poteſt, omnia peccata, quæ ſpecie morali diſtinguuntur, ſiue eorum ſpecifica diſtinctio ſit communiter nota mediocriter doctis, ſiue non, ſed tantùm doctioribus, diuerſum iudicium in ordine ad curationẽ & ad abſolutionem cauſare in Confeſſario, quia à Confeſſario iudicantur moraliter ſpecificè diſtincta, & pro eis, vt ſpecie morali diſtinctis, pœnitentiam imponit, quamuis ſæpè pro peccatis ſpecie morali diſtinctis pœnitentiam eiuſdem rationis imponit, vt orationem, & aliquando æqualem.

Quòd ſi diuinatio per aquam & per ignem non generant diuerſum iudicium in ordine ad curationem ſui, eſt, quia ſpecie morali non diſtinguuntur, quia vtraque dæmon tamquam Magiſter docens honoratur.

Ex dictis conſtat, omnes circumſtantias ſpeciem moralem mutantes eſſe neceſſariò confitendas, cùm omnes ſpecies morales peccatorum ſint neceſſariò confitendæ. Quod etiam ſpecialiter definit Tridentinum vbi ſuprà.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm circumſtantiæ, quæ ſpeciem peccati non mutant, illud tamen augent aut minuunt intra eamdem ſpeciem, ſint neceſſariò confitendæ.

DIfficultas hæc tantùm procedit de circumſtantijs quæ cadunt ſupra peccatum mortale, & illud intra rationem mortalis augent aut minuunt, quia certum eſt, circumſtantiam, quæ de peccato, quod aliàs eſſet tantùm veniale, facit quòd ſit mortale; & circumſtantiam, quæ de peccato, quod aliàs eſſet mortale, facit quòd tantùm ſit veniale, quamuis intra eamdem ſpeciem peccati, eſſe neceſſariò confitendas.

Circa Difficultatem ergo conueniunt communiter Doctores, circumſtantias, quæ intra rationem moralis non aggrauant nec minuunt grauiter & notabiliter, non eſſe neceſſariò confitendas, vt conſtat ex ſenſu & vſu fidelium: quod præterquam quòd eſſet intolerabile & nimis durum, nullo ſufficienti fundamento oſtendi poteſt.

Eſt ergo difficultas de circumſtantijs notabiliter aggrauantibus & notabiliter minuentibus intra rationem mortalis, & præcipuè de notabiliter aggrauantibus.

Caietanus. Victoria. Canus. Catech. Do. Sotus. Pet. Sotus. Suarez. Ægidius.

Caietanus v. *Confeſſio*, conditione 15. Victoria de Confeſſione, num. 176. Canus Relectione de Pœnitentia, p. 5. Catechiſmus Pij V. par. 2. cap. 5. n. 41. Dominicus Sotus in 4. d. 18. q. 2. art. 4. Petrus Sotus Lect. 9. de Confeſſione, Suarez diſp. 22. ſect. 3. Ægidius diſp. 7. dub. 2. docent, circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe neceſſariò confitendas. Quod indicari videtur in can. *Conſideret*, de Pœnit. d. 5. dum dicitur, confitendam eſſe circumſtantiam temporis, loci, & ætatis, & vtrùm neceſſitate fecerit, an voluptate, & quanta fuerit vis tentationis. Quod etiam ſupponi videtur in pluribus Canonibus antiquis pœnitentialibus, à Gratiano in fine Decreti relatis, dum in eis pro peccatis grauioribus intra eamdem ſpeciem grauiores pœnitentiæ aſſignantur.

Quod etiam ratione probatur Primò, quia ſi circumſtantiæ grauiter ſeu notabiliter aggrauantes non explicantur in cõfeſſione, non poterit Confeſſarius rectè de grauitate criminum iudicare, & pœnitentiam, quam oportet, pro illis imponere; quia grauitas peccatorum ratione earum circumſtantiarum notabiliter creſcit, & fiunt digna pœna notabiliter maiore. Qua ratione vtitur Tridentinum *Trident.* ſeſſ. 14. cap. 5. ad probandum, neceſſariũ eſſe confiteri omnia mortalia, cuiuſcumque ſpeciei ſint.

Secundò, quia circumſtantiæ mutantes ſpeciem intra genus mortalis, ſunt neceſſariò confitendæ; ergo etiam notabiliter aggrauantes intra eamdem ſpeciem, quia ob has circumſtantias peccata aliquando grauiùs ſauciant animam, & periculoſiora ſunt quàm plura peccata, ſecundùm ſpeciem prouenientia ex circumſtantijs mutantibus ſpeciem. Qua ratione vtitur Tridentinum vbi ſuprà, ad probandum, etiam eſſe confitenda peccata occultiſſima & purè interna, quia ſcilicet hæc aliquando grauiùs ſauciant animam, & periculoſiora ſunt peccatis manifeſtis & externis.

S. Thomas verò in 4. d. 16. q. 3. ar. 2. quæſtiun. 5. *S. Thom. Paludan. Durand. Dionyſ. Alber. Bonau. Richard. Alman. Adrian. Medina Anton. Silueſt. Nauarr. Tolet. Vaſquez.* Paludanus quæſt. 3. ar. 3. Durandus q. 4. Dionyſius q. 2 Albertus ar. 24. Bonauentura d. 17. quæſt vlt. Richardus art. 3. quæſt. 5. Almainus quæſt. 1. ar. 2 Adrianus q. 4. de Confeſſione, Medina Cod. de Confeſſ. quæſt. de Circumſtantijs cõfitendis, Antoninus 3. p. tit. 14. c. 19. Silueſter v. *Cõfeſſio* 1. q. 9. Nauarrus cap. 6. n. 6. Toletus lib. 3. c. 7. & Vaſquez q. 91. ar. 1. dub. 2. docent, & meritò, circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eamdẽ ſpeciem, non eſſe neceſſariò confitendas, quia neceſſitas integritatis confeſſionis ſolùm eſt ex inſtitutione, & ex iure Chriſti: ſed non conſtat Chriſtus inſtituiſſe confeſſionem earum circumſtantiarũ, vt neceſſariam ad valorem Sacramenti, nec eam præcepiſſe; ergo non eſt dicendum, neceſſarium eſſe illas confiteri. Conſequentia patet, quia abſque fundamento, & magno, non eſt admittenda neceſſitas confeſſionis tam duræ & tam difficilis, & tam rigoroſæ, cùm potuerit Chriſtus Sacramentum confeſſionis inſtituere & præcipere inſtar iudicij nõ adeò exacti & rigoroſi, vt neceſſarium ſit in eo de dictis circumſtãtijs iudicare, & eis attentis pœnitentiam imponere; ſed inſtar iudicij ita ſuauis, vt in eo ſufficiat ſpecies & numerum mortalium confiteri, & eis attentis pœnitentiam imponere. Quòd autem non conſter, Chriſtum confeſſionem dictarũ circumſtantiarum præcepiſſe, nec eam vt neceſſariam ad valorem inſtituiſſe, patet, quia id non conſtat ex Scriptura, nec ex traditione aliqua, nec ex Pãtribus, nec ex definitione aliqua Eccleſiæ. Imò Eccleſiain Tridentino vbiſuprà ex Ioan. 20. vbi Chriſtus Sacramentum confeſſionis inſtituit, ſolùm deduxit neceſſitatem confitendi ſpecies & numerum mortalium, & circumſtantias ſpeciem mutantes, nulla facta mentione circumſtantiarum aggrauantium intra eamdem ſpeciẽ: quo ſatis indicatur, Tridentinum non fuiſſe perſuaſum, neceſſarium eſſe ex ordinatione Chriſti illas confiteri, aliàs in re doctrinali adeò graui diminutè proceſſiſſet. Nec id conſtat ex aliqua efficaci ratione, nec ex aliquo alio efficaci fundamento, vt patebit ſtatim, dum fundamentis aduerſariorum ſatisfaciemus.

Et

Et ob hanc dictam rationem, idem dicendum est de circumstantijs grauiter seu notabiliter minuentibus seu alleuiantibus peccatum intra rationem mortalis, quòd scilicet non sint necessariò confitendæ, vt contra Dominicum Sotum docent communiter Doctores (etiam illi, qui quoad circumstantias notabiliter aggrauantes nobis aduersantur) & maiori ratione quàm circumstantiæ notabiliter aggrauantes, quia confiteri circumstantias notabiliter minuentes, excusationem potiùs redolet, quàm accusationem. Nihilominùs, quamuis has circumstantias confiteri, excusationem redoleat, licitum est, imò & laudabile, si id fiat ex fine explicandi perfectè & exactè veritatem.

In dicto ergo can. *Considereret*, de Pœnitentia d. 15. pro aduersarijs adducto, non continetur necessitas, nec præceptum confitendi circumstantias in eo assignatas, quia in eo continentur plures, quæ aut non aggrauant, aut saltem non aggrauant notabiliter, vt tempus, locus, & ætas: sed in eo tantùm continetur consilium confitendi illas.

In illis verò antiquis Canonibus in fine Decreti habitis, assignantur grauiores pœnitentiæ pro grauioribus peccatis intra eãdem speciem: ex hoc tamen non deducitur, tempore illo ex necessitate confitendas esse circumstantias notabiliter aggrauantes; quia etiam pro peccatis leuiter grauioribus assignantur grauiores pœnitentiæ, & tamen circumstantiæ leuiter tantùm aggrauantes non explicantur in confessione ex necessitate: assignantur ergo in illis grauiores pœnitentiæ pro peccatis grauioribus, etiam pro leuiter tantùm grauioribus, quia tunc ob feruorem illius temporis regulariter explicabantur plures circumstantiæ ex aggrauantibus, etiam leuiter tantùm aggrauantibus: imò nunc etiam à non paucis aliquando explicantur.

Ad primam autem rationem concedimus, quòd etiamsi, quando circumstantiæ notabiliter aggrauantes non explicantur, non possit Confessarius rectè iudicare de grauitate accidentali peccatorum ipsis superaddita, & proueniente ex eis circumstantijs, nec pœnitentiam ei correspondentem imponere; si tamen explicantur species & numerus mortalium, potest rectè iudicare de grauitate specifica & numerica, & de accidentali ratione, cuius peccata aliquando sunt mortalia; quod sufficit vt satisfiat institutioni & præcepto Christi confessionis, qui noluit ampliùs exigere, vt suauiter & non rigidè procederet. Nec ratio Tridentini habet locum in circumstantijs notabiliter aggrauantibus intra eamdem speciem, quia ea non probat, omnia mortalia cuiuscumque speciei esse necessariò confitenda, quia id deducit ex Ioan. 20. vbi Christus Sacramentum Pœnitentiæ instituit: sed, hoc supposito, dicta ratione tantùm probat, omnia mortalia in specie & sigillatim esse necessariò confitenda, quando moraliter fieri potest; & non sufficere illa tantùm in communi & in genere confiteri: quia si sic tantùm confiterentur, non posset Confessarius rectè iudicare de omnibus mortalibus, & pro eis pœnitentiam proportionatam imponere.

Et ad secundam concedimus, peccata mortalia aliquando ob circumstantias notabiliter aggrauantes intra eamdem speciem, grauiùs sauciare animum, & periculosiora fieri, quàm ob circumstantias speciem mutantes. Nihilominùs Christus exegit harum confessionem, & non illarum, vt iam diximus: nec ratio Tridentini pro peccatis occultis & internis, habet locum in illis; quia illis verbis, *Quæ nonnumquam animum grauiùs sauciant, & periculosiora sunt*, non redditur ratio, ob quam peccata occulta & interna debeant confiteri, quia hoc deduxit ex eo quòd sint mortalia, quãdo sunt talia; sed redditur ratio, ob quam non debeat videri non esse necessariò confitenda ex eo quòd sint occulta aut interna, cùm scilicet aliquando sint peiora, quàm manifesta, & quàm externa.

Ex dictis constat, quòd quamuis Christus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ instar iudicij, sed non adeò exacti & rigorosi, vt voluerit ampliùs esse confitendum necessariò, quam species & numerum peccatorum mortalium, nec Confessarium necessariò iudicare de alio quàm de speciebus & de numero eorum, nec necessariò pœnitentiam imponere, & æquitatem in ea imponenda seruare, nisi iuxta grauitatem specificam & numericam mortalium, & non iuxta excessiuam ex circumstantijs prouenientem, nisi ex suppositione quòd pœnitens velit illas confiteri, & clauibus Confessarij subijcere.

DIFFICVLTAS IV.

De quibusdam circumstantijs in particulari, vtrùm debeant confiteri.

CIrcumstantiæ humanorum actuum septem communiter numerãtur, hoc versu contentę: *Quis, Quid, Vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.*

De harum nõnullis in particulari disputandũ est, an sint necessariò confitendę, vt doctrina Difficultate pręcedenti à nobis tradita meliùs intelligatur.

QVANDO.

CIrca circumstantiam *quando*, per quam explicatur tempus in quo fit actio, est difficultas: Primò, An duratio peccati mortalis, quando est notabiliter excessiua & aggrauans, sit necessariò confitenda.

Sotus & Canus vbi Difficultate præcedenti, partem affirmatiuam tuentur, quia qui bis peccat per vnam horam, tenetur numerum binatium confiteri; sed qui semel peccat per duas horas continuas, non minùs, imò magis peccat quàm qui bis per vnam; ergo tenetur durationem illarum duarum horarum confiteri. *Sotus. Canus.*

Nauarrus verò & Vasquez vbi Difficultate præcedenti partem negatiuam tradũt, & meritò: quia ex institutione & præcepto Christi non cognoscimus necessitatem confitẽdi, nisi species & numerum mortalium, non circumstantias ad species & ad numerũ impertinentes, quamuis ratione earum vnum peccatum ita notabiliter crescat in malitia accidentali, vt pluribus mortalibus æquiualeat. *Nauarrus. Vasquez.*

Secundò est difficultas, An circumstantia diei Festi, in quo fit mortale, sit necessariò confitenda.

Alexander, Bonauẽtura, & Adrianus, quos refert & sequitur Corduba lib. 1. q. 6. partem affirmatiuam tuentur, quia peccatum ratione diei Festi speciem mutat, seu addit, quia eo ipso peccatum fit contra Religionem, quia peccatum est opus seruile: quia qui facit peccatum, seruus est peccati; opus autem seruile in die Festo est contra Religionem. *Alexand. Bonauen. Adrian. Corduba. Caietanus.*

Caietanus verò 2. 2. quæst. 122. ar. 4. Sotus 2. de Iustitia q. 4. ar. 4. Nauarrus, Suarez, Vasquez, Ægidius, & communiter Doctores, partem negatiuam tradunt, *Sotus. Nauarrus. Suarez. Vasquez. Ægidius.*

tradunt,& meritò : quia peccatum ratione diei Festi non mutat speciem , quia non est opus seruile quod in honorem Dei in die Festo ab Ecclesia prohibetur , quia ab ea tantùm prohibetur opus quod est tantùm seruorum , vt laborare in agro; peccatum autem non est proprium seruorũ , quia eiusmodi conuenit heris & dominis , imò peccatum ratione diei Festi non aggrauat notabiliter.

Tertiò est difficultas , An,quando in eodem die occurrit duplex præceptum , latũ ex eodem proximo motiuo specifico virtutis, vt quando in eodem die occurrit duplex Festum obseruandum, in quo audienda est Missa ex duplici præcepto , & vtroque Religionis , etiam quando vnum ex illis est alicuius Sancti , & quando in eodem die occurrit duplex Vigilia , aut Vigilia & Quatuor tempora, in quo ieiunandum est ex duplici præcepto temperantiæ , an scilicet tunc contenda sit necessariò hæc circumstantia occursus istius duplicis præcepti in eodem die.

Nauarrus. Ægidius. Reginald. Nauarrus cap.11.nu.4. Ægidius disp.7.dub.6. & Reginaldus lib.6.nu.129.affirmant, quia tunc fiunt duo peccata mortalia.

Vasquez. Henriq. Suarez. Vasquez verò 1.2. disp.98. cap.3. Henriquez lib.5.cap.5.& Suarez negant,& meritò: quia in dicta omissione aut commissione est vna tantùm numero malitia , & vnum tantùm numero peccatum; quia malitia eiusdem speciei , quæ ex violatione vtriusque præcepti , vtpote eiusdem speciei, prouenit , continuatur in vna illa omissione aut commissione,quia ex vna parte habet eamdem numero materiam , & eadem numero circunstantias : & ex altera parte non respicit aliqua diuersa extrinseca, in ordine ad quæ possit numero multiplicari, vt contingit , quando alicui personæ vno præcepto prohibetur opus aliquod , ne ex eo eueniat Petro damnum ; & altero præcepto prohibetur idem opus , ne ex eo eueniat damnum Paulo, quia tunc opus illud ob respectum ad ea duo extrinseca , nempe ad Petrum & ad Paulum , habet duplicem malitiam iniustitiæ , vnam contra Petrum , & alteram contra Paulum.

QVOMODO.

CIrca circumstantiam *quomodo* , per quam intensio actionis humanæ explicatur,est difficultas, An sit necessariò explicanda, quando notabiliter aggrauat.

Pet. Sotus. Suarez. Petrus Sotus & Suarez docent,esse necessariò explicandam in confessione, quando agnosci potest.

Vasquez verò,& communiter Doctores docent, non esse necessariò explicandam , quamuis agnoscatur , & meritò , ob generalem rationem adductam Difficultate præcedenti : quod maximè confirmat vsus fidelium,etiam sapientium & timoratæ conscientiæ.

QVID.

AD circumstantiam *quid* pertinent conditiones materiæ peccati. Circa quam est difficultas, An quantitas materiæ in furto,quãdo moraliter aggrauat supra eam,quæ sufficit ad mortale, sit necessariò explicanda in confessione.

Suarez. Ægidius. Suarez, Ægidius , & communiter recentiores Thomistæ affirmant , ob rationem generalem circumstantiarum notabiliter aggrauantium. Idem

Valentia. quoad hanc circumstantiam docet Valentia , quia existimat eam pertinere ad substantiam furti in indiuiduo , quia est obiectum furti in indiuiduo.

Nauarrus verò c.6.n.9. Toletus & Vasquez negant,& meritò :quia quamuis quantitas rei furatæ non sit circũstantia furti totalis in indiuiduo , quia pertinet ad eius obiectum,& consequenter ad eius substantiam,nihilominùs absque eo quòd excessus ille notabilis explicetur à pœnitente, si tamen dicat se quantitatem grauem fuisse furatum , exprimit sufficienter indiuiduum etiam totale furti non distinctè,sed confusè (ad eum modum , quo ille , qui confitetur se quemdam hominem occidisse,non assignando Petrum quem occidit)quia non est necessarium confiteri id, absque quo peccatum in indiuiduo potest saltem confusè explicari, siue id sit circumstantia siue non.

Quia ergo quantitas excessiua materiæ furti non est circumstantia peccati furti totalis in indiuiduo , quia pertinet ad eius substantiam , cùm sit pars obiecti ipsius , ideò qui furatus est centum, non satisfacit confitendo se furatum quadraginta, quia non confitetur adhuc confusè indiuiduum illud totale furti quod commisit.

Sed quamuis quantitas excessiua materiæ furti non sit circumstantia furti totalis in indiuiduo, est tamen circumstantia furti partialis præsuppositi, siue realiter siue per rationem ad furtum partiale habens pro obiecto quantitatẽ excessiuam, quia furto partiali præsuppositi , siue realiter siue per rationem habenti pro obiecto priorem partem furti , accidit furtum partiale subsequens, habens pro obiecto partem excessiuam furti ; ac proinde hæc posterior pars excessiua furti est circumstantia furti partialis præsuppositi , est autem circumstantia aliquando realis,quando videlicet materia furti successiuè accipitur,& aliquando est circumstantia rationis , quando videlicet simul accipitur, imò tunc quantitas excessiua non est determinata materialiter, sed formaliter.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis quantitas excessiua materiæ furti non sit necessariò confitenda per se ratione aggrauationis , tamen aliquando per accidens est necessariò confitenda à pœnitente,aut ratione excommunicationis annexæ furto in ea quantitate, vt ab ea excommunicatione absoluatur,saltem dicendo se furatũ fuisse tantam quantitatem vt excommunicationem incurrerit, aut ratione restitutionis,aut ratione pœnitẽtię medicinalis,vt in futurũ caueat furtum,ob quæ pœnitens Confessario interroganti de quantitate determinata furti respondere tenetur , nisi pœnitenti aliàs constet; nec ratione restitutionis, nec ratione cautionis in futurũ se indigere directione & consilio Confessarij,quia tunc non tenetur respondere, nec Confessarius poterit illi , quia non respondet,absolutionem negare,si verbis pœnitentis, aut aliter reddatur moraliter securus de prædictis:sicut nec pœnitens tenetur respondere de consuetudine peccandi , si ipsi constet non indigere directione Confessarij ad cautionem in futurum , nec Confessarius poterit illi absolutionem negare quia non respondet, si aliàs reddatur de eo moraliter securus.

Ad circumstantiam *quid* reducitur à Theologis circumstantia *circa quid*,qua explicatur persona , circa quam fit peccatum quoad eius conditiones & qualitates.

Circa hanc circumstantiam *circa quid*, seu *quid* supponimus, esse necessariò confitendam, quoties ratione

ratione illius oritur aliqua malitia secundùm speciem distincta, vt quando quis occidit suum patrem, aut Clericum.

Est tamen difficultas Primò, An circumstantia virginitatis personæ cum qua committitur fornicatio, ratione cuius fornicatio dicitur stuprum, vt quando quis violat virginem, sit necessariò confitenda.

Conueniunt Doctores, esse necessariò confitendam, quando violèter violatur virgo, quia tunc violatio supra speciem peccati luxuriæ contra castitatem, addit speciem peccati iniustitiæ; imò duplicem numero malitiam iniustitiæ, alteram, quia virgo violenter opprimitur, sicut quàdo quæcumque alia anteà violata posteà violenter opprimitur; alteram, quia violenter defloratur.

Est ergo difficultas, An quando virgo, ipsa consentiente, violatur, sit necessariò confitenda.

Non desunt, qui docent, etiam tunc esse necessariò confitendam, quia existimant intra latitudinem intemperantiæ speciem mutare.

Sotus. Vasquez. Sancius. Ægidius. Reginald.

Sotus verò in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Vasquez 1. 2. disp. 112. c. 1. Sancius 7. de Matrimonio disp. 14. Ægidius disp. 7. n. 19. & Reginaldus lib. 6. n. 128. docent, tunc non esse necessariò confitendam, & meritò: quia nullo fundamento constat tunc mutare aut addere speciem, imò non esse circumstantiam notabiliter aggrauantem. Quod etiam est verum, vt aduertit Ægidius, quamuis virgo sit sub custodia parentum, dum parentibus nulla inferatur violentia; quia hac secluſa, nulla alia illis irrogatur iniuria.

Secundò est difficultas, An consanguinitas, & etiam affinitas personæ ad quam luxuriosè accedítur, sit necessariò confitenda.

Conueniunt Doctores, circumstantiam tam consanguinitatis quàm affinitatis esse necessariò confitendam, saltem sub nomine cognationis carnalis confitendo incestum, quia tam consanguinitas quàm affinitas addit fornicationi oppositæ castitati nouam speciem incestus oppositi pietati.

Est tamen difficultas, An consanguinitas sit necessariò distinguenda ab affinitate, & gradus cuiuslibet inter se.

Nauarrus.

Nauarrus c. 16. n. 3. quoad vtrumque affirmat, quia consanguinitas addit malitiam specie distinctam à malitia quam addit affinitas, & quilibet gradus earum addit malitiam specie distinctam ab ea quam addit quilibet alius gradus.

Caietanus.

Caietanus verò 2. 2. q. 154. art. 9. quoad vtrumque negat, quia malitia incestus, quam consanguinitas addit, est eiusdem speciei cum malitia quam addit affinitas; & malitia quam addit consanguinitas in quolibet gradu, est eiusdem speciei; & etiam malitia quam affinitas addit in quolibet suo gradu, est eiusdem speciei: quamuis malitia prouenies ex consanguinitate sit intra eamdem speciem notabiliter maior, quàm prouenies ex affinitate; & etiam malitia quam addit quilibet gradus supra alterum, propinquior videlicet suprà remotiorem.

Nos tamen existimamus, consanguinitatem esse necessariò distinguendam ab affinitate, quia consanguinitas, vtpote cognatio secundùm speciem distincta ab affinitate, addit malitiam specie distinctam à malitia quam addit affinitas. Difficile tamen existimamus, gradus ipsos consanguinitatis inter se, & gradus affinitatis inter se esse necessariò distinguendos, quia difficile est gradus ipsos consanguinitatis inter se, vtpote inter se eiusdem speciei, & gradus affinitatis inter se, vtpote inter se eiusdem speciei, addere malitiam distinctam secundùm speciem; quamuis intra eamdem speciem addant notabiliter maiorem illi qui sunt propinquiores. Ob quod non desunt (vt Cord. q. 2. refert) qui existiment, gradus consanguinitatis non esse inter se necessariò distinguendos & explicandos, neque gradus affinitatis inter se, sed sufficere, si pœnitens dicat se personam cõsanguineam cognouisse, non declarando gradum consanguinitatis; & se personam affinem cognouisse, non declarando gradum affinitatis. Confessarius autem qui in confessione sollicitat feminam pœnitentem ad peccatum luxuriæ cum ipso, id tenetur in confessione explicare, quia præter peccatum luxuriæ contra castitatem, peccat etiam peccato sacrilegij contra reuerentiam sacram Pœnitentiæ, quia id est prohibitum intuitu reuerentiæ illius.

QVIS.

CIrca circumstantiam *quis*, quæ conditionem & qualitatem personæ operantis inquirit, potest etiam esse difficultas circa virginitatem peccantis cum alio, & circa eius consanguinitatem & affinitatem. Idem tamen omnino dicendum est, ac dictum est de eisdem existentibus in persona cum qua peccatur, & pertinentibus ad circumstantiam *circa quid* aut *quid*.

Addunt nonnulli, dignitatem personæ peccantis esse necessariò confitendam. Id tamen absque fundamento dicitur, vt Ægidius aduertit num. 19. *Ægidius.*

Fatemur, personam in dignitate constitutam suo peccato mortali publico non rarò alios mortaliter scandalizare, seu ad peccandum mortaliter inducere: & in casu, in quo ad id inducat, est necessariò confitendum scandalum, quia ex eo quòd inducit ad mortale, aliud peccatum mortale committit, distinctum ab eo quo ad illud inducit; dignitas tamen personæ non est necessariò confitenda.

VBI.

CIrca circumstantiam *vbi*, per quam circumstantia loci explicatur, difficultas est, An quando peccatum mortale fit in loco sacro, circumstantia loci sacri sit necessario confitenda.

Medina Cod. de Confessione, q. 9. de circum- *Medina.*
stantijs confitendis, partem affirmatiuam tuetur, quia quolibet peccato adhuc interiori fit irreuerentia loco sacro contra Religionem.

Caietanus verò, Suarez, Vasquez & Ægidius *Caietanus. Suarez. Vasquez. Ægidius.*
partem negatiuam tradunt, & meritò: quia peccata tantùm homicidij & effusionis voluntariæ seminis, & etiam furti, addunt malitiam sacrilegij contra Religionem, ex eo quòd fiant in loco sacro, quia hæc tantùm peccata sunt prohibita, & solo Iure humano, fieri in loco sacro, intuitu reuerentiæ talis loci. Imò addunt Lessius de Iustitia c. 45. *Lessius.* Reginaldus lib. 14. n. 42. & Ægidius, non quod- *Reginald.* cumque furtum in loco sacro commissum addere *Ægidius.* malitiam sacrilegij, sed tantùm quando subripitur res deposita, aut custodita in loco sacro tamquam in asylo; quia id tantùm videtur prohibitum Iure humano, vt indicatur in can. *Quisquis* 17. q. 4. vbi furtum in loco sacro prohibetur.

In peccato autem sacrilegij sepeliendi excommunicatum non toleratum, & Paganum, & infi-

delem baptizatum in loco sacro, & in peccato sacrilegij iudicis extrahentis delinquentem de loco sacro gaudentem immunitate illius, locus sacer non est circumstantia alterius peccati præsuppositi, respectu cuius possit esse circumstantia, quia in peccato sepeliendi excommunicatum, aut paganum, aut infidelem baptizatum, nullum aliud est peccatum quàm sacrilegij, quia sepelitur excommunicatus, aut paganus, aut infidelis baptizatus in loco sacro; & in dicto peccato sacrilegij iudicis, quamuis etiam sit aliud peccatū iniustitiæ contra delinquentem qui extrahitur; istud tamen non est prius, sed si aliquod est prius, est ipsū sacrilegium.

Circa circumstantiam *quibus auxilijs*, per quam instrumentum quo quis peccat explicatur, & etiam concausa, à qua quis ad peccandum iuuatur; & circa circumstantiam *cur*, per quam finis peccati ipsi peccato extrinsecus (qui dicitur finis operantis) explicatur, nihil peculiare dicendum occurrit, præter ea, quæ dicuntur in Tractatu de Peccatis.

DIFFICVLTAS V.

Quomodo numerus peccatorum mortalium sit confitendus.

COnueniunt, contra nonnullos Canonistas, reliqui Doctores, non sufficere pœnitenti, si dicat, se sæpiùs peccasse mortaliter, v.g. se sæpiùs furatum fuisse, sed ei necessarium esse omnia & singula peccata mortalia confiteri, vt exprimitur in Tridentino sess. 14. cap. 5. & can. 7. & satis significatur in Concilio Lateranensi II. c. 21. & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dum in eis dicitur, omnia peccata mortalia esse explicanda in confessione. Non tamen est pœnitenti necessarium quodlibet peccatū mortale seorsim in indiuiduo confiteri, sed ei sufficit omnia illa simul in aliquo numero confiteri, v. g. se viginti fornicationes commisisse, in quo Doctores communiter conueniunt, quia eo modo omnia & singula explicantur: imò etiam sigillatim modo requisito à Tridentino c. 5. quia ea particula *sigillatim* ab ipso addita, tantùm denotatur esse confitenda in indiuiduo, & non sufficere illa tantùm in genere, & in specie confiteri, vt patet ex contextu, & vt praxis & vsus fidelium declarauit.

Trident. Concilium Later. II. Eugen. IV.

Ita tamen numerus peccatorum mortalium confitendus est, vt si post diligentem discussionem possit certò Mathematicè confiteri, debeat sic fieri, aliàs non satisfiet necessitati & obligationi confitendi integrè omnia mortalia: quòd si non possit certò Mathematicè, & possit certò moraliter, addēdo *paulò plus minusve*, verbi gratia, *cōmisi decem fornicationes, paulo plus minúsve*, sic faciēdum est.

Addunt Sotus, Ægidius, Ochagauia, quòd qui post confessionem factam, addendo *paulò plus minúsve*, recordatur se genus illud peccati aliquot paucis vicibus amplius commisisse, quorum in confessione non fuit memor, non teneatur vices illas confiteri, quia ratione particulæ *paulò plus minúsve* censeatur sub priori numero comprehensæ, vt qui confitetur se fornicatum fuisse decem vicibus, paulò plus minúsve, & postea recordatur se alijs tribus vel quatuor vicibus fornicatū fuisse, non teneatur illas tres vel quatuor vices de nouo confiteri: quod nos verū existimamus, quādo etiam postquam recordatus est, se illis tribus vel quatuor vicibus ampliùs fornicatum fuisse, possit rectè & verè iudicare se decem vicibus fornicatum fuisse, paulò plus minúsve; non verò quando id non potest sic iudicare, & dicere, vel quia post confessionem iam pœnitenti constat de certo & determinato numero, nempe se duodecim vicibus determinatè fornicatum fuisse; vel quia post dictam recordationem, non posset verè & rectè iudicare, & dicere se fornicatum fuisse decem vicibus paulò plus minúsve, sed duodecim plus minúsve: quia sicut si in principio pœnitenti certò constaret se duodecim vicibus determinatè fornicatum fuisse, aut iudicaret se duodecim paulò plus minúsve fornicatum fuisse, teneretur sic confiteri, sic etiam tenetur post confessionem factam.

Sotus. Ægidius. Ochagan.

Est tamen difficultas, Quomodo explicandus sit numerus peccatorum mortalium à pœnitente, qui in aliquo genere peccati longo tempore vixit, & nequit congruam notitiam peccatorum habere, vt regulariter contingit meretricibus, quæ longo tempore cuilibet prostitutæ fuerunt; quia si haberi potest, dicendo quoties per diem aut per hebdomadam aut per mensem peccatum mortale commiserit, ad id tenetur.

Circa hanc difficultatem Sotus in 4. d. 18. q. 2. ar. 4. Canus Relect. de Pœnitentia p. 5. §. *Colligo tandem*, Nauarrus c. 6. n. 15. Vasquez q. 91. art. 1. dub. 5. Ægidius disp. 7. du. 7. Ochagauia q. 15. & cōmuniter Doctores docent, tunc pœnitenti, v. g. meretrici, sufficere animi præparatiōē cōfiteri, & tempus quòin eo genere peccati vixit, quia tunc nequit meliori modo numerū mortalium cōfiteri.

Sotus. Canus. Nauarrus. Vasquez. Ægidius. Ochagan.

Curare tamen debet meretrix, aut Confessarius pro ea, vt numerus peccatorum mortalium extraordinariorum explicetur, quia iste aliquando facilè explicari potest, vt peccatorum cum consanguineis, & cum Clericis Ordinis sacri, & cum Religiosis, & peccatorum contra naturam: & sæpè erit necessarium meretrici pro exacta numeri peccatorum confessione, circumstantiam loci explicare, quia pro oppidorum diuersitate solet esse maior aut minor fornicationum frequentia.

DIFFICVLTAS VI.

Vnde sumenda & discernenda sit pluralitas & multiplicatio numerica peccatorum necessariò explicanda in confessione.

SVpponimus, affectum interiorem efficacem voluntatis, & actum exteriorem (id est actum extra ipsam voluntatem) quem affectus ille habet pro obiecto, & in quo consummatur, ita efficere vnum moraliter, aut in fundamēto generis moris, vt ad vnitatem numericam peccati requisita sit vnitas numerica dicti affectus, & dicti actus exterioris. Ac proinde quando in aliquo eorum est pluralitas numerica, quamuis in altero sit vnitas numerica, erit etiā pluritas numerica peccatorum & malitiarum. Si enim affectus efficax voluntatis est duplex numero, quamuis actus exterior sit vnicus, erit duplex numero peccatū: vt si quis habeat duplex propositum, seu duplicem affectum efficacem occidēdi aliquem, v.g. Petrum; & si actus exterior sit duplex numero, quāuis affectus efficax sit vnus numero, erit etiā duplex numero peccatum, vt quando quis habet vnum affectum efficacem, seu vnum propositum cōmittendi duo homicidia.

Hoc

Hoc ergo suppositio, difficultas est, Vnde sumenda & discernenda sit vnitas, & vnde pluralitas tam affectus efficacis interioris seu propositi, quàm actus exterioris.

Circa affectum efficacem voluntatis conueniunt Doctores, quòd quamuis expressè cesset, & sæpè repetatur, censeatur vnus tantùm moraliter, si virtualiter perseueret in aliquo opere procedente ab ipso affectu, siue ab eo proximè procedat, vt quando opus procedens ab eo affectu, est medium proximam fini intento per eum affectum efficacem; siue ab eo affectu procedat remotè, vt quando opus procedens ab eo affectu seu proposito est medium remotum fini intento per eum effectum, est tamen connexum, & concatenatum cum ipso fine: quia tunc effectus ille primus, quamuis desierit esse expressè, manet tamen virtualiter in opere illo procedente ab ipso primo affectu tamquam in suo effectu: affectus autem virtualis censetur moraliter idem cum expresso, ac proinde quando affectus iterùm expressè repetitur, non censetur moraliter nouus & distinctus, sed idem cum primo expresso tunc virtualiter perseuerante, ac proinde censetur vnum tantùm numero peccatum cum eo. Vnde quando quis existens Compluti, ex affectu efficaci occidendi inimicum existentem Toleti, quærit pecunias, conducit currum, & iter facit, quamuis ille sæpè obliuiscatur homicidij, & consequenter sæpè cesset ab expresso affectu homicidij, tamen dum perseuerat in opere aliquo deriuato ex illo affectu & proposito, dicitur in hoc affectu virtualiter perseuerare, & cum eo affectu continuatur moraliter quicumque alius affectus de nouo expressè elicitus. Imò addimus, affectum illum primum, dum virtualiter in opere aliquo permanet, etiam manere in se ipso actualiter & formaliter (quàuis non expressè, sed confusè ex expresso physicè mutatum in confusum) quia non manet virtualiter in opere, nisi vt procedente ab ipso affectu, ac proinde non manet nisi in opere facto & amato vt vtili proximè ad actum, seu finem eo effectu intentum, vel vtili remotè, id est facto vt vtili ad aliud vtile ad illum actum, seu finem intentum eo affectu, siue proximè siue remotè.

Et idem ob eamdem rationem contingit in effectu efficaci, qui etiam consummatur interiùs, vt est affectus occidendi aliquem ex displicentia illius, qui est vnus numero affectus, habens rationem prosecutionis respectu occisionis, & rationem fugæ seu odij respectu personę cui appetitur occisio, dum etiam perseuerat virtualiter in aliquo opere deriuato ab ipso, sicut quando affectus occidendi non est odium.

At postquam primus affectus efficax retractatus est, quoties posteà renouatur seu repetitur, discontinuatur etiam moraliter ab ipso primo affectu retractato, & est distinctum numero peccatum. In quo Doctores conueniunt, quia primus affectus dicta retractatione omnino desinit esse etiam habitualiter adhuc moraliter: imò vt optimè Vasquez 12. disp. 75. quando affectus efficax cessat non solùm formaliter in se ipso, sed etiam virtualiter, quia nullum apponitur medium ad actum eo affectu intentum, vt quando quis in casu suprà assignato non considerat homicidium adhuc confusè, nec aliud opus vt ordinatum ad homicidium (siue id proueniat ex naturali inconsideratione, siue ex somno, siue ex aliqua alia occupatione) tunc quamuis non retractetur quoties repetitur, etiam in suprà dicto progressu, discontinuatur etiam moraliter, & censetur distinctum numero peccatum; quamuis primus effectus pro paruo tempore cesset, quia tunc verè sunt plures affectus physicè, quorum quilibet est malus, & non vnus ab altero, quamuis omnes sint mali ab vno opere intento, verbi gratia ab vno homicidio. Quòd verò primus affectus, quamdiu non retractatur, perseueret habitualiter, non sufficit vt dicatur continuari cum posteriori: quia quamdiu tantùm manet habitualiter, non manet sufficiente modo vt sit peccatum actuale, & vt is, qui illum elicuit, dicatur tunc peccare, sed tantùm vt dicatur habere peccatum, aut esse in statu peccati; ergo non sufficit vt continuetur tamquam vnum actuale peccatum cum affectu sequenti, qui est peccatum actuale, quia eo tempore intermedio primus affectus desiuit esse peccatum actuale; & quòd pro paruo tempore cesset seu interrumpatur, vt pro somno vnius noctis in dicto longo progressu ad homicidium, non sufficit vt dicatur moraliter continuari cum affectu sequenti (etiamsi quoad hoc Nauarrus cap. 6. num. 16. Canus Relectione de Pœnitentia parte 5. & Lorca 12. disp. 46. oppositum doceant) sicut nec sufficit pro affectibus interiùs tantùm consummatis, vt statim dicemus. Imò addit Vasquez, primum affectum etiam discontinuari, & fieri distinctum numero peccatum naturali inconsideratione malitiæ ipsius affectus: vt si eliciens affectum in principio considerauit esse malum, & posteà naturaliter diuertatur ab ea consideratione, quia tunc ex defectu considerationis malitiæ discontinuatur quoad malitiam, quia pro tempore dictæ inconsiderationis desiuit habere malitiam, & esse peccatum.

Nauarrus. *Canus.* *Lorca.* *Vasquez.*

Et nos addimus, etiam discontinuari naturali inconsideratione ipsius affectus, eo modo quo statim dicemus de affectu, qui interiùs tantùm consummatur.

Affectus verò, qui interiùs tantùm consummatur, & efficax non est (qualis non esse affectus odij, & qualis non est affectus simplex delectationis libidinosę) quoties physicè renouatur, est distinctus numero, etiam moraliter, & distinctum numero peccatum, quia tunc primus affectus non manet virtualiter in aliquo opere deriuato ab ipso affectu, cùm inefficax sit, & effectum non habeat. Quod etiam est verum, vt optimè Vasquez contra Lorcam, quamuis inter vtrumque sit parua interruptio: quia quamuis vnitati numericæ Sacramenti, & materiæ & formæ ipsius non obstet parua interruptio, quia vnitas Sacramenti instituta est à Christo non physica nec rigorosa moralis, sed lata accommodata, & congruens vsui humano in negotijs humanis, ad quam, vtpote latâ, non requiritur omnimoda simultas adhuc moralis; obstat tamen vnitati inumericæ peccati, quia hæc vnitas nō est ex beneplacito & institutione alicuius, sed ex natura rei: & ideò parua interruptio, quæ verè discōtinuat actus & affectus non cōtinuatos in aliquo effectu, seu opere deriuato, sufficiēs est ad pluralitatem numericam peccati; aliàs duo odia physicè distincta, & duæ delectationes libidinosæ, si pro paruo tempore interrumpantur, essent vnum tant ū numero peccatum, imò etiam duę fornicationes pro paruo pore interruptæ, quia ratio est eadem. Consequens autem

Vasquez.

autem quoad fornicationes est absurdum, & quoad odia & delectationes libidinosas est ad minus falsum, quàuis Lorca quoad odia & delectationes existimet verum. Imò addimus, dictum affectum interiùs tantùm consummatũ, quamuis idem expressè perseueret, discontinuari moraliter in consideratione naturali ipsius affectus habita tempore intermedio (id est, quando eum eliciens non aduertit tempore intermedio se eum elicere) quia tali inconsideratione discontinuatur vt humanus, & vt capax malitiæ, & etiam discontinuari inconsideratione naturali ipsius malitiæ habita tempore intermedio ipsius affectus, vt quando tantùm in principio & in fine aduertitur esse malus.

Circa actum exteriorem conueniunt Doctores, actus exteriores ordinatos ad aliquod peccatum, qui ex se seu ratione sui non habent aliquam malitiam, sed eam tantùm habent à peccato in quod ordinantur, quamuis sint physicè distincti adhuc secundùm speciem, ita moraliter continuari cum peccato ad quod ordinantur, vt non censeantur peccata distincta nec inter se, nec ab illo ad quod ordinantur: vt quando quis ad occidendum inimicum quærit illum, & conducit currum, & iter facit, & occidit, vnum tantùm cõmittit peccatum homicidij, dum procedant ex affectu occidendi non interrupto adhuc pro paruo tempore, nec in esse humani, nec quoad malitiam modis suprà dictis. Quod etiam est verum, quamuis dicti actus exteriores non sint inter se connexi, nec concatenati, dum fiant ex vno affectu non interrupto, & in ordine ad idem peccatum: vt quando quis ad homicidium quærit pecunias, & conducit currum, & assumit ensem, siue fiant simul, siue pro diuerso tempore; quia tunc moraliter continuantur in vno affectu peccati ad quod ordinantur.

Addunt quoque Doctores, actus exteriores, qui ex se seu ratione sui ordinantur ad aliquod peccatum, quia sunt inchoationes ad illud, vt sunt tactus & amplexus libidinosi ad fornicationem, & percussiones ad nocumentum corporis, siue mortis, siue non tam magnum, quamuis ratione sui habeant propriam malitiam, non censeri moraliter peccatum numero distinctum ab eo in quod ordinantur, si fiant ex affectu dicti peccati, & non interrupto aliquo modo ex dictis: quia tunc ex se & ex affectu operantis non interrupto ordinantur in illud, ac proinde cum eo continuantur moraliter. Vnde in confessione sufficiet homicidium absque percussionibus & earum numero, & fornicationem absque tactibus & eorum numero confiteri. Et id est verum, quamuis vnus actus ex his, quæ sunt media ad illud peccatum, non ordinetur in alterum actum, vt duo tactus, aut duæ percussiones, dum aliàs perseueret idem affectus illius peccati, quo ordinentur in illud: quia tunc quamuis non sint connexi inter se tamquam medium proximum, & remotum peccati ad quod ordinantur, connectuntur tamen in affectu ex quo procedunt, & in peccato ad quod ordinantur. Quòd si tactus, verbi gratia, non fiant ex affectu fornicationis, sed tantùm ob libidinem in ipsis repertam, si fornicatio posteà fiat ex alio affectu, tunc erunt peccatum distinctum à fornicatione, quia tunc non ordinantur ad illam ex affectu operantis.

Addunt tamen Suarez & Vasquez contra Nauarrum & Lorcam, tactus & verba impudica post fornicationem, quamuis fiant ad complementum fornicationis, & quasi appendix illius, esse peccata numero distincta à fornicatione antecedente, quia ex se (qua ratione habent propriam malitiam) tantùm sunt inchoationes nouæ fornicationis, & non complementum præteritæ, quia peccatum carnis suâ naturâ consummatur in fornicatione, quamuis operans sua voluntate possit vltra fornicationem ad alios tactus procedere.

Addunt quoque Nauarrus & Vasquez, vnum tantùm numero censeri peccatum, quando quis vno impetu aut conflictu efficit plures actus, qui ex se tendunt in vnum peccatum principale, vt quando quis vno impetu sæpiùs percutit. Et idem indicare videntur, quando quis vno impetu sæpiùs tangit & osculatur impudicè, etiam id non ordinando ad fornicationem, quia ex vna parte malitia eorum actuum non consummatur in ipsis; & ex altera, quamuis vnus actus ex se non sit inchoatio seu via ad alterum, tamen eo ipso, quòd vno impetu seu conflictu eos efficit, moraliter efficit priorem præambulum, & viam ad posteriorem. Et idem exprimunt de eo, qui vno conflictu sæpè offendit aliquem verbis iniuriosis, eiusdem rationis, vt eum sæpè appellando Iudæum, aut furem. Ratio huius esse potest, quia tunc communi æstimatione non censetur nisi vna numero iniuria. *Nauarrus.* *Vasquez.*

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm peccata mortalia dubia sint necessariò confitenda.

DIfficultas hæc procedit de peccatis mortalibus in puro dubio, id est, quando quis ita dubitat an commiserit peccatum mortale (siue quia dubitat an fecerit actum ipsum, v.g. an infamauerit, siue quia certus de actu, dubitat an sit mortalis) & quoad id ita suspensus manet, vt nulli parti, nec affirmatiuæ nec negatiuæ, probabiliter adhæreat; quia si pro parte affirmatiua haberet probabilem assensum, & non pro negatiua, teneretur peccatum illud confiteri: & si pro vtraque parte habeat probabilem assensum, non tenetur illud confiteri, quia tunc potest sequi partem quam maluerit.

Circa difficultatem ergo conueniunt communiter Doctores, & meritò, peccata mortalia in puro dubio esse necessariò confitenda. Ita Suarez disp. 22. sect. 9. Sancius in Summa cap. 10. n. 66. Toletus lib. 3. cap. 7. Sà v. *Confessio*, nu. 7. & Turrianus disp. 29. dub. 6. quod indicat Tridentinum sess. 14. cap. 5. dum ait, fideles teneri ad confitendum omnia mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientiam habent: qui autem prudenter dubitat an commiserit mortale, verè habet conscientiam illius, quamuis dubiam. Et ratione probatur, quia in dubijs, præsertim facti, tutior pars est eligenda, vt dicitur in cap. *Ad audientiam* 12. & in cap. *Significasti* 16. & 18. de Homicidio, & in cap. *Iuuenis* 3. de Sponsalibus; aliàs purè dubitans, temerariè exponitur periculo peccandi; ergo qui est purè dubius an peccauerit mortaliter, tenetur id confiteri, ne se temerè exponat periculo non confitendi integrè mortalia. Et ob eamdem rationem, qui certus est se peccatũ mortale commisisse, dubitat tamen an illud fuerit confessus, *Suarez.* *Sancius.* *Toletus.* *Sà.* *Turrianus.* *Trident.*

fessus, tenetur illud confiteri; nisi sit scrupulosus: quia iste, nisi sit certus se cõmisisse peccatum, & illud fuisse mortale, & illud non fuisse confessũ, non tenetur illud confiteri, quia id ratio dictat in illo.

Obseruandum tamen est, peccatum mortale dubium confitendum esse tamquam dubium, aliàs confessio non erit vera, nec seruabitur æquitas in iudicio confessionis. Si tamen post confessionem peccati tamquam dubij, adueniat pœnitenti notitia determinata peccati, siue certa, siue probabilis, tenetur in sequenti confessione illud tamquam determinatum confiteri, vel tamquam certum, vel tamquam probabile, eo modo quo iudicatur, vt aduertit Sancius n. 69. quia necessarium est confiteri mortale, non minus quàm vt est in conscientia. In casu autem dicto post confessionẽ illius tamquam dubij, est in conscientia pœnitentis tamquam determinatum, siue tamquam certum, siue tamquam probabile, & non fuit explicatum vt tale. Si tamen confessum fuit vt determinatum, & postea pœnitens desinat habere notitiam determinatam, & incipiat habere dubiam, non est necessarium illud vt dubium confiteri, nisi id iudicetur necessarium, ne pœnitens maneat infamatus grauiter apud Confessarium.

Sancius.

Qui autem confessus est mortale sub dubio, & non potest etiam aliud nec mortale nec veniale saltem iam confessum confiteri, vel quia non recordatur illius, vel quia iam non potest loqui, absoluendus est sub conditione. Quòd si possit aliud ex dictis, ad id tenetur, vt contra Gersonem aduertunt Suarez & communiter Doctores, quia Sacramenta absque graui necessitate aut causa non sunt sub conditione perficienda.

Suarez.

DIFFICVLTAS VIII.

Quale examen pœnitentis prærequiratur ad confessionem.

COnueniunt Doctores, ad confessionem mortalium faciendam præsupponendũ esse prudens, seu cordatum & diligens examen (vt supponitur in Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 7. quia eo ipso quòd præcipitur aliquis actus, etiam sunt sub obligatione illius præcepti omnia media necessaria ad eum actum. Ad confessionem autem integram omnium mortalium, quæ necessaria est, & sub præcepto, necessaria est discussio, & præmeditatio, & examẽ, vt patet: & non sufficit quodcumq; examen, sed prudens & diligens, vtpote ad confessionem moraliter integram, quæ nequit fieri nisi discussio præsupposita sit prudens & diligens.

Trident.

Pro prudente autem & diligente peccatorum examine & discussione non potest certa aliqua regula tradi, vt aduertũt Vasquez q. 91. art. 1. dub. 6. Suarez disp. 22. sect. 10. Ægidius disp. 7. dub. 9. & Reginaldus lib. 4. c. 2. quia ad prudens & diligens examen habenda est ratio temporis à quo pœnitens non est confessus, & modi viuendi ipsius, & personæ eiusdem, quia rudiores non sunt ad tam exactum examen obligandi, ac ingeniosiores: imò contingere potest, pœnitentem esse adeò rudem, vt ad nullum examen obligetur, tamen tunc defectus pœnitentis supplendus est à Confessario suis interrogationibus.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Reginald.

Communiter ergo requiritur, & sufficit, quòd examen sit mediocriter diligens, quale fieri solet à viris prudentibus, & mediocriter timoratis, aut quale fieri solet à viris prudentibus in re graui: sed non requiritur quale fieri solet in re graui honoris, nec diuitiarum, quia naturalis propensio ad honores & ad diuitias excitat ad maiorem diligentiam, quàm prudentia dictat; sed sufficit examen quale fieri solet in re graui, cuius discussio & executio molestiam affert, qualis est discussio & confessio peccatorum, quia examen ad similes actus non fit communiter adhuc à prudentibus nimis exactè, retardante & reuocante ab eo propensione naturali excutiendi molestiam. Quod verum est, etiam si pœnitens credat, quòd maiori aliqua diligentia supra mediocrem vẽturus sit in notitiam aliorum mortalium: & ob id, vt aduertunt communiter Doctores, non est necessarium peccata mortalia scribere, quamuis timeatur, imò certo credatur obliuio aliquorum; quia peccata scribere, est extraordinaria diligentia, & maior quàm mediocris.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm aliquando sufficiat confessio peccatorum in communi, nullum peccatum in individuo explicando.

DIfficultas hæc procedit de eo, qui est in articulo mortis, & ita impeditus, vt nec verbis nec alijs signis possit peccatum aliquod in individuo exprimere, nec indicare; exhibet tamen signa siue doloris, siue alia quibus insinuat se peccasse sic in communi, & absolutionem desiderare: procedit autem quando confessio sic confusa fit Sacerdoti præsenti.

Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Abulensis super cap. 16. Matth. q. 69. Canus Relectione de Pœnitentia, par. 5. Ledesma 2. p. 4. q. 9. art. 5. dub. 2. & Nauarrus cap. 26. num. 27. docent, eam confessionem non esse sufficientem, vt pœnitens absoluatur: quibus fauere videtur Tridentinum sess. 14. cap. 5. & can. 7. dum ait, non sufficere confessionem peccatorum in genere. Et ratione probatur, Primò, quia Sacerdos, vtpote iudex, nequit iudicare & absoluere causâ incognitâ, vt exprimit Tridentinum vbi suprà: confessione autem sic in confuso facta, non cognoscitur à Sacerdote causa de qua iudicaturus est, vt ex se patet, & etiam supponit Tridentinum, dum ex eo quòd Sacerdos nequeat ferre iudicium, causâ sibi incognitâ, infert, confessionem peccatorum in genere non sufficere; ergo dicta confessio non sufficit, vt pœnitens iudicetur & absoluatur. Secundò, quia absolutio est actus prudentiæ, vtpote actus & sententia iudicialis: prudentia autem tantùm versatur circa singularia; ergo absolutio tantùm potest cadere supra confessionem peccatorum in singulari. Tertiò, quia si ad absolutionem sufficeret confessio illa peccatorum in communi, etiam posset absolui is qui nullo modo insinuaret se peccasse, quia tali insinuatione nihil noui innotesceret Sacerdoti, quia absque ea moraliter est certum Sacerdoti, illum peccasse.

Sotus. Abulensis. Canus. Ledesma. Nauarrus. Trident.

Paludanus verò in 4. dist. 21. q. 2. Antoninus 3. par. tit. 10. cap. 2. Medina Cod. de Confessione quæst. 39. Suarez disput. 23. Tolet. lib. 3. cap. 8. Vasquez quæst. 91. art. 2. dub. 1. & Ægidius disp. 7. dub. 6. docent, & meritò, confessionem peccatorum

Paludan. Antonin. Medina. Suarez. Toletus. Vasquez. Ægidius.

rum sic in communi in casu dicto esse sufficientem ad absolutionem. Quod sensit Pontifex, qui tempore Henrici IV. concessit Hispaniæ Bullam Cruciatæ, continentem indulgentiam pro his, qui cum signis tantùm contritionis, nihil amplius potentibus, absoluebantur, vt refert noster Mariana lib. 22. suæ Historiæ cap. 18. & id exprimitur in Rituali Romano Pauli V. de Sacramento Pœnitentiæ pag. 45. *Mariana.*

Et ratione probatur, quia quamuis ex institutione & ex iure Christi ad absolutionem obtinendam necessaria sit confessio omnium mortalium in specie & in indiuiduo, quando moraliter fieri potest; nihilominùs quando nequit fieri omnium, sed tantùm alicuius, confessio illius sufficit ad absolutionem; ergo quamuis ex institutione & ex iure Christi necessaria sit confessio peccatorum in particulari ad absolutionem, quando sic fieri potest, nihilominùs quando non potest sic fieri, sed tantùm confessio peccati in communi, hæc sufficiet ad absolutionem, cùm aliàs sit vera confessio, & accusatio indiuidua, & singularis, quamuis peccati in communi. Et confirmatur, quia qui certus est se peccasse mortaliter, & non recordatur cuius speciei peccato peccauit, tenetur ad sic generaliter confitendum, & ei sufficit vt absoluatur; ergo etiam confessio, qua quis confitetur se peccasse, quando nequit alio modo, sufficit ad absolutionem obtinendam.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Ad dimus, vt o ptimè Vasquez Suarez, Ægidius, & ferè omnes Auctores nostræ dictæ opinionis, pœnitentem in dicto articulo existentem posse absolui non solùm quando per se ipsum exhibet dicta signa Sacerdoti præsenti, vt diximus, sed etiam quando illa exhibuit in absentia Sacerdotis, si Sacerdoti aduenienti ad pœnitẽtem, & iam præsenti adstantes in præsentia pœnitentis testentur illa exhibuisse, vt exprimitur in Cõcilio Arausicano sub Leone I. & expressum fuit in Concilio Carthaginiensi IV. cap. 36. & refertur in can. *Is, qui pœnitentiam* 26. q. 6. quod etiam expressit ipse Leo I. Epistolâ 91. ad Theodorum Episcopum, & exprimitur in dicto Rituali Romano, quod non contrariatur Decreto Clementis VIII. quo decreuit, cõfessionem absenti factam per litteras aut per internuntium, non esse licitam, vt ipse interrogatus respondit, & nos diximus Disp. VIII. Difficul. V. quia confessio in casu præsentis Difficultatis non fit absenti, sed præsenti, quamuis non à pœnitente per se ipsum, sed per adstantes tamquam per testes, vel quasi per interpretes. *Concilii Arausic. Carthag. Leo I.*

Tridentinum ergo vbi suprà, dum significat non sufficere cõfessionem peccatorum in genere, sed requiri confessionem peccatorum in specie & in indiuiduo, tantùm loquitur quando confessio sic fieri potest.

Ad primam verò rationem concedimus, per se, seu quando moraliter fieri potest, Sacerdotem non posse iudicare & absoluere causâ incognitâ in indiuiduo, quod tantùm voluit Tridentinum; non tamen quando non potest fieri physicè, aut moraliter, quia tunc sufficit cognitio causæ in cõmuni.

Ad secundam respondemus, quòd, vt absolutio sit actus prudentiæ, sufficit quòd sit circa pœnitentem in particulari hoc aut illo modo dispositum, & indiuidua confessione confitentem, quamuis peccata tantùm in communi, quia ad actum prudentiæ non est necessarium, quòd ad singularia perueniatur, præsertim quando peruenire nequit.

Ad tertiam respondemus, quòd quamuis absolutio possit conferri pœnitenti confitenti se peccasse, non tamẽ ei qui id non confitetur, quamuis Sacerdos id aliàs sciat absque confessione pœnitentis, quia in priori casu reperitur materia proxima absolutionis, nempe confessio pœnitentis, non verò in posteriori, quia scientia Sacerdotis non est materia proxima absolutionis.

Obseruandum est, vt optimè Suarez, Vasquez & Ægidius, Confessarium, quamuis oppositę opinioni adhæreat, teneri sub mortali ad absoluendum hominem in articulo mortis constitutum dicta signa præbentem, quia id potest licitè facere, conformando se nostræ opinioni, cùm sit probabilis; ac proinde obligatione misericordiæ spiritualis ad id tenetur, quia quiliber, quando licitè & absque incommodo potest, tenetur proximo in tanta necessitate spirituali alterius vitæ existenti prouidere & succurrere. *Suarez. Vasquez. Ægidius.*

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm aliquando possint aliqua peccata mortalia omitti in confessione.

COnueniunt Primò Doctores, pœnitentem existentem in articulo mortis, siue physico siue morali, & prudenter timentem non posse ob imminentem mortem omnia mortalia confiteri, posse omittere illa mortalia, quæ nequit absque dicto timore confiteri. Ita Vasquez q. 91. ar. 2. dub. 1. Suarez disp. 23. sect. 2, Ægidius disp. 7 dub. 9. Reginaldus lib. 5. c. 5. & Turrianus disp. 30. dub. 1. quia integritas confessionis mortaliũ, instituta & præcepta à Christo, non obligat pro tanto periculo, moriendi videlicet absque absolutione, nec pro eo requisita est à Christo ad valorem Sacramenti. *Vasquez. Suarez. Ægidius. Reginaldus. Turrianus.*

Conueniunt Secundò, quando Confessarius est in articulo mortis, & prudenter timetur eum non posse ante suam mortem omnia mortalia audire, posse pœnitentem ob rationem dictam illa peccata mortalia omittere, quæ timet non posse à Confessario audiri, si pœnitens ante suam mortẽ nequeat ab altero absolutionem expectare, ne scilicet pœnitens exponatur periculo moriendi absque absolutione. Addunt Vasquez & Turrianus, idem posse fieri, quando Confessarius prudenter timet infectionem morbi periculosi, si in audiendo pœnitentem detineatur, quia credi non potest, confessionem integram pro eo periculo præcipi à Christo, & ad valorem Sacramẽti ab eo requiri. Quòd si Confessarius adhuc cum tanto periculo detineri vult (vt laudabiliter potest) nequit pœnitens integritatem confessionis omittere. *Vasquez. Turrianus.*

Tertiò conueniunt Doctores, idem posse fieri, quando sunt plures in periculo mortis cõstituti, vt in peste, aut in bello, aut naufragio, & prudẽter timetur, Confessarium non posse omnia mortalia cuiuslibet ante mortem aliquorum aut alicuius audire, ne scilicet aliquis eorum exponatur periculo moriendi absque absolutione: imò iuxta ea quæ diximus Difficultate IX. quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul signo aliquo, vt genuflexione, significare se peccasse sic in communi, & de eo dolere, vt contingat, si Confessarius dicat, Omnes, qui volunt à peccatis absolui, genuflectant; & tunc etiam possunt

possunt omnes simul absolui à Confessario, dicente; *Ego vos absoluo à peccatis vestris*, &c.

Quartò conueniunt Doctores, pœnitentem posse omittere confessionem alicuius mortalis, quando ex illius confessione prudenter timet graue aliquod damnum, quamuis solùm corporale; & non tantùm proprium, sed etiam Confessarij, aut alius personæ: quia præcepta positiua, quale est integritatis, non obligant cum graui dispendio; ac proinde integritas confessionis cum tanto dispendio non requiritur à Christo ad valorem Sacramenti. Quamuis in præsenti casu potiùs est differenda confessio, quàm mutilanda, si dilatione vitandum sit damnum, & dilatio fieri possit absque magno incommodo; quia si nequit absque eo differri, potiùs est mutilanda quàm differenda, vt si nequeat differri absque periculo moriendi sine absolutione, aut infamiæ alicuius ponderis, aut priuationis magni fructus spiritualis, quæ erit in eo, qui ob id desistit pro non paruo tempore à solita frequentia confessionis & Communionis.

Obseruandum est, quoties ob aliquam causam ex dictis omittitur in confessione aliquod mortale, postea, si cesset causa, confitendum esse suo tempore mortale omissum.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm circumstantia complicis, cuius explicatio necessaria est ad integritatem confessionis, possit aliquando omitti.

DIfficultas hæc tantùm procedit, quando confessio tantùm potest fieri Sacerdoti, qui ex explicatione complicis deueniet in notitiam illius, & nequit aliàs fieri, saltem absque magno incommodo, quamuis solius dilationis notabiliter incommodæ, & quando ex explicatione complicis non imminet ipsi complici aliud detrimentum, quàm infamatio apud ipsum Confessarium sub sigillo confessionis: quia si immineat aliud notabile, vt mors, vel notabilis infamatio extra confessionem, tunc circumstantia complicis tacenda est, quia cum graui detrimento tertiæ personæ non est necessaria integritas confessionis, nec sub præcepto. Et etiam procedit, quando explicatio complicis est apud Confessarium infamatio grauis: quia si, attentâ personâ complicis, & attento peccato confesso, sit parui momenti, non est tacenda, quia absque graui causa non est mutilanda confessio.

Marsilius. Viguerius. Bañez. Nauarrus. Valentia. Marsilius ergo in 4. quæst. 12. Viguerius cap. 16. §. 4. num. 17. Bañez 22. q. 33. art. 8. dub. 8. Nauarrus cap. 7. num. 3. & Valentia disp. 7. q. 11. puncto 1. docent, pœnitentem in casu dicto non solùm non teneri explicare complicem, sed nec posse, quia quoties occurrunt duo præcepta, illud implendum est quod strictiùs obligat: in casu autem dicto occurrunt duo præcepta, nempe integritatis confessionis, & non infamandi proximum, ex quibus hoc posterius, vtpote naturale, strictiùs obligat quàm illud prius, vtpote positiuum, quamuis diuinum; ergo in casu dicto tacendus est complex, ne infametur.

S. Thomas. Durandus. Paludan. Vasquez. Suarez. Ægidius. Turrian. S. Thomas verò in 4. d. 16. quæst. 3. art. 2. quæstiunc. 5. Durandus q. 4. Paludanus d. 19. quæst. 2. Vasquez quæst. 91. art. 2. dub. 2. Suarez disp. 35. sect. 2. Ægidius disp. 7. num. 89. & Turrianus disp. 30. dub. 2. docent, etiam in casu dicto explicandum esse complicem. Quod expressit Bernardus in Opusculo de formula honestæ vitæ, in fine, dum ait: *De nullo sinistrè loquaris, nisi in confessione; & hoc, vbi non potes aliter peccatum tuum manifestare.* Et meritò: quia præceptum naturale non infamandi proximum non obligat absolutè & in omni euentu, sed tantùm existentibus aut deficientibus aliquibus circumstantiis; quod etiam conuenit aliis non paucis præceptis naturalibus, adhuc præceptis non accipiendi alienum, imò & non occidendi: quia infamare proximum, & eius bona accipere, imò eum occidere, fieri possunt ex rationabili causa; rex enim aliquando detegit crimina occulta testis, quando necessarium est ad infirmandum testimonium illius. Ergo si reuelatio & infamatio complicis est necessaria ad integritatem confessionis, potest licitè fieri. Antecedens patet. Consequentia autem probatur, quia ex vna parte integritas confessionis à Christo præcepta, & requisita ad valorem Sacramenti, est ex suo obiecto maioris momenti, quàm non infamare proximum apud vnum tantùm Confessarium, & sub sigillo confessionis; & ex altera parte proximus sic infamandus, fuit socius & cooperans ad peccatum pœnitentis; ergo integritas confessionis est causa satis rationabilis, vt complex possit sic reuelari & infamari; ergo in casu dicto ob necessitatem & præceptum integritatis confessionis reuelandus est. *Bernard.*

Addidimus, *& ex altera parte proximus sic infamandus, fuit socius & cooperans ad peccatum pœnitentis*; quia quando proximus infamandus ex confessione peccati, non fuit socius & cooperans ad peccatum, integritas confessionis non est sufficiens & rationabilis causa ad infamandum illum, quia esset nimis durum, eum, qui non fuit cooperans ad peccatum, grauiter infamari ex confessione illius peccati. Ob quod filius, qui suam matrem viduam, quam inuenit ex prauo concubitu grauidam, occidit, nequit adhuc in casu nostræ Difficultatis peccatum iniustitiæ contra prolem in vtero existentem confiteri, ne concubitum matris reuelet, quia mater non est cooperata ad iniustitiam occisionis prolis.

Deinde addidimus in primo consequenti, *ergo si reuelatio & infamatio complicis est necessaria ad integritatem confessionis, potest licitè fieri*; quia quando infamatio complicis, aut alia damnificatio, non est per se necessaria ad integritatem confessionis, sed aliunde per accidens ex reuelatione complicis timetur, non est reuelandus complex: vt quando pœnitens timet complicem reuelatum infamandum esse à Confessario apud alios, aut occidendum; quia tunc integritas confessionis non censetur causa sufficiens infamandi complicem, cùm ad integritatem confessionis non sit per se necessaria infamatio complicis apud alios, nec occisio illius, quia sunt extrinsecæ confessioni, & ei per accidens aduenient.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, præceptum integritatis confessionis esse positiuum, & præceptum non infamandi proximum esse naturale, & præceptum naturale, quamdiu perseuerat, strictiùs obligare quàm positiuum: nihilominùs quia præceptum naturale non infamandi proximum complicem in casu dicto ob occursum præcepti positiui non perseuerat, sed cessat,

non præcisè quia positiuum sit fortius, sed quia positio præcepti positiui integritatis confessionis est circumstantia & causa, & ratio sufficiens vt infametur proximus, & vt cesset præceptum illud naturale.

Vasquez. Ægidius. Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez & Ægidius, quòd quando ad reuelationem complicis necessaria est fractio sigilli alicuius confessionis factæ, tunc non est reuelandus complex, quia sigillum confessionis est multò maioris momenti, quàm integritas confessionis.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe ex defectu integritatis confessionis.

Paludan. Sotus. Caietanus. Victoria. PAludanus in 4. dist. 17. q. 5. art. 3. Sotus d. 18. q. 3. art. 3. Caietanus v. *Confessio* condit. 10. & Victoria in Summa n. 160. docent, Sacramentum Pœnitentiæ posse esse informe (id est validum, & absque effectu) ex defectu integritatis confessionis, quando scilicet in confessione omittitur peccatum mortale ex negligentia, aut ex ignorantia culpabili. Et in primis, quòd tunc Sacramentum careat effectu, dubitari non potest, quia omissio illa est mortalis. Quòd verò tunc sit validum (ac proinde non necessariò repetendum) probatur, quia aliàs onus confessionis esset nimis graue, durum, & rigidum, & laqueis injciendis expositum.

Medina. Medina verò Cod. de Confessione q. 23. de Confessione dimidiata iteranda, Suarez disp. 26. sect. 4. Vasquez quæst. 92. art. 3. dub. 1. Turrianus disp. 28. dub. 3. & Ochagauia Tract. 2. q. 31. docent, Sacramentum Pœnitentiæ non posse esse informe ex defectu integritatis confessionis, sed in casu aduersariorum etiam esse nullum (ac proinde necessariò repetendum) & meritò: quia integritas confessionis, quæ sufficit ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, nempe integritas formalis, id est confessio more humano & prudenti integrè facta, ac proinde absque negligentia culpabili, etiam est requisita ad valorem & essentiam Sacramenti Pœnitentiæ, vt significatur in Tridentino sess. 14. c. 5. & can. 7.) quia sicut ad absolutionem, vtpote sententiam, prærequiritur essentialiter confessio, ita etiam ad illam, vtpote sententiam iustam, prærequiritur essentialiter confessio more humano & prudenti integra, ac proinde facta absque negligentia culpabili saltem grauiter; ergo eo ipso, quòd confessio, quantum est ex parte integritatis, sufficit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, eo ipso sufficit ad effectum illius, & consequenter nequit esse informe ex defectu integritatis confessionis. *Sotus. Suarez. Vasquez. Turrianus. Ochagau.*

Quòd verò Sacramentum Pœnitentiæ fiat nullum, & consequenter sit necessariò repetendum, quando confessio culpabiliter non fit integra adhuc ex negligentia & ignorantia culpabili, non debet graue, durum, & rigidum censeri; quia emendare quod culpabiliter fuit omissum, non est censendum rigidum. Nihilominùs quamdiu ratione cordata & prudenti non constat, aut prudenter non dubitatur confessionem fuisse culpabiliter mutilatam, non est necessariò repetenda.

DISPVTATIO X.

De ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in extrema necessitate, Sacerdote deficiente, sit necessarium laico confiteri.

SVPPONIMVS contra hæreticos, in solis Sacerdotibus esse potestatem & iurisdictionem ad absoluendum à peccatis, vt traditio ipsa ostendit nobis, constans perpetuo Ecclesiæ vsu & praxi. Et definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 14. cap. 6. & can. 10. & constat ex eo, quòd illis solis conuenit dicta potestas & iurisdictio, quibus specialiter dicitur illud Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. id autem solis Sacerdotibus in ipsorum ordinatione dicitur. *Eug. IV. Trident.*

Est tamen difficultas, An, quamuis in laico non sit potestas & iurisdictio ad absoluendum à peccatis, nihilominùs in articulo mortis ipsi, quamuis non potenti absoluere, sit necessariò facienda confessio, quando deficit Sacerdos.

Magister. S. Thomas. Cyprianus. Magister in 4. dist. 17. art. 3. partem affirmatiuam tuetur, cui consentire videtur S. Thomas eadem distinct. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 2. ad 1. & docere videtur Cyprianus lib. 3. Epistola 17. dum ait: *Si quis oppressus infirmitate, non potuerit expectare aduentum Sacerdotis, reconcilietur per Diaconum, facta priùs confessione.* & indicari videtur Iacobi 5. illis verbis, *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Bonauentura verò, Scotus, Durandus, Gabriel, Paludanus, & communiter Scholastici in 4. dist. 17. Suarez disp. 24. Vasquez quæst. 93. art. 1. dub. 1. Ægidius disp. 8. dub. 1. & communiter Theologi partem negatiuam tradunt, & meritò: quia id nec est necessarium Iure aliquo Christi, quia confessio instituta & præcepta est à Christo tantùm in ordine ad absolutionem à peccatis obtinendam; laicus autem numquam, nec in articulo mortis, potest ab illis absoluere, quamuis deficiat Sacerdos; nec Iure aliquo Ecclesiastico, quia Ecclesia numquam præcepit confessionem, nisi in ordine ad eumdem finem ad quem Christus illam instituit & præcepit: ob humilitatem autem non est necessariò laico facienda, vt patet; imò nec licitè ei fiet, si ex ea timeatur grauis aliqua infamia, & aliàs non appareat grauis aliqua necessitas aut vtilitas consilij aut auxilij. *Bonauen. Scotus. Durando. Gabriel. Paludan. Suarez. Vasquez. Ægidius.*

Cyprianus verò non loquitur de reconciliatione Sacramentali, sed de reconciliatione externa, qua publici pœnitentes in foro externo reconciliabantur cum Ecclesia. Et Iacobus aut non loquitur de confessione Sacramentali, sed de ea quæ fit ad capiendum consilium; aut si loquitur

quitur de Sacramentali, ita facienda est alterutrum, vt non fiat cuilibet indiscriminatim, sed tantùm Sacerdoti.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm quilibet Sacerdos possit Sacramentaliter à peccatis absoluere.

CONueniunt Catholici, non omnes Sacerdotes posse licitè absoluere quoscumque pœnitentes indiscriminatim, quia id est prohibitum saltem Iure Ecclesiastico.

Est tamen difficultas, An quilibet Sacerdos possit validè quemcumque pœnitentem absoluere.

Armacan. Armacanus lib. 11. Quæstionum Armenicarum cap. 4. partem affirmatiuam tuetur (in quam inclinat Almainus in 4. d. 17. art. 4. & probabilem censet Durandus d. 19. q. 2.) quia Sacerdotes in sui ordinatione, quæ fit verbis Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. quibus institutum fuit Sacramentum Pœnitentiæ, verè & completè fiunt iudices, & accipiunt iurisdictionem compleram ad id, & non ab Ecclesia; ergo Ecclesia nequit potestatem ad absoluendum impedire, vt non habeat effectum, sicut nec potestatem ad consecrandum, quia Ecclesia non potest mutare ministrum à Christo præscriptum, nec eum impedire, vt validè efficiat id ad quod præscriptus est à Christo. Et confirmatur, quia si Sacerdos acciperet immediatè ab Ecclesia potestatem completam ad absoluendum, & non immediatè à Christo ex vi verborum quibus ordinatur, à nullo posset Pontifex absolui, quia ipse, vt pote supremus in Ecclesia, nulli potest communicare iurisdictionem supra se, vt absoluatur à peccatis, sicut nec vt excommunicetur.

Almain. Durand.

Sotus. Nauarrus. Suarez. Vasquez. Ægidius. Sotus verò in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. Nauarrus c. 4. num. 2. Suarez disp. 24. sect. 2. Vasquez q. 93. art. 1. dub. 2. Ægidius disp. 8. dub. 2. & communiter Doctores docent, & meritò, non posse quemlibet Sacerdotem validè absoluere Sacramentaliter quemcumque pœnitentem. Quod supponit Tridentinum sessione 14. c. 7. dum ait, nullius esse momenti absolutionem collatam à Sacerdote non habente iurisdictionem ordinariam, vel delegatam: quibus verbis manifestè supponit, esse aliquos Sacerdotes, qui ex defectu iurisdictionis saltem completæ non possunt validè absoluere à peccatis, quod ampliùs constabit Difficultate sequẽti.

Trident.

DIFFICVLTAS III.

A quo Sacerdotes accipiant iurisdictionem ad absoluendum à peccatis.

CONueniunt Primò Doctores, Sacerdotes omnes in sui ordinatione, ac proinde à Christo, seu ex institutione Christi, accipere potestatem quamdam ordinatam, & requisitam ad absoluendum Sacramentaliter à peccatis, vt constat ex verbis ipsis, quibus ordinantur, nempe, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c.

Conueniunt Secundò contra Armacanum, dictam potestatem ad absoluendum à peccatis in ordinatione immediatè à Christo acceptam, non esse sufficientem ad validè absoluendum, aliàs quilibet Sacerdos, quacumque prohibitione Ecclesiæ existente (vt modò existit) validè absoluere, quod est contra Tridentinum sess. 14. c. 7.

Est tamen difficultas, An dicta potestas in ordinatione accepta, sit etiam potestas iurisdictionis ad absoluendum, an tantùm præsupposita, & prærequisita ad potestatem iurisdictionis.

Bonauentura. Sotus. Medina. Suarez. Ægidius. Bonauentura in 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1. Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 2. Medina Cod. de Confessione quæst. 35. Suarez disp. 16. sect. 3. & Ægidius disp. 8. dub. 2. docent, potestatem ad absoluendum in ordinatione à Christo acceptam, non esse potestatem iurisdictionis, sed præsuppositam ad hanc, & hanc Sacerdotes accipere ab Ecclesia, præsuppositâ potestate illa Ordinis accepta à Christo (excepto Pontifice, qui etiam potestatem iurisdictionis accipit immediatè à Christo) & ex defectu potestatis iurisdictionis non posse Sacerdotem ex vi suæ ordinationis solius aliquem à peccatis absoluere.

Maior. Antoninus. Angelus. Nauarrus. Vasquez. Turrian. Maior verò in 4. d. 19. q. 1. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 4. Angelus v. *Confessio* 3. n. 4. Nauarrus c. 4. n. 3. Vasquez q. 93. art. 1. dub. 3. & Turrianus disp. 23. dub. 2. docent, & meritò, dictam potestatem ad absoluendum, quam Sacerdotes accipiunt à Christo in sui ordinatione, esse ipsam potestatem actiuam iurisdictionis ad absoluendum à peccatis. Quod satis significat Tridentinum sess. 15. c. 5. dum ait, Christum Sacerdotes constituisse iudices ad absoluendum à peccatis: supponit ergo, Sacerdotes in sui ordinatione à Christo instituta accipere iurisdictionem actiuam ad absoluendum à peccatis, quia iudex iurisdictione actiua constituitur, & est iudex.

Trident. Et ratione Theologica probatur, quia Sacerdotes verbis illis Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. quibus ordinantur, accipiunt potestatem ad absoluendum à peccatis, vt Tridentinum docet, & patet ex ipsorum verborum significatione; sed potestas ad absoluendum à peccatis est potestas iurisdictionis, quia est potestas ad dicendum ius, & ad ferendam sententiam absolutionis; ergo Sacerdotes ex vi suæ ordinationis à Christo accipiunt iurisdictionẽ actiuam ad absoluendũ à peccatis; ac proinde potestas iurisdictionis in Sacerdotibus est indistincta à potestate Ordinis ad absoluẽdum à peccatis, cùm sit potestas ad absoluendũ ex vi ordinationis collata.

Vnde quando in Sacerdotibus absolutè distinguitur potestas Ordinis à potestate iurisdictionis, nomine potestatis Ordinis, intelligitur potestas ad consecrandum, quia hæc nullo modo est iurisdictionis: & nomine potestatis iurisdictionis intelligitur potestas ad absoluendum à peccatis, quia quamuis hæc sit Ordinis, etiam est iurisdictionis.

Maior. Angelus. Antoninus. Vasquez. Turrian. Addimus contra Nauarrum, vt optimè Maior, Angelus, Antoninus, Vasquez & Turrianus, dictam potestatem & iurisdictionẽ ad absoluendum à peccatis, conuenientem Sacerdotibus ex vi ordinationis, non esse ex se completam, & sufficientem ad validè absoluẽdum; aliàs absolutio validè conferretur à Sacerdote, quamuis prohibito absoluere, sicut etiam validè fit consecratio, quamuis Sacerdos prohibitus sit consecrare; sed vt prouenientem à Christo ex vi ordinationis, esse insufficientem, & inchoatam ad validè absoluendum, quia dicta potestas & iurisdictio, vt à Christo ex vi ordinationis collata, est absoluta, nullum subditum saltem determinatum respiciens, quia vt sic non respicit

respicit omnes pœnitentes tamquam subditos, vt patet ex dictis; aliàs quilibet pœnitens validè absolueretur à quolibet Sacerdote: nec respicit aliquem subditum determinatum, vt etiam patet: perfici tamen ab Ecclesia, quando Sacerdotibus designat subditos (siue designatione ordinaria tamquam propriis pastoribus, qua ratione diœcesani designantur suo Episcopo, & parochiani suo Parocho; siue designatione ex commissione, seu ex delegatione, & non tamquam propriis Pastoribus) quia designatione subditorum facta ab Ecclesia, potestas & iurisdictio in ordinatione collata respicit subditos designatos, quo completur & perficitur, quia ea designatione fit potestas & iurisdictio ad absoluendum determinatè subditos designatos. Vnde designatione subditorum facta ab Ecclesia, dicta potestas & iurisdictio in ordine collata non tantùm completur & perficitur, sed etiam fit ordinaria aut delegata.

Ex dictis constat, absolutionem prolatam in illum qui aliquo ex dictis duobus modis non est designatus tamquam subditus absoluenti, esse nullam, quia absque dicta assignatione vno aut altero modo facta absoluens, non habet iurisdictionem in illum.

Quia ergo iurisdictio, prout in ordinatione collata, quamuis sit vera iurisdictio, & superioritas, & relatio, quia tamen est incompleta, & inchoata, ideò potest esse absque subiectione passiua, & absque inferioritate alicuius ipsi correspondente, seu absque eo quòd respiciat terminum aliquem saltem determinatum, & in particulari: quod possibile est, & facilè intelligi potest in relationibus seu respectibus moralibus prouenientibus ex libera voluntate & institutione qualis est dicta iurisdictio, & superioritas: possibile enim est & facile Episcopo, designare aliquem in eleëmosynarium, remittendo in posterum designationem pauperum quibus danda est eleëmosyna.

Constat ergo ex dictis, non quemlibet Sacerdotem posse validè absoluere, sed tantùm illum qui ab Ecclesia præficitur in iudicem aliquorum, determinatè eos illi subditos designando, siue assignatione ordinaria, siue delegata: & Pontificem, dum eligit sibi Confessarium, non tribuere illi iurisdictionem, seu iurisdictionem à Christo in ordinatione collatam perficere & complere, se ipsum illi subditum in eo foro designando ex generali potestate, quam habet designandi subditos Sacerdotibus.

DIFFICVLTAS IV.

Quis Sacerdos possit Sacramentaliter à peccatis absoluere.

CONueniunt Primò Doctores, quemlibet Sacerdotem, habentem iurisdictionem ordinariam in aliquem, posse illum Sacramentaliter à peccatis absoluere, quia eo ipso habet iurisdictionem completam in illum: Sacerdos autem ille dicitur habere iurisdictionem ordinariam in aliquem, qui eam habet ex vi muneris, seu officij instituti ex Iure ordinario, siue diuino, siue humano, vt Parochus respectu suorum parochianorum, & Episcopi respectu suorum diœcesanorum, & Pontifex respectu fidelium totius Ecclesiæ. Et quilibet ex his tribus, & non tantùm Parochus, dicitur proprius Pastor, & proprius Sacerdos, non proprius prout distinguitur contra communem & vniuersalem, sed prout distinguitur contra alienum, qua ratione proprius Sacerdos sumitur in cap. *Omnis vtriusque sexus*, 12. de Pœnitentiis & remissionibus, & non tantùm pro Parocho, dum dicitur: *Omnis vtriusque sexus fidelis, saltem semel in anno proprio Sacerdoti confiteatur, & non alieno, nisi de licentia proprij.* vt contra Canum Relect. de Pœnitentia p. 5. & contra Suarez disp. 25. sect. 2. aduertunt Sotus in 4. d. 18. quæst. 4. art. 2. & Vasquez q. 93. art. 2. dub. 1. tum quia in dicto c. *proprius* contraopponitur *alieno*, tum etiam quia in eo cap. nomine *proprij* intelligitur ille, cui, aut de cuius licentia facienda est confessio, qua satisfiat præcepto annuæ confessionis, quia de eo Sacerdote est ibi tantùm sermo: cuicumque autem habenti iurisdictionem ordinariam, etiam Pontifici, & aliis ex licentia cuiuscumque habentis illam, potest fieri confessio, qua satisfiat præcepto annuæ confessionis. Et eodem modo sumitur proprius Sacerdos in Extrauag. *Vices*, de Tregua & pace, & in Extrauag. *Vas electionis*, de Hæreticis, quia Pontifices in his Extrauagantibus assumunt prædicta verba ex dicto cap. *Omnis vtriusque sexus*, mentionem illius facientes, & alludentes ad verba illius: imò in dicta Extrauag. *Vas electionis* notari videtur quidam Doctor, quia nomine proprij Sacerdotis intelligat Parochum. Sotus. Vasq.

Archiepiscopus verò non habet iurisdictionem ordinariam in subditos Episcoporum sibi suffraganeorum, nisi dum visitat, vt constat ex cap. final. de Censibus, in 6. ac proinde tunc tantùm, & non alio tempore, potest illos Sacramentaliter absoluere, & iurisdictionem ad id aliis delegare.

Vt verò quis dicatur habere aliquem Episcopum aut Parochum vt proprium Sacerdotem, & vt ab eis possit Sacramentaliter absolui absque licentia alicuius, non est necessarium quòd in eius Episcopatu aut Parochia habeat domicilium (id est quòd habitet in eo Episcopatu, aut in ea parochia, animo ibi in perpetuum commorandi) vt contra Glossam in cap. *Is qui*, de Sepulturis, in 6. contra nonnullos alios docent Suarez disp. 25. sect. 2. Ægidius disp. 8. num. 21. & Sancius lib. 3. de Matrimonio disp. 19. quia sufficit in eo Episcopatu aut in ea Parochia habitare, animo commorandi per medietatem anni, paulò plus minúsve, vt contingit Scholasticis in Academiis, & militibus in præsidiis, & mercatoribus in alienis oppidis; ac proinde isti poterunt prout voluerint confiteri, vel Pastori loci, in quo modo dicto habitant, aut in quo habent domicilium, quamuis in alio loco toto anno habitent, aut alij, de vtriuslibet licentia. Suarez. Ægidius. Sancius.

Obseruandum est, vt optimè Suarez & Ægidius, posse Episcopum extra suum Episcopatum, & Parochum extra suam parochiam confessionem sui subditi audire, quia iurisdictio, quæ sit sine strepitu, potest extra proprium territorium exerceri, vt ostendit Sancius 3. de Matrimonio, disp. 19. num. 8. Suarez. Ægidius. Sancius.

Conueniunt Secundò Doctores, Sacerdotes habentes iurisdictionem delegatam seu commissam in aliquem, posse illum Sacramentaliter absoluere, quia eo ipso habent iurisdictionem completam in illum: quilibet autem proprius Sacerdos, nempe Rom. Pontifex, & Episcopus, & quilibet

libet alius habens iurisdictionem Episcopalem, & Parochus, potest eam iurisdictionem pro suis subditis delegare & committere, vt manifestum est.

Henriq. Suarez. Ægidius.

Circa Episcopum, Henriquez lib. 7. cap. 21. Suarez disp. 26. sect. 3. Ægidius disp. 8. dub. 20. & Sancius 8. de Matrimonio disp. 28. docent, illum posse dictam iurisdictionem in perpetuum delegare durantem post mortem ipsius, & eam sic conferre, quoties absolutè & absque limitatione illam confert. Aliàs grauissima inconuenientia orirentur, quando Episcopus moritur ignorantibus Confessariis longè distantibus, & confessiones audientibus, quia istæ confessiones essent nullæ.

Paludan. Antonin. Angelus. Siluester. Vasquez.

Paludanus verò in 4. dist. 17. q. 4. art. 3. Antoninus tit. 17. c. 9. Angelus v. *Indulgentia*, num. 7. Siluester eodem v. num. 18. & Vasquez q. 93. art. 2. dub. 2. docent, Episcopum non posse dictam iurisdictionem in perpetuum durantem post ipsius mortem delegare; ac proinde eam, quamuis absolutè delegatam, morte Episcopi delegantis expirare, & meritò: quia Episcopus circa hanc materiam nequit legem perpetuam condere, ergo nec perpetuum priuilegium circa eam concedere.

Nihilominùs confessiones in casu aduersariorum sunt validæ, quamuis factæ sint absque iurisdictione habituali, sola iurisdictione actuali dictis Confessariis pro singulis confessionibus collata ab Ecclesia ob titulum coloratum, quem habent, & ob communem ignorantiam populi, iuxta ea quæ dicemus Difficultate v 1.

Addimus tamen, approbationem sufficientiæ Confessarij factam ab Episcopo, aut ab eius Vicario, vtpote sententiam sufficientiæ illius, perseuerare post mortem approbantis: quod verum existimamus, etiam quando addit, *quamdiu nobis placuerit*; quia hoc addito non tam significatur perseuerantia consensus positiui dictæ approbationis, qui post mortem perseuerare nequit, quàm non reuocatio approbationis, morte autem non reuocatur approbatio.

Vasquez. Ægidius.

Tandem (vt aduertit Vasquez vbi suprà, & Ægidius dub. 4.) Vicarius, seu locum-tenens proprij Sacerdotis, adhuc Parochi, potest iurisdictionem ad absoluendum à peccatis delegare, quando ipsi Vicario seu locum-tenenti non solùm delegata est iurisdictio ad absoluendum, sed ei substituitur totum officium & plena potestas proprij Sacerdotis.

DIFFICVLTAS V.

Qua ratione delegetur & committatur iurisdictio ad absoluendum à peccatis.

SVpponimus, necessarium esse, quòd delegatio iurisdictionis ad absoluendum à peccatis fiat signis externis; & non sufficere, quòd fiat mentaliter tantùm, quia absque signis externis non fit humano modo.

Hoc supposito, Primò est difficultas, An dicta iurisdictio delegetur per ratihabitionem futuram post collatam absolutionem, quando probabiliter præsumitur futura.

Raimund.

Raimundus in Summa tit. de Pœnitentiis & remissionibus, §. 15. partem affirmatiuam tuetur; quia, vt dicitur in Regula iuris 10. in 6. *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur*. ergo iurisdictio ad absoluendum non minùs delegatur ratihabitione futura, quàm mandato seu commissione expressè facta ante absolutionem.

Sotus. Suarez. Vasquez. Ægidius. Turrianus. Ochagau.

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. Suarez disput. 26. Vasquez quæst. 93. art. 2. dub. 2. Ægidius disp. 8. dub. 5. Turrianus disp. 24. Ochagauia quæst. 36. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia ratihabitio futura post absolutionem non est quando fit ipsa absolutio, sed erit post absolutionem; ergo non sufficit ad tribuendam iurisdictionem ad eam absolutionem.

Regula autem illa Iuris, *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur*, tantùm habet locum, quando valor actus pendet ex sola voluntate ratum habentis: ac proinde non habet locum in absolutione, cuius valor dependet ex eo quòd conferatur ab habente iurisdictionem eo tempore quo confertur absolutio.

Secundò est difficultas, An præsens ratihabitio tacita (vt quando alienus Sacerdos audit confessionem, & proprius sciens eum non habere iurisdictionem ad id, videt, & non contradicit, cùm facilè possit) sufficiat ad delegandam iurisdictionem.

Suarez. Turrianus. Ægidius. Ochagau.

Non desunt, qui negent præsentem ratihabitionem tacitam sufficere, id tamen negant absque idoneo fundamento; & ideò Suarez, Turrianus, Ægidius & Ochagauia docent, sufficere, & meritò: quia dicta ratihabitione, vtpote ante absolutionem existente, & signo exteriori explicata, nempe dicta visione, & non contradictione facili, verè confertur iurisdictio. Et eodem modo, vt aduertunt Vasquez & Ægidius, consuetudo audiendi confessiones, sciente & non contradicente proprio Pastore, sufficit ad delegandam iurisdictionem ad absoluendum, quamuis consuetudo incipiat & introducatur aliquibus confessionibus inualidis, factis ante sufficiens signum ratihabitionis proprij Pastoris.

Vasquez. Ægidius.

Tertiò est difficultas, An iurisdictio petita, & non obtenta, sufficiat ad validam absolutionem.

Non desunt, qui existiment sufficere, quia id videtur haberi in can. *Placuit*, de Pœnitentia, distinct. 6.

Suarez.

Suarez verò disp. 27. num. 20. & communiter Doctores existimant, non sufficere, & meritò: quia ea petitio non sufficit Iure naturali, vt patet; nec Iure aliquo positiuo, quia nullibi reperitur, nec in dicto can. *Placuit*, quia in eo potiùs absque petitione iurisdictionis conceditur facultas eligendi Confessarium in casu illius canonis, nempe quando proprius Parochus est ignorans.

Quartò est difficultas, An licentia seu iurisdictio per vim, aut metum, aut fraudem extorta, sufficiat.

Sancius. Ægidius.

Sancius 3. de Matrimonio, disp. 39. & Ægidius num. 39. affirmant, immeritò tamen, quia licentia & concessio iurisdictionis est vera donatio iurisdictionis, quæ fit ipsius cui datur, quæ nequit esse valida, quia fit absque aliquo titulo adhuc liberalitatis. Approbatio tamen sufficientiæ Confessarij simili modo facta erit sufficiens & valida, quia non est donatio alicuius rei quæ fiat ipsius approbati, ac proinde nullo indiget titulo vt sit sufficiens & valida.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Confessarius putatiuus validè & licitè absoluat.

CONueniunt communiter Doctores, præsertim recentiores, Sacerdotem, qui habet titulum coloratum iurisdictionis completæ ad absoluendum, & communi errore populi putatum (qui dicitur Confessarius putatiuus) quamuis aliàs via communi & ordinaria non habeat iurisdictionem completam, validè absoluere. Ita Paludanus in 4. dist. 17. q. 6. Sancius 3. de Matrimonio, disp. 20. Henriquez 2. de Pœnitentia, cap. 14. Lessius c. 29. dub. 8. & Ægidius disp. 8. dub. 3. Quod deducunt Doctores ex L. *Barbarius*. ff. de Officio prætoris, & ex can. *Infamis* 3. quæst. 7. quia in omni Repub. tam sæculari quàm Ecclesiastica receptum est, vt iudici putatiuo tribuatur à superioribus iurisdictio, ne in Repub. communiter decepta magna sit perturbatio, si acta omnia illius iudicis fiant nulla.

Paludan. Sancius. Henriq. Lessius. Ægidius.

Ad id autem duo requirunt Doctores, quæ deducunt ex dicta Lege & ex dicto canone; vnum ex parte iudicis putatiui, nempe quòd habeat titulum coloratum, id est, quòd à superiore vero vel saltem putatiuo acceperit iurisdictionem, siue ordinariam siue delegatam, siue verè eam acceperit, & eam iam occultè amiserit, siue tantùm apparenter acceperit, & non verè, ob impedimentum aliquod occultum. Alterum ex parte populi, nempe quòd communi ipsius populi errore censeatur legitimus iudex. Addunt Sancius, Henriquez & Lessius, non tantùm errorem communem populi, sed etiam opinionem probabilem aliquorum aut alicuius ad id sufficere loco erroris communis, vt quando quis iuxta probabilem opinionem absoluit à peccatis reseruatis, aut quando approbatus in alio Episcopatu eligitur in Confessarium.

Sancius. Henriq. Lessius.

Sed quamuis iudex putatiuus validè absoluat quia absoluit iurisdictione, quamuis non habituali, sed tantùm actuali pro singulis actibus sibi collata, illicitè tamen & peccaminosè absoluit peccato vsurpationis iudicij, quia absoluit iurisdictione incommodis quasi extorta, & sibi non omnino liberaliter donata.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm quilibet Sacerdos in sui ordinatione à Christo accipiat iurisdictionem completam in quoslibet pœnitentes in articulo mortis constitutos.

SVpponimus, quemlibet Sacerdotem, deficiente proprio aut delegato, habere sufficientem & completam iurisdictionem in quoslibet pœnitentes existentes in articulo mortis, vt dicitur in Tridentino sess. 14. cap. 7. & in multis canonibus 26. quæst. 6.

Trident.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An illam accipiant immediatè à Christo quando ordinantur, an ab Ecclesia.

Paludan. Durandus. Capreolus, Canus.

Paludanus in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2. Durandus dist. 20. q. 2. Capreolus q. 1. art. 3. Canus Relectione de Pœnitentia, p. 5. & Richardus art. 3. contra Caluinum docent, eam accipere immediatè à Christo, seu Iure diuino in sui ordinatione, quia aliàs Christus non sufficienter prouidisset de ministro, si ipse quoslibet in articulo mortis existentes non reliquisset assignatos tamquam subditos cuilibet Sacerdoti, & id reliquisset Ecclesiæ faciendum.

Richard.

Bonauentura verò in 4. d. 19. art. 3. q. 1. Sotus d. 18. quæst. 4. art. 4. Suarez disp. 26. sect. 4. Vasquez q. 93. ar. 1. dub. 4. docent, & meritò, Sacerdotes dictam iurisdictionem completam accipere ab Ecclesia, & non immediatè à Christo. Quod satis significat Tridentinum c. illo 7. dum ait, piè semper in Ecclesia fuisse custoditum, vt omnes Sacerdotes possint quoslibet pœnitẽtes in articulo mortis constitutos absoluere à quibusuis peccatis & censuris; quia si id fuisset à Christo constitutum, non diceret Tridentinum, id fuisse piè in Ecclesia custoditum, quia his verbis id reducit in pietatem Ecclesiæ.

Bonauent. Sotus. Suarez. Vasquez. Trident.

Et ratione probatur, quia in reliquis casibus Christus commisit & reliquit Ecclesiæ assignationem & applicationem subditorum ipsis Sacerdotibus, qua iurisdictio in ordinatione accepta completur; ergo etiã in casu articuli mortis. Consequentia probatur, quia ad excipiendum hunc casum nullum est sufficiens fundamentum, cùm satis prouideatur de ministro, & de remedio pro eo casu, relinquendo Ecclesiæ assignationem illorum vt subditorum cuilibet Sacerdoti, quia Ecclesia potuit eam statim facere, & semel factam numquam reuocare, vt verè fecit; quo ea assignatio ita sufficienter stabilita est, ac si Christus eam factam reliquisset. Et quòd id factum sit ab Ecclesia, non leuiter confirmatur ex eo, quòd in præsentia proprij Sacerdotis id nequit efficere, qui aliàs non habet licentiam ab Ecclesia: imò nec in præsentia Sacerdotis delegati, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, & declarauit Gregorius XIII. viuæ vocis oraculo, vt refert Molina tom. 4. de Iustitia disp. 36. Et meritò: quia supradicta concessio fit omnibus Sacerdotibus circa pœnitentes existentes in articulo mortis, ratione extremæ necessitatis, quia facta fuit, vt dicitur in Tridentino, ne pœnitentes pereant defectu Confessarij; quando autem adest proprius, aut aliàs delegatus, non sunt alij necessarij ipsi pœnitenti.

Greg. XIII. Molina.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm iurisdictio completa in pœnitentes existentes in articulo mortis, etiam concedatur Sacerdotibus hæreticis & schismaticis, & excommunicatis non toleratis.

MEdina Cod. de Confessione, quæst. 32. *Cui debeat fieri confessio.* & Couarru. in cap. *Alma mater.* 2. par. §. 6. docent, nullum Sacerdotem excommunicatum non toleratum (id est nullum excommunicatum denuntiatum, aut excommunicatum notoriè ob percussionem Clerici) habere iurisdictionem in pœnitentes in articulo mortis, quia per eam excommunicationem auferitur omnis iurisdictio saltem Ecclesiastica.

Medina. Couarru.

Sotus in 4. distinct. 18. quæst. 4. art. 4. Nauarrus cap. 26.

Sotus. Nauarrus.

Ledesma. cap. 26. num. 26. & Ledesma 2. parte quarti, quæstione 21. art. 6. docent, Sacerdotem hæreticum non habere dictam iurisdictionem, vel quia caret fide, quæ est fundamentum necessarium ad iurisdictionem Ecclesiasticam, vel quia ita dispositum est ab Ecclesia.

Canus. Suarez. Vasquez. Canus verò de Pœnitentia parte 5. Suarez disput. 26. sectione 4. Vasquez quæst. 93. art. 1. dubio 4. & communiter Doctores docent, quemcumque Sacerdotem, quantumuis hæreticum, & schismaticum, & excommunicatum non toleratum, habere iurisdictionem completam in pœnitentes existentes in articulo mortis, & meritò: quia ex vna parte Ecclesia potest complere iurisdictionem, quam Sacerdotes hæretici & schismatici, & dicti excommunicati habent acceptam in ordinatione, eis applicando & subijciendo dictos pœnitentes, quia huic applicationi & subiectioni non obstat hæresis, nec schisma, vt patet; nec dicta excommunicatio, quia hæc ex Iure tantum Ecclesiastico impedit aut aufert dictam applicationem: *Trident.* & ex altera parte in Tridentino sess. 14. cap. 7. & in pluribus Canonibus 26. quæst. 6. omnino generaliter absque exceptione aliqua dicitur, omnes Sacerdotes posse absoluere pœnitentes in eo articulo constitutos; ergo negandum non est, in omnibus Sacerdotibus, etiam in dictis præcisis, esse completam iurisdictionem in dictos pœnitentes ex Ecclesiæ benignitate erga hos, ne absque confessione decedant.

Obseruandum est, quòd quamuis dicti Sacerdotes præcisi possint validè dictos pœnitentes absoluere; vt tamen licitè possint, necessarium est quòd sint à peccato mortali contritione aut aliter iustificati, nisi quando periculum ægroti ita vrget, vt ob ipsum statim audiendum nequeant conteri, nec aliter iustificari, quia tunc licitè possunt, quamuis sint in peccato mortali: & quamuis Sacerdos non sit licitè administraturus absolutionem, quia iustificari potest, & non vult, tunc pœnitens in articulo mortis existens potest ab illo absolutionem petere (quando pœnitens non timet subuersionem ob communicationem cum eo Sacerdote, & quando ob communicationem cum eo non apparet profiteri errorem aliquem illius Sacerdotis) quia tunc petit, quod Sacerdos ille potest licitè facere, si velit: quod etiam est verum, quamuis Sacerdos ille non sit paratus ad illicitè absoluendum; quia regula illa, nempe quòd nequeat quis inducere aliquem ad id in quo peccaturus est, quando qui inducitur non est paratus ad id, tantùm est vera, quando inducenti non est in præcepto id ad quod inducit, confessio autem & receptio absolutionis in dicto articulo est pœnitenti in præcepto, imò ipsi ministro est in præcepto auditio & absolutio.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm iurisdictio completa concessa omnibus Sacerdotibus, etiam præcisis, in pœnitentes existentes in articulo mortis, etiam concedatur in pœnitentes in periculo mortis constitutos.

ARticulus mortis dicitur tempus illud, in quo proximè instat mors certò moraliter euentura: periculum verò mortis tunc interuenit, quando est probabile seu prudens dubium mortis, quale est in actuali bello, in longa nauigatione, in primo partu mulieris, & in graui infirmitate, & tempus in quo proximè instat dictum periculum, potest dici moralis articulus mortis.

Circa difficultatem ergo Sotus in 4. d. 18. q. 4. art. 4. Canus de Pœnitentia p. 5. Couarruuias in cap. *Alma mater*, par. 1. §. 11. num. 8. & Valentia disp. 7. quæst. 8. punct. 2. partem negatiuam tuentur, quia Tridentinum sess. 14. c. 7. vbi facit mentionem dictæ concessionis, tantùm loquitur de pœnitentibus existentibus in articulo mortis. *Sotus. Canus. Couarru. Valentia. Trident.*

Nauarrus verò c. 26. n. 31. Henriquez lib. 3. de Pœnitentia c. 11. Suarez d. 26. sect. 4. Vasquez quæst. 93. art. 1. dub. 5. Ægidius disp. 8. n. 16. & communiter Doctores partem affirmatiuam meritò tradunt. Quod efficaciter deducitur ex Iure Canonico, in quo quoad concessionem facultatis absoluendi à reseruatis pro eodem vsurpatur articulus & periculum mortis, vt patet in cap. *Eos qui*, de Sententia excommunicationis, in 6. vbi quod in principio appellatur articulus mortis, postea dicitur periculum mortis: & in can. *Si quis suadente diabolo* 17. q. 4. & in cap. *Non dubium*, de Sententia excommunicationis: quia quod in hoc cap. dicitur periculum mortis, in eo can. *Si quis* dictum fuerat articulus mortis; ac proinde in Tridentino vbi suprà nomine articuli mortis, etiam comprehenditur periculum mortis, & meritò, quia moraliter est articulus mortis. *Nauarrus. Henriq. Suarez. Vasquez. Ægidius.*

Et ratione probatur, quia dicta concessio fit, vt quantum fieri possit pœnitentes non moriantur absque confessione, ne fortè ex defectu illius damnentur: ergo etiam fit pro existentibus in periculo mortis, aliàs relinquerentur expositi periculo moriendi sine confessione. Esse autem in periculo moriendi sine confessione, æquiualet moraliter ipsi mori sine confessione, quia in moralibus periculum æquiualet euentui, & ita cauendum est sicut ipse euentus.

Ex quo deducitur, dictam concessionem non tantùm fieri pro tempore ipso periculi in quo pœnitens fortè morietur, sed etiam pro tempore ante illud, in quo instat ipsum periculum, seu pro articulo periculi, nempe pro tempore in quo quis aggreditur periculum, aut appropinquat periculo, vt quando appropinquat ipsi actuali bello, aut longæ nauigationi, aut primo partui, aut statui infirmitatis grauis in quo fortè morietur, ne in ipso periculo seu in tempore periculi fortè moriatur absque confessione, si ante illud non fuit confessus.

DIFFICVLTAS X.

A quo quilibet Sacerdos habeat iurisdictionem completam in peccata venialia, & etiam in mortalia iam legitimè confessa.

SVpponimus, in quo conueniunt Doctores, Sacerdotes etiam simplices habere sufficientem & completam iurisdictionem in mortalia iam legitimè confessa, & in venialia, quamuis non confessa. Quod vsu & consuetudine Ecclesiæ constat.

Est tamen difficultas, A quo Sacerdotes etiam

simplices habent dictam iurisdictionem, an in sui ordinatione immediatè à Christo, an ab Ecclesia.

Paludan. Sotus. Ruardus. Ledesma. Canus. Vasquez.

Paludanus in 4. dist. 19. quæst. 2. Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 2. Ruardus art. 3. contra Caluinum, Ledesma 2. p. quarti, q. 22. art. 1. Canus Relectione de Pœnitentia par. 5. & Vasquez q. 93. art. 1. dub. 6 docent, dictam iurisdictionem accipi immediatè à Christo in ordinatione, Primò, quia dicta peccata non sunt necessario subijcienda clauibus, sed pro libito pœnitentium subijciuntur; ergo complexio iurisdictionis in illa non est Ecclesiæ commissa, sed accepta in ipsa ordinatione. Secundò, quia Ecclesia nequit reseruare venialia; ergo iurisdictio in illa non dimanat ab Ecclesia, sed immediatè à Christo.

Nauarrus. Medina.

Nauarrus verò cap. 4. num. 5. Medina Cod. de Confessione quæst. de Confessione voluntate & non necessitate facta, Henriquez lib. 3. de Pœnitentia cap. 8. Valentia disp. 7. q. 10. p. 2. Suarez disp. 26. sect. 5. & Ægidius disp. 8. num. 17. docent, dictam iurisdictionem completam conferri ab Ecclesia, & non immediatè à Christo, & meritò: quia eisdem verbis Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. conceditur à Christo in ordinatione potestas & iurisdictio absoluendi à mortalibus, & à venialibus, sed dictis verbis non conceditur completa iurisdictio in mortalia non confessa; ergo nec conceditur in mortalia iam confessa, nec in venialia, sed iurisdictio incompleta & inchoata, quæ applicatione subditorum tantùm habentium conscientiam similium peccatorum, facta ab Ecclesia completur & perficitur.

Henriq. Valentia. Suarez. Ægidius.

Ad primam ergo rationem aduersariorum, concedimus Antecedens, & negamus Consequentiam, quia quamuis dicta peccata pro libertate pœnitentium subijciantur clauibus Ecclesiæ, & Sacerdotibus; sed non cuicumque sunt subijcienda, sed tantùm ei cui subiectus est in eo foro ab habente potestatem subijciendi, sicut etiam quis liberè ordinatur, & tamen non potest pro sui libertate à quocumque ordinari, sed tantùm ab eo qui habet facultatem ad id.

Et ad secundam respondemus, quòd quamuis Ecclesia non possit dicta peccata perfectè reseruare, si non præcipiat confessionem Sacramentalem eorum, quia non concessio aut ablatio iurisdictionis in peccata, quæ non sunt necessariò confitenda, qualia sunt prædicta non posito præcepto Ecclesiæ, non est perfecta reseruatio; nihilominùs potest non concedere, & auferre iurisdictionem in illa, cùm ab ipsa dimanet, quod est illa quoad absolutionem reseruare, de quo dicemus Disputatione sequenti Difficultate IV.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm in aliquo casu sit generaliter permissum cuicumque pœnitenti eligere sibi Confessarium alienum.

Sotus. Canus. Ægidius.

SOtus in 4. d. 18. quæst. 4. art. 2. Canus Relectione de Pœnitentia, p. 5. & Ægidius disp. 8. dub. 8. docent, in nullo casu permitti pœnitentibus confiteri alieno Confessario absque licentia proprij: quia si in aliquo casu, maximè quando proprius Parochus est ignorans; in hoc autem casu id non permitteretur, quia si in aliquo iure id permitteretur, maximè in can. *Placuit* 9. quæst. 2. de Pœnitentia d. 6. in eo autem canone aut id non permittitur pro absolutione Sacramentali à peccatis, sed pro mutanda pœnitentia publica imposita à proprio Parocho ignorante, vt ait Sotus, aut si pro absolutione Sacramentali, iam id est abrogatum per cap. *Omnis vtriusque sexus*, vt ait Canus.

Nauarrus. Medina. Vasquez.

Nauarrus verò in dicto can. *Placuit*, de Pœnitentia d. 6. Medina Cod. de Confessione quæst. 35. de Licentia curati alieno confitendi, & Vasquez quæst. 93. art. 2. dub. 3. docent, in casu ignorantiæ proprij Parochi permitti pœnitentibus confiteri alieno Sacerdoti absque licentia proprij, & meritò: quia in dicto can. *Placuit*, absque dubio id permittitur pro confessione Sacramentali ordinata ad absolutionem Sacramentalem, quia in eo est sermo de confessione pro dicta absolutione, & facienda Parocho vt Parocho, tum quia in eo prohibetur pœnitentem commissum vni Sacerdoti tamquam Parocho admitti ab altero ad confessionem, nisi in casu ignorantiæ proprij, tum etiam quia in eo est sermo de confessione, media qua inuenitur gratia, & facienda ei qui habet potestatem ligandi atque soluendi, de qua est sermo in primo canone dictæ distinctionis; confessio autem absolutè dicta, & facienda Parocho vt Parocho, & ei qui habet potestatem ligandi & soluendi, est confessio Sacramentalis ad absolutionem Sacramentalem ordinata.

Id verò, quod Canus ait, permissionem in hoc casu factam, abrogatam esse per cap. *Omnis vtriusque sexus*, dum dicitur confitendum esse proprio Sacerdoti, vel alteri de licentia illius, sine fundamento dicitur: imò contra rationem, quia in eo cap. nihil noui statuitur, sed tantùm declaratur generalis obligatio confitendi proprio Sacerdoti, vel alteri de illius licentia, quo non tollitur prædicta particularis concessio pro casu ignorantiæ proprij Parochi.

Prædictus autem canon *Placuit*, intelligitur, vt aduertit Vasquez, quando Parochus est adeò ignorans, vt confessio illi facta sit nulla aut illicita, ratione ignorantiæ ipsius; iuxta ea quæ dicemus Diffic. XV. & etiam intelligitur quando non est alius Sacerdos, qui ex priuilegio, aut aliter habeat iurisdictionem delegatam, quia concessio in eo canone facta videtur in defectum habentis iurisdictionem, & absque onere petendi licentiam ab aliquo, adhuc ab Episcopo.

Richard. Paludan. Gabriel. Bonauent. Adrianus. Siluest.

Addunt Richardus, Paludanus & Gabriel in 4. dist. 17. Bonauentura dist. 19. Adrianus quæst. 5. de Confessione, & Siluester v. *Confessio* 1. quæst. 6. etiam permitti pœnitentibus eligere Confessarium ratione malitiæ proprij Parochi, quando scilicet pœnitens ex confessione illi facta timet damnum sibi ab illo inferendum: id tamen additur absque fundamento aliquo in Iure, quia pro hoc casu nullum extat Ius.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm aliquibus in particulari conueniat in omni casu eligere sibi Confessarium absque licentia proprij.

COnueniunt Doctores, esse aliquos, quibus in omni casu, etiam in præsentia proprij Sacerdotis, & absque eius licentia conuenit eligere sibi Confessarium, quos iam nominamus.

In

In primis Romano Pontifici ex Iure diuino conuenit eligere sibi Confessarium ratione potestatis ipsi collatæ à Christo ad designandum subditos Sacerdotibus, se ipsum designando & applicando, vt subditum in eo foro, Sacerdoti cui vult.

Secundò conuenit Episcopis eligere sibi Confessarium non ex Iure diuino Christi, quia ex hoc tantùm subijciuntur Pontifici tamquam proprio Pastori, sed Iure Ecclesiastico, habito in c finali, de Pœnitentiis & remissionibus: in quo id etiam conceditur Prælatis exemptis à iurisdictione ordinaria, vt Generalibus, Prouincialibus, & Superioribus immediatis domus Religiosæ, vt Prioribus, Guardianis, Rectoribus, & Abbatibus, sed non Abbatissis: quod in eodem cap. etiam conceditur Prælatis qui sunt Episcopis superiores, vt Primatibus, Patriarchis, & etiam Cardinalibus Episcopis, & Cardinalibus Legatis: reliquis verò Cardinalibus id etiam conuenit non ex Iure dicti capituli, sed vel ex alicuius Pontificis viuæ vocis oraculo, vel ex Iure consuetudine introducto.

Tertiò idem conuenit Parochis, & omnibus aliis Sacerdotibus, etiam simplicibus, ex Iure consuetudine introducto.

Quartò Imperatores, Reges, & alij Principes sæculares habere solent priuilegia à Romano Pontifice ad eligendum Confessarium, quibus standum est.

Quintò idem priuilegium eligendi Confessarium conceditur accipientibus Bullam Cruciatæ, & concedi solet per alias Bullas, quibus etiam standum est.

Circa vagos seu vagabundos, qui nullum habent firmum domicilium, sed vagantur, Paludanus in 4.d.17. quæst.3. Antoninus tit. 17. cap.4. Nauarrus in can. *Placuit*, num. 79. Caietanus v. *Absolutio*, ex parte absoluentis, & Vasquez quæst.93. art.2. dub.4. docent, illos posse sibi eligere Confessarium, quia carent proprio Parocho, cùm careant firmo domicilio, ex quo fideles sortiuntur Parochiam, vt statuitur in cap. finali, de Parochiis.

Paludan. Antoninus. Nauarrus. Caietanus. Vasquez.

Sotus verò in dist. 18. quæst.4. Medina Cod. de Confessione q.35. Siluester v. *Confessor* 1. quæst.1. Suarez disp.25. sect.2. & Ægidius disp.8. dub.8. docent, illos non posse eligere sibi Confessarium, & meritò: quia habent proprium Parochum (quamuis non firmum) eum videlicet, in cuius parochia actu habitant, quia eis assignandus est aliquis proprius Parochus, cui incumbat cura ipsorum; aliàs non esset illis sufficienter prouisum; nullus autem alius illis potest commodè assignari, nisi ille in cuius parochia habitant actu. Quod etiam praxis confirmat, quia nullus Parochus censetur obligatus ad administrandum illis Sacramenta, quando eis indigent, nisi ille in cuius parochia actu hospitantur & habitant.

Sotus. Medina. Siluester. Suarez. Ægidius.

Circa peregrinos & iter agentes, qui alibi habent domicilium, Paludanus docet, eos non posse confiteri, nisi illi Parocho in cuius parochia habent domicilium, vel alteri de licentia illius, quam censentur habere, quando ex licentia illius peregrinantur.

Paludan.

Caietanus verò, Suarez, Vasquez & Ægidius docent, illos posse confiteri Parocho parochiæ in qua inueniuntur, & alteri de eius licentia, & meritò: quia, vt Caietanus refert, id declarauit Eugenius IV. viuæ vocis oraculo pro confessione & Communione: imò addit Pontifex, eos ex Iure ad eam parochiam pertinere, & non ex commissione: intelligit autem Pontifex non ex commissione proprij Episcopi, nec Parochi, sed ex Iure, consensu tacito Pontificum introducto. Et idem maiori ratione dicendum est de eo, qui negotij, aut studij, aut mercaturæ, aut militiæ causâ commoratur in aliquo oppido, quamuis in eo non sit commoraturus per medietatem anni: quod addimus, quia quando habet animum commorandi per medietatem anni parum plus minúsve, certius est ad eam parochiam in qua habitat pertinere; nisi quando pro similibus personis designata est aliqua parochia, quamuis habitent extra eam, vt pro Scholasticis designata est Complati, quia tunc ad hanc designatam pertinent.

Caietanus. Suarez. Vasquez. Ægidius. Eug. IV.

Circa eos verò qui habent duo domicilia, Nauarrus, Suarez & Ægidius docent, posse vtrilibet Parocho ex illis confiteri, & merito: quia vterque est illis Parochus ratione vtriusque domicilij.

Nauarrus. Suarez. Ægidius.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm habens facultatem eligendi sibi Confessarium, possit eligere Sacerdotem simplicem, & non approbatum.

CErtum est, habentem facultatem eligendi sibi Confessarium absque restrictione aliqua collatam, posse eligere Sacerdotem simplicem, id est aliàs carentem iurisdictione completa in ipsum habentem dictam facultatem, aliàs nullum illi fieret priuilegium: & post Tridentinum, vbi receptum sit, non posse à pœnitente sæculari eligi in Confessarium, nisi Sacerdotem, qui vel sit Parochus, quamuis aliàs alienus, vel qui sit approbatus ab Ordinario, quia in Tridentino sess. 23. cap. 15. decernitur, nullum posse audire confessiones sæcularium, nisi approbatum ab Ordinario, vel habentem beneficium parochiale.

Trident.

Est tamen difficultas, An Religiosi habentes dictam facultatem, possint eligere Sacerdotem non solùm simplicem, sed etiam eum qui nullius est Parochus, nec approbatus ab Ordinario, & an id possint sæculares, secluso decreto Tridentini, aut vbi fortè receptum non fuerit.

Canus Relectione de Pœnitentia par.5. Glossa in cap. *Si Episcopus*, de Pœnitentiis & remissionibus in 6. Vasquez quæst. 93. art. 2. dub. 5. & Ochagauia quæst. 36. partem negatiuam tuentur, quia aliàs fortè eligetur Confessarius qui non sit idoneus, quod non est credendum velle superiorem dictam facultatem concedentem; in generali autem concessione non veniunt, quæ non esset quis in specie concessurus, vt habetur Regula 18. Iuris, in 6.

Canus. Glossa. Ochagau. Vasquez.

Paludanus verò in 4.d.17. quæst.3. art.2. Gabriel quæst.2. dub.5. Sotus d.18. quæst.4. art.3. Adrianus quæst.5. de Confessione, dub.1. Antoninus tit.17. cap.17. & Medina Cod. de Confessione, quæst. de Sacerdote alieno, partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia concedi potest facultas eligendi Confessarium non Parochum, & non approbatum; ergo quando generaliter & absque restrictione conceditur facultas eligendi Confessarium, verè conceditur facultas eligendi quemlibet aliàs non impeditum, dummodò sit suffi-

Paludan. Gabriel. Sotus. Adrianus. Antoninus. Medina.

sufficiens & idoneus, quod non difficilè potest pœnitens prudenti diligentia aut interrogando, aut aliter discernere. Vnde Religiosi possunt Sacerdotem non Parochum, & non approbatum, eligere in Confessarium, & etiam sæculares, vbi fortè dictum decretum Tridentini non fuerit receptum.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm confitentes Religiosis priuilegiatis, satisfaciant præcepto annuæ confessionis.

SVpponimus, fideles posse validè & licitè confiteri Religiosis priuilegiatis ad audiendas confessiones, aliàs nullum fuisset eis concessum priuilegium.

Est tamen difficultas, An fideles, confessione illis facta, satisfaciant præcepto annuæ confessionis.

Henriq. Poliaco. Henriquez Quodlib. 10. quæst. 2. & Ioannes de Poliaco existimarunt, fideles confitentes dictis Religiosis, non satisfacere præcepto annuæ confessionis, ac proinde semel in anno teneri omnia sua peccata mortalia, quantumuis dictis Religiosis iam confessa, suo Parocho confiteri, aut alteri de eius licentia. Primò, quia in cap. *Omnis vtriusque sexus*, dicitur, fideles teneri omnia sua peccata mortalia proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia, saltem semel in anno confiteri; per priuilegia autem Religiosis concessa non est derogatum dicto capitulo, quia in eo continetur & determinatur præceptum diuinũ confitendi proprio Sacerdoti, aut alteri de eius licentia, saltem semel in anno, præcepto autem diuino nequit derogari per priuilegia Ecclesiastica; ergo qui proprio Sacerdoti, vel alteri de eius licentia non confitetur semel in anno, quantumuis dictis Religiosis confiteatur, non satisfacit dicto præcepto. Secundò, quia in Extra-

Mart. V. uag. *Ad vberes fructus*, edita à Martino V. quæ refertur ab Henriquez, in qua Martinus concedit Mendicantibus idem priuilegium audiendi confessiones, addit: *Volumus autem, quod hi qui Fratribus confitebuntur, teneantur proprio Sacerdoti saltem semel in anno, prout generale Concilium constituit, confiteri.* Et in Extrauag. *Vices*, de Tregua &

Sixt. IV. pace, edita à Sixto IV. dicitur, quòd Fratres mendicantes desistant prædicare, quòd Parochiani non sunt obligati tempore Paschatis proprio Sacerdoti confiteri, quia ad id de Iure tenentur.

Nihilominùs iam negari non potest, confitentes Mendicantibus, & quibuscumque aliis Religiosis, etiam satisfacere præcepto cõfessionis, tam annuæ, quàm purè diuino pro articulo mortis, vt declara-

Clem. VIII uit Clemens VIII. in Bulla edita anno 1592. die 22. Decembris, & meritò: quia iam priuilegia ad audiendas confessiones Sacerdotibus nostræ Societatis, & reliquis Mendicantibus renouata, aut de nouo concessa (quibus etiam reliqui Religiosi gaudent) verè sunt concessa absque vlla limitatione & exceptione alicuius confessionis, ergo illis concessa est facultas audiendi confessiones, etiam pro præcepto confessionis, & tam pro purè diuino, quàm pro præcepto annuæ confessionis.

Concessione autem dictæ facultatis non derogatur Iuri diuino modificato in cap. *Omnis vtriusque sexus*, confitendi proprio Sacerdoti, vel alteri de licentia illius, saltem semel in anno, quia qui ex licentia & ex priuilegio Romani Pontificis audit confessiones (vt audiunt Religiosi) verè audit illas ex licentia proprij Sacerdotis, quia Rom. Pontifex, quamuis non sit proprius Parochus, est tamen proprius Sacerdos, & pastor omnium fidelium, & non alienus; & in dicto cap. *Omnis*, nomine proprij Sacerdotis non tantùm intelligitur Parochus, sed etiam quicumque habens iurisdictionem ordinariam, quam etiam habent Rom. Pontifices, & reliqui Episcopi. Ex quo constat ad prius fundamentum aduersariorum.

Et ad posterius, desumptum ex Martino V. & ex Sixto IV. respondemus, eo tempore priuilegium audiendi confessiones anteà à Bonifacio VIII. in Extrauag. *Super cathedram*, de Sepulturis, & Benedicto XI. in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuilegiis, absolutè absque exceptione alicuius confessionis Mendicantibus concessum, quod Ioannes XXII. supponit in Extrauag. *Vas electionis*, de Hæreticis, in qua sententiam Ioannis de Poliaco damnauit, fuisse eo modo dicto limitatum à Martino V. & à Sixto IV. iam tamen antiquum priuilegium concessum à Bonifacio VIII. & à Benedicto XI. fuisse absolutè, absque exceptione alicuius confessionis à Romanis Pontificibus, iterùm nostris & reliquis Mendicantibus renouatum, vt constat ex Bullis ipsis concessis.

DIFFICVLTAS XV.

Quanta scientia necessaria sit in Sacerdote, vt possit confessiones audire.

SVpponimus, in Sacerdote necessariam esse scientiam seu notitiam aliquam peccatorum, & aliquarum aliarum rerum, vt confessiones audiat; quia ad iudicandum (vt verè iudicat Sacerdos in confessione) necessaria est cognitio causæ, & aliarum rerum ad iudicium & ad sententiam iudicij pertinentium. Ita Caietanus v. *Confessori necessaria.* Siluester v. *Confessor* 3. Antoninus 3. parte, tit. 17. cap. 16. disput. 28. sect. 2. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 1. Ægidius disp. 8. dub. 16. & Reginaldus lib. 1. cap. 12.

Caietanus. Siluester. Antoninus. Suarez. Vasquez. Ægidius. Reginald.

Est ergo in primis necessarium Sacerdoti vt possit confessiones audire, quòd sciat discernere inter mortale & veniale, & inter species peccatorum, & an peccatum sit vnum, vel multiplex. Secundò necessarium est, quòd sciat casus reseruatos, à qua obligatione magna ex parte liberantur Religiosi, quia habent priuilegium absoluendi à multis: & etiam qui audiunt confessiones habentium Bullam Cruciatæ, quia habet priuilegium absoluendi ferè ab omnibus reseruatis. Tertiò necessarium est quòd sciat obligationes restituendi, & impedimenta matrimonij, & omne aliud quod necessarium est vt pœnitens possit absolui. Ratio omnium trium prædictorum est, quia absque eorum notitia nequit Sacerdos in confessione prudenter procedere, & iudicare, & pœnitentibus mederi, ad quod ex officio Confessarij tenetur.

Ita tamen necessarium est Sacerdoti quòd tria prædicta sciat, & possit inter ea discernere, vt necessarium non sit quòd id possit in omnibus peccatis quæ se auditurum credit, quia id vix possunt doctissimi; sed sufficit quòd id possit in peccatis & casibus qui frequenter contingunt his quorum confessiones audit. Ex quo fit, quòd possit aliquis esse

esse idoneus ad audiendas confessiones in vno oppido, nempe in oppido rusticorum, & respectu alicuius generis personarum, vt Clericorum; & non sit sufficiens in alio oppido, vt in Curia regia, & respectu alicuius generis personarum, vt mercatorum, & scribarum. Et ita necessarium est quòd omnium trium prædictorum notitiam habeat, vt necessarium non sit, quòd notitia sit tanta vt possit ex tempore & per se ipsum in omnibus casibus occurrentibus omnia dubia resoluere, sed sufficit quòd id possit in casibus frequenter occurrentibus, & quòd in difficilioribus dubitare possit, vt possit absolutionem differre, quousque doctos vel libros consulat. Imò non videtur necessarium, quòd in casibus frequenter occurrentibus possit omnia dubia circa illos ex tempore resoluere, si maiori ex parte possit, & circa reliqua pauca possit dubitare.

Nec detinenda est absolutio, quia Sacerdos nesciat discernere circa peccata non frequenter contingentia, an sit mortale peccatum, an tantùm veniale; & an multiplex, an vnum; & an huius aut illius speciei: imò nec quando id nescit circa peccata frequenter contingentia, si id discernere sit difficile ob incertitudinem materiæ, aut aduertentiæ pœnitentis quando peccatum commisit, aut ob alias circumstantias: sed audito facto pœnitentis, & adhibito remedio prout melius possit, conferri potest absolutio; quia sicut ex parte pœnitentis ad confessionem formaliter integram sufficit mediocris diligentia, ita etiam ex parte Confessarij ad absolutionem formaliter integram sufficit scientia, & iudicium, & discretio mediocris circa peccata.

Est tamen difficultas Primò, An Confessario sit necessaria notitia irregularitatum, saltem confusa, sufficiens ad dubitandum.

Caietanus. Nauarrus. Vasquez. Caietanus negatiuè respondet, quia absolutio potest conferri irregulari. Nauarrus verò & Vasquez sub distinctione respondent, & benè, nempe eam notitiam tantùm esse necessariam Confessario audienti confessiones Clericorum (nisi quando suppleri potest scientia ipsorum pœnitentium) & nos addimus, etiam quando audit confessiones eorum quos credi potest esse ordinandos, vt tam Clericos quàm ordinandos dirigat, & de irregularitate moneat, vt ordinati abstineant ab vsu Ordinum, & non ordinati ab ordinatione.

Secundò est difficultas, An ignorantia Confessarij suppleri possit, si ipse faciat vt pœnitens ante confessionem consulat peritos circa res, quas Confessarius ipse ignorat.

Ochagau. Caietanus. Ochagauia quæst. 38. negat, quia id esset nimis onerosum pœnitenti. Caietanus verò affirmat, & meritò, quia tunc non est necessaria Confessario notitia earum rerum: id tamen limitat, quando id non est Confessario frequenter necessarium, sed tantùm in vno casu, aut in altero. Quam limitationem nos tantùm veram existimamus, quando Confessarius est debitus pœnitenti, vt Parochus: quia tunc contra rationem est concedere pœnitenti Confessarium molestum, non verò quando Confessarius liberaliter conceditur.

Tertiò est difficultas, An in eo, qui propria voluntate suscipit officium Confessarij, requisita sit maior scientia quàm in eo qui ex obedientia illud suscipit.

Antoninus. Nauarrus. Suarez. Vasquez. Reginald. Antoninus affirmatiuè respondet, immeritò tamen, vt optimè Nauarrus, Suarez, Vasquez & Reginaldus; quia obedientia nequit supplere defectum scientiæ aliàs ad munus Confessarij requisitæ.

Quartò est difficultas, An confessio facta ei qui modo suprædicto nescit discernere circa materiam confessionis, inter mortale videlicet & veniale, & inter species peccatorum, & inter eorum vnitatem & multiplicitatem in casibus frequenter occurrentibus, sit nulla, & consequenter necessariò repetenda.

Suarez. Vasquez. Suarez, Vasquez, & communiter Doctores supponunt, Sacerdotem sic ignorantem non esse incapacem recipiendi de nouo iurisdictionem, & multò minùs retinendi antiquam, quia talis incapacitas nullo fundamento ostendi potest: & consequenter si ea, quæ sibi dicuntur in confessione, de facto percipiat vt mala, & fortè benè iudicet, & inter ea modo dicto discernat, confessio ipsi facta erit valida.

Est tamen difficultas, An, quando ratione dictæ ignorantiæ de facto non benè iudicat, nec discernit, tunc confessio sit nulla defectu veri iudicij, & actualis discretionis.

Richardus. Victoria. Vasquez. Turrianus. Ochagau. Richardus in 4. d. 17. art. 2. quæst. 8. Victoria de Confessione num. 168. Vasquez q. 93. art. 3. dub. 2. Turrianus disp. 25. dub. 2. & Ochagauia q. 38. docent, tunc confessionem esse nullam, quia tunc absolutio fertur à iudice, causa insufficienter cognita.

Gabriel. Adrianus. Petrus Sot. Suarez. Ægidius. Gabriel verò in 4. d. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. Adrianus q. 4. de Confessione, Petrus Sotus Lect. 6. de Confessione, Suarez disp. 22. sect. 6. & Ægidius disp. 6. dub. 5. docent, tunc confessionem esse validam quantum est ex parte Sacerdotis, & meritò: quia actus pœnitentis cogniti vt peccata, sunt materia sufficiens absolutionis; ergo absolutio supra illam cadens erit valida. Peccauit tamen Sacerdos (nisi bona fide excusetur) quia causâ insufficienter cognitâ tulit sententiam absolutionis.

Addimus, *quantum est ex parte Sacerdotis*, quia si pœnitens confiteatur Sacerdoti sic ignoranti, eius ignorantiam aduertens peccauit mortaliter, ac proinde quantum est ex parte ipsius, confessio fiet nulla defectu doloris & integritatis confessionis.

Obseruandum tamen est, in quo non pauci conueniunt, in casu extremæ necessitatis non solùm validè, sed etiam licitè confessionem fieri Sacerdoti sic ignoranti, dum percipere possit facta pœnitentis vt peccata, sicut etiam in casu extremæ necessitatis validè & licitè fit à pœnitente confessio peccatorum in genere & in communi, quando aliud non potest. Imò non tantùm in casu extremæ necessitatis, sed etiam in casu grauis necessitatis id potest licitè fieri, vt si defectu aliorum Confessariorum populus aliquis longo tempore destitutus maneret, quia tunc melius erit confiteri sic ignoranti; posteà tamen si adsit Confessarius idoneus, & non ignorans, repetenda est huic confessio suo tempore.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm in Sacerdote præter scientiam necessaria sit aliqua approbatio ad audiendas confessiones.

QVamuis ante Tridentinum nullo Iure fuerit requisita approbatio in Sacerdotibus ad audiendas confessiones, iam verò post Tridentinum requi-

requiritur approbatio ab Episcopis facta, siue cum examine, siue sine illo, prout ipsi visum fuerit, quia *Trident.* ita decernitur in ipso Tridentino sess. 23. c. 15. de Reformatione, quæ distincta est à concessione iurisdictionis, vt patet: requiritur autem non tantùm vt licitè audiant confessiones, sed etiam vt validè, vt sonant verba Tridentini, & praxis ostendit.

Hæc autem approbatio non requiritur à Tridentino in his Sacerdotibus, qui habent beneficium parochiale (cuius nomine intelligitur quodcumque beneficium cui annexa est cura animarum) quia Tridentinum supponit, habentes illud esse idoneos: requiritur tamen in his qui iam beneficium reliquerunt, quia tantùm excipit eos qui beneficium parochiale obtinent. Et dicta approbatio tantùm requiritur ad audiendas confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum: ac proinde ad audiendas confessiones Religiosorum, sufficit in Sacerdote adhuc sæculari delegatio iurisdictionis à Superiore Religiosi pœnitentis facta absque aliqua approbatione: & requiritur dicta approbatio ad audiendas confessiones sæcularium in omnibus Sacerdotibus, etiam Religiosis, vt exprimitur in Tridentino, quamuis Mendicantibus, & Magistris seu Doctoribus Theologiæ, quia in omnibus, etiam in Religiosis, absque vllius exceptione illam requirit Tridentinum. Imò addit, *Priuilegijs & consuetudine quacumque immemorabili non obstantibus.*

Nauarrus. Nauarrus ergo cap. 27. num. 265. dum ait, Regularem Mendicantem à suo Prælato præsentatum Episcopo, manere idoneum ad audiendas confessiones sæcularium, quamuis ab Episcopo non approbetur, quando absque iusta causa ab eo non approbatur, quasi hoc priuilegium concedatur Mendicantibus in Clementina *Dudum*, de Priuilegiis, fallitur, vt aduertunt Suarez disput. 28. sect. 5. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 3. & Ægidius disp. 8. num. 58. quia in omnibus Religiosis absque exceptione Mendicantium requiritur à Tridentino approbatio, addendo, *priuilegys non obstantibus:* præsertim quòd Mendicantibus non fuit concessum tale priuilegium, quia iuxta dictam Clementinam non fiebat præsentatio Mendicantium Episcopo vt eos approbaret, quia nulla erat requisita approbatio, sed vt illis iurisdictionem concederet; quam si Episcopus absque rationabili causa præsentatis negabat, eo ipso Pontifex illam concedebat: ac proinde priuilegium in dicta Clementina Mendicantibus concessum non fuit reuocatum per Tridentinum, quia in ea Clementina non priuilegiabantur quoad approbationem, sed quoad iurisdictionem; quoad hanc autem dictum priuilegium iam est ampliatum per alia priuilegia particularia nouiter concessa, per quæ iurisdictionem accipiunt immediatè à Papa Vnde modò Mendicantes, & qui cum eis in priuilegiis communicant, quando ad Episcopum accedunt, non accedunt pro iurisdictione, sed pro approbatione, quia hæc sola est necessaria ipsis ab Episcopo.

Suarez. Vasquez. Ægidius.

Sacerdotibus verò sæcularibus necessaria est non solùm approbatio ab Episcopo, sed etiam acceptio seu completio iurisdictionis, siue à Parocho, siue ab Episcopo, siue à Papa, quia Sacerdotes sæculares nullo priuilegio habent iurisdictionem completam. Imò addimus, quòd non eo ipso quòd aliquem approbat vt sufficientem, ipsi concedit iurisdictionem, vt aduertunt Vasquez, Ægidius & Ochagauia: ac proinde quando Episcopus confert generalem licentiam audiendi confessiones (nisi aliud exprimat) tantùm approbat, & non confert iurisdictionem: Primò, quia credi non potest, Episcopum licentia illa velle priuato Sacerdoti ita gratis, & absque peculiari aliqua causa rationabili, conferri vniuersaliorem iurisdictionem quàm habeat Parochus; quia iste quamuis sit sufficiens & idoneus pro tota Ecclesia, sed non habet iurisdictionem nisi in suos parochianos, ille verò priuatus Sacerdos haberet in omnes diœcesanos Episcopi. Secundò, quia tali concessione frustraretur priuilegium Cruciatæ quoad facultatem eligendi Confessarium, quia ex vna parte nemo potest eligere virtute Bullæ Cruciatæ nisi approbatum ab Episcopo; & ex altera parte, eo ipso quòd Episcopus illum approbaret, & ei conferret licentiam, posset quilibet absque priuilegio Bullæ illi confiteri, vtpote habenti iurisdictionem ab Episcopo, quod non est credendum Episcopos velle. *Vasquez. Ægidius.* *Ochagu.*

Dicta autem approbatio facienda est ab Episcopo, attendendo non solùm ad scientiam quæ necessaria est, sed etiam ad prudentiam, ad ætatem, & ad mores approbandorum, quia hæc maximè expediunt ad rectè exercendum munus Confessarij, quamuis dum oppositum non constat, semper præsumuntur idonei quoad alia, excepta scientia; & sicut Sacerdos potest esse idoneus pro vno oppido, & non pro alio, & pro vno genere personarum, & non pro alio, ita etiam potest approbari ab Episcopo pro vno oppido, & non pro aliis, & pro vno genere personarum, & non pro aliis.

Nomine autem Episcopi à quo facienda est approbatio, intelligitur etiam (vt constat ex communi Doctorum consensu, & praxi, & consuetudine) quicumque habens iurisdictionem Episcopalem in foro exteriore respectu sæcularium, nempe Vicarius seu Prouisor Episcopi, Capitulum Cathedrale, sede vacante, & alij Prælati exempti, qui habent dictam iurisdictionem, quia in dicto Decreto Tridentini potiùs attenditur ad iurisdictionem Episcopalem, quàm ad consecrationem.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm approbatus ab vno Episcopo pro sua diœcesi, etiam censeatur approbatus pro qualibet alia.

SVpponimus, habentem beneficium parochiale in vna diœcesi, quamuis tantùm fuerit approbatus vt idoneus ad officium Parochi, ab Episcopo à quo accepit beneficium, posse nihilominùs absque alia approbatione vbique terrarum confessiones audire, si aliàs iurisdictionem accipiat à proprio Sacerdote pœnitentis, quamuis tantùm à Parocho, quia à Tridentino non requiritur approbatio, nisi in aliis non habentibus beneficium parochiale.

Difficultas ergo tantùm procedit circa approbationem in aliis Sacerdotibus non habentibus beneficium parochiale.

Henriquez lib. 7. cap. 12. & Ægidius disp. 8. dub. 7. docent, approbationem ab vno Episcopo factam sufficere pro qualibet diœcesi, quia Tridentinum tantùm requirit approbationem ab Episcopo factam, quæ in casu dicto reperitur. *Henriq. Ægidius.*

Vasquez verò quæst. 93. art. 3. dub. 4. Guttierrez lib. 1. *Vasquez. Guttierr.*

Ochagau. lib. 1. Quæstionum Canonicarum c. 27. & Ochagauia q. 40. docent, & meritò, approbationem ab vno Episcopo factam non sufficere pro alijs diœcesibus. Quod constat ex communi praxi Ecclesiæ, & deducitur ex Tridentino in dicto decreto, dum in eo dicitur, nullum posse audire confessiones sæcularium, nisi ab Episcopis idoneus iudicetur, & non dicitur ab Episcopo, nec ab vno Episcopo, quo indicatur, approbationem faciendam esse ab vnoquoque Episcopo pro sua diœcesi. Quod etiam ratio suadet, quia bonæ gubernationi est maximè consonum & expediens, vt nullus audiat confessiones eorum quorum cura incumbit Episcopo, nisi sit ab ipso approbatus, supposito quòd sit approbandus ab Episcopo.

DIFFICVLTAS XVIII.

A quo Episcopo facienda est approbatio.

Henriq. HEnriquez lib. 7. cap. 12. docet, ad audiendas confessiones sufficere, quòd approbatio fiat à quocumq; Episcopo, siue pœnitentis, siue Confessarij, siue loci in quo fit confessio, quia in Tridentino tantùm requiritur approbatio ab Episcopo; hæc autem, à quocumque Episcopo ex dictis fiat, verè fit ab Episcopo.

Trident.

Vasquez. Guttierrez & Ochagau. Vasquez quæst. 93. art. 3. dubio 4. Guttierrez lib. 1. Quæstionum cap. 27. & Ochagauia qu. 40. docent, approbationem faciendam esse ab Episcopo loci in quo fit confessio, quia approbatio facienda est ab Episcopo; in eo autem loco in quo fit confessio, non est alius Episcopus.

Suarez. Ægidius. Reginald. Filliucius. Suarez disp. 28. sect. 6. Ægidius disp. 8. dub. 7. Reginaldus lib. 1. cap. 16. & Filliucius tit. 7. c. 9. quæst. 10. docent, approbationem faciendam esse ab Episcopo Confessarij. Quibus fauere videntur duæ responsiones Congregationis Cardinalium ex ore Pontificis acceptæ, quarum prior est: *SS. D. N. audita consultatione Congregationis, declarauit, Episcopum vigore priuilegij, de quo in capite finali de Pœnitentijs & remissionibus, non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit approbatus.* quo indicatur, Episcopum non posse sibi non subditum approbare, alias posset illum statim approbare, & ita eum in Confessarium eligere Posterior est: *SS. D. N. declarauit, tempore Iubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario; in Bulla enim non fit mentio nisi de Ordinario eorum qui audiunt confessiones, non autem de Ordinario pœnitentium:* quo significatur, ad approbationem non respici quòd sit Ordinarius pœnitentis, sed Confessarij, vt ab eo fiat.

Et ratione probatur, quia approbatio, vtpote sententia declaratiua sufficientiæ Confessarij, est actus iurisdictionis in Confessarium; ergo tantùm pertinet ad eum Episcopum qui habet iurisdictionem in approbandum, ac proinde tantùm est facienda ab Episcopo Confessarij.

Rodriguez. Rodriguez verò in Expositione Bullæ §. 5. & communiter Theologi & Canonistæ docent, approbationem Confessarij faciendam esse ab Episcopo pœnitentis, & meritò: quia approbatio Confessarij fit in fauorem pœnitentium, eis prospiciendo, vt ipsis idoneus & conueniens minister tribuatur; prospicere autem pœnitentibus, & ipsis de ministro conueniente prouidere, ad eorum Episcopum & Pastorem pertinet, iuxta rectam & prudentem gubernationem. Ex quo constat ad rationem Henriquez.

Ad rationem verò Vasquez respondemus, quòd quamuis in loco in quo fit confessio, non sit alius Episcopus nisi Episcopus ipsius loci; approbatio tamen facienda est ab Episcopo pœnitentis, ob rationem dictam: sed quia pœnitens in aliquo loco existens de iure etiam pertinet ad Episcopum illius loci, quoad Communionem & confessionem, vt diximus Difficultate XII. ideò approbatio etiam fieri potest ab Episcopo loci in quo fit confessio, quia eo ipso etiam est Episcopus pœnitentis; sed non solùm fieri potest ab Episcopo loci in quo fit confessio, sed etiam fieri potest ab Episcopo proprio pœnitentis ratione domicilij, & meliùs, quia pœnitens non minùs, imò magis pertinet ad Episcopum domicilij, quàm ad Episcopum loci in quo actu hospitatur & habitat.

Et ad rationem Suarez concedimus, approbationem esse actum iurisdictionis in Confessarium, hunc tamen actum posse exerceri ab Episcopo pœnitentis in Confessarium alias non sibi subditum, si Confessarius velit, vt potest se subijcere illi Episcopo ad hoc vt possit confessiones subditorum illius Episcopi audire.

Nec responsiones Congregationis Cardinalium nobis aduersantur; quia in priori tantùm est sermo de Episcopo iter agente, & existente in alieno Episcopatu, qui nequit sibi in Confessarium eligere Sacerdotem alias non sibi subditum, qui à suo Ordinario non sit approbatus, quia in eo Episcopatu nequit eum pro se approbare, quamuis possit pro suis subditis, sicut, non existente dicto priuilegio cap. finalis, non posset illi confiteri absque licentia Episcopi loci, quamuis in eo loco ipse posset confessiones suorum subditorum ratione domicilij audire.

Et in posteriori tantùm significatur, Religiosos, vt Iubilæum lucrentur, qui ad id confiteri debent Sacerdoti approbato, debere confiteri Sacerdoti approbato, non à suis Prælatis, sed à Prælato Episcopali: quia quando in Bulla quoad effectum lucrandi Iubilæum fit mentio Ordinarij, dicendo, confessionem ad illud lucrandum requisitam faciendam esse Sacerdoti approbato ab Ordinario, tantùm fit mentio Ordinarij Confessariorum (id est Ordinarij à quo approbandi sunt Confessarij, quibus facienda est dicta confessio) qui quoad hanc approbationem est Episcopus, & non fit mentio Ordinarij pœnitentium, qui respectu Religiosorum vt pœnitentium tantùm est proprius Prælatus.

Ex dictis deducimus contra Rodriguez §. 9. n. 9. vt optimè Suarez & Henriquez, quoties vi Bullæ Cruciatæ aut alterius priuilegij conceditur facultas Religiosis eligendi Confessarium approbatum ab Ordinario, etiam pro absolutione à reseruatis, non posse eligere Confessarium approbatum tantùm à suo Prælato, vt constat ex præ- *Suarez. Henriq.*
dicta responsione Congregationis Cardinalium: & ex eo quòd in eis priuilegijs alludatur ad approbationem faciendam ab Ordinario requisitam à Tridentino, quæ facienda est ab Ordinario Episcopali.

Vnde quando Difficultate præcedenti diximus, approbationem ab vno Episcopo factam non sufficere

ficere pro alijs diœcesibus, intelligitur personaliter, non localiter, ideſt, intelligitur pro diœcesanis aliorum Episcoporum dum existunt in proprijs diœcesibus, non verò quando actu hospitantur in alieno Episcopatu, quia tunc approbatio ab Episcopo huius Episcopatus facta sufficit pro diœcesano alterius Episcopi existente in alieno Episcopatu.

DIFFICVLTAS XIX.

Vtrùm approbatio semel facta possit reuocari.

COnueniunt Primò Doctores, approbationem Sacerdotis adhuc sæcularis absolutè datam, non finiri morte Episcopi per se aut per suum Vicarium approbantis, quamdiu non reuocatur, vt patet ex vsu & praxi Ecclesiæ. Quod etiam ratio suader: quia approbatio est quædam iuridica sententia declaratiua sufficientiæ approbati; sententia autem non expirat morte eius qui eam tulit: quod, vt diximus Difficultate IV. verum existimamus, quamuis in approbatione addatur, *quamdiu nobis placuerit*; quia per particulam *placuerit* non tam significatur consensus positiuus dictæ approbationis, qui nequit post mortem perseuerare, quàm non reuocatio approbationis, quæ morte non reuocatur.

Conueniunt Secundò, facultatem ad accipiendam iurisdictionem pro confessionibus omnium fidelium, quam habet qui obtinet beneficium parochiale, non posse ab Episcopo reuocari quamdiu ille obtinet beneficium; quia eo ipso quòd illud obtinet, est absque alia approbatione idoneus ad eam iurisdictionem accipiendam.

Est tamen difficultas, An approbatio, qua non habentes beneficium parochiale, siue sæculares siue Regulares ab Episcopo approbati sunt, possit ab ipso Episcopo reuocari?

Circa hanc difficultatem Doctores non parum variant: quia alij absolutè docent, reuocari non posse, quia approbatio non est mera gratia ex voluntate Episcopi pendens, sed quædam quasi sententia declaratiua, quæ transit in rem iudicatam. Et alij absolutè docent reuocari posse, quia credunt ex mera voluntate Episcopi pendere. Alij sub distinctione docent, approbationem Religiosorum non posse reuocari, benè tamen sæcularium.

Suarez. Vasquez. Henriq. Suarez verò disp. 28. sect. 8. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 5. & Henriquez lib. 6. cap. 6. docent, approbationem etiam Religiosorum, existente rationabili causa, posse validè & licitè reuocari, etiam ab eodem Episcopo à quo facta fuit; & meritò: quia reuocatio approbationis nullo iure fieri impeditur. Non Iure naturali ipsius approbationis, quia approbatio suâ naturâ est reuocabilis, sicut etiam fundamentum ipsius, nempe scientia & virtus, mutari potest; ergo Iure naturali non tantùm validè reuocari potest, sed etiam licitè, si aliqua causa rationabilis existat, nempe prudens timor diminutionis scientiæ requisitæ, & virtutis in approbato. Nec reuocatio impeditur fieri Iure aliquo positiuo: quia non quoad Sacerdotes sæculares, quia quoad illos nullibi tale Ius reperitur; nec quoad Religiosos, quia si aliquo Iure quoad illos, maximè aut Iure contento in Motu proprio edito à Pio V. qui incipit, *Romani Pontificis*, aut Iure contento in Clementina *Dudum*, de Sepulturis: sed non Iure contento in dicto Motu proprio, quia quamuis in eo Pius V. concesserit Mendicantibus, vt semel medio examine approbati, nequeant iterùm ab eodem Episcopo examinari (quamuis possint à successore) hunc tamen Motum proprium Pij V. reuocauit Gregorius XIII. alio Motu proprio habito in Summa Nauarri in fine, & statuta in Motu Pij V. reduxit ad forum Iuris communis & Tridentini: nec Iure contento in dicta Clementina, quia quamuis in ea priuilegientur Mendicantes, vt semel præsentati Episcopo non indigeant iterùm præsentari, non tamen priuilegiantur quoad approbationem, sed quoad iurisdictionem, quoad quam iam sunt magis priuilegiati nouis alijs priuilegijs, vt diximus Difficultate XVI.

Addimus, reuocationem approbationis etiam Religiosorum, quantumuis sine rationabili causa pro solo nutu Episcopi factam, esse validam & licitam. Et in primis est valida, vt aduertit Vasquez, *Vasquez.* quia approbatio sua natura est reuocabilis, & nullo Iure eius reuocatio irritatur; ergo si de facto fiat reuocatio, quamuis absque rationabili causa fiat, erit valida. Deinde est licita (quod Ochagauia quæst. 40. admittit quoad Sacerdotes *Ochagua.* sæculares) quia nullo Iure prohibetur. Non positiuo, quia nullibi extat: nec naturali, quia sicut in principio, potuit ab Episcopo pro solo suo nutu absque causa licitè negari, quia nullo Iure Sacerdotis, nec alio titulo cogitur Episcopus ad id faciendum, ita etiam post eam factam poterit pro libito absque causa licitè reuocari, quia post approbationem factam nullum apparet ius in approbato acquisitum, vt approbatio ipsius non reuocetur: quia quamuis approbatio sit instar sententiæ, est tamen solùm declaratiua sufficientiæ, quam anteà approbatus habebat, non collatiua alicuius, in quo vel ad quod ius aliquod acquirat, ac proinde sicut potuit à principio licitè pro solo nutu Episcopi non declarari sufficientia Sacerdotis, ita etiam declaratio semel facta poterit licitè pro libito Episcopi reuocari.

DIFFICVLTAS XX.

Vtrùm Parochus teneatur toties audire confessionem Parochiani, quoties iste confiteri voluerit.

COnueniunt Doctores, Parochum teneri audire confessiones suorum subditorum, quoties eis sunt sub præcepto, quia si aliquando tenetur, vt verè tenetur, maximè in casu præcepti suorum subditorum.

Est tamen difficultas, An etiam teneatur, quoties subditi ex sola deuotione confiteri volunt.

Richardus in 4. dist. 18. art. 2. quæst. 3. Medina *Richardus.* Cod. de Confessione, quæst. 41. de Confessione *Medina.* per Curatum audienda; Siluester v. *Confessor* 1. *Siluest.* n. 14. & Armilla v. *Absolutio*, n. 18. docent, Pa- *Armilla.* rochum in casu dicto non teneri, quia tunc Parochus non tenetur ad id ex misericordia, nec ex charitate, vt patet, quia tunc non adest extrema imò nec grauis necessitas; nec tenetur ex fidelitate vel

ex

ex iustitia ratione sui officij, quia officium Parochi tantùm videtur obligare tempore necessitatis & præcepti.

Sotus. Suarez. Vasquez. Ægidius.

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 4 art. 2. Suarez disp. 31. sect. 1. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 6. & Ægidius disp. 8. dub. 17. docent, Parochum teneri ad audiendas confessiones suorum parochianorum etiam extra tempus præcepti, quoties ipsi rationabiliter volunt confiteri; & meritò: quia Parochus est verè Pastor spiritualis suorum parochianorum; Pastor autem ex officio non tantùm tenetur ad prouidendum ouibus pastum præcisè necessarium, sed etiam aliàs vtilem, quando potest absque nimio onere, & ipsę oues appetunt & quærunt, vt ratio ipsa dictat; ergo Parochus ex officio tenetur ad audiendas confessiones suorum parochianorum, etiam extra tempus præcepti, quando id potest absque nimio labore, & id subditus rationabiliter appetit & requirit. Nihilominùs semel aut iterùm cõfessionem parochiani non audire, non erit mortale, nisi quãdo grauis aliqua occasio confitendi vrgeat, vt tempore Iubilei, aut quando parochianus aliqua graui tentatione vrgetur.

Sotus. Reginald.

Addimus, vt contra Richardum, Siluestrum & Armillam aduertunt Sotus & Reginaldus lib. 1. nu. 83. non eo ipso quòd Parochus recusat audire confessionem parochiani, censetur illi conferre licentiam eligendi alium Confessarium, cùm tam facilè posset dicere, Adeas alium, ac dicit, Nolo, aut Non possum te audire.

DIFFICVLTAS XXI.

Vtrùm Confessarius teneatur pœnitentem reuocare in memoriam peccatum, quod post sufficiens examen videt in confessione omitti ob obliuionem.

SVpponimus, quòd quando peccatum, quod ob obliuionem omittitur, fuit in damnum graue proximi, cui satisfaciendum sit, Confessarius teneatur illud aduertere pœnitenti, & ex misericordia erga proximum, vt ei fiat satisfactio: & ex officio erga pœnitentem, vt à continuatione peccati mortalis grauis cesset, iuxta ea quæ dicemus Difficultate XXIII.

Hoc supposito, difficultas est, An etiam teneatur, quando peccatum oblitum non fuit in damnum graue proximi, cui satisfaciendum sit.

Medina.

Medina Cod. de Confessione q. 23. de Confessione dimidiata iterãda, partem negatiuam tuetur (quam etiam indicare videtur Victoria in Summa 193.) quia Confessarius non tenetur iuuare pœnitentem, nisi ad suplendum defectum ipsius pœnitentis; in casu autem dicto pœnitens non deficit, quia confessus est integrè formaliter.

Antonin. Vasquez. Suarez. Ochagau.

Antoninus verò 3. par. tit. 17. c. 20. Vasquez q. 93. art. 3. dub. 7. Suarez disp. 32. sect. 3. & Ochagauia q. 41. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia Confessarius, vtpote iudex ex vi sui officij, quando aliud non obest, & facilè potest, tenetur efficere vt omne crimen, quod ex se debet ad suum tribunal deferri, & in eo iudicari, deferatur & iudicetur; in casu autem dicto nihil obest, & facilè potest adhuc absq; onere & labore superaddito diligentiæ sufficienti à pœnitente adhibitæ reuocare pœnitenti in memoriam dictum peccatum, ergo ad id tenetur.

Ad rationem ergo Medinæ concedimus, Confessarium non teneri iuuare pœnitentem nisi ad supplendum defectum ipsius pœnitentis, sed teneri non solùm ad supplendum defectum formalem (id est ad supplendum id quod deficit vt confessio fiat formaliter integra) sed etiam ad supplendum defectum materialem (qualis est in casu dicto) quando id quod Confessarius addit supra diligentiam sufficientem à pœnitente adhibitam, est adeò facile, vt ex eo diligentia prærequisita, & sufficiens ad confessionem, non censeatur moraliter maior, & transire ad excessiuam.

Si verò Confessario non constet, pœnitentem peccatum aliquod omittere, quamuis probabiliter credat se suo examine & suis interrogationibus aliquod peccatum à pœnitente extracturum, non tenetur examinare & interrogare, quando conijcit pœnitentem diligentiam prudentem fecisse, vt aduertunt Vasquez & Ochagauia, quia quando non constat peccatum omitti, sed exquirendum est examine & interrogationibus, tunc diligentia à pœnitente adhibita efficitur moraliter maior, quàm quæ sufficit, & Confessarius tantùm tenetur suo examine superaddere diligentiæ pœnitentis, quod ipsi deficit vsque ad sufficientem. *Vasquez. Ochagau.*

Quia ergo defectus potest à Confessario supleri, ideò possunt ad confessionem admitti pœnitentes absque prætio examine ab ipsis facto, si Confessarius velit defectum pœnitentis suis interrogationibus supplere. Imò quando pœnitentes sunt rustici, & inepti ad examen per se ipsos faciendum, expedit eos admittere & interrogationibus iuuare, & eorum defectum supplere: semper tamen est necessarium, pœnitentem absque proprio examine sufficiente, aut absque vllo examine admissum, ita iuuare, vt iuxta capacitatem pœnitentis fiat confessio moraliter integra.

DIFFICVLTAS XXII.

Vtrùm Confessarius teneatur monere pœnitentem bona fidè confessum, sed inualidè absolutum.

COnueniunt Doctores, Confessarium teneri pœnitentem bona fide confessum, & inualidè absolutum, monere defectum absolutionis, vt iterùm confiteatur, quando sine graui damno alicuius fieri potest. Ita Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 6. Nauarrus ca. 26. num. 14. Antoninus 3. par. tit. 17. cap. 12. Suarez disput. 32. sect. 6. Vasquez quæst. 93. art. 3. dub. 8. & Ægidius disp. 8. dub. 17. & meritò: quia Confessarius vtpote pastor spiritualis pœnitentis, tenetur bono spirituali illius prospicere, præsertim quando ipse Confessarius fuit causa defectus boni. *Sotus. Nauarrus. Antonin. Suarez. Vasquez. Ægidius.*

Addidimus, quando monitio fieri potest sine graui damno alicuius, quia quando absque eo nequit fieri, non est necessariò & ex obligatione facienda, quia obligatio admonendi pœnitentem inualidæ absolutionis, tantùm est vt pœnitens iterùm confiteatur peccata illa vt obtineat absolutionem ab illis, quod non est tanti momenti, vt in casu grauis damni sit obligatio admonendi pœnitentem: nisi sit in periculo aut in articulo mortis, in quo credi aut timeri potest, quòd non sit iterùm confessuris; quia extra dictum articulum aut

periculum iterùm confitebitur, quo etiam peccata illa, à quibus non fuit validè absolutus, remittentur per accidens, eo modo quo remittuntur peccata oblita.

Id verò, quod addunt Nauarrus & Antoninus, nempe tunc posse Confessarium absoluere pœnitentem iam absentem, falsum est, vt aduertit Vasquez & Ægidius, Primò, quia, vt iam diximus Disp. v. Diff. vi. absolutio Sacramẽtalis nequit fieri in absentia. Secundò, quia postquã pœnitens discessit, existimans se iam fuisse absolutum, confessio præterita non manet materia sufficiens absolutionis, quia non manet Sacramentalis, & absolutioni subiecta, quia iam pœnitens eam non expectat. Et ob hanc posteriorem rationem, postquam pœnitens iam discessit, nequit postea, quamuis fiat præsens, absolui, nisi ipse de nouo velit absolui. Nihilominùs pœnitens potest in casu dicto in absentia absolui ab excommunicatione, quia ad absolutionem ab excommunicatione non requiritur in pœnitente præsentia, nec noua voluntas receptionis absolutionis, & ideò tunc ad id tenetur Confessarius, cùm possit.

Vasquez. Ægidius.

Obseruandum est, vt optimè Suarez & Ægidius, Confessarium non monentem pœnitentem restitutionis alieni, non teneri ad eam restitutionem, quia Confessarius ea omissione nullam iniustitiam commisit contra eum cui facienda erat restitutio, quia Confessarius non tenetur ad eam monitionem faciendam in commodum creditoris, sed in bonum animæ pœnitentis. Tenebitur tamen ad eam restitutionem, pœnitente non restituente, si ex malitia, aut ex negligentia culpabili consuluit positiuè pœnitentem, eum inducendo, seu suadendo, & cum effectu induxit seu persuasit ad non restituendum, quia tunc culpabiliter fuit causa moralis non restitutionis. Ab ea tamen obligatione excusabitur, si ita reuocet dictam inductionem, vt pœnitens non perseueret ex vi illius in voluntate non restituendi. Addidimus, *si consuluit inducendo, & cum effectu induxit:* quia si consuluit non inducendo, seu suadendo, sed tantùm dicendo, sibi videri quòd non teneatur ad restitutionem, Lessius lib. 2. cap. 7. dub. 7. existimat non teneri ad restitutionem, quia tunc non est causa moralis non restitutionis: nec tenetur si consuluit inducendo, sed cum effectu non induxit, quia pœnitens aliàs erat in ea voluntate, & Confessarius sua inductione illam non auxit, quia etiam tunc non fuit moralis causa omissionis restitutionis.

Suarez. Ægidius.

Lessius.

DIFFICVLTAS XXIII.

Vtrùm Confessarius teneatur monere pœnitentem, qui ex ignorantia versatur in aliquo peccato mortali.

COnueniunt Primò Doctores, Confessarium teneri etiam ante absolutionem monere pœnitentem, qui ex ignorantia culpabili versatur in aliquo peccato mortali, quamuis nullam speret emendationem. Ita Suarez disput. 32. sect. 4. Vasquez quæst. 93. articul. 3. dubio 9. & Ægidius disput. 8. dub. 17. & meritò: quia tunc pœnitens, vtpote peccans mortaliter, non potest absolui, quia caret dolore sufficiente, & non confitetur integrè.

Suarez. Vasquez. Ægidius.

Conueniunt Secundò, Confessarium teneri monere pœnitentem, adhuc ex ignorantia inuincibili versantem in aliquo peccato mortali, vt in omissione restitutionis, vel in vsu matrimonij inualidi, existimati inuincibiliter validi, si speretur emendatio, & non timeatur graue aliquod damnum alicuius; vt contingeret, si in casu dicti matrimonij Confessarius posset facilè obtinere dispensationem, & matrimonium posset scienter iterùm celebrari absque periculo considerabili, siue ad id Confessarius teneatur ex vi officij quod exercet, siue ex ea virtute contra quam est peccatum illud in quo pœnitens versatur, siue ex vtroque.

Addidimus, *si non timeatur graue aliquod damnum, & speretur emendatio*; quia si timeatur, cuicumque timeatur, tunc non tenetur: quia ob vitandum graue damnum, permitti potest peccatum mortale materiale etiam pœnitentis, aut si non speretur emendatio, non tenetur, quia monitio ordinatur in bonum illius cui fit: tunc autem pœnitenti melius est relinqui in sua bona fide, quàm quòd moneatur, ex quo sumat occasionem peccandi formaliter, ac proinde relinquendus est in bona sua fide, & absoluendus, si aliàs sit benè dispositus, vt esse potest.

Ita tamen pœnitens in dictis casibus relinquendus est in sua bona fide, vt ei nihil falsum dicendum sit, quia id est intrinsecè malum, vtpote mendacium: potest tamen illi veritas dissimulari. Vnde coniugi non vero, sed tantùm putatiuo, interroganti Confessarium, an possit alteri coniugi reddere debitum, quia dubitat ob votum castitatis emissum, potest responderi, id non impedire redditionem debiti: & si dicat, se habere propositum non reddendi alteri, quia eum aduersatur; non est absoluendus, quia in eo peccat mortaliter, supposita ignorantia inuincibili nullitatis matrimonij, tamen non est directè inducendus ad propositum reddendi (quidquid dicat Ægidius) quia induceretur ad id quod est intrinsecè malum contra castitatem; sed directè est inducendus, vt desistat à proposito non reddendi.

Ægidius.

Id verò quod addunt Suarez & Ægidius, nempe coniugi putatiuo dubitanti de valore matrimonij, & de eo interroganti Confessarium, esse illi aperiendam veritatem, quamuis non speretur emendatio, est mihi maximè difficile; quia id potiùs erit nociuum pœnitenti quàm vtile, ac proinde tunc meliori modo, quo possit, est illi veritas dissimulanda.

Suarez. Ægidius.

Tandem Confessarius nequit absoluere pœnitentem, quem non credit sufficienter dispositum: potest tamen credere eum esse sufficienter dispositum, quoties non contingit occasio aliqua prudens dubitandi, vt sæpè contingit in rudioribus: pœnitenti verò affirmanti credendum est, nisi oppositum constet.

Vnde pœnitenti, qui continuò est in occasione proxima peccandi mortaliter (vt in concubinatu, quia tunc credi potest non esse sufficienter dispositum) non est conferenda absolutio, nisi firmiter proponat occasionem illam deserturũ, & si post tale propositũ aliquoties reincidat, non est absoluẽdus, nisi cum effectu occasionem illam deseruerit, nisi graue aliquod incõmodum aliud facere cogat, vt contingit, quando femina habitans in ea domo, in qua ab aliquo ex domesticis sollicitatur; & cum eo sæpè peccat, & nequit inde exire absque grauissimo incommodo, quia in hoc casu non est cogenda exire;

exire: ei tamen iniungenda sunt media quæ ipsam possint à peccato auertere. Quòd si illis iniunctis, nihilominùs sæpiùs reincidat, differenda est illi aliquoties absolutio, quousque agnoscatur emendatio aliqua.

Pœnitenti autem, qui sequens opinionem probabilem credit aliquid sibi licere, quamuis nolit illud omittere, nequit licitè negari absolutio, quamuis Confessarius probabilius iudicet illud esse illicitum; quia tunc iste pœnitens nolens illud omittere non peccat. Quod verum est, non solùm quando Confessarius tenetur ex officio audire confessionem illius, sed etiam quando ex officio non tenetur, postquam confessionem illius audiuit: quia postquam pœnitens admissus & auditus est, habet ius, vt si indispositus non sit, absoluatur; ac proinde ipsi fit iniuria, si ob id ei negetur absolutio. Hanc autem iniuriam Lorca 1. 2. disput. 41. existimat esse mortalem, & Vasquez 1. 2. disp. 62. cap. 7. existimat esse tantùm venialem. Nos verò existimamus esse mortalem, quando, attentis persona pœnitentis, & peccatis, sit ipsi graue onus iterùm illa alteri confiteri, non verò quando onus sit leue. *Lorca. Vasquez.*

DISPVTATIO XI.

De ministro Sacramenti Pœnitentiæ quoad casus reseruatos.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm in Ecclesia sit potestas reseruandi casus in foro conscientiæ.

HÆRETICI nostri temporis irrident reseruationem casuum in foro interiori & conscientiæ, quia existimant, in Ecclesia non esse potestatem absoluendi in eo foro, ac proinde dicunt, reseruationem tantùm fieri in exteriori politia.

Catholici tamen conueniunt, in Ecclesia esse potestatem reseruandi casus in foro interiori & conscientiæ; quod definitum est in Tridentino sess. 14. cap. 4. & oppositus error damnatus est can. 11. Quod etiam constat ex antiquissimo vsu Ecclesiæ, quem fuisse Sotus in 4. d. 18. q. 2. art. 5. & Waldensis tom. 2. de Sacramentis c. 149. ostendunt testimonijs Patrum, præsertim Innocētij III. in Sermone de Natali Apostolorum Petri & Pauli: & eum vsum etiam nunc seruari constat, quia in Iure Canonico multi sunt casus Pontifici & Episcopis reseruati, & etiam sunt in Religionibus reseruati Prælatis earum. *Trident. Sotus. VValden.*

Ratio autem huius Catholicæ doctrinæ est, quia reseruatio nihil aliud est quàm limitatio iurisdictionis completæ ad absoluendum in foro conscientiæ quoad aliquos casus; in Ecclesia autem superiores possunt illam inferioribus quoad aliquos casus limitare, quia iurisdictionem completam inferioribus concedunt, & in eos à superioribus dimanat, & dependenter ab ipsis conseruatur; ac proinde eam possunt illis quoad aliqua non concedere, & semel concessam limitare.

Ex quo deducitur, potestatem reseruandi casus in foro conscientiæ reperiri in Romano Pontifice, & in Episcopis, & in Prælatis Religionum, etiam in immediatis domorum, & in quocumque alio habente iurisdictionem ordinariam, quia ab omni eo dimanat iurisdictio completa in alios: & ob hanc rationem hæc potestas etiam est in Parochis, vt contra Suarez & cōtra Ochagauiam aduertunt Maior in 4. d. 17. q. 5. & Vasquez 91. art. 3. dub. 5. quia quamuis id non sit Parochis in vsu, tamen per non-vsum non amittitur potestas. Excipimus reseruationem venialium, & etiam mortalium iam legitimè confessorum, quæ reseruari non possunt nisi à Papa, quia ipse est qui immediatè concedit iurisdictionem completam in prædicta peccata omnibus Sacerdotibus, & à quo immediatè conseruatur, ob quod nullus inferior potest eam illis limitare quoad hæc peccata. *Maior. Vasquez.*

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm reseruatio possit fieri pro arbitrio superioris absque legitima causa.

CONueniunt Doctores, reseruationem factam absque legitima causa, esse illicitam, quia est pœnitentibus onerosa, ob quod confessio fit illis molestior & difficilior, quod non est faciendum absque rationabili causa; imò est iniuriosa Confessarijs habentibus iurisdictionem ordinariam, quia est minoratiua iurisdictionis illis ex proprio officio competentis.

Est tamen difficultas, An reseruatio facta absque rationabili causa sit etiam nulla.

Circa quam conueniunt cōmuniter Doctores, reseruationem quamuis sic factam, respectu Confessariorum delegatorum esse validam, quia iurisdictio delegata conceditur & conseruatur à delegante pro libito; ergo quando ipse illam non concedit quoad aliqua peccata, aut semel concessam limitat, non erit in delegato quoad illa aliqua peccata, ac proinde ita valida erit, vt absolutio delegati ab eis peccatis sit nulla, vtpote facta à non iudice quoad illa.

Punctum ergo difficultatis est, An reseruatio respectu Confessariorum ordinariorum sit nulla, quando facta est absque rationabili causa.

Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Ruardus ar. 3. contra Caluinum, & Vasquez quæst. 91. art. 3. dubio 4. absolutè docent, esse nullam (quod Maior dist. 17. quæst. 5. & Angelus v. *Casus* existimant verum de reseruatione facta ab Episcopo) quia Pastores ordinarij, vt Episcopi & Parochi, ex proprio officio, & non pro libito superiorum habent iurisdictionem completam ad absoluendum ab omnibus peccatis; ergo quando fiunt pastores ordinarij, aut quamdiu perseuerant tales, nequit illis iurisdictio ad absoluendum limitari validè absque causa rationabili. *Sotus. Ruardus. Maior. Angelus.*

Siluester v. *Confessor* 1. q. 3. Henriquez Quodlib. 1. q. 27. Suarez disp. 29. sect. 4. & Ægidius d. 8. dub. 11. *Siluester. Henriq. Suarez. Ægidius.*

Maior. Angelus. dub. 11. absolutè docent esse validam (quod Maior & Angelus existimant verum de reseruatione facta à Papa) & meritò: quia iurisdictio completa inferiorum ad absoluendum etiam ordinaria conceditur & dimanat à superioribus pro libito ipsorum, dum pro libito inferioribus assignant subditos quoad absolutionem; ergo pro libito superiorum absque aliqua causa potest in principio validè limitari, vt non sit pro omnibus casibus. Quod si in principio potest, etiam poterit postea, quãuis in principio non fuerit limitata; quia nullo fundamento ostendi potest eam iurisdictionem sic in principio absolutè donari, vt posteà nequeat à superioribus validè limitari: quod totum non leuiter confirmatur ex eo, quòd quando adest rationabilis causa, potest à superioribus non tantùm validè, sed etiam licitè limitari.

Quòd autem iurisdictio ordinaria conueniat Pastoribus ordinarijs ex suo proprio officio, vel potiùs in ordine ad proprium officium, non obstat vt possit à superioribus limitari, quamuis non auferatur officium; quia iurisdictio ordinaria, & officium ipsius Ordinarij sunt semper superioribus subordinata modo prædicto.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm reseruatio casus fiat tantùm ratione censuræ, an etiam ratione peccati & culpæ.

SVpponimus Primò, in Ecclesia esse potestatem reseruandi peccata, tam ea quibus annectitur censura, quàm ea quibus non annectitur, & de facto Episcopos & superiores Religionum aliquando reseruare peccata, quibus nulla annectitur censura: imò etiam Rom. Pontificem antiquitus aliqua peccata reseruasse, & sibi, quibus nulla erat annexa censura, vt deducitur ex can. *Latorem* 33. q. 2. Iam tamen nullum esse peccatum à Pontifice reseruatum, cui non sit censura aliqua annexa, quia reseruatio in eo canone facta, & quælibet alia, si verè fuit, iam est desuetudine quassata. Imò nullum esse hodie peccatum reseruatum Pontifici, cui non sit excommunicatio annexa, excepto peccato simoniacè ordinantis, & peccato simoniacè ordinati, quod reseruatum est Pontifici, & tamẽ ei non est annexa excommunicatio, sed suspẽsio annexa à *Sayrus.* Sixto V. in Bulla, quã affert Sayrus li. 4. c. 14. cuius suspensionis fit mentio in Bulla Clementis VIII. quam etiam affert Sayrus in fine dicti libri.

Supponimus Secundò, circa peccata reseruata, quibus annexa est censura, esse in Ecclesia potestatem reseruandi culpas & censuras simul, & reseruandi culpas absque censuris, & censu- *Trident.* ras absque culpis: quod deducitur ex Tridentino sess. 14. cap. 7. & can. 11. & ostendi potest ratione adducta Difficultate 11.

His suppositis, difficultas est, An de facto, quando reseruantur peccata quibus annexa est censura, reseruentur quoad culpas tantùm, an quoad censuras tantùm, an quoad culpas & censuras simul.

Circa quam conueniunt Doctores, peccata reseruata ab Episcopis & Prælatis Religionum, reseruari quoad culpas & quoad censuras simul, & id ab ipsis intendi; & peccata à Pontifice reseruata, ad minus reseruari quoad censuras.

Punctum ergo difficultatis est, An peccata à Pontifice reseruata etiam reseruentur quoad culpas, & non tantùm quoad censuras.

Durandus in 4. d. 17. q. 15. nu. 13. docet, Ponti- *Durand.* ficem tantùm reseruare peccata quoad censuras, & non quoad culpas: ex quo ipse infert, reseruationem Pontificiam tantùm fieri quoad forum exterius, non quoad interius & conscientiæ.

Sotus verò in 4. d. 18. q. 2. art. 5. Suarez disp. 29. *Sotus.* sect. 2. Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 1. Henriquez *Suarez.* lib. 6. c. 14. Ægidius disp. 8. num. 83. & communi- *Vasquez.* ter Doctores docent, peccata à Pontifice reseruata, *Henriq.* etiam reseruari quoad culpas, & non tantùm quo- *Ægidius.* ad censuras; & meritò: quia ex vna parte id possunt Pontifices, & ex altera parte ea peccata absolutè & absque vlla limitatione reseruant, ergo quoad vtrumque reseruant. Quod maximè confirmat communis Ecclesiæ sensus & vsus; aliàs peccatum simoniacæ ordinationis tam actiuæ quàm passiuæ à Sixto V. reseruatum, cui tantùm est annexa suspensio, posset Sacramentaliter absolui quoad culpam à Confessario ordinario, quia suspensio, quæ secundùm Durandum esset tantùm reseruata, non impedit absolutionem à peccatis & culpis.

Nihilominùs quia Pontifex non vult reseruare, nec reseruat peccata nisi eis annectendo censuram, & eam etiam reseruando, eo ipso quòd per absolutionem dictam auferetur censura à peccato reseruato à Pontifice, aut auferetur reseruatio censuræ, censetur ablata reseruatio quoad culpam; ac proinde eo ipso quòd conceditur facultas ad absoluendum à censura, etiam censetur concessa ad absoluendum à culpa, & econtrà, ob rationem dictam, in quibus Suarez, Ægidius & communiter *Suarez.* Doctores conueniunt, & quoad omnia hæc idem *Ægidius.* ob eamdem rationem credimus circa peccata quoad culpas, & quoad censuras simul reseruata ab Episcopis & à Prælatis Religionum.

Addunt Henriquez & Ægidius, quòd quando *Henriq.* peccata à Pontifice reseruata ita committuntur, vt *Ægidius.* ratione ignorantiæ censuræ non incurratur censura, peccata non maneant reseruata: quod absque dubio etiam dicerent de peccatis reseruatis ab Episcopis & à Prælatis Religionum, quibus annexa est censura reseruata, quia est eadem ratio.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm venialia peccata possint reseruari.

DIfficultas procedit de reseruatione sumpta pro limitatione iurisdictionis ad absoluendum (quamuis ex vi illius peccata sic reseruata non relinquantur ex obligatione confitenda) quæ dici potest reseruatio quoad absolutionem.

Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 2. docet, peccata *Vasquez.* venialia (& idem est de mortalibus iam legitimè confessis) non posse validè reseruari quoad absolutionem, quia Sacerdotes ex vi ordinationis accipiunt immediatè à Christo iurisdictionem completam ad absoluendum à venialibus, sicut etiam potestatem ad consecrandum; ergo Ecclesia nequit illam validè auferre nec limitare, sicut nec potestatem ad consecrandum.

Suarez disp. 29. sect. 3. Filliucius tract. 7. c. 10. *Suarez. Filliucius.* quæsito 2. & Ægidius disp. 8. dub. 11. docent, Ec- *Ægidius.* clesiam posse validè reseruare peccata venialia quoad absolutionem (& idem est de mortalibus iam

iam legitimè confessis) & meritò: quia Sacerdotes ab Ecclesia accipiunt iurisdictionem completam ad absoluendum à venialibus, vt diximus Disp. x. Difficul. x. ergo Ecclesia potest eam validè auferre & limitare, quamuis non quicumque, sed tantùm Pontifex, quia ipse est qui iurisdictionem completam in illa concedit omnibus nulli subordinatam, saltem quantum ad valorem actuum illius.

Addidimus, Ecclesiam non solùm posse venialia, & etiam mortalia iam legitimè confessa quoad absolutionem reseruare, sed etiam omnino perfectè, sumpta reseruatione pro limitatione iurisdictionis ad absoluendum à peccatis ex obligatione confitendis; quia Ecclesia etiam potest obligare ad confessionem dictorum peccatorum, vt diximus Disputatione VII. Difficultate VIII.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm peccata mortalia omnino interiora possint reseruari.

RAtio difficultatis pro parte negatiua est, quia Ecclesia non habet potestatem in actus merè internos, cùm de eis, vtpote merè internis, nequeat iudicare; ergo non potest illa reseruare.

Nihilominùs Doctores conueniunt, in Ecclesia esse potestatem reseruandi peccata merè interna, nempe peccata infidelitatis & odij, & desperationis. Ita Suarez disp. 29. sect. 3. Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 4. & Ægidius disp. 8. dub. 11. & meritò: quia iurisdictio completa ad absoluendum à mortalibus merè internis etiam conceditur ab Ecclesia; ergo quoad hæc peccata potest ab Ecclesia limitari. *Suarez. Vasquez. Ægidius.*

Ad rationem ergo Difficultatis concedimus, in Ecclesia non esse potestatem in actus merè internos ad eos præcipiendum, nec ad eos prohibendum, nec ad eos puniendum, quia potestas ad id conuenit Ecclesiæ ratione generali superioris & legislatoris humani; superior autem & legislator humanus, quamuis possit præcipere, prohibere, & punire actus externos, non tamen actus merè internos, cùm nequeat eos cognoscere: peculiari tamen commissione & institutione Christi habet potestatem, & iurisdictionem circa actus merè internos ad absoluendum ab eis, & ad eam communicandam inferioribus.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis in Ecclesia sit potestas ad reseruanda peccata merè interna, tamen non expedit illa reseruare, tum quia non sunt alijs nociua, tum etiam quia regulariter non egent speciali aliqua curatione, quæ ab ordinarijs Confessarijs adhiberi non possit.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm quando peccatum aliquod mortale simpliciter reseruatur, etiam censeatur reseruatum, quando est in dubio.

SVpponimus, in quo Doctores communiter conueniunt, peccata mortalia dubia (id est ea de quibus quis dubitat an commiserit illa, vel an sint mortalia) reseruari posse. Ita Armilla v. *Casus* num. 13. Corduba in Regulam S. Francisci cap. 7. Henriquez lib. 6. cap. 14. Sancius in Summa lib. 1. cap. 10. Suarez de Censuris disp. 4. sect. 6. & Sà v. *Casus reseruatus* num. 5. & meritò: quia iurisdictio completa ad absoluendum à peccatis mortalibus quomodolibet dubijs, etiam communicatur à superioribus; ergo potest quoad illa à superioribus limitari. *Armilla. Corduba. Henriq. Sancius. Suarez. Sà.*

Hoc ergo supposito, difficultas est, An quando peccatum aliquod mortale absolutè & simpliciter de facto reseruatur, nulla facta mentione dubij, nec certitudinis peccati, quando dubium est an sit commissum, etiam censeatur de facto reseruatum; aut si certum est fuisse commissum, tamen est dubium an fuerit mortale, siue ex defectu grauitatis materiæ, siue ex defectu deliberationis perfectæ, siue aliunde, quia quando non fuit mortale, non est reseruatum.

Armilla & Corduba partem affirmatiuam tuentur, quia in dubio tutior pars est eligenda; ergo quando quis est dubius an commiserit peccatum, quod est absolutè reseruatum, vel an fuerit mortale, tenetur procedere ac si certò commisisset illud, & ac si certò esset mortale, ne se temerariè exponat periculo recipiendi absolutionem ab eo qui non habet iurisdictionem in illud peccatum, si fortè fuit verè commissum, & verè fuit mortale, ac proinde inualidam, vtpote à non iudice. *Armilla. Corduba.*

Suarez verò, Sà, & communiter recentiores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia reseruatio, vtpote odiosa, potiùs est restringenda quàm amplianda; ergo quando reseruatur peccatum aliquod simpliciter & absolutè tale, in eius reseruatione non comprehenditur peccatum sub dubio, aliàs reseruatio ampliaretur, quia peccatum dubium, minus quid est quàm peccatum simpliciter. *Suarez. Sà.*

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, propositionem illam, *In dubio tutior pars est eligenda* (quæ tantùm est vera de puro dubio, quando scilicet quis manet pendulus, nulli parti, nec affirmatiuæ nec negatiuæ assentiens) non habere locum in præsenti Difficultate: quia quando peccatum est in puro dubio, an scilicet sit commissum, vel an sit mortale, non est purum dubium, an comprehendatur sub reseruatione peccati simpliciter, quia probabile est, & nobis probabilius, non comprehendi; sed habere locum in alijs difficultatibus, an scilicet sit necessariò confitendum, quia tunc tutior pars est eligenda, ac proinde peccatum illud est necessariò confitendum.

DIFFICVLTAS VII.

Quæ peccata sint de facto reseruata.

SVpponimus, in quo conueniunt Doctores, de facto nullum peccatum veniale, quantumuis exterius, esse de facto reseruatum; & nullum purè internum, quantumuis mortale & grauissimum, vt odij Dei, & desperationis, & hæresis, esse reseruatum.

Hoc ergo supposito, certum est, plures esse casus Pontifici reseruatos, qui continentur in Bulla Cœnæ Domini, & in Decreto, & in Decretalibus, & in 6. & in Clementinis, & in Extrauagãtibus, & in motibus proprijs, qui omnes sigillatim referuntur à Suarez Tomo de Censuris, à disp. 21. & à Toleto lib. 1. à cap. 18. & à Reginaldo lib. 1. cap. 11. *Suarez. Toletus. Reginald.*

Quoad Episcopos verò duobus modis fieri potest, vt ipsis peccata reseruentur. Vno modo, Iure peculiari Episcopatus; & de peccatis sic reseruatis

tis Episcopo nihil in particulari dicemus, quia eorum reseruatio pendet ex varijs cõstitutionibus & consuetudinibus diœcesum, quæ consulendę sunt. Altero modo, Iure communi, siue scripto, siue consuetudine introducto: Iure autem communi scripto nullum est peccatum propriè reseruatum Episcopo. Ex reseruatis tamen Pontifici remittitur Episcopo percussio violenta Clerici, quando non est enormis, in cap. *Peruenit* 17. de Sententia excommunicationis: & etiam enormis, quando percutiens est legitimè impeditus adire Pontificem, in cap. *Ea noscitur* 13. & in cap. *Quamuis* 58. de Sententia excommunicationis; sub onere tamen, quòd absolutus comparebit coram Pontifice, & recepto ab ipso iuramento comparendi, cessante impedimento (excepto impedimento impubertatis, quia impubes non obligatur ad comparẽdum) quod Doctores in casu legitimi impedimenti extendunt ad omnia peccata Pontifici reseruata, & supponi videtur in cap. *Eos qui* 22. de Sententia excommunicationis, in 6. Deinde Iure communi scripto Tridentini sess. 24. cap. 6. de Reformatione committitur Episcopis per se, aut per Vicarios ad id specialiter deputatos, quodcumque peccatum Pontifici reseruatum, quando non est publicum, etiam peccatum hæresis exterioris, quamuis hoc ipsis tantùm per se ipsos. Sed an nunc possit Episcopus vti hac commissione Tridentini quoad casum hæresis, & quoad alios casus Bullæ Cœnæ Domini, non conuenit inter Doctores; quia plures affirmant, & alij non pauci negant, de eo tamen legatur Sancius in Summa lib. 2. c. 11. n. 27. *Sancius.* Iure verò communi consuetudine introducto reseruati sunt Episcopis quatuor casus, qui continentur in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuilegijs, & in ea eorum reseruatio approbatur. Primus est, homicidij voluntarij: secundus est, peccati falsificandi scripturas, id est faciendi scripturas falsas, aut veras faciendi falsas: tertius est, sacrilegæ violationis immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ: quartus est, sortilegij seu diuinationis.

Quoad Parochos certum est, Iure communi nullum esse illis peccatum reseruatum: sed an sit aliquod Iure aliquo peculiari Episcopali, constabit ex peculiaribus Constitutionibus & Consuetudinibus cuiuscumque Episcopatus.

Quod ad Prælatos Religionum, certum est, eos, adhuc Generales, Bulla quadam Clementis VIII. non posse absque consensu Capituli, seu Congregationis generalis, vel Prouincialis, reseruare, nisi vndecim genera peccatorum. Primum est, veneficia, incantationes, & sortilegia: secundum, apostasia à Religione, etiam habitu retento, quando eò peruenit vt fiat extra septa Conuentus: tertium, nocturna ac furtiua è Conuentu egressio, etiam absque animo apostatandi facta: quartum, proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale: quintum, iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo: sextum, procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto: septimum, falsificatio manus, seu sigilli Officialium Conuentus: octauum, furtum de rebus Conuentus in ea quantitate quæ sit peccatum mortale: nonum, lapsus carnis voluntarius opere consummatus: decimum, occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ: vndecimum, malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut aperio litterarum à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores missarum.

Obseruandum tamen est, Iure dictæ Bullæ Clementis VIII. non reseruari de facto dicta vndecim genera peccatorum, sed permitti Prælatis, vt ea omnia vel aliqua possint reseruare, & eo statui, vt præter ea vndecim non possint aliud genus peccati reseruare, nisi ex consensu Capituli generalis, vel Religionis pro tota Religione, aut pro parte Religionis, vel Prouincialis pro tota Prouincia aut pro parte illius, & non nisi graue, vt constat ex dicta Bulla: ac proinde non poterunt reseruare peccata grauia dubia, quia hæc non sunt simpliciter peccata grauia, sed peccata grauia secundùm quid, & cum addito *dubia*, quod est valdè diminuens. Vnde absque dicto consensu non poterunt aliud peccatum graue, præter dicta illa vndecim, prohibere, nec aliquid, cuius transgressio sit peccatum graue, distinctum ab illis vndecim præcipere, sub excommunicatione eam reseruando; quia id esset peccatum illud reseruare quoad excommunicationem ipsi annexam, & aliàs ferè frustraneum esset dictum ius Clementis VIII. quia ferè tam onerosum & molestum est inferioribus, quibus Pontifex quoad hoc fauere intendit, peccatum quoad solam excommunicationem reseruare, ac si etiam simul quoad culpã. Quæ verò peccata sint de facto in qualibet Religione reseruata, pendet ex varijs earum Cõstitutionibus & Consuetudinibus.

Addimus, vt contra Henriquez, Rodriguez, & Sà aduertunt Cordubalib. 1. quæst. 30. Vmbertus in Explicatione Regulæ S. Benedicti, & Turrianus disp. 31. dub. 9. & sentiebant Suarez & Vasquez, Prælatos Religionum posse modo prædicto peccata Nouitiorum reseruare, quia Nouitius quamdiu in Religione perseuerat, est subditus Prælatis, aliàs maneret immediatè subditus Pontifici, quia non manet subditus Episcopo: & Prælatus Religionis est pastor illius, & ob id confitendo Prælato, vel alteri de licentia illius, satisfacit præcepto annuæ confessionis; ergo potest peccata illius reseruare, ita vt quamdiu in Religione perseuerat, nequeat à Confessario ordinario absolui, quamuis possit post exitum à Religione. Vnde peccata quæ de facto in Religione reseruantur, non facta exceptione Nouitiorum, etiam censentur reseruata pro illis; quod in nostra Societate seruatur, & firmatum est Regula 7. Magistri Nouitiorum consilio doctissimorum facta. *Cordub. Vmbertus. Turrianus. Suarez. Vasquez.*

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm confitens habenti facultatem absoluendi à reseruatis, si inculpabiliter omisit peccatum reseruatum, maneat liber à reseruatione omissi.

SVpponimus, confessione peccati reseruati, facta habenti iurisdictionem in illud, siue ordinariam siue delegatam, quamuis inualida, vel quia scienter fuit omissum aliquod peccatum, vel quia non fuit dolor sufficiens, vel aliter, satisfieri reseruationi, ita vt quamuis sit iterùm necessariò confitendum, non maneat reseruatum, & possit ordinario Confessario confiteri, quia reseruatio ad id tantùm ordinatur, vt peccata reseruata confiteantur habenti iurisdictionem in illa, & ipse

ipse iudicet de illis pro eis pœnitentiam conuenientem imponendo, & ab eis absoluendo, quæ omnia fiunt in confessione illi facta, quamuis inualida.

Hoc supposito, difficultas est, An peccatum reseruatum, quod inculpabiliter omittitur, ex ignorantia aut ex obliuione in confessione facta habenti iurisdictionem in illud, maneat absque reseruatione.

Adrian. Couarru. Canus. Ledesma. Fillicius. Adrianus in 4. quæst. 4. de Confessione, Couarruuias in cap. *Alma mater*, 1. p. §. 11. nu. 12. Canus Relect. de Pœnitentia, par. 5. Ledes. 2. par. quarti, q. 8. art. 2. dub. 8. & Filliucius cap. 10. puncto 12. partem affirmatiuam tuentur; quia qui absoluit à peccatis confessis, eo ipso saltem virtualiter vult absoluere ab omnibus à quibus potest, quamuis omissis inculpabiliter; quia eo ipso quòd absoluit pœnitentem à confessis, vult iustificare pœnitentem, quod non fit absque remissione omnium mortalium, ergo si aliàs habet potestatem absoluendi ab omnibus peccatis pœnitentis, etiam à reseruatis, verè absoluit ab omnibus, etiam à reseruatis inculpabiliter omissis.

Suarez. Vasquez. Suarez verò disp. 31. sect. 4. & Vasquez q. 91. art. 3. dub. 5. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia reseruatio ad hoc fit, vt peccata reseruata exprimantur habenti potestatem in illa, vt de illis iudicet, pœnitentiã & medicinam conuenientem adhibendo, & ab eis directè absoluendo; ergo quando non exprimuntur, nec directè & distinctè iudicantur, non satisfit eorum reseruationi, quamuis per absolutionem per accidens simul cum alijs remittantur. Quod etiam est verum, vt Vasquez aduertit, quamuis habens potestatem in reseruata, siue ordinariam siue delegatam, habeat directam & expressam intentionem absoluẽdi à reseruatis (nisi aliàs possit extra confessionem absque absolutione reseruationem auferre) quia ea intentio supplere nequit defectum confessionis necessariò faciendæ habenti potestatem in reseruata requisitæ ratione reseruationis, vt conuenienter iudicet de illis, & defectum talis iudicij. Addidimus, *nisi aliàs possit extra confessionem absque absolutione reseruationem auferre*, quia si possit, eo ipso quòd habet eam intentionem, censetur reseruationem auferre.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, eum, qui absoluit à peccatis confessis, eo ipso absoluere ab omnibus etiam omissis inculpabiliter; sed non absoluit directè de eis iudicando, sed tantùm absoluit indirectè, & non aliter quàm sua absolutione à confessis perficiendo Sacramentum Pœnitentiæ, medio quo pœnitenti confertur gratia iustificans, qua remittuntur omnia peccata, etiam reseruata (quod etiam efficeret Confessarius ordinarius) dicta tamen absolutio non sufficit ad auferendam reseruationem peccati omissi inculpabiliter, quia ea absolutio supplere nequit defectũ confessionis illius media reseruatione requisitæ, nec defectum iudicij directi faciendi ab habente facultatem sufficientem media reseruatione requisiti, & ad quod confessio reseruati ordinatur & requiritur.

Quia tamen, vt pœnitens validè absoluatur à peccatis etiam non reseruatis, necessarium est auferre excommunicationem, tam reseruatam quàm non reseruatam, ideò qui habet potestatem absoluendi à reseruata, eo ipso quòd absoluit pœnitentem à peccatis, quamuis intentione tantùm communi & generali, etiam absoluit ab excommunicatione reseruata. Sic tamen absolutus ab excommunicatione reseruata, quamuis non teneatur eam explicare in sequenti confessione, & absolutionem ab ea petere (quia explicatio excommunicationis, & petitio absolutionis ab ea, non est necessaria, quando iam absolutio est obtenta) tenetur peccatum reseruatum, cui annexa est, confiteri habenti facultatem in illud; quia ablatione excommunicationis non explicatæ modo dicto facta, non auferetur reseruatio peccati quamuis reseruati Papæ. Id verò quod Diff. III. diximus, nempe ablatione excommunicationis reseruatæ etiam auferri reseruationem peccati & culpę, cui erat annexa, tantùm est verum, aut quando excõmunicatio ita aufertur à peccato, vt ei non maneat ampliùs annexa, aut quando excommunicatio scienter & ratione sui aufertur absolutione; non verò quando absolutione aufertur ignoranter, & quasi per accidens, vt pœnitens validè absoluatur à confessis, & quamuis non reseruatis.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez & Filliucius Tract. 7. c. 11. quæsito 3. quòd quando confessio, in qua inculpabiliter omittitur peccatum reseruatum, fit habenti iurisdictionem in illud ex priuilegio non facto ipsi Confessario, sed pœnitenti, eligendi Confessarium, qui possit illum à reseruatis absoluere, vt contingit in Iubilæis, tunc pœnitens manet liber à reseruatione peccati inculpabiliter omissi, non absolutione; quia non absoluitur directè à reseruato omisso, quamuis inculpabiliter, sed manet liber voluntate Superioris volentis quòd tum cesset reseruatio, quia eo ipso quòd Superior concedit pœnitenti facultatem eligendi Confessarium pro reseruatis, censetur auferre reseruationem, quando pœnitens confitetur intra tempus assignatum, quamuis omittat peccatum reseruatum, dũmodò inculpabiliter omittat. Limitatio autem temporis, intra quod solet præscribi confessio reseruatorum facienda, tantũ operatur, quòd si priuilegiatus in eo tempore non confiteatur, aut si confitetur, & culpabiliter omittit reseruatum, non maneat liber à reseruatione. *Vasquez. Filliucius.*

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm pœnitens ex priuilegio, verbi gratia Iubilæi, absolutus in aliquo die septimanæ à reseruatis, antequam impleat omnia quæ præcipiuntur facienda per totam septimanam, & post absolutionem non impleat reliqua, ita absolutus maneat, vt non teneatur postea coram Superiore pro absolutione comparere.

DIfficultas procedit in casu, in quo pœnitens accedit ad confessionem bona fide, id est animo faciendi quæ ad effectum dicti priuilegij necessaria sunt; quia si accedit animo non faciendi illa, non manet absolutus à reseruatis, imò nec à non reseruatis, si aliqua via non excusetur à peccato mortali, quod committit accedendo dicto animo pro absolutione à reseruatis.

Circa hanc difficultatem conueniunt Doctores, eum, qui bona fide & dicto animo accedit, manere

nere absolutum à reseruatis, quia absolutio confertur absque conditione de futuro, imò absolutio à culpis non facta absque ea conditione, est nulla; ergo eo ipso quòd pœnitens virtute priuilegij absoluitur à reseruatis, verè & absolutè manet absolutus ab illis.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An talis pœnitẽs ita maneat absolutus à reseruatis, vt etiam maneat absque onere & obligatione iterùm illa confitendi Superiori cui reseruata sunt, quando reliqua requisita non implet.

Non desunt qui existiment, pœnitentem, qui reliqua requisita non implet, quamuis bona fide & animo illa implendi ad confessionem accedat, teneri posteà ad comparendum coram Superiore cui peccatum est reseruatum, vt ei illud iterùm confiteatur; quia dictum priuilegium concessum videtur sub onere faciendi omnia quæ ad lucrandam indulgentiam Iubilei requisita sunt, aut sub onere iterùm peccata reseruata confitendi, si reliqua requisita non impleat.

Corduba, Henriq. Suarez, Vasquez.

Corduba verò in Summa Hispana, quæst. 21. Henriquez lib. 6. cap. 16. Suarez disp. 31. n. 5. Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 6. existimant, talem pœnitentem ita absolutum à reseruatis manere, vt quamuis reliqua requisita non impleat, non teneatur iterùm illa Superiori nec alteri confiteri, & meritò: quia dicta priuilegia absolutè conceduntur, & absque dicto onere, vt ex ipsis priuilegijs constat, & satis rationabiliter, cùm concedatur pœnitentibus bona fide, & dicto animo procedentibus; ergo.

Id verò quod addit Suarez, nempe pœnitentem ita absolutum teneri sub mortali ad implenda omnia requisita ad lucrandam indulgentiam, quasi teneatur ex pacto quodam virtuali in facultate concessa incluso, falsum est, vt aduertit Henriquez: quia quamuis pœnitens, quando reliqua non implet, non lucretur indulgentiam, nullo tamen sufficienti fundamento ostendi potest ad id teneri ex pacto aliquo, aut ex alio titulo.

Sed an ita absolutus, qui reliqua requisita non implet, maneat liber à reseruatione peccati reseruati omissi inculpabiliter, est sub controuersia: quia

Filliucius. Suarez. Vasquez.

Filliucius cap. 10. & alij affirmant (quod probabile existimat Suarez num. 24.) immeritò tamen, vt optimè Vasquez; quia talis pœnitens nec liberatur à reseruatione media absolutione, quia nullus absolutione liberatur à reseruatione, nisi absolutione directa à reseruato in confessione explicato; nec liberatur voluntate Superioris, quia absque fundamento præsumitur, Superiorem velle pœnitentem, qui non implet omnia requisita ad lucrandam indulgentiam, gaudere priuilegio cessationis reseruationis peccati omissi, quamuis inculpabiliter, cùm tale priuilegium concedatur ad meliùs lucrandam indulgentiam.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm possit quis obligari ab Ecclesia ad iterum confitendum peccata, à quibus est iam legitimè absolutus.

SVpponimus, confessionem peccatorum à quibus iam quis est legitimè absolutus, esse sufficientem ad absolutionem obtinendam: quia, vt diximus Disp. IV. Diffi. III. peccata, quamuis iam confessa & remissa, sunt legitima & sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ; & quamuis eadem cõfessio, quia est materia proxima, nequeat diuersis absolutionibus & diuersis Sacramentis pœnitentiæ deseruire, sicut nec eadem ablutio diuersis Baptismis; nihilominùs eadem peccata possunt, vt subsunt diuersis confessionibus, quia sunt materia remota; sicut eadem aqua potest, prout subest diuersis ablutionibus, deseruire diuersis Baptismis. Accedere autem iterùm ad confessionem eorumdem peccatorum, nõ est à prima absolutione appellare, quia hoc fieri non potest, cùm absolutio sit definitiua, & vltima sententia; sed est eadem peccata iterùm iudicio & sententiæ subijcere, in quo nullum est inconueniens.

Ita tamen iterata confessio eorumdem peccatorum est sufficiens ad absolutionem obtinendam, vt etiam sit vtilis ad nouum fructum Sacramenti non solùm gratiæ, in quo Doctores conueniunt, sed etiam remissionis pœnæ temporariæ, vt contra Scotum & Gabrielem docent communiter Doctores: quia Sacramentum Pœnitentiæ, quod sufficienter coalescit ex iterata eorumdem peccatorum confessione, & ex absolutione, non tantùm habet ex institutione Christi gratiam conferre, sed etiam pœnam remittere, vel totam vel partem, pro dispositione pœnitentis.

Hoc ergo supposito difficultas est, An possit quis ab Ecclesia obligari ad confessionem peccatorum à quibus iam est legitimè absolutus.

S. Thomas Quodlib. 1. art. 12. Durandus in 4. d. 17. q. 15. nu. 10. Dionysius Cistertiensis d. 23. art. 2. & Ledesma 2. p. 4. q. 8. art. 2. dub. 19. partem negatiuam tuentur, quæ insinuatur in Extrauag. *Inter cunctas*, de Priuilegijs, dum dicitur, absurdum esse, teneri aliquem confiteri peccata quæ confessus est, & quòd liberatus debitor maneat obligatus ad iterùm soluendum.

S. Thom. Durandus. Dionysius Cistertiens. Ledesma.

Et ratione probatur Primò, quia de ratione legis humanæ est, quòd sit secundùm rationem tolerabilis; lex autem ad iteratam confessionem obligans, esset admodum intolerabilis & difficilis. Secundò, quia Ecclesia efficere nequit, vt materia Sacramenti, quæ necessaria non est, fiat necessaria; peccata autem legitimè confessa, quamuis sint materia sufficiens, non tamen necessaria.

Alexander verò 4. p. q. 18. memb. 4. art. 5. Adrianus in 4. q. 5. de Confessione, num. 9. Maior d 17. q. 6. & Angelus v. *Confessio* 5. num. 9. partem affirmatiuam meritò tradunt, quam non leuiter confirmat Statutum quoddam Cistertiensium à duobus Pontificibus confirmatum, quo statuitur, vt Fratres, qui intra annum confitentur ordinario Confessori, teneantur semel in anno eadem peccata mortifera suo Superiori confiteri.

Alexand. Adrianus. Maior. Angelus.

Et ratione probatur, quia hæc repetita confessio est actio exterior & honesta, & non parum vtilis profectui spirituali, & paci conscientiæ, vt patet; & non est intolerabilis, nec admodum difficilis; ergo potest à Superiore humano præcipi. Quòd autem non sit intolerabilis, nec admodum difficilis, in quo tota difficultas cõsistit, declaratur: quia quamuis repetita confessio eorumdem peccatorum sit ex se difficilis, supposita tamen institutione, & vsu confessionis, & obligatione primæ confessionis, & attentis fructu & vtilitate iteratæ confessionis, absque dubio fit tolerabilis, & non admodum

diffi-

difficilis, & vt talis iudicatur communiter: pauci enim, & forsan nullus ex his qui peccata iterùm confitentur, iudicant se rem intolerabilem facere. Et sanè si prima peccatorum confessio, suppositâ eius institutione & vtilitate, talis esse iudicatur, vt potuisset ab Ecclesia præcipi, quamuis non fuisset præcepta à Christo, vt diximus Disp. VII. Diff. IV. iterata confessio, quamuis non sit præcepta à Christo, etiam poterit præcipi ab Ecclesia, cùm non sit difficilior quàm prima.

Ex quo constat ad primam rationem aduersariorum.

Ad secundam autem negamus, Ecclesiam non posse materiam Sacramenti, aliàs liberam, efficere necessariam, eam præcipiendo (sicut etiam Sacramentum Confirmationis, & etiam Extremæ Vnctionis, quod Christus non reliquit sub præcepto) quia præcipere materiam quam Christus liberam reliquit, non est materiam à Christo institutâ mutare, aliâ instituendo, quod nequit ab Ecclesia fieri.

Ad Extrauagantem *Inter cunctas*, pro aduersarijs adductam, respondemus, eam tantùm procedere de facto, quando nullum est præceptum iterandi confessionem, quia in ea tantùm intendit Pontifex, eos qui ex priuilegio confessi sunt alij quàm proprio Sacerdoti, non teneri de facto eadem peccata proprio Sacerdoti confiteri, non tamen negat id posse ab Ecclesia præcipi.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm Superior possit concedere facultatem, vt subditus à reseruatis absoluatur cum onere posteà comparendi coram Superiore.

CONueniunt Doctores, Superiorem posse concedere facultatem, vt subditus absoluatur à reseruatis cum onere comparendi coram ipso Superiore, vel vt ipsi iterùm reseruata Sacramentaliter confiteatur, & ab ipso absolutionem accipiat, vel saltem vt ipsi rationem peccati reseruati reddat, & pœnitentiæ sibi ab inferiore impositæ: & id non solùm posse in casibus quibus annexa est excommunicatio, sed etiam in illis quibus non est annexa, vt ex praxi & vsu Ecclesiæ constat.

Id autem potest Superior multis modis efficere. Primò, iteratam confessionem, siue Sacramentalem absolutioni subiectam, siue non Sacramentalem præcipiendo, quod hoc modo nequit nisi à Pontifice fieri. Secundò id potest efficere, petendo à subdito votum, vel iuramentum quo ipse subditus ad iteratam confessionem obligetur ex Religione. Tertiò, pacto mutuo inter Superiorem & subditum de iterata confessione facienda, siue implicito, & contento in aliquo Statuto generali, quo conceditur facultas confitendi peccata reseruata Cõfessario ordinario, cum onere cõparendi coram Superiore (vt conceditur in nostra Societate, iter agentibus, & etiam eis qui in aliquo Collegio negotiorum causâ versantur) siue pacto expresso, in quo nulla fit coactio subdito, cùm ea concessio fiat à Superiore, cedendo, in gratiam ipsius subditi inui quod habet vt ipsi fiat confessio reseruatorum.

Obseruandum tamen est, quoties pœnitens à reseruatis absolutus sub onere comparendi obligatur ad id, quando aliud non constat, non obligari ad comparendum coram Superiore, vt ipsi iterùm peccata Sacramentaliter confiteatur, vt dicemus Diffic. XIII. quia ad finem reseruationis id non est necessarium, quia sufficit dicere Superiori peccata, expectando ab eo quid ipse expediens iudicauerit: hæc tamen dictio, seu manifestatio, ad quam pœnitens obligatur, dicitur confessio, etiam quando non fit Sacramentaliter, quia est consummatio quædam confessionis Sacramentalis anteà factæ Confessario ordinario.

Ita tamen pœnitens, cui conceditur facultas vt absoluatur à reseruatis cum onere comparendi coram Superiore, potest ad comparendum obligari, vt quando de facto obligatur, obligetur sub mortali, vt aduertunt Vasquez q. 93. ar. 1. du. 6. & Ægidius disp. 8. du. 15. quia obligatur ad rem grauem, & ex virtute iustitiæ aut religionis, quæ sunt strictæ obligationis. *Vasquez. Ægidius.*

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm subditus absolutus ex facultate concessa cum onere comparendi, teneatur comparere, si ante absolutionem ignorauit dictum onus.

SVpponimus, vt aduertit Suarez disp. 30. sect. 5. facultatem absoluendi à reseruatis concessam vt pœnitens absoluatur à Confessario inferiore cum onere comparendi, quando aliud non constat, non concedi de facto ita dependenter à notitia oneris comparendi habenda à pœnitente ante absolutionem, vt si eam notitiam non habeat, absolutio sit nulla: quia quamuis posset ita strictè concedi, tamen non creditur ita de facto concedi, quia id esset valdè rigidum, & minùs conueniens, vtpote expositum periculo sæpè irritandi absolutionem: ex quo fieret, moribundum, dantem signa confessionis, & non habentem alia peccata nisi reseruata, & dictum onus ignorantem, & iam impotentem illud à Confessario percipere, inualidè absolui. *Suarez.*

Hoc supposito, difficultas est, An pœnitens ex dicta facultate absolutus, teneatur posteà comparere, quando ipse ante absolutionem non habuit notitiam oneris comparendi.

Non desunt qui partem affirmatiuam tueantur; quia existimant, facultatem absoluendi à reseruatis concedi à Superiore cum onere comparendi, esse illam concedere cum præcepto Superioris obligantis subditum ad comparẽdum, præceptum autem Superioris vrget post absolutionem, quamuis subditus illud ignorauerit ante absolutionem.

Vasquez verò quæst. 93. ar. 1. dub. 6. & Ægidius disp. 8. du. 15. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia pœnitens, qui absoluitur ex facultate concessa cum onere comparendi, tantùm tenetur ad comparendum ex pacto expresso vel implicito inter ipsum, & superiorem concedentem dictam facultatem; inter hunc autem Superiorem, & inter pœnitentem qui ante absolutionem ignorauit dictum onus, nequit esse dictum pactum, vt patet; ergo. Quòd autem pœnitens ex facultate cum eo onere concessa absolutus, tantùm teneatur ex pacto, probatur, quia non tenetur ex voto, nec ex iuramento; quia supponimus nec id vouisse nec iurasse: nec tenetur ex præcepto Superioris eam facul- *Vasquez. Ægidius.*

cultatem cum eo onere concedentis, quia non tenetur ex præcepto Superioris, quãdo Superior eam facultatem concedens est Episcopus (& multò minùs quando est Parochus) quia Episcopus non potest (& multò minùs Parochus) iteratã confessionem, non tantùm Sacramentalem, sed nec consummatiuam Sacramentalis præcipere: nec tenetur ex præcepto Superioris, quando Superior eam facultatem concedens est Pontifex, quia iste creditur cum eodem onere dictam facultatem concedere, cum quo eam concedunt reliqui Pastores inferiores; isti autem nequeunt cum tali præcepto eam concedere. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

DIFFICVLTAS. XIII.

Vtrùm de facto in Iure ita sit commissa inferioribus Confessarijs facultas absoluendi à reseruatis in aliquibus casibus, vt absolutus posteà teneatur coram Superiore eam facultatem concedente comparere.

SVpponimus, in quo Doctores conueniunt, pro articulo mortis, siue physico siue morali, quando non adest qui habeat iurisdictionem ordinariam vel delegatam in casus reseruatos, esse in Iure concessam omnibus Sacerdotibus facultatem absoluendi à quibuscumque reseruatis, vt *Trident.* constat ex Tridentino sess. 14. cap. 7. in quo additur, extra eum articulum nihil posse circa casus reseruatos: quod intelligitur de Sacerdotibus inferioribus, quia extra eum non possunt, & non de Episcopis, quia his extra eum articulum conceditur facultas absoluendi à reseruatis, quando adest legitimum impedimentum, vt diximus Diff. VII.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An in dictis casibus ex dicta facultate absoluti à reseruatis, teneantur, cessante articulo mortis, aut alio legitimo impedimento, comparere coram Superiore.

Conueniunt Doctores, absolutos à casibus reseruatis quibus annexa est excõmunicatio, quamuis non reseruatis Pontifici, teneri, articulo mortis, aut alio legitimo impedimento cessante (excepto impedimento impubertatis, quia pueri non obligantur ad comparendum, cessante pueritia) quàm primò commodè possint, comparere coram Superiore à quo extra eum articulum, aut extra aliud legitimum impedimentum erant absoluendi, vt generaliter decernitur in cap. *Eos qui* 22. de Sententia excommunicationis, in 6. Imò non sunt absoluendi, antequam ab eis exigatur iuramentum comparendi, vt pro absolutione ab excommunicationibus reseruatis dicimus Tractatu de Excommunicatione Disp. XV. Diffic. III. & prædictos ad minus teneri comparere ratione excommunicationis, vt in eo cap. significatur. Nihilominùs non sola excommunicatio exprimenda est Superiori, sed etiam peccatum ob quod incursa est excommunicatio, vt satis significatur in dicto cap. *Eos qui*, & constat ex fine comparendi, nempe vt prædicti pœnitentiam & medelam conuenientem à Superiore accipiant, quia pœnitentia & medela pro peccato confertur non pro excommunicatione, quæ est pœna, & non culpa.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An sic absoluti, qui comparere tenentur coram Superiore, vt ei peccata reseruata exprimant, ad id teneantur, vt à peccatis reseruatis iterùm Sacramentaliter absoluantur.

Non desunt qui partem affirmatiuam tuentur (quam etiam insinuat Vasquez quæst. 91. art. 3. *Vasquez.* dub. 8.) quia ex vna parte sic absoluti possunt ad id obligari saltem ex pacto, & ex altera parte Superior concessione facultatis sub onere comparendi absolutè facta, denotat se velle vt postquam pœnitentes sibi in ea necessitate prospexerint, posteà compareant ad illud idem, ad quod aliàs, si non fuissent absoluti, debebant comparere, sed si prædicti non fuissent absoluti ab inferiore Confessario, comparituri erant vt à reseruatis Sacramentaliter absoluerentur; ergo.

Nauarrus verò cap. 26. nu. 26. Suarez disp. 30. *Nauarrus.* sect. 5. & Henriquez lib. 6. cap. 9. partem negati- *Suarez.* uam tradunt, & meritò: quia quamuis Superior *Henriq.* potuerit sic absolutos obligare saltem ex pacto ad iteratam confessionem Sacramentalem reseruatorum, creditur tamen de facto noluisse, quia id nullibi exprimitur, & ad finem reseruationis, nempe vt pœnitentes quoad reseruata dirigantur à Superiore non est necessaria confessio Sacramentalis, quæ est durior, sed sufficit cõfessio non Sacramentalis, quæ est facilior, & multò minùs onerosa.

Superior ergo concessione facultatis sub onere comparendi absolutè facta, non denotat se velle, vt pœnitentes, postquam sunt sic absoluti, teneantur comparere ad illud idem, ad quod comparituri erant si non fuissent absoluti, quia quando non sunt absoluti, non est onus aliquod supra expressionem peccatorum Superiori faciendam ei Sacramentaliter illa confiteri, cùm teneantur alicui illa Sacramentaliter confiteri: at postquam confessi sunt illa Sacramentaliter alteri, non est modicum onus supra confessionem non Sacramentalem non exigentem dolorem, nec propositum, necaliquam aliam dispositionem confiteri Sacramentaliter, quod non est præsumendum Superiorem velle dum id non exprimit.

Addimus, pœnitentes à casibus reseruatis absolutos ab Episcopis in articulo mortis, vel quando est aliud legitimum impedimentum, & à reliquis inferioribus Sacerdotibus in articulo mortis, non solùm teneri comparere coram Superiore, quando absoluti sunt à casibus quibus annexa est excommunicatio, in quo Doctores conueniunt, sed etiam (quidquid dicat Suarez) quando absoluti sunt à casibus quibus non est annexa excommunicatio, quia facultas Episcopis in dictis Iuribus concessa ad absoluendum à reseruatis, quibus excommunicatio annexa est in articulo mortis, aut alio legitimo impedimento existente, extensa est à Doctoribus ad absoluendum à quibuscumque alijs, quamuis forsan eis non sit annexa excommunicatio; ergo etiam extendenda est cum eodem onere, cum quo in Iure concessa est ad absoluendum ab illis quibus annexa est excommunicatio: qui si absoluti ab Episcopis in articulo mortis, aut alio legitimo impedimento existente à casibus quibus non est annexa excommunicatio, tenentur posteà cõparere, non minùs tenebuntur absoluti à reliquis inferioribus Sacerdotibus in articulo mortis à similibus casibus, quia facultas illa concessa non est magis absoluta, & minùs limitata, quàm concessa Episcopis.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm Confessarius inferior possit pœnitentem, confitentem casus reseruatos, absoluere, cum onere comparendi coram superiore pro reseruatis.

S. Thomas. Paludan. Gabriel. Antoninus. Siluester.

SAnctus Thomas in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. quæstiunc. 2. ad 4. Paludanus q. 5. art. 1. Gabriel q. 1. art. 3. dub. 2. Antoninus tit. 14. c. 19. & Siluester v. *Confessio* 1. q. 19. absolutè, nulla alicuius necessitatis mentione facta, docent, inferiorem Confessarium posse absoluere pœnitentem, confitentem peccata reseruata, cum onere comparendi coram superiore pro reseruatis, quia existimant, reseruationem non fieri quoad absolutionem à reseruatis, sed quoad confessionem non Sacramentalem, vt subditus teneatur deferre peccata reseruata ad superiorem vt ab ipso circa illa dirigatur, & pro eis pœnitentiam aut medelâm conuenientem accipiat: fieri autem potest, vt quis absoluatur ab omnibus peccatis, etiam à reseruatis, & quòd maneat obligatus ad deferenda peccata reseruata superiori pro directione circa illa; ergo habens casus reseruatos potest etiam ab eis absolui ab inferiore Confessario, cum onere & obligatione comparendi coram superiore pro reseruatis.

Sotus. Suarez. Henriq. Ægidius.

Doctrinam hanc Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Suarez disp. 31. sect. 3. Henriquez lib. 6. c. 15. Ægidius disp. 8. dub. 15. & alij limitant, vt tantùm sit vera, quando occurrit grauis aliqua necessitas absolutionis, vt quando non potest omitti confessio aut Communio sine graui nota subditi, quia tunc rationabiliter potest præsumi, superiorem concedere facultatem ad id. Imò Sotus, Henriquez & Suarez eam ampliùs limitant: Sotus, vt tantùm sit vera, quando peccatum reseruatum non habet annexam excommunicationem; Henriquez verò & Suarez, quando subditus præter peccata reseruata etiam confitetur alia non reseruata.

Richardus. Adrianus. Vasquez. Turrianus.

Richardus verò in 4. dist. 17. art. 2. q. 8. Adrianus quæst. 4. de Confessione, Vasquez q. 91. art. 3. dub. 9. Turrianus disp. 31. dub. 6. & plures alij recentiores, docent, & meritò, Confessarium inferiorem extra articulum aut periculum mortis (quod etiam moraliter est articulus mortis) non posse absoluere à reseruatis, quamuis eis non sit annexa excommunicatio, & quamuis pœnitens etiam confiteatur peccata non reseruata. Quod satis

Trident.

significat Tridentinum sess. 14. c. 7. dum ait, Sacerdotes extra articulum mortis nihil posse in casibus reseruatis; & dum supponit, in casibus reseruatis non esse legitimos iudices extra articulum mortis, monens Sacerdotes vt pœnitentes habentes casus reseruatos extra eum articulum remittant superioribus & legitimis iudicibus.

Et ratione probatur, quia reseruatio peccati est limitatio iurisdictionis inferiorum quoad illud; ergo nullus potest à peccato reseruato absolui ab inferiore Sacerdote absque facultate superioris, quia absolutio ab eo peccato esset à non iudice; extra articulum autem mortis inferior Confessarius non habet facultatem superioris ad absoluendum à reseruatis, vt dicitur in Tridentino.

Quòd si respondeas Primo, inferiores Sacerdotes habere iurisdictionem in peccatum reseruatum ex voluntate superioris præsumpta seu interpretatiua saltem, in casu grauis necessitatis; contra hanc responsionem est in primis, quòd voluntas præsumpta seu interpretatiua non sufficit ad concedendam iurisdictionem, quia non est vera aliqua voluntas præsens positiua, qua quis velit aliquid, sed qua vellet, si illud aduerteret, vt dicimus Tractatu de Actibus humanis Disputatione 1. Difficultate 11. Deinde, quia si ita esset, non potuisset Tridentinum dicere, extra articulum mortis nihil illos posse in casibus reseruatis, id est nullam habere potestatem & iurisdictionem ad absoluendum ab illis; & non potuisset supponere, extra dictum articulum inferiores Sacerdotes non esse iudices.

Quòd si Secundò respondeas, inferiores Sacerdotes extra articulum mortis non habere iurisdictionem in peccata reseruata, ac proinde non posse ab illis directè & per se absoluere; tamen quia habent iurisdictionem in non reseruata, à quibus potest directè & per se absoluere, ideò posse etiam à reseruatis indirectè & per accidens absoluere.

Contra hanc responsionem Primò vrget Tri- *Trident.*
dentinum, dum ait: *Cùm extra articulum mortis Sacerdotes nihil possint in casibus reseruatis, id vnum persuadeant pœnitentibus, vt ad superiores pro beneficio absolutionis accedant.* Si ergo Sacerdotes inferiores, post auditionem reseruatorum, possent ab illis absoluere aliquo modo, iam aliquid possent in casibus reseruatis sibi confessis, & non tantùm supereresset persuadere pœnitentibus accessum ad superiores pro beneficio absolutionis ab illis, quia post auditionem possent priùs ab illis absoluere, & posteà illis persuadere vt tempore debito ad superiores accedant.

Secundò contra eamdem responsionem est, quòd si Sacerdotes inferiores nequeunt directè à reseruatis absoluere, nequeunt in casu præsentis Difficultatis pœnitentem confitentem reseruata absoluere, quia tunc directè & per se absoluerent ab illis, quia tunc pronuntiarent sententiam absolutionis ab illis, iudicando de eis auditis in confessione, & vt reseruatis cognitis: quia sicut tunc si pœnitens confiteri vult, tenetur omnia peccata etiam reseruata confiteri, ita etiam inferiores Sacerdotes, si absoluere volunt, tenentur ab omnibus sibi confessis absoluere, quia sententia absolutionis commensurari debet confessioni: absoluere autem directè nihil aliud est, quàm à peccatis in confessione auditis absoluere; & absoluere indirectè & per accidens, solùm est, mediâ absolutione à peccatis auditis, conferre gratiam remissiuam, etiam eorum peccatorum quæ non sunt confessa, vel quia sunt oblita, vel quia non est obligatio illa confitendi ob aliquam causam.

Tertiò contra eamdem responsionem est, quòd ex ea sequitur, extra articulum mortis in casu grauis necessitatis eum, qui habet mortalia & venialia, posse confiteri simplici Sacerdoti non approbato, & ab eo absolui ab illis. Consequens autem est contra consuetudinem Ecclesiæ. Sequela probatur, quia simplex Sacerdos habet iurisdictionem completam in venialia; ergo auditis mortalibus & venialibus posset pœnitentem absoluere etiam à mortalibus.

Id verò quod aduersarij supponunt, nempe reseruationem non esse quoad absolutionem à reseruatis, falsum est, vt constat ex Tridentino vbi suprà.

Ex dictis constat Primò, quòd sicut grauis necessitas in casu præsentis Difficultatis non sufficit ad dimidiandam seu mutilandam confessionem, id est ad non confitenda reseruata (quia damnum, quod in casu præsentis Difficultatis euenire potest, non proueniret ex confessione reseruati, sed ex defectu iurisdictionis Confessarij inferioris in reseruata) ita etiam non sufficit ad dimidiandam absolutionem, id est ad non absoluendum à reseruatis, sed tantùm à non reseruatis.

Constat Secundò, peccata reseruata habentem posse extra articulum mortis procedere, ac si non haberet copiam Confessarij, ac proinde in casu grauis notæ, ex eo quòd non communicet aut non celebret, posse absque præuia confessione sola contritione perfecta iustificatum communicare, aut celebrare, quamuis peccatis reseruatis sit annexa excommunicatio.

Obseruandum est, pœnitentem habentem peccata reseruata quæ non confitetur, vel quia eorum est oblitus, vel quia iusta aliqua de causa non tenetur illa confiteri, iuxta ea quæ diximus Disp. IX. Diffic. x. validè absolui (quamuis peccatis reseruatis sit annexa excommunicatio, dum excommunicatio tolerata sit) ab inferiore Confessario à reliquis peccatis confessis non reseruatis, quia absoluitur ab habente iurisdictionem in peccata confessa, ac proinde mediâ eâ absolutione, vtpote valida, conferri gratiam remissiuam etiam reseruatorum, ex quo peccata reseruata dicuntur per accidens & indirectè absolui.

Addidimus, *quamuis peccatis reseruatis sit annexa excommunicatio, dum excommunicatio tolerata sit*, quia quamuis eis sit annexa, dum pœnitens ea excommunicatione excommunicatus non sit non toleratus, validè absoluitur à reliquis peccatis, si aliàs obliuione excommunicationis, aut alia via excusetur à peccato mortali suscipiendi absolutionem in statu excommunicationis, iuxta ea quæ diximus Tract. de Excommunicatione Disp. IV. Difficultate III. manebit tamen excommunicatio post absolutionem validam à peccatis, quia gratia remissiua peccatorum reseruatorum non est expulsiua excommunicationis: si tamen excommunicatus ea excommunicatione sit non toleratus, quamuis obliuione aut alia via excusetur à peccato mortali susceptionis, inualidè absoluitur, quia est incapax seu inhabilis ad susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, vt ibidem diximus.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm superior, ad quem pœnitens, habens peccata reseruata & alia mortalia non reseruata, primò accedit, possit eum, reseruatis tantùm auditis, Sacramentaliter absoluere.

Caietanus. Sotus. Antoninus. CAietanus in Summa v. *Confessio*, conditione 10. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. & plures alij docent, superiorem posse dictum pœnitentem à solis reseruatis Sacramentaliter absoluere, & eum pro absolutione aliorum ad inferiorem Confessarium remittere. Ex quibus Caietanus & Sotus causam rationabilem ad id requirunt, & dicunt, occupationem ordinariam Prælatorum esse sufficientem ad id. Probari autem potest, quia quamuis integritas confessionis & auditionis peccatorum sit Iure diuino necessaria ad absolutionem, nihilominùs ex rationabili causa, qualis in Prælatis est ordinaria occupatio, potest confessio & auditio aliorum peccatorum non reseruatorum omitti, confessis & auditis tantùm reseruatis; ac proinde ex ea causa potest superior à reseruatis tantùm confessis & auditis Sacramentaliter absoluere. Addit Caietanus, hanc esse Prælatorum consuetudinem in Curia Romana, & ob id oppositam opinionem iudicat temerariam.

Adrianus verò in 4. quæst. 4. de Confessione, Suarez disput. 21. sect. 1. Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 10. & Siluester v. *Confessio* 1. quæst. 19. docent, superiorem non posse Sacramentaliter absoluere dictum pœnitentem, nisi auditis omnibus mortalibus, etiam non reseruatis (imò hunc esse vsum in Curia Romana, testantur Siluester, Suarez & Vasquez) & meritò: quia integritas confessionis & auditionis mortalium est Iure diuino necessaria ad absolutionem Sacramentalem, vt docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. ergo non est omittenda, nisi ob vrgentissimam causam, quæ reddat licitam dimidiationem aut mutilationem confessionis & auditionis, qualis non est quæ sumi potest ex occupatione, nec ex alio impedimento superiorum, præsertim cùm post auditionem reseruatorum, & post adhibitam conuenientem medelam pro illis, possit pœnitentem pro absolutione Sacramentali omnium, tam reseruatorum quàm non reseruatorum, ad inferiorem Confessarium remittere, quod non debet onus graue pœnitentium indicari, præsertim cùm superior etiam teneatur sigillo confessionis.

Adrianus. Suarez. Vasquez. Siluester. Trident.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm subdito per se, vel per alterum licentiam petenti à superiore, vt possit alteri confiteri reseruata, teneatur illam concedere.

COnueniunt Primò Doctores, quoties subditus prudenter timet aliquod graue damnum confessioni extrinsecum sibi euenturum, si superiori confiteatur, verbi gratia, reuelationem confessionis, vel odium superioris, vel abusum confessionis in ordine ad gubernationem subditi, teneri superiorem ex iustitia licentiam concedere, quia tunc iniuriam irrogat subdito, intendendo eum cogere vt sibi in dictis casibus confiteatur: & etiam teneri ex fidelitate, aut ex iustitia muneri pastoris debita, eam licentiam concedere, si ex negatione prudenter timeat graue aliquod nocumentum spirituale subditi, quamuis oriundum ex passione aut ex alia fragilitate subditi, verbi gratia, defectum integritatis confessionis, aut Communionem absque præuia confessione, aut nimiam dilationem confessionis & Communionis, aut multò minorem fructum, quia reseruatio fit & cedere debet in vtilitatem subditi, & non in detrimentum. Id tamen intelligitur, quan-

quando ex concessione licentiæ non timetur graue nocumentum aliorum, verbi gratia, facilitas in peccando, spe similis licentiæ obtinendæ, quia si id timeatur, negari potest, imò & debet, quia potiùs est prospiciendum communitati, quàm particulari personæ: & etiam tenetur ad eam negandam, quando prudenter timet, concessionem esse futuram occasionem subdito peccandi.

Conueniunt Secundò, quando ex negatione licentiæ non timetur prudenter damnum aliquod graue, aut minoritas grauis fructus subditi, non teneri superiorem, licentiam concedere, quamuis subditus refugiat illi confiteri ob verecundiam, aut ob timorem amittendi bonam opinionem apud illum, aut ob aliam difficultatem, quasi intrinsecam & annexam confessioni superiori faciendæ, quia ad id nec tenetur ex iustitia, nec ex fidelitate sui officij. Imò quando nullum damnum prudenter timetur, magis expediet licentiam negare: quia tunc negatio maximè congruit fini reseruationis, quia tunc, vt supponimus, absque aliquo damno subditi proderit ad cautionem in futurum.

Quia verò de facto regulariter ex negatione licentiæ petitæ plus periculi potest prudenter timeri, quàm ex concessione illius, ideò quando superior non habet in particulari iustas aliquas rationes ad illam negandam, conuenientius erit illam concedere, vt aduertunt Suarez disp. 30. sect. 4. & Ægidius disp. 8. dub. 14. *Suarez. Ægidius.*

Obseruandum tamen est, Confessarium licentiam pro subdito petentem, ita cautè teneri procedere, vt superior nequeat personam conijcere; aliàs Confessarius fractor erit aut sigilli Sacramentalis, si id ex confessione nouit, aut secreti naturalis, si nouit extra confessionem: nec superior poterit interrogare quis sit pro quo licentia petitur, nec alias circumstantias per quas possit in notitiam subditi deuenire, quia id esset ad fractionem sigilli, vel secreti naturalis prouocare & inducere.

DISPVTATIO XII.

De sigillo confessionis.

DIFFICVLTAS I.

Quo Iure sit obligatio seruandi secretum confessionis.

CONVENIVNT Primò Doctores, esse obligationem seruandi secretum confessionis; & eam obligationem oriri ex Iure humano Ecclesiastico, & ex Iure purè naturali, & ex Iure naturali diuino.

Et in primis oritur ex humano Ecclesiastico lato in can. *Sacerdos*, de Pœnitentia, d. 6. & in cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentiis & remissionibus. Secundò oritur ex Iure purè naturali virtutis iustitiæ, quia ex virtute iustitiæ tenemur famæ proximi prospicere. Tertiò oritur ex Iure naturali diuino virtutis religionis, quia ex virtute religionis tenemur ad seruandum secretum confessionis ob reuerentiam ipsi debitam, ne fiat odiosa: quod Ius dicitur naturale, quia suppositâ institutione Sacramenti confessionis, oritur ex natura virtutis religionis; & dicitur diuinum, quia oritur ex virtute religionis, non absolutè, sed suppositâ diuina institutione confessionis à Christo facta.

Conueniunt Secundò Doctores, obligationem seruandi secretum confessionis esse tantam, vt in nullo casu, saltem extra confessionem, inuito pœnitente licitum sit illud reuelare, vt constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & vt ex dicendis constabit: & ob id obligatio hæc per antonomasiam dicitur *sigillum*, quia sub hac maxima obligatione contentum & clausum est secretum confessionis, tamquam sub sigillo.

Est tamen difficultas, Vnde oriatur, quòd obligatio seruandi secretum confessionis sit tanta, vt in omni casu sit seruandum.

Circa quam conueniunt Primò Doctores, tantam obligationem non oriri sufficienter ex dicto Iure pure naturali iustitiæ, quo tenemur famæ proximi prospicere, quia ex eo Iure non obligamur in omni casu adhuc extra confessionem ad seruandum proximo secretum, & ad eius famæ prospiciendum; quia absque iniustitia contra proximum potest reuelari secretum, quando reuelatio est necessaria ad vitandum maximum aliquod damnum a bipso proximo iniustè inferendum.

Conueniunt Secundò communiter Doctores, tantam obligationem non oriri tantùm ex dicto Iure Ecclesiastico, quia licet ex eo, dum fuit & perseuerat, sufficienter oriatur, quia eo Iure præcipitur secretum confessionis in omni casu, & fertur ab habente potestatem ad id præcipiendum, & ex sufficientissima causa, ne scilicet odiosa fiat confessio pœnitentibus, quod est malum maximum omnium quæ oriri possunt ex non seruando secretum illius; nihilominùs, quia à principio institutionis Sacramenti confessionis semper fuit dicta strictissima obligatio, & semper erit, & non semper fuit dictum Ius Ecclesiasticum, & poterit cessare si Pontifex illud abrogare velit, ideò dicendum est esse aliud Ius, ex quo semper fuerit & futura sit dicta obligatio.

Est ergo punctum difficultatis, Quod sit hoc Ius, ex quo semper orta fuit sufficienter & oriunda est dicta obligatio, an scilicet ex dicto illo Iure naturali diuino religionis, an ex aliquo diuino positiuo Christi.

Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 1. Valentia q. 8. puncto 1. Henriquez lib. 6. cap. 19. Ægidius disp. 6. dub. 2. Reginaldus lib. 3. cap. 1. & Turrianus disput. 33. dub. 1. docent, dictam obligationem, quæ semper fuit & erit, non oriri sufficienter ex eo Iure naturali diuino, sed ex quodam Iure diuino positiuo superaddito à Christo institutioni Sacramenti confessionis, quo Christus intuitu reuerentiæ confessionis institutæ præcepit in omni casu seruari secretum confessionis, quia ex Iure naturali diuino religionis non sit obligatio seruandi secretum confessionis, nisi quando ad id ex iustitia tenemur, quia tantùm tunc irrogatur iniuria, *Vasquez. Valentia. Henriq. Ægidius. Reginald. Turrianus.*

seu irreuerentia confessioni reuelando secretum illius, quando pœnitens habet Ius iustitiæ, vt sibi seruetur, non verò quando non habet Ius; sed aliquando non tenemur ex iustitia, vt nuper dicebamus; ergo aliquando non tenemur ex dicto Iure naturali diuino religionis, ac proinde admittendum videtur illud aliud Ius positiuum diuinum, quo à Christo præceptum sit seruari secretum confessionis in omni casu.

S. Thomas. Sotus. Suarez. Filliucius.

S. Thomas verò in 4. distinct. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 1. Sotus dist. 18. quæst. 4. art. 5. Suarez disput. 33. sect. 1. Filliucius tract. 7. c. 11. & communiter Doctores docent, dictam strictissimam obligationem, quæ semper fuit & erit, sufficienter oriri ex dicto Iure naturali diuino religionis, ac proinde non esse admittendum illud aliud Ius positiuum diuinum, quod tantùm fingitur ab aduersariis, vt sit, ex quo sufficienter oriatur dicta strictissima obligatio.

Quòd autem dicta obligatio sufficienter oriatur ex eo Iure naturali diuino religionis (quod semper fuit & erit) declaratur, quia suppositâ institutione diuina confessionis, ipsi confessioni fit iniuria, seu irreuerentia, si peccatum in ea auditum aliquando, quamuis in grauissimo casu, reueletur, quia ea reuelatione confessio fiet ita molesta & odiosa pœnitentibus, vt ab ea aliquo modo retrahantur, & ad eam non satis securè accedant; id autem est malum adeò pernicioſum Reipublicæ Christianæ, vt ratio ipsa dictet esse necessariò vitandum, & est ita pernicioſum, vt sit magis quàm mors ipsa, & quàm quodcumque aliud damnum temporale, adhuc destructionis totius patriæ: ergo ratio dictat, quòd reuelatio non fiat, quamuis sit necessaria ad vitandam mortem iniustam Confessarij, & destructionem totius patriæ, quamuis inferendam ab ipso pœnitente, in quibus casibus non esset obligatio ex iustitia seruandi illi secretum; ergo obseruatio secreti sacri, seu secreti confessionis in omni casu, etiam in eo in quo aliàs pœnitens sit indignus vt ipsi seruetur secretum, & non habeat Ius iustitiæ ad id, necessaria est in reuerentiam confessionis in tantum bonum Ecclesiæ institutæ, quia illius fractio est malum maius omni alio temporali, etiam destructione totius patriæ, ac proinde fractio illius est necessariò vitanda non minùs, imò magis, quàm destructio patriæ.

Fractio ergo sigilli sacri, seu sacramentalis, non tantùm est peccatum iniustitiæ contra virtutem iustitiæ, quod potest aliquando esse tantùm veniale, sed etiam est peccatum sacrilegij contra virtutem religionis, quod semper est mortale, quamuis tantùm reueletur veniale: nihilominùs quamuis semper & in omni casu sit sacrilegij, quia semper est iniurioſa confessioni, & contra reuerentiam illius, non tamen semper est iniustitiæ, tunc videlicet quando considerata ratione naturali, & conuictu humano, pœnitens non habet Ius iustitiæ vt sibi seruetur secretum, vt contingit quando est in proposito inferendi graue aliquod damnum, & non vult ab eo proposito desistere, & ideò tunc fractio sigilli, quamuis sit peccatum sacrilegij, non tamen iniustitiæ.

DIFFICVLTAS II.

Ex qua confessione oriatur obligatio sigilli.

CONueniunt Doctores, ex confessione Sacramentali, & ex ea sola oriri obligationem sigilli. Ita Henriquez lib. 6. cap. 19. Suarez disp. 33. sect. 2. & Ægidius disp. 9. num. 4. illa autem est confessio Sacramentalis, quæ fit Confessario, eam subijciendo clauibus. *Henriq. Suarez. Ægidius.*

Prior pars, nempe obligationem sigilli oriri ex confessione Sacramentali, est manifesta, quia ex reuelatione ipsius fit odioſa, quo homines ab ea retrahentur, quod in omni casu vitandum est: & oritur ex confessione Sacramentali, quamuis non perueniat ad absolutionem (in quo Doctores communiter conueniunt), siue non perueniat ex voluntate, siue ex impotentia tam Sacerdotis quàm pœnitentis; aliàs confessio fieret odioſa, quod ob hanc rationem etiam est verum, quamuis pœnitenti negata sit absolutio ob defectum ipsius pœnitentis.

Posterior pars, nempe obligationem sigilli ex sola confessione Sacramentali oriri, est manifesta; quia ex nullius alius reuelatione, nisi confessionis Sacramentalis ipsi confessioni fit supradicta iniuria, & potest tantum malum oriri. Vnde obligatio sigilli non oritur ex manifestatione peccati, quæ non subijcitur clauibus saltem ex intentione pœnitentis, quamuis ipse dicat se illud manifestare sub sigillo confessionis, & non aliter, quia ex eo quòd id dicat, manifestatio seu confessio peccati non fit Sacramentalis, adhuc intentionaliter, vt pater.

DIFFICVLTAS III.

Qui teneantur sigillo confessionis.

IN primis conueniunt Doctores, Confessarium teneri sigillo confessionis, quia ipse est qui reuelatione peccati sibi confessi proprijssimè irrogat iniuriam confessioni Sacramentali.

Secundò conueniunt Doctores contra Caietanum, etiam interpretem, medio quo fit confessio Sacramentalis, teneri sigillo confessionis, quia quamuis interpres non se teneat ex parte Confessarij cui fit confessio, sed potiùs ex parte pœnitentis, quia pœnitens medio ipso interprete confitetur Confessario, & subijcit suam confessionem illi, nihilominùs cognoscit peccatum pœnitentis ex confessione inchoatiuè Sacramentali, quia etiam vt directa ad ipsum interpretem est inchoatiuè Sacramentalis, quia medio ipso & per ipsum fit & dirigitur ad Confessarium, & subijcitur clauibus, ac proinde reuelando peccatum irrogat iniuriam confessioni inchoatiuè Sacramentali, ex qua illud cognouit.

Tertiò, qui casu vel consilio audiuit peccatum confitentis Sacramentaliter, tenetur sigillo confessionis, quia id sciuit ex confessione Sacramentali vt Sacramentali, quia id sciuit ex confessione directa ad Confessarium. Qui verò ex voluntate pœnitentis absque necessitate audiuit peccatum in confessione Confessario facta, non tenetur sigillo confessionis (sed tantùm secreto naturali iusti-

iustitiæ) quia non sciuit illud ex confessione Sacramentali vt Sacramentali, quia tantùm sciuit illud ex confessione quatenus ad ipsum directa, quæ vt sic non est Sacramentalis. Ille etiam qui fingens se Confessarium, audiuit confessionem, tenetur sigillo confessionis, quia sciuit peccatum ex confessione intentionaliter Sacramentali, id est facta ex intentione perficiendi Sacramentum.

Quartò, laicus, cui causa deuotionis aut humilitatis facta est confessio, non tenetur sigillo confessionis, sed tantùm secreto naturali iustitiæ, vt contra Adrianum in 4. quæst. vltima, & contra Nauarrum c. 8. num. 7. docent S. Thomas in 4. d. 21. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 3. Suarez disp. 33. sect. 2. Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 2. & communiter Doctores, quia ille non cognouit peccatum ex confessione Sacramentali adhuc intentionaliter, quia non fuit facta vero iudici, nec existimato. Addimus, *nec existimato*, quia si pœnitens confiteatur laico, existimans eum posse in absentia Sacerdotis absoluere, tunc laicus tenetur sigillo confessionis (non minùs quàm qui se finxit Confessarium) quia tunc cognouit peccatum ex confessione intentionaliter Sacramentali.

S. Thomas. Suarez. Vasquez.

Quintò, circa eum cui Confessarius reuelauit peccatum confessum, Adrianus & Nauarrus docent teneri sigillo confessionis, quia mediatè cognouit peccatum ex confessione Sacramentali.

Adrianus. Nauarrus.

Medina Cod. de Confessione, quæst. De his qui confessionem celare tenentur, docet, illum non teneri sigillo confessionis, quia id non cognouit ex confessione ipsa.

Medina.

Vasquez verò docet, & optimè, eum, cui absque licentia pœnitentis facta est reuelatio, teneri sigillo confessionis; quia tunc cognitio peccati tantùm habet ortum ex confessione Sacramentali, quia pœnitens id tantùm dixit in confessione Sacramentali. Eum verò cui facta est reuelatio peccati ex licentia pœnitentis, non teneri sigillo confessionis, sed tantùm secreto naturali iustitiæ, quia iste non cognouit peccatum ex confessione Sacramentali, adhuc remotè & mediatè, sed tantùm ex narratione non Sacramentali, qua pœnitens concedens licentiam ad reuelandum peccatum ait, siue expressè siue implicitè, *Hoc peccatum, quod feci, & tibi confessus sum, me fecisse reuela.* Et idem ob eamdem rationem dicendum est de superiore, à quo Confessarius ex licentia pœnitentis petit facultatem pro peccato reseruato pœnitentis, non teneri sigillo confessionis, quia scilicet tunc superior non accipit notitiam peccati ex confessione Sacramentali, sed ex narratione non Sacramentali pœnitentis, teneri tamen strictissimo secreto naturali iustitiæ, cùm ei sit dictum causa honestissima boni spiritualis pœnitentis.

Vasquez.

Sextò conueniunt Doctores, eum, cui aliquis extra confessionem suum peccatum detegit, sub onere quòd illud seruet sub sigillo confessionis, non teneri ex eo sigillo, sed tantùm secreto naturali iustitiæ, quia id non cognoscit ex confessione, & obligatio sub sigillo tantum oritur ex confessione, & non ex pacto; ipse autem qui extra confessionem exigit sigillum confessionis, nullam irrogat iniuriam confessioni, vt contra Paludanum in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. con. 3. aduertunt Adrianus & Vasquez.

Adrianus. Vasquez.

Obseruandum est, omnes, quos diximus teneri sigillo confessionis, teneri in omni casu; reliquos verò, qui eo non tenentur, sed tantùm secreto naturali iustitiæ, non teneri in omni casu.

DIFFICVLTAS IV.

Cuius rei secretum sit seruandum sub sigillo confessionis.

COnueniunt Primò Doctores, Confessarium sub sigillo confessionis teneri ad celandum peccatum mortale adhuc in communi, & ad celanda peccata venialia in particulari, ita vt si Confessarius dicat, aut aliter significet, pœnitentem fecisse aut confessum fuisse peccatum mortale, quamuis illud non explicet in particulari; etsi dicat, aut aliter significet fecisse aut confessum fuisse peccatum, v. g. mendacij, sit contra sigillum confessionis, quia verè reuelat occultum ex confessione Sacramentali notum: non verò si dicat pœnitentem fecisse aut confessum fuisse peccata venialia non addendo plura, quia tunc non reuelat occultum, quia manifestum est, eum qui confitetur & absoluitur, fecisse & confiteri ad minus venialia. Addidimus, *non addendo plura*, quia qui dicit aut aliter significat pœnitentem fecisse aut confessum fuisse plura venialia, reuelat quod est occultum, quia occultum est pœnitentem plura venialia fecisse.

Est quoque contra sigillum, vt aduertunt Vasquez q. 93. art. 4. dub. 3. & Ægidius disp. 9. n. 16. Confessarium infamare ciuitatem alicuius generis peccati, quod ex sola confessione nouit, quando ipsi ciues, in particulari etiam pœnitentes, aliquo modo afficientur infamia illa, quod facilè contingit, quando ciuitas non est ampla, & pœnitentes iunt aliquo modo suspecti, quia tùc ex reuelatione illa euenit pœnitentibus aliqualis infamia, ob quod confessio fit illis odiosa, & ab ea retrahuntur.

Vasquez. Ægidius.

Conueniunt Secundò Doctores, Confessarium sub sigillo confessionis teneri ad celandas omnes circumstantias peccatorum, etiam peccata sociorum & complicis, quia earum reuelatione fit confessio pœnitenti odiosa: quod etiam est verum, vt aduertit Suarez disp. 34. sect. 3. quamuis pœnitens inutiliter & culpabiliter reuelet circumstantias, v. g. socios & complices, si id reueler, existimans id esse necessarium aut expediens ad explicationem sui peccati, quia etiam tunc reuelatione illarum confessio fit odiosa. Et ob eamdem rationem, vt aduertit Ægidius, etiam est contra sigillum, reuelare defectus naturales pœnitentis, quando ab ipso dicuntur in confessione vt conducentes ad explicationem sui peccati: non verò quando à pœnitente narrantur incidenter, & non tamquam conducentes ad id. Et etiam vt contra Henriquez & contra Valentiam supponit Ægidius num. 12. est contra sigillum reuelare defectus pœnitentis, qui ex confessione conijciuntur, quamuis aliàs sint indicium bonæ & timoratæ conscientiæ, vt esse scrupulosum, quia etiam eorum reuelatione confessio fit pœnitentibus odiosa, & ab ea retrahuntur.

Suarez. Ægidius.

Est tamen difficultas, An Confessarius sub sigillo confessionis teneatur ad celandum peccatum nondum patratum quoad effectum, vt propositum occidendi aliquem, aut prodendi Rempublicam: procedit autè quando dictum peccatum & propositum etiam perseuerat tempore confessionis, quia

quando iam cessauit, aut tempore confessionis cessat, ex nullo capite excusatur Confessarius ab obligatione sigilli.

Alexand. Adrianus. Silvester. Angelus. Circa difficultatem ergo Alexander 4. part. quæst. 19. memb. 2. art. 2. Adrianus in 4. quæst. vlt. de Confessione, Siluester v. *Confessio* 3. quæst. 5. & Angelus v. *Confessio* vltimo, num. 7. docent, tunc Confessarium non teneri (nisi quando dictum propositum est in pœnitenti, qui anteà commisit re ipsa & in effectu simile peccatum ei, quod est in proposito, & illud etiam confitetur) quia confessio dicti propositi perseuerantis non est Sacramentalis, vtpote inepta absolutioni, quia nullus potest à proposito peccandi perseuerante absolui. Addiderunt verò, *nisi quando pœnitens anteà commisit in effectu simile peccatum, & illud etiam confitetur*, quia tunc propositum illud, ob connexionem cum eo peccato anteà commisso, cuius etiam fit confessio, etiam clauditur sub sigillo confessionis, sicut peccatum ipsum in effectu commissum & confessum, quod est aptum absolutioni.

Richardus. Durandus. Henriq. Ægidius. Richardus verò in 4. d. 21. art. 4. q. 2. art. 2. Durandus quæst. 4. Henriquez lib. 6. cap. 19. Ægidius dub. 1. & communiter Doctores absolutè docent, teneri, quamuis dictum propositum non præsupponat commissum simile peccatum ei, quod est in proposito, & meritò: quia confessio dicti propositi, quamuis inepti absolutioni ob sui perseuerantiam, est verè Sacramentalis, quia perseuerantia dicti propositi, seu propositum perseuerans, per confessionem subijcitur clauibus, non vt materia absolutionis, sed vt impedimentum ad absolutionem; quia cognitio impedimenti non minùs pertinet ad Confessarium vt non absoluat, quàm cognitio peccati vt ab eo absoluat.

Quòd si propositum illud non subijciatur clauibus, animo videlicet manifestandi statum propriæ conscientiæ, eum subijciendo clauibus Confessarij vt de eo iudicet, sed alio animo, nempe vel inducendi Confessarium ad simile peccatum, vel irridendi iudicio confessionis, aut alio modo (qui ex modo confitendi conijci poterit) non clauditur sub sigillo confessionis.

Ita tamen Confessarius tenetur sub sigillo confessionis ad celandum quodlibet ex dictis, vt non solùm sit contra sigillum illa verbis, sed etiam nutibus & quolibet alio signo insinuare, vt aduertunt communiter Doctores, & constat ex cap. *Omnis vtriusque sexus*, quia etiam eorum insinuatione, quamuis non directè intenta, redditur confessio pœnitentibus molesta & odiosa, & ab ea retrahuntur.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Confessarius possit peccatum in confessione auditum reuelare, quando ipse nequit aliter peccatum suum in confessione explicare.

DIfficultas hæc tantùm habet locum, quando Confessarius confiteri tenetur, & nequit nisi ei qui ex confessione ipsius Confessarij facilè conijciet peccatum pœnitentis.

Sotus. Sà. Sotus in 4. d. 18. q. 4. art. 5. & P. Sà v. *Confessor*, docent, in dicto casu Confessarium posse peccatum in confessione auditum reuelare, quia præceptum integritatis confessionis fortiùs obligat quàm præceptum sigilli confessionis, quia illud est in vtilitatem pœnitentis, illud verò in reuerentiam iudicij confessionis, quæ est maioris momenti quàm vtilitas pœnitentis.

Nauarrus. Valquez. Ægidius. Nauarrus verò cap. 8. num. 6. Vasquez dub. 4. Ægidius num. 21. & communiter Doctores docent, Confessarium adhuc in dicto casu non posse peccatum in confessione auditum reuelare, & meritò: quia maioris momenti est obseruatio sigilli confessionis, & in maiorem reuerentiam iudicij confessionis cedit, quàm integritas confessionis, & ideò confessio dimidiari seu mutilari potest ob graue aliquod damnum, & ob nullum potest rumpi sigillum confessionis, quia institutio integritatis cedit bono pœnitentis, ne ipsi confessio fiat odiosa, sigillum verò nullius bono cedit.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Confessarius possit ex licentia pœnitentis reuelare peccatum in confessione auditum.

COnueniunt Doctores contra Altisiodorensem, Confessarium non posse absque fractione sigilli reuelare peccatum in confessione auditum, si pœnitens non concedat licentiam expressam ad id, quamuis Confessarius firmissimè præsumat reuelationem fore pœnitenti gratam, quia reuelatione facta, absque expressa licentia pœnitentis, fieret pœnitenti confessio odiosa, quia pœnitens posset timere ne Confessarius aliquando ex falsa præsumptione reuelet peccata.

Est tamen difficultas, An Confessarius id possit, quando pœnitens concedit expressam licentiam.

Alexand. Scotus. Durandus. Maior. Gabriel. Angelus. Alexander 4. part. q. 19. memb. 2. art. 2. Scotus in 4. d. 21. quæst. 2. Durandus quæst. 4. Maior q. 3. Gabriel art. 3. dub. 6. & Angelus v. *Confessio*, vlt. num. 5. partem negatiuam tuentur, Primò, quia reuelare peccatum, est contra Ius naturale diuinum; ergo fieri nequit, quamuis pœnitens id expressè concedat, quia ipse nequit in eo dispensare, cùm ad hoc non sufficiat quòd dictum Ius cedat in fauorem ipsius pœnitentis, quia quamuis cedat, nihilominùs latum est intuitu reuerentiæ confessionis Sacramentalis; sicut etiam quamuis exemptio Clericorum cedat in fauorem particularium, nequit Clericus à iudice sæculari iudicari adhuc ex licentia ipsius Clerici, quia hæc exemptio facta fuit intuitu honoris status Clericalis. Secundò, quia Confessarius eo ipso quòd reuelat peccatum in confessione auditum, quamuis ex licentia expressa pœnitentis, mentitur, quia peccatum illud audiuit & scit vt Deus, & non reuelat vt Deus sed vt homo; ergo nequit adhuc ex licentia expressa pœnitentis reuelare peccatum. Vnde iuxta opinionem hanc, vt Confessarius capiat consilium super confessis, quando ex consilio conijciendum est peccatum pœnitentis, necessarium est quòd pœnitens extra confessionem referat Confessario peccatum reuelandum.

S. Thom. Richardus. Suarez. Vasquez. Ægidius. Ad. Tan. S. Thomas verò in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 2. Richardus art. 4. quæst. 1. Suarez disput. 33. sect. 5. Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 5. Ægidius disp. 9. num. 22. Adamus Tanner disp. 6. q. 9. num. 125. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt,

tradunt, & meritò: quia obligatio sigilli confessionis primariò & per se est in fauorem pœnitentis; in reuerentiam autem confessionis non nisi secundariò & ratione pœnitentis, ita vt non aliter obligatio illa sit religionis in reuerentiam confessionis, nisi vt pœnitenti non fiat odiosa; ergo eo ipso quòd pœnitens vult & expressè concedit licentiam vt peccatum ipsius reueletur, cessat obligatio sigilli, quia tunc reuelatione non fit confessio pœnitenti odiosa: quod non est in Iure naturali diuino dispensare, sed auferre circumstantiam necessariam vt illud obliger, nempe reuelationem fieri contra voluntatem pœnitentis, quia ratione sui tantùm obligat in gratiam personæ pœnitentis, ac proinde quando reuelatio non fit contra voluntatem pœnitentis, non est contra ius illud, sicut etiam iuramentum promissioni accedens tantùm obligat quando promissarius non cedit promissioni, quia illud tantùm obligat in gratiam promissarij; in quo hoc iuramentum & sigillum confessionis differunt ab exemptione Clericorum: quia hæc per se non tantùm est in fauorem particularium, attendendo ad personas eorum, sed etiam in honorem status Clericalis, attendendo ad dignitatem Clericalem, ob quod Clericus particularis nequit cedere dictæ exemptioni. Ex quo constat ad primam rationem aduersariorum.

Et ad secundam negamus, Confessarium mentiri, quamuis peccatum quod sciuit vt Deus, id est vt gerens vicem Dei, reuelet vt homo, & absque licentia pœnitentis, sicut non mentitur, qui gerens vicem Christi consecrauit, & posteà ait, *ego consecrauí*; mentiretur autem, si diceret, *ego audiui peccatum vt homo priuatus non gerens vicem Dei.*

Vasquez Suarez. Obseruandum est, vt contra Vasquez aduertit Suarez disp. 34. sect. 3. non esse contra sigillum confessionis, ex licentia expressa pœnitentis reuelare peccatum complicis absque complicis licentia, quia sigillum tantùm obligat in fauorem pœnitentis, vt confessio non fiat ipsi odiosa, ne ab ea retrahatur: ex reuelatione autem complicis ex licentia pœnitentis facta, nulli alij adhuc complici fit odiosa confessio vt ab ea retrahatur, vnde si aliàs non fiat iniuria complici, vt potest contingere, poterit eius peccatum ex licentia pœnitentis reuelari.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Confessarius, qui audiuit peccatum pœnitentis in confessione possit dicere, se illud in confessione ab eo pœnitente audiuisse.

SVpponimus Primò, quòd quando peccatum pœnitentis in confessione auditum non est publicum, non possit à Confessario affirmari ei qui ignorat peccatum illud pœnitentis, se illud ab eo pœnitente audiuisse, quia tunc vtendo notitia confessionis, detegit peccatum secretum pœnitentis, significando saltem indirectè pœnitentem illud commisisse.

Supponimus Secundò, quòd licet peccatum sit aliàs publicum & notum, si tamen, quia Confessarius affirmat se illud in confessione audiuisse ab eo pœnitente, peccatum sit magis certum, nequeat Confessarius id affirmare absque fractione sigilli confessionis, quia tunc ea affirmatione, quamuis non iniusta seu iniurioſa pœnitenti, confessio fit pœnitenti odiosa, vt ab ea retrahatur, quia ea affirmatio ex confessione ortum habens ex se displicet pœnitenti.

His ergo suppositis, difficultas est, An, quando peccatum pœnitentis est ita publicum & notum, vt dicta affirmatione Confessarij non fiat magis certum, neque fiat notum ignoranti, vt peccata fornicationis sic in communi notissimæ meretricis, tunc possit à Confessario affirmari se illud in confessione ab eo pœnitente audiuisse.

Medina Cod. de Confessione, quæst. De his quæ à Confessario celanda sunt, partem affirmatiuam tuetur, quia tunc Confessarius ea affirmatione nec infamat pœnitentem, nec detegit peccatum illius, vt patet, sed tantùm detegit actum confessionis, qui est pœnitenti laudabilis, quo confessio non fit odiosa. *Medina.*

Sotus verò in 4. d. 18. quæst. 4. art. 5. Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 5. Ægidius disp. 9. num. 12. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia quamuis tunc affirmatio auditionis peccati in confessione non sit contra iustitiam, ob publicitatem & notorietatem peccati, est tamen significatio saltem indirecta ipsius peccati auditi in confessione, quæ ex suo obiecto est displicens pœnitenti, & retractiua à confessione Sacramentali, quamuis sit significatio peccati vt subest actui laudabili confessionis. *Sotus. Vasquez. Ægidius.*

Addimus, dictam affirmationem non esse contra sigillum strictè sumptum, quia non est detectio peccati strictè sumpta, nec quoad substantiam, nec quoad maiorem certitudinem; esse tamen contra sigillum latè sumptum, quia est contra obligationem religionis tacendi, & non dicendi peccata confessa, quòd ex se sit displicens pœnitenti, quæ aliquo modo dici potest sigillum, iuxta ea quæ dicemus Difficultate XI.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Confessarius possit peccatum pœnitentis, aliàs extra confessionem notum, reuelare, non significando se audiuisse illud in confessione.

NOn desunt qui partem negatiuam tueantur, quia pœnitens ex ea reuelatione, si ipsi fiat nota, & ignoret Confessarium aliunde nosse peccatum, suspicabitur fregisse sigillum, quo pœnitens retrahetur à confessione.

S. Thomas verò in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 4. Vasquez dub. 7. & communiter Doctores, partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia tunc non reuelatur peccatum ex notitia habita in confessione, sed aliunde habita. Quod eodem modo est verum, siue Confessarius illud aliunde nouerit ante confessionem, siue post confessionem. Vnde si Confessarius potest aliunde pœnitentem denuntiare, aut contra eum testificari, etiam poterit, quamuis peccatum nouerit in confessione. *S. Thomas. Vasquez.*

In dicta tamen affirmatione seu narratione cauendum est, ne certius narretur peccatum, nec cum aliis circumstantiis ratione auditionis confessionis, quàm erat notum extra confessionem, aliàs manifestè fiet contra sigillum; & ne pœnitens

suspicari possit Confessarium vti notitia confessionis; aliàs etiam fiet contra sigillum, quia tunc ita reuelatur peccatum, vt pœnitens retrahatur à confessione; & ne narretur contra obligationem secreti purè naturalis; aliàs fiet iniustitia pœnitenti.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm peccatum in confessione tantùm notum reuelari possit, ob correctionem pœnitentis.

CErtissimum est, peccatum pœnitentis in confessione tantùm notum, non posse alteri reuelari adhuc ob correctionem pœnitentis, quia directè est contra sigillum confessionis, cuius obseruatio est maioris momenti, quàm pœnitentis correctio.

Est tamen difficultas Primò, An Confessarius ob peccatum tantùm in confessione notum, possit pœnitentem corrigere, eum ab officio, quo malè fungitur amouendo, vel aliter; quamuis alij suspicentur aut suspicari possint sic corrigi ob aliquod peccatum.

Circa quam difficultatem communiter Doctores, etiam Gabriel, partem negatiuam tradunt, quia id est insinuare peccatum aliquod mortale pœnitentis, saltem in communi, quod est contra sigillum confessionis, cuius obseruatio est maioris momenti, quàm adhibere remedium pœnitenti; & consequenter etiam tunc seruare sigillum, non militat contra charitatem proximi.

Vasquez. Ægidius. Et ob eamdem rationem, vt optimè Vasquez & Ægidius, negari nequit pœnitenti suffragium, ob peccatum aliquod in confessione tantùm notum, quamuis ob illud iudicetur indignus, quando alij suspicentur aut suspicari possunt pœnitenti negari suffragium ob aliquod peccatum mortale, quia tunc negatione suffragij insinuatur peccatum mortale pœnitentis, saltem in communi, quod est contra sigillum confessionis, & est peius quàm eligere indignum: ex duobus autem malis occurrentibus eligi potest & eligendum est minus malum.

Secundò est difficultas, An pœnitens possit remoueri ab officio, aut negari ei suffragium, aut aliud circa eum fieri, quando ipse solus conijcit aut conijcere potest id fieri ob peccatum confessum.

S Thomas. Scotus. Vasquez. S. Thomas in 4. d. 21. q. 3. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. Scotus quæst. 2. art. 3. Vasquez dub. 8. & plures alij partem affirmatiuam tuentur, quia tunc nullo modo reuelatur peccatum, quia ipse solus pœnitens id conijcit.

Sancius. Armilla. Bañez. Ægidius. Filliucius. Sancius verò lib. 3. de Matrimonio, disput. 16. Armilla v. *Confessio* n. 7. Bañez 2. 2. quæst. 33. art. 8. Ægidius disp. 9. num. 67. Filliucius tract. 7. cap. 11. quæst. 7. & plures alij partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Confessarius ita tenetur sigillo sacro confessionis, vt nequeat peccatum in confessione tantùm notum alicui dicere, non solùm aliis à pœnitente, quamuis viderint peccatum à pœnitente committi, sed nec illud obijcere ipsi pœnitenti; in casu autem dicto remouere pœnitentem ab officio, aut ipsi negare suffragium, aut aliud circa ipsum efficere, quando ipse conijcit aut conijcere potest id fieri ob peccatum confessum, est ipsi insinuare, imò est quodammodò obijcere & exprobrare peccatum confessum, quo confessio ita fiet ei molesta & odiosa, vt ob id retrahi possit ab ipsa; ergo id est contra obligationem sigilli sacri confessionis.

Ad primum ergo aduersariorum respondemus, quòd quamuis tunc non reueletur peccatum reuelatione strictè sumpta, qua efficimur certiores alicuius nobis ignoti, reuelatur tamen reuelatione latè sumpta pro locutione seu dictione, qua dicimus peccatum alicui etiam scienti, adhuc ipsi pœnitenti; vtraque autem reuelatio etiam latè sumpta est illicita & contra reuerentiam confessionis, quia vtralibet confessio fit pœnitenti molesta & odiosa, quia quælibet ex suo obiecto est pœnitenti displicens, ac proinde vtraque est contra sigillum confessionis, prior contra sigillum strictè sumptum, & posterior contra sigillum latè sumptum, nempe contra obligationem nulli, adhuc ipsi pœnitenti, dicendi peccatum tantùm in confessione notum.

Nihilominùs Confessarius vti potest notitia confessionis, quando nullus nec pœnitens potest in dictam suspicionem deuenire, quia nullo modo frangitur sigillum, quia tunc nulli dicitur nec insinuatur peccatum confessum. Excipimus Superiores Religionum, qui scientia confessionis nullatenus vti possunt ad exteriorem gubernationem, quia eis prohibitum est à Clemente VIII. in Motu proprio, quem pro casibus reseruatis edidit anno M. D. XCIV.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Confessarius pro tuenda vita possit aliquo modo reuelare peccatum pœnitentis in confessione tantùm notum.

COnueniunt Doctores, peccatum in confessione tantùm notum nullo modo esse reuelandum, nec pro vitanda propria morte, nec pro vitanda destructione totius patriæ. Quod indicatur in can. *Sacerdos*, de Pœnitentia dist. 6. dum dicitur, peccata confessa pro nullo scandalo (id est pro nullo malo publico vitando) alicui recitanda esse: & in cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentiis & remissionibus, dum dicitur: *Caueat omnino* (id est in omni casu) *ne verbo aut alio signo aliquatenus prodat peccatorem*. Ratio huius doctrinæ est, quia obseruatio sigilli, seu secreti sacri confessionis, est tanti momenti in Ecclesia Christiana, vt fideles ad confessionem securè accedant, & ab ea non retrahantur, vt ratio ipsa dictet, in omni casu esse omnino seruandum, etiam quando fractio illius sit necessaria ad vitandam propriam mortem, imò & destructionem totius patriæ, quia ex fractione illius confessio fiet molesta & odiosa fidelibus, & ab ea retrahentur, quod est malum multò maioris ponderis, quàm mors Confessarij, imò & quàm destructio totius patriæ; ergo.

Ex quo deducimus, Confessarium non posse aliquid dicere nec efficere, quamuis necessarium sit ad vitandam propriam mortem, adhuc à pœnitente inferendam, ex quo conijci possit pœnitentem mortaliter peccasse, aut aliquod peccatum in particulari, licet tantùm veniale, commisisse; nec posse (vt contra Scotum, Gabrielem, Henriquez & Ægidium aduertunt Richardus, Sotus & Nauarrus) aliquid dicere aut efficere, quo indicet seu insinuet, pœnitentem confessum fuisse aliquod mortale, quam-

quamuis solùm in communi, aut veniale aliquod in particulari, vt contingit, quando Confessarius, post auditam confessionem pœnitentis conspirantis cum aliis sociis in mortem Confessarij, fugit, scientibus sociis fugam Confessarij, & pœnitentem fuisse illi confessum, quia tunc fugâ illâ insinuatur confessio illius peccati (quamuis tantùm insinuetur ipsi pœnitenti & sociis qui illud iam sciebant) quod est indirectè & in obliquo significare & insinuare peccatum confessum, & quodammodò detegere seu reuelare peccatum, non reuelatione & detectione strictè sumpta, sed latè sumpta pro insinuatione peccati alicui scienti facta, ac proinde contra sigillum confessionis non strictè sed latè sumptum, eo modo quo Difficultate VII. diximus, affirmationem confessionis peccati, scienti factam, esse contra sigillum confessionis latè sumptum, quia hæc affirmatio est contra obligationem religionis non affirmandi, & illa insinuatio contra obligationem religionis non insinuandi peccatum confessum.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm Confessarius possit extra confessionem cum pœnitente loqui de peccatis confessis.

SVpponimus, post confessionem completam, non posse Confessarium contra voluntatem pœnitentis cum eo loqui de peccatis confessis: quia licet ex locutione non infametur pœnitens, vt patet, afficitur tamen pudore & rubore, quo confessio fit ipsi molesta & odiosa, quod est maximum malum, & necessariò vitandum: posse tamen cum eo loqui de illis ex licentia expressa illius, vt patet, sed non ex licentia præsumpta, quia posset pœnitens timere Confessarium aliquando falsò præsumentem licentiam ipsi locuturum de peccatis confessis, & eum rubore affecturum: & posse Confessarium loqui cum pœnitente (quamuis renuente, imò & debere, si commodè possit) quando commisit defectum in confessione, ex quo obligatur ad monendum illum, quia tunc non loquitur illi extra confessionem, sed in confessione, eam perficiendo, supplendo defectum illius.

Hoc ergo supposito, difficultas est (& potiùs de nomine, quàm de re) an loqui cum pœnitente extra confessionem, contra voluntatem illius, quando non est necessarium ad supplendum aliquem defectum (quod est illicitum, & peccatum sacrilegij contra reuerentiam confessionis) sit contra sigillum confessionis.

Medina. Vasquez. Sotus. Medina Cod. de Confessione, quæst. De his quæ à Confessario celanda sunt, & Vasquez dubio 10. negant. Sotus verò in 4. dist. 18. q. 4. art. 6. *Victoria.* & Victoria in Summa num. 185. affirmant.

Nos tamen existimamus, dictam locutionem non esse contra sigillum strictè sumptum, quia non est apertio secreti strictè sumpti, cùm fiat ipsi pœnitenti scienti peccata, de quibus Confessarius loquitur; esse tamen contra sigillum latè sumptum, quia est contra obligationem nulli dicendi peccata in confessione tantùm nota, quæ dici potest sigillum seu obligatio seruandi secretum, id est nulli dicendi.

Addimus tamen, eum, qui sic peccat contra sigillum, non esse puniendum pœna imposita reuelantibus confessionem, quia tunc non reuelat confessionem reuelatione absolutè & strictè sumpta, sed tantùm latè sumpta, quæ non est punienda pœna imposita his qui absolutè & simpliciter dicuntur reuelare.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm sit contra sigillum confessionis, dicere, Non absolui pœnitentem, *verbi gratia Petrum.*

CAietanus in Summ. v. *Confessori necessaria,* negat, quia possunt esse plures causæ honestæ, ob quas pœnitens absque eius defectu non absoluatur. *Caietanus*

Sotus verò in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Suarez disput. 33. sect. 6. Vasquez dubio 10. Ægidius num. 14. & communiter Doctores affirmant, & meritò: quia quamuis sint variæ causæ honestæ, ob quas pœnitens possit absque defectu ipsius non absolui, ex eo tamen dicto Confessarij, quando non declaratur causa honesta ob quam non fuit absolutus, nequit non generari suspicio quòd forsan non fuit absolutus, vel defectu dispositionis, vel quia habuit casum aliquem reseruatum, quòd est contra sigillum, quia id est modo quodam confuso aut dubio insinuare prauum statum pœnitentis. *Sotus. Suarez. Vasquez. Ægidius.*

Imò id ita est contra sigillum, vt ob illud Confessarius dignus fiat pœna imposita violatoribus sigilli (quamuis nonnulli oppositum dicant) quia in cap. *Omnis vtriusque sexus,* postquam dicitur, *caueat omnino ne aliquo modo prodat pœnitentem,* apponitur pœna, in casu autem dicto Confessarius aliquo modo prodit pœnitentem.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm Confessarius sub iuramento interrogatus de peccato in confessione tantùm noto, possit illud negare.

COnueniunt Primò Doctores, Confessarium, quamuis sub iuramento & à iudice interrogatum, an sciat pœnitentem commisisse peccatum, quod verè Confessarius tantùm ex confessione nouit, non posse illud manifestare, quia qui non interrogatur iuridicè, potest non manifestare id de quo interrogatur; Confessarius autem non interrogatur iuridicè de eo quod tantùm ex confessione nouit, & cùm possit non manifestare illud, tenetur ad non manifestandum; aliàs franget sigillum confessionis.

Conueniunt Secundò contra Gabrielem in 4. d. 21. art. 3. dub. 1. Confessarium tunc posse negare se illud scire, quia dum aliud non exprimitur, ea interrogatio tantùm intelligitur de auditione & notitia habita extra confessionem: & ob hanc rationem id potest absolutè negare, quamuis non addat restrictionem illam mentalem, *vt tibi dicam,* nec aliam, quia etiam absq; ea restrictione negatio est vera; quod ob eam rationē etiam est verum, siue Confessarius interrogetur à iudice, siue à priuata persona. Imò ob eamdem rationem, vt contra Durandū aduertunt Paludanus, Sotus, & Vasquez vbi infrà, id potest Confessarius propria sponte dicere, quam- *Gabriel. Paludan. Sotus. Vasquez.*

quamuis non interrogetur, quia scilicet ea dictio seu affirmatio communiter intelligitur de auditione & notitia habita extra confessionem.

Addimus, Confessarium interrogatum non tantùm posse licitè negare, sed etiam teneri ad id, quando (vt aliquando contingit) ex silentio generatur in aliis suspicio peccati pœnitentis.

Est tamen difficultas, Quomodo se debeat gerere Confessarius, quando interrogatur, an audierit vel nouerit in confessione, pœnitentem fecisse peccatum illud.

Sotus. Paludan. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 5. & Paludanus distinct. 21. quæst. 3. docent, Confessarium tunc non posse negare, quin mentiretur, quod numquam licet: & cùm id non possit affirmare, dicunt, consultissimum esse illi obiurgare interrogantem, quamuis iudicem, quia id interrogat.

Medina. Vasquez. Suarez. Ægidius. Medina verò Cod. de Confessione, quæst. de Confessione celanda, Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 12. Suarez disput. 33. sect. 6. Ægidius disp. 9. num. 25. & communiter Doctores docent, tunc Confessarium posse negare, addendo mentaliter, seu interiùs, *vt tibi dicam*, vel quid simile; & meritò: quia ex vna parte Confessarius potest salua veritate negare, addendo mentaliter, *vt tibi dicam*, vel quid simile; & ex altera parte est iusta & rationabilis causa ad sic negandum, quamuis interrogans ea negatione decipiatur, cùm illicitè interroget; ergo potest licitè negare, addendo dictam restrictionem mentalem: & si potest, etiam tenebitur, quando ex silentio in aliis generatur suspicio, quòd pœnitens peccatum illud commiserit.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm Confessarius frangens sigillum confessionis, incurrat ipso facto pœnam aliquam.

IN can. *Sacerdos*, de Pœnitentia dist. 6. Confessario frangenti sigillum confessionis imponitur pœna depositionis, & coactionis ad perpetuam & ignominiosam peregrinationem; & in cap. *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitentiis & remissionibus, confirmatur dicta pœna depositionis, & additur pœna perpetuæ reclusionis in aliquo Monasterio, vnde pœna illa perpetuæ & ignominiosæ peregrinationis commutata est in pœnam perpetuæ reclusionis: neutra tamen pœna, depositionis videlicet & perpetuæ reclusionis, incurritur ipso facto ante sententiam Iudicis, vt aduertunt Suarez disp. 33. sect. 8. & Ægidius disp. 9. num. 70. quia nullo fundamento constat aliquam ex eis ipso facto incurri.

Suarez. Ægidius.

Aliis verò personis distinctis à Confessario, quas etiam sigillo confessionis teneri diximus, non sunt impositæ dictæ pœnæ, vt ex dictis Iuribus constat, nec eis sunt puniendi, sed mitioribus, quia in fractione sigilli non ita grauiter peccant ac Confessarius, quamuis multò grauioribus, quàm si solùm frangerent secretum purè naturale iustitiæ.

Est tamen difficultas, An Confessarius frangens sigillum confessionis, incurrat irregularitatem.

Maiolus lib. 5. de Irregularitate cap. 19. secutus sententiam Speculatoris, affirmat, quia irregularitas includitur in depositione imposita in dictis Iuribus; imò addit, laicum, qui sine necessitate confessionem secretam audiuit, fieri irregularem, si eam reuelet. *Maiol.*

Suarez verò & Filliucius tract. 7. cap. 9. quæst. 8. negant, & meritò: quia hæc irregularitas non deducitur ex dictis Iuribus, quia depositio in ipsis imposita non incurritur ipso facto, nec aliunde deducitur. *Suarez.*

Quomodo verò probandum sit iuridicè crimen fractionis sigilli, ad Iurisperitos attinet, de quo videri potest Diaz in Practica cap. 109. Siluester v. *Confessio* 3. quæst. 9. Suarez vbi suprà, & Reginaldus lib. 3. cap. 5. num. 68. *Diaz. Silues. Suarez. Regin.*

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm pœnitens ex sigillo confessionis teneatur ad celandos defectus Confessarij in confessione commissos.

CONueniunt Doctores, pœnitentem teneri ad celandos defectus Confessarij in confessione commissos, vt imprudentem pœnitentiam, consilium minùs sanum, & alios defectus, quia saltem ad id tenetur ex secreto naturali iustitiæ.

Est tamen difficultas, An etiam ad id teneatur ex sigillo sacro confessionis.

Nauarrus in can. *Sacerdos*, de Pœnitentia, dist. 6. num. 115. partem affirmatiuam indicat, quia quod Confessarius in confessione dicit, spectare videtur ad forum confessionis, & Dei. *Nauar.*

Suarez verò disp. 33. sect. 4. Vasquez quæst. 93. art. 4. dub. 13. Ægidius disp. 9. num. 37. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia pœnitens non nouit defectus illos ex confessione Sacramentali, qua Confessarius illos subiecerit clauibus; ergo detegendo illos, quamuis iniuriam irroget Confessario, non tamen confessioni. *Suarez. Vasquez. Ægidius.*

Vnde dicti defectus, quamuis in confessione facti, non pertinent ad forum confessionis Sacramentalis, quia non fuerunt ei subiecti.

DISPVTATIO XIII.

De satisfactione secundùm se, seu ex opere operantis, pro pœna temporaria restante post remissionem culpæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm post remißionem culpæ & pœnæ æternæ, aliquando maneat pœna aliqua temporaria luenda.

HÆRETICI nostri temporis constanter negant, post iustificationem, in qua culpa simul cum pœna æterna remittitur, manere pœnam aliquam temporariam luendam. quod indicari videtur Ezechiel. 18. dum dicitur: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor:* quia si post remissam culpam per pœnitentiam puniret peccata, quamuis pœnâ tantùm temporariâ, verè diceretur recordari peccatorum. Quod etiam ratione probatur, Primò, quia Christus pro nobis plenè satisfecit; ergo nihil restat pro quo sit à nobis satisfaciendum. Secundò, quia ablatâ causâ aufertur effectus; ergo ablatâ culpâ, quæ fuit causa dignitatis totius pœnæ, nihil remanet pœnæ luendæ.

Veritas tamen Catholica est, aliquando post remissam culpam & pœnam æternam, aliquid pœnæ temporariæ luendum manere. Ita Bellarminus lib. 4. de Pœnitentia, Suarez disp. 10. sect. 3. Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 1. & Ægidius disp. 2. dub. 12. Quod desumitur ex Scriptura 2. Reg. 12. & 14. vbi dicitur fuisse remissa peccata Dauid, & tamen posteà fuit ob illa temporaliter punitus. Quod etiam dicitur de Moyse, & de Aaron, & de aliis, Num. 14. & 20. Et idem desumitur ex Patribus, ex Augustino 2. de Peccatorum meritis & remissione cap. 34. & sæpè alibi: & ex Ambrosio lib. de Pœnitentia, & ex Cypriano lib. de Lapsis, & ex Tertulliano lib. de Pœnitentia, & ex Gregorio Hom. 20. in Euangelia. Quod etiam desumitur ex vsu Ecclesiæ, in qua resurgentibus à peccatis erant præscriptæ pœnitentiæ, vt constat ex relatis Patribus, & ex Concilio Carthaginensi III. c. 31. & ex Carthaginensi IV. c. 76.

Bellarmin. Suarez. Vasquez. Ægidius. *Augusti. Ambros. Cyprianus. Tertullian. Gregorius.* *Concilium Carthag.*

Vnde veritas hæc meritò definita est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 6. cap. 14. & sess. 14. c. 8. & can. 12. & sequentibus. Et non solùm post remissam culpam mortalem, & pœnam æternam, remanet aliquando pœna temporaria luenda; sed etiam post remissam culpam venialem: imò in Purgatorio ita remittitur culpa venialis media contritione, vt media hac nihil pœnæ remittatur, quia tota soluitur media passione.

Eugen. IV. Tridentin.

In testimonio autem Ezechielis 18. pro hæreticis adducto, tantùm significatur, Deum non esse ampliùs recordaturum peccatorum pœnitentium, vt morte pœnaque æterna puniat illa.

Et ad primam rationem respondemus, Christum pro nobis plenè satisfeciisse pro pœnis temporalibus, sed non quoad efficaciam, ita vt suis meritis absque vlla nostra cooperatione immediatè dignitas pœnæ in nobis formaliter existens extinguatur, aut ea dignitate manente pœna non sit luenda, sed tantùm quoad sufficientiam, quia scilicet meruit, & quòd nobis dentur dona gratiæ, quibus efficiamus opera satisfactoria pro pœnis temporalibus, & quòd semel facta admittantur à Deo in locum pœnæ debitæ, & etiam quòd satisfactio Christi, & superabundantes Sanctorum, nobis applicentur per indulgentiam pro nostris pœnis temporalibus.

Et ad secundam respondemus, non quacumque causâ ablatâ auferri effectum, vt patet in filio, qui non aufertur ablato patre, sed tantùm ablata causa à qua effectus etiam dependet in conseruari; dignitas autem pœnæ temporariæ restantis non pendet in conseruari à culpa, quamuis ab ea dependerit in fieri.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm pœna temporaria, quæ aliquando post remißionem culpæ remanet luenda, remaneat ex natura rei, an ex sola voluntate Dei.

SCotus in 4. dist. 22. q. 1. Suarez disp. 10. sect. 3. & Ægidius disp. 2. dub. 12. docent, remanere ex sola voluntate Dei. Quod deduci videtur ex Tridentino sess. 14. c. 8. dum, quòd in Sacramento Pœnitentiæ non semper remittatur tota pœna, & quòd semper in Sacramento Baptismi, reducit in exigentiam diuinæ iustitiæ, ac proinde in solam voluntatem Dei, qui id facit quia ita exigit diuina iustitia.

Scotus. Suarez. Ægidius. Trident.

S. Thomas verò 3. p. q. 86. ar. 4. Vasquez q. 94. art. 1. dub. 3. & Ochagauia Tract. vlt. quæst. 3. docent, remanere ex natura rei, & non ex sola diuina voluntate, & meritò: quia pœna illa non remanet luenda, ex eo solùm quòd velit Deus, sed quia pœnitens post remissionem culpæ manet dignus illa, quia Deus nullum punit qui non sit pœna dignus; sed pœnitens non manet dignus quia Deus vult, sed quia ipse peccauit, & non plenè satisfecit; ergo pœna, quæ aliquando remanet luenda, remanet ex natura rei, nempe ex natura peccati, non plenè recompensati, & non ex sola voluntate Dei.

S. Thomas. Vasquez. Ochagau.

Tridentinum verò vbi suprà, reducit in exigentiam diuinæ iustitiæ (ac proinde in solam voluntatem Dei) quòd licet in Baptismo remittatur tota pœna, non tamen in pœnitentia; quia quamuis ante Baptismum regulariter peccetur ignoranter, non verò post Baptismum, sed non reducit in exigentiam diuinæ iustitiæ, & in Dei voluntatem, quòd in pœnitentia, seu post eam maneat luenda aliqua pœna temporaria, quæ aliàs ex natura rei non maneret, quod esset contra nos.

DIFFI-

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm homo iustus possit condignè satisfacere pro pœna temporaria, quæ post remissionem culpæ remanet luenda.

SAtisfactio idem est, quod recompensatio; & condigna idem, quod æqualis secundùm proportionem dignitatis, seu moraliter æquiualens; ac proinde per satisfactionem condignam pro pœna temporaria intelligimus recompensationem ipsi pœnæ æqualem secundùm dignitatem & valorem.

Conueniunt ergo Catholici contra hæreticos, hominem iustum posse bonis operibus satisfacere pro pœna temporaria aliquando restante post peccatum quoad culpam remissum. Quod definitum est in Tridentino sess. 14. cap. 8. & 9. & can. 13. & id latè probant Bellarminus lib. 4. de Pœnit. à cap. 3. Valentia disp. 7. quæst. 14. puncto 2. Suarez disput. 37. sect. 1. & Ægidius disp. 10. dub. 3.

Trident. Bellarm. Valentia. Suarez. Ægidius.

Est tamen difficultas, An homo iustus possit pro ea pœna condignè satisfacere.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, vno aut altero excepto, hominem iustum posse pro pœna temporaria aliquando restante ex peccato remisso quoad culpam, condignè satisfacere. Ita S. Thomas in 4. d. 15. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. Durandus quæst. 1. art. 2. Bellarminus c. 7. Suarez sect. 9. Ægidius num. 19. & Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 3. Quod definitum videtur à Pio V. & à Gregorio XIII. in Bulla contra Michaëlem Baium, quia in ea hæc propositio (quæ est 73.) damnata est, nempe: *Satisfactiones laboriosæ iustificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.*

S. Thomas. Durandus. Bellarm. Suarez. Ægidius. Vasquez. Pius V. Greg. XIII

Et ratione probatur, quia opera bona pœnalia iusti habent magnam proportionem ad compensandam pœnam temporalem, etiam alterius vitæ, & aliàs sunt Deo grata, & facta à persona etiam ipsi grata; ergo nihil illis deficit, vt habeant valorem & condignitatem ad recompensandam dictam pœnam, & vt ita illi pœnæ æquiualeant moraliter, vt admitti possint loco illius. Et confirmatur, quia opera bona pœnalia iusti, non habent minorem proportionem ad remissionem pœnæ temporalis, quàm ad merendam vitam æternam, sed sunt condignè meritoria vitæ æternæ, quamuis vita æterna sit ordinis superioris quàm opera huius vitæ, saltem aliqua; ergo etiam sunt condignè satisfactoria pro pœna temporali debita etiam alterius vitæ, quamuis pœna alterius vitæ sit ordinis superioris quàm pœnalitas huius vitæ, quia ad condignitatem, siue in merito, siue in satisfactione, non est necessaria æqualitas physica inter meritum & inter præmium, & inter opus pœnale & inter pœnam debitam, sed sufficit æqualitas secundùm virtutem & proportionem, qualis est inter semen & fructum, & solet esse inter pecuniam & mercem.

Vnde, vt optimè Vasquez num. 5. opere pœnali huius vitæ remissiore & breuiore, satisfieri potest pro pœna alterius vitæ multò intensiore & longiore, ea proportione, qua parua aut pauca pecunia, præsertim aurea, solet esse æquiualens magnæ aut multæ merci, quia opus pœnale huius vitæ in iusto, est quasi pecunia ad recompensandam pœnam alterius vitæ, sicut etiam est quasi semen ad gloriam tamquam ad fructum.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm ad satisfaciendum condignè pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, sit necessarius status gratiæ.

NOmine satisfactionis condignæ intelligimus non puram solutionem, seu passionem pœnæ debitæ, qua etiam debitum seu dignitas pœnæ extinguitur, quam nonnulli etiam nomine satisfactionis intelligunt, & non immeritò: quia solutio rei debitæ extinguens ipsum debitum, non incongruè dicitur satisfactio pro debito; sed intelligimus illud opus pœnale, quod quamuis non sit formaliter ipsa pœna debita, est tamen ipsi pœnæ debitæ moraliter æquiualens & sufficiens vt pro pœna debita admittatur.

Hoc ergo supposito, conueniunt communiter Doctores, & forsan nullus aduersatur, ad satisfactionem sic sumptam pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, esse necessarium statum gratiæ in satisfaciente. Ita S. Thomas in 4. d. 15. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. Bonauentura d. 15. p. 7. ar. 1. q. 3. Suarez d. 37. sect. 2. Vasquez q. 94. art. 1. dub. 4. & Ægidius disp. 10. dub. 4. Quod supponit Tridentinum sess. 14. cap. 8. illis verbis: *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, & conglorificabimur.* vbi supponit, passionem, qua satisfacimus, fieri in statu gratiæ, quia per eam dicimur nos conformari Christo qui pro nobis satisfecit, & gloriam seu conglorificationem cum Christo mereri, quæ tantùm conueniunt passioni factæ in statu gratiæ. Quod etiã supponit, dum subdit: *Omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitẽtiæ.* vbi supponit, vitam spiritualẽ supponi ad meritũ & ad satisfactionem.

S. Thom. Bonauent. Suarez. Vasquez. Ægidius. Trident.

Et ratione probatur, quia non aliter satisfacimus condignè pro pœna, quàm efficiendo opus ita condignum & moraliter æquiualens pœnæ debitæ, vt possit loco illius admitti; in quo distinguitur satisfactio strictè sumpta, de qua loquimur, à solutione pœnæ debitæ: quia hæc non fit efficiendo opus dignum & æquiualens, sed patiendo & sustinendo pœnam ipsam debitam: sed existens extra statum gratiæ, in statu peccati mortalis, nequit efficere aliquid sic dignum & æquiualens, quia in eo statu existens est dignus priuari omnibus bonis etiam temporalibus quæ possunt à Deo conferri; ergo in eo statu nequit condignè satisfacere pro pœna. Et hac ratione probatur, statum gratiæ requiri ex natura rei, & non ex sola Dei voluntate, ad satisfactionem condignam pro pœna, quia extra eum in statu peccati mortalis nequit opus pœnale euadere condignum, & validum ad compensandam pœnam debitam.

Addimus, quòd quamuis opera bona pœnalia existentis in statu peccati, sint satisfactoria de congruo in actu primo pro dicta pœna (id est quòd habeant aliquam congruentiam, quamuis non sufficientiam, nec moralem æquiualentiam, vt assumantur in loçũ pœnæ debitæ) de facto tamen &

in

in actu secundo nullo dicto opere satisfit Deo, aut, quod idem est, de facto nullum tale opus admittitur à Deo in locum pœnæ alterius vitæ, sicut de facto pro nullo opere bono peccatoris confertur immediatè gloria, quamuis sit meritorium de congruo illius. Addimus, *alterius vitæ*, quia Deus aliquando ob pœnitentiam peccatoris auertit malum, quod aliàs ob peccatum esset illi in hac vita immissurus, siue illud auertat ob pœnitentiam peccatoris, tamquam ob meritum de congruo non punitionis (quod potiùs est peccatorem mereri remissionem pœnæ quàm pro ea satisfacere) siue tamquam ob satisfactionem de congruo, illam ob ipsius congruentiam admittendo in locum illius mali (quod est propriè satisfacere, quamuis latè & non strictè) siue vtroque modo.

Sed an opera bona pœnalia, facta in statu peccati, posteà adueniente gratia & charitate fiant satisfactoria de condigno, sub controuersia est.

S. Thomas. Non defuerunt qui id affirmauerint, & docuisse videtur S. Thomas in 4. d. 15. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. quando ex opere bono pœnali relinquitur aliquis effectus, vt quando ex ieiunio aut ex flagellatione relinquitur carnis maceratio.

Vasquez verò, Suarez & communiter Doctores id negant, & meritò: quia non fiunt meritoria de condigno ex natura rei, vt patet, neque fieri possunt talia ex lege aliqua Dei, sicut nec fieri meritoria de condigno vitæ æternæ, quia nulla lege Dei aduenit operibus valor aliquis.

S. Thomas. Bonauen. Suarez. Vasquez. Ægidius. Trident.

S. Thomas autem vbi suprà tantùm voluit, effectum ex dictis operibus relictum, si in statu gratię acceptetur, & placeat ipsi iam iusto, fieri satisfactorium de condigno, & non tam ipsum quàm acceptationem ipsius.

Addimus, quòd licet opera bona pœnalia iusti in alia vita facta, sint satisfactoria in actu primo, pro dicta pœna restante, quia ad id absque fundamento requiritur status viatoris, & multò minùs quàm vt opus sit meritorium in actu primo respectu gloriæ, de quo in Tractatu de Gratia, non tamen satisfaciunt in actu secundo, nisi quæ fiunt in statu viæ; quia quæ fiunt in alia vita, non admittuntur à Deo in locum pœnæ debitæ, sed tantùm quæ fiunt in hac vita; sicut etiam tantùm retribuit gloriam pro operibus factis in hac vita, & sicut etiam punit peccata facta in hac vita, & non quæ fiunt in inferno.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm existens in peccato mortali, adhuc damnatus, passione pœnæ temporalis restantis ex peccato quoad culpam remisso, liberetur à debito talis pœnæ.

Vasquez. Curiel. VAsquez q. 94. art. 1. dub. 4. & 1. 2. disp. 141. & Curiel q. 87. art. 5. docent, existentem in peccato mortali, quamuis nondum damnatum, non liberari à debito pœnæ restantis ex peccato remisso quoad culpam passione illius pœnæ; quia solutio pœnæ apud Deum debet esse satisfactoria, aliàs per pœnalitates huius vitæ solueremus pœnam debitam pro peccatis, quamuis eas impatienter toleraremus: passio autem pœnæ in statu peccati mortalis non est satisfactoria, & multò minùs in inferno; ergo.

S. Thomas. Scotus. Durandus. Gabriel. Nauarrus. Vega. Medina. Ægidius. Lorca. S. Thomas verò in 4. dist. 2. q. 1. art. 1. ad 5. Scotus dist. 21. q. 1. Durandus q. 2. Gabriel d. 16. q. 5. art. 3. dub. 2. Nauarrus de Pœnitentia dist. 6. cap. 1. n. 46. Vega 4. in Triden. c. 6. Medina Cod. de Satisfactione q. 2. Ægidius disp. 10. dub. 5. & Lorca 1. 2. disp. 55. docent, existentem in peccato mortali, quamuis iam damnatum, passione pœnæ temporalis restantis ex peccato quoad culpam remisso, liberari à debito & dignitate illius, & ita vt ampliùs ob illud non puniatur, nec inferno, nec extra, & meritò: quia qui verè soluit pœnã quam debet, liberatur à debito illius, & illud extinguit; ergo qui patitur totam pœnam temporalem restantem quam ob peccatum pati debebat, quamuis existat in mortali & in inferno, liberatur à debito illius, & illud extinguit, quia passione illa verè soluit & patitur, quod debet soluere & pati, cùm tantùm debeat pati pœnam illam, siue in statu gratiæ, siue extra illum, & non determinatè in statu gratiæ, quia hoc absque fundamento dicetur, imò contra rationem, quia aliàs damnatus non lueret pœnam debitam, cùm illam non patiatur in statu gratiæ. Ex quo constat, damnatum non puniri in æternum ob peccatum quoad culpam remissum, siue veniale, siue mortale, quia ex vtrouis quoad culpam remisso, tantùm restat debitum pœnæ temporalis, quod tandem passione illius extinguitur.

Ad rationem ergo aduersariorum constat apud Deum solui posse pœnam, passione non satisfactoria; imò etiam pœnalitatibus in hac vita impatienter toleratis, si à Deo immittantur, aut ordinentur in punitionem peccati, quamuis eis impatienter toleratis nullus strictè satisfaciat pro pœna debita. Addimus, *si à Deo immittantur, aut ordinentur in punitionem peccati*, quia tantùm tunc passio pœnalitatis est pœna, quia pœna est malum inflictum, aut ordinatum in punitionem peccati, ab eo ad quem pertinet punitio actiua, seu punire.

Addunt Scotus, Gabriel, Vega, Medina & Nauarrus §. *Sacerdos*, n. 27. & non absque probabilitate aliqua, existentem in peccato mortali, etiam damnatum, passione pœnæ temporalis debitæ ob peccatum veniale, quamuis nullatenus remissum, si à Deo immittatur, aut ordinetur in punitionem illius (vt semper ordinatur in damnato) extinguere debitum pœnæ pro illo (quod verè sentit Ægidius dub. 6.) quia ex vna parte peccatum veniale, quamuis non remissum quoad culpam, solùm est dignum pœna temporali, quam verè soluit, & ex altera parte, ex culpa antiqua & præterita habitualiter tantùm permanente, non pullulat noua aliqua dignitas pœnæ.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm condigna satisfactio pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, possit fieri per opera non pœnalia.

Scotus. Gabriel. Sotus. Victoria. Vasquez. Ægidius. SCotus in 4. d. 15. q. 1. Gabriel d. 16. quæst. 2. art. 1. Sotus dist. 19. quæst. 2. art. 1. Victoria in Summa num. 202. Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 5. & Ægidius disp. 10. dub. 4. num. 29. docent, posse fieri per quæcumque opera bona iusti, etiam non pœnalia (si aliqua sunt non pœnalia) quia satisfactio, quæ fit Deo pro pœna temporali,

vtpote distincta à solutione, non fit soluendo pœnam debitam, nec aliquid æquiualens, sed condignè merendo apud Deum non puniri: iustus autem quocumque opere bono, quamuis non pœnali, condignè meretur apud Deum non puniri, quia quocumque meretur gloriam, ac proinde etiam remissionem pœnæ, ordinatam ad gloriam ad quam habet quasi ius; imò non minùs quàm opere bono pœnali, quando non pœnale non est minus bonum quàm pœnale, quia quando non est minus bonum, non est minùs meritorium gloriæ, quia ratione bonitatis est meritorium gloriæ, ac proinde non est minùs meritorium nõpunitionis.

S. Thomas. Durandus. Maior. Adrianus. Viguer. Ochagau. S. Thomas verò in 4. d. 15. q. 1. art. 4. quæstiun. 1. Durandus q. 1. Maior q. 2. dub. 2. Adrianus q. 4. de Satisfactione, Viguerinus in Summa cap. 16. & Ochagauia tract. vlt. q. 5. docet, & meritò: satisfactionem condignam pro pœna temporali restante, tantùm posse fieri per opera bona pœnalia, & non per opera bona non pœnalia (si aliqua sunt non pœnalia) quod significat Tridentinum sess. 14. c. 8. illis verbis, *Dum satisfaciendo patimur pro peccatis*; & indicatur in Scriptura, in qua quoties exhortamur ad satisfactionem pro peccatis, exhortamur ad opera pœnalia. Ioëlis 2. Matth. 11. & 1. ad Corinth. 11. & sæpè alibi.

Trident.

Et ratione probatur, quia condigna satisfactio pro pœna debita, vt à rigorosa solutione pœnæ debitæ distinguitur, qua ipsissima pœna soluitur, non aliter fit quàm efficiendo aliquid condignum seu moraliter æquiualens ipsi pœnæ debitæ (ob quod etiam quodammodò dici potest solutio, & in Tridentino cap. illo 8. dicitur exsolutio, & dici potest recompensatio) sed solùm opus bonum pœnale potest esse condignum seu moraliter æquiualens pœnæ debitæ, quia ipsum solum habet proportionem ad id, cùm ipsum solum sit pœnalitas; ergo per solum opus bonum pœnale potest fieri condigna satisfactio pro pœna temporali debita restante.

Trident.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, condignam satisfactionem pro pœna temporali restante, fieri efficiendo aliquid condignum seu moraliter æquiualens ipsi pœnæ restanti; & non fieri strictè merendo de condigno non puniri, quianullum opus bonum iusti id meretur strictè de condigno, quamuis sic mereatur gloriam; quia nonpunitio non est aliquid ex natura rei ordinatum ad gloriam adipiscendam, sicut est augmentum gratiæ habitualis, quod est ius vel quasi ius ad maiorem gloriam, & ideò opus meritorium gloriæ, etiam est meritorium gratiæ habitualis.

Ex dictis deducitur, opus bonum iusti, quod est magis pœnale, esse magis satisfactorium pro pœna quàm opus bonum, quod est minùs pœnale, quamuis sit magis bonum, etiamsi hoc sit magis meritorium gloriæ quàm illud.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm condigna satisfactio pro pœna temporali restante fieri possit per flagella à Deo immissa.

COnueniunt Doctores, per flagella à Deo immissa (siue ab ipso solo, siue etiam à creatura) si patienter tolerentur, satisfieri condignè pro pœna temporali restante post remissum peccatum, vt definitur in Tridentino sess. 14. cap. 9. & can. 13. *Trid.*

Est tamen difficultas, An tunc satisfactio correspondeat soli patientiæ seu tolerantiæ interiori, an etiam passioni seu flagello exteriori; id est, an satisfaciamus tantùm per actum internum patientiæ, an etiam per ipsam passionem exteriorem. Procedit autem difficultas tantùm, quando passio immittitur à Deo independenter à voluntate patientis; quia quando immittitur dependenter ab illa vt contigit Christo, & contingit his qui patiuntur quia non negant Christum, tunc absque dubio etiam satisfit per ipsam passionem exteriorem, quia tunc passio exterior verè est voluntaria, libera & humana, vtpote dependens à voluntate potente impedire passionem ipsam.

Suarez. Ægidius. Filliucius. Suarez ergo disp. 37. sect. 7. Ægidius disp. 10. num. 25. & Filliucius Tract. 8. cap. 2. quæst. 9. docent, satisfactionem tunc fieri non solùm per actum interiorem patientiæ, sed etiam per passionem exteriorem à Deo immissam, quamuis in suo esse independentem à voluntate patientis. Quod indicare videtur Tridentinum, dum absolutè ait satisfieri per flagella à Deo immissa, & patienter tolerata. Et ratione probatur, quia licet ea passio exterior non proueniat ab homine patiente, eam tamen acceptando efficit moraliter propriam; ergo etiam satisfacit per eam. *Trident.*

Medina. Vasquez. Ochagauia. Medina verò Cod. de Satisfactione, quæst. 5. Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 7. & Ochagauia Tract. vltimo, quæst. 6. docent, satisfactionem tunc tantùm fieri per actum internum patientiæ, & non per passionem ipsam exteriorem à Deo immissam, independenter à voluntate patientis; & meritò: quia satisfactio pro pœna debita, fit efficiendo aut patiendo aliquid pœnale eius dignitatis & valoris, vt moraliter æquiualeat pœnæ debitæ; passio autem in suo esse independens à voluntate patientis, seu immissa independenter ab eius voluntate, nullam habet dignitatem moralem, quia non est voluntaria & humana, quia quamuis acceptetur à voluntate, & ideò sit volita tamquam purum obiectum, non tamen est ab ipsa tamquam à principio, vt effectus ipsius, nec ea acceptatione fit aliquo modo effectus illius; voluntarium autem est, quod est à principio intrinseco tamquam effectus. Nihilominùs dicimur per flagellum patienter toleratum satisfacere, quia per illud vt patienter toleratum, id est per tolerantiam passionis seu flagelli, satisfacimus; & tantò magis, quantò patientia interior est maior: est autem maior, quando ceteris paribus ex parte intensionis & durationis versatur circa maius flagellum, & quando circa æquale, si quis illud sine sua culpa patitur.

Medina. Addimus tamen, vt optimè Medina, per eam passionem exteriorem à Deo immissam intentione puniendi, exsolui debitum pœnæ, siue in totum siue in partem, ita vt illud extinguat aut minuat: imò etiam addimus, passione in statu gratiæ voluntariè assumpta, non solùm strictè satisfieri pro debito pœnæ, sed etiam ea passione strictè solui pœnam debitam, si à Deo ordinetur in punitionem, quia valor & dignitas moralis ad satisfaciendum non obest rationi solutionis, quam tunc habet passio illa.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm condigna satisfactio pro pœna temporali restante possit fieri per opera præcepti.

Maior. Saludan. MAior in 4. dist. 15. quæst. 2. dub. 1. & Paludanus quæst. 1. art. 2. partem negatiuam tuentur, Primò, quia qui ex vno titulo aliquid debet, quando aliud nouum debitum ex alio titulo aduenit, non satisfacit vtrique debito, opere debito ex vno titulo, vt patet in debitis pecuniarijs: qui enim ex vno titulo iustitiæ debet quinquaginta, & ex alio debet etiam quinquaginta, non satisfacit ambobus debitis, solis quinquaginta, sed centum; ergo debito operis orto ex præcepto, nequit satisfieri debito pœnæ orto ex peccato.

Secundò, quia aliàs Confessarius posset in pœnitentiam Sacramentalem iniungere opus aliàs præceptum, quod videtur falsum. Prædictam doctrinam limitat Siluester v. *Satisfactio*, q. 8. vt tantùm sit vera de opere præcepto Iure naturali; quia opere præcepto Iure tantùm positiuo, existimat satisfieri posse debito pœnæ.

Adrianus. Suarez. Vasquez. Adrianus verò in 4. quæst. 3. de Satisfactione, Suarez disp. 37. sect. 4. Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 3. & communiter Doctores, partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia aliàs, qui mortem patitur à tyranno, quia non negat Christum, non satisfaceret pro dicta pœna, cùm tunc eam patiatur ex præcepto naturali religionis. Et ratione à priori probatur, quia opera bona pœnalia iusti, ex eo quòd sint præcepta, non desinunt habere proportionem ad compensandam eam pœnam, quia non desinunt esse humana, seu libera, & pœnalia, & bona, & Deo grata, & facta à persona ipsi Deo grata; ergo ex eo quòd sint præcepta, non desinunt esse condignè satisfactoria pro ea pœna. Et confirmatur, quia opera bona pœnalia iusti, quamuis præcepta, non habent minorem proportionem ad satisfaciendum pro dicta pœna, quàm ad merendum vitam æternam; sed ex eo quòd sint præcepta, non desinunt esse meritoria vitæ æternæ, vt definitur in Tridentino sess. 6. can. 10. & 16. ergo nec desinunt esse satisfactoria pro dicta pœna. *Trident.*

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondetur, quòd licet duobus debitis ex iustitia, nequeat satisfieri ex iustitia solutione vni tantùm debito æquali, quia illis debet satisfieri ex iustitia, ac proinde ad æqualitatem in qua consistit iustitia, & inter illa duo debita ex vna parte, & inter illam solutionem ex alia non est æqualitas; duobus verò debitis, quando vtrumque non est iustitiæ, optimè potest satisfieri vno tantùm opere debito ex diuersis titulis, quamuis vnus sit iustitiæ (vt exsistenti in extrema necessitate corporali, cui ex titulo misericordiæ debitus est panis, quamuis aliàs sit debitus ex iustitia vtrique debito, satisfit illo solo pane) ac proinde debito pœnæ, quamuis sit instar debiti ex iustitia commutatiua, satisfieri potest opere aliàs debito ex præcepto.

Ad secundam concedimus, Confessarium posse in pœnitentiam iniungere opus præcepti, imò aliquando expedire, attenta fragilitate pœnitentis: nihilominùs, quoties opus aliquod absolutè in pœnitentiam imponitur, vt ieiunium, vel auditio Missæ, intelligitur de opere quod non est pœnitenti in præcepto, dum oppositum ex circumstantijs non conijcitur, de quo Disputatione XIV. Difficultate VIII.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm ad condignam satisfactionem pro pœna temporali restante requiratur acceptatio Dei.

SVpponimus, in operibus bonis pœnalibus iusti esse dignitatem & valorem ad satisfaciendum pro pœna temporali restante, vt diximus Difficult. III. Imò etiam absque pacto aliquo, & promissione Dei, quia ex nullo pacto & nulla promissione aduenit dictis operibus valor aliquis, nec dignitas.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An opera bona pœnalia iusti habentia dictam dignitatem & valorem, ratione cuius sunt satisfactoria in actu primo pro dicta pœna, vt de facto & in actu secundo satisfaciant pro ea, sit necessaria acceptatio & noua voluntas Dei, qua illa opera accepret in locum pœnæ temporalis restantis, seu in satisfactionem pro illa.

Vasquez. Vasquez quæst. 94. art. 1. dub. 3. & 1. 2. disp. vlt. cap. 3. docet, opera satisfactoria iusti ex natura rei satisfacere de facto & in actu secundo pro dicta pœna, & extinguere debitum seu dignitatem illius, absque eo quòd ad id sit necessaria acceptatio aliqua Dei, quia dicta opera ex se, absque acceptatione aliqua superaddita Dei, sunt condigna vt iustus non puniatur pœna illa; ergo formaliter absque acceptatione Dei reddunt ipsum iustum dignum quòd non puniatur ea pœna; ergo iustus absque acceptatione aliqua Dei, per opera illa fit & manet non dignus pœna illa; ergo opera illa absque acceptatione Dei auferunt & extinguunt dignitatem & debitum illius, cùm efficiant iustum non dignum puniri.

Suarez. Ægidius. Ochagau. Suarez verò disp. 37. sect. 8. Ægidius disp. 2. num. 121. & disp. 10. dub. 3. & 4. & Ochagauia quæst. 4. docent, & meritò, opera satisfactoria iusti pro pœna temporali restante, de facto & in actu secundo non satisfacere pro illa, absque acceptatione superaddita Dei, qua acceptet illa opera in compensationem pro pœna illa. Quod indicat Tridentinum sess. 14. cap. 8. dum ait, satisfactiones nostras à Christo offerri Patri, & per illum acceptari à Patre; quo supponit, acceptationem satisfactionum nostrarum, esse gratiam nouam & superadditam, factam nobis à Deo ex meritis Christi: & cap. 9. dum ait, esse maximum amoris argumentum, vt flagellis à Deo immissis, & à nobis patienter toleratis, satisfacere valeamus; quo etiam supponit esse nouum amorem, & nouum fauorem, flagella à Deo immissa, & à nobis patienter tolerata, satisfacere in actu secundo pro pœnis debitis restantibus ex peccatis quoad culpam remissis. *Trident.*

Et ratione probatur & declaratur, quia condigna satisfactio in actu primo pro pœna debita restante, non fit, efficiendo opus dignum non puniri ea pœna, quia in operibus iusti etiam pœnalibus, non agnoscitur alia dignitas quàm gloriæ & etiam gratiæ sanctificantis, quia suâ naturâ est ius aut quasi ius ad gloriam, sed tantùm fit efficiendo opus condignum & moraliter æquiualens pœnæ

debitæ, ac proinde sufficiens vt nihilo pœnæ remisso admittatur in locum pœnæ debitæ restantis. Et ideò satisfactio iusti dicitur in Tridentino solutio seu exsolutio, quæ non ita propriè diceretur solutio, si non fieret efficiendo aliquid æquiualens pœnæ debitæ, sed efficiendo aliquid dignum non punitione debita. Opus autem istud sic condignum, seu æquiualens, ex se ipso non extinguit debitum pœnæ, seu pœnam debitam, quia opus illud non est quod debetur in pœnam, etiam si ei æquiualeat; ergo vt eo in actu secundo & de facto fiat satisfactio pro pœna debita, necessaria est acceptatio, qua Deus, cui incumbit punitio, admittat illud opus in locum illius pœnæ; & absque ea acceptatione non extinguitur debitum seu dignitas pœnæ: sicut qui debet domum, non satisfacit in actu secundo per pecuniam æquiualentem domui, absque acceptatione & voluntate illius cui debita est domus, nec extinguit debitum domus.

Ex quo ad rationem aduersariorum constat, eius primum Antecedens esse falsum, nempe opus bonum pœnale iusti ex se esse condignum, vt iustus non puniatur pœna debita restante; & addimus, quòd quamuis sit verum, etiam erit necessaria acceptatio Dei, vt opus illud fiat satisfaciens in actu secundo, id est, vt inducat in actu secundo Deum vt non puniat ea pœna debita: quia licet admittamus, opus illud ex se esse condignum non punitione debita iusti, & eum reddere dignum vt non puniatur ea pœna debita, non tamen destruet dignitatem illius pœnæ, nec efficiet iustum non dignum ea pœna, quia vtraque dicta dignitas compossibilis est, etiamsi termini earum, nempe puniri & non puniri, sint incompossibiles, & contradictoriè opponantur; optimè enim compati possunt aliquem ab vno actu peccati remissi, esse dignum pœna, & ab alio actu bono superueniente fieri dignum vt non puniatur ea pœna (sicut optimè compatitur, aliquem ob vnicũ finem desiderare mortem patris, & ob alium finem desiderare quòd non moriatur) etiamsi nequeant vtramq; partem contradictionis simul efficaciter intendere, quia nequit vtraque simul fieri, & intentio efficax ad id conatur. Vnde peccator, qui eo ipso est dignus pœna æterna damni, seu carentia æterna visionis Dei, & posteà iustificatur, & eo ipso fit dignus æterna visione Dei, non desinit esse dignus carentia æterna visionis Dei formaliter, quia fit dignus æterna visione Dei, sed quia culpa mortalis, à qua dignitas æternæ carentiæ visionis Dei dependet etiam in conseruari, destruitur per formam iustificantem, & quia dignitas æternæ visionis Dei, orta ex opere bono iusti, non destruitur per peccatum mortale subsequens, sicut nec opus ipsum bonum, à quo facto, & non remunerato, dependet in conseruari; sed tantùm mortificatur & impeditur quoad adeptionem visionis Dei, & quoad hoc quòd denominet ipsum hominem dignum æterna visione Dei, vt diximus Disput. 11. Diffic. XXIII. & docuit S. Thomas in 4. d. 22. q. 1. art. 1. ad 6. S. Thom. Ideò in actibus illius peccatoris manent simul dignitas æternæ carentiæ visionis, & dignitas æternæ visionis, quamuis hæc non maneat expedita, sed impedita & mortificata quoad duo prædicta, quamdiu manet peccatum mortale; & tantùm ab hoc, & non à dignitate æternæ carentiæ visionis, ac proinde etiam admisso eo primo Antecedente, erit necessaria acceptatio Dei, qua velit non punire iustum pœna illa qua verè dignus est.

Obseruandum est, Deum de facto & in actu secundo semper acceptare satisfactionẽ condignam iusti, in compensationem pœnæ debitæ pro peccato quoad culpam remisso, aliàs infligendæ in alia vita; non tamen semper in compensationem pœnæ infligendæ in hac vita, sed etiam aliquando infligere, vt sic à peccando deterreat; & numquam acceptare satisfactionem condignam iusti in compensationem pœnæ debitæ pro peccato veniali non remisso quoad culpam aliàs infligendæ in alia vitæ.

Sed an vnus iustus possit suis priuatis operibus condignè satisfacere pro alio iusto pro pœna temporali restante post remissionem peccati, quod non pauci docent, an tantùm de congruo, quod alijs magis arridet, examinatur in Tractatu de Suffragijs.

DISPVTATIO XIV.

De satisfactione Sacramentali pro pœna debita.

SAtisfactionem Sacramentalem, seu iniunctam à Confessario, esse partem, & non essentialem, sed tantùm integralem Sacramenti Pœnitentiæ, diximus Disput. IV. Difficultate 1.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Confessarius possit obligare pœnitentem ad impletionem pœnitentiæ iniunctæ.

Scotus. Gabriel. Siluester. Nauarrus. Medina. Reginald.

SCOTVS in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 1. Gabriel quæst. 1. artic. 3. dubio 1. Siluester v. *Confessio* 1. quæst. 25. Nauarrus cap. 26. num. 21. Medina Cod. de Satisfactione qu. 6. & Reginaldus lib. 7. cap. 1. n. 15. partem negatiuam tuentur, quia non potest obligare pœnitentem ad admittendam seu acceptandam pœnitentiam iniunctam, tum quia in non admittendo illam, nulli facit iniuriam, quamuis absoluatur, si pœnam debitam pro peccatis confessis velit in Purgatorio luere; tum etiam, quia aliàs, qui plurima peccata mortalia confessus est, posset obligari ad acceptandam grauissimam pœnitentiam, quod videtur rigidum. Addunt tamen prædicti, pœnitentem teneri ad implendam pœnitentiam sibi iniunctam, si eam acceptat, quia eo se subijcit Confessario tamquam iudici & superiori, ac proinde tenetur ei obedire.

S. Thomas verò in 4. dist. 18. quæst. 1. artic. 3. quæstiuncula 3. Suarez disp. 38. sect. 7. Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 1. Ægidius disp. 10. dub. 9. Ochagauia Tract. vlt. quæst. 8. & communiter Doctores docent, & meritò, Confessarium posse obligare pœnitẽtem ad impletionem pœnitentiæ. *S. Thom. Suarez. Vasquez. Ægidius. Ochagauia.*

Quod

Trident. Quod definitum videtur in Tridentino sess. 12. cap. 8. & can. 15. dum dicitur, in Sacerdotibus esse potestatem & clauem non solùm ad absoluendum, sed etiam ad ligandum; intelligit autem ad pœnitentiam iniunctam, vt patet ex contextu. Id verò quod respondet Nauarrus, potestatem ad ligandum ad pœnitentiam esse potestatem ad taxandam illam, ridiculum est: quia nullus sola taxatione pœnæ, quam alter potest liberè non admittere, dicitur ad pœnam ligare. Et ratione probatur, quia Sacerdotibus collata est potestas perfecta ad iudicandum de peccatis confessis; ergo non tantùm est ad absoluendum à peccatis, sed etiam ad obligandum ad pœnam pro debito pœnæ relicto post illorum absolutionem, aliàs non esset illis collata potestas perfecta, sed imperfecta, quia non esset ad omnimodam & perfectam remissionem peccatorum. Et confirmatur, quia impositio pœnitentiæ, sicut absolutio, est vera sententia, vtpote procedens à Confessario vt à iudice, sententia autem iudicis vim habet præcepti & obligandi.

Vnde Confessarius non tantùm potest obligare ad pœnitentiam, sed etiam semper obligat, quoties oppositum ex verbis non conijcitur, imò non potest non obligare, vt dicemus Diffic. 111.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd licet pœnitens non acceptando pœnitentiam nulli faciat iniuriam, facit tamen contra præceptum Confessarij, cui, vtpote iudici & superiori, obedire tenetur, etiam quando pœnitentia iniuncta est grauissima, si, attentis peccatis confessis, & fragilitate pœnitentis, non sit excessiua, quia tunc non est rigidum ad illam obligare.

Pœnitens ergo sub peccato tenetur ad impletionem pœnitentiæ sibi iniunctæ: imò & sub mortali, quando pœnitentia iustè iniuncta est grauis, v. g. audiendi aliquas Missas, vt contra Caietanum tom. 1. Opusculorum tract. 6. quæst. 2. ad-
Vasquez. Suarez. Ægidius. uertunt Vasquez, Suarez, Ægidius, & communiter Doctores; quia violatio cuiuscumque præcepti rei grauis, est grauis, & grauiter dissonans rationi; & ob eamdem rationem tenetur sub mortali ad impletionem pœnitentiæ iniunctæ pro mortalibus anteà legitimè confessis, aut pro venialibus, quando est grauis (vt esse potest) vt contra Nauarrum cap. 21. num. 43. & contra Viualdum de Satisfactione num. 26. aduertunt Ægidius vbi suprà,
Ægidius. Henriquez. & Henriquez lib. 5. cap. 20. Tenetur autem pœnitens sub mortali ad impletionem pœnitentiæ grauis, quamuis Confessarius tantùm velit obligare pœnitentem sub veniali, vt contra Medinam
Vasquez. Ægidius. Ochagau. & contra Suarez aduertunt Vasquez, Ægidius & Ochagauia: quia sicut non est in voluntate Superioris, non obligare, supposito quòd vult præcipere, quia obligatio oritur necessariò ex præcepto semel posito; ita etiam non est in potestate Superioris, non obligare sub mortali, supposito quòd vult rem grauem præcipere, quia ex præcepto rei grauis semel posito, oritur necessariò obligatio sub peccato graui seu mortali, quia tota obligatio præcepti oritur necessariò ex ipso semel posito.

Quando verò pœnitentia iniuncta est leuis, v. g. recitandi decem Salutationes Angelicas, & vnam Orationem Dominicam, eius omissio tantùm erit leuis seu venialis, sicut omissio cuiuscumque alterius præcepti rei leuis, vt docent communiter Doctores: ex eo verò quòd omissione illius non perficiatur Sacramentum Pœnitentiæ, ipsi non irrogatur grauis irreuerentia, quia ex defectu impletionis pœnitentiæ adhuc grauis non deficit Sacramento perfectio aliqua essentialis, sed tantùm integralis & valdè extrinseca ipsi. Et ob eamdem rationem omissio partis leuis, pœnitentię grauis, tantùm erit venialis, sicut omissio partis leuis cuiusque alterius præcepti rei grauis. In omissione autem pœnitentiæ adiunctæ, ad minus erit duplex malitia distincta, altera sacrilegij contra religionem, & reuerentiam Sacramento debitam, quæ numquam erit mortalis, quamuis pœnitentia omissa sit grauis, quia defectus numquam erit grauis, quia est defectus partis tantùm integralis & valdè extrinsecæ; altera contra iustitiam vindicatiuam, intuitu cuius pœnitentia iniungitur à Confessario, quæ potest esse mortalis, vt nuper dicebamus, & quando etiam iniungitur in medelam contra aliquod peccatum, erit etiam alia tertia malitia illius peccati contra quod iniuncta est, quæ erit grauis aut leuis, pro grauitate aut leuitate pœnitentiæ iniunctæ.

Circa tempus in quo pœnitens teneatur implere pœnitentiam, certum est, teneri tempore præscripto à Confessario, si illud præscripsit. Quòd si tunc illam non impleat, etiam tenetur posteà illam implere, quia semper (etiam quando aliquando iniungitur in honorem diei præscripti) iniungitur in vindictam peccatorum confessorum. Si verò à Confessario nullum præscribitur tempus, implenda est quàm primùm moraliter commodè
Suarez. possit (vt aduertunt Suarez sect. 7. & Ægidius
Ægidius. dub. 9.) nisi aliud ex verbis aut ex circumstantiis conijciatur voluisse Confessarium. Ita tamen obligat quàm primùm moraliter commodè possit, vt non quæcumque dilatio impletionis pœnitentiæ grauis, sit mortalis, nisi sit nimia seu grauis: & quoad hoc idem est quando differtur pœnitentia post tempus à Confessario præscriptum, nisi quòd tunc dilatio potest aliquando esse mortalis, quando pœnitentia grauis fuit præscripta in aliquo die in honorem festiuitatis illius diei, si differatur post illum, quamuis non semper, nisi quando defectus honoris censetur grauis. Addit Ochagauia, tunc dilationem pœnitentiæ grauis esse nimiam & grauem, quando differtur vltra tertiũ diem: sed scrupulosè procedit, quia hæc dilatio non videtur nimia, imò nec vltra octauum diem (præsertim quando res in pœnitentiam iniuncta non potest commodè fieri, vt flagellatio) nisi quando res in pœnitentiam iniuncta esset valdè grauis, & posset commodè impleri, quia etiam ex rei grauitate crescit grauitas dilationis, sicut ex defectu commoditatis implendi illam decrescit grauitas dilationis. Nihilominùs taxationem grauitatis dilationis pœnitentiæ grauis, doctioribus remittimus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Confessarius teneatur pœnitentiam imponere.

Trident. COnueniunt Doctores, Confessarium absoluentem pœnitentẽ regulariter teneri pœnitentiam aliquã imponere. Quod significat Tridentinũ sess. 14. c. 8. Tenetur autẽ ad id, Primò ex virtute religionis, vt perficiat Sacramentũ Pœnitẽtię;

quia Pœnitentia seu satisfactio est pars integralis illius: & ex hac virtute tantùm tenetur sub peccato veniali sacrilegij. Secundò etiam tenetur ex iustitia vindicatiua, vt in hoc iudicio Sacramentali æquitatem seruet, quia in eo est verus iudex; & ex hac virtute tenetur sub mortali, quando iniungenda est pœnitentia grauis. Et aliquãdo Tertiò etiam tenetur ex aliqua alia virtute, quando scilicet est maximè conueniens ad medelam pœnitentis contra aliquod peccatum, quod timetur committendum à pœnitente; quia etiam ad hoc tenetur peculiariter ratione officij medici spiritualis, quod in hoc iudicio etiam exercet. Tenetur autem tunc ex illa virtute contra quam futurum est peccatum quod timetur, in cuius medelam iniungenda est pœnitentia; & tenetur ex ea virtute, non primariò, sicut tenetur pœnitens non peccare contra illam; sed secundariò, ne pœnitens contra illam peccet: & ex hac tenetur sub mortali, quando iniungenda est in medelam contra peccatum mortale.

Addidimus, Confessarium absoluentem pœnitentem regulariter teneri pœnitentiam aliquam ei imponere; quia aliquando non tenetur, Primò, quando pœnitens est in articulo mortis, & est incapax receptionis aut impletionis pœnitentiæ, vel quia amisit sensum, vel aliter; quia tùc prospiciendum est potiùs pœnitenti eum absoluendo, quia in eius vtilitatem institutum est Sacramentum Pœnitentiæ, quàm perfectioni integrali, & tam valdè extrinsecæ Sacramento: si verò capax sit receptionis & impletionis pœnitentiæ, imponenda est aliqua pœnitentia, quamuis leuis, quam tunc possit exequi, & etiam alia sub conditione *si viuat*, si illa leuis non sufficiat, attenta grauitate peccatorum, quam, si forsan vixerit, impleat.

Secundò Confessarius potest absoluere pœnitentem, nullam illi imponendo pœnitentiam, quando ex confessione pœnitentis & ex alijs indicijs prudenter conijcit & credit, pœnitentem iam satisfeciſſe pro peccatis confessis, si aliàs non sit necessaria ad cautionem in futurum, quia tunc ex nullo titulo tenetur pœnitens pœnitentiam adimplere, quia non ob satisfactionẽ pro peccatis, nec ob cautionem in futurum, vt supponimus; nec tenetur vt perficiatur integraliter Sacramentum, quia perfectio hæc non est debita nisi in satisfactionem, vel in medelam, vel in vtramque. Nihilominùs quia in hoc iudicio facilè potest Confessarius errare, consultius erit, quamuis non necessarium, tunc aliquam imponere pœnitentiam.

Tertiò Confessarius potest pœnitentem absoluere, nullam illi imponendo pœnitentiam, quando pœnitens lucratur Indulgentiam plenariam, vt contra Henriquez lib. 5. c. 22. & contra Ochagauiam q. 14. aduertunt Toletus l. 6. c. 23. Viualdus de Satisfactione num. 26. & Sà v. Satisfactio n. 2. quia tunc impositio pœnitentiæ non est necessaria ad satisfactionem pro pœna temporali, quia remittitur aut remissa est per plenariam Indulgentiam, & aliàs potest non esse necessaria in medelam.

Toletus. Viualdus. Sà.

Obseruandum est, in quo Doctores communiter conueniunt, pœnitentiam posse pro arbitrio Confessarij imponi ante absolutionem, vel post eam, dummodò, quando imponitur post, imponatur ante discessum pœnitentis, vt in eodẽ iudicio imponi censeatur, quod in absolutione finitur: conuenientius tamen esse, in confessione grauium peccatorum pœnitentiam ante absolutionem imponere, vt pœnitens spe absolutionis magis acquiescat conuenienti pœnitentiæ; quod etiam ipsi pœnitenti est eligibilius, vt si nolit pœnitentiam admittere, possit non recipiendo absolutionem ad alium Confessarium confugere (quod licitè potest facere, quamuis pœnitentia sit iusta & prudens) quia si absolutus fuisset, teneretur illam, si esset iusta & prudens, admittere.

DIFFICVLTAS III.

Quantam pœnitentiam teneatur Confessarius imponere.

COnueniunt Doctores, Confessarium teneri imponere pœnitentiam, attendendo ad grauitatem criminum, & ad facultatem pœnitentis, vt dicitur in Tridentino sess. 14. c. 8. quia pœnitentia imponitur in vindictam & satisfactionem peccatorum, habita tamen ratione ad vtilitatem spiritualem pœnitentis, quia Sacramentum Pœnitentiæ in vtilitatem pœnitentis institutum est. *Trident.*

Vnde conueniens erit, præsertim quando grauitas peccatorum est magna, leniorem imponere pœnitentiam, quàm grauitas peccatorum exigit, vt sic pœnitens ad confessionem alliciatur, vel saltem ne ab ea arceatur, quia id cedit in vtilitatem spiritualem illius. Et ob hanc rationem est multò moderanda, quando, si sic non fiat, prudenter timeatur quòd non impleuit pœnitentiam. Nihilominùs cum pœnitente qui sæpiùs in eadem peccata incidit, seueriùs agendum est, & eius fragilitati non est facilè indulgendum, vt sic à peccatis arceatur: quia minus malum est eum exponere periculo non implendi pœnitentiam, & concipiendi horrorem aliquem confessionis, quàm maximâ indulgentiâ ei præbere occasionem sæpè incidendi in eadem peccata, & ea absque debito dolore & proposito confitendi.

Cauendum tamen est Confessario, ne absque rationabili causa leuissimas pœnitentias pro peccatis grauissimis imponat; quia præterquam quòd erit negligens iudex & medicus, etiam dabit pœnitenti occasionem minùs æstimandi grauitatem peccatorum, & liberiùs peccandi. Vnde, quando ex aliqua rationabili causa pro peccatis grauibus leuissima imponitur pœnitentia, monendus est pœnitens, id fieri sic, vt eius fragilitati caueatur.

Ita tamen iniungenda est pœnitentia pro peccatis, attendendo ad grauitatem eorum & ad facultatem pœnitentis, vt quamuis dispositio pœnitentis non exigat alleuiari, non debeat imponi pœnitentia ex se, seu ex opere operantis, æquè condigna & moraliter æquiualens pœnæ debitæ peccatis, remissis quoad culpam per absolutionem, vt aduertunt Valquez quæst. 94. art. 2. dub. 6. n. 5. & Suarez disp. 38. sect. 5. quia non est necessaria pœnitentia moraliter æquiualens, cùm per ipsam pœnitentiam impletam remittatur aliquid, & non parum pœnæ restantis post absolutionem ex opere operato. Ob quod Sacramentum Pœnitentiæ est tribunal misericordiæ, non solùm quoad remissionem culpæ, sed etiam quoad remissionem pœnæ. *Valquez. Suarez.*

Et quia non constat Confessario quanta pœna sit dignum peccatum, & quanta remittatur ex opere operato per Sacramentalem pœnitentiam, (imò per

per eam non remittitur determinata aliqua pœna, vt dicemus Difficultate xv.) ideò pœnitentia imponenda est ad arbitrium viri prudentis, quantum fieri possit prudenter à viro prædicta ignorante.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Confessarius teneatur imponere pœnitentiam obligantem, seu sub præcepto.

Nauarrus. Henriq. Suarez. Tanner. S. Thomas.

NAuarrus cap. 26. num. 24. Henriquez. lib. 5. cap. 21. Suarez disp. 38. sect. 3. & Adamus Tanner. disp. 6. quæst. 8. num. 7. partem negatiuam tuentur, quam etiam tradidisse videtur S. Thomas; Quodlibeto 3. articulo 28. Et probari potest, quia ex vna parte pœnitentia sub consilio tantùm imposita est sufficienter Sacramentalis, vtpote imposita virtute clauium; & ex altera parte, pœnitentia sic imposita potest esse expediens pœnitenti ob ipsius fragilitatem.

Vasquez verò quæst. 94. art. 2. dubio 1. num. 9. Nugnus in Addition. quæst. 13. art. 2. difficult. 1. & Ægidius disp. 10. dub. 8. partem affirmatiuam tradunt (quam videtur tradidisse Tridentinum sess. 14. cap. 8. dum supponit, impositionem pœnitentiæ pertinere ad potestatem ligandi) & meritò: quia Confessarius tenetur imponere pœnitentiam in vindictam peccatorum, & aliquando etiam in cautionem in futurum, cuius impositio est vera sententia condemnatiua ad pœnam, & aliquando etiam in medelam, procedens à Confessario vt à iudice non minùs quàm absolutio: sententia autem iudicis semper habet vim obligandi reum, ergo Confessarius tenetur imponere pœnitentiam obligantem, seu sub præcepto, cùm teneatur ferre sententiam condemnatiuam, & aliquando etiam in medelam. Vnde sola pœnitentia obligans est Sacramentalis, quia hæc sola est iudicialis, & sola iudicialis pertinet ad Sacramentũ Pœnitentiæ, quia ea sola procedit à Confessario vt ministro huius Sacramenti, & Confessarius non est qualiscumque minister in hoc iudicio & Sacramento, sed tantùm iudex. Ex quo constat ad rationem aduersariorum, priorem partem Antecedentis esse falsam.

S. Thomas. S. Thomas autem vbi suprà, tantùm vult, Confessarium posse imponere pœnitentiam, non obligando determinatè ad aliquod opus, sed optionem concedendo pœnitẽti, vt faciat hoc vel illud, prout maluerit, obligando tamen ad vnum vel ad alterum sub disiunctione.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Confessarius, iniungendo pœnitentiam, obliget pœnitentem, vt eam per seipsum exequatur.

DIfficultas hæc non procedit de pœnitentia quæ imponitur in medelam peccatorum, & præseruationem ab eis, quia hæc absque dubio debet à pœnitente per se ipsum impleri, sed procedit de pœnitentia, quæ tantùm imponitur in vindictam & castigationem pro peccatis.

Circa difficultatem ergo conueniunt Doctores, pœnitentiam impositam pœnitenti in vindictam peccatorum, non posse impleri per alterum, quando non constat Confessarium id velle: quia cùm imponat pœnitentiã pro crimine personali, quando aliud non exprimit, vult impleri per pœnitentem in vindictam criminis personaliter commissi.

Punctum ergo difficultatis est, An pœnitens possit pœnitentiam implere per alterum, quando Confessarius id vult, siue id velit quando illam imponit, siue posteà.

Henriq. Suarez. Viualdus. Reginald. Adamus.

Henriq. lib. 5. cap. 21. Suarez disp. 18. sect. 9. Viuald. de Satisfactione num. 12. Reginald. lib. 7. cap. 7. quæst. 2 & Adamus num. 11. partem affirmatiuam tuentur; quia ex vna parte vnus potest satisfacere pro alio, pro pœna temporali relicta post remissionem peccati; & ex altera parte, obligatio implendi pœnitentiã oritur ex voluntate Confessarij; ergo quando Confessarius vult, id sufficit.

Ledesma. Vasquez. Ægidius. Ochagan.

Ledesma verò 2. p. q. 14. ar. 4. Vasquez quæst. 94. ar. 2 dub. 1. Ægidius disp. 10. dub. 8. & Ochagauia q. 10. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia præcepto Confessarij imponentis pœnitentiam, sicut præcepto cuiuscumque alterius superioris, tantùm satisfit opere ipso quod præcipitur; Confessarius autem nequit præcipere opus alterius, sed tantùm pœnitentis quia solus iste & non alter est ipsi Confessario inferior in eo foro Sacramentali; ergo pœnitens nequit implere pœnitentiam opere alterius, sed per se ipsum opere proprio, nec aliud potest Confessarius velle.

Vnde, quamuis pœnitens, cui imposita est pœnitentia, sit impotens ad eam implendam per se ipsum, non tenetur illam per alterum implere, quia nequit illam implere per alterum; poterit tamen pœnitenti iniungi in pœnitentiam, vt procuret opus aliquod ab altero fieri, quia hæc procuratio est opus ipsius pœnitentis, ac proinde ipsa sola procuratio est Sacramentalis, & ipsi pœnitenti proficiens ex opere operato, & non opus alterius. Hoc autem non tollit, pœnitentem, cui iniungitur eleemosyna, posse eam per alterum elargiri, quando aliud non exprimitur à Confessario, quia eo præcepto absolutè lato tantùm præcipitur, vt ex propriis bonis fiat eleemosyna, siue illa fiat à pœnitente per se ipsum, siue per ministrũ; imò etiam poterit fieri per alterum ex bonis huius alterius, quando iste vult pro pœnitente eleemosynam facere, quasi donando pœnitenti bona illa ex quibus fit eleemosyna.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, iustum posse pro altero siue viuo siue defuncto ex opere operantis saltem de congruo satisfacere pro dicta pœna; negamus tamen, Confessarium posse præcipere opus alterius in vindictam peccatorum pœnitentis, quia non est superior illi alteri.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm in pœnitentiam Sacramentalem, tantùm imponendum sit opus pœnale.

NOn procedit difficultas de pœnitentia quæ imponitur, attendendo solùm ad cautionem peccati in futurum, quia in hanc absque dubio imponi potest opus nõ pœnale, si fortè sit aliquod non pœnale, quod sit vtile ad eam cautionem; sed procedit de pœnitentia, quæ imponitur, attendendo ad peccata confessa, vt iam commissa in satisfactionem pro illis, siue in eius impositione tantùm attendatur ad id, siue etiam ad cautionem similium peccatorum in futurum.

Circa difficultatem vt sic, Doctores, qui existimant, opere bono, quamuis non pœnali, posse satisfieri ex opere operantis pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, docent, in dictam pœnitentiam Sacramentalem posse & sufficere iniungi quodcumq; opus bonum, quamuis non pœnale, quia secundùm illos quodcumque opus bonum, quamuis non pœnale, est satisfactorium pro dicta pœna; ergo potest & sufficit imponi in dictam pœnitentiam Sacramentalem, quia hæc imponitur in satisfactionem pro pœna temporali restante post absolutionem à peccatis.

Doctores verò qui existimant, solo opere bono pœnali posse satisfieri ex opere operantis, docent, in dictam pœnitentiam Sacramentalem imponi tantùm posse opus bonum pœnale, & meritò id docent: quia dicta pœnitentia Sacramentalis imponenda est & in satisfactionem pro pœna temporali restante post absolutionem, & etiam in vindictam & castigationem peccatorum confessorum, vt ea absumatur pœna restans, vt supponitur in Tridentino sess. 14. cap. 8. Et vtrumque constat ex eo, quòd dicta pœnitentia Sacramentalis imponitur in iudicio à Confessario vt à iudice, pro criminibus & peccatis confessis, ac proinde in vindictam & satisfactionem eorum, in plenam & perfectam remissionem eorum: imò non aliter in vindictam peccatorum, quàm vt media ea satisfiat plenè & vltimatè pro peccatis; opus autem bonum non pœnale, non est satisfactorium pro pœna restante, vt diximus Disp. XIII. Diff. VI. Nec est aptum vt assumatur in vindictam & castigationem pro peccatis in plenam & perfectam remissionem eorum.

Trident.

Vnde ad rationem aduersariorum, negamus, opus bonum non pœnale esse satisfactorium pro pœna restante; & quamuis esset, non sufficeret vt imponeretur in dictam pœnitentiam Sacramentalem, quia non est aptum vt imponatur in vindictam peccatorum. Et ob hoc posterius nonnulli ex Doctoribus, qui existimant, quocumque opere bono, etiam non pœnali, posse satisfieri ex opere operantis pro pœna temporali, docent, in dictam pœnitentiam Sacramentalem tantùm posse imponi opus bonum pœnale, quia scilicet opus non pœnale nequit imponi in vindictam peccatorum.

Ita tamen imponenda est pœnitentia in vindictam & satisfactionem peccatorum, vt quando etiam imponitur in cautionem in futurum, seu in medelam, hæc non sit superaddenda toti pœnitentiæ, quæ aliàs debet imponi in vindictam & satisfactionem, si ea quæ imponitur in cautionem, est etiam opus pœnale; quia tunc huic tantùm est addendũ ex aliis operibus pœnalibus, quod deest ad rationabilem castigationem & satisfactionem peccatorum pro pœna restante, attendendo etiam ad fructum quem ex opere operato confert pœnitentia imposita.

Ita tamen imponendum est opus pœnale in pœnitentiam, vt possit imponi applicandum pro anima Purgatorij, vel pro aliquo viuo, quoad valorem quem habet ex opere operantis (quamuis nequeat quoad valorem quem vt pars Sacramenti Pœnitentiæ habet ex opere operato, quia opus Sacramenti ex opere operato tantùm confertur recipienti Sacramentum) imò quamuis à Confessario non imponatur applicandum pro altero, poterit ipse pœnitens applicare, etiamsi pœnitentia imposita sit, attento valore operis impositi ex opere operantis, quia cooperatio pœnitentis ad remissionem pœnæ restantis, nullo iure est pœnitenti sub obligatione, & ideò pœnitentia potest impleri in statu peccati mortalis, in quo non remittit pœnam restantem, vt dicemus Diff. XII. & XIV.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm in pœnitentiam Sacramentalem sit imponendum opus externum.

ALexander 4. par. quæst. 84. memb. 2. artic. 1. & Almainus in 4. distinct. 15. quæst. 1. par. tem affirmatiuam tuentur, Primò, quia pœnitentia est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, quod est sensibile, sicut quodcumque aliud Sacramentum; ergo debet esse sensibilis & externa. Secundò, quia pœnitentia imponitur præcepto humano, hoc autem tantùm potest præcipi actus externus. *Alexan. Almain.*

Suarez verò disp. 38. sect. 6. Henriquez lib. 5. cap. 19. & Ægidius disp. 10. dub. 8. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte actus internus, v. g. actus intellectus & actus voluntatis, potest esse pœnalis, seu afflictiuus & difficilis, vt actus fidei & actus contritionis, & ex altera parte nihil obstat vt imponi possit in pœnitentiam Sacramentalem, vt constabit ex solutione rationum aduersariorum. *Suarez. Henriq. Ægidius.*

Ad primam ergo concedimus, pœnitentiam Sacramentalem esse partem Sacramenti sensibilis, ad id tamen sufficit quòd fiat sensibilis & quasi externa per accidens, ratione alterius, nempe ratione impositionis exterioris, qua imponitur à Confessario; & ratione acceptationis, qua acceptatur à pœnitente, sicut fit contritio ratione confessionis.

Et ad secundam concedimus, pœnitentiam imponi præcepto humano, tamen non lato potestate communi superioris humani, qua non posset præcipi actus internus, sed lato potestate speciali ligandi à Christo specialiter concessa, quo præcipi potest actus internus, sicut etiam fieri potest absolutio à peccatis omnino internis, quia fit potestate speciali à Christo specialiter concessa.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm in pœnitentiam Sacramentalem imponi possit opus præcepti.

PAludanus in 4. distinct. 15. quæst. 1. artic. 2. & Maior quæst. 2. dub. 1. partem negatiuam tuentur, quia opus præcepti non est satisfactorium ex opere operantis pro debito pœnæ, vt ex ipsis retulimus Disp. XII. Diff. VIII. *Paludan. Maior.*

Sotus verò in 4. dist. 19. quæst. 2. Vasquez q. 94. art. 1. dub. 6. Suarez disp. 38. sect. 6. Victoria num. 205. Viualdus de Satisfactione, num. 10. Ægidius dub. 8. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte opera præcepti sunt satisfactoria ex opere operantis pro debito pœnæ, vt diximus vbi suprà; & ex altera, eorum impositio in pœnitentiam potest pœnitenti expedire. *Sotus. Vasquez. Suarez. Victoria. Viualdus. Ægidius.*

Obser-

Obseruandum tamen est, regulariter expedire iniungere in pœnitentiam opera non præcepta, ad aliquid noui obligando pœnitentem, vt sic magis puniatur peccator ob peccatum, & magis inducatur ad timorem peccati in futurum. Ac proinde, vt Doctores communiter aduertunt, quoties ex verbis Confessarij oppositum prudenter non conijcitur, credendum est in pœnitentiam iniungere opera aliàs non præcepta. Quod etiam est verum, quando imponit eleemosynam, quæ aliàs ob extremam necessitatem obligat, vt contra Victoriam, Viualdum, & Ægidium aduertunt Vasquez, & Suarez: quia eadem currit ratio in eleemosyna, quando est sub obligatione, & in operibus aliorum præceptorum: & id adhuc est verum, quamuis obligatio eleemosynæ superueniat post iniunctam pœnitentiam, vt contra eosdem & contra Sotum aduertunt Vasquez & Suarez, quia etiam tunc currit dicta ratio.

Vasquez. Suarez.

Vasquez. Suarez.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Confessarius possit imponere pœnitentiam publicam.

NOmine pœnitentiæ publicæ intelligimus pœnitentiam coram alijs faciendam, ex qua possint in suspicionem venire, quòd sit ob peccatum aliquod graue confessum.

Nauarrus. Nauarrus cap. 8. num. 10. docet, pro nullo peccato, quamuis publico & scandaloso, imponi posse pœnitentiam modo dicto publicam, quia id esset contra sigillum confessionis.

S. Thomas. Suarez. Vasquez. S. Thomas verò in 4. d. 14. quæst. 1. art. 5. quæstiunc. 1. Suarez disp. 38. sect. 6. Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 2. & communiter Doctores docent, & meritò, pro peccato publico posse pœnitentiam publicam imponi. Quod definitum est in cap. 1. de Pœnitentijs & remissionibus, & clarissimè in Trident. sess. 24. cap. 8. de Reformatione, dum dicitur, pro peccato publico, ex quo ortum sit scandalum, oportere pœnitentiam publicam imponi. Vbi (etiamsi Nauarrus neget) sermo est de impositione pœnitentiæ in foro Sacramentali, & non in foro exteriori, tum quia in eo cap. 8. sermo est de omni peccato, & tamen iudex Ecclesiasticus non iudicat de omni in foro exteriori, vt patet in homicidio; tum etiam, quia sermo dirigitur ad omnes Confessarios; & tamen non omnes possunt in eo foro exteriori pœnitentiam imponere.

Trident.

Et ratione probatur: quia ex vna parte pœnitentia publica potest esse expediens pro peccato publico; & ex altera parte, impositione illius non fit contra sigillum, quia id, ex quo potest dicta suspicio oriri, nempe impletio pœnitentiæ publicæ, non fit absque consensu pœnitentis, imò fit ab ipso pœnitente, quia ipse admittit imò implet pœnitentiam; ergo imponi potest publica pœnitentia pro peccato publico. Imò & debet imponi, quando aliter nequit auferri scandalum ortum ex illo peccato. Et ob rationem dictam potest etiam absque fractione sigilli imponi pœnitentia publica pro peccato occulto, & multò meliùs pro peccato publico, quamuis non sit necessaria ad auferendum scandalum; ac proinde quando aliàs expediat, vt potest aliquando expedire, poterit imponi pro vno & pro altero, quamuis pœnitens reluctetur.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm pœnitentia ab vno Confessario iniuncta possit ab altero mutari.

DIfficultas hæc non procedit, quando pœnitentia imposita fuit iniusta, siue ex toto, siue ex parte, quia tunc non est necessarium quòd mutetur ab altero Confessario, quantum ad id in quo est iniusta; quia tunc quantum ad id, potest proprio iudicio à pœnitente omitti, quia quantum ad id non obligat. Procedit ergo difficultas, quando pœnitentia est iusta, & non procedit de mutatione quæ fit media concessione Indulgentiæ, quia hoc modo, qui potest Indulgentias concedere, potest media Indulgentia, etiam extra confessionem concessa, auferre obligationem implendi pœnitentiam ab altero impositam, quando non est imposita in medelam, sed in puram vindictam & satisfactionem peccatorum. Nihilominùs quando tempore Iubilæi conceditur Indulgentia pœnitenti, si præter confessionem exigitur ab eo aliud opus ad lucrandam Indulgentiam, quod tempore confessionis nondum est factum, imponenda est pœnitentia iusta, ne fortè pœnitens deficiat in opere requisito, & ob id non obtineat Indulgentiam: illo tamen opere post confessionem facto, ob quod Indulgentia obtinetur, liber manet pœnitens à pœnitentia anteà imposita in puram vindictam & satisfactionem peccatorum.

Est ergo difficultas, An pœnitentia iusta ab vno Confessario imposita, possit mutari ab altero, absque media Indulgentia.

Circa difficultatem sic intellectam, Sotus in 4. disp. 20. quæst. 2. artic. 3. & nonnulli recentiores Thomistæ, docent, solùm Confessarium superiorem in dignitate, v. g. Episcopum, posse pœnitentiam à Confessario inferiore, v. g. à simplici Confessario, impositam mutare: quia solus Confessarius superior habet imperium in inferiorem; ergo solus superior potest mutare pœnitentiam inferioris.

Addunt tamen prædicti, id non posse superiorem, nisi eorumdem peccatorum confessione audita.

Ledesma. Viualdus. Ledesma 2. par. 4. quæst. 20. art. 4. & Viualdus de Satisfactione num. 31. docent, quemcumque Confessarium, etiam inferiorem, mutare posse pœnitentiam cuiuscumque alterius, etiam superioris, quia inferior in dignitate non minorem habet potestatem ad soluendum & ligandum, quàm superior in dignitate. Et idem sentit Nauarrus cap. 26. nu. 22. quando pœnitentia superioris non est imposita pro peccatis reseruatis, quia tunc sententia pro his reseruata est superiori. Et addunt prædicti, id posse quemcumque Confessarium, etiam inferiorem, non audita confessione eorumdem peccatorum.

Nauarrus.

Valentia. Henriq. Suarez. Ægidius. Valentia verò disp. 7. q. 14. punc. 4. Henriquez lib. 5. cap. 20. Suarez disp. 38. sect. 10. & Ægidius dub. 12. docent, & meritò, quemcumque Confessarium, etiam inferiorem, mutare posse pœnitentiam à quocumque alio Confessario, etiam à superiore pro peccatis non reseruatis impositam, eorum tamen confessione audita.

Et in primis, quòd quicumque Confessarius, etiam inferior, possit mutare pœnitentiam à quocum-

quocumque alio, etiam à superiore, pro peccatis non reseruatis impositam, probatur, quia ex vna parte pœnitens potest iterùm eadem peccata confiteri, ac si illa non fuisset confessus, & nouum iudicium de peccatis subire, ac si illud non subijsset, quia nullo titulo impeditur ad id faciendum, & ex altera parte quilibet Confessarius, quamuis inferior in dignitate, habet potestatem absoluendi ab illis, & imponendi pœnitentiam pro illis, sicut habebat, quamuis pœnitens non fuisset illa confessus; ergo pœnitens poterit, imò & debet se conformare sententiæ illius, quia ad illum vt ad vltimum iudicem confugit, vt ab eo iudicetur vltimò, & non tenetur sententiâ pœnitentiæ prioris Confessoris, quia eo ipso quòd reus potest suam causam ad aliud tribunal deferre, potest imò & debet se conformare sententiæ posterioris tribunalis, si in eo tribunali sistat, & non tenetur sententiâ prioris tribunalis.

Quòd verò nullus Confessarius, quamuis in dignitate superior, possit pœnitentiam impositam mutare nisi audita confessione peccatorum, probatur, quia mutatio pœnitentiæ, quæ non fit media concessione Indulgentiæ, nequit fieri nisi iudicialiter in foro Sacramenti Pœnitentiæ, quia solum quod fit mediâ Indulgentiâ, fit extra Sacramentum, quia hæc solùm fit applicando satisfactionem Christi, & superabundantem Sanctorum, illa verò tantùm fit imponendo de nouo pœnitentiam pro peccatis; impositio autem pœnitentiæ pro peccatis, vtpote actus iudicialis, tantùm fit in iudicio confessionis, efficiendo iudicium & Sacramentum integrum circa illa, nempe absoluendo à peccatis confessis, de quibus sit dolor, & pro eis pœnitentiam imponendo.

Addidimus, *pro peccatis non reseruatis*, quia nullus potest mutare pœnitentiam pro peccatis reseruatis impositam, nisi idem Confessarius, aut alius cui etiam sint reseruata peccata illa: quia quamuis peccata reseruata, postquam quis est ab illis legitimè absolutus, non maneant reseruata, ac proinde quilibet etiam simplex Confessarius possit ab illis absoluere, & pro eis pœnitentiam imponere, nequit tamen priorem sententiam mutare, & efficere quòd cesset, quia nequit iudicare de illis eodem modo ac si non fuissent iudicata, & pro illis pœnitentiam imponere, eodem modo ac si non fuisset imposita, cuius impositione cessaret prior sententia, sed tantùm potest imponere pœnitentiam pro illis, tamquam pro eis à quibus pœnitens iam fuit absolutus, & pro quibus imposita fuit conueniens pœnitentia; sicut Sacerdos non approbatus nequit mutare pœnitentiam impositam pro mortalibus iam legitimè confessis, quamuis ab eis iam confessis possit absoluere, & pro eis pœnitentiam imponere.

Ex dictis deducitur, vt aduertit Ægidius, eumdem Confessarium non posse pœnitentiam à se impositam mutare, nisi priùs audita confessione eorumdem peccatorum (quæ vnico verbo ipsi fieri potest, dicendo, Iterùm me accuso peccatorum tibi confessorum, si Confessarius recordetur illorum aut saltem pœnitentiæ à se impositæ) & nisi iterùm facta aut facienda absolutione; quia nequit de illis peccatis iterùm iudicare, nisi nouum & integrum Sacramentum, & nouum & integrum iudicium faciendo. Nihilominùs quando primum iudicium & Sacramentum censetur moraliter manere, potest ab eodem Confessario mutari pœnitentia, absque noua confessione & absolutione. Non censetur autem manere, eo ipso quòd pœnitens discedit à Confessario, nihil aliud ab eo exspectans pro complemento illius iudicij: quamuis Ægidio videatur manere, & durare toto die quo factum fuit, & Soto & Viualdo duobus alijs sequentibus diebus. Soto. Viualdus.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm qui oblitus est pœnitentiæ sibi iniunctæ, teneatur iterùm confessionem repetere.

COnueniunt Doctores, inculpabiliter oblitum pœnitentiæ sibi iniunctæ, non teneri iterùm repetere confessionem, quia nullo titulo ad id tenetur. Est tamen difficultas, An ad id teneatur, qui sua culpa oblitus est pœnitentiæ.

Siluester verò v. *Confessio* 1. q. 3. partem affirmatiuam tuetur, quia ex vna parte pœnitens tenetur pœnitentiam implere, & ex altera nequit sibi impositam implere ob obliuionem; ergo vt ipsi sua culpa non faueat, tenetur iterùm confiteri, vt aliam pœnitentiam impleat. Siluester.

Vasquez verò q. 94. ar. 2. dub. 4. Suarez disp. 22. sect. 3. Ægidius disp. 1. dub. 12. & cõmuniter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia tunc non tenetur ad repetendam confessionem Iure diuino confessionis, quia hoc tantùm obligat ad semel confitenda mortalia, quod fit independenter ab impletione pœnitentiæ: nec ad id tenetur præcepto aliquo Ecclesiastico communi, quia nullum est iterùm repetendi confessionem, quando pœnitentia non impletur, nec faciendi aliquid loco illius: nec ad id tenetur præcepto pœnitentiæ lato à Confessario, quia istud tantùm obligat ad impletionem pœnitentiæ, quando pœnitens potest, & non ad aliquid aliud faciendum loco illius, quando non potest illam implere; nec tunc pœnitens lucrum aliquod reportat ex sua culpa, quia potiùs priuatur fructu, quem pœnitentia ex opere operato causat. Vasquez. Suarez. Ægidius.

Obseruandum est, pœnitentem teneri ad implendam pœnitentiam, si post obliuionem recordetur illius, quamuis confessus sit culpam obliuionis (quam tenetur confiteri, si fuit mortalis) quia etiam post confessionem culpæ obliuionis vrget præceptum Confessarij, & Ius diuinum naturale virtutis religionis perficiendi priùs illud Sacramentum, cui defuit satisfactio, qua integraliter completur.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm pœnitentia Sacramentalis impleta, causet ex opere operato remissionem pœnæ temporalis restantis post absolutionem à peccatis.

SOtus in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 5. & Ledesma 2. part. 4. quæst. 13. ar. 3. dub. 4. partem negatiuam tuentur, Primò, quia pœnitentia Sacramentalis nec est Sacramentum, nec pars essentialis Sacramenti; ergo absque fundamento dicetur habere effectum aliquem ex opere operato, seu per modum Soto. Ledesma.

modum Sacramenti. Secundò, quia aliàs pœnitentia Sacramentalis, quamuis fieret ex fine venialiter malo, remitteret pœnam temporalem reſtantem, quia Sacramentum, quamuis factum ex fine venialiter malo, habet ſuum effectum; imò etiam quamuis fieret ex fine mortaliter malo, quia mortale non obeſt remiſſioni pœnæ temporalis.

Vaſquez. Suarez. Ægidius. Adamus.

Vaſquez verò q. 94. ar. 2. dub. 5. Suarez diſp. 38. ſect. 2. Ægidius diſp. 10. dub. 10. Adamus q. 5. nu. 24. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia pœnitentia Sacramentalis impleta, eſt pars Sacramenti, quamuis non eſſentialis, ſed integralis; & vt pars Sacramenti concurrit ad plenam & integram remiſſionem peccatorum; ergo ad eam concurrit ex opere operato: ſed non concurrit ad remiſſionem culpæ, nec pœnæ æternæ, quia hæc remiſſio fit ante impletionem pœnitentiæ per contritionem, confeſſionem & abſolutionem; ergo concurrit ad remiſſionem pœnæ temporalis reſtantis, quia hac remiſſione completur & integratur peccatorum remiſſio, & ideò pœnitentia impleta dicitur pars integralis, & non eſſentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Vnde opus in pœnitentiam impoſitum, multò maiorem pœnam remittit, quàm ſi non eſſet impoſitum, quia in pœnitentiam impoſitum non ſolùm remittit pœnam ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato.

Ad primam ergo rationem aduerſariorum concedimus, pœnitentiam Sacramentalem non eſſe Sacramentum, nec partem eſſentialem Sacramenti, ex eo tamen ſolùm deducitur non concurrere ex opere operato, ad primarium effectum, nempe ad remiſſionem culpæ, & pœnæ, non verò deducitur non concurrere ex opere operato ad effectum ſecundarium, nempe ad remiſſionem pœnæ reſtantis, qua completur & integratur remiſſio peccati.

Et ad ſecundam concedimus, pœnitentiam ex fine veniali impletam remittere ex opere operato pœnam temporalem reſtantem, quamuis non ex opere operantis: imò etiam remitteret impleta ex fine mortali, ſi aliàs ad eam remiſſionem non obſtaret ſtatus peccati mortalis; ſicut etiam abſolutio ex fine veniali collata, imò etiam ex mortali confert gratiam, vt pars eſſentialis Sacramenti ſimul cum alijs partibus eſſentialibus; & ſicut etiam confeſſio ex fine veniali facta, imò etiam ex mortali, ſi ante abſolutionem fiat confeſſio ipſius finis mortalis: imò quamuis non fiat, ſi pœnitens ſit naturaliter oblitus illius finis, & ante abſolutionem eliciat dolorem ſufficientem ex motiuo comprehendente omnia mortalia ipſius; & ſicut conſecratio verbalis ex fine malo adhuc mortali facta, conſtituit Corpus & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus Sacramentalibus: in quo deteſtatio ſeu dolor differt à confeſſione & ab abſolutione. Quòd ſi fiat ex fine malo, quamuis tantùm veniali, non confert gratiam, quia non tantùm eſt pars Sacramenti, ſicut ſunt confeſſio & abſolutio, ſed etiam eſt diſpoſitio ad gratiam, ad quam opus malum non diſponit.

Addimus, in quo Doctores conueniunt, per pœnitentiam, adhuc ex fine mortali factam, ſatisfieri præcepto Confeſſarij, quia eâ ſic factâ, efficitur quoad ſubſtantiâ quod à Confeſſario præcipitur, & eo ipſo eſt Sacramentalis: imò & quantum eſt ex ſe ſufficiens ad remiſſionem pœnæ temporalis reſtantis, quamuis eam non remittat quando mortaliter fit, quia ei deficit ſtatus gratiæ; vt dicemus Difficultate XIV.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm pœnitentia Sacramentalis cauſet ex opere operato augmentum gratiæ ſanctificantis.

Caietanus. S. Thomas.

CAietanus 3. par. q. 90. ar. 2. partem affirmatiuam tuetur, quam tradidiſſe videtur S. Thomas ad 2. dum dicit, quòd ſatisfactio, prout eſt in propoſito, confert gratiam, & prout eſt in executione, auget illam. Et in id inclinât Suarez diſp. 38. ſect. 2. & Turrianus diſput. 38. dub. 2. Et probari poteſt, quia omne Sacramentum nouæ legis cauſat gratiam ex opere operato, ſed pœnitentia Sacramentalis eſt pars Sacramenti nouæ legis, ergo cauſat gratiam ex opere operato; ſed non primam, ergo augmentum illius.

Suarez. Turrianus.

S. Thomas. Vaſquez. Ægidius. Ochagau. Adamus. Trident.

S. Thomas verò in 4. d. 16. q. 1. art. 1. quæſtiun. 2. Vaſquez quæſt. 94. art. 2. dub. 5. Ægidius dub. 10. Ochagauia q. 7. & Adamus q. 8. num. 22. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia, vt deducitur ex Tridentino ſeſſ. 14. c. 3. confeſſioni, contritioni, abſolutioni, & ſatisfactioni, tamquam effectus ex opere operato, conuenit plena & integra remiſſio peccatorum; ſed contritioni, confeſſioni, & abſolutioni, quibus eſſentialiter perficitur Sacramentum Pœnitentiæ, conuenit remiſsio peccatorum quoad culpam & pœnam æternam, quæ fit mediâ gratiâ ſanctificante, ante impletionem pœnitentiæ Sacramentalis; ergo impletioni illius debet tribui remiſsio pœnæ temporalis reſtantis, vt ita per omnes partes Sacramenti Pœnitentiæ fiat plena & integra peccatorum remiſsio, qualibet parte ſuo modo concurrente ad illam. Et abſque fundamento illi tribuitur alius effectus ex opere operato, & ad ſummum, impletioni pœnitentiæ impoſitæ in cautionem peccatorum in futurum, tribui poteſt collatio aliquorum auxiliorum efficacium ad præcauenda peccata (quæ non erit infallibilis, ſicut nec quæ fit medijs alijs Sacramentis) ita vt impletioni pœnitentiæ non pœnalis impoſitæ in puram cautionem in futurum, tantùm tribuatur dicta collatio auxiliorum; & impletioni pœnitentiæ pœnalis impoſitæ in puram ſatisfactionem & vindictam tantùm tribuatur remiſsio pœnæ reſtantis; & impletioni pœnitentiæ pœnalis impoſitæ in cautionem & in ſatisfactionem, tribuantur dicta collatio auxiliorum, & dicta remiſsio pœnæ reſtantis.

Ad rationem ergo aduerſariorum reſpondemus, quòd quamuis Sacramento eſſentialiter perfecto, conueniat ex opere operato gratiam ſanctificantem conferre, non tamen conuenit parti non eſſentiali, ſed tantùm integrali, qualis eſt ſatisfactio: quia parti tàtùm integrali ſufficit quòd impleat &, integret effectum inchoatum à partibus eſſentialibus, mediâ gratiâ ſanctificante, quod eſt illam quoad effectum augere, quod tantùm voluit S. Thomas art. 2. ad 2. quando ait, ſatisfactionem, prout in executione, augere illam.

S. Thomas.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm pœnitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis facta, habeat suum effectum ex opere operato.

SVpponimus Primò, vt dicebamus Diffic. XII. in fine, & in quo conueniunt Doctores, per pœnitentiam in statu peccati mortalis factam, imò & ex malo fine, quamuis mortali, satisfieri præcepto Confessarij, quia eâ efficitur quod à Confessario præcipitur, & eo ipso est Sacramentalis.

Supponimus Secundò, pœnitentiam Sacramentalem in statu peccati mortalis factam non causare ex opere operantis remissionem pœnæ temporalis restantis alterius vitæ, quia ad id requisitus est status gratiæ, vt diximus Disput. XIII. Difficultate IV.

Est ergo difficultas, An pœnitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis facta, causet ex opere operato remissionem pœnæ temporalis restantis, sicut causat quando fit in statu gratiæ.

Marsilius. Medina. Vasquez. Marsilius in 4. quæst. 11. art. 3. Medina Cod. de Confessione q. de Pœnitentia iniuncta extra gratiam impleta, & Vasquez quæst. 94. art. 2. dub. 5. partem affirmatiuam tuentur, quia status peccati mortalis non est obex remissioni pœnæ temporalis faciendæ mediâ pœnitentiâ Sacramentali, ergo in eo statu causatur dicta remissio mediâ pœnitentiâ in eo statu facta. Consequentia patet, quia Sacramentum, & pars Sacramenti operantur suum effectum in subiecto non habente obicem. Antecedens autem probatur, quia pœnitentia Sacramentalis non causat remissionem pœnæ temporalis media infusione gratiæ, nec per modum meriti de condigno, quibus status peccati mortalis est obex, sed impetrando illam à Deo, cui impetrationi non obest, quia peccator multa potest à Deo impetrare, & impetrat.

Sotus. Suarez. Henriq. Ægidius. Sotus verò in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 5. Suarez disp. 38. sect. 8. Henriquez lib. 5. cap. 20. Ægidius dub. 11. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia licet pœnitentia in statu peccati mortalis facta sit Sacramentalis, & pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, nihilominùs credi non potest, ex Christi institutione non exigi statum gratiæ, vt ex opere operato causet remissionem; quia credi non potest, quòd Christus, quia eam instituit in remissionem pœnæ restantis, effectum secundarium præsupponentem remissionem culpæ, & pœnæ æternæ mediâ gratiâ factam, vt ea remissione pœnæ restantis compleat remissionem culpæ & pœnæ æternæ, non exegerit statum gratiæ, vt remissionem mediâ gratiâ factam compleat, & integret.

Ex eo autem quòd pœnitentia Sacramentalis instituta sit pars integralis ad effectum secundarium remissionis pœnæ temporalis restantis ad complendam remissionem peccati, fit, vt Suarez aduertit, pœnitentiam impletam ante absolutionem non tribuere eam remissionem pœnæ restantis: quia effectus secundarius remissionis pœnæ restantis supponit primarium remissionis culpæ & pœnæ æternæ, & factũ à partibus essentialibus, quas pars integralis supponit; ac proinde pœnitentia ante absolutionem impleta, non est Sacramentalis, quia ante absolutionem non est pars Sacramenti, quia tantùm est pars integralis Sacramenti, quæ necessariò supponit essentialis; & consequenter Confessarius nihil potest præcipere faciendum ante absolutionem in pœnitentiam purè satisfactoriam pro peccatis confessis, quamuis præcipere possit quod necessarium aut expediens sit ad dispositionem pœnitentis, aut in cautionem in futurum, vt eiectionem concubinæ, & restitutionem, &c.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quamuis status peccati mortalis non sit ex natura rei obex ad remissionem pœnæ restantis faciendam ex opere operato, est tamen obex ex institutione Christi: & quamuis qui implet pœnitentiam in statu peccati mortalis, ponat obicem dicto effectui remissionis pœnæ restantis, non peccat, nec irrogat iniuriam Sacramento Pœnitentiæ, quia non ponit obicem effectui primario Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantùm secundario conferendo mediâ pœnitentiâ Sacramentali.

Scotus. Gabriel. Maior. Sotus. Medina.

Id verò quod addunt Suarez, Henriquez & Ægidius, nempe pœnitentiam Sacramentalem, in statu peccati mortalis impletam, remittere postea pœnam temporalem ex opere operato, quando recedit fictio, id est, quando cessat status ille, dicitur absque sufficienti fundamento: quia si tribuere effectum ex opere operato, recedente fictione, conuenit Baptismo, & fortè etiam pœnitentiæ informi (si datur informis) ideò est, quia hæc duo Sacramenta sunt media necessaria ad remissionem culpæ & pœnæ æternæ; pœnitentia verò Sacramentalis non est necessaria ad remissionem pœnæ temporalis restantis, quia hæc potest pluribus alijs operibus haberi.

Suarez. Henriq. Ægidius.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm pœnitentia à Confessario taxata prudenter, attenta grauitate peccatorum, extinguat debitum totius pœnæ temporalis restantis.

COnueniunt Doctores, pœnitentiam, quæ non est tanta quanta imponenda erat, attentis grauitate peccatorum, & efficacia pœnitentiæ impositæ, ad remittendum ex opere operato non paruam pœnam restantem post absolutionem, sed est minor, quamuis sit prudenter minorata ob fragilitatem pœnitentis, non extinguere ex opere operato debitum totius pœnæ restantis.

Est tamen difficultas, An pœnitentia prudenter taxata, attentis prædictis, & non minorata ob fragilitatem pœnitentis, semper extinguat debitum totius pœnæ restantis.

Petrus Sotus Lect. 1. de Satisfactione, Suarez disput. 38. sect. 5. Vasquez quæst. 94 art. 2. dub. 6. Reginaldus lib. 7. cap. 5. num. 47. Ochagauia quæst. 16. & Turrianus disp. 38. dub. 5. partem negatiuam tuentur, quia ex vna parte pœna, quæ restat luenda, est determinata, tanta videlicet aut tanta, & ex altera parte pœnitentia Sacramentalis habet determinatum valorem ex opere operato, maiorem videlicet aut minorem pro quantitate pœnitentiæ iniunctæ, prout Christus instituit & determinauit, & non prout Confessarius determinat & taxat: sicut valor Sacramenti ad conferen-

Pet. Sotus. Suarez. Vasquez. Reginald. Ochagau. Turrianus.

conferendam gratiam determinatus est à Christo iuxta disposition pœnitentis, & non determinatur à Confessario. Ergo si pœnitentia à Confessario iniuncta, attendendo ad prædicta, non est æqualis pœnæ restanti, quamuis humano iudicio Confessarij prudenter taxetur, non extinguet totam pœnam restantem, quia ex iudicio Confessarij non minuitur nec crescit valor pœnitentiæ, quia iste fuit à Christo determinatus iuxta quantitatem pœnitentiæ.

Scotus. Gabriel. Maior. Soto. Medina.

Scotus verò in 4. dist. 19. q. 1. Gabriel dist. 18. quæst. 1. art. 1. Maior dist. 20. quæst. 1. Soto q. 2. art. 3. & Medina Cod. de Confessione, quæst. de Effectu pœnitentiæ iniunctæ, partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte pœnitentia Sacramentalis instituta est à Christo, vt ex opere operato compleat remissionem peccatorum, remittendo totam pœnam restantem; & ex altera parte taxatio & impositio pœnitentiæ, qua complenda est peccatorum remissio, commissa est arbitrio & iudicio prudenti Confessarij tamquam iudicis, cùm Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit instar iudicij; ergo pœnitentia, quæ arbitrio prudenti Confessarij est rationabilis ad vindictam & satisfactionem peccatorum, attendendo ad grauitatem eorum, & quòd hoc Sacramentum est tribunal misericorditer puniendi, & efficax vt ex opere operato remittat pœnam aliquam, complet remissionem peccatorum, totam pœnam restantem extinguendo; & tam minor quàm maior, dum sit prudenter taxata, habet eumdem & sufficientem valorem Sacramentalem ad id: aliàs Confessarius numquam aut ferè numquam posset iustum & perfectum iudicium efficere, quo peccata quoad totum iustè remittantur; quia si aliqua pœnitentia indiuisibiliter requisita esset, semper aut ferè semper excederet aut deficeret.

Fuit autem maximè conueniens, valorem ex opere operato pœnitentiæ non determinari à Christo pro quantitate ipsius pœnitentiæ, sed sufficientem ad extinguendam totam pœnam restantem conuenire pœnitentiæ prudenter taxatæ, siue maiori siue minori, intra latitudinem prudentis & rationabilis, eo ipso quòd iudicio prudenti Confessarij remisit taxationem pœnitentiæ ad vindictam peccatorum, cuius impletione completur iudicium & Sacramentum Pœnitentiæ, ad plenè remittenda peccata institutum. In aliis verò Sacramentis, & in ipso Pœnitentiæ essentialiter perfecto, valor eorum ad conferendam gratiam fuit ex sola Christi institutione determinatus, ipsis secundùm se tantus correspondens, vt Sacramento paruulis collato; & etiam vltra illum maior, pro maioritate dispositionis adulti suscipientis, quia in illis nihil quod ad collationem gratiæ conducit, commissum est taxationi ministri, sicut commissa fuit pœnitentia Sacramentalis ad remissionem pœnæ restantis conducens.

Vt autem pœnitentia Sacramentalis sit rationabilis & prudens, non tantùm attendenda est grauitas peccatorum, sed etiam attendendum est quòd tribunal Sacramenti Pœnitentiæ est absoluendi, & misericorditer puniendi, & efficax vt ex opere operato remittat non paruam pœnam; ac proinde vt sit prudens, non est necessarium, quòd pœnitentia ex se seu ex opere operantis sit æquè condigna & moraliter æquiualens pœnæ restanti, sed erit prudens, quamuis sit minor, imò & non parum minor, non tamen si sit nimis minor, vt proportio aliqua inter peccata & inter eorum punitionem seruetur. Nihilominùs quando fragilitas pœnitentis exigit quòd sit nimis minor, sic est inungenda, quia iudicium seu Sacramentum Pœnitentiæ institutum est in vtilitatem pœnitentis: & tunc quando ob id iniuncta est nimis minor, sicut etiam quando iniuncta est talis ob imprudentiam Confessarij; tantò minùs remittet ex opere operato, quantò est minor; eius tamen defectus suppleri poterit in totum, aut in partem, valore eiusdem pœnitentiæ secundùm se, seu ex opere operantis.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, concedendo, pœnam restantem post absolutionem esse determinatam; negando tamen, valorem pœnitentiæ ad remittendam illam ex opere operato, esse determinatum à Christo pro quantitate pœnitentiæ iniunctæ: sed valorem sufficientem ad extinguendam totam pœnam restantem, conuenire ex Christi institutione pœnitentiæ à Confessario prudenter taxatæ, attendendo ad prædicta, siue iniuncta sit maior siue minor, intra latitudinem prudentis, vt iam diximus.



TRACTATVS DE EXTREMA VNCTIONE.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit Extrema Vnctio.

VT à nomine exordiamur, Sacramentum Extremæ Vnctionis dicitur *Extrema Vnctio*. Dicitur *Vnctio*, quia hæc est materia proxima ipsius; & dicitur *extrema*, tum quia confertur homini existenti in extremo termino vitæ, tum etiam, quia est vltima & extrema qua viator vngitur: quia primò, quando baptizatur, vngitur in vertice; & secundò, quando confirmatur, vngitur in fronte; & tertiò, quando ordinatur Sacerdos, vngitur in manibus, & quando consecratur Episcopus, vngitur in capite & in manibus; & tandem quartò, quando ipsi in extremis existenti confertur Sacramentum Extremæ Vnctionis, vngitur in pluribus partibus, vt posteà dicimus.

Ad rem verò accedendo, Extrema Vnctio definiri potest physicè per suas partes physicas, quòd sit *Vnctio exterior olei benedicti, in aliquibus partibus corporis, à Presbytero facta sub præscripta forma verborum*. Metaphysicè verò definiri potest Extrema Vnctio, quòd sit *Sacramentum confortatiuum, ad spem vitæ æternæ*: quia definitur per *Sacramentum*, quod est genus ad Extremam Vnctionem; & per *confortatiuum ad spem vitæ æternæ*, quod est differentia, qua distinguitur ab aliis Sacramentis nouæ legis.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Extrema Vnctio sit Sacramentum nouæ legis.

HÆretici antiqui, & etiam nostri temporis, constanter negant, Extremam Vnctionem esse Sacramentum nouæ legis, quia id non constat ex Scriptura. De Fide tamen est, Extremam Vnctionem esse Sacramentum nouæ legis, gratiam conferens. Ita definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 14. cap. & can. 1. & id constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, quam nobis scriptam reliquerunt Innocentius I. in Epistola 1. ad Decentium, cap. 8. & Innocentius III. cap. vnic. de Sacra vnctione, & plures alij Patres, quos refert Bellarminus de Extrema Vnctione cap. 4. Et id satis indicat Iacobus cap. 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* In quibus verbis sermonem esse de Sacramento Extremæ Vnctionis, supponunt Eugenius IV. & Tridentinum dicto cap. 1. Et ex eis verbis non leuiter deducitur, Extremam Vnctionem esse Sacramentum, quia in eis vnctioni & orationi fidei, factis à Presbytero, quæ sunt quid sensibile, tribuitur remissio peccatorum, quæ non fit absque gratia iustificante.

Quòd si obijcies Primò, Iacobum exigere in ministro illius vnctionis, de qua ipse loquitur, fidem, dum ait, *Oratio fidei saluabit infirmum* (id est, liberabit infirmum à periculo mortis) quæ non requiritur ad valorem Sacramenti Extremæ Vnctionis: & etiam tribuere alleuiationem infirmi soli orationi, effectus autem Sacramenti Extremæ Vnctionis etiam tribuitur vnctioni; ergo Iacobus non loquitur de Sacramento Extremæ Vnctionis. Respondemus, verba quibus minister vngens vtitur, dici à Iacobo orationem fidei, non ob fidem ipsius ministri, sed quia sunt verba quibus fide diuina credimus perfici Sacramentum Extremæ Vnctionis, & consequenter quibus causatur effectus illius: & Iacobus ita tribuit orationi fidei saluationem, & alleuiationem infirmi, vt non excludat vnctionem. Quod dictæ orationi tribuit, quia oratio fidei est forma, cui absolutè tribuitur effectus; præsertim, quòd Iacobus insinuat etiam prouenire ab vnctione, dum immediatè ante hæc verba, *& oratio fidei saluabit infirmum*, præmittit vnctionem.

Quòd si secundò obijcias, in prædictis verbis Iacobi promitti sanitatem animæ & corporis vnctioni & orationi fidei; sed non confert infallibiliter sanitatem corporis, vt experientiâ constat, ergo neque animæ, quia eodem tenore verborum vtraque promittitur; ergo in dictis verbis non continetur Sacramentum Extremæ Vnctionis, quia hoc infallibiliter confert sanitatem animæ.

Respondemus, quòd quamuis eodem tenore verborum vtraque sanitas promittatur, & obid vtraque infallibiliter conferatur, diuerso tamen modo vtraque promittitur & confertur: quia sanitas animæ absolutè, corporis verò non nisi conditionaliter, nempe si expediat animæ, vt aduertunt Eugenius IV. & Tridentinum vbi suprà, & sa-

Eugen. IV. Trident. *Innocent. I.* *Innoc. III. Bellarmin.* *Hugo S. Vict. Magist.* *Eugen. Trident.* *Trident.* *Trident.* *Eugen. Trident.*

& satis conuenienter: quia quamuis conueniens sit semper conferre sanitatem animæ, sed non semper corporis, quia hæc non semper expedit animæ.

Ad fundamentum ergo hæreticorum constat, ex Scriptura deduci, Extremam Vnctionem esse Sacramentum conferens gratiam: & quamuis ex ea non deduceretur, nihil obstaret, quia ad id sufficeret traditio Ecclesiæ, quæ id semper tenuit & credidit.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Sacramentum Extremæ Vnctionis fuerit à Christo institutum, & quando.

Hugo de S. Victore. Magister. CIrca prius, quamuis Hugo de S. Victore 2. de Sacramentis parte 15. cap. 2. & Magister in 4. d. 23. existimauerint, Sacramentum Extremæ Vnctionis non fuisse à Christo sed à Iacobo institutum, iam tamen absque iniuria Fidei negari non potest fuisse à Christo institutum, quia Tridentinum id definit generaliter de omnibus septem Sacramentis sess. 7. can. 1. de Sacramentis in genere, & specialiter de Extrema Vnctione sess. 14. cap. 1. affirmans fuisse à Christo institutam, & à Iacobo commendatam & promulgatam, supponens non fuisse à Iacobo institutam, ac proinde immediatè à Christo, & non mediante Iacobo, *Trident.* sicut etiam reliqua Sacramenta, quod Tridentinum traditioni diuinæ innixum definiuit. Vnde quòd id non constet ex Euangelio, non obest, quia ad id affirmandum sufficit traditio diuina.

Circa posterius, quod incertum est, in primis sunt qui existiment Sacramentum Extremæ Vnctionis institutum fuisse à Christo, multo tempore ante vltimam cœnam & passionem, quando Marci 6. misit Apostolos ad prædicandum, & curandum infirmos vnctione olei. Id tamen absque fundamento aliquo & vestigio dicitur, quia huic vnctioni nullus alius effectus tribuitur, quàm sanitas corporalis, & non spiritualis, quæ est propria Sacramentorum: imò id dicitur contra rationem, quia vnctio hæc etiam fiebat non baptizatis, & ab Apostolis nondum Presbyteris: imò id etiam *Trident.* dicitur contra Tridentinum sess. 14. cap. 1. vbi dum ait, Extremam Vnctionem apud Marcum fuisse insinuatam, supponit tunc non fuisse institutam.

Secundò alij existimant, Sacramentum Extremæ Vnctionis institutum fuisse in nocte cœnæ, quia ex vna parte generaliter videtur Christum omnia Sacramenta ante mortem instituisse, quia ante hanc instituit Testamentum nouum, sicut quilibet alius suum testamentum ante mortem instituit, quia testamenta morte confirmantur; Sacramenta autem sunt præcipua noui Testamenti: & ex altera parte nullum aliud tempus ad id aptius excogitari potest, quàm illud vltimæ cœnæ, cùm in eo Christus longissimè egerit de suo Testamento, & Ecclesiæ statu, & in eo instituerit Eucharistiam & Confirmationem.

Tertiò alij existimant, & meritò, institutum fuisse post resurrectionem, & ante ascensionem. Et in primis illud instituisse post resurrectionem, credi potest ex eo, quòd Christus instituit hoc Sacramentum, vt consummatiuum Sacramenti Pœnitentiæ, ad purgandas reliquias peccatorum post Sacramentum Pœnitentiæ relictas, vt dicemus Difficultate VIII. ac proinde fuit institutum post Sacramentum Pœnitentiæ, quod (vt dicit Tridentinum sess. 14. cap. 1.) institutum fuit *Trident.* post resurrectionem, Ioan. 20. Quòd verò id fuerit factum ante ascensionem, firmiter credi potest, quia non potest credi, Christum, qui in mundum venit pro nostra salute, remedia nostræ salutis instituisse postquam reliquit mundum, & rediuit in cælum.

Et quamuis in statu legis gratiæ, & noui Testamenti (quod in voluntate Christi dandi gratiam & reliqua dona consistit, quam ipse sua passione confirmauit) Sacramenta non sint parum præcipua, non tamen fuit necessarium ipsa ante mortem Christi institui, vt morte ipsa confirmarentur, quia ipsa non fuerunt formaliter Testamentum, nec pars Testamenti, sed tantùm fuerunt obiectum dictæ voluntatis, quæ non fuit quoad omnia media volita ante mortem executioni mandata, sicut nec quoad omnem collationem gratiæ, & aliorum donorum.

DIFFICVLTAS IV.

Quæ sit materia remota Sacramenti Extremæ Vnctionis.

COnueniunt Catholici, materiam essentialem Extremæ Vnctionis, esse oleum oliuarum, quod definit Eugenius IV. in suo Decreto *Eugen. IV.* fidei, & apertè deducitur ex Iacobi 5. dum dicitur infirmum vngendum esse oleo, quod absolutè & simpliciter dictum, supponit pro oleo oliuarum, sicut aqua pro elementari, & panis pro triticeo: & nihil aliud essentialiter requiri, neque sufficere pro materia huius Sacramenti, quia nullo fundamento, neque vestigio aliquo potest aliud assignari, pro parte materiæ essentialiter requisitæ, neque pro materia sufficiente. Et non obstabit oleo quòd sit materia, quòd ipsi aliud misceatur, dum mixtione non corrumpatur oleum, neque desinat esse vsuale, id est, aptum vt ex eo possit fieri vnctio. Conueniunt quoque, necessarium esse quòd oleum oliuarum sit ab Episcopo benedictum.

Est tamen difficultas, An benedictio, & ab Episcopo facta, sit necessaria necessitate Sacramenti, id est, ad valorem Sacramenti, an tantùm necessitate præcepti.

Victoria in Summa n. 216. existimat, benedictio- *Victoria.* nem olei non esse necessariam necessitate Sacramenti, sed tantùm præcepti: & Caietanus 3. par. *Caietanus.* quæst. 72. art. 3. admittens benedictionem olei esse necessariam necessitate Sacramenti, addit, non esse necessarium necessitate Sacramenti, quòd benedictio fiat ab Episcopo, sed sufficere quòd fiat à Sacerdote ex dispensatione Papæ, quod So- *Sotus.* tus in 4. distinct. 7. art. 3. & alij probabile existimant.

Reliqui tamen Doctores existimant, benedictionem olei esse necessariam necessitate Sacramenti, & quòd fiat ab Episcopo, & non sufficere quòd fiat à simplici Sacerdote, adhuc ex dispensatione Papæ, & meritò: quia Eugenius IV. in *Eugen. IV.* suo Decreto, & Patres Tridentini sessione 14. *Trident.*

cap. 1. intendentes assignare & præscribere materiam essentialem Extremæ Vnctionis, & totalem, & eam dogmaticè tradere, definiunt, materiam Extremæ Vnctionis esse oleum ab Episcopo benedictum: quod absolutè definiunt, & absque vllo addito & limitatione; id autem nulli alij fundamento innixi definiunt, quàm perpetuæ traditioni Ecclesiæ.

Ita tamen benedictio Episcopalis olei requiritur ad valorem Extremæ Vnctionis, vt ad hoc sufficiat quomodolibet benedici inuocatione Dei, sicut diximus in benedictione Chrismatis; quia credi potest, Christum nullam formulam benedictionis præscripsisse, eam tamen præscripsit Ecclesia, quæ necessitate præcepti obseruanda est.

DIFFICVLTAS V.

Quæ sit materia proxima Extremæ Vnctionis.

COnueniunt Doctores, materiam proximam Extremæ Vnctionis esse vnctionem ex oleo oliuarum factam. Quod significat Iacobus c. 5. dum ait, *Vngentes eos oleo,* & supponit Tridentinum sess. 14. cap. 1. dum ait: *Vnctio aptissimè Spiritus sancti gratiam, qua inuisibiliter ægrotantis anima intingitur, repræsentat.* Et ratione constat, quia dicta Vnctio est actualis vsus materiæ remotæ, & supra quam cadit forma Extremæ Vnctionis, nempe, *Per istam sanctam Vnctionem,* &c. Conueniunt quoque, dictam Vnctionem esse materiam sufficientem, & totalem, & quia supra eam solam cadit tota forma huius Sacramenti, & quia solum oleum est materia remota illius. *Trident.*

Circa qualitatem Vnctionis, quamuis conueniens sit vnctionem fieri in modum Crucis, non tamen est necessarium, adhuc ex præcepto, vt aduertunt Ægidius disp. 19. num. 7. & Reginaldus cap. 9. quia neutra necessitas deduci potest ex aliquo fundamento, quia dispar est ratio de vnctione Confirmationis, quia hac insignitur quis miles ad defendendam Crucem Christi coram tyranno, non verò vnctione Extremæ Vnctionis. *Ægidius. Reginald.*

Circa quantitatem verò vnctionis ad valorem huius Sacramenti, tanta pars hominis requiritur & sufficit vngi, & tanto oleo, quanta sufficit & necessaria est, & quanto vt fiat vnctio sensibilis, quia hæc necessaria est, & sufficit vt quis dicatur simpliciter & absolutè vnctus.

DIFFICVLTAS VI.

Quot Vnctiones necessariæ sint in Sacramento Extremæ Vnctionis.

EVgenius IV. in suo Decreto fidei septem vnctiones requirit in hoc Sacramento, quinque videlicet in quinque sensibus, seu in quinque organis sensuum, & sextam in pedibus, & septimam in renibus: quæ omnes sunt ad minus necessariæ necessitate præcepti, ob Ecclesiæ vniuersalis consuetudinem, exceptis vnctione in pedibus, & vnctione in renibus, quæ in aliquibus Ecclesijs ob desuetudinem non sunt sub præcepto, ac proinde neque sunt necessariæ, ad valorem Sacramenti. In quo Doctores conueniunt, quia per vnctiones quinque sensuum, seu organorum illorum, & per formas eis correspondentes, sufficienter significatur remissio omnium peccatorum, quæ est effectus huius Sacramenti, quia omnia peccata, adhuc spiritualia, originantur ab speciebus per sensus acceptis. *Eugen. IV.*

Est tamen difficultas, An vnctiones in quinque organis sensuum sint necessariæ necessitate Sacramenti, seu ad valorem illius.

Archiepiscopus, & Doctores Louanienses anno Domini M. D. LXXXVIII. existimarunt, Sacramentum Extremæ Vnctionis essentialiter perfici in quauis vnctione, in quouis sensu facta, ita vt quælibet cum forma sibi correspondente sit essentialiter Sacramentum, imò est essentialiter totale, quamuis non totale integraliter, sed partiale: sicut sunt plures ordinationes, & etiam species panis & vini in Eucharistia: quod probabile existimat Ægidius disput. 19. dub. 5. Probari autem potest: quia quæuis vnctio in quouis sensu per se est integra & sufficiens vt homo dicatur simpliciter & absolutè vnctus, & forma cuilibet correspondens habet significationem independentem ab alijs formis, ergo quælibet vnctio in quolibet sensu cum forma sibi correspondente est sufficiens ad Sacramentum essentialiter perfectum, vtpote sufficiens ad significandum, & consequenter ad conferendum vnctionem spiritualem animæ, sicut quælibet ordinatio, cum forma sibi correspondente sufficit ad perficiendum essentialiter Sacramentum ordinationis, quamuis non integraliter.

Sotus verò in 4. dist. 23. quæst. 1. artic. 3. Bellarminus cap. 10. Valentia disput. 8. quæst. 2. punct. 2. Adamus Tannerus disp. 7. dub. 1. & communiter Doctores dicunt, quinque vnctiones quinque sensuum esse essentiales, seu necessarias necessitate Sacramenti, ita vt qualibet deficiente, non sit essentialiter Sacramentum, & meritò, Primò, quia vnctiones in quinque sensibus semper sunt adhibitæ absque dispensatione; ergo absque grauissimo fundamento, quod verè non est, negari nequit, eas omnes ad essentiam & valorem Extremæ Vnctionis indiuisibiliter requiri. Secundò, quia quælibet forma singulis vnctionibus correspondens, habet sensum & significationem dependentem ab aliis formis, quia remissio mortalium, quæ originantur ab vno sensu, & per formam vnctioni ipsius correspondentem, significatur, dependet, dependentiâ comitante à remissione mortalium, quæ originantur à quouis alio sensu, & significatur & fit per formam correspondentem vnctioni illius sensus à quo originantur; quia vnum mortale non remittitur absque alio; ergo omnes quinque vnctiones indiuisibiliter pertinent & requiruntur ad essentiam Sacramenti Extremæ Vnctionis: significatum autem formæ vnius ordinationis, non pendet à significato formæ alterius ordinationis, neque ministerium vnius à ministerio alterius. *Sotus. Bellar. Valen. Tann.*

Vnde ad rationem pro aduersarijs respondemus, quòd etiam si quæuis vnctio, in quouis sensu facta sufficiat, vt homo sit simpliciter vnctus, sed non vt sit vnctus in omnibus partibus, à quibus originatur tota infirmitas animæ, quæ quando est mortalis, simul est auferenda; neque forma vnius vnctionis, absque formis aliarum sufficit

ad

ad totius infirmitatis sanitatem significandam, non solùm significatione humana, seu ex hominum institutione, sed neque significatione diuina & Sacramentali, ac proinde omnes vnctiones & formæ simul indiuisibiliter causant gratiam, sicut simul indiuisibiliter significant Sacramentaliter.

Ita tamen necessarium est necessitate præcepti & Sacramenti, vnctiones fieri in quinque sensibus, seu in quinque organis sensuum, vt ad valorem Sacramenti non sit necessarium, vnctionem fieri in duabus partibus cuiuslibet sensus, v.g. in duobus oculis, & in duabus auribus, & in duabus naribus, sed sufficiat in vna tantùm parte, quia vnius partis vnctione, sensus seu organum sensus absolutè & simpliciter vngitur, est tamen necessarium necessitate præcepti ob consuetudinem Ecclesiæ, ac proinde omittendum non est, nisi vrgeat necessitas aliqua, aut periculum omittendi vnctiones in reliquis sensibus. Neque ad valorem Sacramenti necessarius est ordo aliquis inter dictas vnctiones, quamuis ob consuetudinem Ecclesiæ seruandus sit sub præcepto ordo in Manuali præscriptus, ac proinde nequeat absque aliquali peccato inuerti.

Qui autem caret organo alicuius sensus, vngendus est in parte illi propinqua, vt vsus Ecclesiæ obtinet.

DIFFICVLTAS VII.

Quæ sit forma Sacramenti Extremæ Vnctionis.

COnueniunt Catholici, formam Extremæ Vnctionis esse verba illa quæ præscribuntur ab Eugenio IV. in suo Decreto, & à Tridentino sess. 14. cap. 1. nempe, *Per istam sanctam Vnctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, amen.* & sic de alijs vnctionibus aliorum sensuum. Vnde, iuxta ea quæ diximus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione 1. Difficult. XII. & sequentibus, quæcumque alia verba, quoad sensum prædictis æquiualentia, sufficiunt pro forma Extremæ Vnctionis.

Eugen. IV. Trident.

Est tamen difficultas, An ad valorem Extremæ Vnctionis ita necessaria sit forma modo deprecatiuo collata, vt traditur ab Eugenio IV. & à Tridentino, vt ad illum non sufficiat, si conferatur modo indicatiuo seu affirmatiuo.

Richardus. Paludan. Durandus. Tanner.

Richardus in 4. dist. 23. art. 1. q. 4. Paludanus q. 1. art. 2. Albertus art. 4. Durandus q. 3. & Adamus Tannerus dub. 1. dicunt, ad valorem Extremæ Vnctionis sufficere formam modo indicatiuo seu affirmatiuo prolatam, nempe, *Vngo te in indulgentiam cuiuscumque, quod deliquisti per visum, amen*; & sic de alijs. Primò, quia in alijs Sacramentis sufficit forma modo indicatiuo prolata, ergo etiam in hoc. Secundò, quia apud Mediolanenses tempore Ambrosij, & olim apud Venetos, forma Extremæ Vnctionis proferebatur modo indicatiuo, nempe *vngo te*, nulla deprecatione superaddita.

Sotus. Suarez. Ægidius.

Sotus verò in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 4. Suarez disp. 40. sect. 3. Ægidius disp. 19. dub. 4. & communiter Doctores dicunt, ad valorem Extremæ Vnctionis non sufficere formam modo indicatiuo prolatam, absque deprecatione pro remissione peccatorum, & meritò: quia id obtinet consuetudo Ecclesiæ, quæ semper vsa est forma deprecatiua pro peccatis, & id significat Iacobus cap. 5. dum ait, *Et orent super eum, & oratio fidei*, &c. in quibus verbis continetur forma huius Sacramenti, & in eis continetur & significatur deprecatio. Accedit quòd forma deprecatiua est sufficiens ad valorem huius Sacramenti; ergo ad id non sufficit forma indicatiua, quia hæc non æquialet deprecatiuæ quoad sensum, & in nullo Sacramento sunt duæ formæ non æquialentes quoad sensum.

Addimus, vt contra Sotum, Suarez, Adamum, & alios aduertunt Didacus Nugnus 3. part. q. 23. art. 8. & Bonacina dist. 9. q. vnica, pun. 3. ad valorē Extremę Vnctionis non sufficere hanc formam, nempe, *Vngo te, vt per suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, &c. quia in his verbis non continetur deprecatio circa Deum, qua minister de facto deprecetur Deum pro remissione peccatorum, sed tantùm continetur remissio tamquam finis intentus à ministro, vt denotatur per illam particulam *vt*.

Nugnus. Bonacina.

Ad primam ergo rationem respondemus, in alijs Sacramentis sufficere (imò necessariam esse) formam indicatiuam, non tamen in hoc quia Christus sic voluit & instituit, vt ex dictis deducitur: congruentia autem huius discriminis est, quia minister huius Sacramenti institutus est instar Medici qui vnctione sanat, & non instar imperantis seu superioris; in alijs verò institutus est vel instar iudicis, vt in Sacramento Pœnitentiæ, vel instar superioris, vt in Sacramentis Baptismi & Confirmationis & Ordinis, vel instar contrahentis, vt in Sacramento Matrimonij.

Ad secundam respondemus, difficilè credendum esse, apud Mediolanenses & Venetos verbis indicatiui non fuisse superadditam veram aliquam deprecationem erga Deum, nostræ deprecationi æquialentem: quod si ita non fiebat, vt potuit errari, & non fieri, id debuit corrigi, & Ecclesiæ ipsorum debuerunt Romanæ accommodari, vt modò fit.

Addimus, verba illa, *sanctam, & pissimam*, & illa, *suam misericordiam*, saltem esse necessaria necessitate præcepti ob consuetudinem Ecclesiæ, ac proinde non posse absque peccato omitti, imò & mortali, quando recipiens non admonetur de periculo nullitatis: est tamen verisimile, non esse necessariam necessitate Sacramenti; quia illis deficientibus manet idem sensus integer. Et idem sentiunt Ægidius & Reginaldus, Bonacina & Adamus de particula significante sensum qui vngitur, nempe, *per visum, per auditum*, &c.

Ægidius. Reginald. Bonacina.

Circa inuocationem Trinitatis conueniunt Doctores, non esse necessarium necessitate Sacramenti; dissentiunt tamen, an sit necessaria necessitate præcepti. Paludanus & Angelus affirmant: Petrus Ledesma & Suarez negant. Nos tamen, vt optimè Ægidius, asserimus, in vnaquaque Ecclesia seruandam esse consuetudinem illius sub præcepto.

Paludan. Angelus. Ledesma. Suarez.

Repetere quoque integram formam ad vnctionem cuiusque sensus, ad minus est necessarium necessitate præcepti, & præcepti grauis, quando suscipiens non admonetur de periculo nullitatis: esse tamen necessarium necessitate Sacramenti, non est certum, sicut non est certum esse

sic necessarium plus quàm vnam vnctionem. Est tamen verius, sicut verius est esse sic necessarias quinque vnctiones quinque sensuum, quia vnctio absque forma sibi correspondente, non sufficit ad valorem Extremæ Vnctionis. Nihilominùs credimus, hanc vnicam formam sufficere ad valorem, nempe, *Per istas sanctas Vnctiones, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum.* interim vngendo organa quinque sensuum; quia hæc forma æquiualet quinque formis repetitis, cùm per ipsam significentur quinque illæ vnctiones, sicut etiam Tractatu de Baptismo Disputatione 11. Difficultate VIII. dicimus, ministrum posse plures validè baptizare illis verbis semel prolatis, *Ego vos baptizo in nomine Patris*, &c.

DIFFICVLTAS VIII.

Quos effectus tribuat Sacramentum Extremæ Vnctionis.

COnueniunt Doctores, per Extremam Vnctionem, siue per se & primariò, siue per accidens & secundariò, conferri gratiam iustificantem, qua remittantur peccata si quæ sint, & cui sunt annexa auxilia gratiæ, quibus infirmus excitatur & confortatur ad spem vitæ æternæ, & quibus fortiter resistit tentationibus dæmonis tunc vehementiùs tentantis; & etiam conferri sanitatem corporis, quando expedit animæ. Quos effectus exprimit Tridentinum sess. 14. in Proœmio de Sacramento Extremæ Vnctionis, & cap. 2. & satis insinuat D. Iacobus cap. 5. dum ait, *Et oratio fidei saluabit* (id est liberabit à periculo mortis) *infirmum, & alleuiabit eum Dominus* (id est confortabit & excitabit, vt dicitur in Græco) *& si in peccatis sit, remittentur ei.* *Trident.*

Ita tamen per Extremam Vnctionem remittuntur peccata, vt non tantùm remittantur quoad ipsorum reliquias, in quo conueniunt Doctores, sed etiam remittantur quoad culpam, vt contra Sotum in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 2. docent Scotus, Bonauentura, Richardus, Durandus, Bellarminus, Vasquez, Suarez, Ægidius, & communiter Doctores, & expressisse videtur Tridentinum, dum ait: *Res huius Sacramenti, gratia est Spiritus sancti, cuius vnctio delicta si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.* Vbi dum distinguit delicta & peccata à reliquijs peccatorum, & abstersionem delictorum ab abstersione reliquiarum eorum, per peccata & delicta intelligit illa secundùm se & quoad culpam, & per remissionem aut abstersionem delictorum intelligit remissionem eorum quoad culpam. Accedit, quòd remissio peccatorum quoad culpam propriùs significatur verbis Tridentini, quàm remissio eorum quoad pœnam, quibus can. 2. tribuit Sacramento Extremæ Vnctionis remissionem peccatorum, dum in eo damnat dicentes, Vnctionem infirmorum non conferre gratiam, neque remittere peccata. Et idem propriùs etiam significatur verbis formæ, nempe, *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, & verbis Iacobi 5. *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* *Sotus. Bonauent. Richardus Durandus. Bellarmin. Vasquez. Suarez. Ægidius. Trident.*

Est tamen difficultas, An per Extremam Vnctionē tantùm remittantur peccata venialia quoad culpam, an etiam mortalia.

Scotus in 4. dist. 23. quæst. 1. Bonauentura art. 1. quæst. 1. Richardus art. 1. quæst. 5. Durandus quæst. 1. art. 3. & Vasquez quæst. 87. art. 3. dub. 2. & 3. docent, per Extremam Vnctionem tantùm remitti peccata venialia quoad culpam, & non mortalia: quod significare videtur Eugenius IV. in suo Decreto, dum nullum alium effectum assignat huic Sacramento, quàm sanitatem mentis, & etiam corporis, si animæ expediat; sanatio autem mentis non est liberatio à mortalibus, quia mortalia sunt mors animæ, sed liberatio à venialibus, quæ sunt morbus & infirmitas animæ, & etiam à reliquijs peccatorum. Auctores tamen huius sententiæ variant in modo, quo peccata venialia remittantur per Extremam Vnctionem, quia quidam existimant, non remitti immediatè per illam, sed mediante contritione de venialibus, quam Extrema Vnctio excitet: alij verò immediatè, præsuppositā tamen attritione eorum vt dispositione. *Scotus. Bonauentura. Richardus. Durandus. Vasquez. Eugen. IV.*

Bellarminus cap. 8. Suarez disp. 41. sess. 1. Henriquez lib. 3. cap. 9. Ægidius disp. 19. dub. 7. & Laymannus tract. 8. cap. 5. & Adamus dub. 2. docent, per Extremam Vnctionem non tantùm remitti venialia quoad culpam, sed etiam mortalia, & meritò: quia efficaciter satis deducitur ex dictis verbis Iacobi, & Tridentini, & ipsius formæ. Primò, quia in eis generaliter dicitur remitti peccata; peccata autem regulariter supponunt pro mortalibus, non excludendo venialia. Secundò, quia à Iacobo & à Tridentino dicitur remitti peccata, si quæ sint; appositione autem huius conditionis significatur, peccata, de quibus præcipuè est sermo, non inueniri regulariter, & tamen peccata venialia regulariter inueniuntur. Tertiò, quia verbis illis, *quidquid deliquisti per visum*, &c. positis in forma Extremæ Vnctionis, significatur distributiuè quodcumque peccatum, quod saltem originatiuè potest per sensus committi; per sensus autem peccata mortalia, & non rarò, committuntur. *Bellarm. Henriq. Ægidius. Laymann.*

Obseruandum tamen est, quòd quamuis per Extremam Vnctionem semper remittantur venialia, non tamen semper mortalia; sed tunc tantùm, quando infirmus, qui vngitur, excusatur ab eorum confessione, & contritione perfecta de illis, vel quia infirmo deficiunt sensus, vel loquela, vel memoria peccatorum mortalium, vel quia illi non occurrit virtus contritionis perfectæ ad remissionem eorum, vel quia bona fide credit fuisse ritè confessa, vel non esse necessarium suscipere Extremam Vnctionem in statu gratiæ, vel alia de causa, ita vt absque mala fide suscipiat Extremam Vnctionem, vt aduertunt Bellarminus, Suarez, Ægidius, & Laymannus. Et in primis, non semper remittuntur peccata mortalia per Extremam Vnctionem, aliàs Christus non necessariò illa subiecisset Sacramento Pœnitentiæ: remittuntur tamen in casu susceptionis illius absque mala fide, quia quamuis mortalia sint per se necessariò subiecta Sacramento Pœnitentiæ, quia tamen aliquando per accidens non possunt subijci, vel peccator excusatur à confessione illorum, ideò conuenientissimum fuit, & benignitati Christi maximè consonum, vt pro eo vltimo tempore, à quo pendet æternitas, institueretur Sacramentum *Bellarm. Suarez. Ægidius. Laymann.*

mentum pro remissione mortalium in casu dicto, ne infirmus impotentia aut ignorantia inuincibili, aut alia de causa bona fide confessionem eorum & contritionem perfectam omittens, damnetur in æternum. Remissio autem mortalium, quamuis sint mors animæ, dici potest sanatio mentis, quia sunt mors spiritualis, relinquentia vitam physicam animæ. Ad eorum tamen remissionem, & etiam venialium, requiritur attritio omnium eorum, saltem ex motiuo comprehendente omnia quæ remittuntur, quia Deus nullum peccatum propria voluntate commissum remittit absque dispicentia illius.

Abstergit autem Extrema Vnctio peccata venialia, & in casu dicto bonæ fidei, mortalia quoad culpam, vt iam diximus, & omnia quoad eorum reliquias, quod quoad has exprimit Tridentinum *Trident.* cap. illo 2. Hæ autem reliquiæ sunt non tantùm pœnæ debitæ (quæ non rarò restant post remissionem peccatorum quoad culpam) ex quibus plures aut pauciores auferuntur pro maiori aut minori dispositione suscipientis, sed etiam est mœror & anxietas, quæ ex peccato relinqui solent, & in fine vitæ solent maximè vexare, quæ hoc Sacramento auferri solent medijs auxilijs gratiæ, quibus homo confortatur & alleuatur. vnde verbo illo formæ, *indulgeat*, remissio seu ablatio peccatorum significatur, non tantùm quoad culpam, sed etiam quoad pœnam, & quoad mœrorem & anxietatem, modo dicto.

Effectus ergo Extremæ Vnctionis est gratia sanctificans, qua, medijs auxilijs sibi annexis, ægrotus animo infirmus, mœstus, & anxius, confortatus & alleuatus resistit dæmoni in extremo vitæ (vt significatur in Tridentino in dicto Proœmio, & insinuatur à Iacobo cap. 5.) & qua remittuntur peccata quoad culpam si quæ sunt, etiam mortalia, à quorum confessione & perfecta contritione infirmus tempore vnctionis excusetur; & etiam per Extremam Vnctionem confertur remissio dictorum peccatorum quoad pœnam pro ipsis debitam, secundùm mensuram dispositionis infirmi, & etiam confertur sanitas corporis si animæ expediat.

Et quamuis hoc Sacramentum institutum sit etiam ad conferendam primam gratiam sanctificantem, dicitur tamen viuorum, quia per se absque accidente aliquo tantùm confert augmentum gratiæ, primam verò gratiam tantùm per accidens, quando scilicet quis aliquo accidenti, aut impotentiæ, aut ignorantiæ, aut inaduertentiæ excusatus est à confessione & contritione mortalium. Nihilominùs minister potest Extremam Vnctionem conferre infirmo non potenti confiteri, & non recusanti susceptionem illius, quamuis credat infirmum esse in peccato mortali, dum non credat illum carere attritione, & dum non credat tunc illum peccare mortaliter, quia non conteritur perfectè, quæ non debet credere quamdiu ipsi non constat oppositum.

DIFFICVLTAS IX.

Quando Extrema Vnctio confert gratiam.

COnueniunt Doctores, per primam tantùm vnctionem cum sua forma non conferri totam gratiam Extremæ Vnctionis, quia prima vnctio cum sua forma non est totum ipsum Sacramentum, quia etiam reliquæ vnctiones cum suis formis pertinent ad essentiam huius Sacramenti, siue diuisibiliter, ita vt quælibet etiam prima sit essentialiter Sacramentum integraliter partiale; siue indiuisibiliter, ita vt in omnibus simul vna ratio Sacramenti indiuisibiliter reperiatur, iuxta varios modos philosophandi circa essentiam Extremæ Vnctionis, de quo diximus Difficultate VI.

Est tamen difficultas, An tota gratia Extremæ Vnctionis indiuisibiliter conferatur per omnes vnctiones cum suis formis, quando vltima perficitur & completur; an verò gratia incipiat diuisibiliter conferri à prima vnctione, ita vt cuilibet vnctioni cum sua forma correspondeat pars intensiua gratiæ.

Scotus in 4. dist. 23. quæst. vnica ad 2. Paludanus quæst. 1. art. 5. Medina Cod. de Confessione, quæst. 11. satis indicat, per primam vnctionem, & per quamlibet aliam, conferri partem seu gradum gratiæ, cuilibet correspondentem, sicut per quamlibet ordinationem; ac proinde gratiam incipere diuisibiliter & particulariter conferri à prima vnctione; & id probabile existimant Suarez distinct. 41. sect. 2. & Ægidius disp. 19. dub. 6. quia Extrema Vnctio non minùs constat partialibus materijs & partialibus formis, quàm ordinatio, ergo vnctio non minùs constat partialibus materijs & partialibus formis, quàm ordinatio, ergo vnctionibus nõ minùs correspondent partiales effectus & gradus gratiæ, quàm partialibus ordinationibus. *Scotus. Paludan. Medina. Suarez. Ægidius.*

S. Thomas verò in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad 3. Suarez, Ægidius, & communiter Doctores dicunt, nihil gratiæ conferri per Extremam Vnctionem, quousque perficiatur quinta vnctio cum sua forma, & meritò: quia generale est omnibus Sacramentis quæ vsu perficiuntur, nihil gratiæ conferre quousque essentialiter perficiantur, vt dicimus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione 111. Difficultate VII. quia anteà non sunt verè Sacramenta; sed Sacramentum Extremæ Vnctionis essentialiter perficitur indiuisibiliter quinque vnctionibus, & formis ipsis correspondentibus, vt diximus Difficultate VI. ergo quousque quinta vnctio, & forma ipsi correspondens sint perfectæ, nihil gratiæ confertur per illud. Confertur ergo gratia in vltimo instanti terminatiuo quintæ vnctionis, aut in instanti vltimo terminatiuo prolationis suæ formę, si hæc posteriùs perficitur quàm vnctio, quia in eo vltimo instanti perficitur hoc Sacramentum, siue extrinsecè absque proprio indiuisibili, vt quidam existimant, siue intrinsecè medio proprio indiuisibili. Sacramenta autẽ quæ vsu perficiuntur, statim ac perfecta sunt conferunt gratiã independenter à voluntate ministri, quia illã conferunt instar causarum naturalium. Et quoad hoc idem est de remissione peccatorum quoad pœnam, quòd scilicet quoad hanc remittantur in eo vltimo instanti; ac de collatione gratiæ, & remissione peccatorum quoad culpam. Auxilia verò gratiæ huius Sacramenti annexa gratiæ huius Sacramẽti, & quæ conferuntur contra reliquias peccatorum quando conferuntur, non necessariò conferuntur statim in eo instanti vltimo in quo perficitur Sacramentum, sed in instanti aut in tempore opportuno, sicut & sanitas corporalis quando confertur. *S. Thomas. Suarez. Ægidius.*

Quòd autem Extrema Vnctio conſtet pluribus vnctionibus, & pluribus formis partialibus, ſicut ordinatio, non ſufficit vt cuilibet vnctioni cum ſua forma correſpondeat gratia partialis, ſicut correſpondet cuilibet ordinationi, quia ad eſſentiam Extremæ Vnctionis omnes vnctiones cum ſuis formis indiuiſibiliter requiruntur, & non ſic omnes ordinationes ad eſſentiam Sacramenti Ordinis, vt diximus Difficultate VI. effectus autem Sacramentalis non prouenit niſi ab eo quod habet eſſentiam Sacramenti.

DIFFICVLTAS X.

Qui ſint capaces Extremæ Vnctionis.

COnueniunt Primò Doctores, baptizatos, & non alios eſſe capaces Extremæ Vnctionis, quia Baptiſmus generaliter eſt ianua reliquorum Sacramentorum: & id peculiariter ſignificat D. Iacobus cap. 5. illa particula, *in vobis*, dum ait, *Infirmatur quis in vobis?*

Conueniunt Secundò, eos tantùm eſſe capaces Extremæ Vnctionis, qui aliquando vſi ſunt ratione ſufficiente ad peccandum, non verò infantes, neque à natiuitate amentes: quod vſus Eccleſiæ probat, & ſignificat Iacobus cap. 5. dum ait, *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ.* in quibus verbis ſupponit, eum qui vngendus eſt, petiturum Extremam Vnctionem, & ipſi conſenſurum ſaltem interpretatiuè; quod tantùm conuenit illis qui vtuntur aut aliquando vſi ſunt ratione. Et non eſt mirum pro his ſolis inſtitutam fuiſſe, quia inſtituta fuit ad conferendam gratiam, cui annexa ſint auxilia ad reſiſtendum dæmoni in extremis vehementer inſidianti, & ad remiſſionem peccatorum, ſi quæ ſint; & ſoli prædicti ſint capaces auxiliorum & peccatorum, non verò infantes & perpetuò amentes.

Poteſt autem Extrema Vnctio non ſolùm validè, ſed etiam licitè conferri adulto, qui habet aut habuit vſum rationis ſufficientem ad peccandum, etiamſi nondum ad Euchariſtiam, adhuc vt Viaticum, admittatur, ob defectum ſufficientis diſcretionis ad id, vt contra Sotum & Viualdum aduerſunt Nauarrus cap. 22. num. 13. Suarez tom. 3. diſp. 70. & Laymannus cap. 4. quia ad recipiendam Extremam Vnctionem non requiritur tanta diſcretio, quanta ad receptionem Euchariſtiæ, ſed ſufficit illa quæ ſufficit ad receptionem Sacramenti Pœnitentiæ, cuius Extrema Vnctio eſt conſummatiua.

Nauarrus. Suarez. Layman.

Eſt tamen difficultas, An adultus præditus ſufficienti vſu rationis ac peccandum, qui tamen numquam peccauit actualiter, ſit capax Extremæ Vnctionis, & ipſi poſſit validè conferri.

Vaſquez diſp. 119. cap. 8. & Nugnus quæſt. 32. art. 2. partem negatiuam tuentur, quam indicare videtur Tridentinum ſeſſ. 14. in Proœmio ad Extremam Vnctionem, dum ait, hanc eſſe conſummatiuam pœnitentiæ; quia qui non peccauit actualiter, non eſt capax Sacramenti Pœnitentiæ. Et ratione probatur, quia ei, qui numquam peccauit actualiter, nequit applicari forma Extremæ Vnctionis, nempe, *indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti*, &c. ergo non eſt capax Extremæ Vnctionis.

Vaſquez. Nugnus.

Bonauentura verò in 4. diſt. 23. part. 2. art. 1. quæſt. 3. Suarez diſt. 42. ſeſſ. 3. & Ægidius dub. 7. partem affirmatiuam meritò tradunt, quam ſignificat Iacobus, dum ait, *& ſi in peccatis ſit, remittentur.* quo ſupponit, Extremam Vnctionem etiam eſſe inſtitutam ad aliud quàm ad indulgentiam peccatorum. Et ratione probatur, quia quamuis infirmus non peccauerit actualiter, ex vna parte poteſt recipere gratiam ſanctificantem, cui annexa ſint auxilia ad reſiſtendum dæmoni in extremis fortiter tentanti, & ex altera parte forma Extremæ Vnctionis, poteſt verè & vtiliter applicari ei qui numquam peccauit actualiter; verè quidem, quia particula *quidquid deliquiſti*, ſumitur conditionatè, vt ſignificat Iacobus illis verbis, *& ſi in peccatis ſit, remittentur ei*; vtiliter verò, quia quamuis deficiat conditio, nempe *ſi deliquiſti*, & ob id tunc non fiat remiſſio peccatorum, ex vi tamen illius formæ confertur gratia Sacramentalis, reſpectu cuius forma non habet ſenſum conditionatum, & ob id illi qui nullatenus peccauit per aliquem ſenſum, ſiue illo caruerit ſiue non, poteſt verè & vtiliter applicari forma vnctioni illius ſenſus correſpondens: ex quo conſtat ad rationem aduerſariorum. Extrema verò Vnctio dicitur à Tridentino conſummatiua pœnitentiæ, quia etiam eſt inſtituta ad remiſſionem peccatorum, quæ ignorantiâ, aut impotentiâ, aut bona fide non ſubijciuntur Sacramento Pœnitentiæ, & etiam ad remiſſionem pœnarum reſtantium, eorum quæ ſubiecta fuerunt.

Aegidius.

Conueniunt Tertiò Doctores, ſolos infirmos eſſe capaces Extremæ Vnctionis validæ, vt ſignificant Eugenius IV. in ſuo Decreto, & Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 3. & deducitur ex Iacobo cap. 5. illis verbis, *Infirmatur quis in vobis?* & eos ſolos infirmos eſſe capaces illius (quidquid Ægidius dicat num. 25.) qui adeò grauiter infirmi ſunt, vt ſint in periculo mortis, quòd vſus Eccleſiæ probat, & ſignificant Eugenius & Tridentinum vbi ſuprà, & etiam Iacobus illis verbis, *& oratio fidei ſaluabit infirmum*, nempe à periculo mortis. Ad valorem tamen Extremæ Vnctionis non eſt neceſſarium, illam conferri adeò grauiter infirmo, vt iam agat animam, & ſit in articulo mortis, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, & ſignificat Eugenius IV. dum ait, non debere dari niſi infirmo de cuius morte timetur, vbi ſupponit, conferri poſſe infirmo quando timetur mors, adhuc ante articulum ipſum; & Tridentinum, dum ait, conferendam eſſe infirmis, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur, quia particula *præſertim* denotat etiam poſſe ante eum articulum conferri: & quia periculum mortis infirmi non poteſt ſemper certò cognoſci, credendum eſt, ex inſtitutione Chriſti Extremam Vnctionem validè conferri infirmo, qui prudenter iudicatur eſſe in periculo mortis, quamuis verè in eo non ſit, quod ſatis indicant Eugenius IV. dum ſupponit poſſe conferri illi de cuius morte timetur; & Tridentinum, dum ait, conferendam eſſe infirmis, illis verò præſertim, qui tam periculosè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur, id eſt iudicentur.

Eugen. Trident.

Ad valorem ergo Extremæ Vnctionis ſufficit, conferri ægrotanti periculosè (ſiue in re, ſiue in exiſtimatione prudente) ſtatim ac periculosè ægrotat, ſaltem in exiſtimatione prudente; nihilominus

Bonauent.

minùs expedit eam conferri ad exitum vitæ, ne fortè gratia ante mortem amittatur, sed conferenda est antequam infirmus destituatur sensibus, vt eam cum maiori deuotione recipiat. Infirmo verò de quo dubitatur an viuat, conferenda est Extrema Vnctio, siue à principio, siue continuando ipsam iam inceptam, non tamen absolutè, sed sub conditione, siue exterius expressa, siue interius tantùm concepta.

Eugen. IV. Trident. Obseruandum est, quòd quamuis Extrema Vnctio non imprimat characterem, vt definit Eugenius IV. & supponit Tridentinum sess. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, nihilominùs eodem periculo mortis perseuerante, nequit validè iterari; in quo Doctores conueniunt, & constat ex vsu Ecclesiæ. Addimus, non posse validè iterari, eodem periculo perseuerante: quia quoties adest nouum periculum, quamuis infirmitas non cessauerit totaliter, toties potest nouiter conferri, vt aduertunt *Suarez.* Suarez & *Ægidius.* Ægidius, quia Extrema Vnctio instituta est pro infirmo periculosè laborante, ac proinde quoties nouo laborat periculo, toties iterari potest. Vt verò nouum adsit periculum, non requiritur maius temporis interuallum, quam quòd requiritur vt infirmus dicatur prius periculum euasisse, seu fuisse extra illud.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm baptizati teneantur suscipere Extremam Vnctionem.

COnueniunt Doctores, excepto Petro Soto, nullum esse præceptum suscipiendi Extremam Vnctionem, quamuis adsit opportunitas & commoditas illam suscipiendi, quia nullum potest ostendi præceptum; quia non positiuum, neque diuinum, neque humanum, quia de neutro præcepto positiuo constat; neque præceptum naturale, quia Extrema Vnctio, quamuis sit vtilissima ad salutem æternam, & plurimi ob susceptionem illius saluati sint, qui damnarentur si eam non suscepissent, non tamen est simpliciter necessaria, ac proinde non obligat infirmum ex beneficientia, neque ex misericordia erga se ipsum, ex quarum aliqua aut ex vtraque oriretur præceptum naturale, si aliquod esset.

In omissione tamen susceptionis illius, potest peccatum, imò & mortale, contingere: aut, si ex contemptu omittatur, iudicando indignum esse, vel puerile, vel pauci momenti, suscipere Extremam Vnctionem; aut, si fortè omittatur cum scandalo, vt posset contingere, quamuis rarò, si quis Extremam Vnctionem oblatam recusaret absolutè absque vlla causa, quia induceret alios ad suspicionem hæresis, aut contemptus in ipso; secùs si recusaret illam data aliqua rationabili causa, præsertim si eam non recusaret absolutè, sed tantùm non tam citò recipere illam, vel quia credit se non esse in extremis, vel alia de causa.

Obseruandum est, in quo conueniunt Doctores, ante Extremam Vnctionem non esse obligationem suscipiendi Eucharistiam ratione Extremæ Vnctionis, quia de hac obligatione non constat, neque suscipiendi Sacramentum absolutionis, quia ad recipiendam Extremam Vnctionem sufficit status gratiæ, qui contritione perfecta (siue formali siue virtuali) obtineri potest.

DIFFICVLTAS XII.

Quis sit minister Extremæ Vnctionis.

COnueniunt Doctores, ministrum sufficientem & necessarium ad valorem Extremæ Vnctionis, esse Sacerdotem. Et id intendunt Eugenius IV. in suo Decreto, & Tridentinum sess. 14. cap. 3. dum pro ministro Extremæ Vnctionis assignant Sacerdotem: & id significat Iacobus c. 5. dum ait, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ.* vbi per *Presbyteros* non intelligit seniores, sed verè Sacerdotes, vt exponit Tridentinum, & vsus Ecclesiæ ostendit, in qua nullus nisi Sacerdos illam administrat, etiamsi infirmus decessurus sit absque Extrema Vnctione, quia deficit Sacerdos. *Eugen. IV. Trident.*

Innocentius verò I. Epistola 1. ad Decentium cap. 8. quando ait, non tantùm Sacerdotibus, sed etiam omnibus Christianis in sua & suorum necessitate licere vti oleo sancto ab Episcopo confecto, aut loquitur de vsu dicti olei non ad conficiendum Sacramentum, sed ad sanandum corpora; aut si loquitur de vsu ad conficiendum Sacramentum, non loquitur de vsu actiuo, sed de passiuo, quasi diceret, licere vngi, sed non nisi à Presbyteris, vt deducitur ex verbis antecedentibus.

Obseruandum est Primò, quòd quamuis quilibet Sacerdos sit sufficiens minister ad valorem Extremæ Vnctionis, nullus tamen, nisi proprius Pastor, aut de ipsius licentia, potest, nisi in necessitate, illam administrare, quia id est proprium officium Pastoris. Et Religiosi non Religiosis administrantes Extremam Vnctionem absque Parochi licentia, ipso facto excommunicantur in Clementina 1. de Priuilegijs. In necessitate tamen, quando aliàs ægrotus moriturus est absque Extrema Vnctione, quilibet Sacerdos, etiamsi Parochus ægrè ferat, licitè potest illam administrare, vt contra Toletum docent Suarez disput. 44. sess. 2. Valentia disp. 8. quæst. 1. puncto 2. Ægidius num. 28. & Reginaldus lib. 28. num. 61. quia Ecclesia in ea necessitate interpretatiuè consentit Extremam Vnctionem à quocumque Sacerdote administrari. *Suarez. Valentia. Ægidius. Reginald.*

Obseruandum est Secundò, quòd quamuis ad valorem Extremæ Vnctionis necessarium sit, quamlibet vnctionem cum sua forma ab eodem ministro fieri, vt significat Iacobus, dum ait, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum,* &c. quo supponit, eumdem debere esse vngentem & proferentem verba, & etiam significatur illa particula formæ, *Per istam sanctam Vnctionem,* quia per eam particulam, iuxta communem modum loquendi, significatur actio, prout exercita à proferente: nihilominùs diuersæ vnctiones cum suis formis possunt validè à diuersis ministris fieri, vt aduertunt communiter Doctores, quia quælibet forma suæ vnctioni applicata habet perfectum sensum; nequit tamen fieri licitè, nisi in necessitate, quia id est contra vsum Ecclesiæ. In necessitate tamen, vt si qui vnam fecit, statim moriatur, aut aliter impediatur, potest alter licitè vnctio-

vnctiones reſtantes cum ſuis formis efficere, quia ex vna parte, quæ à priori miniſtro fuit facta, fuit validè facta, & ex altera parte Eccleſia non vult infirmum abſque Extrema Vnctione perfecta decedere.

Obſeruandum eſt Tertiò, Parochum ex iuſtitia aut ex fidelitate teneri conferre Extremam Vnctionem ægroto ea indigenti, & eam ſaltem interpretatiuè petenti, quia tenetur non ſolùm neceſſaria, ſed etiam vtilia rationabiliter petenti conferre, præſertim in periculo mortis: nihilominùs ad id non tenetur, quando ipſi imminet periculum mortis ex adminiſtratione, vt ob peſtem infirmi, aut aliter, quamuis infirmus ſit abſque Extrema Vnctione deceſſurus, & quamuis nullum aliud Sacramentum ſuſceperit, vt ex alijs aduertit Adamus diſput. 7. num. 62. quia ex vna parte infirmus poteſt abſque Extrema Vnctione per contritionem ſaluari, & ex altera parte non ſatis conſtat, Extremam Vnctionem ſufficere ad delenda mortalia quoad culpam. Quando tamen peſtis eſt communis in populo, abſque dubio tenebitur populum non deſerere, & generaliter vngere, quia id eſt tanti momenti, vt non ſit durum eum tunc obligare vt vitam periculo exponat.



R. P.

R. P.

GASPARIS HVRTADO

DOCTORIS THEOLOGI E SOC. IESV

DE

SACRAMENTIS

TOMVS SECVNDVS,

COMPLECTENS TRACTATVS

DE EVCHARISTIA,

SACRIFICIO MISSÆ, ET ORDINE.

FACVLTAS PROVINCIALIS.

EGo Franciscus Aguado, Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Toletana Prouincia, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Mutio Vitelleschi, Præposito Generali, facultatem facio, vt Tomus secundus de Sacramentis, continens Sacramentum Eucharistiæ, & de Sacrificio Missæ, & Sacramentum Ordinis, Auctore Patre Gaspare Hurtado nostræ Societatis Doctore Theologo Complutensi, & eiusdem Societatis grauium doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Matriti in nostro Imperiali Collegio die XXIII. Aprilis anno M. DC. XXIX.

Franciscus Aguado.

LICENCIA.

NOs el Licenciado D. Fernando de Ballesteros y Saauedra, Vicario General en la Audiencia y Corte Arçobispal desta villa de Alcala, y de todo el Arçobispado de Toledo, &c. Por la presente, y por lo que à nos toca, damos licencia al Padre Doctor Gaspar Hurtado, Religioso de la Compañia de IESVS, Lector de Theologia en el Collegio desta dicha villa, para que pueda imprimir vn libro, intitulado, *Tractatus de Sacramentis Tomus secundus*, atento que nos consta por la censura retroscripta, ser muy vtil y prouechoso, y no auer en el cosa contra nuestra santa Fè Catolica, y buenas costumbres. Dada en Alcala en VIII. dias del mes de Mayo de M. DC. XXIX. años.

D. Fernando de Ballesteros y Saauedra.

Por su mandado.
Diego Lopez de Oliuares.

CENSVRA.

EX mandato D.Licentiati D.Ferdinandi de Balleſteros & Saauedra, Curiæ huius Archiepiſcopalis Generalis Vicarij, Tractatus hos de Euchariſtia, de Sacrificio Miſſæ,& de Ordine,à P.D. Gaſpare Hurtado ſcriptos,diligens legi,attentuſque obſeruaui, in quibus ſuſpicio multa, quæ in alijs tanti Magiſtri ὀperibus iam anteà prædicaui, & meritò ſapientum prædicantur plauſu. Stilus it placidus; vno verbo,affatim dat ſenſus multos: doctrina errorum deterſa illuuie, defæcata nitet,tyronibus perſpicua, veteranis profunda,vtriſque vtilis, planè omnibus neceſſaria. Videas in eo opiniones vetuſtate canas recenti nitore iuueneſcere,& nuperrimè excogitatas eruditionis patrocinio nunc ſeneſcere. Propriam ſententiam vt altè fundat,ſtabilit robuſtè; aduerſariorum placita recenſet fideliter, eorum captiunculas extricat facilis, neque omittendo neque minuendo rationis acumina (quod vitium huius ſæculi eſt) ſed robuſtas vires de proprio ingenio fenerans, vegetiores nonnumquam de hoſte, quàm de patrono, rationes euadunt. Quod de Cypriano adorat olim Theodoricus apud Caſſidorum,ſic inquiens: *Alternæ parti indiſcreta laude placuiſti,ori tuo altercantium deſideria concurrerunt.* Ergo plus placet in illo,quæ ſibi non placet,aliena ſententia,quàm in proprio,cui placet,auctore. Mentior,ſi non perbreui epitoma amplectitur vniuerſa,vt nihil non hîc digeſtum videam,quod ſuper hac re Biblia ſpirant,Concilia condunt, ructant Eccleſiæ Patres, & aut excogitauit Theologorum auctorata vetuſtas,aut recẽtium ingenioſa nouitas. Stupet ſapienter inſcius Magnus Caſſiodorus, vt horologij *paruus radius* (gnomon Græcè dicitur) *immobilis peragat, quod tam miranda magnitudo ſolis diſcurrit.* Miretur etiam,quòd nitidus hic libellus tam facilè,tanta breuitate, quaſi immobilis, tam cito peragat curſu, quod plura Theologiæ aſtra vix cucurrerũt tot voluminum immenſitatibus. *Adulationis ſuſpicione polluatur adfectio, amor currat in vitium,* ait S.Ennodius,dum quod ſentio ſincerè prædico quaſi exaggerans. Panegyrim dicas,& meraciſſima veritas eſt. Compluti die VII. Maij, anni M. DC. XXIX.

Lib. 5. ep. 40.

Lib. 5. ep. 46.

Lib. 1. ep. 10.

D. Petrus de Celada Silua.

LICENTIA.

HVnc Tractatum de Euchariſtia, Sacrificio Miſſæ, & Ordine, auctore R. P. Gaſpare Hurtado ſacræ Theologiæ Doctore Complutenſi meritiſſimo,ac Societatis IESV alumno,iubente Senatu Regio,attenta mentis acie legi,nihilque in eo inueni non admiratione dignum, nihil non ex toto irreprehenſibile. Sic communi comitatus Patrum ſententia diſcurrit, vt eius concluſiones vt plurimum Patrum reſcripta, Conciliorumque iudicentur decreta. Sic in ipſo comitatu ſolus præit, vt nouam gloriam in qualibet quæſtione neſcio quid denuò inuentum conſequatur: nouumque auctorem nouus nouit inueniendi modus:nouus labor pulchrum edit partum. Quæ antiquiſſima Patrum doctrina nouo ſplendore illuſtris inoffenſo ducet Theologię Profeſſores pede. Ingenium ergo felix non ſuperanda indicat manus, & quo micat ars diſcurrendi nitore, grandia quæ legeris, me tacente teſtantur. Hoc meum iudicium.In Carmelo Matritenſi die XIX. Maij M. DC. XXIX.

Fr.Auguſtinus Nuñez Delgadillo.

TRA-

TRACTATVS DE EVCHARISTIA.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura, necessitate, & institutione Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Vtrùm EVCHARISTIA *sit Sacramentum nouæ Legis.*

QVAMVIS non defuerint hæretici, qui generaliter omnia Sacramenta negauerint; nullus tamen fuit, qui alia admittens, negauerit Sacramentum Eucharistię.

De Fide tamen est, Eucharistiam esse vnum è septem Sacramentis nouæ legis à Christo Domino
Eugen. IV. institutum: quod definit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, habito post vltimam sessionem Concilij Florentini, approbato ab ipso Concilio, &
Trident. Tridentinum sess. 7. can. 1. & id supponit sess. 13. & 21. idem habetur in Concilio Lateranensi II. sub Innocentio III. c. 1. & refertur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate & fide Catholica. Idem quoque constat ex perpetua traditione, & ex Patribus, quos in discursu huius Tractatus referemus.

Addimus, Sacramentum Eucharistiæ esse omnium Sacramentorum nouæ legis præstantissimum, in quo Catholici conueniunt, & significat
Trident. Tridentinum sess. 13. cap. 3. præstat autem & excedit reliqua Sacramenta, tum quia continet realiter Christum, tum etiam in ratione Sacramenti, quia copiosiorem gratiam significat, & confert, & hoc posterius ipsi conuenit ex priori: Christus enim instituit Eucharistiam in signum & causam copiosioris gratiæ, quia realiter continet Corpus & Sanguinem ipsius.

DIFFICVLTAS II.

Quid sit Sacramentum Eucharistiæ quantum ad nomen.

EX varijs nominibus, quibus Sacramentum Eucharistiæ nominatur, nonnulla adducemus & explicabimus.

In primis Sacramentum hoc appellatur *Eucharistia*, id est, bona gratia, seu magna gratia. Dicitur *bona*, seu *magna gratia*, vel quia continet realiter Christum, qui est plenissimus gratia, & fons omnium gratiarum; vel quia significat & confert copiosissimam gratiam; vel quia significat futuram gloriam, quæ est magna & consummata gratia; vel quia conficitur & consecratur in gratiarum actionem.

Secundò appellatur *Communio*, quia efficit coniunctionem & vnionem fidelium, vt membrorum inter se, & cum Christo vt capite, vt significat Paulus 1. ad Corint. 10. dum ait: *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus omnes, qui de vno pane participamus.*

Tertiò appellatur *Cœna Domini*, seu *Dominica*, vel quia institutum est in Cœna Domini; vel quia Cœna agni Paschalis fuit figura huius Sacramenti; vel quia medio hoc Sacramento fit coniunctum, quod nomine Cœnæ significari solet. Hoc tamen nomine cautè nobis vtendum est, quia hæretici eo abutuntur, ad significandum Eucharistiam non esse sumendam à ieiunis, quia ad Cœnam præmissa est comestio meridiana; & non esse sumendam nisi in vsu communionis, & qua si cœnæ ad quam plures conueniant.

Quartò appellatur *viaticum* in Concilio Nicęno I. can. 12. quia eo in via & in itinere huius vitæ sustentamur. Et sic communiter & specialiter appellatur, quando ægrotis morti proximis ministratur, quia ipsis ad difficillimum transitum peragendum vires subministrat. *Concilium Nicænũ I.*

Quintò appellatur *mysterium*, quia inter omnia Sacramenta rem maximè occultam, & maximum mysterium continet.

Omittimus alia nomina quibus etiam appellatur, quia eorum facilè potest reddi ratio, & videri possunt apud Scriptores.

DIFFICVLTAS III.

Quid sit Sacramentum Eucharistiæ quantum ad rem, seu in quo consistat.

SVpponimus, in Sacramento Eucharistiæ hæc quatuor reperiri, prolationem videlicet verborum consecrationis, species consecratas, Cor-

pus & Sanguinem Christi, & sumptionem specierum Sacramentalium.

Hoc ergo supposito, difficultas est, In quo aut in quibus ex his quatuor sita sit tota quidditas & essentia Sacramenti Eucharistiæ.

Circa difficultatem hanc Primò sunt qui existiment, totam essentiam Sacramenti Eucharistiæ sitam esse in Corpore & Sanguine Christi, prout contentis sub speciebus Sacramentalibus, his extrinsecè se habentibus, & connotatis, quia Patres appellant hoc Sacramentum Corpus & Sanguinem Christi. Modus tamen iste dicendi communiter à Theologis reijcitur, & meritò: quia Sacramentum Eucharistiæ, vt tradit Tridentinũ sess. 13. *Trident.* cap. 3. in eo conuenit cum reliquis Sacramentis, quòd sit signum sensibile gratiæ; Corpus autem & Sanguis Christi Domini, prout sunt sub speciebus, non sunt sensibilia ratione sui, quia sub illis sunt insensibili & spirituali modo. Quòd verò sint sensibilia ratione specierum sub quibus continentur, non sufficit vt in Corpore & Sanguine Christi sita sit tota essentia Sacramenti Eucharistiæ: quia quamuis, vt aliquid sit pars Sacramenti, sufficiat quòd sit sensibile ratione alterius partis essentialis; tamen, vt aliquid sit totum ipsum Sacramentum pro materiali, cui conuenit significatio Sacramentalis, non sufficit quòd sit sensibile ratione alterius non pertinentis ad essentiam Sacramenti, quia de ratione Sacramenti est, quòd sit sensibile ratione sui, saltem quoad aliquam partem essentialem illius.

Secundò alij indicant, totam essentiam Sacramenti Eucharistiæ sitam esse in verbis consecrationis, seu in prolatione eorum, quia tota essentia rei consistit in forma illius; verba autem consecrationis sunt forma Sacramenti Eucharistiæ.

Tertiò Aureolus apud Capreolum in 4. dist. 8. quæst. vnica, art. 2. docet, sumptionem specierum Sacramentalium pertinere ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ, tamquam quid ad eam requisitum: quia species Sacramentales non significant neque efficiunt gratiam, nisi media sumptione; ergo ipsarum sumptio ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ requiritur & pertinet; quia requiritur & pertinet ad significationem & collationem gratiæ.

Quartò Recentiores nonnulli docent, essentiam Sacramenti Eucharistiæ constare ex speciebus Sacramentalibus tamquam ex materia, & ex verbis consecrationis tamquam ex forma; quia, vt *Eugen. IV.* Eugenius IV. in suo Decreto ait, omnia Sacramenta nouæ legis constant rebus vt materia, & *Adamus.* verbis vt forma. Addit Adamus Tanner quæst. 3. dub. 3. etiam constare intrinsecè Corpore & Sanguine Christi, quę simul cum speciebus se habeant vt materia, respectu verborum consecrationis.

Caietanus. Valentia. Bellarmin. Suarez. Vasquez. Ægidius. Becanus. Quintò Caietanus 3. par. quæst. 75. artic. 1. Valentia quæst. 1. de Eucharistia, puncto 3. Bellarminus lib. 4. de Eucharistia, cap. 6. Suarez disp. 52. sect. 3. Vasquez disp. 167. c. 5. Ægidius quæst. 73. art. 1. dub. vnico, & Becanus cap. 15. quæst. 2. docent, Sacramentum Eucharistiæ essentialiter constare ex speciebus Sacramentalibus, & ex Corpore & Sanguine Christi Domini, ita vt ad essentiam & substantiam Sacramenti Eucharistiæ pro materiali intrinsecè pertineant species Sacramentales, & Corpus & Sanguis Christi.

Et in primis species intrinsecè pertinere ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ, statim probabitur: quòd verò Corpus & Sanguis Christi etiam pertineant intrinsecè ad illam, varijs locutionibus à Patribus significatur, quia Ignatius Epistola ad *Ignat.* Smyrnenses, & Iustinus Martyr Dialog. 3. dicunt, *Iustin.* Sacramentum Eucharistiæ esse Corpus & Sanguinem Christi, & Augustinus relatus can. *Hoc est,* *Aug.* de Consecratione, dist. 2. dicit, Sacramentum Eucharistiæ constare Corpore & Sanguine Christi, & alij dicunt, Sacramentum Eucharistiæ esse panem vitæ, & cibum animæ. quod etiam habetur in Tridentino sess. 13. cap. 2. & tamen species id non *Trident.* habent ratione sui, sed quia intra se continent Corpus Christi. Et Eugenius IV. in suo Decreto, *Eugen.* & Theologi communiter dicunt, Sacerdotes verbis consecrationis conficere Sacramentum Eucharistiæ. Sacerdotes autem non efficiunt species, sed quòd Corpus & Sanguis Christi sint sub speciebus.

Sextò ergo Scotus in 4. dist. 8. quæst. vnica, ar- *Scotus.* tic. 1. Richardus art. 1. quæst. 1. Marsilius quæst. 1. *Richard.* art. 1. & quæst. 6. art. 2. & plures recentiores do- *Marsil.* cent, & meritò, in solis speciebus Sacramentalibus sitam esse totam essentiam Sacramenti Eucharistiæ, & ad eam non pertinere intrinsecè Corpus & Sanguinem Christi, neque verba consecrationis, neque sumptionem specierum Sacramentalium: Corpus tamen & Sanguinem Christi extrinsecè requiri ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ tamquam quid connotatum.

Et in primis, in solis speciebus Sacramentalibus sitam esse totam essentiam Sacramenti Eucharistiæ, absque consortio prædictorum tamquam partium essentialium, significat Innocentius III. *Innoc. III.* in cap. *Cum Martha,* de Celebratione Missarum, dum contendens explicare quid in Eucharistia sit Sacramentum tantùm, & quid sit res Sacramenti tantùm, & quid sit Sacramentum & res Sacramenti simul; pro Sacramento tantùm seu puto, de quo procedit præsens difficultas, tantùm assignat *Trident.* species. & idem significat Tridentinum, dum sessione 13. sæpè species Sacramentales appellat Sacramentum.

Et id ratione probatur, quia ex vna parte species Sacramentales, absque consortio aliorum tamquam partium intrinsecarum, seu essentialium, sunt aptissimæ vt institutæ fuerint signa practica & factiua gratiæ refectiuę animę, & vnionis membrorum Christi inter se & cum Christo, quæ est propria gratia huius Sacramenti; & ex altera parte, nullo sufficienti fundamento eam significationem practicam possumus extendere ad Corpus & Sanguinem Christi, neque ad verba consecrationis, neque ad sumptionem specierum. Et specialiter quòd neque verba consecrationis, neque sumptio specierum pertineant intrinsecè ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ, significat Eugenius IV. in *Eugen.* suo Decreto, dum ait, verba consecrationis esse formam effectricem huius Sacramenti, verba autem non efficiunt se ipsa, neque sumptionem specierum, nec aliquid aliud cui verba ipsa & sumptio sint intrinseca. Et id etiam significat Tridentinum *Trident.* sess. 13. cap. 5. 6. 7. & 8. dum ait, Sacramentum Eucharistiæ adorari, asseruari, & deferri ad infirmos, & sumi; quod non conuenit verbis consecrationis, neque sumptioni specierum, sed solis speciebus Sacramentalibus continentibus Christum; verba ergo consecrationis potiùs sunt forma efficiens Sacramentum, quàm forma Sacramento intrin-

intrinseca, & sumptio specierum potiùs est applicatio Sacramenti anteà existentis, vt conferat gratiam, quàm sacramentum, aut pars Sacramenti.

Quòd verò Corpus & Sanguis Christi requirantur ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ, tamquam quid extrinsecum connotatum, nempe tamquam terminus connotatus sub ipsis speciebus, negari non potest, supposito quòd non sint pars essentialis: quia si species non continerent Corpus & Sanguinem Christi, non essent significatiuæ gratiæ, neque panis vitæ, & cibus animæ.

Patres autem Sacramentum Eucharistiæ appellant Corpus & Sanguinem Christi figuratè, per figuram Metonymiam, secundùm quam etiam nomen contenti tribuitur continenti; nullus ergo Patrum asserit, Sacramentum Eucharistiæ constare Sanguine & Corpore Christi, neque Augustinus: imò iste Pater loco suprà citato potiùs nobis fauet, si attentè legatur. *August.* Solus Irenæus lib. 4. Aduersus hæreses cap. 34. ait, Eucharistiam duabus rebus constare, terrena & cælesti, id est natura humana & diuina, quod ratione Christi contenti verificatur per figuram Metonymiam. Sacerdotes autem dicuntur conficere Sacramentum Eucharistiæ, quamuis non efficiant species secundùm se, quia efficiunt quòd contineant Christum, seu efficiunt illas consecratas, & vt continentes Corpus & Sanguinem Christi, qua ratione sunt Sacramentum. *Irenæus.*

Innoc. III. Obseruandum est, vt tradit Innocentius III. in dicto cap. *Cùm Marthæ*, in Eucharistia reperiri Sacramentum tantùm, & rem Sacramenti tantùm, & Sacramentum & rem Sacramenti simul. Species sunt Sacramentum tantùm, vt ait Pontifex, quia ipsæ non significantur per aliud, & tamen ipsæ significant non solùm Corpus & Sanguinem Christi, sed etiam gratiam Sacramentalem, & ob id ab Innocentio III. dicuntur Sacramentum geminæ rei. Gratia autem refectiua & vnionis, est res Sacramenti tantùm, vt ait Pontifex, quia nõ significat, sed significatur non solùm per species Sacramentaliter, sed etiam per Corpus & Sanguinem Christi ex quadam naturali proportione & aptitudine, quia quatenus continentur sub speciebus, habent rationem cibi & potus, quia Corpus realiter mãducatur, & Sanguis realiter bibitur, & sunt requisita tamquam contenta sub satiatiuo & refrigeratiuo ad causandam gratiam satiantẽ, & refrigerantem, seu recreantem, & ob id gratia hæc dicitur ab Innocentio res gemini Sacramenti, id est, specierum, & Corporis & Sanguinis Christi. Ex eo verò, quòd gratia hæc dicitur res gemini Sacramenti, deducitur, speciebus, & Corpori & Sanguini Christi non conuenire eamdem significationem Sacramentalem: ex quo non leuiter deducitur, Corpus & Sanguinẽ Christi non esse partem intrinsecam Sacramenti Eucharistiæ. Et tandem Corpus & Sanguis Christi sunt Sacramentum & res Sacramenti simul. Sunt Sacramentum (quamuis non strictè, sed latè) quia naturaliter, seu ex quadam naturali proportione & aptitudine significant gratiam huius Sacramenti: sunt verò res Sacramenti (quamuis non strictè, sed latè) quia naturaliter significantur per species Sacramentales. Addimus *non strictè, sed latè* sumpti, quia species, vt significant Corpus & Sanguinem Christi, non sunt strictè Sacramentum.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit vnum tantùm secundùm speciem infimam.

SVpposito ergo, quòd solæ species panis & vini consecratæ habent rationem Sacramenti, difficultas est, An species panis & vini sint vnum tantùm Sacramentum secundùm speciem infimam; quia esse vnum secundùm speciem subalternam, manifestum est, & absque difficultate.

Gabriel in 4. dist. 8. q. 2. ar. 2. conclus. 4. & Glossa in can. *Comperimus*, de Consecratione dist. 2. docent, species panis & vini esse duo Sacramenta secundùm speciem infimam: quod indicare videntur Patres & Concilia, dum species panis & vini appellant Sacramenta in plurali. Et ratione probatur, quia cuilibet speciei seorsim independenter ab altera conuenit significatio practica gratiæ, & distincta secundùm speciem infimam, quia species panis independenter ab specie vini significat & confert gratiam vt satiantem tamquam cibus, & species vini independenter ab specie panis significat & confert gratiam vt refrigerantem tamquam potus, ergo. *Gabriel.* *Glossa.*

Durandus verò in 4. dist. 8. q. 8. Sotus quæst. vnica, art. 2. Valentia q. 1. puncto 4. Suarez disp. 1. sect. 3. Vasquez disp. 168. c. 1. Ægidius q. 37. a. 2. Becanus c. 15. q. 8. & communiter Doctores docent, species panis & vini esse vnum tantùm in specie infima Sacramentum, & meritò: quia in vtraque specie simul, in quibus situm est Sacramentum Eucharistiæ, est vna & integra significatio Sacramentalis secundùm speciem infimam; ergo vtraque simul est vnum & integrum Sacramentum secundùm speciem infimam. Consequentia patet, quia vnitas & pluralitas Sacramentorum ex vnitate & pluralitate significationis Sacramentalis sumitur. Antecedens autem probatur, quia vtraque species simul significat vnum & integrum effectum Sacramentalem in specie infima, quia Sacramentum Eucharistiæ, quod situm est in specie panis & in specie vini, institutum est tamquam refectiuum, seu tamquam cibus & potus ad refectionem spiritualem animæ; refectio autem ex cibo & potu prouenies est vna & integra in specie infima, si non vnitate & integritate physica, saltem morali in genere conuiuij; sicut ex cibo & potu, ex quibus refectio ipsa oritur, coalescit conuiuium moraliter integrum & vnum in specie infima: ad vnitatem autem specificam integram Sacramenti, quod est ens artificiale morale, sufficit vnitas moralis specifica significationis & virtutis, qua vnum moraliter effectum in specie infima significet & conferat. *Durandus.* *Sotus.* *Valentia.* *Suarez.* *Vasquez.* *Ægidius.* *Becanus.*

Ita tamen ex vtraque specie coalescit vnum integraliter moraliter Sacramentum, vt quælibet species seorsim sit verè & propriè Sacramentum essentialiter perfectum (quamuis non integraliter) quod significat Tridentinum sess. 21. cap. 3. dum ait, sub qualibet specie totum Christum contineri, & verum Sacramentum sumi. Et ratione constat, quia cuilibet speciei independenter ab altera conuenit significatio & vis Sacramentalis, quia quælibet absque altera significat & confert gratiam suo modo refectiuam. Ergo quælibet species essen- *Trident.*

tialiter est Sacramentum, quamuis integraliter incompletum, imò vt sic distinctum ab altera secundùm speciem infimam, quia cuilibet conuenit distincta in specie significatio gratiæ spiritualiter refectiuæ, quia species panis significat gratiam reficientem per modum satiantis instar cibi, & species vini gratiam reficientem per modum refrigerantis instar potus.

Et ita species panis & species vini sunt duo essentialiter Sacramenta, vt non sint duo totalia integraliter Sacramenta, sed duo integraliter partialia, quia in esse Sacramenti sunt partes heterogeneæ moraliter integrantes vnum integrum & totale signum, & Sacramentũ indistinctum ab ipsis collectiuè & seorsim sumptis, & non tertium aliquod ab ipsis simul sumptis distinctum, quia Christus non aliter instituit hoc integrũ & totale integraliter Sacramentũ, quàm instituẽdo ambas species seorsim, vnam per modũ satiantis, & alterã per modum refrigerantis, & non instituit aliquod tertium distinctum ab ipsis; ac proinde in hoc Sacramento non est alia significatio & virtus Sacramentalis præter duas distinctas, quæ in ipsis speciebus seorsim reperiuntur, sicut in toto exercitu non est alia fortitudo præter fortitudines quæ in particularibus personis seorsim reperiuntur; & sicut in tota oratione non est alia significatio præter significationes quæ in patibus seorsim reperiuntur.

Patres ergo aliquando appellant species panis & vini Sacramenta in plurali, quia sunt duo Sacramenta essentialiter distincta, & essentialiter perfecta, quamuis ex eis vnum moraliter integretur.

Et ad rationem respondeo, ea tantùm probari, species panis & vini esse duo Sacramenta essentialiter distincta & perfecta, non tamen esse duo integraliter distincta & perfecta, quia tantùm sunt vnum integraliter, habentes vnam integraliter significationem Sacramentalem, qua significant vnam integraliter refectionem spiritualem, ac proinde eum, qui solas species panis aut solas species vini sumit, quamuis non sumat vnum integraliter Sacramentum, sumere tamen vnum Sacramentum essentialiter perfectum.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm in pluribus Hostijs consecratis sint plura numero Sacramenta.

Sotus. Ledesma. Bellarmin. Bonacina. Puteanus. SOtus in 4. dist. 8. quæst. vnica art. 2. Ledesma 1. par. 4. quæst. 14. Bellarminus lib. 4. cap. 22. propositione 4. Bonacina quæst. 1. puncto 4. & Puteanus quæst. 73. dub. 4. docent, plures Hostias seu formulas consecratas esse vnum tantùm numero Sacramentum quando simul sumuntur, quia Sacramentum Eucharistiæ situm est in conuiuio spirituali, conuiuium autem est idem numero, quamuis in eo plura fercula sumantur; ergo plures Hostiæ, quando simul sumuntur, sunt idem numero Sacramentum.

Suarez. Ægidius. Suarez disp. 1. sect. 4. Ægidius quæst. 73. art. 2. & nonnulli recentiores docent, omnes Hostias seu formulas, quæ inueniuntur consecratæ, esse idem & vnum numero Sacramentum, siue simul siue seorsim sumantur, & siue ab vno siue à pluribus: quod indicare videtur Paulus 1. ad Corinth. 10. dum ait: *Vnum corpus sumus omnes, qui de eodem pane participamus.* quia his verbis significare videtur, quòd sicut omnes fideles sumus vnum numero corpus, ita etiam Sacramentum Eucharistiæ, quo omnes reficimur & nutrimur, est vnum numero. Quod etiam indicare videtur Ambrosius in cap. 10. ad Hebræos, & refertur in can. *In Christo*, de Consecratione, disp. 2. dum ait, vnam esse Hostiam, quam Christus obtulit, & quam omnes Sacerdotes offerunt. Ergo sicut est idem numero Sacrificium quoad hostiam, seu rem oblatam, ita etiam erit idem numero Sacramentum; quia quod offertur in Sacrificium, sumitur vt Sacramentum: & ratione probatur, quia si plures humanitates assumerentur à Verbo, vnum tantùm hominem constituerent; ergo plures Hostiæ continentes vnum tantùm numero Corpus Christi, constituent vnum tantùm numero Sacramentum.

Vasquez. Henriquez. Ochagauia. Vasquez verò disp. 168. cap. 2. Henriquez lib. 8. c. 8. & Ochagauia q. 3. docent, plures Hostias (& idem est de pluribus speciebus vini) esse plura numero Sacramenta Corporis, quamuis simul sumantur, & meritò: quia Christus instituit Sacramentum Corporis (& idem suo modo est de Sacramẽto Sanguinis) non in aliquo vno morali, sed in specie consecrata panis secundùm se, vna tantùm physicè, attendendo tantùm ad vnitatem physicam, & non ad aliquam vnitatem moralem, quia in qualibet specie panis secundùm se vna tantùm physicè seorsim & independenter ab altera specie panis est significatio practica, seu factiua gratiæ: ergo plures Hostiæ consecratę, quamuis simul consecrentur, & sint in eodem loco, & quamuis simul sumantur, sunt plura numero Sacramenta Corporis, quia plures illæ Hostiæ, quamuis sint sic coniunctæ; sunt tamen plures numero distinctæ, & physicè discontinuatæ, & in qualibet seorsim & independenter ab altera institutum est Sacramentum Corporis.

Addimus tamen, vt dicemus Disp. x. Diffic. vi. quòd quando plures Hostiæ (& idem est de pluribus Calicibus) simul sumuntur ab eodem, vnam tantùm conferunt gratiam, & eosdem gradus gratiæ quos vna sola sumpta conferret; per accidens tamen, quia vna sumptione & applicatione limitantur ad vnum effectum: nihilominùs tunc, quamuis vnam tantùm significent & conferant gratiam, sunt plura numero Sacramenta, quia sunt plura numero signa, non solùm materialiter, sed etiam formaliter, siue quoad significationem Sacramentalem.

Ad rationem ergo pro primo modo dicendi adductam, concedimus, ex pluribus Hostijs, quando simul sumuntur, coalescere vnum tantùm numero conuiuium actuale (quamuis non integrum, nisi etiam sumantur species vini) negamus tamen coalescere vnum tantùm numero Sacramentum, quia Sacramentum Eucharistiæ non consistit in actuali conuiuio, quia ante actuale conuiuium præsupponitur Sacramentum Eucharistiæ, sed consistit in cibo & potu secundùm se, qui præsupponuntur ad conuiuium, quamuis postea ex ipsis conuiuium fiat, & refectio, seu nutritio; ac proinde quamuis ex pluribus Hostijs simul sumptis fiat vnum numero conuiuium modo dicto, non tamen vnum numero Sacramentum, sed plura numero Sacramenta Corporis.

Paulus verò pro secundo modo dicendi adductus appellauit Sacramentũ Corporis, vnum panem ratione vnius Corporis Christi contenti, quod

quod verè est cibus, & non quia in ratione signi & Sacramenti sit vnum tantùm numero; quia in ratione signi & Sacramenti, quando sunt plures numero Hostiæ, sunt plures numero panes, vnus tamen in specie: quod etiam sufficit, vt omnes, qui de illo etiam vt sic participamus, dicamur vnum corpus mysticum. Et quamuis in Sacrificio Missæ vna sit tantùm numero Hostia seu victima, vt ait Ambrosius, nempe humanitas Christi, quę est vna tantùm numero, Sacramentum tamen Eucharistiæ, quod est distinctum ab Hostia & victima, est numero multiplex in multis formulis seu speciebus panis.

Ad rationem verò negamus, quòd si plures numero humanitates assumerentur à Verbo, constituerent vnum tantùm hominem, quia potiùs continerent plures, vt diximus Tract. de Incarnat. Disp. III. Diffic. VII. Et quamuis id admitteremus, ex eo non inferretur, plures Hostias consecratas, continentes idem numero Corpus Christi, constituere vnum numero Sacramentum Corporis, quia si plures humanitates in eo casu cõstituerent vnum tantùm numero hominem, ideò esset, quia ad pluralitatem concreti substantiui etiam requireretur pluralitas suppositorum, quæ non esset in eo casu: ad pluralitatem verò numericam Sacramentorũ sufficit pluralitas numerica signorum sensibilium, & significationum Sacramentalium; vbi autem sunt plures Hostiæ consecratæ, sunt plura numero signa sensibilia, & plures numero significationes Sacramentales.

Ex dictis constat, ex vna numero specie panis, & ex altera numero specie vini, mutuò pro libito comparatis, cõstitui vnum numero Sacramentum Eucharistiæ integraliter completũ, & distinctum numero totaliter ab altero coalescente ex alijs duabus speciebus, vna panis & altera vini, mutuò inter se, quamuis pro libito, comparatis: ita tamen ex hac specie panis pro libito assignata, & ex hac specie vini eodem modo assignata, cõficitur vnum numero Sacramentum integraliter completum, vt quælibet earum specierum constituentium vnum numero Sacramentum integraliter completum, comparata cum qualibet alia, dum vna sit panis & altera vini, constituat aliud numero Sacramentum, seu indiuiduum Sacramenti à priori partialiter distinctum (& non totaliter, quia in vtraque est vna & eadem species ex duabus, quibus vtrumque constat) ac proinde quælibet species panis, seu Hostia tot numero indiuidua Sacramenti partialiter distincta integrare dicitur, quot sunt species vini; & econtrà, quælibet species vini tot numero indiuidua Sacramenti partialiter distincta integrare dicitur, quot sunt Hostiæ seu species panis.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ sit necessarium necessitate medij ad salutem, seu vitam æternam.

SVpponimus, necessitatem alicuius ad vitam æternam esse triplicem, aliam medij tantùm, aliam præcepti tantùm, & aliam medij & præcepti simul. Quid autem sit vnaquæque earum, & quomodo inter se distinguantur, diximus in Tractatu de Pœnitentia Disput. IV. Difficult. V.

Hoc ergo supposito, conueniunt Primò Doctores, Eucharistiam in re susceptam non esse determinatè necessariam necessitate medij ad salutem, quia multi, tam paruuli quàm adulti, absque reali susceptione Eucharistiæ saluantur, quod definitum est quoad paruulos in Tridentino sess. 21. c. 4. *Trident.* Et quoad omnes, tam paruulos quàm adultos, res est manifesta, quia in quolibet ad consequendam gloriam sufficiunt prima iustificatio, & perseuerantia in ea vsque ad finem vitæ; ad neutrum autem susceptio realis Eucharistiæ est medium necessarium vt medium, quia non ad iustificationem primam à peccatis, quia ad hanc pro non baptizatis sufficit Baptismus, & pro baptizatis lapsis in mortale sufficit Sacramentum Pœnitentiæ, & pro vtrisque, si adulti sint, sufficit contritio perfecta. Neque est necessaria necessitate medij ad perseuerantiam in ea iustificatione, quia non pro paruulis, quia istis, vt perseuerent, sufficit rapi ante vsum rationis, quia ante hunc non possunt amittere gratiam per Baptismum receptam; ad hoc autem quòd rapiantur ante vsum rationis, non est modo dicto necessaria realis receptio Eucharistiæ, vt patet: neque est necessaria necessitate medij pro adultis, quia quamuis ipsis sit medium conducens & vtile ad perseuerandum, vt indicat Tridentinum sess. 13. c. 2. imò possit esse medium sufficiens, non tamen est medium dicto modo necessarium ad id, quia non est medium vnicum ad id, quia alijs vijs non alligatis reali susceptioni Eucharistiæ, nempe auxilio externæ protectionis, aut etiam auxilio internæ inspirationis, quiæ Deus absque Eucharistia realiter susceptа sæpè liberaliter confert, potest adultus in gratia perseuerare, nullum præceptum graue transgrediendo. Ex eo autem, quòd Eucharistia realiter susceptа sit medium vtile adultis ad perseuerandum, & sit illis necessaria ex præcepto, non fit, quòd sit illis medium necessarium vt medium seu necessarium necessitate medij ad perseuerandum, quia non est medium vnicum ad id, sed tantùm fit quòd sit illis medium necessarium necessitate præcepti non medij, quia scilicet est medium non vnicum, sed sub præcepto graui. *Trident.*

Conueniunt Secundò Doctores, Eucharistiam in voto esse omnibus, tam paruulis quàm adultis, medium necessarium vt medium, seu necessitate medij, non quia in voto sit medium necessarium ad perseuerantiam in iustificatione, sed quia est medium necessarium ad iustificationem ipsam à peccato graui, absque qua vita æterna nequit obtineri. Quòd autem Eucharistia in voto sit necessaria necessitate medij ad iustificationem à peccato graui, constat. Et in primis, quoad adultos, quia istis ad eam iustificationem est medium necessarium necessitate medij Baptismus, aut pœnitentia, aut contritio perfecta: quicumq; autem, qui aliquo ex his tribus modis iustificatur, expressè aut implicitè proponit seruare omnia præcepta grauia, ex quibus vnum est sumptio Eucharistiæ. Et quoad paruulos id etiam constat, sumendo votum non strictè pro actu aliquo, sed pro obligatione, & relatione seu ordinatione, quia paruuli per Baptismum, quo à peccato originali iustificantur, manent ordinati, & quasi parati ad sumendam Eucharistiam suo tempore, & pro eo obligabuntur ad id in tempore vsus rationis. Ex eo tamen quòd Eucharistia in voto sit necessaria necessitate medij ad iustificationem, non dici-

tur absolutè necessaria necessitate medij, sed absolutè tantùm est necessaria necessitate præcepti, quia tota necessitas medij Eucharistiæ in voto nascitur ex pura necessitate præcepti Eucharistiæ in re, aut ex tunc obligantis, vt respectu adultorum, aut posteà in tempore vsus rationis obligaturi, vt respectu paruulorum: quia ex hac necessitate præcepti Eucharistiæ in re prouenit, quòd in Baptismo, & in Pœnitentia, & in contritione, quorum quolibet sufficienter iustificamur, contineatur votum Eucharistiæ, sicut etiam continetur votum cuiuscumque alius rei quæ est sub præcepto grauis. Vnde necessitas hęc Eucharistię in voto tamquam medij ad vitam æternam, non est peculiaris Eucharistiæ, sed est communis omnibus rebus quæ sunt sub præcepto grauis.

Est ergo difficultas, An Eucharistia sit peculiariter necessaria ad vitam æternam necessitate medij, distincta à pura necessitate præcepti, & non orta ex illa.

Non desunt recentiores, qui existiment, Sacramentum Eucharistiæ in re vel in voto sub disiunctione esse peculiariter necessarium adultis necessitate medij ad vitam æternam, quibus consentire

Becanus. videtur Becanus cap. 15. quæst. 7. quod indicari videtur Ioann. 6. illis verbis Christi: *Nisi manducaueritis carnē Filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, quia particulâ *nisi* necessitas medij significari videtur; sicut Ioann. 3. quando dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in Regnum Dei*, eâ particulâ *nisi* necessitas medij in Baptismo ad vitam æternam denotatur. Et id confirmari videtur exemplo, quo Christus vtitur Ioann. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipse viuet propter me*: Filius autem ita viuit propter Patrem, vt nequeat absque Patre viuere; ergo neque nos, nisi propter Christum in Eucharistia sumptum, quod est esse necessarium necessitate medij.

Et ratione probatur Primò, quia ad obtinendam vitam æternam non tantùm est necessaria iustificatio à peccato graui, sed etiam perseuerantia in illa vsque ad mortem: ergo sicut Sacramentum Baptismi & Sacramentum Pœnitentiæ sunt necessaria ad vitam æternam necessitate medij, quia sunt instituta ad iustificationem à peccato graui; ita etiam Sacramentum Eucharistiæ erit necessarium necessitate medij ad vitam æternam, quia institutum est ad perseuerantiam in iustificatione, seu vt præseruemur à mortalibus (quibus desinimus perseuerare) vt constat ex Tridentino sess. 13. c. 2

Secundò probatur, quia Sacramentum Eucharistiæ est cibus spiritualis animarum, & ipsis præstat eosdem effectus quos cibus corporalis cor-

Eugen. IV. poribus, vt definit Eugenius IV. in suo Decreto fidei: ergo sicut cibus corporalis est necessarius necessitate medij ad vitam corporalem sustentandam, ita Sacramentum Eucharistiæ erit necessarium necessitate medij ad sustentandam vitam spiritualem animarum.

Durandus. Suarez. Vasquez. Ægidius. Layman. Adamus. Durandus verò in 4. dist. 9. quæst. 2. Suarez disp. 2. Vasquez disput. 169. Ægidius quæst. 73. art. 3. Laymannus c. 5. Adamus Tannerus disp. 5. quæst. 1. dub. 4. & communiter Doctores docent, Sacramentum Eucharistiæ nulli esse peculiariter necessarium necessitate medij in re vel in voto sub disiunctione, quod absque dubio docuit S. Thomas quæst. 65. art. 4. & meritò: quia Eucharistia in re vel in voto sub disiunctione, non est necessaria necessitate medij ad iustificationem à peccato graui, neque ad perseuerandum in ea vsque ad mortem; ergo in re vel in voto sub disiunctione, non est necessaria necessitate medij ad vitam æternam. Consequentia patet, quia ad obtinendam vitam æternam sufficiunt iustificatio à peccato graui, & perseuerātia in ea vsque ad mortem. Antecedens autem probatur, & in primis, quòd non sit necessaria vt medium ad dictam iustificationem: quia vt in re vel in voto sit medium necessarium ad iustificationem, requiritur, quòd Eucharistia tam in re quàm in voto sit medium vtile ad ipsam iustificationem, & quòd hæc nequeat obtineri absque Eucharistia in re vel in voto, quia id tantùm dicitur medium necessarium in re vel in voto ad aliquid, quod vtroque modo est medium vtile ad id, & ad id est vno vel altero modo necessarium, quia id nequeat alio modo obtineri: sed Eucharistia quamuis in voto seu votum Eucharistiæ (nempe Baptismus, vel Pœnitentia, vel contritio perfecta) sit medium, & necessarium ad iustificationem, tamen in re, seu realis ipsa susceptio Eucharistiæ, non est medium ad illam, saltem tamquam medium per se, quia Eucharistia per se non est instituta ad iustificationem à peccato graui, sed ad augmentum ipsius gratiæ iustificantis. Et quamuis gratis admittamus, Eucharistiam in re per accidens iustificare à peccato graui, quia tamen per se non iustificat ab illo, non sufficit vt Eucharistia in re absolutè dicatur esse medium ad iustificationem; sufficiens aliàs pœnitentia in re vel in voto non esset medium necessarium ad iustificationem à peccato graui post Baptismum commisso, quia præter ipsam pœnitentiam in re vel in voto etiam Eucharistia in re esset medium sufficiens ad illam. Eucharistia ergo in re vel in voto non est medium necessarium ad iustificationem, quia altero modo, nempe in re, non est medium, saltem absolutè & per se, ad illam.

Quòd verò Eucharistia in re vel in voto, sub disiunctione, non sit necessaria necessitate medij ad perseuerantiam in iustificatione, probatur, quia in primis non est necessaria in re susceptā: quia quamuis realiter susceptā, sit medium vtile ad perseuerandum, imò sit sufficiens, ita vt perseuerantia eorum, qui de facto perseuerant, & re ipsa susceperunt Eucharistiam, sufficienter attribuatur ipsi Eucharistiæ re ipsa susceptæ; tamen non est medium necessarium ad id, quia non est vnicum ad id, vt diximus in principio Difficultatis. Deinde, Eucharistia in voto, quamuis sit medium ad perseuerantiam, saltem adultis, quia saltem his intuitu propositi expressi suscipiendi Eucharistiam, aut intuitu Baptismi suscepti, aut Sacramenti Pœnitentiæ, aut contritionis (in quorum quolibet votum Eucharistiæ virtualiter continetur) tamquam bonorum operum, possit Deus perseuerantiam conferre, & sæpè conferat, & quamuis gratis admittamus esse etiam medium paruulis ad perseuerantiam; neutris tamen est medium necessarium ad id, quia neutris est medium vnicum ad id, quia Deus alijs vijs eam confert vtrisque.

Eucharistia ergo neque determinatè in re, neque sub disiunctione, in re vel in voto, est necessaria

cessaria necessitate medij ad vitam æternam. Et quamuis determinatè in voto incluso, seu implicito, vel in Baptismo, vel in pœnitentia, vel in contritione perfecta (quod respectu paruulorum est latè votum) sit necessaria necessitate medij ad vitam æternam, vt diximus §. 2. non tamen dicitur absolutè necessaria necessitate medij ad vitam æternam, quia necessitas hæc potiùs est præcepti quàm medij, quia tota ea oritur ex pura necessitate præcepti suscipiendi re ipsa Eucharistiam, & est communis omnibus rebus quæ sunt sub præcepto graui.

In eo autem testimonio Ioan. cap. 6. pro aduersarijs adducto, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. non continetur necessitas medij, sed tantùm præcepti, & particula *nisi* non cogit ad necessitatem medij, quia est indifferens ad significandam necessitatem medij, qualis continetur in illis verbis Ioannis cap. 3. *Nisi quis renatus*, &c. & ad significandam necessitatem præcepti, qualis continetur in illis verbis Augustini epistola 54. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, & in illis Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut paruuli*, &c. In exemplo verò illo Ioan. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, viuet propter me*, nulla necessitas adhuc præcepti continetur, quia tantùm dicitur, manducantem Christum accipere vitam ob manducationem illius, sicut Christus accipit vitam à Patre: & in hoc tantùm tenet exemplum, non in alijs, neque exemplum debet in omnibus tenere.

Et ad primam rationem concedimus, Eucharistiam institutam esse ad perseuerandum in iustificatione, negamus tamen, esse ita necessariam ad perseuerantiam, sicut sunt Baptismus & Pœnitentia ad iustificationem: quia perseuerantia lege ordinaria haberi potest, & aliquando habetur aliâ viâ, quàm Eucharistiâ, & voto ipsius; iustificatio verò à peccatis haberi nequit, nisi vel Baptismo, vel Pœnitentia, vel voto Baptismi vel Pœnitentiæ.

Ad secundam concedimus, Eucharistiam esse cibum spiritualem animarum, & præstare effectus similes illis quos cibus corporalis præstat corpori, quia eas nutrit & sustentat medijs auxilijs ad perseuerandum gratiæ ipsius Eucharistiæ annexis, non tamen est necessarius ad vitam spiritualem animarum, eo modo quo cibus ad vitam corporalem corporum, quia vita corporalis nequit alia via conseruari & sustentari; benè tamen vita spiritualis animæ absque Eucharistia, quia potest sustentari & augeri prouidentia ordinaria Dei, non alligata Eucharistiæ, neque voto illius.

DIFFICVLTAS VII.

Qua die celebrauerit Christus Pascha agni eo anno quo mortuus est.

SVpponimus, in quo Theologi contra quemdam Villagagnonem conueniunt, Christum eo anno quo mortuus est, Pascha agni Iudæorum celebrasse, vt manifestè deducitur ex Matth. 26. dum, postquam Discipuli interrogarũt Christum, *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* & postquam ille ipsis dixit vbi pararent, subditur, *Et fecerunt Discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha:* & ex Marci 14. dum dicitur, *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha?* in quibus locis manifestè est sermo de agno Paschali, qui erat necessariò immolandus & comedendus in cœna. Accedit, quòd incredibile sit, cærimoniam hanc apud Iudæos adeò celeberrimam, fuisse omissam à Christo, qui nihil quod lege veteri præcipiebatur, quamuis ea non tenebatur, omittebat.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An Christus eo anno, quo mortuus est, celebrauerit Paschã agni die decima quarta Lunæ ad vesperam mensis Martij, quando reliqui Iudæi ex præscripto legis illud celebrabant.

Pro huius tamen difficultatis resolutione obseruandum est, Iudæos distinxisse & computasse menses & annos non iuxta motum Solis, vt nos distinguimus & computamus, sed iuxta motum Lunæ, quia computabant menses à nouilunio in nouilunium, & vnum annum complebant duodecim mensibus lunaribus, quorum quilibet constat aliquando triginta diebus naturalibus, aliquando viginti nouem; vnde fit vt annus lunaris sit minor anno solari diebus vndecim. Sumebant autem initium anni ex mense Nisan, qui ferè Martio nostro solari respondet, & incipiebat à nouilunio quod est prope æquinoctium vernale. Et quia motus Solis & motus Lunæ non sibi vniformiter correspondent, ideò menses solares ex motibus Solis desumpti, & menses lunares desumpti ex motibus Lunæ, non sibi adæquatè correspondent, ex quo ferè semper contingit, quòd primus mensis lunaris Nisan amplectatur partem mensis solaris Martij, & partem mensis solaris Aprilis: & vt notauit Onuphrius Panuinius libro 2. Festorum sub anno 180. contigit, vt anno quo Christus mortuus est, dies decimus quartus Lunæ, seu decimus quartus dies mensis lunaris Nisan, fuerit dies decimus octauus Aprilis solaris. *Onuphrius.*

Circa præsentem ergo difficultatem Euthymius in cap. 26. Matthæi, & Nicephorus 1. Histor. c. 28. Epiphanius Hæresi 50. Chrysostomus Homil. 82. in Ioannem, Theophylactus in cap. 18. Ioannis, & communiter Græci docent, Christum eo anno, quo mortuus est, celebrationem Paschalis agni anticipasse, ita vt ipse illud celebrauerit die decima tertia Lunæ Martij, ceteri verò Iudæi die decima quarta Lunæ, ex lege Exodi 12. præfixa. *Euthym. Niceph. Epiphan. Chrysost. Theophyl.*

Probari autem potest Primò, quia conueniens fuit Christum occidi in ciuitate Ierusalem, & die decima quarta Lunæ Martij, vt veritas responderet figuræ, quia agnus Paschalis, cuius immolatio erat figura immolationis seu mortis Christi, à toto populo in ciuitate Ierusalem, & die decima quarta Martij immolabatur. Ergo Christus pridie ante illam diem, in qua populus ex præscripto legis Exodi 12. immolabat & edebat agnum, eum immolauit & edit pridie quàm pateretur.

Secundò, quia Ioannis 18. vbi de Iudæis accusantibus Christum dicitur, *Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, supponitur, eo die, quo Christus mortuus est, Iudæos celebraturos Paschã, quia manè illius diei non audebant introire prætorium, vt absque impedimento possent illud celebrare: Christus autem iam pridie celebrauerat Paschã; ergo.

Tertiò,

Tertiò, quia Christus Ioannis 19. dicitur mortuus in parasceue Paschæ, ergo ante horam celebrationis factæ à ceteris Iudæis, quia celebratio Paschalis incipiebat ad Solis occasum, & tempus præcedens erat parasceue Paschæ, quia in eo tempore præcedente præparabantur necessaria ad eam celebrationem, & tamen pridie Christus celebrauerat.

Quartò, quia Ioannis 13. dicitur, *Ante diem festum Paschæ*: ea autem quæ ibi facta narrantur, fuerunt facta in ipsa celebratione Paschatis à Christo facta, & paulò post *cœnam agni Paschalis*: ergo Christus ante diem festum Paschæ, qui erat lege præfixus, & in quo Iudæi celebrabant, ipse celebrauit Pascha.

Latini verò omnes, tam Patres quàm Scholastici, & sacræ Scripturæ interpretes; & ex Græcis Theodoretus q. 24. in Exod. Theophilus Alexandrinus in Epist. ad Theodos. & Victor Antioch. in illud Marc. 14. *Prima autem die azymorum*, docent, Christum non anticipasse celebrationem Paschæ agni, sed illud celebrasse decima quarta die Lunæ Martij ad vesperam, præscripta pro omnibus ex lege Exodi 12.

Sententia hæc adeò expressa est in Euangelio, vt Græcorum sententia meritò à Latinis erroris insimuletur, quia Matth. 26. dicitur: *Prima autem die azymorum accesserunt Discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi vis paremus tibi manducare Pascha?* & Marc. 14. *Primo autem die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei Discipuli: Quò vis eamus, & paremus*, &c. & Lucæ 22. *Venit dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha.* vbi verbum *venit* est præteriti temporis. Ex his autem testimonijs constat, Christum celebrasse Pascha agni die ex lege præfixo, quando omnes Iudæi de more celebrabant, tum quia Marcus de die illa ait, *quando Pascha immolabant*, & Lucas, *in quo necesse erat occidi Pascha*; dies autem præfixa ex lege Exodi 12. ad celebrationem Paschæ agni eum imlando & comedendo erat decima quarta ad vesperam; tum etiam, quia in dictis testimonijs supponitur, Christum Pascha agni celebrasse prima die azymorum; dies autem azymorum quasi Ecclesiastici incipiebant à decima quarta die Lunæ à Solis occasu, & in eadem die ad vesperam illius, seu ad Solis occasum, omnes Iudæi ex lege Pascha agni celebrabant, id est immolabant agnum, & eum comedebant.

Omittimus responsionem recentiorum Græcorum, dicentium, tres dictos Euangelistas erasse, quia impudentissima est; & responsiones aliorum, quamuis modestas, quia friuolæ sunt, & videri possunt apud Vasquez disp. 172. c. 2. & apud Ægidium q. 74. art. 4. dub. 1.

Vasquez. Ægidius.

Ad primum ergo fundamentum Græcorum respondemus, quòd quamuis Christus non fuerit occisus eadem die & hora, qua agnus Paschalis immolari consueuerat, tamen veritas sufficienter respondit figuræ, quia ei respondit quoad substantiam, nempe quoad occisionem, quia Christus fuit cruentè immolatus, quia hæc erat quæ immolatione agni figurabatur; & necessarium non fuit quòd illi responderet quoad circumstantiam diei & horæ, imò fuit maximè conueniens, vt tunc ipse Christus obseruando legem immolationis agni figuraret, quod paulò pòst in se ipso vero Agno futurum erat.

Ad secundum, desumptum ex illo Ioan. 18. *Et ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent Pascha*, respondemus, ibi nomine Paschatis non intelligi agnum Paschalem quem iam comederant, & multò minùs panes azymos, qui numquam in Scriptura dicti fuerunt Pascha; sed intelligi alias victimas, quæ illis septem diebus azymorum immolabãtur, & dicebantur Pascha, & eis non poterant vesci nisi mundi. Et in primis, quòd in illis septem diebus plures aliæ victimæ immolari consueuerint, deducitur ex Deuter. 16. & ex 2. Paralip. 30. & 35. & ex libro 3. Esdræ cap. 1. qui quamuis apocryphus sit, tamen quantum ad hoc non est modicæ auctoritatis: & quòd dictæ victimæ comedi potuerint ab omnibus qui mundi essent, constat ex Leuit. 7. & ex Deuteron. 12. Et quamuis in his locis tantùm videatur esse sermo de victimis immolandis in die phase, id est decima quarta Lunę ad vesperam, seu ad Solis occasum, creditur tamen quòd idem fiebat in omnibus septem diebus sequentibus, vt affirmat Augustinus lib. 5 Quæst. vet. Testamenti, quæst. 24. & quòd dictæ victimæ dictæ fuerint phase, seu Pascha, constat ex Deuter. 16. & ex 2. Paralipom. 30. & 35. De his ergo victimis, quæ etiam dicebantur Pascha, intelligitur prædictum testimonium Ioann. 18. quas vt Iudæi comedere possent, noluerunt in prætorium introire.

Ad tertium, desumptum ex Ioannis 19. vbi Christus dicitur mortuus in parasceue Paschæ, respondemus, Ioannem per parasceuen Paschæ non intellexisse diem proximè præcedentem ad Pascha agni, neque ad solemnitatem azymorum quæ etiam dicebatur Pascha, vt cõstat ex Luc. 22. sed intellexisse diem proximè præcedentem ad sabbatum (quod Marcus 15. declarauit, dum loquens de morte Christi ait, *Erat autem parasceue, quod est ante sabbatum*) quia parasceue ex vsu ipso significat præparationem ciborum ad manducandum die sequenti, vt notauit Augustinus Tract. 17. in Ioannẽ, & in sabbato non licebat Iudæis cibum præparare, vt constat Exodi 12. & 15. & 35. licebat verò in paruo illo tempore Paschatis agni, & in diebus azymorum sequentibus; & ideò pro sabbato pridie ante ipsum præparabãtur cibi ad manducandum in sabbato ipso, & non pro Paschate agni, neq; pro diebus azymorum. Dicitur autem à Ioanne dies illa proximè præcedens ad sabbatum parasceue Paschæ, quia dies illa, quæ erat parasceue ad sabbatum, etiam erat Pascha, quia erat prima dies solemnis azymorum, quæ etiam dicebatur Pascha.

Sed obijcit Maldonatus in illud Matth. 26. *Scitis quia post biduum*, Si dies S. Ioannis Baptistæ contingeret in die immediata ante diem Corporis Christi, ineptè appellaremus diem ipsum Ioannis, Vigiliam Ioannis; ergo ex eo quòd dies Paschæ azymorũ esset parasceue sabbati, ineptè appellaretur parasceue Paschę. Respondemus concedendo Antecedens, & negãdo Consequentiam, ob manifestum discrimen, quia Vigilia est communis festo Ioannis & alijs festis, ob quod, eo ipso quòd dicimus Vigiliam S. Ioannis aut alterius Sancti intelligimus diem quæ præcedit festum illius Sancti: parasceue verò non erat communis pluribus festis, sed tantùm erat ad sabbatum vltimum diem hebdomadæ, in quo solo non licebat cibos præparare: & ob id quando dicebatur parasceue Paschæ,

Malda.

non

non denotabatur dies præcedens ad Pascha, sed denotabatur, diem illam, quæ erat parasceue ad sabbatum, incidere in diem ipsum Paschæ.

Ad quartum, desumptum ex illo Ioannis 13. *Ante diem festum Paschæ*, respondemus, Ioannem per diem festum Paschæ non intelligere totum diem festiuum, & quasi Ecclesiasticum, seu totam festiuitatem diei primi azymorum, quæ intrinsecè seu inclusiuè incipiebat ab occasu Solis diei decimæ quartę, & durabat vsque ad occasum Solis diei decimæ quintæ exclusiuè: sed intelligere diem ipsam decimam quintam vsualem, seu naturalem, quæ incipiebat à prima luce, vel à media nocte ipsius diei decimæ quintæ (ob quod non dicitur *ante festum Paschæ*, quod intrinsecè incipiebat ab occasu Solis diei decimæ quartæ, sed dicitur, *ante diem festum Paschæ*) ante quam diem decimam quintam festiuam vsualem seu naturalem Christus immolauit agnum Paschalem, & illum comedit, & lauit pedes Discipulorum, & eis prædicauit, & fecit alia quæ ibi facta narrantur, quia ea omnia fecit à tempore proximo occasui Solis diei decimæ quartæ vsque ad aliquam partem non paruam noctis, sed ante mediam noctem, & ideò optimè dixit ea omnia fecisse ante diem festum Paschæ, nempe vsualem seu naturalem.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Iudæi eo anno, quo Christus mortuus est, celebrauerint Pascha agni die decima quarta Lunæ ad vesperam, quando Christus celebrauit.

Burgens. Lyranus. Gagneius. BVrgensis in Addit. ad cap. 26. Matth. Lyranus in illa verba Matth 26. *Erat autem prima dies azymorum.* & Gagneius in dicta verba Matth. 26. & in illud Ioan. 18. *Non introierunt in prætorium*, *Claudius. Iansenius.* Claudius in eumdem locum Ioannis, Iansenius in Concordia Euangel. cap. 128. in eadem verba Ioannis, *Catherin.* Catherinus. lib. 2. contra Caietã. & Maldon. in illud Matth. 26. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, docent, Iudæos eo anno mortis Christi celebrasse Pascha agni, non die decima quarta Lunæ ad vesperam ex lege Dei præscripta, qua Christus illud celebrauit, sed die decima quinta sequenti ad vesperam ex dispensatione seu permissione Dei.

Auctores ergo huius sententiæ conueniunt cum Græcis, in eo, quòd existiment, Christum & Iudæos non celebrasse Pascha agni eadem die; differunt tamen ab illis, quia Græci existimant Christum die decima tertia ante diem lege præscriptam Pascha celebrasse, & Iudæos die decima quarta præscripta ex lege: Auctores verò istius sententiæ existimant, Christum ipsa die decima quarta præfixa ex lege, Iudæos verò die decima quinta sequenti ex dispensatione celebrasse; quia credunt, à tempore Esdræ permissum fuisse Iudæis, vt quoties in aliquo anno dies decima quarta Lunæ contingebat in Feria quinta, tunc celebratio Paschæ agni transferri posset in Feriam sextam, vt prima dies vsualis azymorum, quæ erat festiua, & proximè sequebatur post initium celebrationis Paschę agni, & ob id tunc temporis futura erat in Feria sexta, transferretur in sabbatum, ne obseruaretur in Feria sexta pridie ante sabbatum, quod etiam erat festiuum: quia molestum erat populo duo festa immediatè obseruare, quia in festis nullum opus seruile, adhuc ad parandos cibos, fieri poterat: & eo anno, quo Christus mortuus est, dies decima quarta Lunæ contigit in Feria quinta.

Quòd ergo eo anno, quo Christus mortuus est, ipse celebrauerit Pascha agni die decima quarta Lunæ, & Iudæi dicta dispensatione vtentes, celebrauerint die decima quinta sequenti, probari potest Primò testimoniis Ioan. 13. 18. & 19. Difficultate præcedenti pro sententia Græcorum adductis, quibus denotari videtur, Christum priùs quàm Iudæos Pascha agni celebrasse.

Secundò, quia Ioan. 19. de sabbato, ante quod proximè Christus mortuus est, dicitur, *Erat enim magnus ille dies sabbati*, id est, sanctior & solemnior aliis sabbatis: in eo autem sabbato nulla alia maior solemnitas esse potuit, nisi quia in eo etiam contigit & occurrit solemnitas primæ diei azymorum ex dicta dispensatione translata, ergo anno illo Iudæi primam diem vsualem seu naturalem azymorum in sabbato celebrarunt, & Feria sexta ad vesperam, seu ad Solis occasum, Pascha agni celebrauerant, Christus autem illud celebrauit Feria quinta ad vesperam; ergo.

Tertiò, quia si Iudæi Feria quinta celebrassent Pascha agni, Christum affixissent cruci prima die vsuali seu naturali azymorum, quia affixus fuit Feria sexta immediatè sequenti. credi autem non potest, Iudæos id in die festo fecisse.

Quartò, quia Christus Ioan. 13. Iudæ cum ipso cœnanti dixit, *Quod facis, fac citius*; quibus verbis discipuli intellexerunt, Christum illi significare voluisse, vt emeret ea quæ ad diem festum necessaria erant, vt constat ex sequentibus verbis; ergo restabat Pascha celebrandum ab aliquibus quibus ea erant necessaria, sed non à Christo, quia id dixit in cœna, postquam Pascha agni celebrauerat, ergo à ceteris Iudæis.

Quintò, quia si Iudæi Pascha agni celebrassent Feria quinta, sicut Christus celebrauit, & dies proximè sequens, in qua Christus mortuus est, fuisset omnibus prima dies vsualis azymorum, Ioseph non potuisset Christum de cruce deponere & sepelire, quia id prohibitum erat in die festo; neque Simon potuisset pro Christo crucem portare, quia erat opus seruile.

Sextò, quia Christus Matthæi 26. loquens de tempore Paschæ agni, in quo ab ipso celebrandum erat, dixit, *Tempus meum prope est*, & tamen non diceret *tempus meum*, si illud etiam esset commune omnibus Iudæis ad Pascha agni celebrandum.

S. Thomas. Caietanus. Alexand. Bonauent. Vasquez. Ægidius. S. Thomas verò, Caietanus & recentiores Thomistę 3. p. quæst. 46. ar. 9. Alexander 4. parte, q. 10. m. 4. art. 1. Bonauentura in 4. dist. 11. art. 2. q. 1. Vasquez disp. 172. Ægidius quæst. 74. art. 4. dubio 1. & communiter Scholastici docent, & meritò, Christum & Iudæos eadem die decima quarta Lunæ ad vesperam præfixa ex lege Exodi 12. Pascha agni celebrasse, quod exprimunt Ambrosius Epist. 83. & Augustinus Epist. 86.

Id autem significatur in Scriptura, Primò illis verbis Matth. 26. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, vbi illud, *Pascha fiet*, de Paschate ab omnibus celebrando intelligitur, quia absolutè & absque vlla limitatione dicitur; Christus autem post biduum celebrauit Pascha, ergo & ceteri Iudæi.

Secundò

Secundò idem significatur illis verbis Marc. 14. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, Quo vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha?* Ergo eo primo die Christus immolauit, & Iudæi immolarunt, aliàs non absolutè diceretur, *quando Pascha immolabant.*

Tertiò significatur Lucæ 22. illis verbis, *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* vbi particula illa *necesse* ita absolutè prolata comprehendit omnes, & excludit generalem permissionem oppositi; ergo Christus & reliqui Iudei die decimá quarta Lunæ secundùm legem præfixa ex ipsius legis obligatione Pascha immolarunt, quæ eo anno contigit in Feria quinta: vnde suprà dicta dispensatio & permissio translationis commentitia est. Et quidem si esset ea permissio, illius mentionem fecissent Iosephus & Philo diligentissimi cærimoniarum & legum illius populi obseruatores, & non fecerunt; neque ea permissione vitaretur obseruatio duorum festorum immediatorum, quæ secundùm aduersarios vitari intendebatur in casu dictæ permissionis; quia septima dies azymorum, quæ etiam erat festiua sicut prima, contingeret in sexta Feria, ac proinde duo festa immediata ab ipsis obseruarentur.

Ad primum ergo fundamentum aduersariorum, desumptum ex illis tribus testimonijs Ioannis, constat ex Difficultate præcedenti, quomodo nobis non aduersatur.

Ad secundum, desumptum ex illo Ioann. *Erat enim magnus ille dies sabbati*, respondemus, in eo sermonem esse de sabbato, non peculiariter de illo ante quod Christus proximè fuit mortuus, quasi illud habuerit aliquid peculiare, ratione cuius esset sanctius alijs sabbatis, & ratione cuius necessarium fuerit aut conueniens in eo peculiariter non manere corpora in cruce absque sepultura; sed de sabbato secundùm se, & quasi in communi, quod dicebatur magnum, quia inter omnia festa erat principalius, & ideò non licebat adhuc cibos parare, imò neque ignem accendere, ac proinde Relatiuum *ille*, quando dicitur, *erat enim magnus ille dies sabbati*, non refert sabbatum illud peculiare in cuius paraseeue mortuus fuit Christus, sed sabbatum secundùm se, & quasi in communi Iudæorum, quod iam, quando Ioannes scripsit, erat apud Christianos antiquatum & præteritum; & ad hanc antiquationem & præteritionem significandam vtitur Ioannes Relatiuo *ille*, quo rem iam præteritam significare solemus. Quòd autem Ioannes non loquatur de sabbato illo particulari, sed de sabbato secundùm se, & quasi in communi, deducitur ex contextu, quia dicitur: *Iudæi ergo (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus ille dies sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* vbi immediatè antequam dicatur, *erat enim magnus ille dies sabbati*, dictum fuerat, *quoniam parasceue erat, vt non remanerent in cruce corpora sabbato.* Ergo cùm in his posterioribus verbis sermo sit tam de parasceue quàm de sabbato quasi in communi, etiam erit sermo de sabbato quasi in communi, quando immediatè subditur, *erat enim magnus ille dies sabbati.* Iudæi ergo rogauerunt Pilatum, vt frangerentur crura Christi & latronum, vt citò morerentur, vt ita possent deponi de cruce, & sepeliri ante Solis occasum, à quo solemnitas sabbati incluſiuè incipiebat; quia ex vna parte corpora damnatorum eadem die debebant tolli de cruce & sepeliri, vt constat ex Deuteron. 21. & ex altera parte, quamuis non esset prohibitum, erat tamen indecens id efficere in solemnitate sabbati, & ideò conuenientissimum erat id præuenire.

Ad tertium respondemus, Christum affixum fuisse cruci die prima vsuali seu naturali azymorum, quę erat solemnis & festiua, id tamen factum fuit, vel quia in die festo distincto à sabbato id procurare accusando, & ius dicendo, imò exequendo, non erat lege prohibitum Iudæis, vt quibusdam placet, quia id neque erat specialiter prohibitum in Scriptura, neque generaliter, quia id non erat opus seruile, quod deducitur ex illo Matth 26. *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo*, vbi pro causa non redditur prohibitio, sed ne populus in die festo intra ciuitatem existens tumultu excitato pugnaret pro Christo, vt eum à morte liberaret: vel si Iudæis id erat prohibitum, vt alijs placet, ipsi tamen decepti, existimarunt pro eo casu se obligari, & ipsis licere Christum comprehendere & occidere, quia ipsum iudicabant valdè seditiosum, & perturbatorem Reipublicæ.

Ad quartum respondemus, discipulos illis verbis dictis Iudæ, *Quod facis fac citius*, non potuisse intelligere vt Iudas emeret quæ necessaria erant ad Pascha agni celebrandum: quia non ad celebritatem ab alijs Iudæis faciendam, quia non constat Iudam curam habuisse de alijs nisi de Christo & de eius collegio, neque faciendam à Christo & à collegio ipsius, quia iam ipsi Pascha agni celebrauerant. Intellexerunt ergo Christum dixisse Iudæ, vt emeret necessaria ad diem primam vsualem azymorum, quæ etiam dicebatur Pascha, quia festiua erat, & ideò dicitur discipulos putasse Christum dixisse Iudæ vt emeret necessaria ad diem festum (de quo in principio capitis dixit, *Ante diem festum Paschæ*) & non dixit *ante festum Paschæ*, quod incipiebat die decima quarta Lunæ à Solis occasu incluſiuè, vt expendimus in Difficultate præcedenti, in solutione ad quartum.

Ad quintum respondemus, in die festo adhuc sabbati non fuisse prohibita opera misericordiæ, vt indicatur Matthæi 12. Marc. 6. Lucæ 6. & 13. & Ioan. 7. vbi Christus contendebat, licitũ esse in die sabbati curare & bene facere, vnde licitũ erat corpora sepelire, vt specialiter indicatur Tob. 2. & ita Ioseph & mulieres potuerunt Christum prima die azymorum sepelire: imò mulieres potuerunt ipsum vngere, si iam emissent aromata; quia tamen non emerant, ideò expectato sabbato, in quo non vendebantur, posteà emerunt, vt exprimitur Marci 16. illis verbis, *Et cùm transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum.* Vnde id quod Lucæ 23. dicitur, *Et reuertentes* (à sepulchro videlicet, die paraseeues sub finem) *parauerunt aromata, & vnguenta: & sabbato quidem siluerunt secundùm mandatum*, intelligitur per figuram præoccupationis, secundùm quam priùs narratur quod non fuit priùs factum, quia priùs reuertentes, secundùm mandatum siluerunt die sabbati, & posteà parauerunt aromata, vt Marcus exprimit. Et quod attinet ad opus Simonis portantis crucem, excusari potest in ipso, quia fuit coactus à ministris Pilati, qui gentiles erant, quia aliter non poterant executionem mortis sibi demandatam perficere;

perficere; quod significat verbum *angariare*, quod Græcum est, & à vulgato interprete Latinizatum, quia significat conducere vi compellendo, & adigendo.

Ad sextum respondemus, Christum tempus non tam Paschæ agni, quàm Paschæ azymorum appellasse suum, non ob rationem aduersariorum, sed quia in eo passurus erat pro salute hominum, quod vehementer desiderabat, vt significatur Luc. 12. illis verbis, *Baptismo autem habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur?*

Quòd si adhuc contra nostram sententiam objicias Primò, quòd eo anno, quo Christus mortuus est, Festum Pentecostes incidit in diem Dominicam immediatè sequentem post sabbatum, ergo eo anno prima dies vsualis azymorum translata fuit in sabbatum septimam diem hebdomadæ post Feriam sextam, in qua Christus crucifixus fuit. Consequentia patet, quia festum Pentecostes celebrandum erat die quinquagesima ab ea die in qua offerebantur manipuli segetum: quia, vt constat ex Leuit. 23. offerebantur altera die immediatè post sabbatum, id est, post primam diem vsualem azymorum, quæ quia erat festiua, etiam dicebatur sabbatum, Leuit. 23. Ergo eo anno dies altera seu secunda azymorum incidit in diem Dominicam, quia festum Pentecostes incidebat in similè diem, in quam incidebat dies secunda azymorum, quæ erat dies oblationis manipulorum, quia à die in qua offerebantur manipuli, vsque ad festum Pentecostes, computandæ erant septem hebdomadæ integræ; & altera die post septimam hebdomadam completam, celebrandũ erat festum Pentecostes, vt constat ex Leuit. 23. Respondemus, cõcedendo, eo anno festum Pentecostes incidisse in diem Dominicam; negamus tamen, diem primã vsualem seu naturalem azymorum incidisse in sabbatum, & diem secundam azymorum (in qua offerebantur manipuli) incidisse in diem Dominicam: quia quando Leuit. 23. dicitur, à die oblationis manipulorum computandos esse quinquaginta dies, seu septem hebdomadas & vnum diem, vt in hoc die, qui erat quinquagesimus à die oblationis manipulorum, celebraretur festum Pentecostes, intelligebatur ab illa die oblationis manipulorũ excluſiuè, id est, ea die non computata, seu post illam.

Quòd si secundò objicias, Eodem die quo manipuli offerebantur, metendi & colligendi erant, vt deducitur ex Deuteron. 16. ergo eo anno quo Christus mortuus est, necessarium fuit primam diem azymorũ transferre ad sabbatum septimam diem hebdomadæ, vt in sequenti possent manipuli meti & colligi, quia in sabbato septima die hebdomadæ non licebat; Respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiã: & ad eius probationem negamus, non licuisse in sabbato septima die hebdomadæ manipulos offerendos metere & colligere, quia offerendi erant in cultum Dei, sicut etiam in die sabbati licitum erat animalia sacrificanda occidere, quia opera in cultũ Dei cedentia non intelligebantur prohibita, sicut neque opera misericordiæ.

Ex dictis deduci potest, per sabbatũ secundum-primum (in quo Lucas cap. 6. dixit discipulos Christi spicas vellere, & eas manu confringere ad manducandum, & ob id fuisse à Iudæis reprehensos, quia id in sabbato facerent) intelligi sabbatum quod est septima dies hebdomadæ primæ è septem hebdomadis, quæ computabantur à die oblationis manipulorum excluſiuè vsque ad Pentecosten; quod ideò dicebatur sabbatum secundum, quia necessariò supponebat diem primam azymorum, quæ etiam dicebatur sabbatum, quia festiua erat, & etiam dicebatur primum, quia sabbatum illud erat primum sabbatum è septem sabbatis contentis in illis septem hebdomadis. In hoc ergo primo sabbato, quod necessariò supponebat primam diem azymorum festiuam, ob quod etiam dicebatur secundum, discipuli colligebant spicas, & eas manibus fricabant, & reprehensi fuerunt à Iudæis, quia in sabbato septima die hebdomadæ non licebat grana illa ad manducandum præparare; sed excusati fuerunt à Christo, non quia ex se non esset prohibitum, sed ratione vrgentis & instantis necessitatis, qua discipuli premebantur: quod Christus confirmauit exemplo Dauidis, qui vrgente & instante necessitate panes propositionis comedit, quibus aliàs non licebat laicis vesci; quo Christus supposuit, illud ex se & ex suo obiecto prohibitum fuisse. Et ex hoc constat, sabbatum illud fuisse septimam diem hebdomadæ, quia in alijs festis, seu sabbatis, qui non erant septima dies hebdomadæ, non erat prohibitum cibos ad manducandum præparare.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Christus & reliqui Iudæi Pascha agni celebrauerint in priori an in posteriori vespera diei decimæ quartæ Lunæ.

QVia ex Exodi cap. 12. constat, Pascha agni celebrandum fuisse die decimaquarta Lunæ ad vesperam, & ex Leuit. cap. 23. deducitur, festiuitates Iudæorum, seu dies festiuos, & quasi Ecclesiasticos, incipere incluſiuè à vespera vnius diei vsualis, & in vespera alterius sequentis diei vsualis excluſiuè terminari; & ideò orta est difficultas, Ad quam vesperam ex his duabus Christus & reliqui Iudæi Pascha agni celebrauerint.

Oleaster in cap. 23. Leuitici, & Stella in cap. 12. Lucæ, Ludouicus Legionensis in Opusculo de Vtriusque agni, typici atque veri, immolatione, Montoya in libro Annot. in Canonem Missæ, & Scaliger lib. 5. de Emendatione temporũ, fol. 351. docent, Christum & reliquos Iudæos Pascha agni celebrasse in priori vespera diei decimæ quartæ Lunæ, id est die decima tertia vsuali desinente. *Oleaster.* *Stella.* *Lud. Leg.* *Montoya.* *Scaliger.*

Quod probari potest Primò, quia in sacra Scriptura vespera alicuius diei, præsertim festiui, non est finis illius diei, sed initium; quia dies festiuus apud Hebræos à vespera diei vsualis antecedentis incipiebat incluſiuè, & tota luce sequentis diei vsualis ante Solis occasum finiebatur; sed Pascha agni iuxta præscriptum legis celebrandum erat die decimaquarta Lunæ ad vesperam; ergo in priori vespera illius diei ad finem diei decimætertiæ vsualis, Christus & ceteri Iudæi Pascha agni celebrarunt, & non in posteriori, quia hæc iam pertinebat ad diem decimamquintam, (quæ erat prima azymorum) tamquam initium illius. quam computationem videntur desumpsisse Hebræi ex illo Genes. 1. *Et factus est vespere & manè dies vnus.* vbi pro fine dici ponitur manè, quod sequitur post vesperam.

Secundò, quia eadem die & hora celebrandum erat ex lege Pascha agni à Christo & à Iudæis, qua ab eorum parentibus agnus fuerat primò in Ægypto immolatus & esus, quia solemnitas hæc instituta fuit in memoriam beneficij, quod patres eorum acceperunt; sed à parentibus eorum in Ægypto agnus fuit immolatus ad initium diei decimæquartæ, non ad finem; ergo eadem die & hora immolatus fuit à Christo & à ceteris Iudæis. Consequentia patet, & etiam Maior. Minor verò, in qua est tota difficultas, nempe à parentibus eorum in Ægypto agnum fuisse primò immolatum ad initium diei decimæquartæ, seu ad priorem vesperam illius, & ad Solis occasum diei decimætertiæ vsualis, probatur Primò ex Iosepho, qui lib. 2. Antiquitatum cap. 5. aliàs 13. in fine loquens de celebritate Paschatis, ait: *Illucescente die decimaquarta, omnes ad exitum animati sacrificabant*: illucescere autem diem decimamquartam, idē est quod ad initium. Secundò probatur quia Hebræi egressi sunt de Ægypto, quando egressi sunt de Rameſſe, iuxta illud Exod. 22. *Profecti sunt filij Israel de Rameſſe in Socoth.* de Rameſſe autem egressi sunt noctu, desinente decimaquarta die, & inchoante decimaquinta; ergo in ea nocte non potuerunt agnum immolare, & illum comedere, sed ad initium præcedentis noctis. Et in primis filios Israel noctu egressos fuisse de Rameſſe, seu de Ægypto, dicitur Exod. 12. illis verbis: *Nox ista est obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti*: egressos autem fuisse ad initium noctis, dicitur Deuter. 16. *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Et quidem noctem istam, seu vesperam, fuisse initium diei decimæquintæ, deduci videtur ex Num. 33. dum dicitur: *Profecti sunt de Rameſſe mense primo, decima quinta die mensis primi.* Ex his autem colligi videtur, Iudæos non celebrasse Phase in eadem nocte in qua egressi sunt de Ægypto, sed in præcedenti, ad initium quasi Ecclesiasticum diei decimæquartæ, vt expressum videtur Num. 33. dum dicitur: *Profecti de Rameſſe in mense primo in decimaquinta die mensis primi, fecerunt altera die Phase filij Israel in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus.* Quod etiam suadent res ipsæ gestæ ab immolatione agni vsque ad egressum de Ægypto, quia post immolationem agni tota illa nocte intra domos suas manserunt, vsque ad ortum diei sequentis, vt constat Exod. 12. & posteà, orta iam luce, cœperūt omnes Hebræi ex omnibus vicis, in quibus habitabant, cōgregari in ciuitate Rameſſe, vt inde omnes simul egrederentur, iuxta illud Exod. 12. *Profecti sunt omnes de Rameſſe*, quia credi non potest, tantam Hebræorum multitudinem in ciuitate Rameſſe habitare. Ad hoc autem quòd omnes congregarentur, necessarius fuit vnus integer dies. Cui accedit, quòd filij Israel petierunt ab Ægyptijs vasa & vestes commodatas, quod fieri non potuit tempore noctis post immolationem agni. Ergo post immolationem manserunt apud Ægyptios tota luce diei sequentis, in qua congregati sunt in Rameſſe, & petierunt ab Ægyptijs vasa & vestes; ergo filij Israel immolarunt agnum ad initium diei decimæquartæ quasi Ecclesiasticæ, & egressi sunt die decima quarta ad finem, & ad initium quasi Ecclesiasticum die decimaquinta.

Iosephus.

Tertiò, quia aliàs Christus crucifixus fuisset prima die azymorum, quod videtur falsum, tum quia erat festiua & solemnis, tum etiam quia veritas non ita benè responderet figuræ, ac si Christus crucifixus fuisset die decimaquarta vsuali; quia sic crucifigeretur seu immolaretur eadem die Ecclesiastica, qua agnus typicus immolabatur, quamuis non in eadem hora, quia agnus typicus immolabatur die decimaquarta Ecclesiastica ad initium, & Christus eadem die Ecclesiastica aliquot paucis horis ante finem illius.

Sebastianus verò Perez Episcopus Oxomensis 3. parte, quæst. 73. art. 1. Ægidius quæst. 74. art. 4. dub. 1. Suarez disp. 41. sect. 1. Vasquez disp. 172. cap. 6. Ribera lib. 5. de Temp. cap. 3. Pereira in cap. 13. Ioannis, disp. 6. docent, & meritò, Christum & reliquos Iudæos Pascha agni secundùm legem celebrasse ad posteriorem vesperam, seu ad finem diei decimæquintæ vsualis, ad initium diei decimæquartæ festiuæ, & quasi Ecclesiasticæ.

Perez. Ægidius. Suarez. Vasquez. Ribera. Pereira.

Id autem probatur Primò, quia Exodi cap. 12. dicitur de agno Paschali: *Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.* Per vesperam autem Interpretes communiter intelligunt finem diei, & posteriorem vesperam, & meritò: quia nomen *vespera* communi Gentium sensu & vsu sumitur pro fine diei seu lucis, præsertim quando dicitur, hoc aut illo die ad vesperam fieri aliquid; v. g. Sabbato ad vesperam fecimus hoc aut illud: & etiam quando in Scriptura dicitur ad vesperam alicuius diei, numquam significatur prior, sed posterior vespera finis lucis illius diei, vt quando Genes. 30. dicitur, *redeunti ad vesperam de agro*, vt patet; & quando Exodi cap. 18. dicitur Moysen sedisse à manè vsque ad vesperam, vt etiam patet; & quando Exodi cap. 12. dicitur, *vsque ad diem vigesimam primam mensis eiusdem ad vesperam*; etiam per vesperam intelligitur posterior, quia septima dies azymorum, quæ erat hæc vigesima prima, claudebat totam lucem diei vigesimæ primæ ad Solis vsque occasum excluſiuè. Quibus accedit Iosephus, qui lib. 3. Antiquit. cap. 1. sic ait: *Mense primo, qui à nostris dicitur Nisan, & à quo annus incipit, & Luna decimaquarta Sole autem obtinente, quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca seruitute liberati sumus, sacrificium, quod tunc exeuntes fecisse diximus, Pascha nominatum, quotannis instaurare lege iubemur, celebramusque id per sodalitia, nihil è victimis in sequentem diem relinquentes, quæ est decimaquinta, & azymorum festiuitas prima.* Ex his ergo constat, diem vsualem proximè sequentem, & succedentem immolationi agni, esse decimam quintam, quæ erat prima azymorum.

Iosephus.

Quòd si respondeas, testimonio Iosephi diem decimam quintam appellari à Iosepho sequentem, & succedentem immolationi agni, non ipsi horæ immolationis, sed toti diei decimæquartæ quasi Ecclesiasticæ, claudenti Solis occasum diei decimætertiæ vsualis, & totam lucem diei decimæquartæ vsualis vsque ad Solis occasum excluſiuè; contra hanc responsionem est, quia quod Iosephus dixit, *Nihil è victimis in sequentem diem relinquentes*, Moyses Exodi 12. dixerat, *nec remanebit ex eo quidquam vsque manè.* Pro *manè* autem intelligitur lux quæ nocti proximè succedit. Cùm ergo immolatio agni inchoari deberet ad Solis occasum, id quod Deus præcipiebat, erat, vt nihil agni maneret vsque ad manè, seu vsque ad lucem sequentis

tis diei vsualis, ergo istud manè pertinebat ad decimamquintam diē vsualem, d quam vsque Iosephus dixerat nihil esse relinquendum; ergo vespera præcedens, ad quam agnus erat immolandus, erat posterior diei decimæquartæ vsualis, consistens in Solis occasu, terminante lucem diei decimæquartæ.

Secundò idem probatur ex die & hora in qua filij Israel eo anno, quo egressi sunt de Ægypto, immolarunt agnum: quia in illa eadem posteri eorum immolare debebant ex Dei præcepto, iuxta illud Exodi 12. *Habebitis hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum*, &c. Filios autem Israel, qui egressi sunt de Ægypto, agnum immolasse ad finem diei decimæquartæ, constat ex Scriptura, quia ex vna parte Numer. 33. dicitur illos egressos fuisse die decimaquinta, altera die post Phase, vbi per *Phase* nō intelliguntur alia sacrificia Paschalia, quæ etiā Phase dicebantur, sed tantùm immolatio agni, vt cōstat ex intento Moysis in eo loco, quia in eo tantùm intendit narrare tempus egressionis de Ægypto, & circumstantias illius; vna autē & antecedens fuit immolatio agni: & ex altera parte filij Israel exierunt de Ægypto manè illo, quod immediatè successit vesperi & nocti in qua agnus immolatus & esus fuit, quia illi exierunt tempore pertinente ad decimamquintam diem. Quòd verò exierint prædicto manè, apertè deducitur Exodi 12. quia postquam Moyses præcepit filijs Israel, vt immolarent Pascha die decimaquarta ad vesperam, assignans illis modum comedendi Pascha, ait, *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes, cum lactucis agrestibus.* vbi absque dubio per noctem illam intelligit noctem diei decimæquartæ, terminantem lucem ipsius diei decimæquartæ. & subdit, *Transibo per terram Ægypti nocte illa*: & inferiùs subditur fecisse filios Israel, quod eis præceperat Dominus, nempe celebrasse Phase ritu illis præscripto. Et infrà: *Factum est autem, in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* vbi absq; dubio sermo est de eadem nocte. Et tandem, vt in eodem capite dicitur, cùm Ægyptij viderent totam primogenitorum necem, surrexerunt ex lectis, & vrgebant & compellebant Iudæos, vt velociter de Ægypto exirent, ne etiam ipsi interficerentur. Credi autem non potest, Pharaonem & Ægyptios expectasse tota die sequenti, vt Iudæi se ad iter præpararent, cùm Pharao & reliqui Ægyptij media nocte surrexerint, vt illos exire compellerent: & id ex eo maximè conijcitur, quòd Iudæi adeò festinanter compellebantur exire, vt non potuerint conspersionem farinæ fermentare, & aliquid pulmenti facere, vt se præpararent ad iter, & ideò coacti fuerunt panibus azymis & subcinericijs in itinere vesci: in cuius memoriam immediatè post Pascha agni instituti sunt dies septem azymorum. quod *Iosephus.* etiam apertè tradit Iosephus lib. 2. Antiquitatum cap. 5.

Tertiò probatur ex tempore quo Christus celebrauit Pascha agni, & quo mortuus est: quia mortuus fuit prima die azymorum, quæ erat festiua, & ad vesperam immediatè antecedentem celebrauit Pascha. Ergo illud celebrauit die decimaquarta Lunæ ad posteriorem vesperam, quia dies prima azymorum contingebat in die decimaquinta Lunæ. Quòd verò Christus mortuus fuerit *Ambrosius.* prima die azymorum, expressè tradunt Ambrosius Epistola 83. Iosephus in cap. 23. Leuitici, *Iosephus.* Beda lib. de Ratione temporis, cap. 46. Innocentius III. lib. 4. de Sacro altaris mysterio, cap. 4. & *Beda.* *Innoc. III.* plures alij Patres, & Scripturæ Interpretes, qui omnes absque dubio loquuntur, computando diem primam azymorum eodem modo quo Hebræi, & secundùm phrasim Scripturæ, quia loquuntur proprijs terminis Hebreorum & Scripturæ. Et id confirmatur ex eo quod tradit Dionysius *Dionysius.* Areopagita in Epistola ad Polycarpum, Christus mortuus est in ipso plenilunio; quod non potuit contingere, nisi in die deminaquinta Lunæ, vt expendit Pereira vbi suprà, & testantur Astrologi *Pereira.* periti.

Quartò probatur, quia ex sententia aduersariorum sequitur, Christum in fermētato consecrasse, & non in azymo: quia si Christus in priori vespera diei decimæquartæ cœnauit agnum Paschalem, sequitur, Christum in ea cœna, & in quouis alio prandio, vsque ad posteriorem vesperam diei decimæquartæ, vti potuisse pane fermentato, quia ante posteriorem vesperam diei decimæquartę non incipiebant dies azymorum, sed immediatè ab illa; aut saltem si pro cœna agni veritum fuit fermentatum, nihilominùs in alia cœna vsuali, in qua Christus consecrauit, potuit fermentato vti, quia pro alijs prandijs non erat veritum vsque ad vesperam priorem diei decimæquintæ, à qua vespera dies sacri & quasi Ecclesiastici azymorum inclusiuè incipiebant, nisi dicatur à priori vespera diei decimæquartæ fermentatum veritum fuisse, quod est falsum, aliàs fuissent octo dies azymorum.

Ad primum ergo aduersariorum respondemus, celebritatem Phase, quæ sancta & solemnis dicebatur, quia erat Deo dicata, & cultu Deo exhibito celebranda, nempe immolatione & esu agni, non tamen fuisse festiuam, vt deducitur ex Exodi cap. 12. & Leuitici cap. 23. vbi institutæ sunt celebritates Paschatis agni, & septem dies azymorum, & ex his primus, nempe decimusquintus Lunæ, & septimus, nempe vigesimus primus Lunæ, instituti sunt festiui, & prohibitum fuit in eis operari, nisi necessaria ad præparandos cibos. De tempore verò Paschatis agni nulla ibi neque alibi fit mentio festiuitatis, neq; prohibitionis operum, ac proinde celebritas Paschatis agni non fiebat à vespera in vesperam, quia solùm festiuitates seu sabbata celebrabantur à vespera in vesperam, iuxta illud Leuitici 23. *A vespera in vesperam celebrabitis sabbata vestra.* vbi nomine *sabbati* non tantùm intelligitur dies sabbati vltima in hebdomada, sed quæcumque festiua solemnitas, vt constat ex contextu, & non absque ratione: quia in quacumque festiuitate populus ab operibus seruilibus vacabat, ac proinde quæcumque dies festiua erat dies requietionis, quod nomine *sabbati* denotatur. Celebritas ergo agni Paschalis ad finem, & in fine tantùm diei decimæquartæ sedem habuit, & pro paruo illo tempore concludebatur, neque maius tempus ad ipsam requirebatur, quia in sola immolatione & comestione agni consistebat, & eis solis perficiebatur. Et quamuis gratis admittamus, celebritatem Paschatis agni fuisse ex illis quæ celebrabantur à vespera in vesperam; nihilominùs modus ille loquendi *die decimaquarta ad vesperam*, non denotat priorem vesperam, sed posteriorem. Quòd autem contra hoc adducebatur Genes. 1. *Factus est vespere & manè dies vnus*, vbi

vespera videtur poni pro initio diei, non obstat: quia quamuis dies festiui apud Hebræos quoad celebritatem inciperent à priori vespera, & concluderentur toto manè, seu tota luce sequenti vsque ad Solis occasum exclusiuè, tamen dies vsuales seu naturales apud illos non computabantur, nisi à manè inclusiuè in manè exclusiuè, ita vt prior pars diei vsualis integræ esset lux, & nox sequens esset posterior pars, vt expressè tradit Beda lib. de Ratione temporis cap. 3. Et computationē hanc congruere Scripturæ, aduertit Vasquez num. 128. quia Genesis 1. nulla dies dicitur incepisse ante lucem: quia quamuis ibi ante lucem præmittantur tenebræ, non tamen ita vt ab illis incipiant dies, quia ante tenebras iam fuerat præmissa lux, dum dicitur, *appellauitque lucem diem, & tenebras noctem*: & ita statim ordine inuerso incipiens ab eo quod fuit posterius & proximè præmissum, compleuit diem, ex tenebris videlicet, non quæ præcesserunt diem, sed ex sequentibus lucem, quarum proximè facta fuerat mentio, & ex luce quæ tenebras præcesserat, cuius ante illas facta fuerat mentio, quia nullus dies dicitur incepisse ante lucem à tenebris lucem antecedentibus. Quod etiam satis denotatur eo modo loquendi vsitato in Scriptura, Tali die à manè vsque ad vesperam, & tali die vsque ad vesperam, verbi gratia, die decimaquarta à manè vsque ad vesperam, & die decimaquarta vsque ad vesperam, quia in modo loquendi vespera sumitur pro posteriori parte diei.

Ad secundum concedimus Maiorem, nempe eadem die & hora immolatum fuisse agnum Paschalem à Christo & à Iudæis, qua à parentibus ipsorum fuerat in Ægypto immolatus; negamus tamen Minorem, nempe à parentibus ipsorum fuisse immolatum in Ægypto ad priorem vesperam diei decimæquartæ, sed ad posteriorem. Et ad primam probationem ex Iosepho desumptam respondemus, id quod fuit versum in particulam *illucescente*, potiùs vertendum esse in has, *postquam adfuit dies decimaquarta*, ita vt sit sensus, postquam adfuit dies decimaquarta, omnes ad exitum animati sacrificabant, sed non statim in initio diei, sed suo tempore, nempe ad occasum Solis. Et ad secundam probationem ex Scriptura desumptam cōcedimus, filios Israel egressos fuisse de Rameste noctu, vt dicitur Exodi 12. sed non in initio noctis, sed ad finem, aurora diei decimæquintæ aduenientē. Illâ autem particulâ *quando* Deuteronom. 16. *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum, quando egressus es de Ægypto*, non denotatur eamdem fuisse horam immolationis & egressus, sed denotatur spatium eiusdem noctis, ad cuius initium immolatus fuit agnus, & in cuius fine egressi sunt filij Israel de Ægypto. In hoc autem loco nomine Phase nequeunt intelligi alia sacrificia quæ in diebus azymorum fieri solebant, sed intelligitur Phase die decimaquarta immolandum: dicitur enim, *Immolabis Phase vespere ad Solis occasum*. Alia verò sacrificia non necessariò immolanda erant illa hora; sed tantùm Phase Paschale diei decimæquartæ. Ex quo loco constat, in eadem nocte celebratum fuisse Pascha agni, & filios Israel egressos de Ægypto, quamuis non in eadem hora; quia celebratio Phase agni facta fuit ad Solis occasum, egressus verò factus fuit in fine noctis, in initio lucis diei decimæquintæ, quæ erat altera dies vsualis post diem celebrationis Phase, vt dicitur Numerorum 33. Dictum autem spatium inter initium noctis, & finem illius, sufficit ad res à Iudæis gestas, quia tota nocte manentes intra domos, petierunt ab Ægyptijs, post mediam noctem euntibus ad domos Iudæorum vt ipsos ad exitum compellerent, res commodatas, quas ipsi Ægyptij in domos Iudæorum deferebant, & ipsi Iudæi alia festinanter præpararunt, vt aduenientē aurora proficiscerentur. Quod autem dicitur ab aduersarijs, Iudæos omnes congregatos fuisse in ciuitate Rameste post immolationem & manducationē agni, nullatenus constat, neque constare potest cum his, quæ modò ex Numerorum 33. & ex alijs locis deduximus. Id verò quod Exodi 12. dicitur, *Profecti sunt de Rameste*, intelligitur non de sola ciuitate Rameste, sed de tota terra Gessen, in qua à principio inter Ægyptios habitarunt, vt deducitur ex Genesi 47. in vicis tamen prope ciuitatem Rameste: terra autem seu Prouincia hæc etiam fuit dicta Rameste, quia Rameses erat præcipua ciuitas in illa. Profecti sunt autem omnes versus eumdem locum Socoth, prout anteà à Moyse moniti fuerant, vt constat ex Exodi 12.

Ad tertium constat ex dictis Difficultate VIII. vbi diximus, Iudæos non dubitasse Christum in die festo accusare, vel quia id ipsis non erat prohibitum, vel quia, quamuis esset, tamen pro eo casu existimarunt sibi licere, quia maius bonum existimabant Christum quasi seditiosum & Reipublicæ perturbatorem perdere, quàm obseruare legem de non operando in die festo: & etiam constat, quomodo iuxta nostram sententiam veritas responderit figuræ quoad substantiam, quamuis non quoad circumstantiam temporis.

DIFFICVLTAS X.

Qua die & qua hora Christus instituerit Sacramentum Eucharistiæ.

CONueniunt Primò Theologi, Sacramentum Eucharistiæ institutum fuisse à Christo, pridie ante mortem in nocte, in qua agnum immolauit, & cœnauit cum Discipulis suis, & in qua traditus fuit Iudæis, vt constat ex Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. & 1. ad Corinth. 11. & supponitur in Tridentino sess. 13. cap. 1. & 2. & in Clementina de Reliquijs & veneratione Sanctorum, & id denotatur in Canone Missæ illis verbis, *Qui pridie quàm pateretur, accepit panem*, &c. Vnde iuxta ea, quæ diximus Difficultatibus præcedentibus, Sacramentum Eucharistiæ institutum fuit die decimaquarta Lunæ Martij in nocte, quam immediatè secuta est lux diei decimæquintæ vsualis, in qua Christus circa horam nonam mortuus est; eo autem anno dies decimaquarta Lunæ incidit in diem Iouis, & fuit decimaoctaua Aprilis solaris. *Trident.*

Conueniunt Secundò communiter Theologi, Sacramentum Eucharistiæ institutum fuisse finita cœna legali, seu cærimoniali agni, quod significat Tridentinum sess. 22. c. 1. dum ait: *Celebrato veteri Paschate nouum instituit Pascha.* & etiam Clemens V. in Clementina de Reliquijs, & id canit Ecclesia in Festo Corporis Christi: *Post agnum typicum expletis epulis.* quod etiam expressit Augustinus Epist. 118. & refertur in Can. *Liquidò*, de Consecratione, dist. 2. & id deducunt ex Scriptura Vasquez dis. 172. c. 9. & Suarez dis. 41. sect. 4. *Trident.* *Augustin.*

Est

Est tamen difficultas, An statim finita cœna legali institutum fuerit Sacramentum Eucharistiæ, an non; sed etiam finita cœna communi & vsuali, quæ post cœnam legalem fieri solebat, quia hæc regulariter non sufficiebat ad reficiendam naturam, quam etiam factam fuisse à Christo, optimè conuincit Vasquez.

Suarez. Circa hanc difficultatem Suarez docet, Christum finita cœna legali agni statim ante inceptam vsualem institutisse Sacramentum Eucharistiæ, & Damascen. pro se adducit Damascenum lib. 4. de Fide cap. 14. qui obscurè loquitur.

Modus tamen iste dicendi non placet; quia non quadrat verbis illis Matth. 14. *Cœnantibus illis accepit Iesus panem*, &c. quia his verbis propriè acceptis ad minus significatur, Christum institutisse Sacramentum Eucharistiæ inter cœnandum, seu post cœnam inceptam, & non cœnam legalem, quia hæc non dicitur absolutè cœna, quia non fiebat ad reficiendam naturam; sed cœnam vsualem & communem, quæ absolutè dicebatur cœna, vtpote quæ fiebat ad reficiendam naturam.

Vasquez num. 119. docet, Christum institutisse Sacramentum Eucharistiæ post inceptam cœnam communem & vsualem, nondum tamen finitam à Discipulis, sed adhuc ipsis cœnantibus, finitam tamen à Christo, quia hoc posterius quadrat verbis illis Lucæ & Pauli: *Similiter & Calicem postquam cœnauit*. Et illud prius quadrat dictis verbis Matthæi & Marci, *Cœnantibus autem illis*, nempe Discipulis.

Claudius. Becanus. Claudius verò Sanctes Repetitione 1. de Eucharistia, cap. 7. & Becanus cap. 15. quæst. 4. docent, & satis verisimiliter, Christum institutisse Sacramentum Eucharistiæ finita cœna communi & vsuali à Christo & à Discipulis. Quod indicare videtur Ecclesia illis verbis, *Post agnum typicum expletis epulis*; quia particula *epulis* absolutè prolata intelligitur de omnibus epulis, etiam communibus & vsualibus. Et id ratio suadet, quia credi non potest, Discipulos non fuisse factos attentos à Christo ad consecrationem panis, non solùm verbis consecrationis adeò extraordinarijs, sed etiam benedictione panis, quæ etiam extraordinaria fuit, quam ad ipsius panis consecrationem præmisit; & ad id Christum finem cœnæ vsualis non expectasse, vt ex vna parte post sumptionem panis consecrati nihil aliud sumerent, quod congruens erat, & vt ex altera non manerent absque sufficiente refectione, occasione sumptionis panis consecrati, cui optimè quadrant verba illa Matthæi & Marci, *Cœnantibus autem illis*, quia statim & contiguè ad cœnam vsualem fuit institutum: & ei non aduersantur verba illa Lucæ & Pauli, *Similiter & Calicem postquam cœnauit*, quia consecratio Calicis vel vini facta fuit, postquam iam cœna vsualis cessauerat consecratione panis, & distributione ipsius. Cui maximè fauet, quòd de sola consecratione vini facta post consecrationem panis, dicitur à Luca & à Paulo facta postquam Christus cœnauit (intellige & qui cum eo cœnabant) & non de consecratione panis, quæ contiguè ad ipsam cœnam facta fuit.

Sed an institutio Eucharistiæ facta fuerit ante, vel an post lotionem pedum Discipulorum factam à Christo, incertum est: creditur tamen instituta post lotionem dictam pedum (vt aduertunt Suarez, Vasquez & Becanus) quia lotio creditur facta ante cœnam vsualem & communem, postquam instituta fuit Eucharistia, quia mos erat ante eam cœnam pedes conuiuarum lauare, & Christus id voluit facere pro illo in cuius domo cœnauit. Quod Christus voluit ante institutionem Eucharistiæ facere, vt eo denotaret, ablutionem culparum leuium conuenientem esse ad sumptionem Eucharistiæ. Christus ergo ob vtramque dictam rationem Petro recusanti lauari ab ipso, dixit: *Si non lauero te, non habebis partem mecum*; id est, non cœnabis mecum, quia scilicet ante cœnam vsualem conuiuarum mos est eorum pedes lauari, quod recusas: neque accipies Corpus & Sanguinem meum (quamuis hoc pro tunc non intellexit Petrus) quia scilicet ablutio culparum leuium lotione pedum significatam, quam recusas, expediens est ad sumptionem Eucharistiæ. *Suarez. Vasquez. Becanus.*

Concludimus ergo, Christum institutisse Sacramentum Eucharistiæ circiter duas horas post Solis occasum: quia à Solis occasu, ad quem ex lege celebritas agni inchoanda erat, facta fuit immolatio agni, & illius præparatio vt manducaretur, & manducatio ipsius, & lotio pedum, & cœna vsualis; & in fine huius institutio Eucharistiæ: ad hæc autem omnia commodè facienda videtur spatium duarum horarum plus minúsve fuisse necessarium & consumptum: vnde videtur Eucharistia circa horam octauam noctis diei decimæquartæ mensis lunaris Martij, & diei decimæoctauæ mensis Aprilis solaris institutam fuisse.

Ex omnibus ergo hactenus dictis constat, Christum in pane azymo consecrasse, sicut Latini consecramus: quia quamuis non consecrauerit in cœna legali agni, in qua panis non nisi azymus comedi poterat, vt significatur Exodi 12. sed in cœna communi & vsuali in fine illius; quia tamen hæc facta fuit die decimaquarta Lunæ Martij aliquantulum post Solis occasum, à quo inclusiuè incipiebat prima dies sacra & quasi Ecclesiastica azymorum, in qua & in sequentibus sex non poterant panes nisi azymi manducari, vt constat Exodi 12. imò, vt ex eodem constat, ab eo Solis occasu non poterat esse panis fermentatus in toto Israel, ideò firmiter creditur Christum non in fermentato, sed in azymo consecrasse.

DISPVTATIO II.

De materia Sacramenti Eucharistiæ.

DISPVTATIO hæc procedit de materia Sacramẽti Eucharistiæ non ipsi Sacramento intrinseca, quia ea caret; sed de materia, ex qua ipsum conficitur, & quæ est ipsi extrinseca, & circa quam versatur consecratio: & procedit de materia vtriusque partis, quasi integrantis Sacramentum Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm panis & vinum sint materia Sacramenti Eucharistiæ.

CONueniunt Catholici, materiam requisitam seu necessariam ad Sacramentum Corporis Christi, & ad valorem consecrationis ipsius Corporis, esse panem; & ad Sacramentum Sanguinis Christi, & ad valorem consecrationis ipsius Sanguinis, esse vinum: quod tradunt communiter Patres, quorum testimonia in sequentibus referemus.

Innoc. III. Et id definiunt Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. 2. & refertur in cap. *Firmiter* 1. de *Eugen.* IV. Summa Trinitate & Fide Catholica, & Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & constat ex perpetua traditione & vsu Ecclesiæ, quæ numquam in alia materia cõsecrauit. Et deducitur ex Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & ad 1. Corinth. 11. vbi Christus Corpus suum consecrauit in pane, & Sanguinem suum in vino, & non constat in alijs materijs consecrasse.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm solus panis triticeus sit materia sufficiens consecrationis Corporis Christi.

ETiamsi panis à pascendo dicatur, & homines omni ciborum genere pascantur; illud tamen solùm dicitur panis, quod cum alijs omnibus cibis comedi solet. Fit autem panis ex varijs rebus, nempe ex fructibus arborum, & ex herbis, & ex leguminibus, & ex frumento. Dicitur autem frumentum quodcumque granum quod aristas habet, vt triticum, hordeum, typha, auena.

Supponimus ergo, in quo nulla est difficultas, panem triticeum esse sufficientem materiam ad Sacramentum Corporis Christi, & ad validam consecrationem ipsius Corporis, vt patet, & constabit ex statim dicendis.

Est tamen difficultas, An etiam quicumque alius panis sit materia sufficiens consecrationi Corporis.

Conueniunt Doctores, panem, qui non est ex frumento, non esse materiam sufficientem ad consecrationem Corporis Christi; quia qui non est ex frumento, non est simpliciter panis, sed tantùm secundùm quid, & cum addito (vt panis ex castaneis, & ex ficibus) & non adhibetur communiter cum alijs cibis, nisi in defectum veri panis. Et idem ob eamdem rationem dicent de pane confecto ex mayzio (Hispanicè *maiz*) & de pane confecto ex milio (Hispanicè *mijo*) & de pane ex panico (Hispanicè *panizo*) & de pane ex oryza (Hispanicè *arroz*) & de pane ex fabis, quia scilicet ex nullo ex dictis fit panis qui sit simpliciter panis, & qui communiter adhibeatur cum alijs cibis, nisi in defectum veri panis.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An non solùm panis ex tritico, sed etiam ex quocumque alio genere frumenti sit materia sufficiens ad consecrationem Corporis.

Gabriel lect. 35. in Canonem Missæ partem affirmatiuam tuetur, quia, vt deducitur ex Scriptura & ex Patribus, panis est materia sufficiens ad consecrationem Corporis: panis autem etiam ex quocumque alio frumento confectus est verè panis; ex eo verò quòd Christus consecrauerit in pane triticeo, non est excludendus quilibet alius panis, sicut ex eo, quòd in vino rubro consecrauerit, non est excludendum vinum album. Gabriel

Doctores tamen communiter partẽ negatiuam meritò tradunt, & non pauci eam tradunt tamquam necessariò amplectendam, & eam tamquam Ecclesiæ traditionem approbant Theologi Catechismi Pij V. Et sanè Ecclesia numquam adhibuit pro materia, nisi panem quem existimat triticeum, & id absque dubio definit Eugenius IV. in suo Decreto, dum ait materiam huius Sacramenti esse panem triticeum, & vinum vitis, quia absque dubio intendit panem triticeum esse materiam necessariam ad consecrationem Corporis, qualem existimat esse vinum vitis ad consecrationem Sanguinis, & quales existimat esse alias materias, quas pro alijs Sacramentis assignat, vt expendit Vasquez disp. 170. num. 15. Et ita Concilia & Pontifices, qui dixerunt, materiam consecrationis Corporis esse panem ex frumento confectum, nomine frumenti triticum, quod inter frumenta est potissimum, intellexerunt, & pro tritico sumpserunt, sicut etiam non rarò sumitur in Scriptura Genes. 44. Ieremiæ 41. Psalm. 4. 2. Paralip. 2. & Ioannis 12. Vas

Ad rationem ergo Gabrielis respondemus, iam ab Eugenio IV. & continuo vsu Ecclesiæ declaratum esse, solum panem triticeum esse sufficientem ad consecrationem Corporis, quod non aduersatur Scripturæ, neque Patribus, supponentibus panem esse materiam sufficientem, quia solus panis triticeus dicitur absolutè, simpliciter & absque vlla limitatione, & absq; vllo addito, panis, & meritò: quia eo solo, quando commodè haberi potest, vtuntur communiter homines cum alijs cibis; panis verò, qui conficitur ex alijs frumentis, non dicitur simpliciter panis, sed tantùm secundùm quid, & cum addito, nempe panis hordeaceus, panis auenaceus, quia eo non vtuntur communiter homines, nisi in defectum panis triticei: vnde ex eo, quòd Christus consecrauit in pane triticeo, excludendus est quicumque alius panis; quia excludi Pal

cludi debet quod non est tale simpliciter, quale fuit id in quo Christus consecrauit, ex quo non leuiter confirmatur, panem triticeum esse materiam sufficientem, & necessariam ad consecrationem Corporis: ex eo verò quòd consecrauerit in vino rubro, non excluditur albū, quia istud etiam est & dicitur simpliciter vinum, siue sit eiusdem speciei cum rubro, siue diuersæ.

Sed quamuis Doctores communiter docent, solum panem triticeum esse materiam sufficientem ad consecrationem Corporis, & consequenter panem ex hordeo confectum non esse materiam sufficientem, neque panem confectum ex auena, quia hordeum & auena certissimè non sunt triticum, variant tamen circa panem ex nonnullis frumentis confectum, quia non conueniunt, an ea frumenta sint triticum, an non.

Circa siliginem ergo dicendum est, quòd si eius nomine significetur triticum selectum, vt nonnulli credunt significari (Hispanè *candeal*) absque dubio panis ex eo confectus est materia sufficiens. Si verò nomine siliginis significetur typha, vt alijs videtur (Hispanè *centeno*) panis ex siligine confectus non est sufficiens materia, vt contra Victoriam num. 55. & contra alios aduertunt Vasquez disp. 170. & communiter Doctores; quia typha non est verum triticum, sed deficiens à tritico; & panis ex typha confectus non est simpliciter panis, neque eo vtuntur communiter homines, nisi in defectu panis triticei. *Vasquez.*

Circa speltam dicendum est, quòd si eius nomine intelligitur species quædam hordei, vt quibusdam videtur (Hispanè *ladilla*) absque dubio panis ex ea confectus non est materia sufficiens, quia non est triticeum: si verò nomine speltæ intelligatur species quædam tritici, quæ in aliquibus Prouincijs, præsertim Galliæ, reperitur, panis ex ea confectus est materia sufficiens.

Circa far dicendum est, quòd si eius nomine intelligatur species quædam tritici, vt à nonnullis dicitur significari (quod apud Astures dicitur *scandia*), aut quædam alia species tritici (quod dicitur trimestre, seu trimessinum) ex eo fieri potest panis sufficiens ad consecrationem Corporis, quia est verè triticum: si verò nomine farris intelligatur species quædam frumenti, quod est granum nullam habens tunicam, vt alij existimant (quod apud Italos dicitur *farro*, distinctum à nostro Hispano) panis ex eo confectus non est materia sufficiens, quia non est triticum.

Obseruandum est, eum, qui cōsecrat materiam, de qua est dubium purum, absque probabilitate an sit sufficiens ad consecrationem, peccare mortaliter, quia temerariè exponit verba consecrationis periculo irritationis.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm quicumque panis ex tritico confectus sit sufficiens ad consecrationem Corporis.

PRimo est difficultas circa panem ex amylo (Hispanè *almidon*) confectum, an sit sufficiens ad consecrationem Corporis.

Paludanus in 4. dist. 11. q. 1. art. 4. affirmat; quia amylon fit ex substantia & medulla tritici. *Paludan.*

S. Thomas verò q. 74. art. 3. Ægidius ibidem num. 54. Vasquez disp. 170. num. 23. & communiter Doctores negant, & meritò: quia quamuis amylon fiat ex tritico, tamen panis ex amylo factus non est simpliciter panis (quod sufficit, vt non sit materia sufficiens) imò non est communis & vsualis, siue amylon sit eiusdem speciei, siue diuersæ cum farina tritici. *S. Thomas. Ægidius. Vasquez.*

Secundò est difficultas circa massam crudam.

Maior in 4. dist. 11. q. 2. affirmat, quia massa cruda tantùm differt accidentaliter à massa cocta. *Maior.*

Doctores tamen communiter negant, & meritò: quia massa cruda (siue essentialiter siue tantùm accidentaliter differat à massa cocta) non est panis simpliciter, imò neque communis & vsualis, nihilominùs mica panis malè cocti compressione digitorum facta quasi massa, est sufficiens materia, (sicut etiam panis inter dentes confractus, & vi saliuæ quasi in massam conuersus, est sufficiens, & ideò sub eius speciebus cōsecratis perseuerat Corpus Christi) vt docent Vasquez & non pauci Doctores, quia compressione illa non reducitur ad statum quem habuit ante coctionem, sed retinet statum panis cocti. *Vasquez.*

Et non solùm massa cruda non est sufficiens ad consecrationem, sed neque massa frixa, neq; elixa, quia neque massa frixa neque elixa est simpliciter panis, imò neque communis & vsualis, sed requiritur vt sit tosta, & quasi assata, imò non calore Solis, sed tantùm calore ignis, quia sola massa calore ignis tosta (siue in furno, siue sub cinere, siue supra ferrum calidum, siue aliter) est & dicitur simpliciter panis, imò ipsa sola est panis communis & vsualis.

Addunt S. Thomas ar. 7. Vasquez, & communiter Doctores, panem requisitum ad valorem consecrationis, conficiendum esse ex farina tritici subacta aquâ naturali seu elementari, non verò lacte, neque oleo, neque melle, neque aqua rosacea, neque alio liquore, & meritò; quia solus panis confectus ex farina tritici subacta aquâ naturali est panis simpliciter & vsualis. Quòd si alius liquor in tam parua quantitate admisceatur aquæ naturali, qua subigitur farina tritici, vt ferè non retineat saporem talis liquoris, tum fiet panis sufficiens ad consecrationem, quia tunc manet simpliciter panis, & vsualis, & non fit placenta: erit tamen illicitum in ea materia consecrare, quia est contra debitam puritatem materiæ. Et quamuis farinæ tritici admisceatur aliquid fermenti & salis, nihilominùs panis ex ea confectus sufficiens est ad consecrationem, etiamsi Latinis non liceat nisi in azymo consecrare, qui fit absque fermento & sale. *S. Thomas. Vasquez.*

Obseruandum est, quòd quando farinæ tritici admiscetur farina alterius frumenti, si quantitas farinæ admixtæ ipsi farinæ tritici sit adeò magna, vt panis ex ea confectus non sit simpliciter triticeus, non erit sufficiens, ob rationem sæpè repetitam: si verò sit parua, ita vt farina illa tritici cui adiungitur, sit & dicatur simpliciter triticea, & panis ex ea confectus sit & dicatur simpliciter triticeus, tunc panis erit sufficiens ad validam consecrationem, imò etiam ad licitam, si notabiliter non excedat mixtionem, quæ regulariter reperitur, quamuis massa alterius frumenti adiuncti non sit conuersa in triticeam, quia tunc in eo pane consecrare non est contra vsum Ecclesiæ, quamuis si non sit conuersa in triticeam, panis

ex eis duabus massis confectus non consecrabitur, quoad eam partem, quoad quam non est triticeus, sed tantùm quoad partem quoad quam est triticeus.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm panis tam fermentatus quàm azymus sit materia sufficiens ad consecrationem Corporis.

PRimus error fuit aliquorum Græcorum, consecrationem Corporis non posse validè fieri, nisi in pane fermentato. Qui ducuntur Primò illo Amos 4. *Sacrificate de fermento laudem.* Secundò, quia existimant, Christum in fermentato & non in azymo consecrasse. Tertiò, quia solus panis fermentatus est simpliciter panis, tum quia eo solo communiter vtimur, tum etiam quia panis Græcè dicitur à verbo *tollo*, vel *attollo*, ex eo quòd farina fermento cõsperſa attollitur fermentatione. Quartò, quia panis azymus videtur proprius Iudæorum, & Christianis non expedit cum illis conuenire, & eos imitari.

Secundus error fuit Armenorum, consecrationem Corporis non posse validè fieri nisi in azymo, quia Christus in azymo & non in fermento consecrauit.

Tertius error fuit Hugonis, aliàs Catholici (quem sequi videtur Glossa in cap. *Literas* de Celebratione Missarum) Latinos non validè consecrare nisi in pane azymo, & Græcos nisi in fermentato, quia Græci tenentur in fermentato consecrare, & Latini in azymo.

Veritas tamen Catholica in quam Scholastici omnes conspirant, est, panem tam azymum quàm fermentatum esse materiam sufficientem ad validam consecrationem Corporis, quod tradunt Anselmus in Opusculo de Fermentato & azymo, & Innocentius III. lib. 4. de Sacrificio Missæ cap. 4. & definiunt Eugenius IV. in suo Decreto, & Leo IX. Epist. 1. aduersus præsumptiones Michaëlis Patriarchæ Constantinopolitani.

Anselmus. *Innoc.* III. *Eugen.* IV. *Leo* IX.

Et in primis panem fermentatum esse sufficientem ad consecrationem Corporis, fatentur Græci simul & Latini: & panem azymum etiam esse sufficientem, tradunt omnes Latini, & meritò, tum quia Christus in eo consecrauit, vt diximus Disputatione 1. Difficultate x. tum etiam, quia quamuis Christus consecrasset in fermentato, etiam azymus esset sufficiens, sicut nos Latini dicimus de fermentato: quamuis credamus, non in eo, sed in azymo Christum consecrasse, quia vterque panis est & dicitur absolutè & simpliciter, & sine addito panis: quod de fermentato patet, & de azymo negari non potest, & constat ex Lucæ 24. vbi panis azymus dicitur absque addito panis, quia ibi dicitur discipulos euntes in Emaus, quibus Christus die resurrectionis apparuit, ipsum cognouisse in fractione panis, iste autem erat azymus, quia adhuc perseuerabant dies azymorum, in quibus nihil fermentatum poterat esse in toto Israel.

Addimus tamen, panem azymum, quo vtitur Ecclesia Latina, esse magis congruentem consecrationi, quàm fermentatum quo vtitur Ecclesia Græca; tum quia Christus & Apostoli in eo consecrarunt, tum etiam, quia species panis azymi aptiores sunt ad significandam puritatem & sanctitatem Corporis Christi, quod sub se continet, & etiam puritatem eorum, qui dignè accedunt ad Sacramentum Eucharistiæ.

Ad primum ergo pro errore Græcorum desumptum ex illo Amos 4. *Sacrificate de fermento laudem*, respondet Anselmus, id dixisse Prophetam exprobrando Iudæis huiusmodi sacrificiũ, & quasi ironicè, vt in contextu ipso indicatur. *Anselmus.*

Ad secundam negamus, Christum in fermentato consecrasse, sed in azymo: & quamuis in fermentato, non obstaret, vt diximus.

Ad tertium negamus, panem azymum non esse & dici panem absolutè, & absque addito, vt constat ex dictis. Quòd autem panis Græcè dicatur à verbo *attollo*, quia conspersio farinæ fermento attollatur & eleuetur, non obstat; quia aliud solet esse id à quo dictio imponitur ad significandum, aliud verò id quod significat. Adde tamen, non deesse peritos linguæ Græcæ, qui dicant, panem Græcè ex eo solùm dici ab attollendo, quia attollit vires corporis, eas corroborando.

Ad quartum respondemus, nos non vti pane azymo eo fine vt legem veterem obseruemus, quo Iudæi pane azymo vtuntur, sed vt Christum, qui in pane azymo consecrauit, imitemur; quod non est Iudaizare, neque cum Iudæis conuenire, nisi materialiter & in re, non formaliter & in fine & modo.

Ad fundamentum pro errore Armenorum respondemus, Christum in azymo consecrasse; negamus tamen, fermentatum non esse sufficientem consecrationi, quia iste etiam est simpliciter panis, non minùs quàm azymus.

Ad fundamentum pro errore Hugonis respondemus, ex eo quòd Græci teneantur in fermentato, & Latini in azymo consecrare, tantùm deduci, consecrationem aliter fieri illicitè, non verò inualidè.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Sacerdos Græcus teneatur in fermentato, & Latinus in azymo consecrare.

DIfficultas hæc procedit de Græco & Latino, dum vnusquisque existit in sua propria Ecclesia.

Paludanus ergo in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 4. concl. 6. docet, Græcum non teneri in fermentato consecrare, quia nequit obligari præcepto suæ Ecclesiæ, quia est schismatica: imò videtur Græcum non posse licitè in fermentato consecrare, quia teneri videtur præcepto Ecclesiæ Latinæ, quia est vniuersalis. *Paludan.*

Reliqui tamen Theologi docent, tam Græcum quàm Latinum licitè posse, imò & teneri morem suæ Ecclesiæ seruare, quòd Eugenius IV. in suo Decreto declarauit. *Eugen.*

Et in primis tam Græco quàm Latino licitum esse morem suæ Ecclesiæ seruare, etiam expressit Leo IX. Epist. illa 1. & ratione constat, quia ex vna parte vteruis panis est sufficiens materia consecrationis, & ex altera non est prohibitum Græco neque Latino à Romano Pontifice, morem Ecclesiæ propriæ seruare; ergo id vnicuique licet.

Quòd

Quòd verò vterque teneatur morem suæ Ecclesiæ seruare, probatur, quia in vtraque Ecclesia est præceptum id efficiendi, ad minus consuetudine introductum, quia id in vtraq; Ecclesia tamquam necessarium, seu ex obligatione obseruatur, scientibus seu consentientibus Prælatis; in Ecclesia quidem Latina, scientibus & consentientibus non tantùm inferioribus Pontificibus, sed etiam Summis seu Romanis; & in Ecclesia Græca, scientibus & consentientibus inferioribus Pontificibus, & Summis seu Romanis id permittentibus.

Ad fundamentum ergo Paludani respondemus, quòd quamuis Ecclesia Græca quoad alia sit schismatica; non tamen quoad morem consecrandi in fermentato, quia iste in ea viget absque contradictione Pontificum Romanorum, ob quod subditi tenentur quoad hunc morem Ecclesiæ Græcæ obedire.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Græcus, dum existit in Ecclesia Latina, teneatur in fermentato, & Latinus, dum existit in Ecclesia Græca, teneatur in azymo consecrare.

LEdesma 1. part. 4. quæst. 15. art. 4. dub. 2. absolutè, & absque vlla distinctione inter incolam & peregrinum, docet, non solùm non teneri, sed neque licitè posse, quia vnusquisque censetur esse illius Ecclesiæ in qua existit, & ad eam pertinere, ergo tenetur legibus & consuetudinibus Ecclesiæ in qua existit, quia vnusquisque tenetur legibus illius Ecclesiæ cuius est, & ad quam pertinet. Hanc sententiam nonnulli amplectuntur, id exprimendo nõ solùm de incola, sed etiam de peregrino; quia non solùm incolæ, sed etiam peregrini tenentur legibus terræ in qua existunt.

Ægidius. Ægidius quæst. 74. art. 4. dub. 3. num. 117. docet, Sacerdotem Græcum peregrinum in locis Latinorum, non teneri in fermentato consecrare, & Latinum peregrinum in locis Græcorum, non teneri in azymo; quia generaliter quilibet possit se accommodare consuetudini loci per quem transit, etiamsi ad id non teneatur.

Vasquez. Suarez. Vasquez verò disp. 174. cap. 3. Suarez disp. 44. sect. 4. & communiter Doctores, sub distinctione docent, Primò, Sacerdotem peregrinum extra propriam Ecclesiam teneri ad consecrandum iuxta morem suæ Ecclesiæ, Latinum videlicet in azymo, & Græcum in fermentato; & meritò: quia quamuis admittamus peregrinos teneri alijs legibus & consuetudinibus loci in quo existunt, non tamen lege consecrandi in fermentato aut in azymo, quia lex hæc sic est peculiariter recepta à subditis, vt vnusquisque morem suæ Ecclesiæ, in qua habet domicilium, seruet, vt constat ex praxi; & sic approbata est à Sede Apostolica, vt constat ex Leone IX. Epist. illa 1. & ex Eugenio IV. in suo Decreto, ex quo constat ad rationem Ægidij.

Secundò docent, Sacerdotem Latinum habitantem in Græcia non vt peregrinum, sed vt incolam Græciæ, habentem in ea domicilium, aut quasi domicilium, teneri ad consecrandum in fermentato, & Græcum eodem modo habitantem in locis Latinorum, teneri ad consecrandum in azymo; & meritò: quia vnusquisque tenetur seruare morem Ecclesiæ ad quam pertinet, tamquam membrum illius: tunc autem Latinus pertinet ad Ecclesiam Græcam, vt membrum illius, & ad eam transiuit, & Græcus ad Latinam. Ex quo constat ad rationem Ledesmæ, quatenus contra nos probare contendit, Sacerdotem peregrinum in terra aliena non teneri neque posse se accommodare consuetudini propriæ patriæ.

Excipimus (vt plures ex Doctoribus excipiunt) eos Græcos & Latinos, qui in terra aliena per modum Congregationis permittuntur propriũ Templum habere, vt Romæ permittitur Græcis: quia prædicti, quamuis sint incolæ terræ in qua existunt, tenentur morem propriæ patriæ seruare quoad ritus Ecclesiasticos, & quoad consecrationem, quia quoad hanc & quoad illos censentur dicta permissione superioris, & acceptatione ipsorum, ad Ecclesiam antiquam pertinere, Græcus ad Græcam, & Latinus ad Latinam, & non transijsse ad eam nouam in qua existunt, quamuis vt incolæ.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm solum vinum vitis sit materia sufficiens ad consecrationem Sanguinis.

COnueniunt Doctores, solum vinum vitis esse materiam sufficientem ad consecrationem Sanguinis Christi, quod definitum est in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refer- *Concilium Lateran.* tur in cap. *Firmiter*, & in cap. *Sicut*, de Summa Trinitate, & definitum est ab Eugenio IV. in suo *Eugen. IV.* Decreto fidei: & id constat ex perpetua Ecclesiæ traditione & vsu, quæ nunquam consecrauit nisi in vino vitis, & deducitur ex Marhæi cap. 26. Marci 14. & Lucæ 22. vbi non tantùm constat Christum in vino consecrasse, sed etiam in vino vitis. Ex eo autem, quòd Christus primò consecrans & instituens Sacramentum Eucharistiæ consecrauerit in vino vitis, quod est simpliciter vinum, non in alio, optimè deducitur, solum vinum, quod sit simpliciter vinum, esse materiam sufficientem.

Addunt Doctores particulam *solum*, quando dicunt, solum vinum vitis esse materiam sufficientem, vt eâ particulâ excluſiuâ excludant alia vina, quæ non sunt ex vite, sed ex alijs rebus, v. g. vinum ex frumento, ex fructibus arborum, & ex herbis factum: quia vinum, ex quocumque alio fiat, non est simpliciter & absolutè vinum, sed cum addito diminuente, v. g. vinum ex pomis.

Obseruant tamen Doctores, omne vinum vitis, siue album siue rubrum (siue specie differat, siue non) esse sufficiens consecrationi Sanguinis, quia quodlibet vinum vitis, siue album siue rubrum, est simpliciter & absque addito vinum; sicut etiam panis ex quolibet tritico factus, est & dicitur simpliciter & absolutè panis, & absque addito diminuente.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm agrestа, acetum, lora, & sapa sint materia sufficiens consecrationis Sanguinis.

CIrca agrestam (Hispanè *agraz*) conueniunt Doctores, non esse materiam sufficientem ad validam consecrationem Sanguinis (siue specie differat à musto siue non) quia agresta propter sui immaturitatem nondum adepta est statu vini simpliciter, quamuis quando non est expressa ex vuis, sit in via ad illud, & ob id comparatur ad vinum sicut massa cruda ad panem: & ita in Missali Romano inter defectus Missæ assignatur, si quis protulit verba consecrationis circa agrestam.

Alexand. Glossa. Circa acetum Alexander 4. parte, quæst. 10. membro 4. art. 1. & Glossa in can. 2. de Consecratione, dist. 2. docent, esse materiam sufficientem consecrationi, quia non differt essentialiter à vino, sed tantùm accidentaliter.

S. Thomas. Ægidius. Vasquez. Suarez. Adamus. S. Thomas verò q. 74. ar. 5. & ibidem Ægidius, Vasquez dis. 175. Suarez dis. 45. Adamus q. 2. du. 5. & communiter Doctores docent, non esse materiam sufficientem, & meritò, quia acetum, siue differat essentialiter à vino, siue tantùm accidentaliter, non est neque dicitur vinum simpliciter.

Ex quo patet ad rationem Alexandri & Glossæ, qui benignè solent exponi, non de vero & perfecto aceto, sed de vino acido seu fugiente, quod absque dubio est materia sufficiens consecrationi, quamuis indecens sit in eo consecrare: imò quando est prudens dubium an sit iam perfectum acetum, in eo consecrare sit mortale peccatum sacrilegij, quia consecratio verbalis exponitur periculo nullitatis, si fortè sit perfectum acetum.

Circa loram, seu acinacium (Hispanè *aguapie*, vel *delgado*, quod fit ex aqua infusa racemis priùs expressis, aut acinis relictis in fundo dolij post vinum iam defæcatum, seu decoctum) conueniunt Doctores, non esse matetiam sufficientem consecrationi; quia licet appareat vinum, non est verè & simpliciter vinum. Addit Vasquez, quòd si parum aquæ illis racemis aut acinis magna copia vini perfusis infundatur, in eo vino validè & licitè fieri consecrationem, & meritò: quia parua quantitas aquæ facilè in vinum conuertitur, ac proinde multò meliùs fieri poterit in vino, cui in principio decoctionis iniecta fuit parua aliqua pars aquæ, vt faciliùs & meliùs decoqueretur.

Circa sapam (Hispanè *arrope*) & circa aquam vitæ ex vino distillatam (Hispanè *aguardiente*) & circa mulsum (Hispanè *clarea*) & circa alia vina cocta conueniunt Doctores, non esse materias sufficientes consecrationi, vel quia non sunt verè vina, quia substantia vini fuit per coctionem destructa; vel quia non sunt neque dicuntur simpliciter vina, quia non retinent statum vini.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm mustum & vinum congelatum sint materia sufficiens consecrationi Sanguinis.

CIrca mustum (quod est succus vuarum maturarum) cõueniunt Doctores, si expressum sit ex vuis, esse sufficientem materiam, quamuis non sit perfectè coctum, quia mustum expressum verè est & dicitur simpliciter vinũ, quamuis recens (sicut etiam panis recens verè est & dicitur simpliciter panis) & absolutè dicitur vinum ab Aristotele 4. Meteor. cap. 10. & à Plinio lib. 23. cap. 1. & ab Isidoro lib. 20. Etym. cap. 3. & in Scriptura vinum nomine musti significari solet Isaiæ 49. & Act. 2. Et sanè mustum non solùm est simpliciter vinum, quod sufficeret, sed etiã ex se est commune & vsuale, seu potest in communem potũ deseruire, quamuis regulariter non deseruiat, ob eius nimiam fortitudinem & asperitatem, & impuritatem, quia habet fæces aliquas admixtas, quæ perfecta decoctione corrumpuntur. vnde meritò in can. *Cum omne crimen*, de Consecratione, dist. 2. qui est Iulij Papæ in Epist. ad Episcopos Ægypti, permittitur, vt tempore necessitatis consecretur in musto expresso ex botris seu racemis. Extra necessitatem verò erit contra consuetudinem Ecclesiæ, in musto consecrare. Sed an dicta consuetudo habeat vim prohibitionis (vt à nonnullis affirmatur) non satis constat; quia non constat satis, an hæc consuetudo obseruetur vt necessaria & obligans (quod requiritur, vt consuetudo habeat vim legis) an verò tantùm vt maximè decens ob impuritatem musti, ob quam non est sure naturali illicitum in musto consecrare, quia non est impuritas orta ex admixtione alicuius extranei, sed fæcium connaturalium ipsi musto.

Quòd si mustum non sit expressum, sed intra vuas inclusum, non est materia sufficiens, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, quia mustum in eo statu non est neque dicitur simpliciter vinum, imò non potatur, sed comeditur, & ita in dicto can. *Cùm omne crimen*, reprehẽditur, quòd botrus expressus (id est degranatus, seu grana ipla, vt constat ex contextu) in calice offeratur.

Circa vinum congelatum conueniunt Doctores, sub speciebus vini congelatis retineri Sanguinem Christi, semel sub illis ante congelationem per consecrationem positum: quia sub illis etiam congelatis conseruaretur substantia vini, cuius loco Sanguis Christi successit, quod supponitur in Missali Romano Rubricâ de Defectibus Missæ; vbi ordinatur, quòd si species vini post consecrationem congelentur, liquefiant calore, & sic consumantur.

Est tamen difficultas, An in vino congelato possit de nouo fieri consecratio. Procedit autem de vino non corrupto congelatione, sed manente substantia illius, vt semper vel ferè semper contingit.

Armilla v. *Eucharistia*, n. 19. Ledesma 1. p. 4. q. 15. art. 5. dub. 1. Alanus 1. de Eucharistia, c. 11. Henriquez lib. 8. cap. 12. & Antonius Moaure par. 3. cap. 4. §. 3. partem negatiuam tuentur: quia vinum congelatum non est in statu in quo proximè possit propinari & potari, quod videtur necessa-

necessarium ad valorem consecrationis, vt species vini possint significare Sanguinem per modum potus; aliàs mustum intra granum esset materia sufficiens consecrationi, quia quamuis non sit in statu proximo potationi, est tamen in remoto. Et confirmatur, quia aqua congelata, quamuis retineat naturam aquæ, nequit validè fieri Baptismus, quia aqua congelata non est in statu proximo lotioni: ergo in vino congelato, quamuis retineat naturam vini, nequit validè fieri consecratio, quia in eo statu non est proximè aptum potationi.

Sotus. Silvester. Angelus. Suarez. Valquez. Ægidius. Layman. Adamus.

Sotus verò in 4. dist. 9. q. 1. ar. 5. Silvester v. *Eucharistia* 2. q. 10. num. 15. Angelus v. *Missa*, n. 23. Suarez disp. 45. sect. 1. Vasquez disp. 175. cap. 2. Ægidius q. 74. art. 5. Laymannus c. 2. & Adamus q. 2. du. 5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia vinum congelatum verè est & dicitur simpliciter vinum; ergo est sufficiens cõsecrationi. Consequentia patet, quia absque fundamento exigitur quòd sit in statu proximè potabilis.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus, ad valorem consecrationis requiri quòd vinum sit in statu proximo potioni. Et ad priorem probationem respondemus, species vini, quamuis congelati, verè significare Sanguinem Christi, & per modum potabilis; sicut etiam illum significant, quando post consecrationem congelantur, quia vinum, quamuis congelatum, verè est vinum; & potabile, quamuis non proximè potabile, sed remotè. Et ad posteriorem probationem, desumptam ab exemplo musti intra granum inclusi, respondemus, esse disparem rationem, quia istud ideò in eo statu non est sufficiens consecrationi, non quia non sit in statu proximè potabili, sed quia in eo statu non est simpliciter vinum. Et ad confirmationem concedimus, aquam congelatam non esse sufficientem Baptismo, quia in eo statu non est apta vt mediâ ipsâ fiat lotio, quæ est materia proxima & pars essentialis Baptismi, & significatur verbis formæ Baptismi; verbis verò formæ consecrationis non significatur quòd medio vino fiat potio, sed quòd sub speciebus vini sit Sanguis Christi, ad quod vinum congelatum est aptum, quamuis non sit proximè potabile.

Vasquez.

Addit Vasquez num. 18. non esse peccatum in vino congelato consecrare, quamuis hoc sit contra consuetudinem Ecclesiæ, quia non sit contra prohibitionem aliquam latam, neque dicta consuetudine introductam, quia non seruetur tamquam necessaria & obligans.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm expediens sit aquam vino consecrando miscere.

ERror est Armenorum, existimantium, vinum absque vlla aquæ mixtione consecrandũ esse: & in eodem sunt Lutherani & Caluinistæ.

Veritas tamen Catholica est, conueniens esse & expediens, aquam naturalem seu elementarem, vino consecrando miscere. Id autem constat ex eo, quòd Concilia, Summi Pontifices, & Patres id proponunt & tradunt vt faciendum, & vt traditionem Apostolicam, & vt antiquam Ecclesiæ consuetudinem, ad imitandum Christum, qui id fecit, introductam. Ex Concilijs id tradunt & proponunt Concilium Trullanum can. 32. Carthaginense III. cui interfuit Augustinus, can. 24. Bracarense III. can. 1. Aurelianense IV. cap 4. Wormatiense cap. 4. & Tridentinum sess. 22. cap. 7. & ex Summis Pontificibus Alexander I. Epist. 1. c. 4. Iulius I. relatus can. (*Cùm omne crimen*, de Consecratione, dist. 2. Innocentius III. in cap. *Cum Marthæ* 6. de Celebratione Missarum, & Eugenius IV. in suo Decreto fidei: & ex Patribus innumeri, & ex omnibus mundi partibus, quos referunt Bellarminus lib. 4. de Eucharistia, cap. 10. & Vasquez 176. cap. 1.

Trullan. Carth III. Bracc. III. Aurel. IV. VVormat. Trident. Alexand I. Iulius I. Innoc. III. Eugen. IV. Bellarmin. Vasquez.

Et non desunt congruentiæ, quibus id esse decens & conueniens ostenditur, ex quibus tantùm adducemus tres, quas expresserunt Eugenius IV. & Tridentinum. Prima ergo & potissima est, quia Christus, quando consecrauit, & consecrationem instituit, sic fecit, vt tradunt Iacobus frater Domini, & Marcus Euangelista in suis Liturgijs, Clemens Romanus lib. 8. Constitut. cap. 17. aliàs 12. imò Eugenius IV. & Tridentinum affirmant, credi Christum sic fecisse. Obseruat autem Vasquez disp. 177. n. 11. credulitatem hanc ab Eugenio IV. & à Tridentino expressam, nõ esse coniecturalem, sed fidei Catholicæ, quia deprõpta fuit ex doctrina & traditione Patrum exhibita in disputatione.

Vasquez.

Secunda congruentia, qua ostẽditur conuenientia mixtionis aquæ vino consecrando, est, vt eâ denotetur & recolatur, ex latere Christi exijsse aquam & sanguinem: vnde si ex latere Christi non exijsset, non posset hac ratione probari, dictã mixtionem esse faciendã, vt ait Innocentius in cap. *In quadam nostra.* 8. de Celebrat. Missarum, quamuis possit alijs congruentijs, præsertim primâ adductâ.

Tertia congruentia, qua ostenditur dicta conuenientia, est, vt mixtione aquæ cum vino denotetur vnio populi Christiani cũ Christo, quia per aquam denotatur populus, & Christus per vinum.

Sed obijciunt hæretici Primò: Mixtio aquæ cum vino pessimam habet significationem, quia Isaiæ 1. dicitur, *Vinum tuum mixtũ est aqua*, quo significatur, vt ait Hieronymus in eum locum, sinceritatem Iudæorum amissam esse; ergo dicta mixtione non potest aliquid boni significari. Respondemus, eamdem rem variè considerată, aliquando bonum & aliquando malum significare. Leo enim ratione fortitudinis significat Christum, Apocal. 5. & ratione crudelitatis dæmonẽ, 1. Petri 5. Mixtio ergo aquæ cum vino, quæ considerata in vendentibus vinum, significat corruptionem puritatis & sinceritatis; considerata in Christo, & in bibentibus vinum, fieri potuit ad bonum significandum, quia ea mixtio in ordine ad potionem est bona.

Obijciunt Secundò: Ex latere Christi non exiuit aqua mixta cum sanguine, sed seorsim, ergo ad denotandum exitum illum, non est miscenda aqua vino consecrando. Respondeo, quòd, vt exitus aquæ & sanguinis ex latere Christi sit sufficiens occasio ad miscendam aquam vino consecrando, non sit necessaria omnimoda similitudo & paritas inter mixtionem hanc, & inter exitum illum, præsertim quòd infusione ipsa aquæ & vini in calice denotari possit dictus exitus aquæ & sanguinis: quia in infusione vinum & aqua sunt distincta, mixtione autem ipsa posteà in calice secuta ex infusione, denotari potest mixtio sanguinis & aquæ facta in terra.

Obijciunt Tertiò: In Eucharistia non facimus commemorationem vnionis Christi cum Ecclesia, sed

sed tantùm passionis Christi; ergo ad denotandam vnionem illam non est facienda dicta mixtio. Respondemus, in Eucharistia fieri vnionem fidelium inter se & cum Christo, vt indicat Paulus 1. ad Corint. 10. dum deducit, nos esse vnum, quia de vno pane & de vno calice participamus; ac proinde congruè fieri mixtionem, seu vnionem aquæ cum vino consecrando, ad eam vnionem denotandam. Et quamuis hæc vnio fidelium inter se & cum Christo, non fiat ante sed post consecrationem, mixtio tamen aquæ cum vino congruè fit ante consecrationem, quia ex vna parte sic imitamur Christum, & ex altera parte dicta mixtione, quamuis ante consecrationem facta, non denotamus illam vnionem vt ante consecrationem, sed vt pòst suo tempore faciendam.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm aquam vino consecrando miscere, sit necessarium necessitate præcepti.

SVpponimus Primò, in quo Doctores conueniunt, aquam vino consecrando miscere, esse necessarium ex præcepto, quod exprimunt Alexander I. Iulius I. Eugenius IV. & Tridentinum, relati Difficult. præcedenti; quod etiam ostendit consuetudo omnium Ecclesiarum, quæ, excepta Armenorum, id efficiunt tamquam quid necessarium & ex obligatione.

Alexand. I. Iulius I. Eugen. IV. Trident.

Supponimus Secundò, in quo etiam Doctores conueniunt, dictam mixtionem esse necessariam ex præcepto humano (siue ab Apostolis lato, siue consuetudine, ex tunc incepta, introducto) quod exprimit Tridentinũ, & significant Alexander I. Eugenius IV. & Concilium Trullanum can. 32.

His ergo suppositis, difficultas est, An dicta mixtio etiam sit necessaria ex præcepto diuino.

Hosius. Castro. Henriquez.

Alexander 4. parte q. 10. memb. 4. art. 1. Hosius in Confessione catholica, cap. 14. Castro lib. 6. v. *Eucharistia*, Hæres. 7. Henriquez lib. 8. cap. 12. & Valentia q. 2. punct. 1. docent, miscere aquam vino consecrando, etiam esse necessarium ex præcepto diuino: quod expressisse videntur Cyprianus Epist. 63. & Concilium Aurelianense IV. c. 4. Et ratione probatur, quia Christus in vino aqua mixto consecrauit, ergo facto suo ad id nos obligauit. Consequentia patet, quia in consecratione, & in administratione Sacramentorum ipsum imitari tenemur.

Cyprianus.

Scotus. Sotus. Guillelm. Suarez. Vasquez. Ægidius.

Scotus verò in 4. dist. 11. q. 6. Sotus dist. 9. q. 1. art. 6. Guillelmus Durandus l. 4. Rationalis diuinorum Officiorum, cap. 30. n. 12. Suarez disp. 45. sect. 2. Vasquez disp. 177. cap. 2. & Ægidius q. 74. art. 7. docent, miscere aquam vino consecrando, non esse necessarium ex præcepto diuino, sed tantùm ex humano Ecclesiastico; quod maximè indicant Alexander I. Epist. 1. cap. 4. dum affirmat, se huiusmodi præceptum à Patribus accepisse; dixisset autem, à Christo, si à Christo traditum fuisset: & Eugenius IV. in suo Decreto, dum Armenos non miscentes aquam vino, tantùm reprehendit, quia in hoc ab vniuersali Ecclesiæ obseruantia discrepent; & non, quia in eo transgrediantur præceptum diuinum, quod dixisset, si verè esset: & Tridentinum sess. 22. c. 7. dum ait: *Monet sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam in calice offerendo misceant.* at si etiam esset

Trident.

præceptum diuinum, hac etiam ratione, & potiùs id moneret: & Concilium Trullanum can. 32. dum ait: *Si quis Presbyter non secundùm traditum ab Apostolis ordinem facit, & aquam vino miscens sic immaculatum offert Sacrificium, deponatur.* Ex quo contra Guillelmum Durandum, constat, auctorem huius præcepti non fuisse Alexandrum I. (quòd etiã Alexander ipse fatetur) sed Apostolos. Et quidem, nõ satis ostenditur dictam mixtionem fuisse à Christo præceptam: quia quamuis aliquando dicatur mandatum diuinum, aut institutio diuina, aut traditio diuina, non ita dicitur, quia sit formaliter diuina, sed originatiuè, quia scilicet originem ducit ex facto Christi. Et sic exponi potest Cyprianus vbi suprà, dum supponit, Christum dictam cærimoniam docuisse, mandasse, & præcepisse; & Concilium Aurelianense IV. dum ait, id fuisse à Christo institutum.

Alexand.

Et ad rationem concedimus, Christum in vino aqua mixto consecrasse, negamus tamen eo suo facto ad id nos obligasse: quia non tenemur Christum imitari quoad omnia quæ pertinent ad consecrationem & administrationem Sacramentorum, sed tantùm quoad substantialia, quale non est miscere aquam vino consecrando.

Ex dictis constat, Romanum Pontificem & Ecclesiam posse in hoc præcepto, vtpote purè humano, dispensare.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm mixtio aquæ vino consecrando, sit necessaria necessitate Sacramenti.

ARmacanus lib. 9. de Quæstionibus Armenorum cap. 9. docet, dictam mixtionem esse necessariam necessitate Sacramenti, id est, vt consecratio validè fiat. quod indicare videtur Cyprianus Epist. 63. dum ait: *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quomodo neque vinum solum potest.* & infrà: *Sic verò calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, quomodo Corpus Christi non potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi vtrumque adunatum fuerit.* Sed ad consecrationem Corporis ita est necessaria mixtio farinæ cum aqua, vt absque hac mixtione consecratio verbalis Corporis nõ habeat effectum; ergo consecratio Sanguinis non habebit effectum in solo vino absque mixtione aquæ. Idem quoque indicat Concilium Wormatiense, dum ait: *Non enim potest calix Domini esse aqua solùm, aut vinum solum, nisi vtrumque sibi misceatur.*

Armac.

Et ratione probatur Primò, quia Christus consecrauit in vino aquâ mixto: ergo vinum aquâ mixtum est materia necessaria ad valorem consecrationis. Consequentia patet, quia ex eo deducimus, vinum vitis & panem triticeum esse materiam necessariam ad valorem consecrationis, quia Christus in eis cõsecrauit. Secundò, quia si mixtio aquæ cum vino non est necessaria ad valorem consecrationis, ergo permittendus est Armenis mos consecrandi in solo vino absque aqua, sicut Græcis permittitur mos consecrandi in fermentato.

S. Thomas verò q. 74. art. 7. & ibidem Ægidius, Vasquez disp. 177. Suarez. disp. 45. & reliqui Theologi, excepto Armacano, docent, mixtionem aquæ cum vino non esse necessariam necessitate Sacramenti, seu ad valorem consecrationis Sanguinis; & merito:

S. Thom. Ægidius. Vasquez. Suarez.

meritò: quia id significat Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum, postquã dixit, materiam huius Sacramenti esse panem triticeum, & vinũ de vite, addidit: *Cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet.* quo satis significat, eam mixtionem non pertinere ad essentiam materiæ, sed tantũ esse necessariam ex præcepto: & ideò non reprehendit Armenos, quia non validè consecrent, sed quia in hoc ab vniuersali Ecclesiæ obseruantia discrepent.

Trident. Et id non minùs significat Tridentinum c. 7. dum ait, præceptũ esse ab Ecclesia, vt aquam vino in calice offerendo misceant; at si ea mixtio esset necessaria necessitate Sacramenti, eam cõmendaret Sacerdotibus, non solũ quia est necessaria necessitate præcepti, sed etiam, & potiori ratione, quia esset necessaria necessitate Sacramenti. Et id tandem deducitur ex illo, quod diximus Diffic. præcedenti, nempe eam mixtionem non esse ex Iure diuino, sed tantùm ex humano; quia quæ pertinent ad essentiam Sacramenti, sunt ex Iure diuino.

Cyprianus autẽ in prædictis verbis tantùm voluit, esse præceptum miscendi aquam cum vino ad consecrationẽ Sanguinis; & hoc tantùm voluit deducere ex comparatione mixtionis aquæ cum vino, cum mixtione aquæ cũ farina; alias non excusasset suos anteccssores, quia ex ignorantia non infuderunt aquã calici, dicens veniã esse illis concedendam, sed dixisset, illos nihil fecisse. Concilium quoq; Wormat. nihil aliud voluit quã Cyprianus.

Et ad primam rationẽ respondemus, ex facto illo Christi non deduci, mixtionẽ aquę cum vino pertinere ad essentiã materiæ consecrationis Sanguinis, quia institutio materiæ tantùm est deducenda ex facto substantiali Christi, quale fuit consecrare vinum simpliciter; non verò ex accidentali, quale fuit consecrare vinum aquatum: sicut ex eo quòd cõsecrauit in pane azymo, tantũ deducitur, panem simpliciter esse materiam necessariam ad valorem consecrationis Corporis, non verò panẽ azymum.

Ad secundam concedimus, quòd, etiamsi permitti possit Armenis mos consecrandi vinum absque aqua, tamen non expedit, quia mixtio aquæ cum vino fuit omnibus à tempore Apostolorum præcepta, & obseruata à principalibus Ecclesijs, nempe à Græca & Latina, non verò vsus azymi.

DIFFICVLTAS XIII.

Quæ sint obseruanda in mixtione aquæ cum vino.

PRimo conueniunt Doctores, aquam vino miscendam debere esse naturalem seu elementarem (quæ & naturalis, non alia est, & dicitur simpliciter aqua) vt constat ex facto Christi, & vsu Ecclesię; & satis congruenter, quia sola aqua naturalis est accommodata ad significationẽ ob quam miscetur, nempe ad significandam aquam quæ ex latere Christi manauit, quæ verè fuit naturalis, & ad significandos populos, ob copiam & multitudinem ipsius.

Secundò conueniunt Doctores, aquam in parua quantitate comparatione vini, miscendam esse vino, & satis congruẽter, quia virtus & efficacia Sanguinis Christi, qui significatur per vinum, est incõparabiliter maior, quàm fragilitas populi, qui significatur per aquã: vnde in modicissima quantita-

Eugen. IV. te miscẽda est, vt tradit Eugen. IV. in suo Decreto, quia fragilitas populi, comparatione virtutis Sanguinis Christi, modicissima est, & creditur Christum sic fecisse, quia Christus ad consecrandum vinum non miscuit illud temperantiæ causã) quia parum vini erat singulis Apostolis propinaturus, quia omnes ex eodem calice biberunt) sed tantùm illud miscuit ob dictas significationes.

Tertiò aqua misceri debet in altari, & tempore Sacrificij, & in ipso calice, & ante consecrationem, vt docent communiter Doctores, & constat ex vsu Ecclesiæ: imò & ante calicis oblationem, vt constat ex Missali Romano Rubrica 7. de Ritu seruando, & ex praxi. Permitti tamen potest fieri in principio Missæ, vbi consuetudo viguerit. Ita tamen facienda est ante consecrationem, vt postea non sit facienda, quamuis obliuione, aut alia de causa fuerit omissa; benè tamen ante consecrationem post oblationem calicis, si ante hanc omissa fuit.

Tandem circa personam à qua fieri debet dicta mixtio, est difficultas.

Henriquez c. 12. existimat, non necessariò esse faciendam ab ipso celebrante, debere tamen fieri à Sacerdote aliquo. Ledesma 1. part. 4. q. 15. art. 7. dub. 3. existimat debere fieri ab ipso Celebrante. Vasquez verò disp. 177. n. 8. existimat, in Missis priuatis debere fieri ab ipso celebrante, in solemnibus verò infusionem vini faciendam esse à Diacono, & mixtionem aquæ cum vino à Subdiacono, qui ipsi Celebranti assistunt, ita tamen vt Subdiaconus priùs offerat ampullam aquæ ipsi Celebranti, aut proprio Episcopo, si Missæ assistat, & meritò; quia præceptum mixtionis consuetudine est modo dicto præscriptum.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm aqua vino consecrando mixta conuertatur in Sanguinem Christi.

INnocentius III. in cap. *Cùm Marthæ* 6. de Celebratione Missarum, tres de hac re opiniones refert. Prima opinio fuit, aquã vino mixtam conuerti in aquam quæ ex latere Christi exiuit: & absque dubio opinio hæc eadem est, vt Glossa sentit, cum illa quam in cap. *In quadam nostra* 8. de Celebratione Missarum idem Innocentius refert, affirmantium, aquam vino mixtam conuerti in humorem aquaticum, seu phlegmaticum, quem isti existimarunt de latere Christi exijsse, & non veram aquam.

Innoc. III. *Glossa.*

Opinio tamen hæc partim est falsa, partim absurda, & partim erronea. Est falsa, quoad id quod supponit, aquam mixtam non conuerti in vinum, vt posteà contra secundã opinionem dicemus. Est absurda, quoad id quòd affirmat, aquã vino mixtam conuerti in humorem aquaticum, quia verbis consecrationis Sãguinis nulla alia cõuersio significatur nisi in Sanguinẽ Christi, ac proinde medijs illis nequit fieri alia cõuersio, quia verba consecrationis non efficiunt nisi quod significant. Tandem est erronea, quoad id quòd asserit, ex latere Christi non exijsse verã aquam, sed humorem aquæ similem, quia id damnat Innocentius in dicto cap. *In quadam nostra*, ex illo Ioan. 19. *Et continuò exiuit sanguis & aqua.* & meritò: quia aqua verè & propriè non significat humorem phlegmaticum, sed aquam naturalem: verba autem Scripturæ, quoties fieri potest, explicãda sunt secundũ proprietatem, & in dicta propria significatione communiter sumitur & exponitur ab Interpretibus huius loci.

Innocent.

Secunda opinio, quam tertio loco retulit Innocentius III. fuit, aquam vino mixtam, quantumuis in multas partes diuisam, semper manere in sua propria substantia aquæ vino circumfusam, & non conuerti in Sanguinem Christi. Opinio hæc etiam sustineri non potest: Primò, quia supponit, aquam non conuerti in vinum, quod est falsum, & displicuit Innocētio III. & meritò: quia, vt ait Aristoteles. 1. de Generat. c. 1. quod paruum est & facilè diuidi potest, & potest pati ab alio magno, facilè potest in naturam magni conuerti, vt contingit in exemplo adducto ab Aristotele, quando scilicet gutta vini infunditur magnę copiæ aquę; sed aqua quæ vino consecrando miscetur, potest & debet esse modicissima comparatione vini, & facilè diuidi potest in minutissimas partes, & pati potest à calore & ab alijs qualitatibus vini, quod in magna copia comparatione aquæ inijcitur. Ergo non solùm sine fundamento, sed etiam contra rationem dictam affirmatur, aquam non conuerti in vinum consecrandum cui miscetur. Secundò sustineri non potest, quia supponit, aquam vino consecrando mixtam non conuerti in Sanguinem Christi, quia quoad hoc aduersatur pluribus Patribus, qui expressè affirmant, aquam & vinum calicis conuerti in Sanguinem Christi. Ita Damascenus 4. de Fide c. 14. Algerus lib. 1. de Sacramento Corporis Domini c. 16. Paschalis lib. 1. de Corpore Christi cap. 11. Rabanus libro de Corpore & Sanguine Christi cap. 4. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & alij plures.

Damasc. *Algerus.* *Rabanus.* *Ambrosius.*

Tertia ergo opinio, quam secundo loco refert Innocentius, & tamquam probabiliorem approbauit, verissima est, aquam scilicet vino mixtam conuerti in Sanguinem Christi; quod Patres tradunt, & amplectuntur omnes qui post Innocentium III. scripserunt, & ex dicendis ampliùs confirmabitur.

Superest tamen difficultas, An, vt aqua vino consecrando mixta in Sanguinem Christi conuertatur, necessarium sit quòd priùs conuertatur in vinum; an etiam possit immediatè in Sanguinem Christi conuerti.

Alanus, 1. de Eucharistia, c. 13. Pesantius 3. parte, quæst. 74. art. 8. disp. 2. Ianſenius in Concordia cap. 131. Toletus lib. 2. c. 25. Ægidius q. 74 art. 8. dub. 1. Scortia de Sacrificio Missæ lib. 4. ca. 1. & Laymannus tract. 4. c. 2. docent, non esse necessarium aquam vino consecrando mixtam priùs conuerti in vinum, vt conuertatur in Sanguinē Christi, sed posse conuerti immediatè in illum, & tunc immediatè conuerti, quando tempore prolationis verborum consecrationis nondum conuersa est in vinum. Quod indicare videntur prædicti Patres, dum dicunt, aquam & vinum in Sāguinem Christi conuerti: quia si, vt aqua conuertatur in Sanguinem Christi, necessariū sit, quòd aqua priùs conuertatur in vinum, numquam aqua in Sanguinem Christi conuertetur, sed tātùm vinum; quia quod post conuersionem aquæ in vinum, conuertitur in Sanguinem Christi, non est aqua, sed vinum.

Alanus. *Pesantius.* *Ianſenius.* *Toletus.* *Ægidius.* *Scortia.* *Layman.*

Et ratione probatur, Quia si, vt aqua conuertatur in Sanguinem Christi, priùs sit necessaria conuersio aquæ in vinū, vel non est possibilis conuersio aquæ in Sanguinem Christi, quam Patres admittunt, vel est valdè incerta: quia aqua vel non potest conuerti in vinum, vt videtur experientiâ constare, qua experiri videmur, aquam longo tempore post mixtionem cum vino, arte separari à vino: vel si conuerti potest, vix potest credi, tertiam partem aquæ (vt in Concilio Triburiensi cap. 19. permittebatur) imò & modicissimam aquam (vt modò fit) posse à tempore Offertorij vsq; ad consecrationem in vinum conuerti, præsertim quando contingit necessarium esse statim post sumptum Corpus iterùm vinum calici infundi ad consecrationem, & ei aquam miscere, vt fit quando deceptione, aut alia de causa non fuit in initio infusum vinum; quia tunc necessarium est statim post infusionem vini, & mixtionem aquæ, verba consecrationis proferre, vt integrum fiat Sacrificium.

Secundò, quia credi non potest, Christum modicissimam aquam miscuisse, sed bonam partem aquæ, vt temperatè biberetur; tanta autem aqua non potuit in tam breui tempore in vinum conuerti, & tamen Christus totum, quod fuit in calice contentum, conuertit in suum Sanguinem; ergo,

Tertiò, quia si farinæ tritici misceatur aliquid farinæ hordei, vel alterius frumenti, tunc panis ex vtraque confectus, quoad omnes suas partes conuertitur in Corpus Christi, ergo idem est dicendum de toto mixto ex aqua & vino.

Quartò, quia aliàs forma consecrationis Sanguinis redderetur falsa, si proferretur, quando aqua non esset in vinum conuersa, quia Pronomen *hic* in forma consecrationis Sanguinis contentum, demonstrat totam materiam præsentem.

Quintò, quia quamuis aqua non sit in vinū conuersa, tamē totum mixtum ex aqua, quando modicissima est, & ex vino, dicitur simpliciter vinū; ergo totum illud in Sanguinem Christi conuertitur.

Reliqui verò Theologi Scriptores, quos sequuntur Vasquez disp. 178. Suarez disput. 45. & Adamus Tanner. q. 2. dub. 6. docent, & meritò, aquam non conuerti in Sanguinem Christi, nisi priùs in vinum conuersam: quod ferè exprimitur in Catechismo Pij V. vbi etiam dicitur esse Scriptorum Ecclesiasticorum.

Vasq. *Suarez.* *Tanner.*

Et in primis opinio hæc, vt probabilior, approbatur & traditur ab Innocentio III. in dicto cap. *Cum Marthæ*: quia postquam retulit tres opiniones, ex quibus secunda erat, aquā cum vino in Sanguinem transmutari, quia aqua mixta transit in vinum, posteà subdit: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit aquam cum vino in Sanguinem transmutari.*

Quòd si respondeas, Innocentium non dixisse, aquam priùs transire in vinum quàm in Sanguinem Christi, sed tantùm dixisse, simul cum vino in Sanguinē transmutari; contra hanc responsionem est, quòd Innocētius dictis verbis vnam tantùm approbauit opinionem ex tribus ab ipso relatis, ait enim, *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur*, &c. approbauit autem eam, quæ asserit, aquam cum vino in Sanguinem transmutari: nulla autem ex opinionibus ab ipso relatis erat, aquam in sua substantia manentem, vino mixtam, in Sanguinem Christi conuerti; sed secunda opinio dicebat, aquam cum vino in Sanguinem transmutari, quia transit in vinum; ergo Innocentius hanc tantùm approbauit vt probabiliorem, quando ait, *Illa probabilior iudicatur*, quæ asserit, aquam cum vino in Sanguinem transmutari, & non opinionem eorum, qui dicunt, aquam immediatè conuerti in Sanguinem Christi, quia hanc non præ dixerat, neque retulerat.

Idem

Eugen. IV. Idem quoque maximè indicat Eugenius IV. in suo Decreto, dum in eo assignans ex professo materias Sacramentorum, non solùm necessarias, sed etiam sufficientes, nullatenus assignat aquam vt materiam consecrationis, imò potiùs indicat non esse materiam illius, quia tantùm assignat vinum vt materiam consecrationis Sanguinis, sicut etiam panis tantùm triticeus, quem solùm assignat vt materiam consecrationis Corporis, est materia sufficiens huius consecrationis.

Idem etiam probatur ex eo, quòd nullum sit firmum fundamentum ad asserendum, aquam in sua substantia permanentem, quamuis admixtam vino, esse materiam sufficientem consecrationi Sanguinis; in re autem adeò graui, & quæ tantùm pendet ex libera voluntate Christi, nihil est absque firmissimo fundamento asserendum.

Ex dictis deducitur, quòd si aqua vino mixta, ob temporis breuitatem, aut ob aliam causam non fuerit conuersa in vinum ante consecrationem (imò ante consecrationem inceptam) tunc manebit in sua propria substantia circumfusa accidentibus vini.

Ad fundamentum ergo aduersariorum, desumptum ex Patribus, qui dicunt, aquam simul cum vino conuerti in Sanguinem Christi, respondemus, eos tantùm velle, aquam vino in calice mixtam conuerti in Sanguinem Christi, postquam sit conuersa in vinum; quia supponunt, aquam regulariter esse in vinum conuersam ante consecrationem; sicut etiam Innocentius III. cùm, approbans illam secundam opinionem, vt probabiliorem, dixit, aquam cum vino in Sanguinem Christi conuerti, tantùm voluit, aquam priùs in vinum conuersam, posteà conuerti in Sanguinem Christi; quia quando retulit eam opinionem, dixit sic affirmari ab Auctoribus illius.

Ad primam verò rationem respondemus, quòd quamuis necessaria sit conuersio aquæ in vinum, vt aqua in Sanguinem Christi conuertatur; nihilominùs conuersio aquæ in Sanguinem Christi est possibilis, & etiam est (si non metaphysicè certa) moraliter certa, seu admodum probabilis, si aqua modica misceatur & tempore Offertorij: quia possibile est, & admodum probabile, aquam in parua quantitate comparatione vini, ipsi vino mixtam, transacto aliquo tempore in vinum ipsum conuerti. Aquam autem simul conuersam in vinum, impossibile est ab ipso arte aliqua separari, quamuis à vino adhuc puro possint arte separari partes subtiliores ipsius, quæ habent speciem humoris aquei, & multò plures, quando vinum est aquatum, ex quarum magna multitudine conijci poterit vinum esse aquatum. Quòd si aqua in magna quantitate misceatur vino, vt permissum fuit in Concilio Triburiensi, dubium erit adhuc post longum tempus, an conuertatur in vinum; & consequenter tunc etiam erit dubium, an aqua conuertatur in Sanguinem: & ideò permissio illa non fuit recepta in Ecclesia. Et eodem modo non erit adhuc probabile, sed dubium, aquam in paruo tempore in vinum conuerti, quamuis modica misceatur, vt quando statim post sumptum Corpus aqua miscetur vino, & fit consecratio, vt fiat integrum Sacrificium. In his autem, & in alijs casibus, si contingat aquam in vinum conuersam non esse, quando fit consecratio, aqua manebit in sua propria substantia: nihilominùs tunc sumptio illius aquæ cum speciebus vini non impediet celebrationem alterius Missæ ei, qui potest alteram celebrare, vt aduertit Vasquez num 26. quia credi non *Vasquez.* potest, Ecclesiam, quæ eam mixtionem præcepit, prohibere ieiunio ab ipsa requisito ad celebrationem Missæ, sumptionem aquę mixtæ, quando non potuit commodè in vinum conuerti. Et tunc in adoratione specierum vini, quibus circumfusa est substantia aquę, nullum est periculum idololatrię: quia affectus adorationis tantùm fertur in species vini Sanguinem Christi continentes, aut in Sanguinem Christi contentum, aut in species & Sanguinem simul.

Ad secundam respondemus, Christum parum aquæ miscuisse vino consecrando, quia non temperantiæ causa miscuit, sed ad significandum id quod nos ipsum imitantes significamus. Addit Vasquez, quòd si Christus tãtam aquam miscuisset, vt non potuisset in vinum conuerti, eam non conuertisset in suum Sanguinem, sed in propria substantia reliquisset, quia non voluit aquam adhuc vino mixtam, esse materiam sufficientem consecrationi Sanguinis.

Ad tertiam respondemus, quòd si parum farinæ non triticeæ misceatur farinæ triticeæ, tunc per tot trãsmutationes forsan in panem triticeum conuertetur, & sic in Corpus Christi transibit; tamen si in propria substantia maneat, quamuis mixta triticeę, & in minutissimas partes diuisa, non transibit in Corpus Christi, quia oppositum nullo sufficienti fundamento affirmabitur.

Ad quartam respondemus, quòd quamuis modica aqua non sit in vinum conuersa, quando verba consecrationis Sanguinis proferuntur, verba ipsa non fient falsa, sed vera ratione contenti sub speciebus vini, quod in sanguinem Christi conuertitur: quia quando aqua modica est, Pronomine demonstratiuo tantùm demonstratur vinum, aut quod ipsi succedit, quia tunc vinum, aut ipsi succedens, est quod præcipuè continetur in calice, & de quo curamus, quia tunc communiter dicimus, Quod est in calice, est vinum, aut ipsi succedens; quia de nullo alio in parua quantitate curamus. Sicut quando gutta olei est in vino, tunc Pronomine demonstratiuo tantùm demonstratur vinum, non gutta illa olei; & sicut quando in magna copia aquæ est pars vini, tunc Pronomine demonstratiuo tantùm demonstratur aqua, non illud parum vini, ac proinde Sacerdos, quamuis velit, non consecrabit illud.

Ad quintam respondemus, quòd quando in calice continetur modica aqua mixta vino, & in ipsum non conuersa, id quod in calice continetur, dicitur absolutè & simpliciter vinum, non quia totum illud mixtum sit, & dicatur simpliciter vinum, sed quia præcipuum, quod tunc in calice continetur, & de quo curamus, est vinum: & ideò tunc Pronomine demonstratiuo tantùm demonstramus vinum, aut ipsi succedens, non verò mixtum illud ex aqua & vino, neque aliquid quod ipsi mixto succedat, quia mixtum istud non conuertitur in Sanguinem Christi, sed tantùm vinum.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm materia consecrationis, tam Corporis quàm Sanguinis, debeat esse præsens consecranti.

COnueniunt Doctores, materiam consecrationis debere esse præsentem moraliter Sacerdoti consecrāti, vt validè fiat consecratio. Quod constat ex vsu Ecclesiæ, in qua numquam consecratur, nisi materia moraliter præsens, desumpto ex facto Christi, qui materiam tantùm moraliter præsentem consecrauit, & id nobis faciendum reliquit. Quod etiam Pronomine demonstratiuo *hoc* & *hic*, quo ad consecrationem vtimur, denotatur: quia eo Pronomine in consecratione Sacerdos demonstrat rem; non rem de qua necessum sit anteà cogitasse, & imaginatum fuisse, vt eam demonstret, quæ demonstrari potest imaginationi aut intellectui, sed rem de qua tunc, quando fit consecratio, incidit primò sermo consecratorius, & occasio consecratoriè loquendi, quæ demonstrari nequit imaginationi, quia huic tantùm potest demonstrari quod anteà imaginatum est; neque intellectui, quia huic tantùm potest demonstrari quod anteà est intellectum, sed tantùm potest sensui exteriori demonstrari.

Ad hanc tamen præsentiam, qua materia consecrationis debet esse moraliter præsens, duo requiruntur: Primò, quòd materia actu physicè sentiatur sensu aliquo exteriore, aut saltem quòd ita exposita sit sensui, & ita facilè possit sentiri, vt moraliter censeatur sentiri, quia Pronomine demonstratiuo, siue ad sensum siue ad intellectum ad minus denotatur, quòd qui aliquid demonstrat, illud sibi, seu suo sensui, aut suo intellectui signet & demonstret (quamuis etiam possit alijs) & ideò necessarium est, quòd illud sentiat, aut physicè, aut moraliter, id est, quòd illud censeatur sentire. Secundò requiritur, quòd materia sit localiter propinqua ipsi consecranti: quia si sit nimis distans, vt, si distet centum passibus, imò si distet quadraginta, non fiet consecratio; quia tunc nec ipsa materia, nec quod materiæ ipsi succedit, poterit sensui exteriori Pronomine *hic* & *hoc* demonstrari, quamuis possit Pronomine *illud*, si sit in nimia distantia, aut Pronomine *istud*, si sit in minori. Quòd si, quando à longè videmus ciuitatem ad quam tendimus, & eam Pronomine *hoc* demonstramus, vt quando dicimus, *Hæc ciuitas ad quam tendimus*, tunc non fit demonstratio sensui, sed tantùm intellectui, quia anteà de illa cogitauerat; fiet autem sensui Pronomine *illa* aut *ista*. Sed quanta propinquitas localis necessaria sit & sufficiat ad validam consecrationem, nequit certò definiri; quia nequit certò definiri, quanta sit necessaria, & sufficiens, vt materia consecrationis, vel quod ipsi succedit, possit Pronomine *hoc* sensui exteriori demōstrari; quia materia, quæ nequit Pronomine *hoc* ad sensum demonstrari, nequit validè consecrari, & quæ eo Pronomine demonstrari potest ad sensum, potest validè consecrari, quia eo Pronomine fit consecratio. Id tamen certum existimamus, in quo contra Viguerium cap. 16. conueniunt communiter Theologi, ad validam consecrationem materiæ non esse necessarium, quòd sonus Pronominis *hoc*, neque reliquorum verborum formæ perueniat physicè per se ipsum, neque intentionaliter per speciem sui, ad materiam ipsam, quia accessus iste non est necessarius, vt materia possit Pronomine *hoc* demonstrari: neque de eo accessu loquitur Augustinus Tract. 80. in Ioannem, dum de Baptismo loquens ait, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; quia his verbis tantùm vult ad Baptismum non sufficere aquam, sed etiam requiri verba formæ Baptismi.

Ita tamen ad præsentiam ad valorem consecrationis requisitam, ad minus est necessarium, quòd materia sit sensui exteriori exposita, vt etiam sufficiat, si sit exposita visui, quamuis ab ipso non percipiatur, vt contra Vasquez disp. 171. aduertunt Vasquez Ægidius q. 74. art. 2. dub. 1. Ochagaua q. 6. Laymannus ca. 2. & Bonacina q. 2. par. 6. quia quando est exposita visui, si aliàs sit ipsi sufficienter propinqua, quamuis actu non videatur, potest Pronomine *hoc* demonstrari à Sacerdote (nisi iste sit cæcus, quia iste nequit materiam videre) quia sic exposita & propinqua censetur moraliter videri à Sacerdote non cæco. Et ideò Sacerdos validè consecrat formas quas habet in pyxide, vel supra corporale positas, quamuis illas non videat, quia habet illas visui expositas. Non tamen sufficit, quòd materia sit exposita alicui alij sensui exteriori, sed necessarium est quòd actu percipiatur aliquo alio, nempe aut tactu, aut olfactu, aut gustu, aut auditu, quia aliter nequit alicui sensui ex istis Pronomine *hoc* demonstrari, quia nulla res exposita alijs sensibus, censetur moraliter sentiri; benè tamen exposita visui, ob huius facilitatem maximam supra alios ad sentiendum. Ad hoc autem, quòd res Pronomine *hoc* ad sensum exteriorem demonstretur, necessarium est quòd ab illo sentiatur, aut censeatur ab illo sentiri.

Sed quamuis ad præsentiam, ad valorem consecrationis requisitam, necessarium sit, quòd materia sit aut exposita visui, aut actu percepta ab alio sensu exteriore, non tamen est necessarium, quòd per se, seu ratione sui sit exposita, aut actu percepta; quia sufficit, quòd id materiæ conueniat ratione continentis ipsam, quia per metonymiam continens sumitur pro contento: ac proinde continente demonstrato & assignato, per Pronomen *hoc* eo ipso demonstratur contentum, vnde materia cooperta, aut inclusa in vase, consecrari potest; secùs est, quando materia existit post parietem, aut post linteum, non habentia figuras continentis.

Tandem materia siue continua, vt magna copia vini, siue discreta, vt cumulus formarum, ita debet esse exposita visui, aut actu percepta ab alio sensu exteriori, vt necessarium non sit, quòd secundùm se totam sit exposita visui, vt possit secundùm se totam videri, neque quòd secundùm se totam sit percepta ab aliquo alio sensu, dum sit exposita, aut actu percepta secundùm aliquam partem, si alias secundùm se totam sit in propinquitate locali debita: quia tunc materia illa potest absolutè & secundùm se totam Pronomine *hoc* ad sensum demonstrari. Imò quamuis secundùm se totam non sit in propinquitate aliàs sufficiente, sed tantùm secundùm aliquam partem, vt contra Adamum quæst. 2. dub. 2. & contra alios aduertit Vasquez num. 25. quia vt materia aliqua possit Pronomine *hoc* ad sensum demonstrari, non minùs requiritur

quòd

quòd sit exposita visui, aut percepta ab alio sensu, quàm quòd sit in propinquitate commoda & morali; sed vt secundùm se totam possit Pronomine *hoc* demonstrari, sufficit quòd secundùm aliquam partem sit visui exposita, aut actu percepta ab alio sensu, ergo etiam sufficiet, quòd secundùm aliquam partem sit in propinquitate commoda & morali.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm materia consecrationis debeat esse determinata & definita in particulari per intentionem consecrantis.

CONueniunt Doctores, materiam consecrationis ita debere ad valorem consecrationis intentione consecrantis determinari & definiri in indiuiduo, vt non sufficiat intẽtionem consecrantis ferri in hanc vel in illam materiam vagè & indeterminatè, sed necessarium esse, ferri in hanc determinatam materiam; quia intentio consecrantis correspondere debet & quadrare ipsis verbis, quibus efficit consecrationem; his autem nequit demonstrari, nisi materia determinata & designata in indiuiduo; ergo intentio consecrantis, vt efficax sit, & vt mediâ eâ fiat consecratio, debet in materiam determinatam in indiuiduo ferri.

Quòd si objicias: Sacerdos potest confitentem tantùm venialia absoluere à duobus venialibus tantùm, & non ab alijs, non determinando sua intentione duo illa; ergo etiam poterit consecrare partem aliquam materiæ, non determinando illam sua intentione; Respondemus, in casu dicto absolutionem fore nullam, & à nullo peccato fieri, quia non est maior ratio, quare fiat ab his duobus quàm ab alijs duobus, quia supra nulla duo determinata cadit absolutio. Et quamuis admittamus, in eo casu fieri absolutionẽ à duobus, quamuis non designatis intentione Sacerdotis, non tamen fiet consecratio partis materiæ non designatæ intentione ministri, ob discrimen inter verba quibus vtitur absoluens, & inter verba quibus vtitur consecrans, quia hic vtitur Pronomine demonstratiuo & designatiuo, non verò ille.

Vnde Sacerdos, qui ex vndecim formulis, quas habet in prospectu, tantùm intendit consecrare decem, has decem sua intentione non determinando, nullam consecrat, ob rationem dictam: quę amplius declaratur & confirmatur, quia tunc non consecrat vndecim, quia id non intendit adhuc confusè; neque consecrat decem, quia ex vndecim excludenda est vna, & non consecranda; & non est maior ratio quare excludatur hæc aut illa, quàm quæcumque alia, quia nullam ex vndecim determinatè excluſit. Nihilominùs habens in prospectu vndecim, quamuis falsò existimet esse tantùm decem, consecrat omnes vndecim, si non limitet intentionem ad decem, quia verè intendit, quamuis confusè, consecrare omnes quas habet in prospectu, quia expressè non restringit suam intentionem ad decem, quia ex vna parte error ille optimè compatitur cum intentione consecrandi omnes quas habet in prospectu (quod vt sic est quid determinatum in indiuiduo) & ex altera parte verè vult consecrare omne quod habet in prospectu, quia nihil excludit: & ob eamdem rationem habens in prospectu duas hostias, existimans esse tantùm vnam, consecrat illas duas, si non restringat intentionem ad vnam tantùm.

Addimus Primò, vt contra Ægidium dub. 3. aduertunt Vasquez disp. 171. Suarez disp. 43. Bonacina disp. 4. quæst. 2. punct. 5. & Adamus du. 2. Sacerdotem, qui ex vndecim formulis intendat consecrare decem quas Deus velit, nullam consecrare, etiamsi Deus illas decem eligat; quia tunc nequit illas decem Pronomine demonstratiuo sensui exteriori (imò neque intellectui) demonstrare & designare, quia ignorat quas decem ex illis Deus velit. *Vasquez. Suarez. Bonacina. Adamus.*

Quòd si objicias: Sacerdos potest offerre sacrificium Missæ pro anima quam Deus designet & eligat, & tunc Sacrificiũ proficiet animæ quam Deus elegerit, si aliquam elegerit; ergo etiam poterit consecrare materiam quam Deus designauerit, si aliquam designauerit. Respondeo, esse disparem rationem inter consecrationem materiæ, & inter applicationem Sacrificij pro aliquo: quia consecratio fit à Sacerdote verbis formæ demonstrantibus sensui exteriori, aut materiam consecrandam, aut potiùs quod ipsi materiæ succedit; quod fieri nequit, quando materia non est designata, & nota in indiuiduo isti consecranti: applicatio verò Sacrificij non fit demonstrando animam cui applicatur, ac proinde potest applicari animæ ignotæ, & non designatæ ab applicante.

Addimus secundò, in quo Doctores communiter conueniunt, eum, qui plures formas portauit ad altare, intentione consecrandi illas, aut ipsi iam existenti in altari appositæ sunt ad id, & tunc decreuit illas suo tempore consecrare, quamuis posteà tempore consecrationis tantùm recordetur hostiæ quam tantùm habet in manibus, etiam consecrare formulas illas, si aliàs sint sufficienter propinquæ, & visui expositæ, quia tunc in eas fertur intentione antiqua, quæ ad valorem consecrationis sufficit, quia virtualiter perseuerat.

Qui verò vinum in calice consecrat, non consecrat guttas vini adhærentes superficiei exteriori calicis (& multò minùs existentis in pede calicis) quamuis eas habeat in prospectu, nisi id expressè intendat (quod illicitè intendet) in quo Doctores conueniunt; quia nemo censetur intendere eas adeò discontinuatas à vino continuo, intra calicem existente in profundo, consecrare: imò neque guttas intra calicem existentes discontinuatas à vino continuo existente in profundo, vt contra Bonacinam aduertunt Reginaldus c. 2. Ochagauia q. 6. & Laymannus c. 2. Et non solùm non consecrat guttas remotiores circa labrum calicis existentes, in quo etiam Ægidius n. 45. cum prędictis conuenit contra Bonacinam, sed neque propinquas ipsi vino existenti in profundo, vt contra ipsum Ægidium, & contra Adamum quæst. 2. nu. 79. aduertunt prædicti, quia consecrans, quando aliud non expressè intendit, tantùm censetur velle consecrare vinum, quod per modum potabilis existit intra calicem, quod tantùm est illud continuum quod est in profundo calicis. Addimus etiam, consecrare, & censeri velle consecrare eas guttas, quæ incepta prolatione verborum erant continuæ cum vino existente in profundo, quamuis ante perfectionem prolationis discontinuentur, & quæ post inceptam prolationem ante perfectam continuantur. Qui tamen consecrat formulas existentes in *Reginald. Ochagau. Layman. Ægidius.*

patena, aut intra pyxidem, etiam consecrat & censetur velle consecrare particulas existentes intra pyxidem, aut in patena mixtas cum formulis, vt patet; imò existentes extra ambitum aut spatium formularum existentium intra pyxidem, aut in patena, etiamsi non fuerint contiguæ in principio prolationis verborum, nec fiant contiguę ante perfectionem prolationis verborum, quia istæ, quamuis non contiguæ cum formulis, existunt per modum comestibilis intra pyxidem, aut in patena.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm materia consecrationis possit in quauis parua quantitate valide consecrari.

DIfficultas hæc non procedit de materia partiali existente in totali materia, quia hæc partialis materia, quantumuis minor & minor, validè potest consecrari in toto ipso, quia omnes particulæ panis & vini consecrati, quantumuis paruę sint, consecratæ sunt, vt constat ex Trident. sess. 23. c. 4. & can. 3. & 4. & constabit ex dicendis; sed procedit de materia totali, an hæc possit in quauis parua quantitate consecrari.

Circa quam conueniunt Doctores, materiam, quantumuis paruam, si sensu aliquo humano exterioti sentiri possit, consecrari posse, quia ex vna parte in ea manet substantia panis aut vini, vt supponimus, & ex altera est sensibilis, ac proinde demonstrabilis ad sensum Pronomine *hoc*.

Est ergo difficultas, An materia, quæ ob sui parvitatem nullo sensu exteriori percipi potest, consecrari possit.

Sotus. Valentia. Henriq. Sotus in 4. dist. 9. quæst. vnica, art. 1. Valentia disp. 6. quæst. 2. punct. 2. Henriquez lib. 8. cap. 14. & Adamus q. 2. dub. 2. partem affirmatiuam tuentur, quia ex vi consecrationis tantùm fit, vt loco substantiæ panis & vini succedat sub accidentibus eorum Corpus aut Sanguis Christi; ergo sub quauis quantitate, quantumuis imperceptibili per sensus, sub qua sit substantia panis aut vini, validè fiet consecratio.

Maior. Vasquez. Suarez. Ægidius. Maior verò in 4. dist. 11. q. 2. Vasquez disp. 171. cap. 2. Suarez disp. 43. sect. 7. & Ægidius dub. 2. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia tunc materia illa non potest Pronomine *hoc* ad sensum exteriorem demonstrari; ergo nequit validè consecrari, quia consecratio fit ex vi demonstrationis & significationis verborum formæ.

Addimus Primo, id etiam esse verum, quamuis materia, quæ sensu exteriori percipi nequit, sit inclusa in vase: quia quamuis tunc possit designari seu demonstrari vas, non tamen ipsa in vase inclusa; quia materia, quæ aliàs, præsens exposita sensui nequit ratione sui demonstrari, & est incapax vt demonstretur, non dicitur in continente demonstrari, demonstrato continente.

Addimus Secundò contra Maiorem, facta semel consecratione, v. g. panis, Corpus Christi retineri sub quacumque minima parte sub qua posset conseruari substantia panis, quamuis panis nullo sensu humano percipi possit (sub qua, quamuis sic imperceptibili, potest absque dubio conseruari, vt potest substantia non viuentis) quia Corpus Christi succedit loco substantiæ panis sub eius accidentibus, seu speciebus: ergo quamdiu substantia panis sub illis conseruatur, retinetur Corpus Christi. In hoc autem casu species illæ, quamuis sensu humano imperceptibiles seu insensibiles, habebunt rationem Sacramẽti, quia erunt signum sensibile in alio, nempe in toto à quo separatæ fuerunt; & erunt signum sensibile in toto, si ei iterùm vniantur, quod sufficit ad rationem Sacramenti.

Obseruandum est, vt optimè Vasquez contra nonnullos, quòd quamuis materia, sensu aliquo humano perceptibilis, consecrabilis sit, non tamen possit consecrari nisi ab eo à quo sentiri potest; quia qui non potest sensu aliquo rem aliquam percipere, nequit illam, neque aliquid sub illa, Pronomine *hoc* ad sensum sibi signare & demonstrare, quia Pronomine demonstratiuo id ad minus denotatur, vt diximus Diffic. xv. Ab eo tamen à quo materia sentitur, potest consecrari, quamuis eam non sentiat naturaliter, sed tantùm supernaturaliter; quia iste potest Pronomine demonstratiuo *hoc* vti circa eam materiam, quæ eam potest sibi signare & demonstrare.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm materia consecrationis possit in quauis magna quantitate valide consecrari.

ALexander 4. parte, quæst. 10. memb. 4. art. 2. *Alex.* Bonauentura in 4. dist. 10. parte 2. ar. 1. q. 4. *Bonau.* Paludanus dist. 11. quæst. 1. artic. 3. Angelus v. *Eucharistia* 1. num. 25. & alij docent, materiam non *Pal. Angel.* posse in quauis magna quantitate validè consecrari. Doctores tamen isti non cõueniunt in assignanda magnitudine in qua possit materia validè consecrari, quia Paludanus ait eam magnitudinem esse soli Deo notam; Alexander, Bonauentura & Angelus dicunt, in ea tantùm posse consecrari, in qua vsui fidelium sit accommodata, & non in maiori; alij verò, in ea tantùm magnitudine, in qua secundùm ritum Ecclesiæ consecrari debet.

Id ergo in quo Doctores isti conueniunt, probatur Primò, quia virtus Sacerdotis ad consecrandum, nempe character, & etiam virtus verborum quibus consecrat, est finita, ergo Sacerdos tantùm potest operari circa materiam finitam & determinatam, ita vt circa maiorem non possit. Secundò, quia Christus sapientissimè se gessit circa institutionem Sacramentorum; ergo credendum est non reliquisse Sacerdotibus potestatem consecrandi materiam in quauis magna quantitate, sed tantùm in ea quam exigat vsus fidelium, in quem eam potestatem reliquit.

S. Thomas verò quæst. 74. ar. 2. Durandus in 4. *S. Thom.* dist. 11. quæst. 7. Sotus dist. 9. quæst. vnica, art. 2. *Durand.* Vasquez disp. 171. cap. 3. Suarez disp. 43. sect. 8. *Sotus. Vasq.* Adamus dubio 2. & communiter Doctores do- *Suarez.* cent, materiam posse validè consecrari in quauis *Adam.* magna quantitate, absque termino aliquo, quantum est ex parte magnitudinis, & meritò: quia ex vna parte materia consecrationis, quantùuis maior & maior, non definit esse materia, quia panis v. g. quantumuis maior & maior, non definit esse panis, & verba consecrationis possunt accommodatè proferri circa quamcumque maximam quantitatem materiæ absque limite, quia quæcumq; maxima quantitas, quantum est ex se, potest verbis consecrati o-

secrationis demonstrari siue vna siue pluribus consecrationibus: & ex altera parte ad id non obstat, quòd virtus propria & physica Sacerdotis sit finita & limitata, quia Sacerdos non operatur propria virtute, sed Dei, vt minister & instrumentum Ius; imò ipse non operatur physicè ad consecrationem, sed solus Deus. (ex quo constat ad primam rationem aduersariorum.) Neque quòd potestas consecrandi collata sit in vsum fidelium, obstat ad hoc, quòd Sacerdos possit consecrare maiorem materiam quàm vsus fidelium exigat, quia si non posset, limitatio hæc exposita esset multis & grauibus incommodis; quia semper aut ferè semper dubium esset, an posset fieri de nouo consecratio, quia semper aut ferè semper est dubium, an formulæ quæ consecratæ existunt, sufficiant pro fidelibus, & semper esset dubium, an possent consecrari tot vel tot formulæ, v.g. an possent consecrari octo, an decem, quia nequit pro certo definiti numerus formarum sufficiens ad vsum fidelium. Fuit ergo maximè conueniens, & maximæ prudentiæ in Christo instituente, vt potestas validè consecrandi accommodata fuerit significationi verborum, vt valor consecrationis non esset tantæ anxietati expositus. Ex quo constat ad secundam rationem aduersariorum.

Sacerdos ergo potest validè consecrare quamcumque magnam molem materiæ (lacum videlicet vini) etiamsi magna pars illius ratione sui non sit moraliter præsens, dummodò secundùm aliquam magnitudinem illius sit præsens moraliter, quia tunc non obstat magnitudo, vt nuper dicebamus, neque defectus præsentiæ aliquarum partium ratione ipsarum, vt diximus Diffic. xv. quia magna moles, siue panis siue vini, cuius aliqua pars est præsens, quamuis reliquæ ratione sui sint absentes, potest verè & absolutè demonstrari ad sensum Pronomine demonstratiuo *hoc*; quia optimè dicimus, *hic lacus, hoc flumen, hoc mare*. Vnde quando dictum Pronomen dirigitur ad totam molem, falsò dicitur, *hoc est vinum*, quamuis proxima pars sit vinum, si ferè tota residua moles sit aqua; & verè dicitur, quamuis proxima pars sit aqua, si ferè tota residua moles sit vinum: secùs est, si tantùm dirigatur ad partem proximam, quia si proxima sit vinum, verè dicetur, *hoc est vinum*, & falsò, si proxima pars sit aqua.

DISPVTATIO III.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Christus eisdem verbis gratias egerit Patri, benedixerit panem & vinum, & ea consecrauerit.

PLVRA apud Euangelistas legimus Christum fecisse, quando Eucharistiam instituit, nempe gratias egisse Deo, benedixisse & fregisse panem, & protulisse verba consecrationis.

Est tamen difficultas circa distinctionem & ordinem harum quatuor actionum.

Conueniunt Theologi, fractionem panis fuisse actionem distinctam ab alijs tribus, vt ex se patet, & ex modo quo vt distincta ab illis refertur ab Euangelistis, dissentiunt tamen circa alias tres.

Alexand. Durandus. Marsilius. Becanus. Alexander 4 par. quæst 10. memb. 4. art. 2. Durandus in 4. dist. 8. q. 2. Marsilius in 4. q. 6. ar. 1. Becanus cap. 21. q. 3. & Theologi Catechismi Pij V. tit. de Eucharistia, docent, Christum eisdem verbis, quibus consecrauit panem & vinum, eis benedixisse, ita vt benedictio non fuerit distincta à consecratione, quia verba consecrationis panis & vini sunt benedictio eorum; ergo absque fundamento distinguitur benedictio à consecratione. Quòd autem prolatio verborum consecrationis sit benedictio, indicare videtur Paulus 1. ad Corinth. 10. illis verbis: *Calix benedictionis, cui benedicimus*. & significare videntur Iustinus in Apologia 2. & Cyprian. de Cœna Domini.

Armacan. Armacanus lib. 9. Quæstionum contra Armenos, c. 5. docet, benedictionem fuisse distinctam à consecratione, non tamen à gratiarum actione; quia Christus gratias egit Deo, (acproinde eam benedictionem non fuisse panis & vini, sed Dei, quia Deum benedixit, ipsi gratias agendo) quia Lucas cap. 22. & Paulus 1. ad Corinth. 11. pro benedictione, cuius Matthæus & Marcus mentionem faciunt, vtuntur gratiarum actione.

Sotus verò in 4. dist. 11. q. 1. art. 2. Iansenius in sua Concordia 131. Suarez disp. 58. & Vasquez disp. 196. docent, & meritò, gratiarum actionem, benedictionem & consecrationem fuisse tres actiones inter se distinctas. *Sotus. Iansenius. Suarez. Vasquez.*

Et in primis, benedictionem panis & vini fuisse actionem distinctam à consecratione, satis indicatur in Tridentino sess. 13. cap. 1. dum dicitur: *Post panis vinique benedictionem se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est*. quibus Tridentinum significat, Christum post benedictionem panis & vini consecrasse, quia verbis ipsius consecrationis testatus est, se illis suum Corpus & Sanguinem præbere. Id quoque indicatur in Euangelio, quia in eo benedictio & consecratio narrantur vt distinctæ; quia Matth. 26. dicitur, *Accepit Iesus panem, & benedixit, fregit, dedit que discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est Corpus meum*. quod etiam vsus Ecclesiæ confirmat, quia Sacerdos imitatione Christi consecraturus, præmittit benedictionem panis & vini antequam consecret. Quamuis ergo consecratio panis & vini etiam sit benedictio eorum, quia consecratione in melius conuertuntur, nihilominùs Christus alia etiam benedictione, distincta à consecratione, panem & vinum benedixit alijs verbis, inuocando videlicet Deum super panem, & eis aliquid boni apprecando. *Trident.*

Deinde gratiarum actionem fuisse distinctam à consecratione, indicatur in Euangelio, dum istæ narrantur vt distinctæ. Et ratione constat, quia

gratiarum actio refertur in Deum, consecratio verò in panem & vinum.

Tandem gratiarum actionem fuisse distinctam à benedictione, satis indicatur in Euangelio, quia Matthæi 26. & Marci 14. narrantur vt distinctæ, & in Canone Missæ, dum in eo exprimuntur vt distinctæ.

Paulus verò & Lucas non meminerunt benedictionis, sed gratiarum actionis, non quia essent eadem actio, sed quia eo ipso quòd exprimebant gratiarum actionem, etiam denotabant benedictionem; quia tunc ex more ad gratiarum actionem supra rem aliquam sequebatur benedictio illius, vt indicat Paulus 1. ad Corinth. 4. Quo etiam confirmatur, gratiarum actionem & benedictionem fuisse actiones distinctas.

Circa ordinem ergo actionum, quæ factæ fuerunt tempore consecrationis, credimus Christum primò accepisse panem, secúdò gratias egisse Deo, (forsan pro eo, quòd virtus diuina ipsi semper assisteret ad patranda mirabilia, qua ratione Ioannis 11. excitaturus Lazarum gratias egit Deo) tertiò benedixisse panem; quartò illum fregisse, quintò consecrasse (quia ordine prædicto referuntur in Euangelio factæ, & absque vrgente necessitate non est negandus, neque est recurrendum ad figuram anticipationis, qua aliquando Euangelistæ vtuntur;) & sextò post consecrationem panis illum distribuisse Discipulis suis, qui ante distributionem debuit consecrari. Et ideò quamuis in Euangelio priùs referatur distributio quàm prolatio verborum consecrationis, recurrimus ad vsum anticipationis.

DIFFICVLTAS II.

Quo pacto Christus consecrauerit.

Catherin. CAtherinus Tract. de hac re, pro viribus defendit, Christum sola diuina virtute, absque vllis verbis consecrasse: quod probabile indicant Innocentius III. lib. 4. de Mysterijs Missæ, cap. 6. Archidiaconus in can. *Timorem*, de Consecratione Diffic. 1. Guillelmus Durandus lib. 4. Diuinorum officiorum cap. 41. & Alliacensis in 4. q. 5. art. 1. lit. H. Et probari potest Primò, quia quamuis ex Scriptura constet, Christum verba consecrationis protulisse; & Ecclesia definierit, Christum verba illa nobis pro forma reliquisse; tamen neque ex Scriptura, neque ex definitione Ecclesiæ, neque aliunde constat, Christum verbis illis consecrasse: ergo. Secundò, quia nisi priùs Christus consecrasset, quàm proferret verba consecrationis quibus nos consecramus, non pronuntiasset illa verè, quia verba consecrationis non significant aliquid fieri, sed iam esse. Tertiò, quia Marci 14. cap. priùs narrat Christum dedisse calicem discipulis, & eos omnes ex illo bibisse, quàm verba consecrationis calicis protulerit.

S. Thomas. Ægidius. Vasquez. Adamus. Becanus. S. Thomas verò quæst. 78. art. 1. Ægidius du. 1. Vasquez disp. 197. Adamus quæst. 3. dub. 1. Becanus cap. 21. quæst. 3. & communiter Theologi docent, & meritò, Christum verbis consecrationis, quibus nos vtimur, consecrasse. quod indicat Tridentinum sess. 13. cap. 1. dum ait: *Maiores nostri apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in vltima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem dissertis ac perspicuis verbis testatus est.* Si ergo Christus prolatione verborum consecrationis Sacramentum Eucharistiæ instituit, eis verè consecrauit, quia non potuit prolatione eorum illud instituere, nisi facto suo, nempe medijs illis, consecrationem efficiendo. Idem quoque significat cap. 4. dum ait: *Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum, id quod sub speciebus panis offerebat, verè esse dixit; ideò persuasum semper in Ecclesia fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conuersionem fieri totius substantiæ*, &c. Vbi Tridentinum ex veritate verborum consecrationis collegit, fieri conuersionem panis in Corpus Christi: & non tantùm colligit nunc fieri à Sacerdotibus, sed etiam factam fuisse à Christo, quando verba consecrationis protulit. ait enim, *Et id quod sub specie panis offerebat, verè esse suum Corpus dixit.* Tridentinum ergo manifestè sentit, conuersionem seu consecrationem panis factam fuisse à Christo verbis illis, *Hoc est Corpus meum.*

Et id ratione probatur, quia verba consecrationis, quibus nos vtimur ad consecrandum, sunt aptissima ad id, & ad id illa nobis Christus reliquit, & à Christo, tempore quo ipse consecrauit, fuerunt prolata: ergo absque fundamento, imò & contra rationem negatur Christum illis consecrasse.

Ad primam ergo rationem Catherini respondemus, quòd quamuis ex Scriptura non constet, Christum verbis, quibus nos vtimur, consecrasse, id tamen deducitur ex Tridentino, & dicta ratione confirmatur. Et ad secundam negamus, verba consecrationis non significare aliquid fieri, vt Diff. 11. Ad tertiam concedimus, Marcum priùs narrasse Christum dedisse calicem discipulis, & eos ex calice bibisse; & posteà narrasse, Christum verba consecrationis protulisse: id tamen fecit Marcus per figuram anticipationis, qui non eodem ordine narrauit, ac alij.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm præter verba, quibus Christus consecrauit, sint necessaria alia, vt nunc fiat à Sacerdotibus consecratio.

ERror est Græcorum recentiorum, verba, quibus Christus consecrauit, & quibus nunc vtitur Ecclesia Latina, non sufficere Sacerdotibus ad consecrandum, sed necessarium esse addere quasdam alias orationes & preces, quibus à Deo petatur, vt panis conuertatur in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi.

Id autem probant auctoritate, Primò, quia multi Patres dicunt consecrationem fieri orationibus & precibus, & tamen hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est calix Sanguinis mei*, non sunt orationes neque preces, quia eis nihil petitur; ergo solis illis non fit consecratio.

Secundò probatur ex Liturgijs SS. Iacobi & Basilij, quæ habentur in Bibliotheca antiquorum Patrum; & S. Clementis, quæ habetur in lib. 8. Constitutionum c. 12. aliàs 27. in quibus post verba consecrationis, quibus vsus est Christus, & nunc vtitur Ecclesia Latina, additur oratio, in qua petitur, vt adueniat Spiritus sanctus supra dona illa. *Vt superueniens sancta, & bon., & gloriosa*

sua præsentia (vt ibi dicitur) *sanctificet & efficiat hunc panem Corpus sanctum Christi tui, & hunc Calicem pretiosum Sanguinem Christi tui.*

Dionysius. Tertiò id probant ex Dionysio c. 3. de Ecclesiastica Hierarchia, in Contemplatione, aliquantulùm ante finem, dum non leuiter indicat, ante verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, non fuisse factam consecrationem, & tamen ante illa iam prolata erant verba illa consecrationis, *Hoc est Corpus meum.*

Damascen. Quartò ex Damasceno lib. 4. de Fide c. 14. dum ait, panem & vinum post verba illa, *Hoc est corpus meum, & Hic est calix Sanguinis mei*, vocari antitypa, id est figuram Corporis & Sanguinis Domini: ergo sentit, solis prædictis verbis non constitui Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini.

Quintò id probant ex Missa Romana, quia in ea post verba illa, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est calix Sanguinis mei*, orat Sacerdos his verbis, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum*; quibus peti videtur, quòd fiat consecratio.

Catholici tamen conueniunt, verbis illis, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est calix*, &c. quibus vtitur Ecclesia Latina, absque vlla alia oratione perfici consecrationem panis & vini, quod plures ex Patribus aut exprimunt, aut maximè indicant. Et id *Eugen. IV.* supponit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, dum pro forma cõsecrationis non assignat alia verbanisi prædicta, quo satis denotatur illa esse sufficiẽtia. Et id constat ex Ecclesiæ etiam Græcæ traditione & vsu, quæ statim post prolata verba dictæ consecrationis, agnoscit verum Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus panis & vini, & vt talia populo adoranda proponit.

Et ratione probatur Primò, quia Christus solis prædictis verbis consecrauit, vt ipsi Græci fatentur: ergo absque fundamento, imò contra rationem exigitur aliqua alia oratio vt nos consecremus, præsertim cùm Christus statim atque dicta verba consecrationis Luc. 22. protulit, dixerit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Secundò, quia si statim atque dicta verba consecrationis prolata sunt, non fieret consecratio, sed posteà post aliam superadditam orationem, dicta verba non essent vera in ore Sacerdotis, quia Sacerdos non posset verè in nomine Christi dicere, *Hoc est Corpus meum*, si adhuc post horum verborum prolationem finitam, manet substantia panis, sed ex sola veritate verborum Ecclesia semper collegit seu deduxit consecrationem & conuersionem Eucharistiæ, vt docet Tridentinum sess. 13. cap. 4. ergo illis solis fit consecratio & conuersio.

Ex dictis etiam reijcitur error hæreticorum nostri temporis, asserentium, verba consecrationis nihil efficere, sed tantùm esse verba concionatoria & exhortatoria; quia ex dictis constat esse consecratoria & efficacia, vt conuertant panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi.

Ad primum ergo fundamentum Græcorum respondemus, plures ex Patribus vocare formas consecrationis preces & orationes, quia quamuis formaliter non sint tales, sunt tamen virtualiter, quia habent virtutem & vim orationis & precationis, quia à Deo impetrant consecrationem & conuersionem ipsam.

Ad secundum respondemus, in oratione addita post verba consecrationis in relatis Liturgijs non peti, vt panis fiat Corpus Christi simpliciter, sed vt fiat nobis viuificum, & nos sanctificans, vt ex ipsis Liturgijs deducitur.

Ad tertium concedimus, Dionysium in eo loco satis indicare, ante verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, non esse factam consecrationem, nihilominùs etiam indicat ante illa non fuisse prolata verba consecrationis, sed potiùs post illa. Et sanè quamuis in Ecclesia Latina similia verba habeantur post verba consecrationis, tamen in Ecclesia Græca consueuerunt ante verba consecrationis dici, vt sic Sacerdos, antequam aggrediatur tantum opus, se excuset quòd illud aggrediatur, quia Christus præcepit id fieri in sui commemorationem.

Ad quartum respondemus, panem & vinum appellari à Damasceno antitypa Sanguinis & Corporis Christi, quia loquebatur de pane & vino ante consecrationem; vel si etiam loquebatur de illis post consecrationẽ, id dixit, quia Christus, prout in hoc Sacramento, est figura sui; prout in propria persona se obtulit pro nobis in cruce.

Ad quintum respondemus, quòd quando in Missa Romana addimus, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum*, non petimus quòd consecratio fiat, sed quòd Deus ita sacrificium nostrum acceptet, vt sit nobis in remissionem peccatorum, & impletionem omnis gratiæ benedictionis.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm forma consecrationis ita incipiat ab illis verbis, Hoc est Corpus meum, *& Hic est calix, &c. vt absque præcedentibus ad ipsa possit fieri consecratio.*

COnueniunt Theologi, verba illa, *qui pridie quàm pateretur*, & reliqua quæ in Canone Missæ præmittuntur ante verba illa, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est calix Sanguinis mei*, non esse essentialia formæ consecrationis, quia illis nullo modo adhuc patialiter significatur consecratio seu conuersio, ac proinde illis nullo modo, neque patialiter fit. Est tamen difficultas, An ita necessaria sint, vt absque illis non fiat consecratio.

Scotus in 4. dist. 8. q. 2. & Angelus v. *Eucharistia* 1. num. 24. partem affirmatiuam tuentur: quia absque illis verba consecrationis non significant Corpus & Sanguinem Christi, sed ipsius Sacerdotis, quia absque illis Pronomen *meum* in forma consecrationis Corporis, & Pronomen *mei* in forma consecrationis Sanguinis, non refertur ad Christum, sed ad Sacerdotem, ita vt sensus sit, illud esse Corpus & Sanguinem Sacerdotis, non Christi. *Scotus. Angelus.*

S. Thomas verò quæst. 78. art. 1. Ægidius dub. 2. Durandus in 4. dist. 8. quæst. 2. Vasquez disp. 198. c. 1. & communiter Theologi partem negatiuam meritò tradunt, quam significat Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. dum ait, verbis Christi fieri consecrationem, & mutari creaturam, reliqua verò verba in laudem Domini referri per modum orationis. Retulit autem Ambrosius & coniunxit *S. Thomas. Ægidius. Durandus. Vasquez. Ambros.*

verba

verba illa, *Accipite, & comedite ex hoc omnes*, cum illis, *Hoc est enim Corpus meum*, non tamquam necessaria ad consecrationem, sed vt refert integrum sensum periodi.

Et ratione probatur, quia verba consecrationis, & Pronomen *meum* & *mei* in eis contentum, absque verbis illis *qui pridie*, & reliquis quæ ad verba ipsa consecrationis præmittuntur, referri possunt ad Corpus & Sanguinem Christi, si id intendat Sacerdos, sua intentione proferendi illa in nomine Christi, seu gerens personam Christi, sicut Angelus sua intentione gerens personam Dei, nullis alijs præmissis verbis, absolutè dicebat, *Ego sum Deus Abraham*, &c. Ergo verbis consecrationis, absque vllis alijs præmissis, potest fieri consecratio, quia verbis consecrationis, absque alijs præmissis, significari potest Corpus & Sanguis Christi esse sub speciebus.

DIFFICVLTAS V.

Quæ verba sint essentialia formæ consecrationis Corporis.

CONueniunt primò Theologi, quatuor hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, esse essentialia formæ consecrationis Corporis, & consequenter adeò necessaria ad consecrationem, vt quolibet deficiente non fiat: quod Ecclesiæ omnes amplectuntur, & meritò; quia omnia dicta quatuor verba sunt necessaria ad significandum, Corpus Christi esse sub speciebus, quo substantia panis conuertitur in Corpus Christi, quia ad veritatem huius necessarium est, substantiam panis conuerti in Corpus Christi.

Conueniunt Secundò, particulam *enim* non esse essentialem formæ consecrationis Corporis, & consequenter absque ea posse fieri consecrationem Corporis, quia non est necessaria ad significandum Corpus Christi esse sub speciebus, quo solo fit dicta conuersio. Et sanè, si essentialis esset, non esset omnino prætermissa in Scriptura. Imò conueniunt, eam particulam non esse substantialem, vel quod idem est, non concurrere ad consecrationem seu conuersionem, quia non iuuat, neque aliquo modo deseruit ad significandum, Corpus Christi esse sub speciebus.

Est ergo difficultas de alijs verbis, quæ superaddita fuerunt à Christo, nempe *quod pro vobis tradetur*, vt refertur 1. ad Corinth. 11. vel *quod pro vobis datur*, vt refertur Lucæ 22.

Circa difficultatem hanc error refertur, & tribuitur Græcis, quasi senserint, dicta verba esse essentialia formæ consecrationis Corporis, quia ex vna parte Paulus & Lucas illa referunt, vt à Christo prolata simul cum alijs verbis essentialibus; & ex altera parte verba illa superaddita determinant & explicant verba essentialia.

De fide tamen est, dicta verba non esse essentialia, neque necessaria ad consecrationem, vt constat ex perpetuo vsu Ecclesiæ Romanæ, quæ à Petro edocta, absq; verbis illis consecrat Corpus Christi, quod deducitur ex eo quòd Matthæus & Marcus alia verba tradentes, omittunt prædicta; quæ non omitterent, si essent essentialia, aut necessaria ad consecrationem. Et ratione probatur, quia hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, absque illis prædictis sufficienter significant, Corpus Christi esse sub speciebus panis, ad cuius veritatem necessarium est substantiam panis conuerti in Corpus Christi, ergo verba ista absque illis superadditis sufficiunt ad consecrationem seu conuersionem.

Quòd autem fuerint à Christo prolata, & quòd determinent & explicent essentialia, non conuincit, ipsa etiam esse essentialia, neque esse necessaria, quia solùm fuerunt prolata, vt determinantia & explicantia ea quæ sunt essentialia.

Addimus, non tantùm non esse essentialia, neque necessaria, sed neque substantialia, seu integralia, seu ad consecrationem concurrere, quando proferuntur, vt semper proferuntur à Græcis, quia absque fundamento dicetur ea verba ad effectum concurrere, imò & contra rationem, quia non concurrunt, neque iuuant ad significandum Corpus Christi esse sub speciebus.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm omnia verba, quæ in Ecclesia Latina dicuntur pro consecratione Sanguinis, sint essentialia formæ ipsius.

IN Ecclesia Latina pro consecratione Sanguinis non tantùm proferuntur illa verba, *Hic est enim calix Sanguinis mei*, sed etiam illa, *noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Conueniunt Primò omnes, particulam illam *enim* non pertinere ad essentiam formæ Sanguinis, neque ad consecrationem Sanguinis concurrere, quia non deseruit ad significandum, Sanguinem Christi esse sub speciebus, quo solo fit consecratio & conuersio substantiæ vini in Sanguinem Christi.

Conueniunt Secundò, verba illa, *Hic est calix Sanguinis mei*, esse essentialia formæ, & consequenter necessaria ad consecrationem Sanguinis, quia absque ipsis non significatur Sanguinem Christi esse sub speciebus, quod est necessarium ad conuersionem vini in Sanguinem Christi faciendam.

Est ergo difficultas, An etiam illa alia posteriora verba, nempe *noui & æterni*, & reliqua sint essentialia formæ.

Richardus in 4. dist. 8. art. 3. quæst. 2. Antoninus 3. p. titul. 13. cap. 5. Petrus Sotus de Institut. Sacerdotis, lect. 2. de Eucharistia, Siluester vt *Eucharistia* 1. quæst. 6. & Armilla num. 14. partem affirmatiuam tuentur, quæ indicatur in Concilio Colonienſi parte 7. cap. 14. & ab Innocentio III. in cap. *Cum Marthæ*, de Celebratione Missarum, dum etiam dicta verba posteriora ponuntur ab illis pro forma simul cum prioribus. Et etiam indicauit Pius V. dum partem commentarij Caietani in art. 3. q. 78., vbi oppositam sententiam sequebatur, expungi fecit in impressione Romana, & in suo Catechismo hanc partem affirmatiuam excudi iussit.

Richardus. Antonin. Pet. Sota. Siluest. Armilla. Concilium Colonien. Innoc. III. Pius V.

Et ratione probatur Primò, quia etiam dicta posteriora verba eodem tenore, quo priora, proferuntur à Sacerdote supra calicem, & etiam maiusculis literis designantur in Missali. Secundò, quia prædicta posteriora verba etiam fuerunt prolata à Christo, à quo verba essentialia desumuntur. Tertiò, quia dicta posteriora verba determinant priora, ergo priora & posteriora pertinent

ad

ad eamdem significationem, ac proinde ad eamdem formam.

Magister. *Bonauent.* *Scotus.* *Durandus.* *Vasquez.* *Ægidius.* *Becanus.* *Ambros.* *Eusebius.* *Iustinus.* *Pseudo-Cy.*

Magister verò in 4. dist. 8. Bonauentura 2. parte dist. 8. art. 1. q. 2. Scotus & Durandus q. 2. Vasquez disp. 198. Ægidius q. 18. art. 3. dub. 2. Becanus cap. 20. q. 2. & communiter Theologi, partem negatiuam meritò tradunt, quam indicant Damascenus 4. de Fide c. 14. Ambrosius lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. Eusebius Emisenus relatus can. *Quia Corpus*, de Consecratione, dist. 2. Iustinus Apologiâ 2. in fine, & Pseudo-Cyprianus Ser. de Cœna Domini, dū pro formâ consecrationis Sanguinis tantùm assignant verba illa, *Hic est Sanguis meus*, vel æquiualentia. Et eamdem partem maximè suadet, quòd neque Marcus neque Iacobus, neque Græci, neque Æthiopes, neque Mozarabes in Hispania consecrabant vinum dictis posterioribus verbis (quamuis iam Mozarabes etiam illis consecrent) vt patet ex eorum Liturgijs, quæ habentur in Bibliotheca Antiquorum Patrum: & eamdem suadet, quòd neque Paulus, neque Euangelista aliquis meminit illius particulæ, *mysterium fidei.*

Et ratione probatur, quia hæc verba, *Hic est Sanguis meus*, vel, *Hic est calix Sanguinis mei*, absq; alijs superadditis sufficienter significant Sanguinē Christi esse sub speciebus vini, ad cuius veritatem necessarium est substantiam vini conuerti in Sanguinem Christi, & nulla alia id significant, neque ad id significandum iuuant; ergo sola illa absque alijs sunt essentialia formæ, & sufficiunt ad consecrationem Sanguinis, & nulla alia sunt essentialia, quia verba mediante sua significatione pertinent ad essentiam formæ consecrationis.

Ad fundamentum ergo aduersariorum ex auctoritate desumptum, concedimus, etiam posteriora illa verba recitari in forma calicis in Concilio Colonien si, & ab Innocentio III. Id tamen non conuincit, illa esse essentialia formæ, vt patet. Dicuntur tamen priora & posteriora ab Innocentio III. esse formam, quia priora sunt essentialia formæ, & posteriora pertinent ad explicationem verborum essentialium formæ, & cum his simul proferuntur. Concedimus quoque, Pium V. expunxisse partem illam commentarij Caietani, non quia falsam contineret doctrinam, sed quia, postquam suam sententiam explicuit, non curauit de sententia S. Thomæ, quam explicare debuit, vt ab ipso Caietano instructi eam sequi possemus. Et quamuis in Catechismo Pij V. etiam posteriora assignentur pro forma (sicut etiam in Missali Romano) in eo tamen non dicitur illa esse essentialia, præsertim quòd in eo Catechismo non continetur auctoritas aliqua Pontificia, sed tantùm eorum Theologorum, qui illum scripserunt.

Et ad primam rationem concedimus, omnia dicta verba, priora & posteriora, eodem tenore proferri à Sacerdote super calicem, & litteris maiusculis notari; neutrum tamen conuincit, etiam posteriora verba esse essentialia, quia vtrumque contingit in particula *enim*, quæ ex omnium sententia non est essentialis: ideò autem Ecclesia voluit etiam posteriora illa sic proferri & notari, quia pertinent ad maiorem explicationem essentialium.

Ad secundum concedimus, etiam posteriora verba, adhuc illa, *mysterium fidei*, fuisse à Christo prolata, negamus tamen esse essentialia, quia etiam verba illa, *quod pro vobis tradetur*, fuerunt à Christo prolata in forma Corporis, & tamen non sunt ei essentialia; quia tam hæc, quàm posteriora illa, in forma Sanguinis fuerunt à Christo prolata pro explicatione essentialium.

Ad tertium concedimus, posteriora illa verba determinare & explicare priora, quæ sunt essentialia; id tamen non conuincit, etiā illa esse essentialia, vt patet in illis verbis, *quod pro vobis tradetur*, quæ non sunt essentialia formæ Corporis, quamuis eam determinent & explicent. Fuit autem conueniens dicta posteriora verba addi in forma calicis (quamuis in forma Corporis non addantur illa, *quod pro vobis tradetur*) quia illis denotatur excellentia & præstantia noui Testamenti supra vetus, quia hoc confirmatum fuit sanguine hircorum, nouum verò Sanguine Christi pro nobis effuso.

Id verò quòd nonnulli Thomistę addunt, nempe dicta posteriora verba etiam posse esse essentialia, & ad consecrationem concurrere, quando Sacerdos ea profert intentione etiam medijs illis consecrandi, dicitur sine fundamento: quia id non potest dictis verbis conuenire, nisi ex institutione Christi; de hac autem nullatenus constat: sicut absque fundamento diceretur, quòd quando minister baptizat his verbis, *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij vnigeniti, & Spiritus sancti ab vtroque procedentis*, animo omnibus his baptizandi, hæc verba addita communi formæ, nempe *omnipotentis, vnigeniti, ab vtroque procedentis*, quòd sint essentialia formæ Baptismi, & quòd ad effectum Baptismi concurrant, quia id non instituit Christus: absque institutione autem Christi id nequit dictis verbis conuenire. Imò illud additur, & dicitur à dictis Thomistis contrarionem, quia posteriora illa verba non concurrunt adhuc partialiter ad significandū, Sanguinem Christi esse sub speciebus vini.

Id quoque quod addunt Sotus in 4. dist. 11. q. 1. ar. 3. & Ledesma 3. parte 4. quæst. 19. ar. 3. nempe dicta verba posteriora esse substantialia seu integralia, & ad consecrandum concurrere quando proferuntur, non solùm dicitur absque fundamento, quia id dictis verbi nequit conuenire, nisi ex Christi institutione, de qua non constat; sed etiam contra rationem, quia dicta verba non concurrunt adhuc partialiter integraliter ad significandum, Sanguinem Christi esse sub speciebus vini, dicuntur tamen à S. Thoma q. 78. art. 3. esse de substantia formæ consecrationis Sanguinis, quia determinant & explicant, & quasi perficiunt sensum priorum verborum, in quibus solis essentia & substantia formæ consistit.

Sotus. *Ledesma.* *S. Thomas.*

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm verba consecrationis mutari possint.

COnueniunt Primò Theologi, nullum verbum formæ consecrationis, siue Corporis siue Sanguinis, quamuis non essentiale, posse omitti absque peccato, quia ad minus id erit contra præceptum Ecclesiasticum consuetudine introductum: vnde conueniunt, omittere particulam *enim*, esse peccatum; disconueniunt tamen an sit mortale, an tantùm veniale.

Vasquez

Vasquez. Ochagau. Vasquez disp. 199. nu. 29. & Ochagauia q. 32. existimant esse mortale, quia in re tam graui, graue quid est omittere particulam aliquam, quamuis tantùm deseruientem ad connexionem sensus verborum.

Sotus. Suarez. Sotus verò dist. 10. q. 1. art. 8. & Suarez disp. 59. sect. 1. existimant esse tantùm veniale, & meritò: quia non probatur sufficienter, neque apparet esse quid graue, omittere particulam vnam non necessariam ad valorem consecrationis, quamuis consecratio sit res grauis. Eidem ob eamdem rationem dicendum est de omissione cuiuslibet alius particulæ non essentialis. Addimus *essentialis*, quia omissio cuiuslibet particulæ essentialis, est absque dubio mortalis, quia non solùm est grauis contra præceptum Ecclesiæ in materia religionis, sed etiam quia est grauis contra præceptum naturale in eadem materia religionis, quia facit irritam formam consecrationis. Imò credimus tunc esse duplex peccatum mortale contra virtutem religionis: alterum commissionis contra præceptum naturale, quod æquiualenter est negatiuum, quia omissione particulæ essentialis fit positiua irreuerentia Sacramento Eucharistiæ, quia ea omissione irritatur; alterum omissionis contra præceptum Ecclesiæ, quod formaliter & æquialenter est affirmatiuum, quia contra ipsum omittitur res præcepta, non attenta positiua aliqua irreuerentia in Sacramentum.

Conueniunt Secundò Theologi, omissionem cuiuslibet particulæ non essentialis, non impedire valorem consecrationis: impedire verò illũ, omissionem cuiuslibet particulæ essentialis, vt patet.

Est tamen difficultas, An quæuis mutatio in verbis essentialibus, quæ non sit omissio, impediat valorem & effectum consecrationis, & sit illicita.

Circa difficultatem hanc, iuxta ea quæ communiter recepta sunt in Tract. de Sacramentis in genere, & sunt dicta à nobis Disp. 1. Diffic. XIV. & XV. dicendum est, quamcumque mutationem in verbis essentialibus non retinentem eamdem significationem sensus substantialis ad consecrationem & ad conuersionem necessarij, id est, non retinentem significationem eiusdem sensus à Christo intenti, esse non solùm illicitam, & mortaliter, vt patet, sed etiam impedire ne fiat conuersio: significatio autem sensus à Christo intenti, & ad valorem consecrationis necessarij, est, vt in nomine Christi ita significetur Corpus & Sanguinem Christi esse sub speciebus, vt ex vi significationis fiat conuersio, vt significatur his verbis, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est Sanguis meus*. Ex eo autem, quòd forma proferenda sit in nomine Christi, consecrans vti debet Pronomine demonstratiuo *meum* aut *mei*. Mutationem verò verborum essentialium, non destruentem, sed retinentem significationem eiusdem sensus à Christo intenti, non impedire valorem neque effectum consecrationis, vt patet, esse tamen illicitam, vel mortaliter, vel venialiter, pro grauitate vel leuitate mutationis.

Ex quo Theologi conueniunt, mutationem, qua in forma calicis verba illa, *Calix Sanguinis mei*, mutantur in hæc, *Sanguis meus*, quæ sunt apud Matthæum & Marcum, & quibus Græci vtuntur in Liturgijs S. Iacobi & S. Marci, non impedire valorem consecrationis, neque conuersionem, quia retinetur idem sensus Sacramentalis, vt patet, quia idem substantialiter significant verba illa, *Hic est Sanguis meus*, & illa quibus Ecclesia Latina vtitur, nempe, *Hic est calix Sanguinis mei*.

Est tamen difficultas, An quando ista verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, mutantur in verba tradita à Paulo 1. Corinth. 11. & à Luca 22. nempe, *Hic calix nouum testamentum est in meo Sanguine*, vt dixit Paulus, vel *in sanguine meo*, vt dixit Lucas, mutatio hæc impediat valorem consecrationis.

Non desunt, qui existiment impedire, quia eis verbis non significatur sub speciebus vini esse Sanguinem Christi, sed sub illis esse nouum testamentum.

Suarez verò sect. 2. Vasquez n. 44. Henriquez *Suarez.* c. 13. & Bonacina disp. 4. q. 3. punct. 2. existimant, *Vasquez.* non impedire, quia dicta verba verè significant, *Bonacina.* sub speciebus vini esse Sanguinem Christi, quia illis significatur hunc calicẽ esse Sanguinis Christi, quia sensus eorum est, *Calix hic in meo Sanguine* (id est, ratione mei Sanguinis, cuius est calix, vel quem continet) *est nouum testamentum*, quia testamentum, seu fœdus, & pactum etiam dicitur; & propriè non tantũ de voluntate qua quis legat aut promittit rem, & de re quæ cadit sub eam voluntatem; sed etiam de conditione sub qua res illa legatur aut promittitur, & ob quam iam impletam executioni mandatur legatum & promissio: dicitur enim, Promitto tibi hanc rem sub hoc pacto & fœdere, id est sub hac conditione. Quia ergo Sanguis Christi, seu effusio Sanguinis Christi, fuit cõditio sub qua Deus nobis promisit gratiam & vitam æternam, quæ sunt res & hereditas noui Testamenti, & ob quam iam impletã, vel vt sic prẽuisam, Deus executioni mandat collationem gratiæ, aut vitæ æternę, aut vtriusque; ideò nõ tantùm voluntas Dei dandi gratiã & vitam æternam, & gratia ipsa & vita æterna dicuntur nouum Testamentum, sed etiam Sanguinis Christi, non prout in Eucharistia existens, sed prout effusus in cruce: quia sub conditione, & quasi pacto illius effusionis fuit nobis promissa gratia & vita æterna, & ob eam effusionem iam completam Deus hominibus noui Testamenti illam confert, & ob eam sic præuisam contulit gratiam hominibus veteris Testamenti.

Ecclesia ergo Latina ad consecrationem Sanguinis vtitur his sequentibus verbis: *Hic est enim calix Sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Additur autem particula *enim* verbis essentialibus consecrationis, ad ea continuanda, seu connectenda cum præcedentibus verbis; & adduntur illa alia posteriora, nempe *noui & æterni*, &c. tum quia fuerunt à Christo prolata, tum etiam quia deseruiunt ad explicanda essentialia. Quòd verò hæc posteriora verba fuerint à Christo prolata, constat, quia inueniuntur in Euangelistis à Christo dicta, exceptis his, *mysterium fidei*: hæc tamen antiqua traditione creduntur accepta esse à Christo, vt ait Innocentius III. in dicto cap. *Cum Marthæ*, & dicitur in forma Ecclesiæ Latinæ, *Hic est calix Sanguinis mei*, congruentiùs quàm *Hic est Sanguis meus*, quia his non significatur Sanguis Christi, vt potabilis, benè tamen illis prioribus. Vtitur autem Ecclesia Latina nomine calicis (quo Paulus & Lucas vtuntur) non figuratè pro Sanguine contento, sed propriè pro vase ipso & poculo. Verum est, Relatiuum *qui*, referens calicem (vt

(vt constat ex textu Græco Lucæ) sumi figuratè pro sanguine contento, quia Sanguis effundendus erat, & non vas ipsum: & dicitur, *noui & æterni testamenti*, quia effusione Sanguinis Christi confirmatum est nouum Testamentum, quod est æternum, & numquam cessaturum: & dicitur *mysterium fidei*, quia Sanguis Christi, & eius effusio, & huius effusionis valor, est vnum ex maximis mysterijs fidei: & dicitur, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quia effundendus erat pro Discipulis, qui significantur particulâ *vobis*; & etiam erat effundendus pro omnibus alijs, qui significantur particulâ *multis*.

DIFFICVLTAS VIII.

Quid significetur verbis illis effundetur *&* tradetur *additis in formis consecrationis.*

IAnsenius in Concordia Euangelica cap. 17. & nonnulli recentiores docent, Verbum *effundetur* additum formæ consecrationis Sanguinis, & Verbum *tradetur* additum formæ consecrationis Corporis, referri non ad passionem, sed ad id quod factum est in vltima cœna, quando Apostolis data est Eucharistia; quia tunc Corpus Christi fuit illis traditum, & calix fuit effusus.

Et in primis, quòd Verbum *tradetur* non referatur ad passionem, sed ad traditionem seu collationē Corporis Discipulis factam, indicare videtur Paulus 1. ad Cor. 11. quia apud ipsum ibi Græcè habetur, *quod pro nobis frangitur*: fractio autem seu diuisio non rectè quadrat in Corpus Christi prout in passione, tum quia fractio præsens non rectè refertur ad passionem, quæ tunc non erat præsens, sed futura; tum etiam, quia Corpus Christi non fuit fractum in passione, vt notauit Ioannes cap. 19. adducens illud Exodi 11. *Os non comminuetis ex eo*; in Eucharistia verò fuit fractum & diuisum ratione specierum illud continentium, vt tradit Paulus 1. ad Corinth. 10. his verbis: *Panis, quem frangimus, nonne communicatio Corporis Christi est?* Et in id inclinat Chrysostomus Homil. 24. in hunc locum Pauli, dum ait: *Sed quare addidit, Quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet, in cruce autem minimè.*

Deinde, quòd Verbum *effundetur* non referatur ad passionem, sed ad id quod factum est in vltima cœna, in distributione Eucharistiæ, indicare videntur Primò Matthæus cap. 26. Marcus c. 14. & Lucas cap. 22. dum apud eos ibi Græcè habetur *effundetur*. Secundò etiam Lucas ibidem, dum apud ipsum ibi in Græco Verbum illud refertur non ad Sanguinem, sed ad calicem; calix autem non fuit effusus in passione, sed in vltima cœna, quando porrigebatur Discipulis.

Caietanus. Mirandul. Hosius. Vasquez. Caietanus verò in illud 1. ad Corinth. 11. Mirandulanus in Apologia quæst. 6. Hosius in Confessione cap. 42. Vasquez disp. 199. & communiter Theologi docent, & meritò, vtrumque Verbum, *tradetur* scilicet & *effundetur*, additum formis consecrationis, referri non ad id quod factū est in vltima cœna circa Eucharistiā, sed ad passionem. *Theophyl. Euthym.* quod etiam tradiderunt Theophylactus in illud 1. ad Cor. 11. *Quoniam Dominus Iesus*; & Euthymius in illud Matth. 26. *Qui pro multis effundetur.*

Et id ratione Theologica probatur: quia quamuis Matthæus, Marcus, & Lucas, quando loquuntur de effusione Sanguinis, Græcè vtantur Participio præteriti, habente vim Verbi præsentis, quasi dicant, *effunditur*; & Lucas quando de Corpore Græcè loquitur, etiam vtatur Participio præteriti, habente vim Verbi præsentis, quasi dicat, *datur*, in quod vulgatus Latinus illud vertit; omnes tamen Euangelistæ Græcè vsi sunt Præsente pro Futuro: Verbum autem de futuro non rectè quadraret in præsentem traditionem & effusionem, quæ fiebant in distributione Eucharistiæ: ergo vtrumque Verbum, *tradetur* scilicet & *effundetur*, ad passionē refertur, non ad Eucharistiam. Quòd verò dicti tres Euangelistæ vtantur Græcè verbo habente vim Præsentis pro Futuro, constat Primò, quia vulgatus Interpres Latinus semper, cùm loquitur de effusione Sanguinis, vtitur Verbo Futuri. Et quamuis in Luca, quando loquitur de traditione Corporis, vtatur Verbo Præsentis, dicens, *quod pro vobis datur*, tamen in Paulo vtitur Verbo Futuri, dicens, *quod pro vobis tradetur*, existimans Præsens in eo loco accipi pro Futuro: ac proinde relinquens in Luca tempus Præsens, non abstulit potestatem interpretandi illud pro Futuro. Et idem, nempe quòd dicti Euangelistæ Græcè vtantur Præsenti pro Futuro, constat secundò ex praxi & vsu Ecclesiæ Latinæ, quæ semper in forma calicis vsa est Verbo *effundetur* de futuro.

Ex quo constat ad fundamentum aduersatiorum, quatenus in eo objcitur vis Verbi præsentis. Et quatenus in eo objcitur vis Verbi *frango*, etiam est parui momenti: quia corpus molestijs & laboribus afflictum, etiam dicitur fractum, Hispanè *molido y quebrantado*. Et tandem quatenus in eo objcitur, Verbum *effundi* referri ad calicem, non est magni momenti; quia etiam calix dicitur in passione effusus, non ratione sui, sed ratione Sanguinis contenti per figuram metonymiam.

Chrysostomus verò explicans verba illa Pauli 1. ad Cor. 10. intelligit de fractione in Eucharistia, sed non explicans Verbum quod à nobis exponitur, sed Verbum illud *frangimus*, adductum à Paulo 1. ad Corinth. 10.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm verba consecrationis proferantur à Sacerdote recitatiuè, an significatiuè.

QVod in hac Difficultate quærimus, est, An verba consecrationis proferantur à Sacerdote vt prolata à Christo, referendo Christum illa dixisse, quod est proferri recitatiuè, historicè, & materialiter; an verò proferantur à Sacerdote ex se ipso, vtendo significatione eorum intentione significandi medijs illis id, ad quod significandum sunt imposita, sicut illa protulit Christus, quod est proferri significatiuè, enuntiatiuè, & formaliter.

Innoc. III. Durandus. Maior. Catherin. Innocentius ergo III. lib. 4. de Mysterijs Missæ cap. 17. Durandus in dist. 8. q. 2. Maior q. vnica, & Catherinus in Opusc. *Quibus verbis Christus consecrauerit*, docent, verba consecrationis proferri à Sacerdote non significatiuè & formaliter, sed tantùm recitatiuè & materialiter: quia si à Sacerdote proferrentur significatiuè, essent falsa, quia Sacerdos verbis illis significatiuè prolatis

non demonstraret Corpus & Sanguinem Christi, sed corpus & sanguinem suum, quod est falsum. Et quamuis admittamus, quòd illis demonstrarentur Corpus & Sanguis Christi, etiã essent falsa verba quæ statim subduntur in forma calicis: *Qui pro vobis & pro multis effundetur*, & in forma Corporis qua vtuntur Græci, *Quod pro vobis tradetur*; quia Sanguis Christi iam non effundetur, & Corpus Christi non tradetur in mortem. Secundò, quia si verba consecrationis significatiuè proferrentur, non possent in ore Sacerdotis esse vera, nisi Corpus & Sanguis Christi præsupponerentur sub speciebus ante illorum prolationem: quia verba illa significatiuè sumpta, demonstrant id quod iam est, non verò id quod fit, neque id quod erit: & ob hanc rationem Catherinus, vt vidimus Difficultate 11. sentit, Christum non consecrasse prædictis verbis, quia scilicet etiam in ore Christi essent falsa.

Alexander 4. p. q. 10. mem. 4. art. 2. Bonauentura in 4. d. 8. par. 2. art. 1. Marsilius in 4. q. 6. art. 1. Gabriel lect. 48. lit. F. Vasquez disp. 200. docent, verba consecrationis proferri à Sacerdote non recitatiuè & materialiter, sed tantùm significatiuè & formaliter. Quòd autẽ significatiuè proferantur, statim probabitur. Quòd verò ita significatiuè proferantur, vt non proferantur simul recitatiuè, probatur Primò, quia impossibile videtur, eadem verba simul ab eodem proferri recitatiuè simul & significatiuè; quia proferre illa recitatiuè est, quòd proferens ita illa proferat, vt ex se ipso non vtatur significatione illorum, sed illa proferat vt dicta ab alio referendo illa dixisse, & medijs illis aliquid significasse. Proferre verò illa significatiuè est, quòd proferens ita illa proferat, vt ex se ipso vtatur eorum significatione, ex se aliquid medijs illis significando. Ex se autem vti, & simul ex se nõ vti, significatione inuoluit contradictionem. Secundò, quia si Sacerdos proferret verba consecrationis recitatiuè tamquã dicta à Christo, deberet illa proferre ea applicando ad materiam, quam Christus Pronomine demonstratiuo demonstrauit, quia referret illa vt dicta à Christo tamquã significantia & demonstrãtia: Sacerdos autem non profert illa, ea applicando ad materiã quam Christus demonstrauit, sed ad materiam quam Sacerdos ipse habet præsentem; ergo non profert illa recitatiuè.

Sotus. Suarez. Ægidius. Ochagau. Bonacina. Adamus.

Sotus verò in 4. dist. 11. q. 1. Suarez disp. 58. sect. 4. Ægidius quæst. 78. art. 3. dub. 1. Ochagauia quæst. 33. Bonacina disp. 4. q. 3. pun. 3. & Adamus q. 3. dub. 2. docent, & meritò, verba consecrationis proferri à Sacerdote recitatiuè simul & significatiuè.

Et in primis significatiuè proferri, probatur Primò, quia Sacerdos media significatione verborum conficerat, & conuertit panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi: ergo profert illa significatiuè. Consequentia patet. Antecedens autem probatur ex Tridentino sess. 13. c. 4. dum ait, *Trident.* Ecclesiam ex eo collegisse conuersionem Eucharisticã fieri, quia Christus verè dixit, Corpus suum esse quod offerebat sub speciebus panis, & Sanguinem suum quem offerebat sub speciebus vini: & non solùm collegit, tunc, quando Christus consecrauit, factam fuisse conuersionem à Christo, sed etiam nunc fieri à Sacerdote; quia nomine Christi verè dicit idem quod Christus verè dixit: ergo Ecclesia sentit, Sacerdotem verè loqui & dicere proferendo verba consecrationis, sicut Christus verè dixit, quando illa protulit; ergo Sacerdos medijs illis ex se ipso significat, sicut Christus ex se ipso significauit, aliàs non posset medijs illis verè loqui & dicere, sicut neque potuisset Christus, quia veritas ex significatione oritur. Accedit quòd Tridentinum sess. 13. cap. 3. doceat, sub speciebus panis tantùm esse Corpus Christi ex vi verborum, vbi per *vim* absque dubio significationem intelligit, quasi dicat, verba consecrationis Corporis sua vi tantùm constituere Corpus sub speciebus panis, quia tantùm illud significant.

Secundò probatur, quia si verba consecrationis non proferrentur significatiuè à Sacerdote, etsi vt sic prolata non essent à Christo instituta, sed tantùm vt recitatiuè prolata, quamuis medijs illis Corpus & Sanguis Christi constituerentur sub speciebus, tamen medijs illis, vt recitatiuè prolatis, non fieret conuersio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi; quia, vt dicemus Disp. 1v. Difficult. 1x. vna substantia nequit in aliam conuerti, nisi vna aliquo modo pugnet cum alia, ità vt illa, in quam fit conuersio, causa sit desitionis illius quæ conuertitur. Vna autem substantia integra nequit pugnare cum alia, & nequit esse causa desitionis illius, nisi ratione significationis verborum; significatio autem nequit esse in verbis, nisi vt significatiuè prolatis.

Tertiò, quia si Sacerdos non proferret verba consecrationis significatiuè, sed tantùm recitatiuè, non possent Theologi colligere, materiam consecrationis debere esse ita in prospectu Sacerdotis, vt possit Pronomine *hoc* aut *hic* demonstrari ad sensum: quia Theologi id tantùm colligunt ex significatione dicti Pronominis, etsi verba consecrationis, vt ex ore Sacerdotis procedunt, nihil significarent, sed tantùm recitarentur tamquam ab altero ad significandum dicta, nihil ipse per illa demonstraret, neque sibi, neque alteri: quia ipse nihil illis significaret, ac proinde prout à Sacerdote recitatiuè prolata, possent etiam ad materiam distantem applicari.

Quòd verò verba consecrationis etiam proferantur recitatiuè, probatur, quia ex vna parte non repugnat, eadem verba significatiuè simul & recitatiuè proferri, & ex altera Sacerdos ipse manifestè refert Christum illa protulisse; ergo non est negandum, etiam recitatiuè proferri. Consequentia patet. Antecedens autem quoad primam partem, nempe quòd id non repugnet, imò quòd sæpè fiat, constat in eo qui assentiens huic propositioni, *Mundus est ab æterno*, ait, sicut Aristoteles dixit, *Mundus est ab æterno*, vel, vt Aristoteles dixit, & ego dico, *Mundus est ab æterno*, quia iste simul profert illam propositionem vt dictam ab Aristotele, & vt propriam, qua etiam ipse ex se ipso significat, mundum esse ab æterno. Eidem Antecedens quoad secundam partem, nempe Sacerdotem referre, Christum verba consecrationis protulisse, constat ex verbis quæ ad verba consecrationis præmittit, nempe, *qui pridie quam pateretur*, vsque ad illa, *deditque Discipulis suis, dicens, Accipite, hoc est enim Corpus meum*; ex illo enim Participio *dicens* id manifestè constat.

Obseruandũ tamen est, ita de facto recitatiuè simul & significatiuè proferri à Sacerdote, vt ad valorẽ consecrationis non sufficiat recitatiuè tantùm proferri, quia verba non operantur nisi media signifi-

significatione: sufficere tamen si significatiuè tantùm proferantur, quia sola media significatione operantur, ac proinde solis verbis consecrationis separatis ab antecedentibus, si supra debitam materiam, & cum debita intentione ministri proferantur, fiet consecratio.

Ad primum ergo eorum, qui nostræ primæ parti aduersantur, respondemus, quòd quamuis verba consecrationis significatiuè proferantur à Sacerdote, in ore ipsius non sunt falsa, quia illa profert significatiuè in nomine & in persona Christi, ipsum repræsentans, & ipsius personam gerens; & ideò Pronomine illo *meum* & *mei* potest verè demonstrare Corpus & Sanguinem Christi, sicut Angelus in veteri Testamento in persona Dei, ipsum repræsentans, verè dicebat, *Ego sum Deus Abraham.* Reliqua verò verba, quæ verba essentialia consecrationis antecedunt & subsequuntur, & etiam particula *enim*, vel non proferuntur significatiuè, quia necessarium non est ad valorem consecrationis; sed tantùm recitatiuè, & in eis vt sic prolatis nulla reperitur veritas neque falsitas: vel si etiam significatiuè proferantur, vt possunt, tunc verificari possunt ratione repræsentationis, qua Sacerdos in actione consecrandi repræsentat Christum in illa cœna, antequam traderetur, coram Discipulis suis celebrantem, quia in eis vt sic prolatis est veritas, sicut fuit in eisdem à Christo prolatis; quia respectu Sacerdotis repræsentantis Christum in illa cœna celebrantem, effusio Sanguinis est futura, & particula *enim* idem significat, quod significauit prolata à Christo, nempe connexionem verborum essentialium cum præcedentibus à Christo dictis.

Ad secundum ex dicendis Diffic. x. constabit, verbis consecrationis significatiuè sumptis, posse etiam demonstrari id quod non præsupponitur esse ad ipsa, sed quod fit, aut quod erit, ac proinde posse à Sacerdote significatiuè proferri.

Et ad primum eorum, qui nostræ secundæ parti aduersantur, negamus repugnare, eadem verba simul ab eodem recitatiuè & significatiuè proferri; quia non repugnat, verba simul ab aliquo proferri non vtendo significatione eorum, quatenus illa profert referendo vt ab altero dicta, & simul vtendo eorum significatione, quatenus etiam ex se ipso profert illa, intendendo ex se ipso medijs illis significare id ad quod sunt imposita, quod non inuoluit contradictionem: quia vti significatione verborum vno modo seu vna intentione prolatorum, & non vti significatione eorum alio modo seu alia intentione prolatorum, non sunt termini contradictorij, quia non sunt affirmatio & negatio eiusdem de eodem formaliter, sed tantùm materialiter.

Ad secundum negamus, Sacerdotem non applicare verba consecrationis ad materiam absentem, quam Christus consecrauit & demonstrauit: quia quatenus recitatiuè proferuntur vt à Christo dicta, applicantur ad illam recitatiuè & historicè, quia tunc denotatur, Christum verba illa protulisse circa aliam materiam absentem; quatenus verò significatiuè proferuntur, ad materiam præsentem applicantur.

DIFFICVLTAS X.

Quid demonstretur Pronomine hoc *&* hic, *in formis consecrationis.*

CIrca hanc rem varij sunt modi dicendi, quia in primis hæretici docent, Pronomine *hoc* demonstrari substantiam panis, & Pronomine *hic* substantiam vini: quia existimant, in Sacramento Eucharistiæ ea manere sub suis accidentibus, Corpus autem & Sanguinem Christi non esse sub illis nisi tamquam sub signo & figura. Error tamè iste, cui modus iste dicendi hæreticorũ innititur, apertè est contra Fidẽ, & cum Disp. IV. impugnabimus.

Secundò, nonnulli (vt refert S. Thomas q. 78. ar. 5.) qui, vtpote Catholici, admittunt, sub speciebus panis & vini realiter constitui Corpus & Sanguinem Christi, destructis substantijs panis & vini, docent, Pronomine *hoc* & *hic* statim ac profertur, demõstrari substantias panis & vini, tamquam signum Corporis & Sanguinis Christi, non absolutè, sed vt conuertendas in Corpus & Sanguinem Christi, ita vt sensus sit: *Significatum per hoc signum* (quod v. g. est panis conuertendus in Corpus meum) *est Corpus meum.* *S. Thomas.*

Modus hic dicendi cõmuniter reijcitur, & meritò: quia si Pronomen v.g. *hoc* tantùm demõstraret & significaret panem, vt signũ Corporis Christi, sequeretur, quòd ex vi significationis verborum consecrationis non fieret cõuersio panis in Corpus Christi, quia panis absq; fuit desitione, & absq; præsentia Corporis Christi, quæ sunt necessariè ad dictã conuersionẽ, potest significare Corpus Christi, & esse figura illius: & cõsequenter ex veritate verborũ consecrationis non colligetur cõuersio panis in Corpus Christi, quod est cõtra Trid. sess. 13. c. 4.

Tertiò, Bonauentura in 4. dist. 8. part. 1. ar. 1. q. 1. docet, Pronomen v.g. *hoc* demonstrare panem, tamen Verbum *est* non sumi in communi acceptione, prout significat simplicem conuenientiam, secundùm quam subiectum dicitur esse id quod est prædicatum, sed sumi pro Verbo *transit*, ita vt sensus sit, *Panis transit in Corpus Christi.* *Bonauent.*

Modus etiam iste dicendi communiter reijcitur, quia præterquam quòd cõtra communem & propriam acceptionem vsurpat Verbum *est* pro Verbo *transit*, in quo aduersatur Tridentino sess. 23. cap. 4. vbi Verbum *est* sumit prout significat simplicem conuenientiam, ratione cuius subiectum est prædicatum, vt patet ex contextu; etiam est contra rationem, quia verbis consecrationis in eo sensu non fieret conuersio, quia hac enuntiatione, *Panis transit in Corpus Christi*, nequit fieri conuersio, vt dicemus Disput. IV. Difficultate IX.

Quartò, Paludanus in 4. dist. 8. q. 3. art. 1. Capreolus q. vnica ar. 3. Sotus disp. 11. q. 1. art. 5. Valentia punct. 2. & Suarez disp. 48. sect. vltima, docent, Pronomine v.g. *hoc*, statim ac profertur, demonstrari aliquid cõmune pani & Corpori Christi, significatum nomine contentum sub speciebus, quod habet vim singularis vagi, & est præsens quando Pronomen profertur, ita vt sensus sit, Contentum sub his speciebus est Corpus meum. *Paludan. Capreolus. Sotus. Valentia. Suarez.*

Modus etiam iste dicendi nobis non probatur, quia Pronomen *hoc* vel sumitur substantiuè, vel adiectiuè. Si adiectiuè, nequit aliud demonstrare quàm Corpus Christi, quia cum solo nomine Corpus, tamquam cum substantiuo coniungitur,

gitur,& conuenit in genere, in numero,& in casu; & tunc statim ac profertur, nequit ipsum Corpus demonstrare,sed postea finitis verbis essentialibus consecrationis; quia quousque finita sunt, Corpus Christi non est præsens,vt statim possit Pronomine *hoc* demonstrari. Etsi Pronomen *hoc* sumitur substantiuè (vt ipsi contendunt) tunc tantùm potest directè demõstrare id quod directè significat: directè autem non significat species, sed tantùm contentum sub ipsis,ac proinde nequit species demonstrare, sed tantùm ipsum contentum, & consequenter sensus non erit, *Contentum sub his speciebus est Corpus meum*,sed, *Hoc contentum sub speciebus est Corpus meum*. Sed si Pronomen *hoc* demonstret hoc contentum sub speciebus, statim ac profertur Pronomen *hoc* ante prolationẽ aliorum verborum, prolatio illa erit falsa, quia ante prolationem aliorum non est aliud hoc contẽtum quàm panis, ac proinde solum panem demonstrabit, quamuis sub ratione cõmuni contenti. Sicut quando Petrum præsentẽ demonstramus,dicendo *Hoc animal*, aut *Hic homo*, tunc demonstramus indiuiduum determinatum Petri, quamuis sub ratione communi animalis aut hominis. Vnde hæc propositio, *Hoc contentum sub speciebus est Corpus meum*, non est similis illi, *Hæc herba nascitur in horto meo*, ostensâ herbâ quæ nascitur in alio,quia habẽt dissimiles sensus:quia in hac propositione *herba* supponit suppositione accommoda pro natura generica aut specifica,quia sensus est, *Hoc genus, aut hæc species herbæ nascitur in horto meo*; terminus verò, *hoc contentum*, non supponit sic in illa alia propositione,vt patet.

Id verò quod ad hoc nonnulli primò respondent, nempe Pronomen *hoc* in dicta propositione non demonstrare hoc contentum,quod est singulare ex demonstratione, sed contentum,quod est singulare vagum,& quid cõfusum,est manifestè falsum, tum quia Pronomen *hoc*,quo in consecratione vtimur,non tantùm demonstrat ad intellectum, sed etiam ad sensum;ac proinde eo nequit demonstrari indiuiduum vagum & cõfusum,quia istud tantùm potest intellectui demonstrari: tum etiã, quia contra communem doctrinam à Dialecticis etiam incipientibus receptã,non distingueretur singulare vagũ à singulari ex demõstratione,quia si aliquando Pronomẽ *hoc* est & efficit singulare ex demonstratione, maximè in forma consecrationis: quia etiam in ea demõstrat ad sensũ,cui nequit demonstrari nisi singulare determinatũ ex demõstratione.

Id etiam quod alij secundò respondent, nempe Pronomine *hoc* in forma consecrationis demonstrari singulare ex demonstratione, non singularitate se tenente ex parte contenti, sed ex parte specierum,& ideò Pronomen *hoc* afficere species,non contentum, ita vt sensus sit,*Contentum sub his speciebus est Corpus meum*, etiam est falsum, Primò, quia vt nuper dicebamus,Pronomẽ *hoc* id tantùm demõstrat,quod directè significat,& pro quo substituitur & supponit; sed in forma consecrationis non significat directè species, sed tantùm contentum, & pro eo solùm substituitur, & non pro speciebus;ergo id quod directè demonstrat,est singulare, singularitate se tenente ex parte contenti, & non ex parte specierum, & illud afficit directè & immediatè,& non species. Secundò, quia Pronomen *hoc* in forma consecrationis id demonstrat quod per ipsum significare intẽdimus, & id quod Christus dixit esse Corpus suum: Christus autem non dixit species esse suum Corpus, neque nos illas per Pronomen *hoc* significare intendimus; ergo per illud nequit non demonstrari aliud distinctum à speciebus, ex cuius parte etiam se teneat singularitas;istud autem ante finitam prolationem verborum essentialium consecrationis nequit esse aliud nisi panis, ergo.

Quintò, Henriquez Quodlib.9.docet,Pronomine v.g.*hoc*, toto tempore enũtiationis consecrationis ante finem, demonstrari panem secundùm se;in fine verò,seu finita enuntiatione, demonstrari Corpus Christi,vel panem prout conuersum in Corpus Christi. Modus etiam hic dicendi nobis non placet;quia commẽtitium est, voci semel prolatæ absq; repetitione illius in vno & eodem contextu orationis, pro diuersis partibus durationis varias assignare significationes: quia voce semel prolata secundùm vnam significationem, & ea prolata non retractata, & altera non repetita, non potest non durare eadem significatio,& idem sensus illius vsque in finem. Et eadem ratione reijciuntur similes responsiones aliorum, qui dicunt, Pronomine *hoc*, dum durat enuntiatio, demonstrari vnum;& illâ finitâ,demonstrari illud. Henr.

Sextò,Gabriel lect.48.lit.m.& Marsil.in 4.q.6. ar.1.ita explicant Pronomen *hoc*, vt sensus huius enuntiationis, *Hoc est Corpus meum*, sit iste, *Id in quod conuertendus est panis,hoc est corpus meũ*; quia sentiunt, Pronomen *hoc* ita demonstrare Corpus Christi,vt etiam connotet panem conuertendum, quem non connotat Corpus, vt ita in dicta enuntiatione idem non prædicetur de se ipso.Hic etiam modus explicandi Pronomen *hoc* nobis non probatur, tum quia alienum est à communi modo loquendi, quo dicimus, *hoc est Corpus meum*; tum etiam, quia quamuis ex vi verborum panis conuertendus sit in Corpus Christi, tamen Pronomen *hoc* non connotat expresè panem conuertendum, neque Corpus, in quod conuertendus est, demonstrat sub hac ratione, sed tantùm simpliciter & absque connotatione aliqua. Gabriel. Marsil.

Septimò,Scotus in 4.dist.q.2.§.*Aliter ergo*,docet, Pronomen v. g. *hoc* demonstrare indiuiduum entis in fine prolationis verborum,ita vt sensus sit, *Hoc ens est Corpus meum*. Modus tamen iste explicandi displicet Caietano q.78. ar.5.quia secũdùm hanc explicationem non minùs possent demonstrari accidentia panis præsentia, quàm substantia Corporis Christi;quia indiuiduum entis commune est substantiæ & accidenti, & cõsequenter propositio illa posset reddi falsa. Ob quod Caietanus, vt effugiat hoc inconueniens, quod existimat ex explicatione Scoti sequi, docet, Pronomen *hoc* in fine prolationis verborum formæ demonstrare indiuiduum substantiæ, seu substantiam indiuiduam sub gradu & ratione substantiæ,ita vt sensus sit, *Hæc substantia est Corpus meum*. Scotus. Iam.

Vterque tamen iste modus Scoti & Caietani, quamuis possit defendi & sustineri, nobis tamen non maximè arridet, ea solùm generali ratione, quia scilicet secundùm vtrumque istum modum Pronomen *hoc* sumitur substantiuè,& multò facliùs & clariùs ponitur adiectiuè, vt statim dicemus. At si substantiuè sumatur,vt sumi & defendi potest, intelligendo sub eo Pronomine aliquid ex parte subiecti,non solùm modus explicandi Caietani defendi potest, quia continet verũ sensum,& Cypr.

aptum

aptum modum loquendi, vt patet, & etiam formalem; quia quamuis subiectum & prædicatum, quæ assignat Caietanus, idem significet, diuerso tamen modo: sed etiam defendi potest modus explicandi Scoti, ob easdem omnino rationes. Neque ex eo sequitur inconueniens, quod existimat Caietanus, quia nos contra Scotum existimamus, ens non esse vniuocè commune substantiæ & accidenti, sed tantùm analogicè; ac proinde nomine subiecti ab Scoto assignati, nempe *hoc ens*, debet intelligi individuum entis simpliciter, quod est substantia, & non accidens, quod est ens secundùm quid; neque aliquid verè commune substantiæ & accidenti, quia verè non est.

Guitmun. Maior. Sainctes. Maldon. Vasquez. Becanus.

Octauò, Guitmundus lib. 2. de Veritate Corporis & Sanguinis Christi, Maior in 4. dist. 8. Sainctes repetit. 7. de Eucharistia c. 7. Maldonatus in cap. 26. Matth. vers. 26. Vasquez disp. 201. cap. 4. & Becanus cap. 21. q. 5. docent, Pronomen *hoc* in forma Corporis, & Pronomen *hic* in forma calicis, non sumi substantiuè, ita vt sub ipso aliquid intelligatur quod se teneat ex parte subiecti in enuntiatione consecrationis, sed tantùm sumi adiectiuè, ita vt in fine prolationis verborum consecrationis demonstret ipsum prædicatum, Pronomen *hoc* Corpus, & Pronomen *hic* calicem, & ad ipsum prædicatum immediatè & proximè referatur, & nomini ipsius prædicati proximè coniungatur tamquam adiectiuum substantiuo, & cum eo conueniat in genere & numero & in casu; & significatum per ipsum Pronomen ponatur pro subiecto, quamuis diuerso modo significatum & apprehensum, quàm per nomen *Corpus*, & per nomen *calix*. Hic ergo modus explicandi demonstrationem Pronominis *hoc* & *hic* nobis maximè probatur, quia eo sic sumpto, clarissimè & facillimè explicatur sensus formarum consecrationis.

Et in primis Pronomen *hic* in forma consecrationis calicis sumi adiectiuè, & non substantiuè, constat: quia non ponitur in genere neutro, sed in masculino, vt conueniat cum nomine *calix*, aut cum nomine *Sanguis*, non solùm in numero & in casu, sed etiam in genere. Quòd si Pronomen *hic* sumitur adiectiuè, & eo sic sumpto optimè explicatur sensus & veritas verborum consecrationis calicis, etiam Pronomen *hoc* in forma Corporis sumetur adiectiuè, cùm possit sic sumi secundùm regulas Grammaticæ, quia concordat cum nomine Corpus in genere, & numero, & in casu. Quòd si in Græco dictum Pronomen ponitur in vtraque forma in genere neutro, ideò est, quia Corpus, calix, & Sanguis significantur nominibus Græcis neutrius generis.

Iansenius.

Respondet Iansenius in Concordia cap. 131. Pronomen *hic* in forma calicis æquiualere Pronomini *hoc* (subintelligit, substantiuè sumpto) & pro eo poni; quia ipsi videtur Pronomen *hoc* magis conuenire cum verbis antecedentibus *bibite ex hoc omnes* apud Matth. 26. quia credit, istud *ex hoc* substantiuè sumi. Quod confirmat, quia Cyprianus in Epistola ad Cæcilium legit, *hoc est Sanguis meus*; nihilominùs vulgatum Latinum potuisse vertere in Pronomen *hic*, quia non rarò ponatur *hic* pro *hoc*, vt Exod. 16. vbi filijs Israel interrogantibus de manna, *Quid est hoc?* respondetur, *Iste est panis, quem dedit vobis*, &c. quamuis in rigore erat respondendum *hoc*, seu *istud est panis*, &c.

Cyprian.

Contra responsionem Iansenij est, quòd falsum sit, Pronomen *hic* poni aliquando pro Pronomine *hoc* substantiuè sumpto, quando poni debet Pronomen *hoc* substantiuè: quia Pronomen *hoc* substantiuè sumptum, & Pronomen *hic* ad diuersa referuntur, quia Pronomen *hic*, vtpote semper adiectiuè sumptum, semper refertur ad prædicatum, Pronomen verò *hoc* substantiuè sumptum ad subiectum. Exodi autem 16. non debuit dici, *istud est panis*, etiamsi potuerit dici, præsertim præsupposita interrogatione illa, *quid est hoc?* quia potuit, quasi illud *hoc* resumendo, responderi, *hoc* seu *istud est panis:* melius tamen dictu fuit, *iste est panis*, quàm, *istud est panis*, quia clarior & facilior redditur sensus Pronomine adiectiuè sumpto, quia melius dicitur, *hic est Petrus*, quàm *hoc est Petrus*. Quòd verò ait Iansenius, Pronomen *hoc* in forma calicis magis conuenire cum verbis antecedentibus apud Matthæum, etiam est falsum, quia illud *ex hoc*, quod antecessit apud Matthæum, non sumitur substantiuè & in neutro genere, sed in masculino & adiectiuè, quia refertur ad calicem. sensus enim est, *bibite ex hoc calice*. Neque Cyprianus illi fauet, quia, vt notarunt Pamelius Scholiastes Cypriani, & Sainctes, in emendatioribus codicibus non legitur *hoc*, sed, *hic est Sanguis meus*.

Deinde dicta explicatio Pronominis *hoc*, & etiam *hic*, confirmatur communi modo demonstrandi, quo omnes vtimur: quia qui vult aliquid masculini generis demonstrare, v. g. patrem, non vtitur Pronomine substantiuè, sed adiectiuè; non enim dicit, *hoc est pater meus*, sed, *hic est pater meus:* ergo etiam quãdo vtimur Pronomine *hoc* ad demonstrandum aliquid neutrius generis, eo vtimur adiectiuè ad demonstrandum prædicatum: ergo Pronomen *hoc* in forma Corporis, & etiam Pronomen *hic* in forma Sanguinis sumitur adiectiuè ad demonstrandum immediatè prædicatum, Pronomen *hoc* ad demonstrandum Corpus, & Pronomen *hic* ad demonstrandum calicem.

Quòd si obijcias Primò illud Tridentini sess. 13. c. 4. *Quoniam autem Christus Corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit.* vbi Tridentinum videtur Pronomen *hoc* explicasse substantiuè, sub eo aliquid ex parte subiecti intelligendo, nempe id quod sub specie panis offerebat, id est oblatum & contentum sub specie panis. Respondemus, Tridentinũ verè retulisse quod Christus dixit verbis consecrationis, nempe esse suum Corpus id quod offerebat; ex eo tamen non infertur sensisse, Christũ Pronomine *hoc* demonstrasse oblatum aut contentum sub specie panis: quia si Petrus diceret, *hic est homo*, eo Pronomine *hic* immediatè demonstraret hominem; & tamen qui referre vellet quod ille dixit, posset id efficere non referendo verba illius, sed sententiam, & dicere, Petrum dixisse, animal illud, quod ei occurrit, esse hominem. Et eodem modo Tridentinum posset exponere formam consecrationis vini, dicendo, Christum dixisse Sanguinẽ suum esse id quod sub specie vini offerebat, & tamen sub Pronomine *hic*, in ea forma non intelligitur oblatum sub specie vini, sed eo immediatè demonstratur calix aut Sanguis. Quod autem ex verbis Tridentini infertur, nobis fauet, nempe, eo Pronomine *hoc* & *hic* in formis consecrationis non demonstrari aliquid, quod sit ante prolationem verborum consecrationis, quia ante eam finitam non est id quod offertur, sed statim ac illa finitur.

Quòd si obijcias Secundò: Pronomine *hoc* proximè & immediatè significatur & demonstratur Corpus, ergo propositio formæ consecrationis Corporis, nempe, *Hoc est Corpus meum*, est idemtica, quia in ea idem prædicatur de se ipso. Respondemus, non esse idemticam, quia vt propositio sit talis, non sufficit quòd subiectum & prædicatum sint idem realiter, vt patet in hac propositione, *Homo est animal rationale*; quia etiam requiritur, quòd nullatenus ratione distinguantur, vt contingit in hac, *Ensis est gladius*. Quia ergo significatum & demonstratum Pronomine *hoc*, quod est subiectum, est corpus non expressè apprehensum; prædicatum verò est idem corpus expressè apprehensum; ideò dicta propositio consecrationis non est idemtica, sed formalis, quia scilicet subiectum & prædicatum illius apprehensione nostra distinguuntur.

Quòd si Tertiò obijcias, Pronomen v. g. *hoc* sumitur adiectiuè, ergo eo non necessariò demonstratur substantia, quia eo etiam potest demonstrari accidens, vt contingit in hac, *Hæc est albedo*. Respondemus, quòd quamuis Pronomine demonstratiuo possit demonstrari accidens, vt contingit in hac dicta propositione, quia in ea Pronomen coniungitur cum accidenti; in illa verò propositione, *Hoc est Corpus meum*, nequit non demonstrari substantia quæ est corpus, quia coniungitur cum corpore.

Obseruandum est, vt optimè Vasquez nu. 49. quòd si Sacerdos vti vellet Pronomine substantiuè sumpto, etiam in forma Sanguinis, dicendo, *Hoc est Sanguis meus*, aut *calix Sanguinis mei*, verè consecrabit, quia manebit idem sensus substantialiter: tunc autem sub eo Pronomine substantiuè sumpto, intelligetur, quod erit in fine prolationis, cui conueniet esse Corpus aut Sanguinem, illud autem erit, *hoc ens*, aut *hæc substantia*.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm aqua post inchoatam formam consecrationis Sanguinis, & ante eam finitam conuersa in vinum, conuertatur in Sanguinem Christi.

Vasquez. Nugnus. Ochagau. VAsquez disp. 201. num. 42. Nugnus q. 74. art. 8. & Ochagauia quæst. 34. §. 6. partem affirmatiuam tuentur, quia dictæ conuersioni in Sanguinem Christi non obstat significatio formæ consecrationis, quia tota ipsa refertur ad finem prolationis formæ, quia Pronomen *hic* in forma Sanguinis non demonstrat nisi id quod est in fine prolationis, siue hanc substantiam, siue Sanguinem Christi sub accidentibus illius vini, in quod fuit aqua conuersa.

Suarez verò disp. 45. in fine, & Bonacina disp. 4. q. 2. punct. 4. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia quamuis tota significatio formæ consecrationis referatur ad finem prolationis, & ideò quamuis vinum illud, in quod aqua conuersa fuit, conuerteretur in Sanguinem Christi, forma consecrationis esset vera; nihilominùs ad valorem consecrationis, vt fiat conuersio, requiritur quòd tota forma cadat & proferatur supra materiam capacem, & ad eam dirigatur: quia forma ex institutione Christi exigit pro materia circa quam, materiam ipsam conuertendam, & non tantùm id exigit hęc aut illa pars formæ, sed tota forma, alias qui antequam panis esset præsens, imò & in rerum natura, inchoaret formam Corporis, verè consecraret, si ante formam finitam panis fieret præsens, aut in rerum natura, quod verè est falsum.

Vnde quamuis dictæ conuersioni non obstet significatio formæ consecrationis & Pronominis *hic*, obstat tamen defectus præsentiæ, sicut & exsistentiæ materiæ in tempore in quo profertur forma, quia tota forma debet proferri circa illam, & ad eam dirigi.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm verba consecrationis sint vera ex primaria vocum institutione, & secundùm proprietatem, an tantùm ex intentione proferentis.

SCotus in 4. dist. 8. q. 2. & Gabriel lect. 48. in can. lit. Q. & R. docent, formas consecrationis non esse veras ex primaria ipsarum vocum institutione & significatione, quia Verbum *est* in ipsis repertum, ex dicta institutione denotat rem actu esse in aliquo momẽto illius temporis, in quo propositio, in qua reperitur, profertur; Corpus autem & Sanguis Christi non sunt, nisi quando finiuntur formæ in ipso instãti vltimo terminatiuo prolationis formarum, in quo earum prolatio intrinsecè terminatur & perficitur: esse tamen veras ex institutione Christi, & ex intentione Sacerdotis illas nomine Christi proferentis, quia Christus ea intentione instituit formas consecrationis, & Sacerdos ea intentione illas nomine Christi profert, vt quando finiantur, fiat conuersio, & non antea. *Scotus. Gabriel.*

Caietanus verò q. 78. art. 5. Sotus in 4 dist. 11. quæst. 2. art. 5. & Vasquez disp. 202. docent, formas consecrationis esse veras secundùm proprietatem, & primariam ipsarum vocũ institutionem & significationem: & meritò, quia vt propositio de præsenti sit vera secundùm proprietatem & primariam institutionem & significationem, non est necessarium, vt id quod dicitur & enuntiatur, sit quando id actu dicitur & enuntiatur; sed sufficit quòd sit immediatè, vel paulò antè, aut statim vel paulò post prolationem propositionis, vt videre est in hac propositione, *Ecce ego taceo*, quæ vera est, si tacebam immediatè, vel paulò ante prolationem ipsius, aut si tacere incipio statim vel post prolationem illius: & in hac, *Ecce ego iam manduco*, quæ est vera, si statim vel paulò pòst manducare incipio: & in hac, *Ecce hæc est pretiosissima gemma*, quæ etiam est vera, si statim vel paulò post enuntiationem gemma in lucem proferatur (& id est verum non tantùm in propositionibus practicis, seu factiuis rerum quas significant, sed etiam in purè speculatiuis, vt patet in exemplis allatis.) Ratio autem huius Antecedentis desumitur ex eo, quòd communi æstimatione & opinione hominum, quibus voces significant, & qui illis vtuntur & significant, non tantùm instans physicè præsens censetur, & iudicatur præsens, sed etiam tempus immediatè vel paulò antè præteritũ, & etiam tempus statim vel paulò pòst futurum. Ergo vt formæ consecrationis sint veræ secundùm proprietatem, & primariam & communem significationem, *Caietan. Sotus. Vasq.*

cationem, quamuis sint de præsenti, sufficit vt id, quod per ipsas esse significatur, sit, vt reuerà est, statim finita ipsarum prolatione, seu instanti vltimo intrinseco prolationis, in quo earum prolatio intrinsecè terminatur & perficitur.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm formæ consecrationis sint causæ conuersionis, non solùm ratione significationis, sed etiam ratione veritatis.

SVpponimus, quod negari nequit, formas consecrationis (& idem est de formis aliorum Sacramentorum respectu suorum effectuum) esse causas, vel quasi causas conuersionis Eucharisticæ ratione significationis: quod satis indicat Tridentinum sess. 13. cap. 3. dum docet, quædam esse in Eucharistia ex vi verborum, & quædam alia ex naturali connexione. per vim autem verborum ad minus intelligitur eorum significatio. Et quidem Christus verba consecrationis, & aliorum Sacramentorum instituit saltem vt significantia, vt suos effectus efficiant. Quòd verò significatio, (& idem est de veritate) sit ens rationis, tantùm obstat, vt sit ratio physica agendi, vel conditio physica ad agendum, non verò vt sit conditio quasi moralis instrumento morali, vel instrumento physico voluntariè assumpto ad causandum.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An formæ consecrationis sint causæ, vel quasi causæ conuersionis, etiam ratione veritatis earum.

Sotus. Ægidius. Sotus in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 5. & Ægidius quæst. 78. ar. 5. partem affirmatiuam tuentur, quia ideò causant conuersionem, quia sunt verba primæ veritatis, ergo quia sunt vera. Quod etiam ex parte tradit Caietanus art. 5. dum ait, veritatem speculatiuam verborum consecrationis non esse causam conuersionis; benè tamen veritatem practicam eorum. Appellat autem veritatem speculatiuam, eam quæ consistit in conformitate enuntiationis cum re enuntiata: practicam verò, eam quæ consistit in efficacitate verborum ad efficiendam rem quam significant, ita vt verba sint practicè vera, quia sunt factiua eius quod significant.

Caiet.

Scotus. Vasquez. Suarez. Adamus. Scotus verò in 4. dist. 8. q. 2. Vasquez disp. 202. Suarez disp. 58. sect. 6. & Adamus disp. 5. quæst. 3. dub. 2. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia veritas verborum consecrationis est posterior conuersione Eucharistica, quia ad veritatem eorum præsupponi debet conuersio ipsa, panis videlicet in Corpus Christi, & vini in Sanguinem Christi, & aliter nequeunt esse vera. Vnde quando Tridentinum sess. 13. cap. 4. ex veritate verborum consecrationis colligit conuersionem, eam colligit non à priori, sed à posteriori; quia veritas est posterior conuersione, & quasi effectus conuersionis, quamuis econtrà veritas sit causa finalis conuersionis, quia Christus ideò contulit verbis vim moralem conuertendi vt fiant vera, seu vt fiat quod per ipsas significatur.

Neque Caietanus à nobis re ipsa dissentit, sed tantùm in modo loquendi, dum veritatem practicam constituit in veritate seu efficacitate verborum, ad faciendam conuersionem, in quo absque fundamento procedit: imò & contra rationem, quia propositio speculatiua & practica in eo conueniunt, quòd vtraque significat & enuntiat rem esse; & in eo tantùm differunt, quòd speculatiua non efficit quod significat & enuntiat, benè tamen practica: ergo veritas speculatiua, seu propositionis vt speculatiuæ, & veritas practica, seu propositionis vt practicæ, in eo conueniunt, quòd vtraque consistat in conuenientia propositionis cum re quam enuntiat; & in eo tantùm differunt, quòd speculatiua consistat in conuenientia propositionis cum re quam enuntiat & non efficit, & practica in conuenientia propositionis cum re quam enuntiat & efficit.

Ex dictis constat, quòd quamuis verba consecrationis priùs prioritate naturæ significent, quàm sit conuersio, in eo tamen priori non sunt vera neque falsa, quia prioritas naturæ est prioritas causalitatis; conuersio autem causatur & dependet à significatione, & non à veritate, neque à falsitate, imò econtrà veritas dependet à conuersione, & est posterior, quàm illa, posterioritate naturæ; ac proinde verba consecrationis sunt vera in posteriori naturæ post significationem, & non in posteriori immediato & proximo, quia in hoc est conuersio, sed in posteriori mediato & remoto, nempe post conuersionem; quia verba vt significantia sunt priora, & immediatè posteà conuersio. Et tandem post conuersionem verba sunt vera, quia generaliter omnis propositio, vt significans est prior prioritate naturæ, seu à quo, quàm ipsa vt vera, quia veritas & falsitas sunt quasi passiones, quæ consequuntur ad significationem. Imò non repugnat, propositionem priùs tempore esse significatiuam, quàm sit vera: quia, vt diximus Difficultate præcedenti, vt propositio de præsenti sit vera, sufficit vt id quod significat, sit paulò post, & tamen quousque illud sit, non est vera neque falsa, sed quasi suspensa, expectans veritatem aut falsitatem: nihilominùs verba consecrationis in eodem instanti vltimo, in quo ipsorum prolatio intrinsecè terminatur & perficitur, indiuisibili quodam prolationis sunt vera, quia in eo efficiunt conuersionem.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, verba consecrationis causare conuersionem, quia sunt verba primæ veritatis, id est, quia sunt dicta aut instituta à Deo prima veritate ad efficiendam conuersionem, ita vt dictio aut institutio sit quodammodò causa conuersionis, vt verba à Deo dicta aut instituta fiant vera & digna, & sint dicta & instituta à Deo, non verò quòd veritas ipsorum sit causa conuersionis.

DISPVTATIO IV.

De conuersione seu transsubstantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Corpus & Sanguis Christi verè & realiter sint sub speciebus panis & vini.

CIRCA difficultatem hanc error est hæreticorum, apertè negantium veram & realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia. Ita quidam Ioannes Scotus, antiquior Subtilissimo Ioanne Duns Scoto Ordinis Minorum, & Berengarius, Albigenses, Wiclef, Carlostadius, Lutherus, Caluinus, & plures alij.

Scotus.
Berengar.
Albigens.
VViclef.
Carolost.
Lutherus.
Caluinus.

Veritas tamen Catholica est, Christum verè & realiter esse in Eucharistia. Est autem veritas hæc definita, & oppositus error damnatus in Concilio Alexandrino in Epist. ad Nestorium, a pprobata in Concilio Ephesino tom. 1. cap. 14. & in VII Synodo act. 6. & in Concilio, Romano sub Leone IX. & in Vercellensi sub eodem præsente, & in Turonensi sub Victore II. & in Lateranensi sub Innocentio III & in Concilio Viennensi sub Clemente V. & in Florentin. in decreto Eugenij IV. & in Tridentino sess. 13. ferè per totam, præsertim c. 1. & can. 1.

Concilium Alexand.
Ephesinum.
Synod. VII.
Concilium Romanum, Vercellense, Turonense, Lateranen. Viennense.
Eugen. IV.
Trident.

Eamdem veritatem tradiderunt innumeri Patres à Discipulis sancti Andreæ vsque ad Patres recentiores, quos referunt Bellarminus lib. 1. de Eucharistia, Vasquez disp. 11. 9. Valentia in Controuersijs lib. de Reali præsentia Corporis & Sanguinis Christi, c. 2. Maldonatus in cap. 6. Ioannis, Suarez disput. 46. Ægidius q. 75. art. 1. & Adamus quæst. 4. dub. 1.

Bellarm.
Vasquez.
Valentia.
Maldon.
Suarez.
Ægidius.
Adamus.

Veritas hæc desumitur Primò ex Ioann. 6. ex illis verbis: *Panis, quem ego dabo* (subintelligit, ad manducandum) *caro mea est.* & ex illis: *Caro mea vere est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* vbi Christus manifestè pronuntiat, carnē suam manducandam, & Sanguinem suum esse bibendum. Ergo negari nequit, Christum prædictis & sequentibus verbis eiusdem capitis expresè promittere & depingere futurum Sacramentum Corporis & Sanguinis sui sub speciebus panis & vini (quod posteà Matth. 26. Marc. 14. & Lucæ 22. instituit) ex quo deducitur præsentia Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini. Addimus, *prædictis & sequentibus verbis*, quia in antecedentibus non egit Christus de Eucharistia, neque de eius corporali manducatione, sed tantùm de spirituali, media fide; & se ipsum, vt credendū, appellauit panem & cibum, vt ex contextu ipso optimè deducit Vasquez à num. 47.

Et quamuis Lutherus & Caluinus, & ex Catholicis Gabriel & Ianssenius, existiment, in eo cap. 6. Ioannis non esse sermonem de reali manducatione & potu Corporis & Sanguinis Christi, sed de manducatione & potu spirituali, media fide, qua debemus credere Christi humanitatem, significatam per carnē, & eius passionem, significatam per sanguinem: nihilominùs ferè omnes Patres, quos referunt Bellarminus, Vasquez & Ægidius, prædicta verba Ioannis de reali manducatione & potu Corporis & Sanguinis Christi intelligunt, & id deducunt ex illis; etiamsi nonnulli ex illis aliquando verba illa etiam ad manducationem & potum media fide accommodent. Et quod magis est, Tridentinum sess. 13. cap. 2. & sess. 21. c. 1. deducit realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, ex prædictis & sequentibus verbis Ioannis. *Trident.*

Quòd verò Hieronymus in cap. 1. Epistolæ ad Ephesios ait, dicta verba Ioannis intelligi de Sanguine & carne Christi spirituali & diuina, non de carne quæ crucifixa est, & de sanguine qui effusus est, per carnem & sanguinem spiritualem & diuinum intelligit ea prout vnita Diuinitati, quia vt sic sunt cibus & potus spirituales; per carnem verò crucifixam, & per sanguinem effusum, intelligit ea secundùm se, non considerata vnione ad Diuinitatem.

Hæretici verò, qui admittunt, Christum in eo cap. 6. Ioannis loqui de reali sumptione Eucharistiæ, dicunt, verba illa non esse propriè intelligenda, sed figuratè & metaphoricè, ita vt in Eucharistia non sint verè & realiter Corpus & Sanguis Christi in se ipsis, sed solùm in pane & vino tamquam in signo & figura. Hæc tamen interpretatio, præterquam quòd est contra sensum, quem præse ferunt dicta verba, & quòd nequit constare cum veritate verborum consecrationis, vt statim dicemus, etiam potest reijci, Primò, ex eo quòd Christus in eo tēpore meliorem panem promisit quàm manna, nempe se ipsum, tum per fidem credendum, tum sub speciebus panis realiter manducandum: at si Christus tantùm promisisset panem, qui solùm esset signum & figura Christi, non promisisset meliorem cibum quàm manna, figuram Corporis Christi. Secundò reijcitur ex dubitatione & murmuratione Capharnaitarum; quia ex ea constat, illos intellexisse Christum loqui de sua carne secundùm proprietatem, aliàs non dubitassent, neque dixissent, *Quomodo potest hic carnem suam nobis dare ad manducandum?* Eos autem sic intelligentes, rectè intellexisse, ex eo constat, quòd si non rectè intellexissent, eos absque dubio Christus vnico verbo instrueret, & prauam eorum intelligentiam corrigeret, quod non fecit; imò potiùs illud repetiuit, vt eos magis in opinione ab ipsis concepta firmaret.

Secundò, prædicta veritas Catholica præsentiæ realis Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia desumitur ex verbis, quibus Christus Matthæi 26. Marc. 14. & Luc. 22. vsus est in vltima cœna, ad instituendum Sacramentū Eucharistiæ, ab ipso promissum Ioann. 6. nempe ex illis, *Hoc est Corpus*

Corpus meum, Hic est Sanguis meus, vel *hic est calix Sanguinis mei*: quæ verba adeò clarè & manifestè conuincunt præsentiam realem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, vt absque impudentia ea quis nequeat aliter interpretari.

Nihilominùs hæretici, qui dictam præsentiam realem ferre non possunt, adeò variè dicta verba interpretãtur, vt in libello, qui anno Domini 1577. editus fuit, ducentæ expositiones habeantur, ex quibus plures refert & reijcit Vasquez cap. 6. earum tamen præcipuæ in id recidunt, vt dicta verba figuratè tantùm & metaphoricè & tropicè intelligantur, siue figura ponatur in Verbo *est*, sumendo illud pro Verbo *significat*; siue ponatur in Corpore & Sanguine, sumendo Corpus & Sanguinem pro figura Corporis & Sanguinis, ita vt Corpus & vinum dicantur Corpus & Sanguis Christi, quia sint figura Corporis & Sanguinis, & Corpus & Sanguis sint in pane, & in vino tamquam in signo & in figura, & non realiter & propriè sub eorum speciebus. Hanc tamen interpretationem damnat Tridentinum sess. 13. cap. 1. & meritò: quia contra regulam Augustini lib. 3. de Doctrina Christiana c. 10. absque sufficienti fundamento deseritur propria significatio dictorum verborum, & confugitur ad Metaphoram & figuram Metonymiam, per quam res significata sumitur pro signo; quia nullum fundamentum assignari potest ad deserendam propriam significationem eorum verborum. Imò sunt multa, quæ maximè suadent, accipienda esse in propria significatione, tum, quia illis Christus instituit Eucharistiam, quæ est Sacramentum, in cuius vsu esset maxima occasio errandi, si non fuisset claris verbis institutа; & quæ etiam est nouum Testamentum, quia in eius institutione Christus expressit nobis suam vltimam voluntatem dandi nobis gratiam & vitam æternam; testamentum autem apertissimis verbis tradendum est, non tropicis: tum etiam, quia verbis illis loquebatur solis Discipulis, hominibus tunc rudibus, & quibus tũc, vtpote prope mortem ipsius, conueniens erat clarè suam doctrinã explicare: & his accedit, quòd sanguis, de quo Christus in dictis verbis loquebatur, effundendus erat pro nobis, vt dicitur Luc. 22. in remissionem peccatorum, vt dicitur Matth. 26. & tamen solus verus Sanguis Christi erat pro nobis in remissionem peccatorum effundendus, non vinum.

Dionysius. Quod si primò obijcias, Dionysium Areopagitam Epist. 9. ad Titum, dicentem, Iesum in parabolis diuina per typicæ mensæ apparatum deifica mysteria tradere; Respondemus, Dionysium tantùm tribuere Christo parabolas in prædicatione, vt ex contextu cõstat. Dum verò addit, mysterium Corporis & Sanguinis traditum esse per typicæ mensæ apparatum, non excludit realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, quia species Sacramentales, quæ sunt apparatus mensę, typum gerunt eius quod in se continent.

Tertulliã. Quòd si secundòobijcias Tertullianum lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. vbi ait, *Acceptum panem, & distributum Discipulis, Corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum, dicendo, id est, figura Corporis mei*; fatemur verba hæc Tertulliani difficilia esse: quia tamen Tertullianus multis in locis, quæ Pamelius in eum librum num. 662. expendit, verè admittit præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, ideò exponenda sunt in aliquem bonum sensum. In eum autem exponuntur à P. Vasquez, vt Tertullianus referat figuram ad species panis & vini, quæ verè significant & figurant Corpus & Sanguinem Christi quæ cõtinent, ita vt illud, *id est, figura corporis mei*, non sit interpretatio verborum quæ Christus protulit, quasi his æquiualeat; sed sit explicatio, quam Tertullianus addit pro Christo, ac si Christus dixisset, Corpus meum sub speciebus panis, quem habui in manibus, & meis Discipulis distribui, est figura Corporis mei existentis modo visibili. *Vasquez.*

Quòd si tertiò obijcias Hieronymum, vel potiùs Pseudo Hieronymum in illud Marci 14. *Et manducantibus*, &c. vbi testimonium hoc mysticè explicat; Respondemus, quòd licet ibi non explicet sensum litteralem, sed eruat quemdam mysticum & spiritualem; non tamen negat litteralem & proprium, neque præsentiam realem Corporis Christi: quando verò Hieronymus in cap. 26. Matth. ait, Christum panem accepisse, vt veritatem sui Corporis repræsentaret, ibi *repræsentare* non est idem quod *figurare*, sed idem quod *præsens facere*, & *ante oculos ponere*. Et eodem modo explicandi sunt nonnulli alij Patres, quando simile quid dicunt. *Hieronym.*

Plura alia obijciunt hæretici contra dictam veritatem Catholicam, quæ videri possunt apud Bellarminum, Vasquez, Suarez, Ægidium & Adamum. *Bellarmin. Vasquez. Suarez. Ægidius.*

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm post consecrationem in Eucharistia maneat substantia panis & vini.

CIrca rem hanc varij fuerunt errores. Primus fuit Berengarij, qui (vt scribit Guitmundus lib. 1. de Veritate Corporis & Sanguinis Christi) post secũdam retractationem, quam fecit in Concilio Romano sub Nicolao II. admittens in Eucharistia verè esse Corpus & Sanguinem Christi, asseruit, cum his manere substantiam panis & vini, & ita docebat Christum in Eucharistia impanari. *Berengar.*

Secundus error fuit (vt testatur idem Guitmundus) eorum, qui dixerunt, panem & vinum tantùm secundùm partẽ desinere esse, & conuerti in Corpus & Sanguinem Christi, secundùm eam videlicet quæ non est sumẽda ab indignis; & secundùm aliam partem manere in Eucharistia, secundùm eam videlicet quæ sumenda est ab indignis, quia hæc non conuertitur in Corpus neque in Sanguinem Christi.

Tertius error fuit (teste eodem Guitmundo) eorum, qui dixerunt, totum panem & vinum in consecratione conuerti in Corpus & Sanguinem Christi, nihilominùs quando indigni Eucharistiam sumunt, Corpus & Sanguinem Christi iterùm in panem & vinum redire.

Quartus error fuit Lutheri lib. de Captiuitate Babylonica, cap. de Eucharistia, qui admittens errorem Berengarij de impanatione Christi, addebat, neutram partem huius controuersiæ ad fidem pertinere, affirmatiuam tamen, nempe in Eucharistia manere substantiam panis & vini, esse Scripturæ & rationi conformiorem. *Lutherus.*

Quintus error tribuitur Ruperto Abbati, quasi dixerit in Eucharistia manere panem, & hypostaticè

ticè vnitum immediatè verbo diuino, cui Corpus Christi est vnitum, & ratione vnionis panis & Corporis Christi eidem Verbo diuino posse Corpus Christi de pane verificari, & id significari in verbis consecrationis Corporis. Ita insinuat in c. 6. Ioannis, explicans illud, *Panis, quem ego dabo, caro mea est:* & id planè affirmat lib. 2. de Diuinis officijs cap. 2. & 9. si liber hic est Ruperti.

Ioan. Paris. Sextus error fuit (vt refert Waldensis Tomo de Sacramentis cap. 65.) cuiusdam Ioannis Parisiensis, qui asserebat, in Eucharistia panem vniri hypostaticè Verbo Dei non immediatè, sed medio corpore humanitatis, quia existimabat panem huic corpori vniri.

Veritas tamen Catholica est, post consecrationem in Eucharistia non remanere substantiam panis & vini. Est autem veritas hæc definita, & oppositus error damnatus in Concilio Romano sub *Concilium Romanum.* Nicolao II. & in alio Concilio Romano sub Gregorio VIII. antiquioribus Innocentio III. & posteà *Concilium Lateranen.* in Concilio Lateranensi sub ipso Innocentio III. & refertur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate & fide Catholica, dum definitur, panem transsubstantiari in Corpus, & vinum in Sanguinē Christi: & in Concilio Romano generali, in quo damnati sunt articuli Ioannis Wiclef, quorum primus erat: *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, manent in Sacramento.* & in Concilio Constantiensi sess. 8. vbi dicta definitio Concilij Romani contra Wiclef confirmatur; & in fine Concilij iterū approbatur à Martino V. & in *Eugen. IV.* Decreto Eugenij IV. dum definitur, substantiam panis in Corpus Christi, & substantiam vini in *Trident.* Sanguinem Christi conuerti: & tandem in Tridentino sess. 13. c. 4. dum definitur, per consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi; & can. 2. dum anathematizatur, qui negauerit per consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini. Vnde contra Scotum vbi infrà constat, veritatem hanc fuisse in Ecclesia definitam ante Innocentium III.

Eamdem veritatem tradiderunt innumeri Patres Innocentio III. antiquiores, Iustinus videlicet *Iustinus. Irenæus. Tertullian.* Martyr in Apolog. 2. Irenæus lib. 4. Aduersus hæreses, cap. 34. Tertullianus lib. 4. in Marcionem *Cyprian. Cyrillus Ieroſol. Ambroſ. Gaudent. Chryſoſt. Auguſt. Damaſcen. Bellarm. Valentia. Vaſquez.* ca. 40. Cyprianus vel Pseudo-Cyprianus Sermone de Cœna Domini, Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 4. Ambrosius lib. de Ijs qui initiantur, cap. 9. Gaudentius Tract. 2. de Exodo, Chrysostomus Homil. 83. in Matth. Augustinus Serm. 28. de Verbis Domini, Damascenus 4. de Fide, c. 14. & plures alij Patres (quos referunt Bellarminus lib. 3. de Eucharistia, cap. 20. Valentia quæst. 3. puncto 2. & Vasquez disp. 180. cap. 3.) dum omnes vel apertè dicunt, vel supponunt, substantiam panis & vini mutari & conuerti in Corpus & Sanguinem Christi: vt pudeat Lutherum asserüisse, hanc conuersionem excogitatam fuisse ab Innocentio III. & ab Scholasticis; & vt pudeat Caluinum, quòd asseruerit, veritatem hanc omni antiquitatis patrocinio destitutam esse.

Tandem eadem veritas Catholica absentiæ panis & vini in Eucharistia, efficaciter deducitur ex veritate verborum, quibus ad cōsecrationem vsus est Christus Matth. 26. & Marc. 14. & quibus ad id vtimur Sacerdotes, nēpe, *Hoc est Corpus meum*, &, *Hic est Sanguis meus:* quorum veritate ad id conuincuntur communiter Theologi (exceptis Scoto in 4. dist. 11. q. 8. & Durando) & plures ex Patribus, quos refert Vasquez cap. 4. *Vaſquez.*

Ex veritate ergo verborum consecrationis probatur absentia panis & vini in Eucharistia, quia Pronomen *hoc* & *hic*, quod in verbis consecrationis demonstrat ad sensum, & non demonstrat accidentia panis & vini (quia ipsum Pronomen nequit ipsis accidentibus in verbis consecrationis accommodari, vt patet) demonstrat substantiam sub ipsis contentam, quæ medijs ipsis accidentibus fit sensibilis, & sensui demonstrabilis; sed nequit sub eis demonstrare substantiam Corporis & Sanguinis Christi, si sub eis adsit substantia panis & vini, vt adesse potest, vt posteà dicemus. Ergo vt substantia Corporis & Sanguinis Christi verè sub illis demonstretur, vt verè demonstratur, necessarium est, quòd sub illis non maneat substantia panis & vini. Quòd autem, si sub illis accidentibus adesset propria substantia panis & vini, non posset sub eis demonstrari substantia Corporis & Sanguinis Christi, quamuis esset etiam sub illis. Probatur: quia accidentia illa primariò & principaliter, & suâ naturâ efficiunt sensibilem & demonstrabilem propriam substantiam, si sub eis existat, quia sunt ipsi propria & connaturalia; alienam verò substantiam, quando adest propria, non nisi secundariò & secundùm quid, quia huic sunt præter naturalia, & propriæ substantiæ connaturalia. Ergo quando absolutè & simpliciter, & absque addito fit demonstratio substantiæ, demonstrabitur propria, si existat, quamuis tunc etiam existat aliena, dicendo, *hoc est vinum*; aliena verò, quando existit propria, non nisi cum addito, & secundùm quid, nempe particulam & addendo, dicendo, *hoc est vinum & sanguis*, non verò absolutè absque addito dicendo, *hic est sanguis*. At quando non adest propria substantia, tunc aliena quæ sub illis accidentibus existit, demonstratur absolutè, & absque addito, quia non est alia, quæ primario & principaliter fiat sensibilis per illa accidentia.

Quòd si objicias Primò, Quando vinum continetur in vase, non tantùm vas potest absolutè demonstrari, dicendo, *hoc est vas*, sed etiam vinum in vase contentū, dicendo, *hoc est vinum*; ergo quānis substantia propria panis & vini esset sub speciebus Sacramentalibus, posset etiam sub illis absolutè demonstrari substantia Corporis & Sanguinis Christi. Respondemus, cōcedendo Antecedens, & negando Consequentiam: quia est dispar ratio inter accidentia vasis ex vna parte, & inter accidentia panis & vini ex altera; quia accidentia vasis ratione figuræ sunt adaptata ad continendam etiam alienam substantiam, accidentia verò panis & vini neque ex sua natura, neq; ratione figuræ sunt adaptata ad continendam substantiam Corporis & Sanguinis Christi, & ideò sub accidentibus vasis potest etiam aliena substantia simpliciter & absolutè demonstrari, non verò substantia Corporis & Sanguinis Christi sub accidentibus panis & vini, quando sub eis est ipsa substantia propria.

Quòd si objicias Secundò, Quando corpus à dæmone obsidetur, verè dicimus, *hic est dæmon*, Pronomine *hic* nominaliter sumpto, etiamsi ibi sit substantia corporis obsessi; ergo quamquam in Eucharistia perseueraret substantia panis simul cum

pus obsidetur à dæmone, posse dæmonem sensui demonstrari, dirigendo Pronomen ad corpus obsessum, vel ad accidentia ipsius, nisi quando in eo corpore videmus, aut aliter sentimus effectum aliquem proprium dæmonis, seu à dæmone prouenientem, ratione cuius dæmon fiat sensibilis seu demonstrabilis sensui, non verò quando tantùm apparent accidentia corporis obsessi. Et quia in Eucharistia non apparent accidentia aliqua, neque effectus aliquis Corporis & Sanguinis Christi, ideò non possent sensui demonstrari Pronomine directo ad accidentia panis & vini, quando esset propria substantia ipsorum.

Trident. Meritò ergo Tridentinum sess. 13. c. 4. non tantùm definit absentiam panis & vini in Eucharistia, sed etiam ex veritate verborum consecrationis eam deducit, & ex ipsa semper fuisse ab Ecclesia deductam affirmat. Sed quamuis absentia panis & vini ex veritate verborum consecrationis deducatur, non tamē ex quacumque, quia non deducitur ex veritate verborum in figurato & metaphorico sensu, quem verba consecrationis efficere possent, quia veritas verborum in isto sensu stare poterat cum præsentia panis & vini, sed ex veritate verborum in proprio sensu quem verba ipsa præ se ferunt, & in quo Christus ea protulit, vt ex antiqua *Trident.* traditione constat, ex qua Tridentinum sess. 13. cap. 1. talē sensum desumpsit, & elegit: quia cum veritate verborum in sensu proprio, & in propria significatione, secundùm quam significatur vera & realis præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, stare nequit præsentia panis & vini in illa, ob rationem dictam, & ex veritate verborum in hoc sensu, quem Tridentinum cap. 1. supponebat electum, posteà c. 4. deduxit absentiam panis & vini in Eucharistia.

Quòd si obijcias: Ex veritate verborum consecrationis in proprio sensu potuit deduci conuersio panis & vini, seu desitio & absentia eorum; & non ex veritate illorum in sensu figurato, ergo Tridentinum non potuit absolutè, & absq; addito, ex veritate illorum deducere desitionem panis & vini, dicendo, *Quoniam Christus Corpus suum, quod sub speciebus panis offerebat, verè esse dixit, ideò in Ecclesia semper persuasum fuit, in Eucharistia fieri conuersionē totius substantiæ panis in Corpus Christi*, quia verba consecrationis potuissent esse vera in sensu figurato ab hæreticis electo, & cum veritate eorū in hoc sensu potuisset stare substantia panis, sed debuit addere; quoniam verè esse dixit, prout ab Ecclesia intelligi consueuit, sicut etiam c. 1. ex eisdem verbis non absolutè, sed cum addito, nempe prout ab Ecclesia & Patribus in proprio sensu semper intellectis, deducit realem præsentiā Corporis & Sanguinis Christi. Respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam; quia veritas absolutè & simpliciter prolata, supponit pro veritate verborum in proprio sensu. Quòd si c. 1. ex illis non absolutè, sed cum dicto addito deduxit præsentiam Corporis & Sanguinis Christi, non id fecit, quia esset necessarium, sed quia hæretici verba illa in sensu tantùm figurato admittebant, præsertim quod Tridentinum cap. 4. non deduxit desitionem seu conuersionem panis & vini ex veritate verborum consecrationis, absq; addito illo: quia iam c. 1. ex antiqua Ecclesiæ traditione veritatem verborū in proprio sensu sumptorum elegerat; & c. 4. id supponens, deducit dictam conuersionem ex veritate verborum cum eo addito, non repetito & expresso, sed supposito & subintellecto.

Prædicti ergo errores, quatenus conueniunt, in Eucharistia manere substantiam panis & vini, manent ex dictis relegati, etiā quintus & sextus: quia si substantia panis in Eucharistia perseueraret, quamuis vnita verbo, siue mediatè siue immediatè, nō possent verba illa consecrationis, *hoc est Corpus meum*, esse vera, tum quia vnio hypostatica non sufficit ad mutuam prædicationē inter quæcumq; vnita eidem personæ, nisi inter naturas completas, & in concreto sumptas; Corpus autem in illis verbis ratione Pronominis *meum*, vt abstractū significatur; tum etiā, quia Pronomen demonstratiuum in consecratione Corporis non refert panem, quia non dicitur *hic*, sed *hoc*, & in consecratione Sanguinis non refert vinum, quia non dicitur *hoc*, sed *hic*, præterquam quòd absque fundamento admittitur vnio aliqua panis & vini cum verbo.

Tertius etiā error asserentium, Corpus & Sanguinē Christi, quæ à peccatoribus sumenda erant, iterùm in panem & vinum redire, est contra Paulum 1. ad Cor. 11. dicentem, *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diudicans Corpus Domini*. vbi supponit, peccatorē sumere Corpus Christi. Quo etiam specialiter reijcitur secundus error asserentium, panem & vinum non conuerti in Corpus & Sanguinē Christi secundùm partem ab indignis sumendā, quia scilicet Paulus supponit, indignos verè sumere Corpus Christi.

Sed contra dictam veritatem Catholicam obijciunt Primò hæretici, quòd Eucharistia sæpè appelletur panis, ergo in ea manet substantia panis. Respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam; quia Eucharistia appellatur panis, vel quia fit ex pane, vel quia ratione specierum apparet panis, vel quia est panis, seu cibus spiritualis animæ.

Obijciunt Secundò, Christus Ioan. 6. dixit, *Ego sum panis*, & tamen non fuit destructus, & conuersus in panem, ergo quamuis Matth. 26. dixerit de pane, *hoc est Corpus meum*, panis non destruetur, & conuertetur in Corpus Christi. Respondemus, ex vi illorum verborum Christum non potuisse desinere esse & conuerti in panem, quia essent falsa; quia si Christus non maneret, non posset esse verum, Christum esse panem: fuit autem verum Christo permanente, quia ibi non est sermo de pane materiali, vt patet ex contextu, quia additur, *panis viuus, & vitæ*, sed de spirituali, & Christus verè est panis spiritualis animæ per fidem edendus, & animam viuificans. At quando dixit, *hoc est Corpus meum* (vbi Corpus propriè sumitur, vt constat ex perpetua Ecclesiæ traditione) non loquitur de pane, sed circa panem, quia pronomen *hoc* non demonstrat panem (aliàs non posset esse vera adhuc intercedente vnione hypostatica panis cum Corpore Christi, quia Corpus ibi sumitur abstractè) sed tantùm demonstrat Corpus Christi, & ideò ex vi illorum verborum, quæ proferuntur circa panem, panis ipse destruitur, & conuertitur in Corpus Christi, vt vera fiant.

Obijciunt Tertiò abiurationem Berengarij, approbatam in Concilio Romano sub Nicolao II. & relatam à Gratiano de Consecratione dist. 2. can. *Ego Berengarius*. quia in ea dicitur, panem & vinum post consecrationem esse non solùm

Sacra-

Sacramentum, sed etiam Corpus & Sanguinem Christi, & sensualiter non solùm in Sacramento, sed in veritate manibus tractari & frangi, & dentibus atteri; supponitur ergo, post consecrationem manere panem & vinum. Cui accedit, quòd dicitur manibus tractari, & frangi, & dentibus atteri, quia hæc non conueniunt Corpori Christi in Eucharistia: ergo dicuntur de pane, ac proinde perseuerat post consecrationem. Respondemus, in abiuratione hac contendi contra Berengarium, in Eucharistia non solùm esse Sacramentum, sed etiam esse Corpus & Sanguinem Christi. Dicitur autem in ea abiuratione panis post consecrationem esse Corpus Christi, non quia post consecrationem maneat & manens sit Corpus Christi (quia si maneret, non posset dici esse Corpus Christi) sed quia per consecrationem (& consequenter post illam posterioritate naturæ) transit in Corpus Christi, sumpto *esse*, vt relato ad Corpus Christi, pro *transire*; ac proinde post consecrationem panis nõ manet in sua natura, sed in Corpus Christi conuersus. Ideò autẽ Corpus Christi, seu panis in Corpus Christi iam conuersus dicitur sensualiter & in veritate manibus tractari, frangi, & dentibus atteri, vt denotetur, verè & realiter esse ibi Corpus Christi, cui prædicta conueniant non proximè & ratione sui, sed remotè ratione specierum panis illud continentium. Quando autem in hac abiuratione dicitur, panem & vinum non solùm esse Sacramentum, sed etiam Corpus & Sanguinem Christi, nomine *Sacramenti* intelligitur vel signum factiuum gratiæ sanctificantis, vel signum speculatiuum Corporis & Sanguinis Christi, ita vt sensus sit, panem & vinum non tantùm esse Sacramentum, id est signum practicum gratiæ, vel signum speculatiuum Corporis & Sanguinis Christi, quia id conuenit pani & vino ratione suorum accidentium, quibus conuenit esse Sacramentum, sed etiam realiter & verè transire in Corpus & Sanguinem Christi.

Obijciunt Quartò Gelasium lib. 2. contra Eutychetem, in fine, vbi de Euchatistia loquens, ait, *Et tamẽ non desinit natura panis & vini*: & Chrysostomum Epist. ad Cæsarium, vbi ait, naturam panis in Eucharistia manere. Respondemus, si liber ille est Gelasij, & Epistola illa est Chrysostomi (quòd viri eruditi negant) eos tantùm velle, in Eucharistia non desinere, sed manere naturam panis, non in se, sed in suis virtutibus, quia accidentia panis verè alunt & nutriunt, & accidentia vini verè refrigerant.

Omittimus alia quæ obijci solent, aliqua, quia leuiora sunt, & alia, quia in eis tanguntur aliquæ difficultates à nobis posteà examinandæ.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm post consecrationem in Eucharistia maneat aliquid substantiæ panis & vini

Durandus. DVrandus in 4. dist. 11. quæst. 3. existimat, in Eucharistia post consecrationem manere materiam primam panis & vini sub ipsorum accidentibus forma substantiali corrupta; quia nisi maneat materia prima panis & vini, in qua formæ substantiali ipsorum succedat forma Corporis & Sanguinis Christi eo modo, quo formæ alimenti in materia prima ipsius succedit forma viuentis, nequit esse conuersio & transsubstantiatio, quia hæc necessariò versatur circa aliquod subiectum vtrique extremo commune.

Alij (vt refert S. Thomas quæst. 75. art. 5.) existimarunt, in Eucharistia post consecrationem manere formas substantiales panis & vini, non verò materias primas, sed has fuisse conuersas in Corpus & Sanguinem Christi. S. Thom.

Gotfredus Quodlib. 8. quæst. 17. (vt refert Paludanus in 4. dist. 12. quæst. 3. art. 1.) existimat in Eucharistia existentiam panis & vini (quam forsan non distinguit à subsistentia) non conuerti in existentiã Corporis & Sanguinis Christi (quamuis natura & substantia panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi conuertatur) sed manere, vt sit subiectum accidentium quæ remanent, præsertim cùm existentia panis & vini nequeat in existentiam Corporis & Sanguinis Christi conuerti, quia existentia Christi est increata & diuina, & creatum nequit in increatum conuerti. Eamdem sententiam secutus est Bañez quæst. 4. art. 2. ad 2. alio tamen nixus fundamento, quia scilicet existimat, substantiam & accidentia eâdem existentiâ existere, & accidentia, quæ in Eucharistia remanent, existere eâdem qua ante consecrationem existebant. Gotfred. Paludan.

Reliqui tamen Theologi docent, & meritò, in Eucharistia post consecrationem nihil panis & vini manere præter ipsorum accidentia.

Et in primis non manere materiam primam, neque formam substantialem panis & vini, satis significat Tridentinum sess. 13. cap. 4. dum ait, post consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem Christi; quia hæc particula *totius* significatur omne quod substantiam intrat: & id clariùs significat can. 2. dum ait, fieri conuersionem totius substantiæ panis, & totius substantiæ vini, manentibus dumtaxat speciebus, id est accidentibus: vbi Tridentinum, addendo particulam illam *dumtaxat*, quæ exclusiua est, satis exprimit, nihil panis & vini præter ipsorum accidentia manere; ob quod modus dicendi Durandi, & modus dicendi illorum quos refert S. Thomas, iam non benè audiunt. Idem quoque deducitur ex veritate verborũ consecrationis in proprio sensu sumptorum, ex qua Tridentinum deduxit fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini, vt dicemus Difficultate sequenti, vbi etiam specialiter reijcietur modus dicendi Durandi. Modus tamen dicendi aliorum, quem S. Thomas refert, ex eo specialiter reijcitur, quòd absque necessitate, imò absque vtilitate admittit, formam substantialem panis & vini manere absque materia prima, absque qua nequit naturaliter conseruari. Quòd verò conuersio, saltem totalis, non egeat subiecto vtrique extremo communi, dicemus Difficultate XIII. Trid.

Deinde in Eucharistia non manere existentiam, neque substantiam panis & vini, satis significat Tridentinum can. illo 2. dum ait, fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini, manentibus dumtaxat speciebus, seu accidentibus, quia existentia & substantia non sunt accidentia, sed potiùs aliquid substantiæ; ob quod modus dicendi Gotfredi non benè audit. Et idem ratione probatur, & in primis quoad existentiam, quia hæc non distinguitur re ipsa ab essentia & natura, vt

vt diximus Tractatu de Incarnatione Disput. XII. Diffic. II. ergo in Eucharistia, in qua non manet essentia & natura panis & vini, nequit eorum existentia manere: & quamuis existentia re ipsa distingueretur ab essentia, imò & tamquam res à re, vt sic posset manere absque essentia, nihilominùs absque necessitate existentia panis & vini diceretur in Eucharistia manere, in qua non manet essentia & substantia eorum; quia non esset necessaria, vt per eam accidentia existerent, quia per eam existere nequeunt, quia accidentia non existunt per se, sed in alio; existentia autem substantiæ panis & vini est existentia per se, non in alio; neque esset necessaria, vt esset subiectum proximum accidentium panis & vini, quia esse non posset, quia sola substantia substat accidentibus: ergo existentia, quæ esset distincta à substantia, & actus substantiæ non posset substare accidentibus, & esse subiectum eorum: & non solùm existentia panis & vini maneret in Eucharistia absque necessitate, sed etiam id affirmare est contra rationem, quia existentia absque substantia, quæ in Eucharistia non manet, nequit naturaliter perseuerare.

Idem quoque probatur quoad subsistentiam, quia in primis nequit absque sua substantia seu natura manere, quia subsistentia nihil aliud est, quàm modus perfectatis ipsius substantiæ, vt diximus Tractatu de Incarnatione, Disp. IV. Diffic. V. modus autem nequit manere, non manente re cuius est modus, quia eam essentialiter supponit, & ab ea essentialiter dependet: & quamuis subsistentia panis & vini manere posset absque ipsorum substantia, tamen absque fundamento diceretur in Eucharistia manere, & absque necessitate aliqua, quia ipsa non posset esse subiectum accidentum panis & vini, sicut neque existentia, si hæc esset à substantia distincta, quia sola substantia substat accidentibus.

Ex quo constat ad priorem partem fundamenti Gotfredi, & ad fundamentum Bañez. Ad alteram verò partem fundamenti Gotfredi respondemus, quòd quamuis, quod creatum est, non possit conuerti in increatum, possit tamen existentia panis & vini conuerti in existentiam Corporis & Sanguinis Christi, quia horum existentia est creata, non diuina.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm conuersio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi consistat formaliter in eo, quòd materia prima panis & vini continuetur cum materia prima Corporis & Sanguinis Christi, & incipiat esse sub forma eorum.

SVpponimus, in quo Catholici contra hæreticos conueniunt, in Eucharistia per consecrationem fieri conuersionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi. Ita sæpè definitum est, præsertim in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & in Tridentino sess. 13. cap. 4. & can. 2. eamque conuenienter appellari *transsubstantiationem*, affirmat in eo cap. 4. & meritò: quia quamuis vox hæc barbara sit, optimè tamen significat id quod in Eucharistia fit. Quòd verò vox hæc sit noua, non obstat, quia licitum est rebus nouis inuentis (qualis est conuersio Eucharistica) voces nouas, ad res illas nouas significandas, adinuenire.

Hoc supposito, magna inter Theologos controuersia est circa naturam & quidditatem huius conuersionis seu transsubstantiationis, in quo scilicet consistat.

Circa præsentem ergo difficultatem Durandus in 4. d. 11. q. 3. partem affirmatiuam tuetur, nempe, naturam conuersionis Eucharisticæ in eo consistere, quòd materia prima panis continuetur cum materia prima Corporis Christi, & incipiat esse sub forma Corporis Christi, & eâ informari, & quòd materia prima vini continuetur cum materia prima Sanguinis Christi, & incipiat esse sub forma illius, & eâ informari eo modo, quo per nutritionem materia prima alimenti continuatur cum materia prima viuentis, & incipit esse sub forma illius, & eâ informari. Quod indicare videtur Damascenus 4. de Fide, cap. 5. vbi conuersionem Eucharisticam declarat exemplo conuersionis alimenti in substantiam comedentis, & conuersionis potus in sanguinem potantis. Et ratione probatur, quia modus iste conuersionis est possibilis, & per eum facilè declaratur conuersio Eucharistica, & secundùm eum verba consecrationis sunt vera: ergo.

Reliqui tamen Theologi partem negatiuam communiter tradunt: imò pars affirmatiua, quam Durandus tuetur, iam post Tridentinum erronea iudicatur, & meritò: quia Tridentinum sess. 13. cap. 4. definit, per consecrationem fieri conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem Christi. vbi particulâ *totius* denotatur, nihil quod substantiam panis & vini intrat, manere. Quod magis declarauit can. 2. dum idem definiens, addit: *Manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.* Materia autem prima panis & vini non est species, neque accidens panis & vini, sed pars essentialis ipsorum, intrans substantiam & essentiam eorum.

Deinde pars nostra negatiua probatur, & affirmatiua Durandi ratione Theologica reijcitur; quia in Eucharistia non est admittenda alia conuersio, quàm ea quæ adæquatur & commensuratur significationi verborum, quia tantùm fit ex vi talis significationis, & quàm ea, quæ sufficit ad veritatem illorum, ipsorum significationi commensuratam, quia ex ea à posteriori deducitur: sed verba consecrationis non significant Corpus & Sanguinem Christi, vt habentia in se nouam materiam panis & vini informatam forma ipsius Corporis & Sanguinis, sed tantùm significant Corpus & Sanguinem Christi simpliciter & absolutè, sicut erant ante consecrationem; & ad veritatem commensuratam & conformem significationi ipsorum verborum non requiritur conuersio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, vt habentia nouam illam materiam, sed sufficit conuersio in Corpus & Sanguinē Christi simpliciter & absolutè, sicut erant ante consecrationem: ergo absque fundamento & contra rationē admittetur conuersio prædicta à Durando, qua scilicet panis & vinum non desinant secundùm materiam primam, & quæ fiat in Corpus & Sanguinē Christi, his addendo materiam illam, & quæ informetur ipsorum forma; sed admittenda est conuersio

panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem, qua Corpus & Sanguis sint existentia & præsentia absque informatione illa, sicut erant ante consecrationem, & consequenter etiam desitio totius substantiæ panis & totius substantiæ vini, quia hæc correspondet dictæ existentiæ & præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi.

Quòd autem verba consecrationis etiam essent vera, quamuis conuersio fieret modo assignato à Durando (quia etiam tunc Corpus & Sanguis Christi essent sub speciebus) non sufficit vt conuersio illa admittatur, quia non essent vera veritate commensurata & conformi significationi eorum, sed veritate ipsorum significationem excedente, & ei non conformi. Vnde quamuis conuersio à Durando assignata sit possibilis, & facilis intellectu, & secundùm eam verba consecrationis essent etiam vera, non est admittenda, quia non est commensurata & conformis significationi verborum, ex vi cuius fit.

Ad testimonium verò Damasceni respondemus, eum vsum fuisse eo exemplo nutritionis, non vt in omnibus similitudinem ostenderet, sed vt aliqualiter explicaret, non esse Deo impossibilem conuersionem Eucharisticam ex eo, quòd homini sit possibilis conuersio quæ in nutritione fit.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm conuersio Eucharistica consistat formaliter in productione modi accidentalis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus.

Paludan. PAludanus in 4. dist. 11. quæst. 3. art. 2. partem affirmatiuam videtur tueri, nempe, conuersionem seu transsubstantiationem Eucharisticam sitam esse formaliter in productione modi accidentalis præsentiæ, quo Corpus & Sanguis ponuntur & sunt sub speciebus panis & vini: quod nonnulli Scotistæ amplectuntur, existimantes esse sententiam Scoti. Et probari potest, quia ad veritatem verborum consecrationis sufficit, quòd Corpus & Sanguis Christi constituantur sub speciebus panis & vini: hoc autem sufficienter fit productione dicti modi; ergo non est necessarium aliud pro conuersione Eucharistica. Patet consequentia, quia conuersio Eucharistica tantùm assignatur & ponitur, vt verba consecrationis fiant vera.

Bellarmin. Vasquez. Ægidius. Adamus. Bellarminus verò 3. de Eucharistia c. 18. Vasquez disp. 181. c. 2. Ægidius quæst. 75. art. 4. Adamus q. 4. dub. 5. & communiter Theologi partem negatiuam tradunt, & meritò: Primò ratione generali, quia conuersio non consistit in productione, sed tantùm in desitione rei quæ conuertitur, connotata etiam re in quam fit conuersio, vt dicemus Diffic. IX. quia rem conuerti in aliam, nihil aliud est, quàm in eam aliam desinere seu transire. Secundò speciali ratione, quia aliàs conuersio Eucharistica non esset substantialis, seu non esset transsubstantiatio, non solùm vt est productio, quia per eam non produceretur substantia, neque modus substantialis, sed tantùm accidentalis modus præsentiæ; sed neque vt est conuersio, quia non esset transitus substantiæ in substantiam absolutè, & absque addito, sed esset transitus substantiæ in modum accidentalem, seu in substantiam sub tali modo accidentali, cùm esset transitus substantiæ panis & vini in modum illum accidentalem præsentiæ, seu in Corpus & Sanguinem Christi, non absolutè, sed vt acquirentia modum illum, quod est contra Tridentinum sess. 13. cap. 4. vbi absolutè & absque addito dixit, dictam conuersionem fieri in Corpus & Sanguinem Christi, & conuenienter appellari transsubstantiationem; & contra Ecclesiam in Missa Corporis Christi, absolutè & absque addito dicentem:

Quod in Carnem transit panis,
Et vinum in Sanguinem.

Quòd si respondeas Primò, conuersionem hanc esse substantialem, & transsubstantiationem, non quatenus est productio, sed quatenus est conuersio; & hoc modo, non quia fit in substantiam tamquam in terminum ad quem, sed tantùm quia est à substantia tamquam à termino à quo, & hoc sufficere vt sit substantialis, quia solus terminus à quo est qui conuertitur & transsubstantiatur. Contra hanc responsionem est, quòd transsubstantiatio non tantùm est & dicitur transsubstantiatio, quia fit transitus substantiæ, sed etiam quia est in substantiam, aliàs conuersio substantiæ in solam quantitatem esset transsubstantiatio, quod est falsum: & id denotatur particula illa *trans*, quia eâ denotatur transitus ab vno in aliud eiusdem rationis, vt patet in transformatione, quæ ideò dicitur transformatio, quia est transitus ab vna forma in alteram, & ob id Tridentinum capite illo 4. postquam dixit, in Eucharistia fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, subdit, *Quæ conuenienter & propriè transsubstantiatio est appellata.* quasi dicat, ideò conuenienter appellatam esse transsubstantiationem, quia est conuersio substantiæ in substantiam. Vnde quamuis solus terminus à quo dicatur conuerti & transsubstantiari, quia conuersio & transsubstantiatio consistit in transitu & desitione vnius in aliud, & solus terminus à quo sit qui transit & definit esse in aliud, nihilominùs conuersio dicitur substantialis, & transsubstantiatio ex termino à quo, & ex termino ad quem, ob rationem dictam.

Quòd si secundò respondeas, conuersionem hanc dici posse substantialem, & transsubstantiationem, quia etiam aliquo modo terminatur ad substantiam, nempe Corporis & Sanguinis Christi. Contra hanc responsionem est, quòd substantia Corporis & Sanguinis potiùs est subiectum dictæ conuersionis, quia est subiectum productionis dicti modi, & ipsius modi, quàm terminus illius, quia neque est terminus totalis illius, quia totum resultans ex ea actione, quod est terminus totalis, est aggregatum coalescens ex substantia illa Christi: & ex modo illo neque est terminus partialis formalis, quia terminus formalis actionis: vel est forma termini totalis, quamuis per actionem ipsam non producatur; vel est entitas illa partialis, quæ actione ipsa producitur: substantia autem Corporis & Sanguinis Christi neque est forma dicti aggregati, neque actione illa producitur, & ad summum est terminus partialis, quia est materia termini totalis, seu pars materialis illius; terminus autem materialis, qui in ratione termini non venit Philosophis in consideratione, non sufficit denominare actionem. & quamuis dictam

ctam conuersionem denominaret substantialem; eam non denominaret substantialem absolutè & absque addito, quia non esset in substantiam absolutè & absque addito, sed in substantiam, vt acquirentem dictum modū accidentalem præsentiæ.

Ad rationem verò pro Paludano negamus, ad veritatem verborum consecrationis sufficere formaliter productionem dicti modi accidentalis, quia cum ea productione stare potest præsentia panis & vini, & hac stante nequeunt verba illa esse vera.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm conuersio Eucharistica consistat formaliter in productione modi substantialis, quo Corpus & Sanguis Christi constituuntur substantialiter sub speciebus panis & vini.

Valentia. Ochagan. VAlentia disp. 6. q. 3 punct. 3. Ochagauia tractatu 10. q. 14. & plures recentiores partem affirmatiuam tuentur, tum quia eo ipso dicta productio est conuersio substantiæ panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, quia ex vi illius modi substantialis, quo Corpus & Sanguis Christi constituuntur substantialiter sub speciebus panis & vini, desinunt esse substantia panis & substantia vini sub illis speciebus, ac proinde desinunt esse absolutè, seu destruuntur, quia nequeunt absque speciebus illis naturaliter conseruari; & consequenter substantia panis & substantia vini non desinunt in purum nihil, sed in Corpus & in Sanguinem Christi, & in hæc cõuertuntur: tum etiam, quia eo ipso hæc conuersio est substantialis, sicut actio Incarnationis est substantialis, quamuis per ipsam non producatur Verbum, neque humanitas, ex eo solū quòd per eam producitur substantialis modus vnionis humanitatis ad Verbum.

Vasquez. Suarez. Adamus. Vasquez verò disp. 181. cap. 3. Suarez disp. 50. sect. 4. Adamus q. 4. dub. 5. & plures alij partem negatiuam tradunt, & meritò; quia nullus modus excogitari potest de nouo productus in Corpore & in Sanguine Christi, qui sit substãtialis. Primò, quia nullus modus potest esse substantialis, qui non sit de integritate substantiæ; quia qui est extra integritatem substantiæ, est accidẽs; modus autem quo Corpus & Sãguinis Christi sunt sub speciebus, est extra integritatem substantiæ illorum, quia in cælo sunt absq; illo substantialiter integra, quia absque illo habent modum vnionis materiæ & formæ ex quibus constat, & modum vnionis cum subsistentia Verbi, quibus modis sunt substantialiter integra. Secundò, quia modus ab aduersarijs assignatus, vel est vnionis Corporis & Sanguinis cum accidentibus prædicamentalibus panis & vini, vel est modus existendi sub illis: nullo autem fundamento affirmari potest, modum vnionis cum accidentibus prædicamentalibus, neque modum existendi sub illis esse substantialem.

Et quamuis admittamus, in Eucharistia produci dictum modum substantialem, nequit conuersio Eucharistica in productione illius modi formaliter consistere. Primò, quia generaliter omnis conuersio formaliter consistit in desitione rei quæ conuertitur. Secundò, quia conuersio Eucharistica non esset in Corpus & Sanguinẽ Christi saltem absolutè, sed ad summum in Corpus & in Sanguinem Christi vt acquirentia modum illum. Ad fundamentum ergo aduersariorũ constat, dictum modum substantialem non esse possibilem; & quãuis esset possibilis, non posse in productione illius conuersionem Eucharisticam consistere.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm conuersio Eucharistica consistat formaliter in productione Corporis & Sanguinis Christi.

OMittimus eos, qui dicunt, conuersionẽ Eucharisticam sitam esse in actione immediatè terminata, v. g. ad Corpus Christi, panem in illud conuertendo, & nihil per eam producendo: quia isti absque fundamento aliquo id dicunt, imò contra rationem Philosophicam, secundùm quam omnis vera & realis actio necessario est fieri alicuius termini, siue noui, qua nouiter producatur, siue antiqui, qua terminus anteà productus conseruetur, quia agere concipi nequit absque fieri.

Inter eos ergo qui supponunt, omnem actionem realem esse productionẽ alicuius termini, Gabriel in 4. d. 11. q. 1. ar. 3. du. 2. & lect. 40. in can. Suarez disp. 50. sect. 4. Ægidius q. 74. art. 4. du. 5. Adamus q. 4. dub. 5. & plures recentiores in præsenti difficultate partem affirmatiuam tuentur, nempe conuersionem Eucharisticã sitam esse in actione, quæ sit productio Corporis & Sanguinis Christi, non de nouo, sed quæ sit conseruatio Corporis & Sanguinis Christi in suo esse substãtiali, siue indistincta ab ea qua in cælo cõseruatur, continuata tamen ex vi verborum consecrationis, vt indicat Gabriel, siue noua & distincta qua nouiter conseruetur, vt docent Suarez & Ægidius, quod indicare videntur Cyprianus Ep. 63. Ambrosius 4. de Sacram. c. 4. Damascenus 4. de Fide ca. 14. & Bessarion lib. de Verbis consecrationis, dum dicunt, in Eucharistia Corpus Christi creari, & ex pane fieri, & panem & vinum fieri Corpus & Sanguinẽ Christi. *Gabriel. Suarez. Ægidius. Adamus.*

Et ratione probatur: quia vt conuersio Eucharistica sit substantialis, necessaria est aliqua productio substantialis; hæc autem esse non potest alicuius modi substantialis, vt vidimus, & quamuis posset esse, nõ sufficeret, vt esset in Corpus & Sanguinem Christi absolutè & sine addito; ergo necessaria est productio ipsius substantiæ Corporis & Sanguinis Christi, hæc autem nequit esse prima productio eorum, quia ante conuersionem supponuntur producta, ergo est conseruatio illorum.

Bellarminus verò 3. de Eucharistia c. 18. Valentia pun. 3. Vasquez d. 181. Turrecremata opus. 14. disp. 1. du. 5. Ochagauia q. 14. & Bonacina d. 4. q. 3. pun. 6. partem negatiuam tradunt, nempe conuersionem Eucharisticã non esse actionem conseruatiuam Corporis & Sanguinis Christi, & meritò: Primò, quia generaliter nulla cõuersio consistit in productione, sed in desitione rei quæ conuertitur, connotato tamen per se termino positiuo in quem desinit & conuertitur, quia rem in aliam conuerti, est in illam desinere. Verum est, rem connotatã per se pertinere ad cõuersionem tamquam terminum secundarium in quem fit; imò etiam aliquo modo eadem proportione actionem, per quam res connotata producitur aut inducitur, pertinere per se, quamuis tantùm secundariò, tunc videlicet quando res, quæ conuertitur, desinit esse ex vi productionis aut inductionis rei in quam fit conuersio. *Bellarmin. Valentia. Vasquez. Turrecrem. Bonacina.*

Addimus, non solùm in dicta conseruatione non consistere formaliter conuersionem Eucharisticam ob rationem dictam, sed neque posse pertinere per se adhuc secundariò ad eam conuersionem, eo modo quo productio aut inductio formæ pertinent per se ad conuersionẽ formæ, quæ desinit & conuertitur in illam, quæ producitur, aut inducitur, quia illa tantùm actio, quæ est causa desitionis rei, & est connexa cum desitione, ipsa potest per se pertinere ad conuersionẽ illius, aliàs nulla esset ratio, ob quam id quod desinit, diceretur conuerti in id quod producitur & inducitur; sed conseruatio Corporis & Sanguinis Christi secundùm se, seu in suo esse substantiali, non est causa desitionis panis, neque connexa cum ipsa, sed ipsam desitionem omnino per accidens comitatur, quia substantia ipsa Corporis & Sanguinis Christi, quæ in suo esse ea actione producitur aut conseruatur, non pugnat substantialiter cum substantia panis & vini, quia non est causa desitionis eorum.

Quòd si primò respondeas, conseruationem Corporis Christi non in suo esse substantiali, sed prout est sub speciebus, esse causam desitionis panis, & connexam cum ipsa, quia Corpus Christi, prout est sub speciebus, est incõpossibile cum substantia panis sub illis absq; quibus substantia ipsa nequit cõseruari, & non desinere esse. Contra hanc responsionem est, quòd conseruatio, qua Corpus Christi conseruatur sub speciebus, quamuis admittatur esse distinctam ab ea qua ante consecrationem conseruatur in cælo, nequit esse vna tantùm productio tendens in Corpus Christi, & altera in modum illum nullã habentes connexionem, sicut neque ipsarum termini; ergo quamuis productio istius modi esset causa desitionis panis, & connexa cum ipsa, non tamen conseruatio Corporis Christi, quia Corpus ipsum secundùm se non est incompossibile in rerum natura cum substantia panis. Quòd verò conseruatio Corporis Christi sit distincta à productione illius modi, & nullam habens connexionem cum ea, ex eo patet, quòd Corpus Christi, & modus ille sunt entitates distinctæ, & nullam habentes connexionem.

Et quamuis admittatur, quòd vna & eadem actio sit conseruatio Corporis Christi secundùm se, & simul productio illius modi, nihilominùs actio hæc ratione sui non esset causa desitionis panis, quia Corpus Christi, prout sub speciebus panis, non est incompossibile cum substantia panis sub eisdem speciebus, quia Corpus Christi non est sub illis tamquam subiectũ in quo ipsæ recipiantur, & à quo in genere causæ materialis sustententur, nec esse potest, vt dicemus Difficultate XI. qua ratione esset incompossibile cum substantia panis sub illis. Præter hunc autem modum nullus alius esse potest in Corpore Christi existendi sub illis, qui sit incompossibilis cum modo, quo substantia panis est vnita illis suis speciebus: quia in primis non est incõpossibilis modus aliquis simplex præsentiæ in Corpore Christi, quia istud potest esse Sacramentaliter præsens speciebus panis, & substantia panis potest simul perseuerare vnita illis, quamuis sic vnita sit illis præsens circumscriptiuè, quia modus vnius Sacramentaliter existendi alicubi non est incõpossibilis cum præsentia circumscriptiua alterius in eodem loco, vt dicemus Difficul. XI. Deinde nec modus aliquis sustentandi accidentia absque eorum receptione & sustentatione materiali potest esse in Corpore Christi, qui sit incompossibilis cum illo modo, quo substantia panis est vnita suis accidentibus: quia in primis modus iste sic sustentandi accidentia nequit esse in Corpore Christi, vel potiùs nequit ab eo prouenire, quia intelligi nequit, Corpus Christi accidentia illa sustentare absque ipsorũ receptione & sustentatione in genere causæ materialis, nisi in genere causæ efficientis. In Corpore autem Christi esse nequit, vel potiùs actio & sustentatio efficienter prouenire, quia non vt à causa principali, vt patet; neque vt ab instrumento physico Dei, quia nequit assumi ad id vt instrumentum à Deo pro sola voluntate Dei, iuxta generalem doctrinam quam tradidimus Tractatu de Incarnatione Disp. IX. Difficul. IV. & de Sacramentis in genere, Disp. III. Diffic. II. quia ad id nullam habet virtutem innatam, neque naturalem, neque obedientialem; quia in Corpore Christi nulla apparet proportio, nullumque vestigium talis virtutis innatæ. Et quamuis dicta sustentatio prouenire posset à Corpore Christi efficienter, nihilominùs Corpus Christi sic sustentans accidentia, efficienter absque ipsorum receptione non est incõpossibile, & pugnans cum substantia panis, vt vnita suis accidentibus; quia Corpus Christi posset efficienter sustentare seu conseruare accidentia panis, non minùs vnita ipsi substantiæ panis, quàm separata ab ipsa; quia non minùs posset conseruare illa vnita ipsi substantiæ dependenter ab ipsa tamquam à subiecto, quàm separata independenter ab illa: imò posset conseruare accidentia illa adhuc vnita ipsi substantiæ tamquam subiecto independenter ab ipsa tamquam à subiecto, seu in genere causæ materialis, sicut anima rationalis vnita materiæ tamquam subiecto, conseruatur à Deo independenter ab ipsa materia tamquã à subiecto, seu in genere causæ materialis, & sicut à Deo potest cõseruari accidens vnitum subiecto independenter ab ipso subiecto actione non eductiua: ergo Corpus Christi efficienter sustentans accidentia panis, non esset incompossibile cum substantia panis sub illis: neque modus alius vnionis Corporis Christi cum accidentibus panis, qui non sit receptio ipsorũ, & sustentatio materialis (quamuis sit possibilis) est incompossibilis cum substantia panis sub illis, quia nulla vnio Corporis cum accidentibus panis absque ipsorum receptione & sustentatione in genere causæ materialis apparet incõpossibilis cum vnione substãtiæ panis cum eisdem, ea ipsa recipientis. Præter dictos autẽ modos nullus alius potest fundamento aliquo verisimili assignari, saltem ratione cuius Christus nequeat esse sub speciebus panis, perseuerante substantia panis sub illis, de quo latiùs Difficultate XI.

Quòd si secundò respondeas, Quamuis substantia Corporis Christi secundùm se, seu in suo esse substantiali, non sit incompossibilis cum substantia panis sub accidentibus, sit tamen incompossibilis, quasi moraliter ratione significationis, & veritatis verborum, quia Corpus Christi nequit sub accidentibus panis verè demonstrari, nisi substantia panis verè ab illis separetur, ac proinde nisi corrumpatur, quia ab eis separata nequit naturaliter & sine nouo miraculo conseruari. Contra hanc responsionem est, quòd ex ipsa constat, conseruationem Corporis Christi in suo esse omnino per accidens se habere ad desitionem panis, & cum

eum ipsa non esse connexam, quia substantia Corporis Christi secundùm se, qua ratione est terminus conseruationis ipsius, quamuis factæ ex vi verborum, non est incompossibilis, & pugnans cum substantia panis, sed tantùm Corpus Christi prout significatum & demonstratum verbis consecrationis, secluſa conseruatione ipsius: quia quamuis per impossibile à nullo conseruaretur, quia aliàs ex se ipso existeret absque actione conseruationis, nihilominùs ex modo quo illud demonstramus sub speciebus panis, destruitur substantia panis; ergo conseruatio illa, quamuis admittatur fieri ex vi verborum, est impertinens ad conuersionem hanc. Addimus contra eamdem responsionem, Corpus Christi neque produci, neque conseruari ex vi verborum consecrationis, quia verba hæc itaad sui veritatem præsupponunt & prærequirunt conseruationẽ Corporis Christi, vt si nunc annihilaretur, quamuis verba consecrationis proferuntur à Sacerdote, non poneretur Corpus Christi sub illis, neque verba fierent vera, quia Christus verbis consecrationis tantùm contulit vim ponendi Corpus ipsius Christi sub speciebus, suppositapermanentia seu conseruatione illius, ac proinde si conseruatio Corporis per se pertineret ad conuersionem, ex vi verborum non fieret conuersio, quia ex vi eorum non fieret conseruatio, quæ ad illam per se pertineret.

Quòd si tertiò respondeas, ad rationem conuersionis non requiri, quòd productio vnius termini, & desitio alterius, inter quos est conuersio, connectantur ob incompossibilitatem immediatam ipsorum terminorum inter se, sed sufficere quòd connectantur ob remotam & mediatam incompossibilitatem terminorum inter se, vt quando desitio vnius termini connectitur cum actione præuia, & prærequisita ad productionem alterius termini in quem fit conuersio, & quia substantia panis definit esse ex eo quòd ab ipsa separentur propria accidentia, & constituantur per se existentia, & separatio hæc est prærequisita ad cõseruationem Corporis Christi sub illis: ideò conseruatio Corporis sub ipsis pertinet per se ad conuersionem, aut in ea formaliter consistit. Sed contra hanc responsionem est Primò, quòd substantia panis non definit esse, quia accidentia ipsius ab ipsa separentur, sed potiùs est contrà, ideò accidentia separantur, quia substãtia definit esse, vt posteà expendimus. Secundò, quia conseruatio Corporis Christi sub speciebus panis non prærequirit separationem earum à substantia panis; quia, vt iam diximus, compati potest sub illis simul cum substantia panis. Tertiò, quia si substantia panis definit esse, quia ipsius accidentia ab ipsa separentur, & per se existentia constituantur, potiùs substantia panis conuertetur in accidentia illa per se existentia, quàm in Corpus Christi.

Quòd si quartò respondeas, ad rationem conuersionis non esse necessariam connexionem inter productionem alterius termini in quem fit conuersio, & inter desitionem termini qui conuertitur, sed sufficere connexionem earum, vel in agente, quia idem sit agens, quod producit vnum & corrumpit alterum; vel in voluntate & intentione agentis, quia non corrumperet vnum, nisi produceret alterum. Contra hanc responsionem est, quòd sicut non sufficit, quòd vnum & idem agens producat vnam formam, & corrumpat alteram, vel quòd non corrumperet vnam, nisi produceret alteram, vt verè dicatur, quòd generatio vnius est causaliter corruptio alterius, nisi aliàs formæ aliquam inter se habeant incompossibilitatem, ita etiam non sufficiet connexio in agente, neque in intentione illius, inter productionem vnius, & desitionem alterius, nisi aliàs inter se connexæ sint ob aliquam incompossibilitatem inter rem productam & rem desinentem, vt vnus terminus dicatur fieri ex altero, vel alter in eum conuerti.

Deinde secundò pars nostra negatiua probatur, & affirmatiua aduersariorum reijcitur, quia verba consecrationis sunt causæ & instrumenta conuersionis Eucharistiæ, quia ad eam efficiendam sunt instituta à Christo; sed non sunt causæ & instrumenta conseruationis Corporis Christi, ergo conuersio Eucharistica non consistit in conseruatione Corporis Christi. Consequentia patet. Minor autem probatur, quia verba consecrationis non sunt causa physica ad id, vt iam diximus; neque sunt causa moralis mouendo, seu excitando diuinam voluntatem ad conseruandum Corpus Christi, quia Deus aliàs est motus, & conseruaret Corpus Christi, quamuis verba illa non proferentur.

Quòd si respondeas, quòd quamuis verba consecrationis non moueant diuinam voluntatem ad antiquam conseruationem, qua Deus extra Eucharistiam conseruat Corpus Christi; quia adhuc verbis illis non prolatis illud conseruaret, mouent tamen diuinam voluntatem ad nouam conseruationem illius sub speciebus Sacramentalibus. Contra hanc responsionem est, quòd Corpus Christi vna tantùm conseruatione totali, qua sufficienter in suo esse conseruatur à Deo extra Eucharistiam, etiam in Eucharistia conseruatur; quia idem esse Corporis Christi, & substantiale inuariatùm perseuerat in Eucharistia, ac erat extra illam, quamuis in Eucharistia illi addatur modus quidam accidentalis existendi sub accidentibus; idem autem omnino esse substantiale nequit simul pluribus conseruationibus totalibus, & sufficientibus conseruari, sicut neque simul à pluribus causis totalibus pendere (vt diximus Tract. de Incarnat. Disp. III. Diffic. v.) ob eamdem omnino rationem, quia scilicet rem conseruari ab agente, est ab agente dependere, & eo indigere: ergo cùm vna totali & sufficienti conseruatione extinguatur dicta indigentia rei, non poterit alia conseruatione simul conseruari, quia in ea re non supereſt indigentia alia, ratione cuius indigeat alia conseruatione, & ratione cuius ab agente dependet.

Ad testimonia verò Patrum ab aduersarijs adducta respondemus, eos tantùm velle Corpus Christi ex vi consecrationis constitui sub speciebus panis, substantia ipsa panis destructa, & in illud conuersa: & ad rationem negamus, ad conuersionem substantialem esse necessariam productionem substantialem, sed sufficere desitionem, seu transitum vnius substantiæ in aliam anteà productam, vt dicemus Difficultate IX.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm conuersio Eucharistica consistat in eo, quòd id, quod erat panis, fiat Corpus Christi.

CAietanus q. 75. art. 4. partem affirmatiuam tuetur, nempe, conuersionem Eucharisticam consistere in eo, quòd id quod erat panis, incipiat esse Corpus Christi.

Caietanus. Doctrina hæc adeò obscurè traditur à Caietano, vt nonnulli ei attribuant dixisse, conuersionem hanc in eo consistere, vt per ipsam eadem numero entitas, quæ erat substantia panis, sit Corpus Christi post consecrationem: alij verò Caietano attribuunt dixisse, conuersionem Eucharisticam in eo consistere, vt per ipsam eadem entitas manens in specie infima panis fiat Corpus Christi. Neutrum tamen horum somniauit Caietanus, vt aduertit Vasquez disp. 181. c. 3. & attentè legenti Caietanum §. *Pro solutione*, constabit: quia Caietanus ita dixit per transsubstantiationem fieri, vt id quod erat panis incipiat esse Corpus Christi, vt asserat terminum à quo transsubstantiationis esse id quod erat panis secundùm rationem panis, & terminum ad quem esse, id, quod erat panis, incipere esse Corpus Christi, ita vt terminus ad quem non sit Corpus Christi secundùm se & absolutè, sed totum hoc, nempe *Corpus Christi esse id quod erat panis*, quod supra Corpus Christi secundùm se tantùm addit denominationem quamdam extrinsecam.

Vasquez. Turrianus. Vasquez verò vbi suprà, Turrianus dub. 7. & alij partem negatiuam meritò tradunt, & affirmatiuam Caietani meritò reijciunt, non solùm vt ipsi falsò attribuitur, sed etiam vt à nobis explicatur.

Et in primis dicta doctrina, vt Caietano attribuitur, nempe eamdem entitatem, quæ erat panis, esse post consecrationem Corpus Christi, quo supponitur post consecrationem manere entitatem, quæ erat substantia panis, præterquam quòd est contra Tridentinum sess. 13. can. 2. dum ait, fieri conuersionem totius substantię panis, manentibus dumtaxat accidentibus, etiam est contra rationem; quia impossibile est, eamdem entitatem destrui vt terminum à quo, & manere vt terminum ad quem, non solùm secundùm rationem singularem, vt patet, sed neque secundùm rationem communem in ea entitate inuentam, quia re aliqua destructa, necesse est omnem gradum, & omnem rationem in ea repertam destrui, quia nullus gradus, nullaque ratio eiusdem entitatis re ipsa distinguitur ab alio gradu, & ab alia ratione.

Deinde dicta doctrina Caietani, vt à nobis explicatur, etiam est falsa, quia vt explicatur à nobis pro termino ad quem transsubstantiationis, non assignat Corpus Christi secundùm se & absolutè, sed Corpus Christi esse id quod erat panis, quod supra Corpus Christi secundùm se, addit denominationem quamdam extrinsecam, quod esse falsum, ostendimus Difficultate v.

DIFFICVLTAS IX.

In quo ergo consistat conuersio Eucharistica formaliter.

COncludimus ergo, conuersionem, seu transsubstantiationem Eucharisticã (id est naturam & essentiam ipsius) sitam esse formaliter in sola desitione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, seu quod idem est, in sola desitione panis & vini, vt relata ad Corpus & Sanguinem Christi. Ita Vasquez disp. 181. cap. 11. & 12. & Turrianus dub. 8. & tradidisse videntur S. Thomas quæst. 75. 2. Tom. art. 4. & Scotus in 4. dist. 11. q. 1. §. *Quantum ad tertium.*

Pro huius autem maiori intelligentia obseruandum est Primò, ad rationem conuersionis tria esse necessaria: Primum est, quòd extrema illius sint positiua, quia carentia nõ dicitur in rem positiuam conuerti, neque econtrà res positiua in carentiam. Secundum est, quòd res, quæ conuertitur, desinat esse, quia quod in suo esse permanet, non dicitur in aliud conuerti; & in his duobus Theologi omnes conueniunt. Tertium ad conuersionem necessarium est, quòd res, quæ conuertitur, desinat esse ex vi illius rei in quam conuertitur, ad quod necessaria est incompossibilitas & pugna inter eas res, ita vt res, in quam fit conuersio, sit quasi formaliter expellens & destruens rem quæ desinit esse & conuertitur; aliàs nulla esset ratio, ob quam res quæ desinit esse, diceretur conuerti in illam aliam, & in eam transire, quia ad id non sufficit quòd vnum desinat alio incipiente: ex eo enim, quòd vnus Angelus annihilaretur à Deo in eo instanti, in quo crearet alterum, non diceretur in hunc alterum ille conuerti. Ita tamen necessaria est pugna seu incompossibilitas inter ea, quorũ vnum in aliud conuertitur, & cõsequenter connexio inter desitionem illius quod conuertitur, & inter illud in quod fit conuersio, vt non sit necessaria pugna & connexio physica & ex natura rei, qualis est in conuersione formali seu formarum, sed sufficit pugna & connexio quasi moralis, & ex modo operandi, ita vt si conuersio fiat media significatione & demonstratione verborum, ad eam sufficiat pugna & connexio proueniens termino à quo, & termino ad quem cõuersionis ex significatione, quia pugna hæc & connexio sufficit, vt vnus terminus dicatur destrui ex vi alterius, prout significati & demonstrati, & relati ad veritatem, quam ea significatio & demonstratio exigit.

Secundò obseruandum est, ex vi significationis verborum consecrationis Corpus & Sanguinem Christi fieri præsentia accidentibus, seu speciebus panis & vini, & sub illis cõstitui, & etiam desinere esse substantiam panis & vini, quia aliter verba consecrationis nequeunt verificari, ac proinde de facto in consecratione reperiri duplicem mutationem, vel quasi mutationem, nempe productionem præsentiæ, aut modi quo Corpus & Sanguis Christi fiunt præsentia sub speciebus, aut ipsis vniuntur, & est vera mutatio: & desitionem substantiæ panis & vini, quæ est quasi mutatio, & non rigorosa ex defectu subiecti, quòd transeat ab vno termino in alterum.

Tertiò obseruandum est, hanc duplicem mutationem, vel quasi mutationem, v. g. positionem Corporis Christi sub speciebus panis, & desitionem substantiæ panis, potuisse fieri à Christo, & à Sacerdotibus ex Christi institutione, alijs verbis, nempe, *Sit hic Corpus meum, & non sit substantia panis.* tunc tamen, quamuis fierent duæ istæ mutationes, quæ modò fiunt propositione illa categorica, *Hoc est Corpus meum*, non tamen fieri eodem modo, quia tunc Christus, vel Sacerdos non excluderet

cluderet substantiam panis demonstrando Corpus Christi sub speciebus, & illud sub eis statuendo, quia ex vna parte substantia Corporis Christi, & substantia panis non sunt incompossibiles ex natura rei sub eisdem accidentibus, vt suprà diximus, & ex altera parte verba illa consecrationis demonstrantia, aut significatio verborum consecrationis demonstrantium Corpus Christi sub speciebus panis, ad sui veritatem non exigit desitionem substantiæ panis. Verba verò, quibus modò fit cõsecratio, & fiunt duæ dictæ mutationes, nempe *Hoc est Corpus meum*, ita demonstrant Corpus Christi sub speciebus panis, vt ad sui veritatẽ exigant desitionem substantiæ panis, quia substantia Corporis Christi non potest dicta propositione categorica demonstrari sub illis speciebus, si sub illis perseueret substantia panis, vt diximus Diffic. 11. vnde desitio substantiæ panis fit ad exigentiam Corporis Christi, prout istis verbis demonstrati; quia Corpus Christi, prout eis verbis sub speciebus panis demonstratum, est incompossibile cum substantia panis sub illis. & ita Sacerdos, statuendo verbis istis Corpus Christi sub speciebus panis, dicitur destruere substantiam panis.

Ex dictis facilè ostendi potest, in consecratione, v.g. Corporis Christi, veram & propriam conuersionem panis in Corpus Christi reperiri: quia sicut in naturalibus eo ipso, quòd forma corrumpitur ad productionem vel introductionem alterius, dicitur conuerti in eam, ex vi cuius productionis vel introductionis corrumpitur, eodem modo in consecratione Corporis Christi panis dicitur conuerti in Corpus Christi, quia destructio panis fit à Deo ex vi Corporis, prout demonstrati sub speciebus panis, seu ad exigentiam Corporis, prout demonstrati sub illis, & non immediatè pro mera voluntate ipsius Dei, quia Corpus Christi (quamuis non ex natura rei, prout demonstratum tamen verbis consecrationis demonstratione relata ad veritatem, quam ea demonstratio ex institutione Christi exigit) est incompossibile cum substantia panis sub speciebus ipsius panis, ac proinde cum ipsa in suo esse substantiali, quia absque miraculo nequit à suis accidentibus separata conseruari, & ita Deus ad exigentiam Corporis Christi, prout dicto modo demonstrati, & sic quasi moraliter incompossibilis cum substantia panis, dicitur panem destruere, & consequenter eum in Corpus Christi conuertere.

Ad dictam tamen pugnam seu incompossibilitatem quasi moralem Corporis cum substantia panis requiritur in Corpore præsentia, aut modus existendi sub accidentibus panis, quia Corpus Christi non opponitur pani ex natura rei, sed tantùm prout demonstratum sub accidentibus panis. Ad hanc autem demonstrationem requiritur dicta præsentia, aut vnio Corporis sub accidentibus panis, siue nouiter acquisita ex vi verborum, siue antiqua anteà aliter à Deo facta non ex vi verborum consecrationis, quibus modò fit, quia hæc antiqua presentia, aut vnio etiam sufficit: quia quamuis Corpus Christi anteà simul cum substãtia panis esset præsens, aut vnitum sub accidentibus; eo ipso quòd verbis consecrationis demonstraretur, etiam fieret cõuersio panis in ipsum Corpus Christi, quia eo ipso, vt verba fierent vera, desineret substantia panis ad exigentiam Corporis Christi, prout demonstrati sub illis speciebus, vt verè demonstraretur. Est autem dicta præsentia aut vnio Corporis sub speciebus (siue noua siue antiqua) ad veritatem verborum requisita, non quia ipsa præsentia aut vnio secundùm se significetur vel demonstretur verbis consecrationis, quia non significatur neque demonstratur nisi Corpus Christi secundùm se, sed tantùm requiritur tamquam conditio, vt Corpus possit sub illis demonstrari; quia si Corpus non esset præsens aut vnitum sub illis, non posset sub eis demonstrari: vnde Corpus ipsum secundùm se, & in suo esse substantiali est terminus pugnans, in quem dicitur panis conuerti, absque eo quòd præsentia illa aut vnio intret rationem termini in quem fit conuersio.

His ergo suppositis, conclusio nostra probatur Primò, quia conuersio in nullo alio formaliter consistit, quàm in transitu vnius rei in aliam; sed sola desitio, v.g. panis in Corpus Christi, est transitus panis in illud, ergo conuersio panis in Corpus Christi consistit formaliter in sola desitione panis in Corpus Christi, seu in desitione panis vt relata ad Corpus Christi.

In hac autem desitione panis in Corpus Christi, in qua formaliter consistit conuersio panis in illud, primò reperitur desitio ipsa panis, quæ est ipse transitus; secundò reperitur non-esse panis, ad quod desitio ipsa immediatè tẽdit tamquam ad terminũ ad quem; tertiò reperitur Corpus Christi ad quod desitio illa panis tendit mediatè tamquam ad terminum ad quem impossibilem positiuè cum pane, qui est terminus à quo dictæ desitionis; & tandem quartò reperitur extrinseca denominatio, seu relatio, ratione cuius desitio panis dicitur desitio panis in Corpus Christi. Est autem denominatio hæc seu relatio quid rationis, vtpote proueniens, & conueniens desitioni panis ex pugna & oppositione quasi morali Corporis cum substantia panis sub accidentibus ipsius panis, proueniente Corpori & pani ex demonstratione Corporis sub accidentibus panis relata ad veritatem, quam verba consecrationis habere debent ob institutionem Christi.

Quando ergo dicimus, naturam & essentiam conuersionis panis in Corpus Christi consistere in sola desitione panis in Corpus Christi, seu in sola desitione panis prout relata ad Corpus Christi, ita intelligendum est, vt natura & essentia conuersionis coalescat ex desitione ipsa (quia absque hac nequit esse transitus, in quo essentia conuersionis consistit) & ex relatione ipsa, seu ex respectu & connotatione ad Corpus Christi, quia absque hac relatione & connotatione desitio panis non est desitio in Corpus Christi, neque transitus in illud, sed tantùm est desitio panis, ad eum modum quo productio termini ad quem non dicitur mutatio, nisi vt relata ad terminum à quo, & vt eum respiciens & connotans, quia aliter productio termini ad quem non est transitus subiecti ab vno termino in alterum, in quo essentia mutationis consistit, & ita natura mutationis coalescit ex productione termini producti, quem productio ipsa intrinsecè respicit, & ex connotatione & relatione extrinseca ad terminum à quo ipsi productioni extrinsecè superaddita.

Ex quo constat, conuersionem panis in Corpus Christi non tantùm terminari ad Corpus Christi, sed etiam ad non-esse panis, quia scilicet conuersio hæc coalescit ex desitione panis, quæ im-

mediatè & quasi intrinsecè & essentialiter respicit non-esse panis, & ex dicta connotatione seu relatione ad Corpus Christi superaddita desitioni panis, ratione cuius desitio panis, quæ intrinsecè fit in non-esse panis, etiam dicitur fieri in Corpus Christi: & quia desitio tendens ad non-esse panis, est prior, & supponitur ad relationem illam ad Corpus Christi, & hæc relatio præsupponit desitionem, & ipsi superadditur, ideò conuersio primariò terminatur ad non-esse panis, & secundariò ad Corpus Christi, quamuis etiam per se, & quasi essentialiter. Imò non solùm conuersio, sed etiam desitio ipsa non tantùm primariò & intrinsecè terminatur ad non-esse panis, sed etiam secundariò ad Corpus Christi, quamuis solùm extrinsecè ratione dictæ relationis ipsi desitioni superadditæ & extrinsecæ. Nihilominùs tamen conuersio Eucharistica simpliciter & absolutè dicitur fieri in Corpus Christi, & ad illud terminari, nõ verò ad non-esse panis, tum quia dicta relatio ad Corpus Christi est quasi forma, & ratio formalis conuersionis vltimò cõplens & perficiens conuersionem, quia ante relationem desitio panis in suo respectu intrinseco, & in sua relatione intrinseca ad non-esse panis sistens, nondum est neque dicitur conuersio, quamuis sit pars essentialis, quasi materialis illius; tum etiam, quia desitio ipsa & relatio ipsi superaddita & superueniens, ex quibus tota essentia conuersionis completur, respiciunt Corpus Christi, quia dicta relatio est formaliter respectus ad Corpus Christi, & desitio ipsa illud respicit, quamuis secundariò, & quasi extrinsecè ratione dictę relationis ipsi superadditæ, & ipsi conuenientis, ex eo quòd desitio fiat ex vi Corporis Christi, prout demonstrati sub speciebus panis. Et quamuis positio Corporis Christi sub speciebus, quæ de facto reperitur (quia ante consecrationem non supponitur præsens sub illis, nec eis vnitum, vt verè posset) sit prior desitione panis, quia panis definit ex vi Corporis prout sub speciebus demonstrati, ad quod de facto requiritur positio Corporis sub illis, quia hæc duo efficiuntur media significatione verborum, quibus primariò & expresse significatur & demõstratur Corpus Christi sub speciebus, & desitio, substantiæ panis non nisi implicitè ex eo solùm, quòd est necessaria ad veritatẽ verborum; nihilominùs dicta positio Corporis Christi non intrat conuersionem ipsam dictis verbis factam, sed tantùm intrant dicta desitio & dicta relatio extrinseca, quia rem conuerti in aliam, directè loquendo tantùm est in eam desinere & transire, in quo non includitur dicta positio (imò neque per se ad illam pertinet, quamuis per accidens de facto requiratur tamquã conditio) sed tantùm dicta desitio & dicta relatio desitionis ad Corpus Christi.

Deinde conclusio nostra (nempe, conuersionem Eucharisticam, v. g. panis in Corpus Christi, sufficienter consistere in desitione panis in Corpus Christi, seu prout relata ad Corpus Christi) probatur, quia ad veritatem verborum consecrationis sufficit desitio panis facta in Corpus Christi: ergo id sufficit ad conuersionem seu transsubstantiationem Eucharisticam, & non est aliud assignandum. Consequentia patet, quia Ecclesia & Tridentinum ex nullo alio, quàm ex veritate verborum consecrationis, conuersionem Eucharisticam deduxerunt.

Quòd si respondeas Primò, Ecclesiam & Tridentinum non deduxisse conuersionem Eucharisticam ex sola veritate verborum consecrationis, sed tamquam notum supposuisse, in Eucharistia fieri conuersionem, quæ sit magis conformis naturis rerum, dum non sit contra veritatem verborum: modus autem conuersionis magis conformis naturis rerum est, vt fiat per conseruationem Corporis Christi sub speciebus. Sed contra hanc responsionem est primò, quòd sit apertè contra Tridentinum, dum ait, Ecclesiam sibi semper persuasum habuisse, in Eucharistia fieri conuersionem totius substantiæ panis in Corpus Christi, quia Christus verè dixit, Corpus suum esse quod sub speciebus panis offerebat: ergo ex sola veritate, & non aliunde, Ecclesia & Tridentinum dictam conuersionem deduxerunt. Secundò contra eamdem responsionem est, quòd modus conuersionis à nobis assignatus, præterquam quòd est sufficiens ad veritatem verborum, etiam est magis facilis & connaturalis, quàm alij, quia pauciora inuoluit miracula: imò soli conuersioni à nobis assignatæ conuenit vera ratio conuersionis quæ sita est in desitione vnius in aliud, non verò eis actionibus, neq; alijs rebus quæ assignantur ab alijs Doctoribus.

Quòd si secundò respondeas, Ecclesiam & Tridentinum ex veritate verborũ non collegisse conuersionem substantialem, sed conuersionem substantiæ in substantiam, & ita eam appellasse transsubstantiationem, & non conuersionem substantialem, & ad hanc, quæ necessariò concedenda & admittenda est in Ecclesia, & non fuit deducta ab Ecclesia neque à Tridentino, necessariam esse productionem substantialem. Contra hanc responsionem est Primò, quòd ad mysterium Eucharistiæ sufficit, fateri & admittere conuersionem substantiæ in substantiam, quæ dicatur transsubstantiatio, & Ecclesia nullum alium modum conuersionis docuit, neque agnouit. Secundò, quòd conuersio substantiæ in substantiam, consistens in desitione vnius in aliam (qualem diximus esse conuersionem Eucharisticam) debet substantialis appellari, quia terminus à quo, & terminus ad quem, illius sunt termini substantiales, & absque dubio appellata est substantialis à Tridentino, dum ab ipso appellata est transsubstantiatio, quia id nomine transsubstantiationis appellatur.

Quòd si tertiò respondeas, Ecclesiam & Tridentinum collegisse transsubstantiationẽ Eucharisticam ex veritate verborum, sed non ex veritate speculatiua, quia verba hæc possent esse speculatiuè vera, absque eo quòd fierent aut facta fuissent conuersio, vt contingeret si Deus ante prolationem verborum posuisset Corpus Christi sub speciebus panis, & destruxisset substantiam panis, vel eam ab illis speciebus separasset, sed ex veritate practica, qua verba efficiunt quod significant; ergo vi verborum consecrationis Corpus Christi, quod illis significatur, reipsa producitur: ergo in ipsius productione consistit dicta conuersio, quia hæc ex veritate practica verborũ deducitur. Contra hanc responsionem est, quòd quamuis conuersio Eucharistica non deduceretur ex veritate speculatiua verborum, sed tantùm ex practica & factiua, sed non deduceretur ex veritate factiua quorumcumque, sed tantùm eorum, quæ, præsuppositis antiqua productione Corporis Christi, necessaria sunt ad eorum veritatem. Hæc autem necessaria tantùm sunt, desitio substantiæ panis, & positio Corporis

ris Christi sub speciebus panis; præsertim quòd falsum est, Ecclesiam & Tridentinum non deduxisse conuersionem Eucharisticam ex veritate speculatiua: quia hæc tantùm est propriè & absolutè veritas; & quæ in responsione dicitur veritas practica, non tam est veritas, quàm significatio. Deducitur autem conuersio Eucharistica ex dicta veritate speculatiua, quamuis aliàs absq; conuersione potuerint verba esse speculatiuè vera, quia Ecclesia & Tridentinum vt notum supponunt, ante prolationem verborum non fuisse facta duo illa miracula, positionem videlicet Corporis Christi sub speciebus panis, & destructionem substantiæ panis, sed potiùs fieri vi significationis verborum. Deducitur autem conuersio Eucharistica ex veritate speculatiua à posteriori, & ex significatione à priori, quia significatio est prior, & causa conuersionis & veritas est posterior, & quasi effectus conuersionis.

Quòd si Quartò respondeas, ex veritate verborum consecrationis colligi positionem Corporis Christi sub speciebus panis, ad quam necessaria est noua productio Corporis Christi sub speciebus, quia Corpus Christi præsupponitur existens in cælo, & idem Corpus nequit in nouo loco poni perseuerans, aut existens in alio, absque noua productione illius Corporis, ac proinde ex veritate verborum consecrationis deduci eam nouam productionem, & in ea consistere conuersionem Eucharisticam. Contra hanc responsionem est, quòd ad positionem Corporis Christi sub dictis speciebus, quamuis existentis in cælo, & existentis sub alijs speciebus panis, non est necessaria noua productio Corporis Christi sub illis, quia sufficit productio nouæ præsentiæ, aut noui modi vnionis Corporis cum speciebus, vt dicemus Difficul. XI.

Id autem, quod dictum est de conuersione Eucharistica, nempe consistere in desitione panis & vini, & in relatione extrinseca, seu rationis ipsius desitionis ad Corpus & ad Sanguinem Christi, eadem proportione dicendũ est de conuersione naturali, quòd scilicet non consistat in productione, neque in inductione rei aut formæ rei in quam fit conuersio (quamuis ad conuersionem naturalem per se pertineat eadem proportione, qua terminus ad quem ipsius, quia ipsa productio aut inductio est causaliter desitio termini ad quem) sed tantùm in desitione rei quæ conuertitur & desinit esse, & in relatione extrinseca, seu rationis ad rem, in quam fit desitio & cõuersio, ratione cuius relationis dicitur in eam rem desinere & transire. Et quamuis dicta relatio, qua vltimò completur conuersio, tam Eucharistica quàm naturalis, sit rationis, nihilominùs conuersio absolutè & simpliciter dicitur realis, & esse à parte rei, ex eo quòd materiale ipsius relationis, & fundamentum est à parte rei: sicut ob eamdem rationem Sacramenta dicuntur realia, & esse à parte rei, quamuis ratio formalis, qua vltimò complentur, sit significatio Sacramentalis, quæ est quid rationis.

Ex dictis constat, conuersionem Eucharisticam non esse propriè mutationem, quia desitio panis & vini, in qua consistit, non est propriè mutatio, quia ipsi desitioni deficit subiectum, quod possit aliter se habere nunc quàm priùs, & transire à termino à quo ad terminum ad quem, in quo consistit vera & propria ratio mutationis.

DIFFICVLTAS X.

Quomodo Corpus & Sanguis Christi possint enuntiari de pane & vino ratione conuersionis Eucharisticæ.

COnueniunt Theologi, propositiones, in quibus vtimur verbo *conuersionis* & *transitus*, vt quando dicimus, *Panis conuertitur*, aut *transit in Corpus Christi*, esse veras & proprias, vt ex suprà dictis patet.

Est tamen difficultas circa duo genera propositionum, quarum aliæ sunt in quibus reperitur Verbum *Fio*, & aliæ in quibus reperitur Verbum *Sum*. Supponimus autem, propositiones prioris generis, in quibus reperitur Verbum *Fio*, solere duobus modis enuntiari: vno modo, quando Corpus Christi dicitur de pane cum Præpositione *ex* aut *de*, vt quando dicimus, *Ex pane*, aut *de pane fit Corpus Christi*; altero modo absque Præpositione in nominatiuo, vt quando dicimus, *Panis fit Corpus Christi*.

Hoc ergo supposito, circa hoc prius genus propositionum S. Thomas quæst. 75. art. 8. Sotus in 4. dist. 9. q. 2. ar. 8. & Henriquez Quodlib. 9. q. 9. docent, dictas propositiones, in quibus reperitur Præpositio *ex*, esse veras & proprias, quia Præpositio *ex* tantùm denotat habitudinem termini à quo, & panis verè est terminus à quo conuersionis Eucharisticæ: eas verò propositiones, in quibus reperitur Præpositio *de*, esse improprias, quia Præpositio *de* denotat causam consubstantialem, consubstantialitas autem in transmutationibus attenditur penes subiectum commune vtriq; termino, quod non reperitur in conuersione Eucharistica. Et ideò dicti Doctores aduertunt, similes propositiones apud Patres inuentas ita explicandas esse, vt Præpositio *de* non denotet habitudinem subiecti communis, sed termini à quo. *S. Thomas.* *Sotus.* *Henriq.*

Alexander 4. par. q. 10. memb. 6. art. 2. Gabriel in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. dub. 1. & Ledesma 1 par. 4. q. 16. art. 18. docent, omnes dictas propositiones, tam eas in quibus reperitur Præpositio *ex*, quàm eas in quibus reperitur Præpositio *de*, esse in rigore & secundùm proprietatem veras, qãia vtraque dicta Præpositio vtrouis modo accipi possit, secundùm proprietatem nempe, & prout dicit habitudidem termini à quo, & prout dicit habitudinem subiecti communis. *Alexand.* *Gabriel.* *Ledesma.*

Vasquez verò disp. 181. num. 154. docet, & meritò, omnes dictas propositiones, tam eas in quibus reperitur Præpositio *ex*, quàm eas in quibus reperitur Præpositio *de*, non esse in rigore veras, sed tantùm in sensu improprio, non ratione dictarum Præpositionum *ex* & *de*, quia vtraque Præpositio vtrouis dicto modo accipi potest secundùm proprietatem, sed ratione Verbi *Fio*, quia hoc Verbum nequit in dictis propositionibus factionem Corporis Christi significare, quam tantùm Verbum *Fio* propriè significat, sed tantùm successionem Corporis Christi, vel adductionem illius, quam Verbum *Fio* impropriè significat. Et ideò quando in Patribus inueniuntur, explicandæ sunt in hoc sano sensu, quamuis improprio. *Vasquez.*

Circa alias propositiones, in quibus etiam reperitur Verbum *Fio*, & Corpus Christi dicitur de pane

pane in nominatiuo, vt quando dicimus, *Panis fit corpus Christi*, Bonauentura in 4. dist. 11. par. 1. distinctionis, art. vnico, q. 6. docet, illas esse in rigore & propriè veras, & concedendas, quia Verbum *Fio* etiam significat transitum, & panis verè & propriè transit in Corpus Christi.

Alexand. S. Thomas. Sotus. Ledesma. Vasquez.

Alexander verò, S. Thomas, Gabriel, Sotus, Ledesma, & Vasquez docent, non esse veras in rigore, & secundùm proprietatem, & meritò: quia vt aliquid propriè dicatur fieri aliud, necessarium est quòd sit subiectum commune vtrique termino transmutationis: & ideò quamuis in Patribus reperiantur, explicandæ sunt in sano sensu, quamuis improprio, ita vt Verbum *Fio* significet transitum & conuersionem. Addit Gabriel, & non immeritò, quòd vt aliquid dicatur propriè fieri aliud, necessarium sit quòd subiectum commune vtrique termino sit completum & totale. Et ideò non est verum secundùm proprietatem, quod semen fiat homo, benè tamen, quòd calidum fiat frigidum.

Circa posterius genus propositionum, in quibus reperitur Verbum *Sum*, vt quando dicimus, *Panis erit Corpus Christi*, & *id quod erat panis, est Corpus Christi*, Alexander, Vasquez, & communiter Theologi docent, illas esse in rigore & secundùm proprietatem falsas, & meritò: quia vt ex se patet, panis, aut id quod est panis, nùmquam erit Corpus Christi. In Confessione verò Berengarij approbata in Concilio Romano sub Nicolao II. & relata à Gratiano in can. *Ego Berengarius*, de Consecratione, dist. 2. vbi dicitur, panè & vinum post consecrationē non solùm esse Sacramentum, sed etiam Corpus & Sanguinem Christi, Verbum *Sum*, vt relatum ad Sacramentum, quod conuenit pani & vino ratione suorum accidentium, seu suarum specierum, sumitur propriè pro *esse*; & vt refertur ad Corpus & Sanguinem Christi, sumitur impropriè pro *transire*, quod conuenit pani & vino ratione propriæ substantiæ, vt etiam diximus Difficultate 11. vbi confessionem Berengarij latiùs exposuimus.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm Corpus Christi, in cælo aut in alio loco existens, possit esse sub speciebus panis simul cum substantia panis.

Bonauent. Capreol. Marsil. Ferrarien.

BOnauentura in 4. distin. 11. 1. parte, dist. 15. art. 10. q. 3. Capreolus q. 1. art. 3. Marsilius in 4. q. 8. & Ferrariensis 4. contra Gentes c. 63. docent, Corpus Christi ante consecrationem in cælo, aut in loco alio existens, si ibi perseueret, non posse constitui sub speciebus panis, nisi destructa substantia panis, & in Corpus Christi conuersa; quia existimant, corpus anteà in loco existens, non posse incipere esse vbi anteà non erat, nisi vel deserendo antiquum locum, vel per conuersionem alterius substantiæ in alio loco existentis in ipsum: ergo Corpus Christi perseuerans in cælo, aut in alio loco, & eum non deserens, nequit fieri præsens speciebus panis, nisi propria substantia panis desinat, & conuertatur in Corpus Christi.

Scotus. Durandus. Richardus. Sotus. Caietanus. Suarez. Vasquez.

Scotus verò in 4. dist. 10. Durandus dist. 11. q. 1. Richardus art. 1. q. 1. Sotus dist. 9. quæst. 2. art. 2. Caietanus quæst. 75. art. 1. Suarez disp. 49. & Vasquez disp. 182. docent, Corpus Christi in cælo, aut in alio loco existens, & in eo perseuerans, posse fieri præsens saltem Sacramentaliter sub speciebus panis, substantia propria panis sub ipsis perseuerante; & meritò: quia nulla in eo appareret contradictio seu repugnantia. Quia si id repugnaret, maximè vel, quia repugnat, Corpus Christi existens & perseuerans circumscriptiuè in cælo, vel in alio loco fieri simul præsens in alio, vel quia repugnat, duas substantias esse simul præsentes in eodem loco; vel quia specialiter repugnat, substantiam alienam fieri simul præsentem accidentibus, quibus propria substantia sit & perseueret præsens. Sed nullum horum trium repugnat: ergo. Et in primis, non repugnat, Corpus Christi existens & perseuerans circumscriptiuè in cælo, vel in alio loco, fieri simul præsens in alio saltem Sacramentaliter, quia de facto existens & perseuerans circumscriptiuè in cælo, fit Sacramentaliter præsens quantitati & alijs accidentibus panis existentibus in terra. Deinde non repugnat, duas substantias esse simul præsentes in eodem loco, quia id etiam circumscriptinè contigit in natiuitate Christi ex Virgine, in qua corpus Christi fuit penetratum cum corpore Virginis, & in Ascensione Christi ad cælos, in qua corpus Christi fuit penetratum cum illis. Et tandem non repugnat, substantiam alienam fieri simul præsentem accidentibus, quibus propria substantia est & perseuerat præsens, quia nullo firmo fundamento dici potest, substantiam alienam corpoream non posse fieri à Deo præsentem accidentibus alienis, quibus substantia propria sit & perseueret præsens, quia hoc nullo firmo fundamento negari potest, eo ipso quòd substantia aliena & propria possint esse simul præsentes in eodem loco, vt esse possunt, quia eo ipso substantia aliena, si aliàs non maneat sensibilis ratione suorum accidentium, erit occultata sub accidentibus alterius substantiæ.

Addimus, Corpus Christi non solùm posse fieri præsens sub speciebus panis, perseuerante substantia panis, sed etiam ea perseuerante posse eis vniri, quia potest à Deo illis vniri tamquam purum extremum non sustentans illa, quia sic nulla erit incompossibilitas propriæ, & substantiæ Corporis Christi, quia si ex vnione substantiæ Corporis Christi ad accidentia aliena panis, aliqua incompossibilitas proueniret, ex eò maximè esset, quòd accidentia illa eo ipso sustentarentur, & sufficienter à substantia Corporis Christi, & nullo modo à propria; ac proinde separaretur ab illis propria, & vnio destrueretur. Quòd autem Corpus Christi possit illis vniri, negari non potest: quia etiam Angelus vnitur corpori, quod est difficilius, quia ambo sunt entia per se existentia, & vnum spirituale, & alterum materiale. Quòd verò possit illis vniri vt purum extremum non sustentans illa, probatur exemplo Angeli, qui vnitur corpori vt purum extremum non sustentans illud: & etiam ratione, quia repugnat, quòd illa sustenter materialiter, seu in genere causæ materialis; quia repugnat, quòd aliena substātia sit causa materialis alienorum accidentiū, quia hæc sua natura tantùm respiciunt propriam substantiam vt causam materialem, quia ab ea sola in eo genere dependent; & etiam repugnat, quòd illa sustentet efficienter, seu in genere causæ efficientis, quia repugnat, alienam substantiam adhuc vt instrumentum efficienter conseruare accidentia aliena extra subiectum. Et quamuis Corpus Christi vnitum accidentibus panis,

panis posset vt causa materialis illa sustentare, etiam posset substantia panis illa materialiter sustentare vtrauis substantia, nempe Corporis Christi & panis partialiter concurrente suo passiuo concursu, seu sua partiali passione.

Vnde Corpus Christi potuit fieri præsens, & vniri accidentibus panis, perseuerante substantia panis sub illis, ac proinde substantia panis non desinit esse ex vi præsentiæ & vnionis Corporis Christi sub illis, sed tantùm ex vi Corporis Christi prout demonstrati verbis consecrationis ob incompossibilitatem moralem prouenientem illis ex his verbis tamquam ex instrumento morali.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, corpus anteà in loco existens, posse à Deo constitui vbi anteà non erat, absque eo quòd deserat locum antiquum, & absque eo quòd altera substantia in alio loco existens in ipsum conuertatur.

Obseruandum est, vt optimè Vasquez, Corpus Christi de facto non fieri præsens, & vnitum speciebus panis actione aliqua substantiali, quia Corpus Christi producatur aut conseruetur, quia per eam tantùm potest produci substantia Corporis Christi, & non etiam modus aliquis præsentiæ & vnionis cum speciebus panis, qua talis modus debet actione aliqua distincta produci, cùm sit entitas distincta à substantia Corporis Christi. Modus ergo præsentiæ & vnionis, quo Corpus Christi sit præsens & vnitum speciebus, producitur alia actione distincta: quia quamuis de facto sit necessaria ad conuersionem panis in Corpus Christi, in ea tamen non consistit conuersio, neque per se pertinet ad illam; est autem de facto necessaria tamquam conditio ad conuersionem, vt Corpus Christi, quod de facto ante consecrationem non est præsens speciebus panis, neque illis vnitum, fiat præsens & vnitum, vt sic possit demonstrari. Vnde substantia panis non destruitur ex vi positionis Corporis Christi sub illis, sed ex vi Corporis vt demonstrati sub speciebus.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm panis & vinum in conuersione Eucharistica annihilentur.

EX dictis constat, post consecrationem nihil substantiæ panis & vini manere, sed tantù ipsorum accidentia: supereſt tamen difficultas, An desitio substantiæ ipsorum sit annihilatio.

Scotus. Maior. Ocham. Gabriel. Angelus.

Scotus Quodlib. 20. art. 3. & in 4. dist. 11. q. 4. Maior q. 1. Ocham in 4. q. 6. dub. 7. Gabriel in can. lect. 40. & 41. & Angelus v. *Eucharistia* 1. n. 3. docent, desitionem substantiæ panis & vini in Eucharistia esse annihilationem, quia substantia panis & substantia vini ita desinunt, vt nihil ipsarum remaneat, quamuis maneant ipsarum accidentia; ergo desitio earum est annihilatio, quia ad nihil ipsarum terminatur. Et confirmatur, quia si substantia panis & substantia vini, quæ fuerunt sub accidentibus, reproducerentur secundùm se totas, verè crearentur, quamuis ad ipsarum reproductionem præsupponerentur earum accidentia: ergo econtrà desitio earum secundùm se totas erit annihilatio, quamuis remaneant earum accidentia.

S. Thomas. Caietanus. Suarez. Vasquez. Betanus.

S. Thomas verò, Caietanus, & recentiores Thomistæ q. 75. art. 3. Suarez disp. 50. sect. 7. Vasquez disp. 183. Becan. c. 18. q. 5. Adamus q. 4. dub. 3. & communiter Theologi docent, desitionē substantię panis & vini non esse annihilationē, & meritò: quia desitio substantiæ panis & vini non tendit in purum nihil, quia ita tendit in nihil substantiæ panis & vini, vt etiam tendat & per se, quamuis secundariò, in Corpus & in Sanguinē Christi, quia substantia panis & vini ita desinit primariò in nihil sui, vt etiam per se, quamuis secundariò, desinat in Corpus & Sanguinem Christi, quia desinit ex vi Corporis & Sanguinis prout demonstrati, ob oppositionem & pugnam quasi moralem inter illa, ipsis prouenientem ex verbis consecrationis, quæ sunt instrumentum morale. Quod autem in aliud desinit, & conuertitur, quamuis in nihil sui, non dicitur omnino & purè annihilari, seu in nihilum redigi: quia quod sic tendit in nihil sui, vt etiam tendat in aliud ob quod in illud aliud conuertitur, non dicitur absolutè & purè annihilari; & desitio rei, quæ tendit in aliquid, quamuis etiam tendat in nihil ipsius rei quæ desinit esse, non potest absolutè & omnino dici annihilatio, sed conuersio: quod autē in aliud conuertitur, non dicitur omnino perire & in nihilum redigi, quia dicitur quodammodò manere in eo in quod conuertitur.

Ex quo constat ad rationem Scoti. Ad confirmationem verò concedimus, quòd si tota substantia panis & vini reproduceretur sub speciebus, crearetur, quia tota illa ratione materiæ primæ, ex qua fieret forma, fieret ex nihilo: quia quòd accidentia illius præsupponerentur, non obstaret creationi illius, quia ex vna parte reproductio illius non tenderet in accidentia, & ex altera parte accidentia non veniunt in considerationem in productione substantiæ, quia non pertinēt ad esse illius, ob quod substantia aliqua potest creari; quamuis eius accidentia non creentur, sed de eius potentia educantur. Et ob hanc rationem desitio panis & vini non desinit esse annihilatio, quia remaneant ipsorum accidentia, sed quia ita tēdit in nihil substantiæ ipsorum, vt etiam tendat in aliquid, quāuis alienum. Ad confirmationem ergo in forma concedendum est Antecedens, & neganda Cōsequentia, quia desitio panis & vini non desinit esse annihilatio, quia remaneant eorum accidētia, sed quia etiā tendit in aliquid, quāuis alienum, nēpe in Corpus Christi.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm quælibet res creata possit totaliter in quamlibet aliam rem creatam conuerti.

DVrandus in 4. dist. 11. q. 2. & 3. docet, nullam substantiam creatam integram seu totalem posse in aliā conuerti, quia desitio totius substantię integræ est annihilatio; ergo nequit esse conuersio. *Durandus.*

Scotus in 4. dist. 11. q. 2. Caietanus & recentiores Thomistæ q. 75. art. 4. docent, quamlibet substantiam creatam integram posse conuerti in quamlibet aliam creatam, quia non est maior ratio ob quam tota substantia panis conuertatur in Corpus Christi, & tota substantia vini in eius Sanguinem, quàm quælibet alia substantia creata integra in quamlibet aliam, quia in alijs non reperitur peculiaris aliqua repugnantia. *Scotus. Caietanus.*

Paludanus verò in 4. distinct. 11. quæst. 3. & Vasquez disput. 184. cap. 2. docent, & meritò, non quamlibet substantiam integram posse conuerti *Paludanus. Vasquez.*

uerti in aliam, posse tamen aliquas in alias, imò in quamlibet.

Pro huius autem conclusionis explicatione & probatione reuocandum est in memoriam Primò, ad conuersionem requiri connexionem inter desitionem rei quæ conuertitur, & inter rem in quam fit conuersio: ad connexionem autem inter illas requiritur, vt esse rei, in quam fit conuersio, sit ita pugnans & incompossibile siue moraliter siue physicè cum esse rei quæ conuertitur, vt hæc verè desinat esse in rerum natura, ex vi alterius rei in quam conuertitur.

Secundò in memoriam reuocandum est, inter substantias integras non posse esse pugnam physicam in esse substantiali ipsarum, quia physicè & ex natura rei quælibet substantia integra potest simul cum qualibet alia produci, & esse, & permanere; neque posse inter illas pugnam aliquam ex sola voluntate Dei immediatè prouenire, neque ex alio capite, nisi ex vi significationis verborum, ex qua nequit alio modo inter illas esse pugna, nisi media enuntiatione demonstratiua illius substantiæ, in quam facienda est conuersio, ratione accidentium sensibilium substantiæ quæ conuertenda est, ita demonstrando sub accidentibus sensibilibus huius substantiæ alteram substantiâ in quam fit conuersio, vna indiuidua & categorica enuntiatione non significata expresse desitione substantiæ quæ conuertenda est, vt eo ipso, quasi secundariò res conuertenda debeat desinere esse, quia sub accidentibus sensibilibus ipsius nequeat substantia aliena enuntiatione illa demonstrari, nisi absit propria.

His ergo suppositis, probatur, substantiam creatam spiritualem non posse in aliam, neque spiritualem neque corporalem, conuerti, quia substantia spiritualis non pendet in suo esse à suis accidentibus spiritualibus, quia ab illis separata potest naturaliter & absque miraculo conseruari; & ita, quamuis quælibet alia substantia integra posset sub illis ad intellectum demonstrari enuntiatione categorica, propria tamen substantia non desineret esse ex vi illius demonstrationis, sed tantùm separaretur à suis accidentibus; ergo non conuerteretur, quia quod non desinit esse, non conuertitur.

Quòd si respondeas, conuersionem posse fieri non tantùm enuntiatione demonstratiua, sed etiam Verbo *Fio*, aut *conuerto*, dicendo, *Panis fiat Corpus*, aut *Panis conuertatur in Corpus Christi*. Contra hanc responsionem est, quòd quamuis vtrauis oratione dicta speculatiuè denotetur connexio & pugna ad conuersionem requisita, quia vnum fieri aliud, aut in aliud conuerti, illas denotat, neutra tamen oratio sua significatione potest (quamuis ex institutione Christi veritatem exigeret) efficere, quòd vna substantia, prout significata in ea oratione, sit causa vt alia substantia in eam desinat esse; quia non ita significat vnam, vt ad exigentiam talis significationis, vt euadat vera, fiat desitio alterius, quia hoc tantùm fieri potest oratione categorica demonstratiua, quia per hanc substantia illa in quam fit conuersio, ita demonstratur, vt ad veritatem demonstrationis ipsius substantiæ necessaria sit desitio alterius, quamuis desitio hæc non significetur expresse: quia qui sic demonstrat, dicitur faciendo vnum, vel demonstrando vnum, destruere aliud; qui verò dicit, *Panis fiat Corpus Christi*, aut *Panis conuertatur in Corpus Christi*, non dicitur destruere vnum faciendo, vel significando aliud, ac proinde vt veræ fiant orationes istæ, debet subsequi conuersio, quæ fiat enuntiatione demonstratiua, quia nequit conuersio aliter fieri.

Deinde probatur, substantiam creatam corporalem integram seu totalem posse totaliter conuerti in quamlibet aliam creatam, siue corporalem siue spiritualem. Et in primis posse in aliam corporalem totaliter conuerti, constat in Eucharistia, in qua substantia panis & vini totaliter conuertitur in Corpus & Sanguinem Christi, vt semper sensit Ecclesia, & definit Tridentinum sess. 13. cap. 4. Vnde sententia Durandi sustineri nequit, & fundamentum ipsius inane est, vt constat ex Difficultate precedenti. Et id declaratur simul & probatur, quia ex vna parte substantia corporalis potest ita fieri præsens, aut vniri accidentibus sensibilibus alterius substantiæ corporalis, vt possit sub illis enuntiatione categorica demonstrari, sicut Corpus Christi sub accidentibus panis, & Sanguis Christi sub accidentibus vini; & ex altera parte substantia illa altera, sub cuius accidentibus sensibilibus demonstratur, non potest non desinere esse, secluso miraculo, à suis accidentibus separata.

Quòd verò substantia corporalis creata integra possit in spiritualem conuerti, probatur, quia ex vna parte etiam substantia spiritualis potest ita fieri præsens, aut vniri accidentibus sensibilibus substantiæ corporalis totalis, vt possit sub illis propositione categorica demonstrari, vt etiam contingit Corpori Christi in Eucharistia, quamuis existenti modo quasi spirituali; & ex altera parte substantia illa corporalis, sub cuius accidentibus substantia spiritualis demonstrari potest, debet desinere esse ad exigentiam substantiæ spiritualis prout demonstratæ, quia ex eo contrahit pugnam quamdam quasi moralem, ratione cuius debet à suis accidentibus separari, sine quibus nequit naturaliter conseruari.

Boëtius verò lib. de Duabus naturis, & Augustinus lib. 7. de Genesi ad lit. cap. 12. dum dicunt, *Angel* corpus non posse conuerti in substantiam incorpoream, loquuntur non de conuersione totali, de qua nos loquimur, sed tantùm de conuersione formali, in qua manet subiectum commune vtrique extremo, vt eos exponunt Maior in 4. dist. 11. q. 1. *Maior Vasq.* & Vasquez num. 18.

Ad rationem ergo pro Scoto & Caietano constat, peculiarem esse repugnantiam in eo quòd substantia spiritualis conuertatur in aliam, siue spiritualem siue corporalem, non tamen in eo quòd corporalis conuertatur in aliam corporalem, imò & in spiritualem.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm creatura possit conuerti in Deum.

SVpponimus, in quo omnes conueniunt, Deum non posse conuerti in creaturam, quia nequit desinere esse; & quod conuertitur, desinit esse in id in quod conuertitur.

Hoc ergo supposito, circa difficultatem non desunt qui doceant, creaturam posse conuerti in Deum

Deum (quibus fauet Caietanus q. 2. art. 1. §. *Circa illam*) quia Deus est præsens quibuscumque accidentibus; ergo poterit demonstrari sub illis, etiam ad sensum sub accidentibus sensibilibus; ergo substantia illa, sub cuius accidentibus potest Deus demonstrari, poterit in Deum conuerti, quia ad veritatem illius demonstrationis requiritur seperatio illius substantiæ à suis accidentibus, & consequenter destructio illius, quia substantia saltem materialis pendet in conseruari à suis accidentibus.

Scotus. Vasquez. Suarez. Ægidius.

Scotus in 4. dist. 11. Vasquez disp. 184. Suarez disp. 50. sect. 10. Ægidius q. 75. art. 4. & communiter Theologi docent, nullam creaturam posse in Deum conuerti, & meritò: quia si ea conuersio facienda esset, maximè media enuntiatione demonstratiua categorica, demonstrando Deum ratione sui sub accidentibus illius substantiæ, quæ conuertenda esset in ipsum. Deus autem ratione sui sub nullius substantiæ accidentibus potest demonstrari, quia ratione sui sub nullius substantiæ accidentibus est contentus & occultatus, sed generaliter est in illis eminentiori quodam & infinitò modo, & non sub illis, sicut nec sub aliis rebus, in quibus etiam est generaliter modo prædicto: & demonstratio alicuius sub accidentibus requirit peculiarem modum existendi sub illis. Præsentia tamen, qua Deus est præsens in omnibus accidentibus, sicut generaliter in omnibus rebus, non sufficit, vt possit sub illis demonstrari nominaliter (nisi tantùm in illis aduerbialiter dicendo, *hic*, id est in hoc loco, aut in hac re, *est Deus*) aliàs sufficeret, vt quãdo propria substantia est sub illis, possemus nominaliter copulatiuè dicere, *hic est panis & Deus*, quod tamen est falsum. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Addimus, quòd quamuis Christus, aut Sacerdos ex institutione Christi, consecraret panem his verbis, *Hoc est Corpus meum Deificatum*, non fieret conuersio in Deum, non solùm tamquam in terminum adæquatum, vt patet, quia etiam fieret in Corpus, sed neque tamquam in terminum inadæquatum, seu partialem: quia quamuis in eo casu Diuinitas esset ex vi verborum cum Corpore existente sub speciebus, non tamen esset tamquam pars termini destruentis substantiã panis, sed esset tamquam extremum vnitum Corpori illam destruenti, quia solum Corpus ratione sui demonstraretur illis verbis, & ex vi illorum esset specialiter sub illis; Diuinitas autem quamuis esset specialiter sub illis, quia est hypostaticè vnita ipsi Corpori sub illis existenti, non tamen esset sub illis specialiter ratione sui, sed tantùm ratione Corporis cui est vnita; imò non esset sub illis ratione Corporis tamquam pars intrans intrinsecè in id quod est specialiter sub illis, sed tantùm tamquam extremum corpori vnitum, quod non intrat in illud, quia illis verbis non demonstratur directè, sed tantùm indirectè, tamquam extremum & connotatum; ac proinde ex vi eorum verborum tantùm esset sub speciebus tamquam extremum coniunctum ipsi Corpori destruenti substantiam panis, & non esset sub illis, tamquam pars termini destruentis. Si verò Christus, vel Sacerdos ex institutione Christi, consecraret panem his verbis, *Hoc est Corpus meum viuum*, in eo casu fieret conuersio etiam in animam, tamquam in terminum partialem; quia anima esset pars eius quod demonstraretur directè, & destrueret panem, nempe pars Corporis viui, & demonstraretur tamquam pars illius, ac proinde partialiter destrueret panem.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm sit possibilis conuersio formalis, & etiam materialis.

CIrca prius supponimus, conuersionem formalem esse transitum, quo vna forma transit in alteram in eodẽ subiecto communi vtrique formæ, quia transitus quo vna forma transiret in alteram absque subiecto communi, non esset formalis (nisi ad summũ materialiter) quia tunc forma, quę non esset in subiecto, non haberet statum formæ.

Hoc ergo supposito, conueniunt Theologi, conuersionem formalem, non solùm substantialem, sed etiam accidentalem, esse possibilem, & quotidie fæpissimè fieri; quia fæpissimè vna forma, tam substantialis quàm accidentalis, transit in alteram in eodem subiecto. Ad conuersionem autem formalem requiritur Primò subiectum vtrique formæ commune, ob rationem dictam, & ob rationem statim dicendam. Secundò requiritur, quòd forma, quæ conuertitur, desinat esse, ob rationem fæpè repetitam; ex cuius defectu anima rationalis non conuertitur in formã cadaueris. Tertiò requiritur oppositio & pugna inter ipsas formas, vt ea, quæ conuertitur, desinat esse ex vi alterius in quam conuertitur; ad quam pugnam requiritur subiectum vtrique formæ commune, quia formæ non sunt secundùm se incompossibiles, sed tantùm in ordine ad subiectum.

Circa conuersionem materialem vnius, videlicet materiæ primæ in alteram materiam primam sub eadem forma, Vasquez disp. 184. cap. 10. docet, esse impossibilem: quia quamuis vna materia prima possit alteri succedere sub eadem forma, materia tamen, cui altera succederet sub illa eadem forma, quamuis in ea non introduceretur noua forma, & consequenter desineret esse, non tamen desineret ex vi materiæ succedentis vt incompossibilis, sed ad summum ex vi nouæ informationis, qua materia succedens informaretur, quia eo ipso cessaret antiqua informatio, qua materia, cui altera succedit, informabatur, & maneret absque forma, absque qua materia illa non posset conseruari. *Vasquez.*

Suarez verò disp. 50. sect. 10. & Ægidius art. 4. dub. 4. docent esse possibilem, & meritò: quia fieri potest à Deo, quòd vna materia subijciatur seu supponatur eidem formæ, cui altera materia erat subiecta seu suppositа, absque eo quòd in materia anteà subiecta formæ inducatur noua forma. In hoc autem casu materia anteà subiecta desineret esse ex vi alterius materiæ de nouo subiectæ, tamquam incompossibilis sub eadẽ forma, quia vtraq; materia in sufficienter informaretur vna forma, sicut vna forma prout informans subiectum, est incompossibilis cum altera idem subiectum informante, & vi sua illam destruit, quia vna materia insufficienter sustentat duas formas simul informantes. Ex quo constat ad rationem in oppositum. *Suarez. Ægidius.*

Sed an conuersio hæc materialis fieri possit media demonstratione, sub controuersia est. Circa quam aliqui partem negatiuam absolutè tuentur, quia accidentia sensibilia, sub quibus materia

prima deberet demonstrari, non subiectantur in ipsa materia prima, ac proinde non potest sub illis demonstrari. Alij verò partem affirmatiuam absolutè tradunt, & meritò: quia ex vna parte sensibilia accidentia in materia prima immediatè subiectantur, ac proinde potest sub illis demonstrari: & ex altera parte vna materia prima demonstrata sub accidentibus alterius materiæ primæ, pugnat cum hac altera materia prima, sub quibus illa demonstratur, quia illa est aliena his accidentibus individualibus, ac proinde debet abesse propria materia prima, vt possit aliena absolutè demõstrari, & consequenter debet corrumpi, quia absque eis accidentibus nequit naturaliter conseruari, quia tunc naturaliter non potest alia accidentia accipere sub quibus conseruetur.

DISPVTATIO V.

De modo quo Christus est in Eucharistia.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm totus Christus sit in Eucharistia sub qualibet specie.

EX Lutheranis, qui verum Corpus & Sanguinem Christi in Eucharistia admittunt, sunt qui existiment, non esse totum Christum sub qualibet specie, sed sub speciebus panis esse tantùm Corpus, & sub speciebus vini esse tantùm Sanguinem, quia sub speciebus tantùm est id quod verbis cõsecrationis significatur, quia id solis verbis consecrationis efficitur: verbis autem consecrationis panis tantùm significatur corpus, & verbis consecrationis vini tantùm significatur Sanguis; ergo.

Conc. Cõst. Eugen. IV. Trident.

Conueniunt tamen Catholici, totum Christum esse sub qualibet specie. Ita definitur in Concilio Constantiensi sess. 13. & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & in Tridentino sess. 13. & sess. 21. cap. 3.

Cyrillus Ierosol. Ambros. August. Cyrillus Alexand.

Et id etiam tradunt Patres, & in primis Andreas Apostolus, qui (vt scribunt Presbyteri Achaiæ in Vita ipsius) dicebat in altari Agnum immaculatum immolari, & post ipsius manducationem integrum & viuum perseuerare: quod etiam exprimunt vel supponunt Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 4. Ambrosius lib. de Ijs qui initiantur, cap. 9. Augustinus in Psalm. 33. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioann. cap. 17. & id clarè exprimitur in can. *Singuli.* de Consecratione, dist. 2.

Et ratione probatur: quia sub speciebus panis est Corpus Christi, quia id expresè significatur verbis consecrationis panis; & sub speciebus vini est Sanguis Christi, quia id significatur expresè verbis consecrationis vini; ergo sub speciebus panis, sub quibus est Corpus Christi, etiam sunt anima & corpus, & diuinitas, personalitas Verbi, & vnio hypostatica, quia nunc omnia hæc sunt reipsa coniuncta & vnita corpori; & sub speciebus vini, sub quibus est Sanguis, etiam sunt corpus, anima, diuinitas, personalitas Verbi, & vnio hypostatica, quia omnia hæc nunc sunt coniuncta, & vnita Sanguini. Vbi autem est aliquid cui coniuncta sunt alia, etiam sunt necessariò illa alia, quoties illud aliquid non latiùs patet quàm illa alia: corpus autem, anima, & sanguis ita adæquatè coniunguntur, vt nullum eorum latiùs pateat quàm alia. & quamuis diuinitas & personalitas Verbi latiùs pateat quàm Corpus & Sanguis Christi, & vnio ob quod Verbum potest esse vbi non sunt Corpus & Sanguis, & vnio; at Corpus, & Sanguis, & vnio non latiùs patent, quàm diuinitas & personalitas Verbi, & ideò vbicumque est Corpus aut Sanguis aut vnio, etiam necessariò est diuinitas & personalitas Verbi.

Ex dictis deducitur, sub qualibet specie Sacramentali esse non tantùm Corpus & Sanguinem Christi, & vnionem hypostaticam, sed etiam alios humores, & spiritus vitales & animales, & omnia alia quæ ad consistentiam & integritatem & perfectionem humanitatis Christi pertinent, & modò sunt in Christo in cælo, vt præputium; imò & quæ non pertinent ad illam, si aliàs re ipsa sunt coniuncta cum partibus humanitatis.

Ad rationem ergo hæreticorum respondemus, quòd quamuis verbis consecrationis Corpus tantùm aut Sanguis tantùm expresè significetur, & ideò Corpus tantùm aut Sanguis tantùm sit per se, & quasi directè, & ex vi verborum, sub speciebus; nihilominùs eo ipso omnia alia sunt etiam, & constituuntur sub illis per accidens, & per concomitantiam, & quasi indirectè, cum Corpore aut Sanguine Christi, quia sunt ipsis realiter coniuncta, & cum ipsis realiter connexa, aut saltem humanitatem integrantia.

DIFFICVLTAS II.

Quid Christi sit sub qualibet specie ex vi verborum, & quid per concomitantiam.

SVpponimus, in quo contra Lutherum & alios hæreticos, etiam ex illis qui verum Corpus & Sanguinem Christi admittunt in Eucharistia, Theologi constanter & vnanimiter conueniunt, nempe, in Eucharistia quædam esse ex vi Sacramenti, seu ex vi verborum, quædam verò ex vi naturalis connexionis & concomitantiæ: quam distinctionem admisit Tridentinum sess. 13. cap. 3. & meritò: quia quædam ponuntur in Eucharistia, quia expresè significantur demonstratiuè verbis consecrationis, quia ad eorum verborum veritatem positio illorum requiritur; quædam verò alia tantùm ponuntur, quia sunt realiter connexa & coniuncta cum eis, quæ ex vi significationis verborum ponuntur: ergo in Eucharistia quædam sunt ex vi verborum, quædam verò alia ex vi connexionis & concomitantiæ.

Hoc ergo supposito, circa difficultatem conueniunt Theologi, sub speciebus panis ex vi verborum, ac proinde per se & quasi directè, esse tantùm Corpus Christi, animam verò, Sanguinem, diuinitatem, personalitatem Verbi, & vnionem hypo-

hypostaticam esse per concomitantiam, ac proinde per accidens, & quasi indirectè: quod Tridentinum tradit vbi suprà, & meritò: quia Corpus Christi est sub speciebus ex vi significationis demonstratiuæ verborum, reliqua verò dicta, quia reipsa sunt connexa cum Corpore: & sub speciebus vini tantùm esse Sanguinem Christi ex vi verborum, ac proinde per se; & reliqua prædicta, nempe Corpus, animam, diuinitatem, personalitatem Verbi, & vnionem hypostaticam, esse tantùm per concomitantiam & per accidens, quia scilicet Sanguis Christi est sub illis ex vi significationis demonstratiuæ verborū, reliqua verò prædicta sunt sub illis, quia reipsa sunt coniuncta & connexa cum Sanguine ipso. Et ob eamdem rationem alij humores & spiritus, & omnia alia distincta à Corpore & Sanguine, quæ pertinent ad consistentiam & integritatem humanitatis Christi, & quæ quoquo modo connexa sunt cum illa, sunt sub qualibet specie per concomitantiam, & non aliter. Vnde si in triduo fieret consecratio panis, non esset adhuc per concomitantiam anima sub speciebus illius, nec Sanguis aliquis, si nullus in triduo remansit, quia tunc erant à corpore separata.

Est tamen dissensio inter recentiores, an dicta distinctio existēdi in Eucharistia, ex vi verborum, & per concomitantiam, sit definita de Fide à Tridentino, Suarez disp. 51. negat, quia Tridentinum tantùm intendit directè definire, totum Christum esse sub qualibet specie, & ita can. 3. & 4. hoc tantùm tradit sub anathemate, & non dictam distinctionem: addit tamen Suarez, esse ingentem temeritatem, & magnum errorem, dictam distinctionem negare. Vasquez verò disp. 185. c. 2. affirmat, & meritò, quia ex vna parte non tantùm in canonibus, sed etiam in capitibus fiunt definitiones de Fide, vt patet ex cap. vlt. sessionis 6. & sess. 13. & ex altera nullum est firmum fundamentum ad asserendum, Tridentinum id non intendisse directè definire. imò id sic intendisse, potest firmiter conijci ex eo, quòd hæretici distinctionem illam negabant, imò irridebant. quòd si id non tradidit in canonibus, sed tantùm quòd totus Christus sit sub qualibet specie, forsan fuit, quia circa hoc fuit error principalis, & radix alterius.

Trident.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Verbum diuinum sit in Eucharistia ex vi verborum.

SVpponimus, Verbum diuinum, quod est secunda persona Trinitatis, & nostro modo concipiendi coalescit ex diuinitate & ex personalitate Verbi, esse in Eucharistia saltem per concomitantiam, quia est vnitum hypostaticè Corpori & Sanguini Christi, existentibus per se & ex vi verborum in illa.

Est tamen difficultas, An etiam sit ex vi verborum. Ratio difficultatis pro parte affirmatiua est, quia Pronomen *meum* positum in forma Corporis, & Pronomen *meus* aut *mei* positum in forma Sanguinis, refertur ad loquentem; qui autem loquitur in formis consecrationis, est persona Verbi & Christi, aut Sacerdos nomine Christi; ergo persona Verbi aut Christi ponitur ex vi verborū.

Conueniunt tamen Theologi, Verbum diuinum seu personam Verbi diuini non esse in Eucharistia ex vi verborum, & per se. Ita Vasquez disp. 185. Suarez disp. 181. Ægidius quæst. 76. art. 2. num. 27. & Adamus q. 5. dub. 2. Ratio est, quia verbis consecrationis non demonstratur nec significatur Verbum diuinum esse sub speciebus, sed tantùm Corpus & Sanguinem Christi; ergo Verbum diuinum non est in Eucharistia ex vi verborum.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Adamus.

Ad rationem autem difficultatis respondemus, prædictum Pronomen non referri ad personam Verbi & Christi, sed ad hominē Christum, aut potiùs ad humanitatem Christi; quia verba consecrationis non fuerunt prolata à persona Verbi & Christi, sed tantùm ab homine Christo, aut potiùs ab humanitate Christi, iuxta ea quæ diximus Tractatu de Incarnat. Disp. 1. Diff. xvi. Et quamuis admitteremus referri ad personam Verbi, non sufficeret ad id, quia persona Verbi potuisset verè dicere, *Hoc est Corpus meum*, absque eo quòd Pronomine isto significaretur corpus actualiter vnitum personæ Verbi, quia ad veritatem dicti Pronominis sufficeret, quòd præcessisset corpus vnitum, quia etiam corpus mortuum & separatum, & brachium abscissum dicitur corpus & brachium huius aut illius humanitatis & hominis. Et quamuis de facto prædictum Pronomen tantùm referatur ad hominem Christum, vel potiùs ad humanitatem, etiam in triduo potuit nomine hominis Christi aut humanitatis Christi dici, *Hoc est Corpus meum*, quia fuit humanitatis & hominis Christi.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Pater & Spiritus sanctus sint in Eucharistia per concomitantiam.

COnueniunt Theologi, Patrem & Spiritum sanctum non esse in Eucharistia ex vi verborum & per se, quia non significantur verbis consecrationis: est tamen difficultas, An sint in illa per concomitantiam.

Nugnus quæst. 76. art. 2. diffic. 3. & alij recentiores docent, Patrem & Spiritum sanctum non esse in Eucharistia per concomitantiam, nec aliquo peculiari modo, sed tantùm communi modo, quo sunt in omnibus rebus per essentiam, præsentiam, & potentiam: quia quamuis Filius sit vnitus humanitati Christi, & eam terminet, non tamen Pater nec Spiritus sanctus; ergo quamuis Filius ratione dictæ vnionis sit per concomitantiam in Eucharistia, non tamen Pater nec Spiritus sanctus.

Nugnus.

Vasquez verò disp. 185. cap. 2. Suarez disp. 51. sect 6. Ægidius quæst. 76. art. 2. num. 29. & Bonacina disp. 4. quæst. 3. puncto 5. docent, Patrem & Spiritum sanctum esse in Eucharistia per concomitantiam, & non tantùm communi illo modo; & meritò: quia Filius & diuinitas sunt in Eucharistia, Pater autem & Spiritus sanctus sunt connexi cum Filio naturali cōnexione circuminsessionis, & sunt idem re ipsa cum diuinitate; ergo etiā sunt in Eucharistia peculiari modo comitantes Filiū, & quasi comitantes diuinitatē, & non tantùm cōmuni illo modo, Filius tamē est in Eucharistia minùs remotè per concomitantiā, quàm Pater & Spiritus sanctus, quia Filius est in Eucharistia, quia est immediatè vnitus humanitati, & eam immediatè comitatur, non tamen Pater & Spiritus sanctus, sed quia comitantur Filiū, & quasi comitantur diuinitatem;

Vasquez. Suarez. Ægidius. Bonacina.

imò hæc etiam est magis remotè quàm personalitas Verbi, quia tantùm est, quia quasi comitatur personalitatē Verbi eo modo quo diuinitas distinguitur à personalitate Verbi. Nihilominùs, quidquid dicat Bonacina, Pater & Spiritus sanctus dicuntur manducari ad manducationem specierum panis, & potari ad potationem specierum vini, sicut & Filius, vt Vasquez aduertit, quia verè sunt peculiari modo in speciebus panis & vini, quæ verè manducantur & potantur, quamuis nulla sit communicatio idiomatum inter Patrem & Filium & Spiritum sanctum ex vna parte, & inter Corpus & Sanguinem Christi ex altera; sicut etiā ad manducationem specierum panis dicitur manducari Sanguis, & ad potationem specierum vini dicitur Corpus potari, quamuis inter Corpus & Sanguinem nulla sit communicatio idiomatum, quia id non verificatur ratione communicationis idiomatum, sed quia eo ipso quòd aliquid sumitur, eo ipso etiam sumitur quod est cum ipso connexum, & coniunctum peculiari modo.

Ad rationem ergo aduersariorū respondemus, ex eo quòd Filius sit hypostaticè vnitus humanitati Christi, & eam personans, & non Pater & Spiritus sanctus, non deduci, Patrem & Spiritum sanctum non esse in Eucharistia, sed solùm quòd sint aliter quàm Filius, quod est verum, quia Filius est minùs remotè, Pater verò & Spiritus sanctus magis remotè, quia tantùm sunt ob connexionem circuminsessionis cum Filio, & ob identitatem cum diuinitate.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm totus Sanguis Christi sit ex vi verborum sub speciebus vini.

REcentiores nonnulli docent, ex vi verborum non esse totum Sanguinem Christi sub speciebus vini, sed tantùm illum, qui tempore passionis fuit effusus, non illum qui mansit in corpore, quia id indicant verba consecrationis vini apud Matth. cap. 26. Marc. 14. & Luc. 22. *Hic est Sanguis meus noui Testamēti, qui pro multis effundetur.*

Vasquez. *Suarez.* Vasquez verò disp. 185. cap. 3. Suarez disp. 51. sect. 3. & plures alij docent, & meritò, totum Sanguinem Christi esse ex vi verborum sub speciebus vini, quod indicat Tridentinum sess. 13. c. 3. dum absolutè, absque vlla limitatione & distinctione Sanguinis, asserit, Sanguinē Christi esse sub speciebus vini. Et ratione probatur, quia verba illa, *Qui pro vobis & pro multis effundetur*, non pertinent ad essentiā formæ consecrationis, vt dicimus Disp. 111. Diff. vi. sed tantùm hæc verba, *Hic est Sanguis meus*, aut hęc, *Hic est Calix Sanguinis mei*: ex vi autem eorum quæ sunt essentialia, totus Sanguis ponitur, quia per ista Sanguis absolutè & absque limitatione significatur, & non magis hæc pars Sanguinis quàm illa.

Trident.

Vnde in vltima cœna ex vi verborum prolatorum à Christo, fuit sub speciebus vini totus Sanguis ipsius quem tunc habebat, & nunc etiam est totus qui est in corpore glorioso Christi, & etiam particulæ separatæ, si aliquæ extant.

Ad rationem ergo aduersariorum respōdemus, prædicta verba, *qui pro vobis & pro multis effundetur*, posse per synecdochen verificari de toto Sanguine, etiamsi non fuisset totus effusus, præsertim quòd verisimile sit totū Sanguinem Christi fuisse effusum, vt conijci potest ex eo, quòd ex latere Christi iam mortui manauerit vsque ad effusionem aquæ.

Sed quæres, an, si consecratio Sanguinis fieret in triduo, Sanguis, qui diuisus erat, continuaretur sub speciebus vini, an verò maneret diuisus sicut erat ante consecrationem.

Suarez existimat, quòd continuaretur, Primò, quia consecratio fieret per modum vnius, quia fieret media vnica forma, & sub eiusdē speciebus. Secundò, quia ex vi verborum fieret, vt totus Sanguis esset in eodem loco; res autem liquidæ, si sint eiusdem speciei, continuantur, quando simul in eodem loco constituuntur.

Vasquez verò nu. 27. existimat, quòd maneret diuisus, & meritò: quia ex vna parte dicta continuatio non est necessaria ad veritatem verborum consecrationis, quia de Sanguine alicuius animalis, quamuis in plura vasa diuiso, verè dicitur, *hic est sanguis huius animalis*; quia ad veritatem Pronominis demonstratiui etiam in singulari non requiritur vnitas numerica eius quod demonstratur; & ex altera parte res, quæ carent modo naturali existendi in loco per modum extensionis, quamuis liquidæ sint, & eiusdem rationis, & coniungantur in eodem loco, non continuantur, quia tunc nihil vnius rei liquidæ potest naturaliter corrumpere indiuisibile alterius, nec sui, nec producere indiuisibile commune quo continuetur cum altera, imò non continuantur, ex defectu extensionis in ordine ad locum.

DIFFICVLTAS VI.

Quid significetur nomine Corporis in forma consecrationis panis.

COnueniunt communiter Theologi, contra Gabrielem & Marsilium, nomine Corporis in forma consecrationis panis, quod ex vi illius ponitur sub speciebus panis, non significari materiam primam tantùm; & contra Durandum & Caietanum, non significari Corpus secundùm communem rationem corporis, quod in prædicamento Substantiæ, est species subalterna, quia aliàs eodem modo & eisdem verbis potuisset consecrari Corpus Christi, quamuis fuisset redactum in cineres, quia in cineribus eadem materia prima, & eadem ratio communis corporis, quod est species subalterna in prædicamento Substantiæ, mansisset. Consequens autem est falsum, quia Corpus, quod ex vi verborum consecrationis panis consecratur, & ponitur sub speciebus panis, est caro Christi, in cinere autem nihil est quod sit caro. Quòd autem Corpus, quod ex vi verborum consecrationis panis consecratur, sit caro Christi, patet, quia illud est cibus spiritualis animæ, eo modo quo diximus Disput. 1. Diffic. 111. id autem nulli alij corpori conuenit, nisi carni Christi, iuxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus.*

Conueniunt Secundò, nomine corporis in forma consecrationis panis significari corpus organicum humanū Christi, vt Pronomine *meum* positum in ipsa forma satis denotatur (sicut etiā nomine corporis, quando dicimus, *Hoc est corpus Petri*) & significari corpus organicum humanum, non tantùm viuum, sed etiam mortuum; quia corpus cuius-

cuiuscumq; hominis non solùm viuum, sed etiam mortuum, dum habet partes heterogeneas, verè dicitur corpus illius hominis, cuius fuit viuum.

Dissentiunt tamen Theologi in explicando, quod aut quale corpus organicum humanum nomine illo corporis significetur.

Sotus. Ledesma. Sotus in 4. dist. 10. q. 1. art. 1. & Ledesma 1. par. q. 17. art. 1. dub. 3. & 4. docent significari corpus organicum humanum vniuocè commune humano viuo & humano mortuo. Modus tamen iste dicendi nobis nō probatur, Primò, quia falsum supponit, esse corpus organicum humanum vniuocè cōmune humano viuo & humano mortuo. Quia quamuis corpori organico humano detur vna ratio corporis vniuocè communis, non tamen vna ratio organici, & humani vniuocè cōmunis: quia in primis, vt Aristoteles 2. de Generat. animalium c. 1. ait, *facies & caro, quæ animam non habet, æquiuocè est facies & caro, perinde ac lapidea aut lignea*: ergo etiam corpus organicum mortuum humanum, quod, quatenus organicum, constat carne, ossibus, neruis, facie, brachio, & crure, est æquiuocè corpus organicū humanum, & non vniuocè. Deinde, quia si corpori organico humano viuo, & corpori organico humano mortuo, esset vna ratio corporis organici humani communis vniuocè, esset illis immediatè communis, quia inter corpus organicum humanum, vt sic, ex vna parte, & inter corpus organicum humanum viuum, & inter corpus organicum humanum mortuum ex altera, nulla ratio nullumque prædicatum mediat: commentitium autem est, corporibus organicis humanis viuo & mortuo dari vnam rationem immediatè communem, quia corpus organicū humanum viuum continetur sub animali, sub quo non continetur corpus organicum humanum mortuum, imò neque sub viuenti, vt patet. Secundò, prædictus modus dicendi non probatur, quia nomen *corpus* in forma consecrationis panis ratione Pronominis *meum*, & ratione Pronominis *hoc* demonstratiui ad sensum, quæ in ipsa forma continentur, determinatur, vt significet non quodlibet corpus, sed organicum humanum & singulare Christi.

Henriq. Scotus. Henriquez Quodlib. 4. quæst. 3. & Scotus in 4. dist. 11. quæst. 3. docent, nomine *corporis* in forma consecrationis panis significari corpus organicum humanū singulare Christi, quod dicunt esse compositum ex materia prima, & ex forma quadam singulari corporeitatis, educta de potentia materiæ, quæ est prior quàm anima rationalis, & quàm forma cadaueris, & simul cum his successiuè existentibus perseuerat in materia prima.

Modus etiam iste dicendi multò minùs placet, tum quia est contra Aristotelem vbi suprà; quia si facies & caro essent ab eadem forma in cadauere, à qua sunt in homine viuo, non æquiuocè sed vniuocè essent facies & caro hominis viui & hominis mortui: tum etiam, quia superfluè & absque fundamento præter animam rationalem in homine viuo, & præter formam cadaueris in homine mortuo, ponitur forma alia substantialis, quia anima rationalis, & forma cadaueris, & quæcumque alia forma substantialis, ita est forma naturalis, vt non tantùm tribuat esse substantiæ, sed etiam omnem rationem intermediam vsque ad indiuiduam & singularem includiuè, quia anima rationalis non tantùm tribuit esse substantiæ, sed etiā esse corporis: quia non tribuit esse substantiæ spiritualis, vt patet, & etiā tribuit esse viuentis, & animalis, & hominis, & huius hominis; ac proinde ab ipsa prouenit esse organici, quia istud esse non distinguitur ab esse viuētis, quod eo ipso habet varia organa apta, vt in ipsis possint, mediis potentijs in illis residentibus, opera vitæ exerceri, vt significat Aristoteles 2. de Anima cap. 1. & ita cadauer, quamuis habeat partes hetereogeneas similes partibus animalis viuentis, non tamen est organicum nisi æquiuocè, quia non est viuens, habens organa apta, vt in eis possint opera vitæ exerceri medijs potentijs in illis residentibus.

Vasquez. Suarez. Henriq. Vasquez ergo disp. 186. cap. 3. Suarez disp. 51. sect. 4. & Henriquez lib. 8. cap. 28. docent, & meritò, nomine *corporis*, adiunctis Pronomine *meum* & Pronomine *hoc*, in forma consecrationis panis, significari corpus organicum humanum Christi, non commune vniuocè, vt diximus, sed singulare, vt Pronomine *meum* & Pronomine *hoc* demonstratiuo ad sensum significatur, & non compositum ex materia prima, & ex forma illa corporeitatis, sed compositum ex materia prima, & ex forma substantiali hominis, aut cadaueris hominis: quia compositum hoc, est corpus organicum humanum, habens carnem, ossa, neruos, faciem, brachia, & crura (quale in homine Christo nunc reperitur, & in eius cadauere reperiebatur) & communi acceptione dicitur humanum, & per synechdochen dicitur caro. Nomine ergo corporis, quo corpus organicum humanum singulare significatur, non tantùm viuum, sed etiam mortuum significatur, vt vidimus; sed non vniuocè sub vna ratione communi viuo & mortuo, vt etiam vidimus, sedęquiuocè, vtrumq; immediatè & in se ipsis, sicut canis latrabilis, sidus cæleste, & piscis marinus, nomine *canis* immediatè & in se ipsis significātur.

Ex vi ergo verborū consecrationis panis, & per se, sub speciebus panis constituitur & est corpus organicum humanum singulare Christi, quia tale est quod verbis ipsis significatur, & non constituitur viuum & mortuum copulatim, quia nequit simul viuum & mortuum constitui, sed viuum aut mortuum disiunctim, & non aliter; quia ad veritatē consecrationis nihil amplius requiritur, quàm quòd sub speciebus panis constituatur corpus Christi humanum & singulare, aut viuum aut mortuum, non determinatè viuum neq; determinatè mortuum, quia verba non magis significant illud viuum quàm mortuum, nec econtrà; sed constituitur viuum aut mortuum sub disiunctione. Vnde quòd sub speciebus constituatur determinatè viuum aut determinatè mortuum (vt verè constituitur, quia actio per quam constituitur, vtpote omnino singularis & determinata, tendit ad aliquid omnino singulare & determinatum, & determinatè) id tamen non fit ex vi verborum & per se, sed per concomitantiam & per accidens, quia scilicet de facto & reipsa sit determinatè viuum, aut sit determinatè mortuum, quādo fit consecratio, quia de facto non aliter constituitur sub speciebus, quàm reipsa est in se; quia repugnat aliter constitui quàm reipsa fuerit, aut saltem nequit aliter constitui absque nouo miraculo, & non necessario, vt Christus det nobis carnem suam ad manducandum. Ex quo constat, animam rationalem Christi constitui sub speciebus per concomitantiam (sicut corpus determinatè viuum) vt dicitur in Tridentino sess. 13. cap. 3.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm quantitas, & reliqua accidentia Corporis & Sanguinis Christi sint in Eucharistia.

Durandus. Maior. DVrandus in 4. dist. 10. q. 2. & Maior q. 2. docent, in Eucharistia non esse quantitatem quam Christus habet in cælo (& idem est de reliquis accidentibus materialibus, quæ à quantitate dependent) quia effectus formalis primarius quantitatis est, reddere subiectum, in quo est, extensum circumscriptiuè, & commensuratiuè in ordine ad locum: sed Christus in Eucharistia non est sic extensus, quia existit totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci; ergo in Christo, prout existente in Eucharistia, non est quantitas, quia forma nequit esse in subiecto, nisi ei tribuat suum effectum formalem primarium.

S. Thomas. S. Thomas verò q. 76. art. 4. & reliqui Theologi docent, in Eucharistia esse quantitatem Christi, & reliqua accidentia, quæ non pendent à loco determinato, nec ab extensione locali; & meritò: quia ex vna parte quantitas est realiter connexa & coniuncta cum substantia, quamuis ab ea realiter distinguatur; & ex altera non pendet à loco determinato, nec ab extensione locali: ergo in Eucharistia, in qua est substantia Corporis & Sanguinis Christi quam habet in cælo, etiam est quantitas quam in cælo habet. Et ob eamdem rationē etiam sunt alia accidentia, quæ non dependent à loco determinato, nec ab extensione locali: quia absque fundamento admitteretur substantia Corporis & Sanguinis Christi, prout est in Eucharistia, esse separata à quantitate, & ab alijs accidentibus absolutis, à loco determinato, & ab extensione locali. Et *Trident.* quidem Tridentinum sess. 13. cap. 3. non aliunde, nisi ex sola naturali connexione & coniunctione aliquorum non pendentium à loco determinato, nec ab extensione locali, cum substantia Corporis & Sanguinis Christi deduxit illa esse etiam in Eucharistia.

Theologi tamen in quantitate distinguunt duo, nempe essentiam ipsius, quam dicunt esse extensionem partium secundùm se absque fundamento proximo, vt commensuretur loco diuisibili, & vt ab eo circumscribatur: & etiam proprietatem, qua tamquam fundamento proximo extensio ipsa partium secundùm se fit proximè apta, vt loco diuisibili correspondeat, commensuretur, & æquetur, & qua quantitas ipsa fit impenetrabilis naturaliter cum altera quantitate in eodem loco. Hæc autem proprietas est potiùs modus quantitatis ipsam modificans, quàm res ab ipsa quantitate realiter distincta. Theologi ergo in Corpore & Sanguine Christi, prout in Eucharistia existentibus, admittunt essentiam quantitatis, & non proprietatem ipsius. Ex quo constat ad rationem aduersariorum, quantitatem secundùm suam essentiam tribuere suum effectum formalem primarium Corpori & Sanguini Christi, prout existentibus in Eucharistia, faciendo illa extensa secundùm se, & non faciendo illa proximè apta vt commensurentur, & æquentur loco diuisibili, quia hoc est effectus solius proprietatis quantitatis consistentis in dicto modo, quo quantitas Christi, prout in Eucharistia, caret.

Addimus, non solùm quantitatem fieri proximè aptam vt æquetur loco diuisibili, & impenetrabilem ratione dictæ proprietatis, sed etiam substantiam Corporis & Sanguinis Christi (& idem est de quacumque alia substantia & accidenti materialibus) fieri proximè aptam vt commensuretur, & correspondeat loco diuisibili ratione quantitatis, vt modificatæ, & etiam quòd sit impenetrabilis naturaliter cum altera substantia habente quantitatem modificatam dicto modo, & non ratione sui. Non negamus, tam substantiam materialem, quàm alia accidentia materialia, habere extensionem entitatiuam, seu distinctionem partium integralium entitatiuarum ratione sui; sed tantùm negamus, habere extensionem quantitatiuam & localem: ac proinde, quamuis in substantia & in accidentibus materialibus sit longitudo, latitudo, & profunditas entitatiua, in substantia substantialis, & in accidentibus accidentalis; nulla tamen ratione sui est quantitatiua, neque localis, id est ratione sui non est apta proximè vt commensuretur loco, nisi ratione longitudinis, latitudinis & profunditatis quantitatiuæ, vt modificatæ illo suo modo, sicut quantitas ipsa eo suo modo.

Valeat ergo modus dicendi Durandi & Maioris, qui absque efficaci fundamento est contra torrentem Theologorum, ob quod solet à nonnullis temerarius, & ab aliis erroneus notari. Vtraque tamen censura rigida videtur, quia dictus modus dicendi non est graui, quamuis non satis efficaci fundamento destitutus.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm quantitas, & reliqua accidentia Corporis & Sanguinis Christi sint in Eucharistia ex vi verborum.

COnueniunt Theologi, accidentia Christi distincta à quantitate, & non requisita ad organizationem Corporis quæ sunt in Eucharistia, esse in ea concomitanter tantùm, & per accidens, quia tantùm sunt in ea, quia reipsa sunt in Christo, & non quia significentur verbo aliquo consecrationis. Est tamen difficultas, An quantitas (& idem est de reliquis accidentibus requisitis ad organizationem saltem accidentalem Corporis) sit in Eucharistia ex vi verborum.

Circa hanc difficultatem sunt, qui doceant, quantitatem Christi esse in Eucharistia ex vi verborum, & per se, vel quia existimant, ad rationem cuiuscumque corporis esse necessariam quantitatem; vel quia existimant, nomine *corporis* in verbis consecrationis intelligi materiam primam cum quantitate.

Vasquez disp. 187. cap. 4. & Ochagauia q. 20. *Vasq. Ochag.* docent, quantitatem in communi Corporis esse ex Corpore vi verborum in Eucharistia; quantitatem verò in indiuiduo esse tantùm concomitanter, & per accidens; quantitatem autem Sanguinis Christi etiam esse tantùm concomitanter, & per accidens. Prima autem pars huius sententiæ probari potest, quia ex vi verborum consecrationis panis ponitur Corpus Christi organicum, & heterogeneum: ad hanc autem organizationem, & partium dissimilitudinem, necessaria est quantitas. Secunda verò pars probatur, quia ex vi verborum non ponitur corpus organicum determinatè viuum, neque determi-

terminatè mortuum, sed viuum vel mortuum sub disiunctione: in corpore autem viuo & mortuo non est eadem indiuidua quantitas, ergo ex vi verborum non ponitur indiuidua quantitas corporis viui, neque indiuidua quantitas corporis mortui, sed quantitas vtrique quantitati communis. Tandem probatur tertia pars, quia ad rationem Sanguinis, qui in Eucharistia ponitur ex vi verborum, non est requisita quantitas, quia non est organicus.

S. Thomas. Ægidius. Suarez. Adamus.

S. Thomas verò & Caietanus quæst. 76. art. 4. Ægidius artic. 2. num. 29. Suarez disp. 51. sect. 5. Adamus quæst. 5. dub. 2. & communiter Theologi docent, & meritò, quantitatem non solùm Sanguinis Christi, sed etiam Corporis ipsius, & secundùm omnem rationem, tam communem quàm indiuiduam, esse in Eucharistia tantùm per concomitantiam, & per accidens, & non ex vi verborum. Quod indicat Tridentinum sess. 13. cap. 4. dum ait, per cõsecrationem panis & vini fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, quibus verbis satis indicat, ex vi verborum consecrationis substantiam panis & vini conuerti tantùm in substantiam Corporis & Sanguinis Christi, & non in quantitatem, quia hæc est extra substantiam; id autem tantùm ponitur ex vi verborum, in quod fit conuersio ex vi illorum.

Et ratione probatur, quia ex vi verborum id tantùm ponitur in Eucharistia, quod ipsis significatur aut expressè aut implicitè, quia includatur in eo quod expressè significatur: verbis autẽ consecrationis non significatur quantitas, quia verbis consecrationis Sanguinis non significatur quantitas ipsius, quia ad sanguinem humanum Christi in forma consecrationis significatum non est requisita quantitas, neque in sanguine ipso includitur, vt patet, quia sanguis non est organicus; neque verbis consecrationis Corporis significatur quantitas illius, quia non significatur expressè, vt patet, neque implicitè, quia absque fundamento nomine *corporis* in forma consecrationis illius amplius intelligitur, quàm compositum ex materia prima, & ex forma substantiali, aut hominis, aut cadaueris sub disiunctione, quia corpus, vt sic, est sufficienter corpus humanum, saltem æquiuocè, & est sufficienter organicum, saltem æquiuocè, vt sit & dicatur corpus hominis, seu humanum saltem æquiuocè: quia vt corpus sit humanum, absque fundamento exigitur alia organizatio, quàm quæ includitur in dicto composito substatiali, siue hæc organizatio sit formalis organizatio substantialis, consistens in eo, quòd partes integrantes substantiales sint substantialiter integraliter dissimiles; siue sit organizatio substantialis radicalis, in eo consistens, quòd dicta substantia composita exigat organizationem formalem accidentalem ex quantitate, & ex nonnullis alijs accidentibus prouenientem, quia absque fundamento alia maior requiritur ad corpus humanum nomine *corporis* significatum ratione Pronominis *hoc* & Pronominis *meum*. Ex quo constat ad rationem Vasquez & Ochagauię: falsitas autem fundamenti Auctorum primi modi dicendi ex suprà dictis constat.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Christus sit in Eucharistia totus sub qualibet parte specierum.

COnueniunt Catholici, sub qualibet parte panis & vini consecrati separata, seu post diuisionem ipsius panis & vini, seu specierum panis & vini sub qua manet Corpus aut Sanguis Christi, totum Christum manere, & etiam totum Corpus & totum Sanguinem ipsius: quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 13. can. 3. In cuius probationem pluta adducunt Vasquez disp. 188. c. 1. & Suarez disp. 52. sect. 1. Manet autẽ Corpus aut Sanguis Christi sub qualibet parte separata, sub qua maneret substantia panis aut vini, & tamdiu manet sub illa, quamdiu sub illa maneret substatia panis aut vini, quia Corpus & Sanguis Christi, ad quorum positionẽ ponitur totus Christus, succedunt substantiæ panis & substantiæ vini loco ipsarum.

Vasquez. Suarez.

Est tamen difficultas; An Christus sit totus sub qualibet parte materiæ consecratæ, etiam ante diuisionem ipsius materiæ. & idem est de suo Corpore & Sanguine. Circa quam Theologi contra Albertum, existimantem, Christum ante diuisionem materiæ consecratæ esse totum in tota materia, & non totum, sed tantùm partem sub qualibet parte materiæ, conueniunt, Christum esse totum in tota materia consecrata, & totũ in qualibet parte materiæ, in qua est Corpus aut Sanguis Christi (sicut anima rationalis est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis) & meritò: quia Christus est in materia consecrata modo indiuisibili, & non subiecto mensuræ loci; ergo non tantùm est totus in tota materia, sed etiam totus in qualibet parte in qua est. Et quidẽ si Christus post diuisionem materiæ consecratæ est totus etiam in qualibet parte, in qua post diuisionem manet ipse Christus, etiam erat totus ante diuisionem, quia in diuisione non fit noua consecratio, vt patet.

Id verò quod addunt Alexander, Gabriel & Bonauentura, nempe etiam ante diuisionem materiæ consecratæ Christum non esse in partibus proportionalibus materiæ consecratæ, neque in partibus determinatis adeò paruis, vt in illis, si separarentur à toto, non posset ob ipsarum paruitatem conseruari substantia panis & vini, est falsum, vt contra dictos Doctores docent S. Thomas quæst. 76. art. 3. Vasquez cap. 3. Suarez sect. 2. & communiter Theologi: quia si Christus non est in ea parte minima, in qua separata non posset ob paruitatem conseruari substantia panis & vini, vel ergo in ea parte est pars Christi, vel nihil Christi. Si est pars Christi, ergo in ea & in aliis partibus minimis est Christus modo diuisibili, & subiecto mensuræ loci, quod est absurdum. Si verò in ea nihil est Christi, ergo nec in alia parte minima illi immediatè coniuncta, nec in alia vsque ad omnes, ergo in tota materia consecrata nihil erit Christi, quod est hæreticum. Est ergo totus Christus in qualibet parte, quantumuis minima, ante diuisionem materiæ.

Alexander. Gabriel. Bonauent.

Quod autem supponunt Alexander, Gabriel & Bonauentura, nempe posse esse partem panis & vini adeò paruam, vt in ea nequeat substantia panis & vini conseruari, falsum est; quia substantia

panis & vini non est organica, ad cuius solius conseruationem requiritur certa quædam magnitudo, ita vt minor non sufficiat: & addimus, quòd quamuis id admittatur (quod etiam admittit Vasquez disp. 171. cap. 2.) ac proinde, quòd in illis partibus minimis, si separarentur à toto, seu post diuisionem, non posset conseruari substantia panis & vini, ac proinde in illis post diuisionem seu separatis à toto non maneret Christus; nihilominùs erit in qualibet earum ante diuisionem & separationem, quia etiam in qualibet earum ante separationem conseruatur substantia panis & vini, cui post consecrationem succedit substantia Corporis & Sanguinis Christi sub eorum speciebus.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm totus Christus sit sub indiuisibilibus specierum panis & vini.

CApreolus in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 3. Scotus dist. 49. quæst. 4. art. 6. Suarez. disp. 52. sect. 2. & Nugnus quæst. 76. art. 3. partem affirmatiuam tuentur: quia Christus succedit substantiæ panis & vini sub ipsorum speciebus; sed substantia panis & vini erat sub indiuisibilibus specierum, ergo Christus est sub illis. Et id confirmatur & declaratur exemplo Angeli; quia Christus est sub speciebus modo indiuisibili instar Angeli existentis in aliquo corpore tamquam in loco; sed Angelus ita est in corpore tamquam in loco, vt sit in toto illo corpore & in qualibet parte, & in quolibet indiuisibili illius; ergo etiam Christus est sub totis speciebus, & sub qualibet parte, & sub quolibet indiuisibili. Quòd autem Angelus sit modo dicto in corpore, tamquam in loco, probatur, quia præsentia Angeli in se est continua & vnita, ergo corresponder omnibus partibus & indiuisibilibus corporis & spatii cui est præsens.

Scotus. Richardus. Vasquez. Ochagau.

Scotus verò in 4. dist. 10. quæst. 9. Richardus art. 6. quæst. 2. Vasquez disp. 188. cap. 4. & Ochagauia quæst. 21. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia substantia Corporis & Sanguinis Christi tantùm succedit substantiæ panis & vini sub eorum speciebus, & non succedit alij, ergo sub eo tantùm erat substantia Corporis & Sanguinis Christi, sub quo erat substantia panis & vini; sed hæc tantùm erat sub partibus diuisibilibus specierum, & non sub indiuisibilibus; ergo substantia Corporis & Sanguinis Christi, & Christus ipse non est sub indiuisibilibus earum. Quod autem substãtia panis & vini tantùm sit vel esset sub partibus diuisibilibus specierum (quantitatis videlicet, & aliorum accidentium) & non sub indiuisibilibus, probatur: quia sicut partibus quantitatis tantùm correspondent partes substantiæ, & non indiuisibilia, ita etiam indiuisibilibus quantitatis non correspondent partes substantiæ, sed tantùm indiuisibilia; ita vt sicut partes substantiæ sunt sub partibus quãtitatis, ita etiam indiuisibilia substantiæ sunt sub indiuisibilibus quantitatis: sed solùm partes substantiæ sunt substantia, & indiuisibilia substantiæ nõ sunt substantia, sed modi illius, partes enim v. g. panis sunt panis, indiuisibilia verò panis non sunt panis; ergo substantia Corporis & Sanguinis Christi tãtùm est sub partibus diuisibilibus specierũ panis & vini, & non sub indiuisibilibus, sub quibus non erat substantia panis & vini.

Ex quo constat ad rationem aduersariorum, Minorem illius esse falsam. Ad confirmationem verò desumptam ab exemplo Angeli, quamuis admittamus, Angelum esse præsentem aut vnitum indiuisibilibus corporis præsentia aut modo ipsis immediatè correspondente, quod non est certum, vt ostendit Vasquez 1. parte disp. 192. nihilominùs Christus non est præsens neque vnitus indiuisibilibus specierum, non quia non possit, si Angelus possit, sed quia Christus non instituit, substantiam sui Corporis & Sanguinis succedere indiuisibilibus substantiæ panis & vini, sed tantùm ipsorum substantiæ, & ideò indiuisibilibus specierum panis & vini non est præsens neque vnita, nisi tantùm extrinsecè, quatenus videlicet est præsens aut vnita partibus specierum, quæ sunt proximæ suis indiuisibilibus. Vnde similitudo Angeli & Christi, quoad modum existendi indiuisibiliter, tantùm tenet quoad hoc, quòd sicut Angelus ita est in corpore, vt sit totus in toto, & totus in qualibet parte; ita etiam Christus sit sub speciebus: non verò tenet quoad modum existendi sub indiuisibilibus, quia quoad hunc modum magis assimilatur modo existendi animæ rationalis in materia prima, quia anima ita est tota in tota materia, & tota in qualibet parte materiæ, vt nõ sit in indiuisibilibus materiæ, quia non informat illa: ac proinde præsentia aut vnio Corporis Christi sub speciebus, aut cum speciebus, non aliter est continua ex parte termini, nempe ex parte specierum quibus est præsens aut vnitum, nisi quia facit corpus præsens aut vnitum partibus continuatis, mediis indiuisibilibus.

Obseruandũ tamẽ est, Christum esse sub lineis & superficiebus specierum existentibus tempore consecrationis: quia lineæ & superficies substantię, v. g. panis, quæ lineis & superficiebus specierum correspondebant, sunt verè substantia panis, sicut etiam lineæ & superficies quantitatis sunt verè quantitates, vt Aristoteles docet cap. de Quantitate: quia quamuis linea & superficies tam substantiæ quàm quantitatis sint modi indiuisibiles secundùm quid, quia linea est indiuisibilis secundùm latitudinẽ, & superficies secundùm profunditatem; absolutè tamen sunt res, & diuisibiles, & partes ipsarum, & continuantur suis indiuisibilibus. Est tamen discrimen, quòd linea, & superficies, & profunditas quantitatis, sunt diuersæ species quantitatis: quia extensio quantitatiua secundùm se, in qua essentia quantitatis consistit, est diuersa specificè in illis tribus; linea verò, superficies, & profunditas substantiæ non sunt diuersæ species substantiæ, quia id in quo essentia substantiæ consistit, non est diuersum secundùm speciem in illis. Vnde superficies panis poterit validè consecrari, quia est pars substanoiæ, & est sensibilis; non tamen poterit licitè. Addidimus, *sub lineis & superficiebus existentibus tempore cõsecrationis*; quia in nouis lineis & superficiebus, quę diuisione specierum Sacramentalium nouiter fiunt, non est Christus, quia non erant, quando facta fuit consecratio; & nunc non consecrantur nouiter, neque consecrari possunt, quia sub eis non est substantia panis & vini (quæ sola est materia consecrationis) quia destructa fuit ex vi consecrationis, neque esse potest in illis absque eo quod sit in profunditate, in qua verè non est, quia non est nisi profunditas antiqua, in qua verè fuit destructa ex vi consecrationis.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm vnum & idem corpus posſit aliquo modo de potentia Dei abſoluta eſſe ſimul in pluribus locis.

HÆretici, vt faciliùs negent, Corpus Chriſti, quod eſt in cælo, poſſe eſſe ſimul in Euchariſtia, docent, vnum & idem corpus nullo modo poſſe de potentia Dei abſoluta eſſe ſimul in pluribus locis. Quod ſentire videtur Auguſtinus l. 20. contra Fauſtum cap. 11. dum ait, Chriſtum non potuiſſe ſimul eſſe in Sole, & in Luna, & in cruce: & indicari videtur Matthæi vltimo, dum de Chriſto dicitur, *non eſt hic*, ſurrexit enim: quia hæc particula cauſalis *enim* frigida eſſet, ſi vnum & idem corpus poſſet eſſe ſimul in pluribus locis. Et ratione probari poteſt Primò ab exemplo, quia vnum corpus nequit ſimul eſſe in pluribus tẽporibus, ergo neq; in pluribus locis. Secũdò, quia omne quod eſt in loco, vel eſt in eo circumſcriptiuè, vel definitiuè: quod autem circumſcribitur loco, vel eo definitur, ita eſt in vno loco, vt non ſit in alio, alioquin non circumſcriberetur neq; definiretur loco.

Conueniunt tamen Catholici, vnum & idem corpus poſſe ſimul eſſe in pluribus locis diſcretis Sacramentaliter, ſeu indiuiſibili modo, imò in vno circumſcriptiuè, & in alio vel in aliis Sacramentali & indiuiſibili modo: quia de Fide conſtat, Corpus & Sanguinem Chriſti de facto in nocte cœnæ fuiſſe circumſcriptiuè & naturali modo in menſa, & Sacramentaliter in diuerſis particulis quas Diſcipulis porrigebat; & etiam nunc eſſe in cælo circumſcriptiuè & naturali modo, & in pluribus ſpeciebus panis & vini conſecratis modo Sacramentali & indiuiſibili, quod definit Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 1. ergo id fieri poteſt diuina virtute.

Et ratione probatur, quia nulla apparet repugnantia & contradictio in eo, quòd Deus in eodem corpore ſimul producat varias præſentias, aut modos vnionis cum variis rebus diſtantibus localiter, ergo id non eſt negandum diuinæ virtuti. Antecedens autem conſtabit ex ſolutione eorum, quibus dicta repugnantia contenditur oſtendi: & declaratur, quia præſentia, aut modus vnionis corporis cum alia re extra ipſum, reſpicit eam rem extrinſecam, ſeu extrinſecum illud cui ſit præſens aut vnitum; ergo ex hac parte non repugnat, multiplicari, extrinſeco illo multiplicato: & aliàs dicta præſentia aut modus vnionis eſt quid ſuperadditum ſubſtantiæ corporis, & extra ipſam; ergo neque ex hac parte repugnat, multiplicari, quamuis non multiplicetur corpus.

Ad teſtimonium autem Auguſtini reſpondemus, eum, dum ait, Chriſtum non potuiſſe eſſe ſimul in Sole, & in Luna, & in cruce, loqui naturaliter, quia loquitur contra Manichæos, dicentes Chriſtum fuiſſe phantaſma abſq; carne, & etiam fuiſſe crucifixum, & per Solem & per Lunam diſtentum: quia contra eos vtitur eo dilemmate, Si Chriſtus eſt ſpiritus, non potuit pati; ſi corporeus, non potuit eſſe ſimul in Sole, & in Luna, & in cruce. Ergo ſicut, quando ait, ſpiritum non poſſe pati, loquitur naturaliter, quia ex ſententia ipſius lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 10. ſpiritus diuina virtute pati poteſt: ita etiam loquitur naturaliter, quando ait, Chriſtum nõ potuiſſe eſſe ſimul in Sole, & in Luna, & in cruce, & vim habet contra Manichæos, quia iſti tantùm loquebantur naturaliter.

Ad teſtimonium Matthæi reſpondemus, eam conſequentiam cauſalem, *non eſt hic, quia ſurrexit*, eſſe optimam, & non frigidam, quamuis idem corpus poſſit eſſe ſimul in pluribus locis, quia ſepulchrum non eſt niſi pro mortuis, & ideò optimè intulit, *quia ſurrexit*, ſeu ad vitam rediuit, non eſt in ſepulchro.

Ad primam rationem, ab exemplo temporum deſumptam, reſpondemus, diſcrimen eſſe inter diuerſa tempora, ſeu inter diuerſas partes eiuſdem temporis, vt in eis idem corpus nequeat eſſe ſimul, ſi verè nequit; & inter diuerſa loca aut ſpatia, vt in eis poſſit eſſe ſimul: quia plures partes temporis, vtpote eſſentialiter ſucceſſiui, nequeunt eſſe ſimul, plura verò loca & ſpatia poſſunt eſſe, & de facto ſunt ſimul; & ideò, ſi aliàs non repugnet (vt verè non repugnat) poterit idem corpus eſſe ſimul in pluribus locis & ſpatijs, quamuis nequeat eſſe ſimul in diuerſis partibus temporis.

Ad ſecundam reſpondemus, quòd etiamſi id, quod circumſcribitur loco, aut eo definitur, nequeat naturaliter eſſe ſimul in alio, poteſt tamen diuina virtute: quia eſſe circumſcriptiuè in loco, & eſſe definitiuè in eo, non eſt ita eſſe in vno loco, vt non ſit in alio; ſed eſſe circumſcriptiuè in loco, eſt eſſe in illo commenſuratiuè ei correſpondẽdo, ita vt ipſi loco coëxtendatur; & eſſe definitiuè in loco, eſt eſſe in illo abſque dicta correſpondentia & commenſuratione.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm idem corpus de potentia Dei abſoluta poſſit eſſe ſimul in pluribus locis adæquatis circumſcriptiuè.

BOnauentura in 4. diſt. 49. 2. parte diſt. art. 2. *Bonauent.* Durandus diſt. 10. q. 1. Paludanus quæſt. 1. *Durandus.* Vaſquez diſp. 189. cap. 5. & plures alij, partem *Paludan.* negatiuam tuentur. *Vaſquez.*

Primò, quia ſi vnum corpus poſſet diuina virtute in pluribus locis conſtitui, etiam poſſet conſtitui in toto vniuerſo, & conſequenter vbique, quod creaturæ repugnat, ſicut & attributum diuinum immenſitatis, ratione cuius Deus eſt vbique.

Secundò, Quia ſi idem corpus conſtitueretur ſimul in pluribus locis diſcontinuis, eſſet à ſe ipſo diſtinctum, quia ratione diſtantiæ eſſet à ſe ipſo diſcretum & diuiſum.

Tertiò, Quia impoſſibile eſt, idem corpus ſecundùm eamdem partem ſe ipſum tangere, & ſibi ipſi eſſe contiguum, & ſibi ipſi occurrere; ergo impoſſibile eſt, conſtitui in pluribus locis: quia ſi in illis poſſet cõſtitui, poſſet ſic conſtitui vt ſibi ipſi eſſet contiguum, & ſe ipſum tangeret, vt patet, & quòd in vno loco conſtitutum, ita poſſet verſus alterum locum moueri, vt ſibi ipſi occurreret.

Quartò, Quia materia prima nequit diuina virtute habere plures formas ſubſtantiales, quia naturaliter tantùm eſt capax vnius, & diuina virtute nequit recipere id cuius non eſt capax: ſed vnum corpus naturaliter tantùm eſt capax vnius præſentiæ circumſcriptiuæ, ergo diuina virtute nequit plures ſimul habere.

Quintò, Quia ſi idem corpus poſſet eſſe in pluribus locis circumſcriptiuè, poſſet in omnibus illis

illis propria virtute naturali moueri, aut in vno quiescere, & in alio moueri: Consequens autem est impossibile, quia impossibile est, virtute naturali duas præsentias adæquatas produci; ergo & Antecedens. Consequentia conditionalis probatur: quia si lapis extra centrum supra trabē simul constituatur in duobus locis, & trabes remoueatur, tunc mouebitur duobus motibus deorsum simul à principio intrinseco, nempe à sua grauitate, quia extra centrum erat in statu violento: & si lapis in centro constituatur, & simul etiam extra illud supra trabem, tunc remota trabe, à principio intrinseco quiescit naturaliter, & ab eodem principio simul naturaliter mouetur deorsum.

Sextò, Quia si vnum corpus posset simul esse in duobus locis circumscriptiuè, posset non solùm simul moueri motibus contrarijs, nempe sursum & deorsum, accedere ad vnum locum, & simul ab eo recedere; & in vno calefieri, & in alio simul frigefieri in gradibus intensis: sed etiam possent illi prædicata priuatiuè opposita simul cōuenire, quia posset in vno viuere, & simul in alio interfici; in vno visum habere, & in alio simul priuari visu; in vno quiescere, & in alio simul moueri; quia corpori existenti in diuersis locis possent causæ contrariæ applicari, & posset in vno applicari causa, & non in alio.

Scotus. Richardus. Gabriel. Marsil. Bellarmin. Suarez. Becanus.

Scotus verò in 4. dist. 10. quæst. 2. Richardus quæst. 2. Gabriel quæst. vnica art. 2. Marsilius in 4. quæst. 7. artic. 3. Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 3. & 4. Suarez disp. 38. sect. 4. & Becanus c. 17. quæst. 14 partem affirmatiuam tradunt, & meritò, Primò, Quia Christus sæpè post ascensionem in cælum apparuit in terris, & tamen à die Ascensionis numquam deseruit cælum; ergo simul fuit circumscriptiuè in cælo, & etiā in loco terræ in quo apparuit. Et in primis Christū post ascensionem apparuisse in terris, constat, quia Act. 9. & 22. refertur apparuisse Paulo in via, & Hegesippus lib. 3. de Excidio Ierosol. cap. 2. Ambrosius Oratione contra Maxentium, & Athanasius in Apologia pro sua fuga, referunt, Christum Paulo apparuisse in terris: & idem Athanasius in Vita Antonij refert, Christum apparuisse Antonio: & Gregorius l. 4 Dialog. cap. 16. refert, Christum apparuisse Tarsilæ auiæ suæ: & Ioannes Diaconus in Vita Gregorij refert, Christum Gregorio apparuisse: & nouissimè S.P.N. Ignatio Christum apparuisse, & ipsi suam propitiationem obtulisse, in eius Vita refertur. Quòd verò Christus à die Ascensionis non deseruerit neque deserturus sit cælum vsque in diem iudicij, significatur Act. 3. illis verbis: *Quem* (nempe Christum) *oportet cælum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium.* & Act. 1. Angeli in die Ascensionis satis indicarunt, Christum non deserturum cælum quousq; ad iudicandum veniat. Et non minùs indicatur Psalm. 109. illis verbis: *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* id est, vsque in finem, vt exponit Paulus 1. ad Corint. 15. Et id supponit Tridentinum sess. 13. cap. 1. dum, postquam dixit, Christum esse præsentem in Eucharistia, subdit, non pugnare, *vt Saluator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, iuxta modum existendi naturalem, & vt in multis alijs locis Sacramentaliter adsit.*

Hegesipp. Ambros. Ioan. Diac.

Quòd si respondeas, Christum non apparuisse in propria persona, sed in persona alicuius Angeli qui personam Christi gerebat; Contra responsionem est, quod Paulus 1. ad Corinth. 15. in confirmationem resurrectionis Christi refert, Christum sibi apparuisse; ex eo verò quòd Christus ipsi apparuisset in persona Angeli, vel non satis confirmaret Christum resurrexisse & viuere, vel saltem non ita benè, ac ex eo quòd ipsi in propria persona apparuisset.

Id verò quod Caluinus respondet, nempe Christum non apparuisse in terris, sed in cælo, dicitur absque fundamento, imò & contra textum; quia in eo dicitur Christum apparuisse Paulo in via, & extitisse, & Paulum & comites ipsius vocem Christi intra lucem, quæ in aëre circumfulsit, audiuisse.

Secundò opinio nostra probatur, Quia Corpus Christi de facto est in pluribus locis, in vno, nempe in cælo, circumscriptiuè, modo scilicet quantitatiuo, & naturali cum modo extensionis in ordine ad locum; & in alijs Sacramentaliter absque eo modo extensionis: ergo diuina virtute potuit & potest esse in pluribus modo quantitatiuo, & extensionis. Consequētia patet, quia facilius est, & magis consentaneum corpori existenti in vno loco modo quantitatiuo & naturali, constitui in alio loco modo etiam naturali & quantitatiuo, quàm modo Sacramentali & indiuisibili, absque modo illo extensionis quem habet in alio loco. Et in primis id est magis consentaneū, quia modus ille extensionis est connaturalis corpori habenti quantitatem: deinde id est facilius, quia facilius est rem conseruare aut constituere in alio loco cū suo modo & proprietate naturali, quàm absque ea; quia ad conseruandā vel constituendam rem illam in alio loco absq; modo & proprietate naturali, est necessarium nouum miraculum, quia nequit absque miraculo res priuari suo modo & proprietate naturali; ergo facilius est, & magis consentaneum corpori, quod habeat plures præsentias quantitatiuas, & proportionatas dicto modo extensionis, & proprietati naturali ipsius corporis, quàm plures, quarum vna sit proportionata dicto modo extensionis, & altera quæ sit proportionata carentiæ illius modi.

Tertiò opinio nostra probatur, Quia nulla apparet repugnantia & contradictio in eo, quòd corpus cum suo modo naturali extensionis in ordine ad locum, constituatur in pluribus locis circumscriptiuè, ergo id non est diuinæ virtuti denegandum. Consequentia patet, Antecedens autem constabit ex solutione eorum, quibus contradictio contenditur ostendi. Et declaratur Primò, quia pluritas præsentiarum non repugnat substantiæ corporeæ, habenti quantitatem absque modo extensionis, ergo non repugnabit illi habenti quantitatem cum eo modo, quia modus iste est connaturalis substantiæ habenti quantitatem. Et declaratur Secundò, quia ex vna parte præsentia quantitatiua respicit extrinsecum, nempe locum; & ex altera est quid superadditum corpori, & quantitati, & modo extensionis; ergo non repugnat, quòd multiplicato loco extrinseco, multiplicentur præsentiæ in corpore, quamuis neque corpus, neque eius quantitas, neque modus extensionis multiplicentur.

Ad primam verò rationem aduersariorum concedimus, vnum corpus posse constitui simul in toto vniuerso seu vbique (quamuis non eadem præsentia, ita vt habeat totum vniuersum pro loco quasi adæquato, sed varijs præsentijs, & varijs vbij alias

aliàs minus corpus adæquaretur maiori, quod est impossibile, quia relatio æqualitatis nequit variari, quamdiu in extremis manet eadem extensio) id tamen non repugnat creaturæ, ob rationem dictam; neque id est proprium Dei, quamuis immensitas, ratione cuius Deus est vbique, sit propria Dei, & distincta à forma, vel à formis quibus creatura est vbique; quia formæ istæ sunt accidentia realia participata, vel quædam extrinsecæ denominationes: sicut neque creaturæ repugnat esse ab æterno, & durare in æternum, durationè quadam seu æternitate participata, & distincta ab æternitate diuina.

Ad secundam negamus, ex eo quòd vnum corpus constituatur in duobus locis discontinuis adæquatis, inferri, quòd distinguatur & diuidatur à se ipso: sicut neque ex eo quòd duo corpora penetrentur, & sint in eodem loco, infertur, fieri vnum. Ratio vtriusque est, quia vnitas & pluralitas subiecti non sumitur ex vnitate & pluralitate accidentis, ac proinde nec vnitas & pluralitas corporis ex vnitate præsentiæ, quæ est accidentalis, & superaddita corpori, & extra entitatem ipsius, sed vnitas subiecti sumitur ex indiuisione, & pluralitas illius ex diuisione entitatis ipsi subiecto intrinsecæ.

Ad tertiam concedimus, impossibile esse, idem corpus se ipsum verè tangere, & sibi ipsi esse verè contiguum, & sibi ipsi occurrere secundùm eamdem partem; negamus tamen, id sequi ex eo, quòd idem corpus constituatur simul in pluribus locis circumscriptiuè adæquatis, sed ad summum sequitur, quòd id possit fieri secundùm diuersas partes, non verò secundùm eamdem, nisi apparenter ex eo quòd constituatur in pluribus locis contiguis.

Ad quartam negamus, repugnare, vnam materiam primam simul recipere plures formas substantiales, præsertim si nulla vel vna sola educatur de potentia illius. Et quamuis id repugnaret, non tamen, corpus simul esse in pluribus locis circumscriptiuè: quia si materia prima non posset simul plures formas substantiales recipere, non esset ex eo quòd non posset illas naturaliter vel ab agente naturali recipere, quia anima rationalis nequit naturaliter & ab agente naturali gratiam habitualem recipere, & tamen diuina virtute potest; sed esset ex eo, quòd in materia prima nulla esset potentia innata ad id: at in corpore, quamuis naturaliter nequeat altera præsentia produci, non extracto corpore ab antiquo loco, in ipso tamen corpore conijcitur esse potentia innata ad plures præsentias quantitatiuas simul (non minùs quàm in subiecto ad plura accidentia contraria in gradibus intensis) quia in corpore agnoscitur potentia innata ad plures præsentias Sacramentales simul, quæ sunt minùs proportionatæ corpori, quàm quantitatiuæ, etiam si nequeat illas naturaliter habere.

Ad quintam respondemus, corpus extra centrum in duobus locis simul circumscriptiuè constitutum, v.g. lapidem constitutum supra trabem, quamuis auferatur trabes, non posse propria virtute naturali moueri, quia non habet virtutem ad duos motus simul quibus tunc deberet moueri, quia non esset maior ratio ob quam lapis ab vno loco moueretur, quàm ab altero, sed tunc se sisteret defectu virtutis motiuæ: imò ex defectu huius non esset in statu violento, sed præternaturali, quia non grauitaret, cùm eius grauitas non sit sufficiens ad imprimendum impulsum ad descendendum, non quia grauitas mutaretur, sed quia non esset sufficiens ad imprimendum impulsum ad descendendum ex duobus locis, ex quibus deberet descendere medio impulsu impresso à grauitate ipsius lapidis; & non posset ex vno tantùm, quia non esset maior ratio ob quam descenderet ex vno, quàm ex altero. Tunc autem in eo duplici loco conseruaretur à Deo cum illa duplici præsentia: at si Deus suspenderet concursum, quo duplicem illam præsentiam conseruaret, tunc lapis maneret existens in rerum natura absque loco, quia non posset moueri, cùm eius grauitas existens extra locum, ad nullam partem determinatam inclinaret, exigeret tamen tunc à solo Deo constitui in aliquo loco, in hoc aut in illo, pro arbitrio Dei; & eadem proportione, si lapis à Deo constitueretur in centro, & extra centrum, tunc esset in centro, & extra illud, præsentijs à Deo productis & conseruatis: & quamuis, si à Deo derelinqueretur, non moueretur propria virtute ad centrum, in eo tamen propria virtute quiesceret, in ea scilicet parte in qua à Deo conseruabatur.

Addimus autem, quòd quando Deus corpus, quod propria virtute existit in vno loco, constitueret in alio, ex tunc corpus desineret esse in suo antiquo loco (nisi præsentia in isto antiquo etiam conseruaretur à solo Deo) quia præsentia illa noua à Deo producta & conseruata impediret, ne corpus propria virtute se sisteret in illo antiquo loco: sicut si solus Deus conseruaret corpus in loco, impediendo concursum corporis, ne ad eam præsentiam concurreret, non posset propria virtute ex eo loco exire, quia virtus propria corporis vltra præsentiam sibi sufficientem, quam inuenit iam productam, nequit producere aliam; sicut aqua non concurreret ad producendam in se ipsa humiditatem aliquam, si sibi sufficientem inueniret à Deo productam.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm corpus existens simul in pluribus locis, habeat necessariò easdem formas, & eadem prædicata ex eis prouenientia, in omnibus illis.

COnueniunt Doctores, eam præsentiam localem (quæ dicitur Vbi) quam corpus in pluribus locis existens, habet in vno loco, non esse in alio, sed in quolibet loco habere distinctam, quia præsentia localis ita immobiliter respicit spatium cui adest, vt extra ipsum spatium nequeat perseuerare eadem, ac proinde ex formis, quæ intrinsecè respiciunt præsentiam localem determinatam, vt ex motu & quiete, vnam, quam corpus existens in pluribus locis habet in vno loco, posse non habere in alio; &, si habet aliquam, talem esse verè distinctam ab ea quam habet in alio: & ita corpus existens in pluribus locis, posse in vno loco moueri sursum & in alio deorsum; & in vno loco stare, & in alio sedere; & posse in vno moueri, & in alio non moueri: & hoc posterius, non quia corpori existenti in alio loco deficeret absolutè motus, quia verè non deficit, sed quia in alio loco deficit præsentia motus: ex eo enim, quòd corpus in vno

vno loco existens habeat aliquam formam, & existens in alio non habeat illam in eo alio, non sequitur contradictio, quia ad hanc requiritur affirmatio & negatio eiusdem de eodem: hoc autem quòd sit eiusdem de eodem, requiritur quòd forma, aut prædicatum, respiciens intrinsecè præsentiam determinatam, affirmetur & negetur de subiecto, non solùm respectu eiusdem temporis; vt generaliter ad contradictionem requiritur in omnibus prædicatis; sed etiam de subiecto respectu eiusdem loci, quia hunc & præsentiam in ipso respicit intrinsecè, quod in casu dicto non contingit. Vnde quamuis de corpore illo absolutè verè dicamus moueri, non tamen possumus absolutè verè dicere non moueri, quia eo denotatur in nullo loco moueri, sed tantùm possumus affirmare, non moueri in illo alio loco.

Est tamen difficultas de formis absolutis à loco determinato, & eum non respicientibus intrinsecè, vt de albedine & nigredine, de visu & de cæcitate, de vita & de morte, & de alijs huiusmodi, an scilicet necessariò conueniant corpori & subiecto, seu illud comitentur in omnibus locis, in quibus fuerit simul existens. Scotus in 4. dist. 10. q. 2. & 4. Marsilius q. 7. & 8. ar. 3. Vasquez disp. 189. c. 4. & Rub. 4. Phys. quæst. 8. docent, dictas formas necessariò comitari corpus in omnibus locis in quibus simul fuerit, imò ita necessariò, vt oppositum fieri nequeat de potentia Dei absoluta: quia quæ sunt absoluta à loco determinato, conueniunt corpori aut subiecto secundùm se, absque respectu ad locum, ratione solius vnionis cum ipso corpore aut subiecto: ergo vbicumque fuerit corpus aut subiectum, etiam erunt illa ratione vnionis cum illo.

Scotus. *Marsilius.* *Vasquez.* *Rubianus.*

Alexander verò 4. par. quæst. 11. memb. 1. art. 1. Gabriel in 4. dist. 10. Maior q. 4. Suarez disp. 48. sect. 5. & Conimbricenses 4. Phys. c. 5. q. 5. art. 2. docet, de potentia Dei absoluta fieri posse, vt dictæ formæ, quæ reperiuntur cum corpore in vno loco, nõ reperiantur cũ illo in alio loco, & meritò: quia nulla in eo reperitur contradictio & repugnantia, ergo fieri potest de potentia Dei absoluta. Consequentia patet, Antecedens autem, præterquam quòd constabit ex solutione rationis aduersariorũ, etiã constat exemplo præsentiæ localis, quæ quamuis sit vnita corpori, non tamen est cũ eo in alio loco, neq; esse potest, ob rationem supra adductam; & etiam exemplo modi extensionis, in ordine ad locum, qui conuenit quantitati secundùm se independenter à loco determinato, & tamen reperitur cum quantitate Christi in cælo, & non cum eadem in Eucharistia; ergo non repugnat, formas à loco determinato absolutas non comitari corpus vbicumque fuerit. Id autem nequit aliter fieri, nisi ex eo quòd Deus, conseruata præsentia propria formæ, ratione cuius est cum corpore in vno loco, impediat aut non producat aliam præsentiam, ratione cuius deberet esse cum eodem corpore in alio loco; seu ex eo, quòd Deus multiplicet præsentiam corporis, & non dictæ formæ.

Alexander. *Gabriel.* *Maior.* *Suarez.* *Conimbr.*

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, ea quæ sunt absoluta à loco determinato, conuenire corpori secundùm se, absque respectu ad locum determinatum, ratione vnionis cum ipso corpore; negamus tamen consequentiam, seu, inde inferri, illa ita necessariò debere comitari corpus vbicumque fuerit, vt id nequeat diuina virtute impediri, quia ad id non sufficit sola vnio illorum cum subiecto, sed etiã est necessaria præsentia ipsis superaddita, quam Deus impedire potest, non concurrendo ad productionem illius. Vnde quamuis præsentia dictarum formarum sit impertinens, vt corpus illas absolutè habeat, quia illas sufficienter habet absolutè ratione vnionis illarum cum ipso; non tamen est impertinens vt illas habeat in hoc aut in illo loco, quia ad hoc non tantùm est necessaria præsentia subiecti in eo loco, sed etiam illarum formarum in eodem loco. Fatemur, dictas formas ratione vnionis cum subiecto, naturaliter acquirere præsentiam in omnibus locis in quibus sit subiectum, siue producatur à Deo ad exigentiam dictæ vnionis, siue ab vniente illas formas, siue ab ipsis formis vnitis, de quo dicemus Disputatione VI. Difficultate VI.

Ex dictis deducimus, diuina virtute fieri posse, vt forma, v. g. anima rationalis, informet materiam primam in vno loco existentem, & non informet illam simul existentem in alio, quia forma potest carere præsentia in hoc alio loco; aut, quod idem est, fieri posse, quòd materia prima in vno loco existens habeat animam rationalem in eo loco, & quòd nõ habeat illam in alio. Tunc autem, quamuis esset verum, *Petrus*, verbi gratia, *est viuens*, non tamen esset verum absolutè, *Petrus non est viuens*, quia sensus huius est, *Petrus nullo modo est viuens*, quod est falsum; esset tamen verum, *Petrus in alio loco non est viuens*, quia in eo alio loco non est anima, à qua in eo sit viuens: & si anima Petri nullam habeat præsentiam (quod non repugnat) tunc quamuis esset verum, quòd Petrus non est viuens in aliquo loco, esset tamen absolutè verum, quòd Petrus est viuens, quia in rerum natura anima rationalis Petri est vnita materiæ primæ. Et eodem modo fieri potest, vt anima rationalis in vno loco existens, habeat gratiam habitualem; & in alio simul existens, non habeat illam in illo alio, si gratia careat præsentiâ in hoc alio loco: in hoc tamẽ loco exsistens nõ erit in peccato mortali, quamuis in eo loco non sit præsens gratia habitualis, quia peccatum mortale secundùm se expellitur ab anima, & desinit esse in illa secundùm se, per gratiam secundùm se, ratione vnionis gratiæ ad animam independenter à loco, & à præsentia gratiæ & animæ. Quod autem non reperitur in subiecto aliquo secundùm se, in eo nullibi seu in nullo loco reperitur. Et ob eamdem rationem, si homo in vno loco existens interficiatur ab agenti naturali, erit interfectus in omni loco, quia agens naturale non interficit destruendo solam præsentiam animæ, sed destruendo vnionem animæ cum materia prima; quæ si in vno loco destruitur, manet in omni loco destructa. Deus autẽ posset interficere hominem prout in vno loco, non interficiendo illum absolutè, destruendo videlicet præsentiam animæ in eo loco, & non destruendo vnionem animæ cum materia prima.

Ex dictis ergo ad sextam rationem aduersariorum Difficultate præcedenti, ab inconuenientibus desumptã, constat, corpus in pluribus locis simul existens, posse in vno moueri sursum, & in alio simul deorsum; & ad vnum locũ accedere, & simul ab eo recedere (non recessu sumpto pro detentione loci, sed pro motu ab eo loco ad nouum locum;) & posse in vno moueri, & in alio non moueri: quia isti motus & istæ formæ conueniunt corpori per respectum ad locum determinatum, ac proinde possunt

possunt variari in varijs locis: non verò posse magis calefieri & frigefieri, quàm si esset in vno tantùm loco, quia calor & frigus conueniunt corpori secundùm se independenter à loco: ac proinde non posse, quamuis existat in varijs locis, calefieri & frigefieri simul in gradibus intensis, quia quartus gradus, v. g. caloris, secundùm se nequit esse in eodem corpore cum quinto frigiditatis, quia secundùm se indepẽdenter à loco sunt incompossibiles in eodem subiecto secundùm se. Constat quoque, corpus posse in vno loco esse viuens, & in alio esse mortuum, seu non viuens, & carens vita; & in vno loco habens visum, & in alio non habens visum, seu carens visu, carentiâ non sumptâ pro separatione animæ & visus à subiecto, sed sumptâ pro absentia seu carentia præsentiæ animæ & visus; id est, non quia materiæ deficiat anima, & subiecto deficiat visus, quia reuerà illis non deficiunt; sed quia animæ & visui deficiat præsentia in eo alio loco: quia quamuis, vt subiectum dicatur absolutè habere formam aliquam, non sit necessaria præsentia subiecti, neque formæ, neque vnionis inter ea, sed sufficiat vnio formæ secundùm se, cum subiecto secundùm se; nihilominùs, vt subiectum dicatur habere formam in hoc aut in illo loco, non sufficit dicta vnio, sed vltra eam etiam requiritur præsentia subiecti, & formæ, & vnionis inter ea in eo loco, quia præsentiâ cuiuslibet ex tribus dictis deficiente in eo loco, non dicitur forma haberi à subiecto in eo loco, etiam si absolutè dicatur ab eo haberi; ac proinde ex prædictis nulla sequitur contradictio, quia quamuis in eis affirmatio attribuatur absolutè subiecto, negatio tamen non attribuitur eidem absolutè, sed respectiuè ad locum, seu præexistenti in loco.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm Christus sit in Eucharistia tamquam in loco.

COnueniunt Primò Theologi, Christum verè & realiter & substantialiter esse in Eucharistia, vt definit Tridentinum sess. 13. cap. 1. & esse in ea non diuisibiliter & modo quantitatiuo, sed indiuisibiliter & modo spirituali, vt diximus Difficultate 11. *Trident.*

Secundò communiter conueniunt, in Christo esse aliquid intrinsecum, ratione cuius sit præsens in Eucharistia, quia in ea est realiter & substantialiter præsens (vt Tridentinum definit) quo denotatur esse præsentem modo aliquo intrinseco.

Tertiò communiter conueniunt, hoc intrinsecum, ratione cuius Christus est præsens in Eucharistia, esse ex natura rei distinctum ab ipso Christo, quia Christus potest esse, & de facto fuit in rerum natura absque dicta præsentia in Eucharistia.

Est tamen difficultas, quid sit intrinsecum istud, ratione cuius Christus est præsens in Eucharistia, an scilicet sit præsentia localis, pertinens ad prædicamentum Vbi, habens rationem seu respectum immobilitatis, & distantiæ, & propinquitatis in ordine ad puncta per imaginationem fixa, an verò tantùm sit modus aliquis vnionis seu coniunctionis cum speciebus Sacramentalibus, habentibus præsentiam localem, pertinentem ad prædicamentum Vbi.

Vasquez disp. 190. cap. 3. & Ochagauia q. 23. docent, intrinsecum istud esse modum vnionis, quo Christus vnitus est speciebus, ratione tamen illius non esse proximè & formaliter præsentem, sed remotè & radicaliter; quia ex eo, quòd Christus vnitus est speciebus, est & dicitur præsens extrinsecè in loco specierum à præsentia specierum cum quibus est vnitus, extrinseca videlicet denominatione præsentiæ prouenientè à præsentia specierum: quia generale existimant, nullam rem, nisi quantitatem modo extensionis affectam, habere præsentiam propriam & intrinsecam ad prædicamentum Vbi pertinentẽ, quia nulli rei, nisi quantitati dicto modo affectæ, possit ratione sui conuenire respectus distantiæ & propinquitatis, qui est proprius præsentiæ localis, quia quælibet alia res caret extremis, ratione quorum possit quoad distantiam & propinquitatem mensurari, Christus autem in Eucharistia caret modo extensionis in ordine ad locum. *Vasquez. Ochagau.*

Scotus verò in 4. d. 11. quæst. 1. & 2. & Suarez disp. 47. sect. 2. Becanus cap. 17. quæst. 12. docent, illud intrinsecum, ratione cuius Christus in Eucharistia est præsens in loco specierum, esse præsentiam localem propriam & intrinsecam Christi, pertinentem ad prædicamentum Vbi, & meritò: quia generaliter quælibet res creata, quamuis nulli alij vnita, verè & ratione sui potest esse propinqua, & distans à punctis imaginatione fixis, non minùs quàm quantitas modo extensionis affecta, quia oppositum nullo sufficiente fundamento probatur; ergo Christus, & quælibet alia res, non minùs quàm quantitas modo extensionis affecta, potest esse præsens præsentia locali intrinseca ad prædicamentum Vbi pertinente. Et confirmatur, quia quælibet res creata coëxistit tempori primi mobilis, aut tempori imaginario per aliquid sibi intrinsecum, quod est duratio ipsius rei; ergo etiam coëxistit spatio loci per aliquid sibi proprium & intrinsecum; ergo Christus est præsens in loco specierum modo aliquo sibi intrinseco. Quòd autem hoc intrinsecum ad prædicamentum Vbi pertineat, ex eo constat, quòd Christus ratione illius est in distantia & in propinquitate ad puncta per imaginationem fixa, in qua sunt species Sacramentales, ergo illud pertinet ad prædicamentum Vbi, sicut id, ratione cuius species sunt in eadem distantia & propinquitate, pertinet ad illud. *Scotus. Suarez. Becanus.*

Ita tamen Christus in Eucharistia ratione dictæ præsentiæ intrinsecæ est præsens in loco specierum, vt non sit in illo circumscriptiuè, & modo quantitatiuo & diuisibili, quia non commensuratur & correspondet diuisibiliter loco specierum ex defectu modi extensionis, quo in Eucharistia caret. Et quamuis non sit in loco specierum tamquam in loco definitiuè rigoroso, quia non est in vno tantùm & determinato loco, est tamen in loco specierum quasi definitiuè; quia quodlibet Vbi ex pluribus, quibus localiter est præsens in locis specierum, constituit Christum in loco definito & determinato, & accommodato ipsi Christo, prout vnito speciebus. Habet autem pro loco ipsum locum specierum, quia quasi continetur & ambitur ab ipso, & illum replet absque diuisibili correspondentia: & non habet pro loco species ipsas, sicut neque species

ipsum Christum, quia neque Christus replet & ambit species, neque repletur & ambitur ab ipsis; sed sibi inuicem coëxistunt, sicut substantia ipsa panis, & ipsa accidentia seu species. Christus ergo non est in Eucharistia, id est in speciebus Sacramentalibus, tamquam locatum in loco, sed est in illis per modum substantiæ ab ipsis occultatæ, & non ambitus & circumdatus ab illis: vnde Christus continetur sub speciebus, sumpto *contineri* pro *occultari*; & non continetur ab illis, sumpto *contineri* pro *ambiri*.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, Antecedens esse falsum: & ad probationem negamus, alijs rebus à quantitate modo extensionis affecta, non conuenire ratione sui distantiam & propinquitatem, & non posse mensurari quoad distantiam & propinquitatem, quia absque fundamento dicitur ad id esse necessarium, quòd habeat extrema, & modum extensionis.

Hæc autem præsentia propria & intrinseca, qua Christus in Eucharistia (& idem est de suis accidentibus) est præsens localiter, est verè diuisibilis, non tantùm ex parte subiecti, quia habet diuersas partes in diuersis partibus subiecti, sicut reliqua accidentia materialia Christi; sed etiam est diuisibilis ex parte spatij & loci, non solùm quia Christus sit præsens diuersis partibus spatij & loci, sed etiam quia diuersis entitatibus ipsius præsentiæ, quamuis in eadem parte Christi existentibus, sit præsens diuersis partibus spatij & loci; quia posset fieri præsens vni parti, & non alijs, absque variatione totius præsentiæ, sola variatione entitatis, ratione cuius debet esse præsens illis alijs partibus spatij & loci, ad eum modum quo vnus habitus scientiæ diuersis entitatibus respicit diuersas conclusiones.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm Christus habeat vnionem cum speciebus Sacramentalibus.

Scotus. Gabriel. Maior. Ægidius.

SCotus in 4. d. 11. quæst. 1. & 2. Gabriel q. 3. Maior quæst. 4. & Ægidius q. 75. art. 4. dub. 2. docent, nullam esse vnionem inter Christum & inter species Sacramentales, sed tantùm præsentiam Christi ad species ex pacto Dei inseparabilem, seu numquam defecturam, quia præsentia hæc inseparabilis sufficit ad saluanda omnia quæ Fides docet circa mysterium Eucharistiæ; ergo absque necessitate admittitur vnio aliqua præter eam præsentiam.

S. Thomas. Bellarmin. Vasquez.

S. Thomas verò in 4. dist. 11. q. 1. ar. 1. quæst. 1. Bellarminus lib. 3. de Eucharistia, cap. 8. Vasquez disp. 190. & communiter Theologi, docent, inter Christum & inter species Sacramentales esse vnionem realem, seu physicam, & meritò: quia absque ea nequit saluari communis modus loquendi fidelium circa mysterium Eucharistiæ, desumptus ex Scriptura & ex Patribus; quia Christus ipse, quando in cœna seipsum sub speciebus præbuit Discipulis ad manducandum, dicitur se ipsum in manibus habuisse, & gestasse; & Sacerdos deferens & eleuans species, & eas deglutiens, dicitur etiam deferre Christum, & eum eleuare & deglutire; quibus manifestè significatur, Christum moueri localiter à Sacerdote, & à se ipso motum fuisse in cœna ad motum specierũ. Sed si inter Christum, & inter species non esset aliqua vera vnio, sed tantùm præsentia ex pacto Dei inseparabilis, non diceretur in rigore Christus à se ipso & à Sacerdote moueri ad motum specierum, sed potiùs à solo Deo ad motum specierum à Christo & à Sacerdote factum. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

DIFFICVLTAS XVI.

Qualis sit vnio Christi cum speciebus.

SVarez disp. 47. sect. 3. docet, vnionem inter Christum & inter species non esse formalem, sed effectiuam & mutuam, qua Christus efficienter conseruat species separatas à subiecto, & eas quasi trahit ad se, & qua econtrà species conseruant præsentiam Christi sub illis, & ad se quasi trahunt illum. Hic tamen modus dicendi nobis non probatur: Primò, quia dicta vnio effectiua est illis impossibilis; quia si dicta efficientia illis conueniret, maximè vt instrumentis Dei; Christus autem & species nequeunt à Deo assumi vt instrumenta ad dictos effectus, quia ad eos nulla in illis agnoscitur virtus innata, quia huius nullum adest in illis indicium; nec vestigium, quia nulla in illis apparet proportio, nec præparatio accommodata ad eos effectus, & Deus pro sola sua voluntate nequit assumere rem aliquam vt instrumentum physicum, nisi ad eum effectum ad quem habet aliquam virtutem innatam, vt diximus Tractatu de Incarnatione Disputatione IX. Difficultate IV. Secundò, quia quamuis dicta vnio esset illis possibilis, tamen absque fundamento admittitur esse de facto. Tertiò, quia dicta vnio effectiua non est talis qualis insinuatur à Tridentino sess. 13. c. 1. dum ait, modum existendi Christi sub accidentibus esse ineffabilem; quia dicta vnio effectiua non est adeò difficilis intellectu & explicatu. Quartò, quia hæc vnio effectiua inter Christum & species non sufficeret, vt mouens species diceretur mouere Christum ad motum illarum, quia ad earum motum non moueretur Christus necessariò, sed omnino liberè ex voluntate Dei, absque exigentia aliqua specierum vt motarum, liberè assumentis illas vt instrumentum, quia in ipsis nulla esset virtus ex qua necessariò oriretur motio Christi: is autem qui mouet aliquid, ad cuius motum non mouetur aliud necessariò, sed omnino liberè ex voluntate alterius, adhuc Dei, non dicitur mouere illud aliud ad motum illius; bene tamen quando ex motu vnius aliud necessariò mouetur. Et ita qui mouet magnetem, dicitur etiam mouere ferrum ad motum magnetis, quia in magnete est virtus qua necessariò attrahit ferrum.

Valentia quæst. 75. punct. 3. docet, dictam vnionem esse formalem, non accidentalem, sed substantialé medio modo substantiali, quia Christus est sub speciebus realiter & substantialiter, vt dicitur in Tridentino sess. 13. can. 1. quod nequit fieri absque modo vnionis substantiali. Modus etiam iste dicendi, quatenus asserit, dictam vnionem formalem esse substantialem, nobis non probatur: Primò, quia modus iste vnionis est extra integritatem substantiæ Christi, quia eam supponit, ergo nequit esse substantialis.

Secundò,

Secundò, quia est modus vnionis cum accidentibus prædicamentalibus; Tridentinum verò, dum ait, Christum esse sub speciebus realiter & substantialiter, solùm contendit contra hæreticos, Christum esse in Eucharistia secundùm suam substantiam, & non tantùm tamquam in signo.

Vasquez. Vasquez ergo disp. 190. c. 3. & 1. part. disp. 188. num. 32. docet, dictam vnionem esse formalem, vt paulò anteà diximus contra primum modum dicendi, & non esse substantialem, vt etiam nunc dicebamus contra secundum modum dicendi; sed esse accidentalem, & meritò: quia vnio hæc est substantiæ Christi cum accidentibus prædicamentalibus, & extra integritatem substantiæ Christi. Est autem vnio hæc substantiæ Christi immediatè tantùm cum quantitate specierum, cum alijs verò accidentibus mediatè, quatenus sunt in quantitate cum qua Christus est immediatè vnitus, quia præter vnionem immediatam & proximam cum quantitate, non est necessaria alia vnio immediata cum aljjs accidentibus.

Est etiã vnio hæc, seu modus hic vnionis Christi cum quantitate specierum, non materiæ & formæ, nec vnius partis integrantis cum alia, sed est vnio quasi subiecti cum accidente; non subiecti informationis neque inhæsionis, sed adhæsionis, ratione cuius quantitas panis aut vini in Eucharistia vnitur & adhæret Christo tamquam extremo, & econtrà, absque dependentia aliqua vnius ab alio. Et modus hic vnionis, non est nisi vnus, quia vnus sufficit ad saluandum prædictum modum loquendi fidelium circa mysterium Eucharistiæ, ex Scriptura & Patribus desumptum, & tantùm se tenet ex parte Christi ei inhærens, & non ex parte quantitatis, sicut de modo inhæsionis accidentis in subiecto docent communiter Philosophi; & aptiùs reducitur ad prædicamentum Quantitatis, quàm ad aliud, quia est modus vnionis Christi cum quantitate, sicut modus inhæsionis quantitatis reducitur ad prædicamentum ipsius Quantitatis. Et absque dubio modus hic vnionis est diuisibilis ex parte subiecti in quo est, nempe ex parte Christi, quia alia pars huiusmodi est in manu Christi, & alia in pede ipsius, quamuis per eum modum totus Christus indiuisibiliter ad modum rei indiuisibilis vniatur quantitati, totus videlicet toti, & totus parti; & etiam est diuisibilis ex parte quantitatis cui vnit Christum, tú quia vnit Christum diuersis partibus diuisibilibus quantitatis, tum etiam quia Christus alia entitate modi vnitur vni parti quantitatis, & alia entitate modi vnitur alij parti quantitatis.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm modus, quo Christus est sub speciebus, sit supernaturalis secundùm substantiam.

Scotus. Vasquez. SCotus in 4. distinct. 10. q. 8. Vasquez 1. part. disp. 214. & communiter Scotistæ docent, eum modum esse tantùm naturalem quoad substantiam. Fundamentum Scoti desumitur ex doctrina generali ipsius secundùm quam existimat nihil creatum esse supernaturale secundùm substantiam: fundamentum verò Vasquez desumitur ab exemplo modi, quo Angelus (& idem est de anima rationali) existit totus in toto corpore cui vnitur, & totus in qualibet parte, qui est ordinis naturalis quoad substantiam; ergo etiam modus, quo substantia corporea Christi existit tota sub totis speciebus, & tota sub qualibet parte earum.

Caietanus verò quæst. 75. art. 6. Valentia pun. 3. & Suarez disp. 48. sect. 1. & disp. 53. sect. 5. docent, modum, quo Christus est sub speciebus, esse supernaturalem quoad substantiam, quia modus hic non solùm secundùm individuum, sed etiam secundùm speciem est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis. *Caietanus. Valentia. Suarez.*

Pro huius tamen resolutione supponendum est, in Christo sub speciebus duo reperiri, nempe modum vnionis (quem Scotus & non pauci negant) quo Christus est vnitus speciebus secundùm se, prout abstrahunt à loco, totus totis, & totus cuilibet parti; & etiam Vbi ipsum, seu præsentiam localem propriam & intrinsecam (quam Scotus & plures alij admittunt) qua Christus est in loco specierum tamquam in loco, quasi definitiuè totus in toto, & totus in qualibet parte.

Hoc ergo supposito, existimamus, dictum modum vnionis esse supernaturalem quoad substantiam, non verò dictam præsentiam. Ratio prioris partis est, quia dictus modus vnionis non solùm secundùm rationem individualem, sed etiam secundùm specificam est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis, ergo est supernaturalis secundùm suam substantiam. Est autem supernaturalis, ex eo quòd vnit Christum cum accidentibus alienis, quia hoc est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis materialis, etiam secundùm rationem specificam; non verò ex eo quòd vnit Christum indiuisibiliter, nempe totum totis speciebus, & totum cuilibet parti, quia substantia quanta absque modo extensionis exigit vniri indiuisibiliter. Ex quo constat ad fundamentum Vasquez quatenus huic priori parti aduersatur. Fundamentum verò Scoti fallam continet doctrinam, vt docet Vasquez 1. part. d. 214. & 231. Ratio posterioris partis est, quia supposito modo vnionis quo Christus est vnitus speciebus, est ipsi connaturalis, & debita præsentia, qua sit in spatio & in loco specierum, & ipsi præsens, & supposito modo vnionis, quo Christus absque modo extensionis est indiuisibiliter vnitus speciebus totus totis, & totus cuilibet parti, est etiam ipsi connaturalis; & debita præsentia, qua indiuisibiliter sit in spatio & in loco specierum, & ipsi præsens, totus toti spatio & loco, & totus cuilibet parti spatij, & loci. Præsentia ergo hæc, quamuis sit indiuisibilis modo dicto, est tamen naturalis, quia est iuxta exigentiam Christi, prout est absque modo extensionis in ordine ad locum. Ex quo constat ad rationem pro Caietano, Valentia, & Suarez, quatenus huic posteriori parti aduersatur. *Vasquez.*

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm existentia Christi in Eucharistia pendeat ab existentia naturali ipsius extra Eucharistiam.

CIrca hanc difficultatem, paruam vel nullam inuenio inter Theologos controuersiam: quia si per existentiam naturalem Christi intelligamus non præsentiam naturalem,

sed existentiam Christi in rerum natura, conueniunt Primò, modum existendi Christi sub speciebus ita pendere ab existentia substantiali ipsius, vt de potentia Dei absoluta Christus nequeat constitui, nec permanere sub speciebus, nisi sit existens in rerum natura: quia quòd secundùm suam substantiam & naturam non existit in rerum natura, nequit existere aliquo modo; quia modus essentialiter supponit id cuius est modus; quod non negauit Scotus, vt ei falsò imponit Caietanus quæst. 62. art. 2. Non negamus, de potentia Dei absoluta potuisse de nouo produci aut reproduci dum constituitur sub speciebus, quamuis non præsupponeretur anteà existens in rerum natura.

Si tamen per existentiam naturalem Christi, intelligamus præsentiam naturalem, qua naturaliter est præsens in cælo diuisibiliter; conueniunt Secundò Theologi, modum, quo Christus est sub speciebus, siue sit vnionis, siue præsentiæ intrinsecæ, siue vtriusque, de potentia Dei absoluta non pendere à præsentia qua naturaliter existit præsens in cælo diuisibiliter (& hoc est quod Scotus docuit in 4. dist. 10. q. 4. & 6.) quia Deus efficere potest, vt Christus tantùm existat præsens in Eucharistia, & non alibi, quia in hoc nulla apparet repugnantia, quia potuit Deus à principio producere Christum in rerum natura, & eum speciebus Sacramentalibus vnire, impedita omni præsentia Christi diuisibili & indiuisibili extra Eucharistiam. Et etiã postquam produxit Christum cum præsentia diuisibili extra Eucharistiam, & eum vniuit speciebus, & fecit ipsum indiuisibiliter præsentem in loco earum, potuit, hac vnione & hac præsentia in Eucharistia retentis, destruere quamcumque aliam præsentiam Christi, tam diuisibilem quàm indiuisibilem. Imò, sola vnione illa retenta, etiam potuit destruere præsentiam Christi in ipsa Eucharistia. Ergo Christus de potentia Dei absoluta potest existere in Eucharistia independenter à præsentia, etiam naturali ipsius extra Eucharistiam, imò absque præsentia ipsius in ipsa Eucharistia, cùm possit esse vnitus speciebus, & non esse præsens ipsis de potentia Dei absoluta.

Scotus.

Conueniunt communiter Tertiò, quòd Christus de attenta facto, institutione ipsius, non constitueretur de nouo in Eucharistia, si non præsupponeretur existens in rerum natura; vt si præsupponeretur à Deo ita destructus, vt non maneret in rerum natura, neque viuus neque cadauer: & quòd non perseueraret in Eucharistia, si, postquam est in ea, destrueretur omni modo dicto, existens extra Eucharistiam. Et meritò: quia Christus non ponitur de nouo in Eucharistia actione de nouo productiua, neque conseruatiua ipsius, neque perseuerat in Eucharistia actione conseruatiua ipsius; sed ponitur de nouo actione productiua modi vnionis ipsius cum speciebus, aut productione præsentiæ localis, qua collocatur in loco specierum; aut productione vtriusque: & perseuerat in Eucharistia conseruatione dicti modi vnionis, aut conseruatione dictæ præsentiæ, aut conseruatione vtriusque, quæ sunt actiones superadditæ actioni, qua Christus fuit productus, & conseruatur in rerum natura. Ergo si Christus non præsupponatur existens in rerum natura ante consecrationem, ex vi consecrationis non constituetur de nouo in Eucharistia, & si aliàs ita destruatur, vt in rerum natura neque viuus, neque cadauer maneat, non perseuerabit in Eucharistia.

Addimus contra Vasquez disp. 192. cap. 1. quòd si Christus secundùm suam substantiam perseueret in rerum natura, quamuis nullibi præsens, dum sit existens in rerum natura, nihilominùs de facto, attenta institutione ipsius, constituetur de nouo in Eucharistia ex vi consecrationis, & in Eucharistia manebit præsens, quauis alia præsentia destructa: quia absque fundamento dicitur, institutionem aliter fuisse à Christo factam, & Christum in rerum natura existentem, quamuis absq; omni præsentia, non constituendum ex vi consecrationis sub speciebus, & sub illis non permansurum, si extra eas nullibi esset præsens; quia verisimilius est, præsentiam Sacramentalem Christi in Eucharistia ex vi institutionis Christi, tantùm pendere ab existentia Christi in rerum natura, & non ab alia præsentia ipsius.

Vasq.

DISPVTATIO VI.

De his quæ conueniunt Christo prout est in Eucharistia.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Christus, prout existens in Eucharistia, moueatur motu locali sibi proprio & intrinseco.

CONVENIVNT Theologi, vno aut altero excepto, Christum moueri localiter ad motum specierum sub quibus est, quia eas comitatur toto tempore, quo substantia panis & vini sub illis conseruaretur: & species non moueri ad motum Christi; ac proinde Christum, prout existentem in Eucharistia, tantùm moueri per accidens.

Est tamen difficultas, An motus iste localis, quo Christus per accidens mouetur ad motum specierum, sit ipsi proprius & intrinsecus, seu in ipso receptus.

Vasquez disput. 190. cap. 4. & Ochagauia quæst. 23. docent, Christum prout existentem in Eucharistia, non moueri motu locali sibi intrinseco, & recepto in ipso, sed tantùm ad motum specierum, motu tantùm in ipsis recepto tamquam forma extrinseca; quia præsentia localis, & consequenter motus localis qui ad eam acquirendam tendit, non conuenit nisi corpori extenso in ordine ad locum, Christus autem prout in Eucharistia, non est extensus in ordine ad locum.

Vasquez. Ochagauia.

Scotus verò in 4. dist. 10. quæst. 6. Ocham q. 5. Gabriel

Scotus. Ocham. Gabriel

Gabriel. Maior. Suarez. Ægidius. Adamus.

Gabriel quæst. vnica art. 2. Maior quæst. 6. Suarez disp. 53. sect. 1. Ægidius quæst. 76. art. 6. dub. 1. & Adamus quæst. 5. dub. 3. docent, Christum existentem in Eucharistia, moueri localiter motu in ipso recepto, & meritò: quia Christus prout exsistit in Eucharistia, habet propriam & intrinsecam præsentiam localem in se ipso receptam, vt diximus Disputat. IX. Difficult. XIV. Ergo quoties species, quibus est vnitus, mouentur localiter, & acquirunt nouam præsentiam, etiam Christus mouetur localiter motu sibi proprio & in se ipso recepto, & nouam præsentiam acquirit & recipit, quamuis per accidens motu deriuato ex motu specierum, in ipsis causato ab impetu ipsis immediatè impresso, ad eum modum quo anima rationalis vnita materiæ primæ, mouetur ad motum materiæ primæ.

DIFFICVLTAS II.

A quo Christus existens in Eucharistia moueatur localiter.

Scotus. Gabriel. Maior.

SCotus in 4. dist. 10. quæst. 6. Gabriel quæst. vnica art. 2. & Maior quæst. 6. docent, Christum prout in Eucharistia, non moueri à mouente species, sed à solo Deo. Et in primis non moueri à mouente speciès, probatur, quia ex vna parte, qui mouet species, non imprimit immediatè Christo impetū, vt eum immediatè moueat, quia eum non tangit immediatè; neque mouet Christum mediatè, & per accidens imprimendo impetum speciebus, & eas mouendo, quia inter Christum & inter illas non est vnio & connexio aliqua; ac proinde moueri à solo Deo, qui pro sua mera libertate post consecrationem constituit Christum vbicumque sunt species.

Caietanus. Ægidius. Suarez. Vasquez.

Caietanus verò quæst. 76. art. 6. Ægidius dub. 1. Suarez disp. 53. sect. 1. & Vasquez disp. 190 n. 45. docent, & meritò, Christum prout existentem in Eucharistia, moueri à mouente species. Fundamentum verò huius desumitur ex communi modo loquendi fidelium, desumpto ex Scriptura & ex Patribus, secundùm quem Christus prout in Eucharistia, dicitur deferri & deglutiri à Sacerdote deferente & deglutiente species: delatio autem & deglutitio verè sunt motus locales. Id autè fieri posse declaratur: quia ex vna parte, Christus est vnitus & coniunctus physicè cum speciebus vnione & connexione formali (quamuis supernaturali) non minùs quàm anima rationalis cum materia prima; & ex altera parte, motus quo Christus localiter mouetur, & præsentia qua fit localiter præsens in loco specierū, est naturalis secundùm substantiam, vt diximus Disputat. V. Difficul. XVII. Optimè ergo intelligitur, eum qui mouet & impellit species per se impetu illis immediatè impresso, etiam per accidens & naturali consecutione mouere Christum illis physicè alligatum, non minùs quàm qui mouet per se materiam primam, per accidens naturali consecutione mouet animam rationalem.

Qui autem mouet species, nequit Christo impetum imprimere, neque ipsum per se mouere, quia Christus caret modo extensionis, ex cuius defectu nequit pati ab agente naturali, & ex cuius defectu nequit Christus sua grauitate resistere motui per accidens deriuato ex impetu & motu specierum, causato à mouente species ipsas, quia ex illius defectu nequit in materiam externam agere.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Christus prout existens in Eucharistia, possit agere & pati actione & passione corporea transeunte.

DIfficultas hæc procedit de Christo, secluso dono impassibilitatis, quo nunc gaudet in Eucharistia; & secluso concomitantia, qua accidentia absoluta à loco determinato, quæ conueniunt Christo in cælo, etiam conueniunt ipsi vbicumque sit.

Ocham. Maior. Gabriel.

Ocham ergo in 4. quæst. 5. Maior dist. 10. q. 5. & Gabriel in Canonem Missæ lect. 45. lit. Q. docent, Christum prout existentem in Eucharistia, posse pati ab agente naturali externo corporeo, & in passum externum corporeum agere, actione & passione corporea transeunte (de facto tamen à Deo impediri, ne impediatur meritum fidei, qua credimus mysterium Eucharistiæ.) Et id quo ad actionem probabile existimat Ægidius quæst. 76. art. 6. dub. 2. Opinio hæc probari potest Primò, quia vt agens corporeum agat, & vt passum corporeum patiatur, actione & passione corporea transeunte, sufficit, quòd loco coniungantur, aut quòd non distent localiter: sed Christus prout exsistens in Eucharistia, quamuis careat modo extensionis localis, potest tamen ita localiter coniungi agenti & passo corporeo, vt ab eo non distet localiter; ergo poterit ab agente corporeo pati, & in passum corporeum agere. Secundò, quia modus accidentarius non est necessarius agenti ad agendum, neque passo ad patiendum: sed modus extensionis, quo Christus prout existens in Eucharistia caret, est Christo accidentarius; ergo quamuis eo careat, poterit pati ab agente corporeo, & agere in passum passione & actione corporea transeunte.

Ægidius.

S. Thomas. Scotus. Vasquez. Suarez.

S. Thomas verò quæst. 76. art. 7. & quæst. 81. art. 4. & Scotus in 4. dist. 10. quæst. 5. & 7. Vasquez disp. 191. cap. 3. Suarez disp. 53. sect. 2. & communiter Theologi, docent, Christum prout in Eucharistia, non posse naturaliter agere in passum externum corporeum, neque pati ab agente externo corporeo, actione & passione corporea; & meritò: quia ad agendum & patiendum actione & passione corporea transeunte, necessarius est contactus physicus agentis & passi, quæ corporea sunt, tamquam conditio necessaria; experientiâ enim cōstat, agens corporeum non agere in passum externum corporeum, nisi huic sit proximum & contiguum: sed Christus prout exsistens in Eucharistia, nequit tangere alterum corpus, & ei esse contiguum, neq; tangi ab altero corpore; quia Corpori Christi deficit modus extensionis localis, qui ad contiguitatem requiritur; ergo Christus prout exsistens in Eucharistia, nequit in alterum agere, neque ab altero corpore pati, passione & actione corporea transeunte.

Ad primam ergo rationem aduersariorum, negamus, ad dictam actionem sufficere propinquitatem agentis corporei ad passum corporeum, absque contactu seu contiguitate. Et ad secun-

dam concedimus, modum extẽsionis esse in Christo accidentarium; negamus tamen, non esse necessarium agenti & passo corporeo ad dictã actionem & passionem: quia quamuis non sit necessarius agenti tamquam principium seu virtus, neque passo tamquam dispositio, requiritur tamen tamquam conditio in actu primo, vt possit esse sufficiens applicatio agentis ad passum, quæ est conditio necessaria in actu secundo, & nequit esse absque dicto modo.

Addimus, vt optimè Vasquez num. 11. Christum prout in Eucharistia, non posse de potentia Dei absoluta agere in passum externũ corporeum, neque ab agente naturali corporeo pati; quia ex vna parte, neque Christus in dictum passum, neq; dictum agens in Christum potest agere sua virtute naturali; & ex altera, neque in Christo, neque in alio dicto agente agnoscitur proportio aliqua, vt eleuari possit à Deo ad id; quia Deus nequit pro sola sua voluntate quamcumque rem ad quemcumque effectum assumere vt instrumentum. Poterit tamen Christus pati passione corporea transeunte, à Deo, & à quocumque alio agente, quod ad agendum non indiget contiguitate cum passo, quia dicta contiguitas tantùm requiritur propter agens vt agat, & non propter passum vt recipiat.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Christus prout existens in Eucharistia, possit actiones immanentes exercere.

SVpponimus, Christum prout existentem in Eucharistia, exercere posse actiones intellectus, independentes à ministerio sensuum (vt visionem Dei, & intellectiones, seu actus scientiæ infusæ) & actus voluntatis, quia ad eos actus intellectus sequuntur; quia modus extensionis, qui in Eucharistia deficit Christo, non est ipsi necessarius vt agat in se ipso, neque vt à se ipso patiatur; quia tantùm requiritur vt continguetur cum passo externo corporeo in quod sit acturus, & cum agente externo corporeo à quo sit passurus. Sed an etiam possit exercere actus intellectus dependentes à ministerio sensuum, constabit ex ijs quæ statim dicemus circa actiones sensitiuas.

Hoc supposito, circa actiones sensus, tam interni quàm externi, An scilicet Christus prout existens in Eucharistia, possit eas exercere, Ocham, Maior, & Gabriel vbi suprà, partem affirmatiuam tuentur: Suarez verò sect. 3. Vasquez cap. 3. Ægidius art. 7 Adamus quæst. 5. dub. 5. & communiter Theologi partem negatiuam.

Ocham. Maior. Gabriel. Suarez. Vasquez. Ægidius. Adamus.

Nos tamen existimamus, Christum prout in Eucharistia, non posse exercere actiones sensus exterioris, benè tamen actiones sensus interioris. Ratio prioris partis est, quia sensus exterior nequit operari, nisi quando patitur ab agente aliquo externo corporeo; nempe ab obiecto à quo recipiat species: sensus autem Christi prout in Eucharistia, nequit ab illo pati, ex defectu modi extensionis in Christo, ex cuius defectu obiectum nequit sensui exteriori Christi contiguari, vt in hunc agat, & producat species. Ratio posterioris partis est, quia ex vna parte, vt sensus interior sentiat, non indiget de nouo pati ab obiecto externo corporeo; quia in absentia obiecti potest species, quas ante defectum modi extensionis in Christo potuit acquirere & retinere, & medijs illis obiectum ipsum sentire, & percipere: & ex altera parte, absque fundamento exigitur dictus modus extensionis, vt agens agat in se ipso actione immanente; quia iste tantùm requiritur, vt agens contiguetur passo externo corporeo, & ipsi debitè applicetur. Quòd autẽ actio sensus interioris recipienda sit indiuisibiliter in Christo, non obstat, vt in ipso recipi possit etiam ab agente naturali: quia modus iste est connaturalis accidenti recipiendo, & subiecto recepturo, quando subiecto deficit dictus modus extensionis, præsertim cùm iste modus indiuisibiliter existendi non sit positiuus, sed quid negatiuum, carentia videlicet extensionis in ordine ad locum.

Et ob dictam rationem Christus, prout in Eucharistia, posset naturaliter moueri motu locali, proportionato præsentiæ connaturali corpori existenti absque modo extensionis: de facto tamen obstat, quòd Christus præsupponatur in cælo quod deserturus non est, & mobile nequeat naturaliter moueri ad nouũ locum, nisi deserendo antiquum.

Ex dictis constat, Christum prout in Eucharistia, posse exercere quascumque actiones intellectus, dependentes à ministerio sensus interioris (& consequenter, actus omnes voluntatis qui ad eas actiones sequuntur) si aliàs in ipso sensu sint species sensibiles, vt esse possunt. Imò de facto species sensibiles, tam sensus exterioris quàm interioris, quæ sunt & acquiruntur in Christo prout in cælo etiam sunt, & acquiruntur in Christo prout in Eucharistia, iuxta ea quæ dicemus Difficul. vi. Vnde etiam prout in Eucharistia, poterit Christus exercere actiones sensus exterioris, medijs speciebus, deriuatiuè connaturali consecutione acquisitis à Christo prout in Eucharistia, ex eo quòd ab ipso acquirantur in cælo. quod non negamus in nostra Conclusione, sed tantùm quòd possit illas exercere medijs speciebus acquisitis primatiò, & directè à Christo prout in Eucharistia; ita vt quamuis tantùm esset in Eucharistia, & non in cælo, posset illas acquirere, & sensationes exteriores exercere, quod verè contingit circa sensationem interiorem; quia potest in Eucharistia speciem sensus interioris anteà ab ipso diuisibiliter existente acquisitam retinere, & media ea sensationem elicere.

Addimus, vt optimè Suarez, Ægidius, & Adamus, Christum prout in Eucharistia, posse de potentia Dei absoluta actiones sensuum exteriorum exercere, & etiam interiorum, quamuis in his non sint retentæ species; quia posita specie sensibili, in illis operari possunt: species autem possunt à solo Deo sensibus exterioribus & interioribus imprimi & infundi.

Suarez. Ægidius. Adamus.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Christus prout existens in Eucharistia, possit videri oculo corporeo.

PRimò est difficultas, An possit naturaliter videri.

Ocham in 4. quæst. 5. art. 3. Maior dist. 10. q. 5 & Gabriel lect. 45. lit. P. docent, Christum prout in Eucharistia, posse naturaliter videri oculo corporeo (de facto tamen à Deo impediri, vt mysterium Eucharistiæ occultetur) quia Christus prout in

in Eucharistia, verè est coloratus, & præsens in loco specierum; ergo poterit species sui in oculum immittere, & consequenter poterit videri.

S. Thomas. Scotus. Suarez. Vasquez. Adamus.

S. Thomas verò in 4. dist. 1. art. 4. quæstiunc. 1. Scotus quæst. 9. Suarez disp. 53. sect. 3. Vasquez disp. 191. cap. 1. Adamus quæst. 5. dub. 5. & communiter Theologi docent, Christum prout in Eucharistia, non posse naturaliter videri, & meritò: Primò, quia Christus, aut color ipsius, absque modo extensionis existens, nequit producere speciem sui in oculo, quia ei nequit contiguari. Secundò, quia Christus, aut color ipsius, nequit esse obiectum potentiæ visiuæ, quia potentia cognitiua, quæ nobilior est quocumque sensu externo, vtpote valens contingere & percipere plura quæ sensu externo non percipiuntur, nequit contingere aliquid inextensum & indiuisibile, & illud cognitare.

Quòd si ad hanc secundam rationem respondeas, ideò cognitiuam non posse percipere & cognitare quod indiuisibiliter existit, quia nulla ex speciebus, quibus vtitur, repræsentat rem absq; modo extensionis, & absque figura, non verò quia ipsi deficiat virtus naturalis ad id: contra hanc responsionem est, quòd cognitiua habet vim ad vtendum specie, v. g. auri, absque extensione & figura auri, coniungendo sua cognitatione aurum cum extensione & figura montis, quæ per aliam speciem repræsentatur, ergo si haberet vim cognitandi quod inextensum & indiuisibile est, posset optimè vti specie auri, ad cognitandum colorem illius absque extensione & figura aliqua.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, non sufficere, Christum esse coloratum, & præsentem, vt immittat speciem sui in oculum; quia ad hoc requiritur in Christo modus extensionis, absq; quo nequit oculo contiguari: & quamuis posset speciem sui immittere, non sufficeret, vt posset videri, ob defectum modi extensionis, absque quo non est obiectum sensibus proportionatum.

Secundò est difficultas, An Christus prout in Eucharistia, possit de potentia Dei absoluta videri.

Alexand. Scotus. Soto. Vasquez. Ægidius. Richardus. Paludanus. Capreolus. Suarez.

Alexander 4. par. q. 10. memb. 7. art. 3. Scotus in 4. disp. 10. quæst. 9. Soto quæst. 1. art. 7. Vasquez c. 2. & Ægidius art. 7. partem affirmatiuam tuentur, quia in ea nulla apparet repugnantia.

Richardus verò in 4. distinct. 10. art. 5. quæst. 2. Paludanus quæst. 4. art. 1. Capreolus quæst. 4. ar. 3. ad 6. contra 1. concluſ. & Suarez sect. 4. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia potentia visiua nequit sua virtute naturali ferri in obiectum absq; modo extensionis, neque in ea est virtus aliqua innata ad id, quia nullum indicium neque vestigium illius in illa apparet; ergo nequit à Deo ad id eleuari.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm ea, quæ Christus acquirit, & ipsi imprimuntur extra Eucharistiam, eo-mitentur naturaliter ipsum in Eucharistia.

CONueniunt Primò Theologi, præsentiam localem, quæ Christo & cuicumque corpori imprimitur in vno loco, non imprimi ipsi in alio; quia præsentia localis ita immobiliter respicit spatium cui adest, vt extra ipsum non perseueret eadem. Et idem ob eamdem rationem docent de motu locali, de quiete, & sessione, & de statione, & de alijs, quæ essentialiter respiciunt præsentiam localem determinatam.

Conueniunt Secundò, formas, siue substantiales siue accidentales, quæ essentialiter non respiciunt præsentiam & locum determinatum, quæ Christo imprimuntur in vno loco, v. g. in cælo, etiam imprimi ipsi in alijs locis in quibus est Sacramentaliter. Quamuis non desint, qui id negent de aliquibus formis, sed absque sufficienti fundamento.

Est tamen difficultas, An id fiat naturaliter, an supernaturaliter pro mera voluntate Dei.

Maior. Suarez. Ægidius.

Maior in 4. dist. 10 quæst. 4. Suarez disp. 48. sect. 6. & Ægidius (quamuis obscurè) quæst. 76. art. 4. dubio vnico, docent id fieri supernaturaliter pro mera voluntate Dei, & non naturaliter, quia calor v. g. qui ab agente naturali imprimitur corpori existenti Toleti, nequit ab eo agente illi imprimi Romæ, quia agens illud nequit transmittere suum effectum, v. g. calorem, vltra sphæram & terminum sibi naturaliter præfixum. Et si corpus existens Toleti fiat maius per additionem substantiæ & quantitatis, vt si aquæ infundatur alia pars aquæ; non fit maius necessariò & ex natura rei, existens Romæ: quia ad eam accretionem Romæ faciendam requiritur motus localis substantiæ & quantitatis additæ, quo tendat & transferatur in Curiam Romanam, qui nequit naturaliter fieri. Et corpus, quod corrumpitur in vno loco, non necessariò & ex natura rei corrumpitur in alio; quia corruptio corporis prouenit vel ex diuisione continui, vel ex alteratione aliqua: quæuis autem harum fieri potest ab agente naturali in vno loco, & potest non fieri in alio. Excipit tamen Suarez actiones vitales immanentes, non pendentes ab obiecto localiter applicato, quales sunt actiones sensus interioris, & intellectus, & vtriusque appetitus, quia verisimile existimat, actiones has rei in vno loco impressas, eam in quouis alio naturaliter comitari.

Scotus. Gabriel. Vasquez.

Scotus verò in 4. dist. 10. quæst. 2. & 6. Gabriel lect. 46. lit. F. Vasquez disp. 192. & Conimbricenses 4. Phys. cap. 5. quæst. 5. art. 2. docent, dictas formas & mutationes vitales conuenientes Christo (& idem est de conuenientibus cuicumque alij corpori) independenter à loco determinato, comitari Christum naturaliter, vbicumque existat; & meritò: quia quæcumque formæ & mutationes independentes à loco determinato, vniuntur physicè subiecto secundùm se, prout abstrahit à loco, & ei secundùm se, prout à loco abstrahit, alligantur: ergo vbicumque fuerit dictum subiectum secundùm se, erit etiam, naturali consecutione, forma illi secundùm se physicè vnita & alligata, ex eo enim forma aliqua producitur aut introducitur in hoc loco, & nō in alio, quia subiectum, cui vnitur, est in eo loco, & non in alio; & ex eo forma aliqua existens in subiecto mouetur ad motum subiecti, & ad eumdem locum trahitur, quia est vnita illi subiecto. Ergo eo ipso, quòd vnum vnitur physicè alteri, secundùm se constituitur, vbi est illud cui vnitur, quamuis in pluribus locis existat. Quod maximè confirmat Tridentinum sess. 13. cap. 3. dum ex vnione & connexione aliquorum cum Corpore & Sanguine Christi existentibus in Eucharistia, infert, illa aliqua etiam esse in Eucharistia per concomitantiam.

Tridentin.

Forma ergo, & mutatio, quæ vnitur Christo existenti in cælo, etiam comitatur ipsum, & naturaliter, in Eucharistia, siue id fiat proximè ab agente naturali vniente formam aut mutationem Christo, si aliàs verum est, quòd ab agente naturali generaliter producitur proximè præsentia, quod potuerit fieri ab agente naturali in Christo secundariò, & deriuatiuè, & naturali consecutione ratione dictæ vnionis quam facit; quamuis aliàs primariò & directè non possit agere in Christum existentem in Eucharistia, neque duas præsentias eiusdem rei simul producere: siue id fiat à solo Deo (si agens naturale non possit) ad exigentiam tamen dictæ vnionis factæ ab agente naturali (ad eum modum, quo solus Deus naturaliter creat animam rationalem, quia eam creat ad exigentiam dispositionum, quas agens naturale induxit in materiam primam) quia vnio illa formæ aut mutationis cum Christo exigit, vt id fiat ab eo agente, à quo fieri possit: siue id proximè fiat (vt nos credimus) ab ipsa forma vel mutatione, quæ ab agẽte naturali vnitur Christo. quia ex se ipsa per simplicem emanationem, & naturalem consecutionem oritur & pullulat. Quia credimus generaliter, præsentias, quæ non fiunt per motum localem (quales sunt illæ, quibus res fiunt præsentes quando producuntur, & fiunt præsentes locis, in quibus sunt materiæ primæ quibus vniuntur proximè aut remotè) proximè oriri & pullulare ex ipsis rebus quæ fiunt præsentes; sicut etiam credimus, subsistentiam & proprietates naturæ ex ipsa natura proximè oriri. Quod etiam credimus contingere præsentijs rerum, quibus inhæret vel imprimitur proximè impulsus (saltem primariò & directè) vt moueantur: sed dicuntur moueri ad motum alterius, vt sunt præsentiæ aliorum accidentium à quantitate, imò & substantiæ corporalis, quia ista omnino per accidens mouentur ad motum quantitatis, cui proximè inhæret & imprimitur impulsus. Neque difficile existimamus, ex eadem re duas præsentias simul oriri, naturali consecutione, ad vnionem illius cum subiecto existente in duobus locis.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, dicendo ad primam partem, calorẽ ab agente naturali impressum corpori existenti Toleti, etiam naturaliter comitari idem corpus existens Romæ, & id fieri vno ex prædictis modis: quamuis verius credamus, fieri proximè ab ipso calore impresso ratione vnionis cum ipso subiecto, & remotè ab agente naturali vniente calorem cũ subiecto, quatenus causauit vnionem, ratione cuius naturali consecutione & deriuatiuè calor etiam fit præsens Romæ vltra sphæram, vltra quam agens illud non potest proximè & directè operari. Et eodem modo ad secundam partem dicimus, corpus, quod Toleti fit maius additione substantiæ & quantitatis Toleti facta, etiam fieri maius Romæ ratione vnionis substantiæ & quantitatis additæ cum substantia & quantitate corporis, absque motu locali substantiæ & quantitatis additæ, quo tendat Romam; sed sola simplici emanatione alterius præsentiæ substantiæ & quantitatis additæ, ortæ in Curia Romana ex ipsa substantia, & quantitate addita. Et ad tertiam partẽ negamus, corpus, quod in vno loco subſtantialiter corrumpitur, v. g. corpus Petri non corrumpi in alio, quamuis fiat ab agente naturali, & quamuis actio præuia, à qua prouenit corruptio, non imprimeretur corpori in alio loco, quia anima, v. g. quæ aufertur à materia prima Petri, secundùm se in nullo alio loco reperiri potest nisi in illa materia. Addimus, *corpus, quod in vno loco substantialiter corrumpitur*, per separationem videlicet substantialem formæ à materia secundùm se: quia si corruptio non sit substantialis (vt quando fit per ablationẽ vnius præsentiæ formæ, aut modi vnionis formæ cum materia in aliquo locò, vt fieri potest, quamuis à solo Deo) non eo ipso, quòd corpus corrumpitur in vno loco, corrumpitur in alio, vt patet ex dictis Disputat. v. Difficult. XIII. quia tunc non destruitur altera præsentia, qua forma & vnio sunt cum materia prima in alio loco, quod nobis non aduersatur; quia corruptio hæc respicit locum determinatum; forma autem, & mutatio quæ locum determinatum respicit, impressa subiecto in vno loco, non comitatur subiectum in alio loco existens, vt suprà diximus.

DIFFICVLTAS VII.

Quæ prædicata attribuantur Christo ratione specierum.

COnueniunt cõmuniter Theologi, prędicata accidentalia speciebus conuenientia, denotantia motum localem aut existentiam in loco, verè & propriè & absque figura attribui Christo, vt moueri localiter, & esse hic aut illic: vel, quia etiam ipsi Christo conueniunt intrinsecè, vt nos suprà diximus; vel saltem, quia conueniunt ei extrinsecè, ex eo quòd est physicè vnitus & alligatus speciebus.

Est tamen difficultas, an etiam reliqua prædicata accidentalia, non denotantia motum, neque existentiam in loco, conuenientia speciebus, attribuantur Christo.

Claudius Sainctes Repet. 5. de Eucharistia, c. 5. affirmat, quia prædicata plura accidentalia conuenientia speciebus, attribuuntur Christo in Eucharistia ratione vnionis Christi cum ipsis speciebus, ergo omnia debent attribui, quia omnium eadem est ratio.

Vasquez verò disp. 193. cap. 2. negat, & meritò: quia quamuis species calefiant, aut alio modo alterentur aut corrumpantur, Christus tamen non dicitur calefieri, neque alio modo alterari neque corrumpi, quia prædicata hæc, & generaliter alia quæ non referuntur ad aliquem sensum, excepris quæ denotant motum localem aut præsentiam in loco, non attribuuntur secundùm communem vsum alicui per extrinsecam denominationem, neque per deriuationem ex altero.

Addidimus, prædicata conuenientia speciebus, quæ non referuntur ad aliquem sensum non attribui Christo; quia quæ ad sensum referuntur, vt videri, tangi, contrectari, dentibus atteri, & gustari, etiam attribuuntur Christo, quia Christus est sub speciebus quasi sub quodam tegumento: operationes autem sensuum nõ tantùm dicuntur versari circa sensibilia per se, sed circa substantiam, quæ est subiectum immediatũ quantitatis, & mediatum aliorum accidentium, ob quod dicitur sensibilis per accidens; sed etiam dicuntur versari circa substantiam quæ continetur aut contegitur subiecto ipso sensibilium per se. & ita, qui tangit aut videt vestem, etiam dicitur tangere aut videre hominem vestitum contectum veste ipsa.

Dicitur

Dicitur etiã Christus manducari, quando manducantur species, quia manducare includit cibum dentibus atterere, & motum localem traiectionis cibi ad stomachum, ex quibus, iuxta ea quæ dicta sunt, dentibus atteri potest Christo attribui, ratione specierum, & motus traiectionis etiam ratione sui, quamuis deriuatiuè ex traiectione specierum.

Deinde Christus dicitur frangi in Eucharistia, quando franguntur species, non quia verè in partes frangatur & diuidatur, sed quia frangitur & diuiditur quoad existentiam in Sacramento, quia existens anteà in vno Sacramento, post fractionem specierum existit in diuersis Sacramentis.

Tandem Christus dicitur misceri, quando miscentur species Sanguinis & Corporis (quamuis non corrumpatur, neq; verè diuidatur, sicut etiam grana diuersi generis frumenti absque corruptione & diuisione dicuntur misceri) quia ea mixtione Corpus Christi constituitur intra species Sanguinis, & vndequaque Sanguine circumdatur.

Est tamen discrimen inter dicta prædicata, quæ Christo attribuuntur ratione specierum, quòd fractio & mixtio attribuuntur Christo propriè absq; figura, & etiam ratione sui, & intrinsecè, sicut prædicata denotantia motum & præsentiam in loco; prædicata verò quæ ad sensum referuntur, quamuis verè attribuantur Christo, non tamen propriè, sed impropriè & figuratè, & tantùm ratione specierum per figuram Metonymiam, quia Christo attribuuntur tantùm ratione specierum ipsum continentium, seu occultantium.

Ad rationem ergo in oppositum constat, non omnium prædicatorum, quæ conueniunt speciebus, esse eamdem rationem, vt Christo attribuantur.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm aliquando in Eucharistia videatur vera Caro & verus Sanguis Christi in se ipsis.

SVpponimus, in Eucharistia aliquando apparuisse Carnem & Sanguinem Christi, vt affirmant Paschasinus lib. de Corpore & Sanguine Christi, cap. 54. Guitmundus lib. 3. de Sacram. Corporis & Sanguinis Christi, & plures alij: & apparitiones has fieri posse duobus modis; vno modo, solius visus aut medij immutatione, ita vt in ipsis speciebus verè non sit quod in eis apparet, sed tantùm ob oculos versetur, quod Deus efficere potest, producendo in visu speciem visibilem repræsentantem Carnem & Sanguinem, seu eorum partem, & colores, vt existentes & præsentes diuisibiliter in Eucharistia, quamuis re ipsa non sint eo modo existentes & præsentes: altero modo fieri posse, facta immutatione in speciebus accipientibus figuram & colorem vel carnis vel sanguinis. & hoc posteriori modo fieri, quoties sic apparent omnibus, præsertim si diu sic appareant; quoties verò species non apparent omnibus eodem modo, fieri modo priori.

Paschasin. Guitmund.

Hoc ergo supposito, conueniunt Theologi, quoties dictæ apparitiones fiunt priori modo, immutatione videlicet solius visus vel medij, & non ipsarum specierum, tunc non videri veram Carnem neque verum Sanguinem Christi in propria specie & in se ipsis; quia id quod tunc apparet, non est verè in obiecto, neque in speciebus Sacramentalibus, sed tantùm apparet ob immutationem visus vel medij.

Est tamen difficultas, An quoties apparitiones fiunt posteriori modo, tunc videantur Caro & Sanguis Christi in propria specie & figura, & in se ipsis.

Alexander 4. par. quæst. 11. num. 2. art. 4. Gabriel lect. 51. lit. E. & Palatius dist. 10. disp. vlt. partem affirmatiuam tuentur, quia ex vna parte id est possibile, & ex altera id est maximè conueniens, ad confirmandam veritatem præsentiæ Christi in Eucharistia.

Alexand. Gabriel. Palatius.

S. Thomas verò, & Vasquez quæst. 76. art. 8. Adamus q. 5. dub. 3. & communiter Theologi partem negatiuam tradunt, & meritò: quia in primis tunc non videtur vera Caro Christi, neque verus Sanguis Christi prout existit in Eucharistia, quia in ea existit indiuisibiliter, & tunc apparet diuisibilis. Deinde non videtur vera Caro neque verus Sanguis Christi modo diuisibili, quia quamuis hoc sit possibile, si incipiat constitui in Eucharistia modo diuisibili, siue deserendo locum cæli, siue multiplicata præsentia circumscriptiua & diuisibili Christi, id tamen est indecens, quia facilè posset tangi & contrectari ab hominibus. Cui maximè fauet, quòd quando sic apparet per multum tempus, diuturnitate ipsa color Carnis & Sanguinis marcescit, quod non contingit colori veræ Carnis & veri Sanguinis Christi: apparet autem tunc Caro & Sanguis Christi ratione effigiei carnis & sanguinis, quam Deus format in speciebus, quantum ad figuram & colorem. Et quamuis in his apparitionibus simplices decipiantur, in eo tamen nullum reperitur mendacium, quia nõ fiunt à Deo intentione decipiendi, sed significandi Christum esse sub speciebus.

S. Thomas. Vasquez. Adamus.

Et quod dictum est de Carne & Sanguine Christi, nempe quòd neque in apparitionibus posteriori modo factis videantur in se ipsis, etiam dicendum est (quicquid Ægidius dicat) de puero aut viro IESV sic apparente, ob rationem dictam.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm quando apparet Caro aut Sanguis in speciebus, maneat Christus Sacramentaliter sub illis.

COnueniunt Theologi, quando caro, aut sanguis, aut puer apparet in speciebus, non immutatione specierum, sed tantùm immutatione visus aut medij, tunc manere Christum sub speciebus: quia tunc species secundùm se manent in eodem statu, ac proinde tunc Christus eodem modo erit sub illis, ac erat anteà.

Est tamen difficultas, An quando dictæ apparitiones fiunt immutatione specierum, tunc maneat Christus Sacramentaliter sub illis.

Durandus in 4. dist. 10. quæst. 4. docet, Christum tunc non manere Sacramentaliter sub speciebus, quia sub ipsis sic mutatis non maneret substantia panis neque vini, quia sub accidentibus Carnis nequit manere substantia panis, in cuius locum successit Corpus Christi; & sub accidentibus Sanguinis nequit manere substantia vini, in cuius locum successit Sanguis Christi.

Durandus.

S. Thomas

S. Thomas. Vasquez. Sotus. S. Thomas & Vasquez quæst. 76. art. 8. Sotus in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 8. & communiter Thomistæ docent, tunc Christum manere sub speciebus, si maneat eadem quantitas; quia quamdiu eadem quantitas manet, etiam maneret substantia panis & vini.

Palatius. Henriq. Adamus. Suarez. Palatius verò dist. 10. disput. vlt. Henriquez lib. 9. cap. 28. Adamus quæst. 5. dub. 5. & Suarez disp. 55. sect. 3. docent, quoties in his apparitionibus fit tanta mutatio in speciebus, vt sub eis non conseruaretur substantia panis aut vini, vt contingere potest, quamuis maneat eadem numero quantitas, tunc sub illis non manere Christum; & quoties in speciebus non fit tanta mutatio, vt sub illis non desineret substantia panis aut vini, tunc sub illis manere Christum; & meritò: quia Christus succedit sub speciebus ipsi substantiæ panis aut vini in locum illius, ergo quoties sub illis non conseruaretur substantia panis aut vini, non permanet Christus sub illis; & quoties conseruaretur, permanet.

Addimus, *vt contingere potest, quamuis maneat eadem numero quantitas*, quia quantitas non est dispositio sufficiens ad conseruandam substantiam panis & vini, sed necessaria sunt alia accidētia, quæ possunt deficere, quamuis quantitas non deficiat.

Addimus contra Durandum, in dictis apparitionibus posse species ita immutari quoad figuram & colorem, vt appareant puer aut Sanguis, absque eo quòd sub illis corrumperetur substantia panis & vini, quamuis adesset (ac proinde species posse sic immutari quoad figuram & colorem, perseuerante Christo sub illis) quia possunt sic immutari à Deo, absque eo quòd dissoluatur temperamentum primarum qualitatum sufficiens ad conseruandam substantiam panis & vini, si adesset: & credimus, de facto regulariter ita fieri immutationem specierum quoad figuram & colorem, vt sub ipsis sic immutatis & apparentibus perseueraret substantia panis & vini, & perseueret Christus, quousque diuturnitate temporis contingat species ipsas corrumpi, quia id est maximè conueniens fini, quem Deus regulariter medijs eis apparitionibus intendit: quia vel fiunt à Deo ad significandam præsentiam Christi sub speciebus, cui fini magis congruit, quòd sub illis perseueret; vel fiunt ad solatium alicuius iusti, & huic fini etiam magis congruit quòd perseueret, quia sic solatium erit magis solidum. Quòd si aliquando fini, qui creditur à Deo intendi, magis congruat, mutationem specierum ita fieri, vt sub ipsis sic mutatis non perseueraret substantia panis aut vini, & non perseueret Christus, vt quando species sic apparent in punitionem illius qui eas intendit indignè suscipere, tunc credendum est sub eis non perseuerare Christum, si illæ permanenter sic appareant.

Nihilominùs species illæ sic apparentes, siue credatur sub illis Christus perseuerare, siue credatur non perseuerare, adorandæ & venerandæ sunt: quia si credatur sub illis perseuerare, adorandæ sunt tamquam re ipsa continentes seu occultantes Christum; si verò credatur non perseuerare sub illis, adorandæ & venerandæ sunt, tamquã signum & vestigium Christi.

Quoad esum verò & consumptionem specierum sic apparentium expediens est, illas non consumere (nisi redeant ad pristinam formam) vt docent communiter Theologi, quia tunc non sunt sub forma cibi aut potus humani sub qua Christus voluit sumi, sed eas seruare ob æstimationem tanti miraculi, & ob maiorem reuerentiam huius Sacramenti. Et hoc consueuit in Ecclesia fieri: nihilominùs siquis non horreat sumptionem specierum sic apparentium, non video eum prohiberi.

Sed quæres, Quid facturus est Sacerdos, si post consecrationem ante sumptionem, contingat aut species panis, aut species vini, aut ambas sic immutari & apparere. Respondemus, species non immutatas, si aliquæ non sunt immutatæ, sumendas esse à Sacerdote, quia Sacerdos tenetur præcepto diuino Sacramentum ab ipso confectum sumere, quantum possit; species verò immutatas, siue ambas siue alteras, & non redeuntes ad pristinam speciem, non esse ex obligatione & necessariò sumendas, quia non sunt sub forma cibi & potus humani, sub qua sola Christus præcepit sumi, neq; esse necessarium nouã materiam cõsecrare, etiamsi ambæ species sic immutatæ sint, & permaneant, vt contra Antoninũ docent communiter Theologi; tum quia id non est necessarium ad perfectionem prioris sacrificij, quia absque sumptione, & ante ipsam, sacrificium est perfectum; tum quia, quamuis absque sumptione non esset perfectum, consecratione nouæ materiæ, & sumptione ipsius, non perficeretur sacrificium illud prius, quia consecratione nouæ materiæ fieret nouum sacrificium, & eius sumptione perficeretur nouum istud, & non illud prius.

DISPVTATIO VII.

De accidentibus panis & vini remanẽtibus in Eucharistia.

DIFFICVLTAS I.

Quæ accidentia panis & vini remaneant in Eucharistia post consecrationem.

CONVENIVNT Primò Catholici, in Eucharistia post conuersionem panis & vini in Corpus & in Sanguinem Christi factam media consecratione, manere accidentia sensibilia panis & vini, (id est, quæ à sensibus præcipiuntur) nempe quantitatem, colorem, frigiditatem, siccitatẽ, humiditatem, colorem, odorem, & saporem: quia præterquam quòd experientiâ constat, dicta accidentia post cõsecrationem manere, definitum est in Concilio Lateranensi cap. 1. & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & in Tridentino sess. 13. can. 2. in Eucharistia manere species panis & vini. Nomine autem specierũ ad minus accidentia sensibilia intelliguntur.

Conueniunt Secundò Theologi, non solum accidentia sensibilia panis & vini in Eucharistia manere, sed etiam omnia alia accidentia, quamuis sensibus occulta, quæ separata à substantia possunt conser-

conseruari; & meritò: quia in pane & vino nulla alia accidentia reperiuntur, nisi quantitas, qualitates primæ, & qualitates secundæ, quæ ex temperamento primarum naturaliter & necessariò oriuntur; & relationes, quæ ex dictis accidentibus, & ex substantia ipsa consurgunt, quia nullo fundamento possunt alia accidentia assignari. Negari autem non potest, in Eucharistia manere quantitatem & primas qualitates panis & vini; ergo etiam remanent reliqua alia supradicta accidentia panis & vini, exceptis relationibus è substantia panis & vini pendentibus: quia reliqua alia ex quantitate, & ex primis qualitatibus naturaliter & necessariò oriuntur, & independenter ab influxu aliquo substantiæ in ipsa accidentia, conseruantur in quantitate.

Sed quamuis Theologi conueniant in eo, quòd reliqua accidentia panis & vini præter sensibilia, exceptis relationibus dictis, maneant in Eucharistia, id tamen neque est definitum, neque certum. Et in primis id non est definitum, quia tantùm definitum est, species panis & vini in Eucharistia manere: nomine autem specierum tantùm intelliguntur accidentia sensibilia, quia hæc sola dici possunt species, cùm sola ipsa sint quasi simulachrum & figura substantiæ ipsam sensibus demonstrans. Nihilominùs Tridentinum, dum can. 2. definit fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, non definit tantùm manere accidentia sensibilia panis & vini, quia particula illa exclusiua *dumtaxat* non fuit addita ad excludenda alia accidentia præter sensibilia, sed ad excludendam substantiam panis & vini, cuius immediatè fecerat mentionem, & quam implicitè excluserat, dum dixit fieri conuersionem totius substantiæ panis & vini. Deinde id non est certum, quia nullo firmo & certo fundamento constat; quia non est satis certum, in pane & vino, præter accidentia sensibilia, & ea quæ ex his necessariò oriuntur, non esse alia accidentia materialia: & quamuis esset certum non esse alia, tamen non est certum, accidentia materialia inhærere quantitati immediatè, & absque influxu aliquo substantiæ in ipsa; ac proinde nequit esse certum, omnia accidentia panis & vini remanere in Eucharistia post destructionem substantiæ panis & vini, à qua forsan naturaliter dependent, quia non est certum, manere accidentia quæ non experimur esse præter sensibilia, quamuis aliàs naturaliter & necessariò oriantur ex dicta substantia, hac deficiente.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm quantitas panis & vini in Eucharistia existat per se positiuè.

CONueniunt Catholici, quantitatem panis & vini in Eucharistia manere per se absque subiecto, quia nihil est in quo esse, aut cui inhærere possit; & oppositum est damnatum in Concilio Constantiensi sess. 8. Ex quo constat, quantitatem panis & vini in Eucharistia conseruari à Deo actione distincta ab illa, qua anteà in proprio subiecto conseruabatur, quia actio, qua anteà conseruabatur, non erat creatiua, sed eductiua, dependens à subiecto ad minus tamquam à causa materiali, qua conseruabatur dependenter ab ipso subiecto; actio verò, qua in Eucharistia conseruatur, non est eductiua, sed creatiua, non dependens à subiecto, qua quantitas independenter ab illo conseruatur. vnde actio hæc distincta est ex natura rei ab ipsa quantitate, sicut & eductiua; quia sicut quantitas modò est absque eductiua, etiam anteà fuit absque creatiua. Separatio autem realis vnius ab altero, indicium est distinctionis ex natura rei inter illa.

Est tamen difficultas, An præter hanc actionem creatiuam, qua nunc quantitas panis & vini in Eucharistia à Deo extra subiectum & per se conseruatur, gaudeat modo aliquo positiuo perfectatis, an tantùm dicatur esse per se negatiuè sola carentia existendi in subiecto, absque aliquo modo positiuo perfectatis superaddito.

Supponimus autem contra nonnullos, modum perfectatis positiuum (qui non posset esse substantialis, sed accidentalis, & quia esset extra integritatem substantiæ, & quia esset modificans accidens) esse possibilem quantitati de potentia Dei absoluta, quia in hoc nulla apparet repugnantia & contradictio: quia quamuis modus iste non possit esse in subiecto, tamquam in subiecto remoto, & ipsi accidere, quia tantùm potest conuenire accidenti existenti extra subiectum, id tamen non est necessarium ad rationem accidentis modalis, neq; ad rationem accidentis in fieri, vt creationis accidentis (sicut neque est necessarium ad modum substantialem, quod possit per se existere) sed sufficit quòd sit modus; aut fieri accidentis, quod potest esse in subiecto. Prædictus ergo modus accidentalis positiuus perfectatis est possibilis quantitati, & cuicumque alij accidenti, sicut substantiæ totali est possibilis modus existendi in alieno supposito, quamuis ei non sit possibilis modus inhærentiæ in alio tamquam in subiecto, quia substantia totalis nequit fieri informans subiectum, & ab ipso dependens.

Est ergo difficultas, An modus iste perfectatis positiuus accidentalis, quem dicimus esse possibilem quantitati, conueniat de facto quantitati panis & vini existenti in Eucharistia.

Vasquez disp. 194. cap. 2. Suarez disp. 56. sect. 2. Valentia disp. 6. quæst. 5. & Ægidius quæst. 77. art. 1. dub. 2. docent, quantitatem panis & vini in Eucharistia existere per se modo positiuo perfectatis illi superaddito: quia vt substantia existat per se absque subiecto, indiget modo positiuo perfectatis superaddito, ergo etiam quantitas, vt existat per se absque subiecto instar substantiæ. Et confirmatur, quia existentia substantiæ absque modo perfectatis superaddito, non sufficit vt substantia existat per se; ergo existentia accidentis absq; modo perfectatis superaddito multò minùs sufficiet, vt accidens existat per se. *Vasquez. Suarez. Valentia. Ægidius.*

Scotus verò in 4. dist. 12. quæst. 1. & 6. Ledesma 1. par. 4. q. 18. art. 2. Bellarminus 3. de Eucharistia c. 24. & Valentia q. 5. p. 1. docent, quantitatē panis & vini in Eucharistia existere per se, non positiuè modo aliquo perfectatis superaddito, sed negatiuè, ex eo scilicet quod existit in rerum natura absque subiecto; & meritò: quia dictus modus positiuus non est necessarius quantitati, ergo non est admittendus. Consequentia patet, quia absque necessitate non est admittendum nouum miraculum, sine quo dictus modus esse non potest. Antecedens autem probatur, quia in primis non est necessarius, vt accidens existat in rerum natura, quia accidens de *Scotus. Ledesma. Bellarmin. Valentia.*

de potentia Dei absoluta existere potest in rerum natura absque modo inhæsionis quo inhæreat subiecto, & absque modo perseitatis superaddito, quia in hoc nulla inuoluitur repugnantia & contradictio, sicut etiam substantia de potentia Dei absoluta potest existere in rerum natura absque subsistentia propria, & absque aliena, vt diximus Tractatu de Incarnat. Disputat. IV. Difficult. VII. Et declaratur: quia ex vna parte quantitas est prior modo inhæsionis, & modo perseitatis, & ex altera parte isti duo modi non opponuntur contradictoriè, quia ambo sunt positiui, ac proinde inter eos reperitur medium, nempe negatio vtriusque: quia quamuis modo inhærentiæ seu existentiæ in subiecto immediatè opponatur non existere in subiecto, non tamen modus existendi per se positiuè: & quamuis modo existendi per se positiuè immediatè opponatur non existere per se positiuè, non tamen existere in subiecto; ergo non repugnat, quantitatem existere per se negatiuè absque modo existendi in subiecto, & absque modo positiuo existendi per se. Deinde dictus modus positiuus perseitatis non est alio modo necessarius quantitati, quia non est necessarius ad saluanda reliqua alia, quæ sunt necessariò concedenda in Eucharistia, nec aliquid eorum, quia nullum ex eis poterit assignari ad quod saluandum sit necessarius, quia ad quodcumque ex illis sufficit quantitati, non existere in subiecto, seu negatio existendi in illo, vt discurrenti per omnia necessaria, facilè patebit ex dictis, & ex dicendis.

Ad rationem ergo aduersariorum à simili desumptam respondemus, substantiam indigere modo positiuo perseitatis, non vt existat per se, quia de potentia Dei absoluta existere potest per se negatiuè; sed vt existat per se modo sibi connaturali, quia modus hic est connaturalis & debitus substantiæ: accidens verò non indigere eo modo positiuo perseitatis, vt existat per se modo sibi connaturali, neque eo ad id indigere potest, quia modus iste perseitatis, qui accidenti tribueretur, quamuis esset accidentalis (imò non posset non esse talis) nequit esse accidenti connaturalis, quia potiùs esset illi supernaturalis, quia modus iste non solùm secundùm suam rationem indiuidualem, sed etiam secundùm suam rationem specificam est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis. Et ad confirmationē respondemus, quòd sicut existentia substantiæ absque modo positiuo perseitatis non sufficit, vt substantia existat per se connaturaliter, & sufficit vt existat in rerum natura, & per se negatiuè; ita etiam existentia accidentis absque modo positiuo perseitatis sufficit, vt accidens existat in rerum natura, & per se negatiuè.

Obseruandum est, quantitatem in Eucharistia carentē modo inhærentiæ actualis, & modo positiuo perseitatis, esse in statu violento, non quia caret modo perseitatis, sed quia caret modo inhærentiæ; quia eo caret non tantùm contra eius inclinationem materialem, sed etiā contra eius impetum actiuum, seu effectiuum internum: quia quantitas, & quodlibet aliud accidens nō tantùm quasi causa materialis exigit modū illum inhærentię, sed etiam influit in illum tamquam causa efficiens (sicut substantia efficienter influit in modum positiuum substantialē perseitatis, seu subsistentiam, vt diximus Tract. de Incarnatione Disput. IV. Diffic. VI.) quia accidens est prius secundùm naturā modo illo inhærentiæ, & est eo nobilius, & eo non indigens ad operandum (sicut neque substantia indiget suo modo perseitatis ad id) & est necessariò connexum cum illo.

Quòd autem accidens eductione producatur, non obstat, vt efficienter influat in suum modum inhærentiæ; quia eductio, vt diximus Tractatu de Incarnatione Disputat. II. Difficult. VIII. tantùm terminatur ad accidens vt præcisè existens in rerum natura, & non ad accidens vt existens in subiecto; quia modus inhærentiæ non producitur eductione ipsa accidentis è subiecto, sed alia actione distincta & posteriore, quia ad diuersas entitates diuersa fieri terminantur: vnde per eductionem accidētis media, qua vt passione in fieri subiectum materialiter concurrit ad ipsum accidens, non ponitur accidens in subiecto in facto esse, seu medio modo inhærentiæ, sed quasi in fieri; quia subiectum ratione eductionis, vt passio est, patitur in fieri recipiendo in fieri ipsum accidens, non verò in facto esse, quousque in posteriori naturæ producitur, aut resultat modus inhærentiæ, ratione cuius inhæret in facto esse ipsi subiecto.

Addidimus, quantitatem carentem modo inhærentiæ, & modo perseitatis positiuo, esse in statu violento; quia si modum positiuum perseitatis haberet, quamuis careret modo inhærentiæ, non esset in statu violento: quia quamuis tunc contra impetum actiuum internum careret modo inhærentiæ sibi connaturali, sed careret illo ratione modi perseitatis positiui sibi non disconuenientis, sed maximè congrui, quia maximè terminaret existentiam accidentis, & maximè suppleret vicem modi inhærentiæ, quia eo modo perseitatis maximè melioraretur accidens (sicut Tractatu de Incarnatione Disputat. IV. Difficult. XIII. diximus de humanitate respectu carentiæ personalitatis propriæ, media personalitate Verbi) quia quamuis modus ille accidentalis perseitatis esset incompossibilis cum modo inhærentiæ, ita tamen esset in quantitate, vt suppositā carentia proprij modi inhærentiæ, non noceret quantitati, sed eam potiùs perficeret, & optimè modificaret; sicut etiam personalitas Verbi, quamuis incompossibilis cum propria personalitate humanitatis, suppositā tamen carentia propriæ, personalitas Verbi non nocet humanitati, sed potiùs eam perficit. In quo personalitas Verbi, & modus ille perseitatis, ex vna parte differunt à calore producto in aqua, quia iste non tantùm nocet quasi negatiuè & indirectè, quatenus scilicet est incompossibilis cum frigiditate, & eam expellit; sed etiam positiuè & directè, & ratione sui; quia calor disponit & iuuat ad destructionē aquæ, & ob id aqua habens calorem, est in statu violento, quia caret frigiditate medio calore sibi directè nociuo, ac proinde est in statu violento ob duplicem titulum; nempe quatenus caret frigiditate, & quatenus habet calorem.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm modus perseitatis accidentalis possibilis accidenti sit supernaturalis.

VAsquez 1. p. disp. 114. cap. 4. docet, modum respondens hunc accidentalem perseitatis esse naturalem quoad substantiam: Primò, quia modus iste perseitatis habet connexionem naturalem cum negatione substātiæ panis & vini, quia ex hac negatione natura-

sed negatio hæc est naturalis; ergo etiam dictus modus perfeitatis cum ea negatione naturaliter connexus, est ordinis naturalis. Secundò, quia modus substantialis perfeitatis est naturalis quoad substantiam, ergo etiam modus iste perfeitatis accidentalis, quia modus substantialis perfectior est accidentali. Addit tamen, dictum modum esse supernaturalem ex parte efficientis, sicut est reproductio hominis, quia à nullo agente naturali potest produci, sicut neque homo reproduci.

Ochagauia. Ochagauia verò quæst. 27. & nonnulli alij recentiores Thomistæ quæst. 77. art. 5. docent, dictum modum accidentalem perfeitatis esse supernaturalem quoad substantiam, & meritò: quia modus iste adhuc secundùm suam speciem est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis.

Ad primam verò rationem in oppositum, negamus, dictum modum accidentalé perfeitatis esse connexum cum negatione substantiæ panis & vini, quia non oritur ex ea; tum, quia destructâ substantiâ panis & vini, quantitas illius non exigit conseruari, & multò minùs reliqua accidentia; tum etiam, quia quamuis exigeret conseruari, non tamen exigeret conseruari medio modo perfeitatis, quia absque eo conseruari potest, & facilius, quia absque nouo miraculo, quod requiritur ad productionem illius modi.

Ad secundam concedimus, modum substantialem perfeitatis esse naturalem, quia est debitus naturæ substantiali, negamus tamen, modum accidentalem perfeitatis etiam esse naturalem, ob supra dictam rationem. Et ad probationem concedimus, modum substantialem esse perfectiorem; & ex eo tamen non concluditur, modum accidentalem etiam esse naturalem, & non supernaturalem; quia naturale potest esse perfectius supernaturali, quia substantia creata perfectior est gratia habituali, quamuis hæc sit supernaturalis, & illa naturalis.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm reliqua accidentia panis & vini maneant in quantitate tamquam in subiecto.

SVpponimus, reliqua accidentia panis & vini, præsertim absoluta, ex natura rei distincta à substantia & quantitate, posse à Deo constitui & conseruari per se extra subiectum, quia in hoc nulla apparet contradictio. Est tamen difficultas, An de facto sit factum.

Ocham. Gabriel. Maior. Aliacensis. Ocham lib. de Sacramento altaris cap. 62. & 63. Gabriel lect. 44. lit. K. Maior in 4. dist. 12. q. 2. Aliacensis quæst. 6. art. 3. docent, omnia accidentia panis & vini post consecrationem existere per se absque subiecto, quia existimant, in rerum natura non esse aliquam vnam & peculiarem quantitatem, sed tam substantiam materialem, quàm qualitates & reliqua accidentia materialia, habere propriam quantitatem & extensionem ab ipsis indistinctam; ex quo optimè infertur, qualitates & alia accidentia panis & vini in Eucharistia, nulli subiecto inhærere, quia si alicui, maximè quantitati ab ipsis distinctæ; hæc autem non est in rerum natura. Idem quoad subiectum dictorum accidentium, nempe non esse in subiecto, docet Marsilius in 4. q. 9. art. 2. alio tamen fundamento nixus: quia quamuis admittat, quantitatem esse peculiare accidens à substantia materiali, & ab alijs accidentibus materialibus distinctum; existimat tamen, reliqua accidentia non inhærere immediatè quantitati, sed substantiæ, sicut ipsam quantitatem, in Eucharistia autem non manet substantia panis & vini, cui inhærere possit.

S. Thomas. Vasquez. Suarez. Adamus. Becanus. S. Thomas verò, & eius interpretes, quæst. 77. art. 2. & communiter Scholastici in 4. dist. 11. Vasquez disp. 194. cap. 3. Suarez disp. 56. sect. 3. Adamus q. 6. dub. 1. & Becanus cap. 20. q. 2. docent, reliqua accidentia panis & vini in Eucharistia esse in quantitate tamquam in subiecto, & solam ipsam quantitatem esse per se extra subiectum, & meritò. Primò, quia si quantitas in Eucharistia non esset subiectum reliquorum accidentium materialium, & sufficiens absque concursu materiali substantiæ, agens naturale non posset in speciebus Sacramentalibus qualitatem aliquam producere, v. g. calorem (quod est contra experientiam;) quia non potest producere accidens per se existens extra subiectum sufficiens. Secundò, quia si reliqua accidentia in Eucharistia non essent in quantitate tamquam in subiecto, & consequenter non essent in aliquo subiecto, non esset vnio aliqua physica inter accidentia panis inter se, & inter accidentia vini inter se in Eucharistia, quia inter se nequeunt immediatè vniri, cùm nequeat vnum informare alterum.

Constat ergo, fundamentum Marsilij falsum esse, nempe accidentia materialia distincta à quantitate immediatè esse in substantia tamquam in subiecto, & non in quantitate; aliàs accidentia, quę ob rationes dictas in Eucharistia sunt immediatè in quantitate, mutassent subiectum.

Ad fundamentum verò Ochami & aliorum, negamus, non esse peculiarem quantitatem ex natura rei distinctam à substantia & ab alijs accidentibus, ratione cuius vna substantia, quæ vnā tantùm potest habere quantitatem, est impenetrabilis cum altera, quia hæc altera debet habere alteram quantitatem, & duæ quantitates non possunt esse simul in eodem spatio, vt quotidiè experimur, ac proinde multò minùs in eodem subiecto. Ex quo etiam constat, substantiam & alia accidentia materialia non habere proprias quantitates, quia ex his plura sunt simul in eodem spatio, & in eodem subiecto.

Reliqua ergo accidentia materialia panis & vini distincta à quantitate, non mutantur physicè per consecrationem, quia post eam perseuerant in eodem subiecto, & eodem modo: quantitas verò physicè mutatur, quia amittit modum inhærentiæ, quo erat in substantia panis & vini.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm accidentia seu species panis & vini in Eucharistia possint agere propria virtute.

COnueniunt Theologi, accidentia panis & vini in Eucharistia eodem modo agere, ac quando erant in propria substantia, vt experientiâ constat: calor enim panis in Eucharistia verè calefacit, & eodem modo quo anteà; & humiditas vini in Eucharistia verè humectat, sicut anteà:

imò accidentia vini conuertunt aquam ipsis infusam in vinum.

Est tamen difficultas, An accidentia panis & vini id efficiant propria virtute, seruato modo naturali, an Deo supplente efficientiam aliquam substantiæ in qua erant.

In primis, quod attinet ad productionem formæ accidentalis, qua calor v.g. producit calorem, & humiditas humiditatem, conueniunt communiter Theologi, id efficere accidentia in Eucharistia naturaliter, & propria virtute, sicut ante consecrationem, & meritò: quia dicta productio sufficienter prouenit à solo accidenti, vt à principio efficienti, quia in ipso accidente efficienti est sufficiens efficacitas & virtus ad omnem rationem existentem in effectu. In calore enim producente est sufficiens virtus ad omnem rationem existentem in calore producto, quia omnis hæc ratio sufficienter correspondet calori producenti, vt causæ efficienti, & subiectum accidentis nullam illi confert vim ad operandum: quia si subiectum sit substantia, tantùm est vehiculum ipsius accidentis efficientis; & si sit quantitas, præter hoc quòd sit vehiculum, solùm habet quòd sit illi quasi conditio ad operandum, quia ratione quantitatis, accidentia fiunt contigua passo, quod est illi necessarium ad operandum in passo.

Et idem ob eamdem rationem dicendum est, quod attinet ad productionem specierum intentionalium sensibilium, quibus accidentia Sacramentalia sentiri possunt, quòd scilicet ab ipsis accidentibus naturaliter proueniat.

Deinde quod attinet ad productionem substantiæ, prouenientem ab ipsis accidentibus Sacramentalibus, difficultas est, Quomodo ab ipsis proueniat. In hac difficultate philosophandum est, sicut in difficultate de accidenti separato à proprio seu connaturali subiecto, v.g. de calore existente extra ignem in alio subiecto, de quo disputatur 2. Phys. c. 3. vbi nos diximus, accidentia à proprio subiecto separata, imò & accidentia existentia connaturaliter in proprio subiecto, concurrere immediatè ad productionem substantiæ, virtute propria in ipsis existente, absque concursu immediato proprij & cõnaturalis subiecti: quamuis non dicantur concurrere, vt causæ principales, ad eam productionem, quia sunt inferiora & imperfectiora, quàm ipsa substantia quam producunt, sed vt instrumenta propriæ substantiæ, illius videlicet, à qua saltè remotè producta sunt; quia concurrunt tamquam virtus propriæ substantiæ, quod etiam tradit Vasquez disp. 195.

Tandem Theologi conueniunt, accidentia Sacramentalia pati ab agente naturali, imò & ab eo corrumpi, vt experientiâ constat, calefiunt enim ab igne, & humectantur ab aqua, & à qualibet horum, & etiam ab alijs agentibus naturalibus corrumpuntur.

DIFFICVLTAS VI.

Quomodo ex accidentibus seu speciebus Sacramentalibus possit substantia aliqua produci.

NOn minùs experientiâ constat, accidentia Sacramentalia panis & vini in Eucharistia à contrario agente naturali corrumpi, quàm ipsis corruptis succedere substantiam aliã distinctam, v.g. substantiam vermis aut ignis.

Est tamen difficultas, Quomodo, & qua virtute, substantia illis corruptis succedens, de nouo producatur. Occasio tamen & ratio difficultatis est, quia tunc deficit materia prima, in qua forma substantiæ succedentis possit recipi.

Circa hanc difficultatem in primis Innocentius III. lib. 4. de Mysterijs Missæ cap. 11. Bonauentura in 4. dist. 12. par. 1. dist. art. 2. quæst. 1. & Alexander 1. par. quæst. 10. m. 7. art. 2. docent, tunc eamdem numero substantiam panis & vini, quæ erat ante consecrationem, reproduci miraculosè, & ex materia prima ipsius nouam illam substantiam produci.

Modus hic dicendi communiter reijcitur, & meritò: quia vel substantia panis & vini redit & reproducitur, permanentibus adhuc accidentibus consecratis; vel his iam corruptis. Si permanentibus, ergo simul sunt substantia panis & vini cum Corpore & Sanguine Christi, quia quamdiu manent accidentia illa, tamdiu sub illis manent Corpus & Sanguis Christi. Si autem substantia panis & vini redit accidentibus illis corruptis, tunc substantia panis & vini esset absq; suis accidentibus, vtpote iam corruptis; imò ex ea substantia redeunte non posset fieri, quæ de nouo succedit accidentibus illis corruptis, quia hæc substantia succedens fit in eadem duratione, in qua accidentia illa consecrata corrumpuntur, ac proinde in eadem, in qua substantia illa panis & vini redit, & est, ex substantia autẽ, quæ est, dum est, non potest alia fieri.

Secundò Ferrariensis 4. Contra gentes cap. 66. Capreolus in 2. dist. 1. q. 3. a. 3. Henriquez Quod. lib. 4. q. 36. & Ægidius Theoremate 45. docent, ex quantitate panis & vini, quasi ex materia prima, produci formã substantiæ succedentis, quia quantitas in Eucharistia gerit vicem primi subiecti, & in ea recipiuntur dispositiones, ad quas consequitur noua illa forma substantialis.

Modus etiam iste dicendi communiter reijcitur, & meritò: Primò, quia quantitas suâ naturâ non est receptiua formę substantialis, neque potest à Deo eleuari ad illam recipiendam ex defectu capacitatis ad id, vt ostendit Vasquez disp. 132. c. 6. Deinde Secundò, quia substantia succedens, v.g. vermis, nequit componi & coalescere ex quantitate & ex forma substantiali, sed ex hac, & ex materia prima.

Tertiò Caietanus q. 77. art. 5. docet, quantitatem in Eucharistia gerere vicem materiæ primæ, quoad receptionem dispositionum ad formã substantiæ succedentis introducendam, & in ea duratione, in qua introducitur, Deum conuertere quantitatem illam in materiam primam, & agens naturale formam illam introducere.

Modus tamen iste dicendi in eo displicet, quòd asserit, quantitatem Sacramentalem conuerti in materiam primam: quia quantitas illa non desinit ex vi productionis materiæ primæ, quia non desinit ex natura rei, vt patet; nec ex vi aliquorum verborum, vt etiam est manifestum.

Quartò ergo Scotus in 4. d. 12. q. 6. Durandus quæst. 2. Maior q. 4. Gabriel q. 1. art. 3. Vasquez disp. 194. cap. 3. Suarez disp. 57. sect. 3. & Ægidius q. 77. art. 5. num. 57. docent, & meritò, in instanti, aut in tempore (in quo post immutationem accidentium panis & vini, quæ sufficeret ad corruptionem

nem propriæ substantiæ, si adesset, introducēda est noua forma substātialis) produci à Deo, per creationem, materiam primam, in qua introducitur forma illa noua: & illam creari à Deo ad exigentiam dictæ immutationis accidentium, non ad exigentiam naturalem, sed vt occultetur mysterium Eucharistiæ.

Et in primis, in eo instanti aut tempore produci materiam primā, patet, quia in eo producitur substantia composita ex materia prima & ex forma, quorum neutra præerat in rerum natura. Deinde, materiam hanc creari, constat, quia fit ex nihilo. Et hanc materiam primam non produci à Deo ad exigentiam naturalē dictę immutationis, præcedentis in quantitate Sacramētali, patet, quia ad materiam primā, quæ producitur extra subiectum (quia ipsa est primum subiectum) nulla est, neque præcedit dispositio & immutatio: sed illam produci ad exigentiam occultationis mysterij, quia si non producatur materia prima, non succedet substantia aliqua totalis ad corruptionem specierum, quo dabitur non leue indicium mysterij Eucharistiæ.

Addimus, materiam primam & formam produci in instanti aut tempore: quia si substantia, quæ succedit speciebus, sit viuens, vt vermis, producitur in instanti, si verò sit non viuens, producitur in tempore, quia productio substantiæ succedentis sit in eadem duratione, in qua fieret, si sub accidentibus Sacramentalibus esset propria substantia ipsorum.

Sed an creetur à Deo noua numero materia prima, an recreetur illa eadem numero, quæ destructa fuit in conuersione Eucharistica, incertum est. Credimus tamen, contra non paucos, vt optimè Suarez & Ægidius, eamdem numero materiam primam reproduci, quia recreando eamdem numero materiam est minor mutatio in rerum natura, quàm in creando nouam numero materiam; quia in recreando eamdem tantùm fit ipsa recreatio, & noua introductio quantitatis Sacramentalis in ipsa materia antiqua recreata, in creando verò nouam numero materiam, fiunt ipsum creare materiam nouam, & annihilare quantitatem Sacramentalem, ne transeat ad nouum subiectum, & producere nouam quantitatem in materia creata.

Sed à quo forma illa substantialis producatur, & consequenter substantia ipsa totalis succedens, an à solo Deo, an ab agente naturali, incertum est. Credimus tamen, contra Scotum & Vasquez, vt benè Suarez & Ægidius, produci ab agente naturali immutante quantitatem Sacramentalem, quia verè potest ab ipso produci; ergo ipsi non est denegandum. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia in instanti, aut in eo tempore in quo forma illa producitur, adest materia prima à Deo recreata, in qua & ex qua possit ab agente naturali produci; & est extensa per quantitatem Sacramentalem à Deo in eo instanti aut in eo tempore reunitam materiæ primæ, si necessaria est extensio in materia prima, vt ipsi contiguetur, & approximetur, vt nos credimus esse necessariam: & etiam credimus, formam illam produci ab agente naturali ad exigentiam naturalem materię primæ, & dispositionū naturalium ab agente naturali productarum in dicta quantitate, quia in ea duratione adest materia prima, quæ naturaliter exigit formam: & adsunt dispositiones ad formam productam in quantitate tunc reunita à Deo materię primæ. Vnde materia prima, quantitas, & dispositiones, sunt priùs naturâ, quàm forma producenda ab agente naturali, quia conducunt ad productionem illius. Materia prima, tamquam causa materialis in qua, & ex qua producitur ab agente naturali: & quantitas, quasi conditio in actu primo, vt agens naturale contiguetur, & approximetur materiæ primæ, vt in ipsa & ex ipsa formam producat: & dispositiones conducunt, vt agens naturale illam producat in materia, & ex materia disposita.

DIFFICVLTAS VII.

Quomodo ex accidentibus, seu ex speciebus Sacramentalibus, possimus nutriri.

CONueniunt Theologi, nos posse nutriri accidentibus, seu speciebus Sacramentalibus in iusta quantitate sumptis. Est tamen difficultas circa modum, quo fieri possit nutritio.

Circa modum hunc quilibet philosophatur eodem modo, quo circa productionem substantiæ speciebus corruptis succedentis, de quo egimus Difficultate præcedente.

Iuxta doctrinam ergo à nobis in ea traditam, dicendum est, nos nutriri sumptione specierum Sacramentalium, non quia nutriamur ex Corpore & Sanguine Christi, quia Corpus & Sanguis Christi non conuertuntur in substantiā nostram, quia sunt incorruptibili modo sub speciebus: neq; quia nutriamur ex ipsis speciebus, quia species non possunt habere vicem materiæ primæ, vt in ipsis forma alimenti aut hominis introducatur: sed quia nutrimur ex ipsa substātia ab agente naturali producta, speciebus in stomacho corruptis succedente, quæ habet rationem alimenti; quia speciebus in stomacho corruptis, succedit talis substantia, qualis ex digestione substantiæ panis, si adesset, ex vi caloris naturalis succederet pro alimento, quia substantia ipsa panis non est immediatum alimentum, sed substantia ipsi post digestionem succedens. Nutrimur ergo ex speciebus Sacramentalibus, quia substantia, ipsis in stomacho digestione corruptis pro alimento succedens, conuertitur in substantiam hominis vi caloris naturalis. Et eadem proportione ex speciebus Sacramentalibus vini in magna copia sumptis inebriamur, ac si sub illis esset substantia vini: quia sicut substantia vini, si adesset, vi caloris naturalis resolueretur in vapores, quibus in cerebrū ascendentibus inebriamur; sic etiam substantiâ vini non existēte, sed tantùm speciebus, virtute diuina recreatur materia prima, & ipsi reunitur quantitas cum dispositionibus vi caloris naturalis introductis in illa, & in ea materia prima virtute eiusdem caloris producitur substantialis forma vaporis, quam calor naturalis produceret, si vinum non defuisset.

Nutrimur ergo sumptione specierum Sacramentalium non ex ipsis tamquam ex alimento adhuc mediato, quia non nutrimur immediatè ex aliquo in quod species ipsæ conuersæ fuerint, sed tantùm nutrimur ex illis occasionaliter, quia nutrimur ex substantia dicto modo succedente ipsis corruptis, cuius aliqua pars sub vna forma ad nutritionem reseruatur, & alia pars sub alia forma in secessum emittitur.

Obseruandum autem est. Primò contra Wal-

denses tom. 2. de Sacramentis cap. 60. Corpus & Sanguinem Christi etiam manducari & bibi ab auibus & à bestijs, Species Sacramentales sumentibus, ratione ipsarum specierum, quia eas verè (quamuis non Sacramentaliter) manducent, & bibant, quia species dictæ verè sunt cibus & potus materialis earum.

Obseruandũ est Secundò, in quo contra Bonauenturam in 4. dist. 13. art. 2. q. 3. conueniunt communiter Theologi, Corpus Christi non deserere species nondũ corruptas, sed eas comitari, etiamsi à bestia aliqua sumantur, aut in locum aliquem sordidũ incidant, quia Corpus & Sanguis Christi succedunt loco substantiæ panis & vini, ac proinde tamdiu perseuerant sub speciebus, quamdiu substantia panis & vini perseueraret sub illis. Imò in Directorio Inquisitorum par. 2. quæst. 10. refertur Gregorius XI. damnasse asserentes, sub hostia consecrata in lutum aut in locum sordidum proiecta non manere Corpus Christi, nondum corruptis speciebus. Et sanè Christus prout est sub speciebus, nequit coinquinari ex immundo loco, quia est sub speciebus modo impassibili ab agente naturali corporeo.

Ex quo etiam constat, Christum non deserere species ad introitum earũ in stomachum (vt falsò credit Glossa in can. *Tribus.* de Consecratione, dist. 2. ne Christus in stomachum immundum descendat) quia id non tantùm est contra communem Theologorum sensum, & contra prædictam rationem, sed etiam contra Scripturam Ioan. 6. vbi supponitur, Corpus & Sanguinem Christi manducari & bibi: quia quod nõ traijcitur in stomachum, non dicitur manducari neq; bibi, quamuis ore sumatur, & gustetur, & dentibus teratur, ea enim quæ ore sumuntur, quamuis dentibus terantur, & gustentur, non dicuntur manducari, neque bibi, si eijciantur extra os, antequam in stomachum traijciantur.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm per mixtionem liquoris cum speciebus vini consecratis, Sanguis Christi desinat esse sub illis.

Alexand. Maior. IN primis Alexander 4. par. quæst. 10. mem. 7. art. 7. & Maior in 4. dist. 12. q. 4. dub. 3. docent, mixtione liquoris non consecrati, v. g. vini aut aquę cum speciebus cõsecratis, Sanguinem Christi desinere esse sub illis, quamuis mixtio fiat solùm diuisione & penetratione, absque alia physica alteratione, quia per eam mixtionem desineret esse substantia vini, si adesset sub illis accidentibus, quia ex substantia vini, & ex liquore illo, coalesceret alia tertia substantia, ab ipsis quæ miscentur distincta.

Sotus. Secundò Sotus in 4. dist. 10. q. 2. art. 8. docet, quòd si gutta vini consecrati misceatur magnæ copiæ vini non consecrati, Sanguis Christi manebit sub gutta illa consecrata, quando vinum consecratum & non consecratum sunt eiusdem speciei; si tamen sint diuersæ speciei, poterit gutta illa consecrata corrumpi à vino nõ consecrato, & tunc si corrumpatur, non manebit Sanguis Christi sub gutta illa. Quòd si species consecratæ misceantur cum alijs consecratis, sub omnibus manebit Sanguis Christi, quomodocumque misceantur.

Tertiò Paludanus in 4. dist. 12. q. 5. art. 2. & Capreolus q. 1. art. 3. ad argumenta contra secundam conclusionem docent, quòd si vinum infusum speciebus consecratis, non possit ipsis facilè misceri, quia vinum infusum, vel species consecratæ, sunt crassioris naturæ, ita vt non possit fieri diuisio & penetratio per partes minutissimas, non statim desinet esse Sanguis Christi sub illis diuisione & penetratione illa, nisi etiam accedat alteratio aliàs sufficiens ad corruptionem: si verò vinum infusum, & species consecratæ sint subtilioris naturæ, ita vt facilè possint per minutissimas partes diuidi & penetrari, tunc ea sola diuisione & penetratione species consecratæ corrumpentur, ac proinde sub illis non erit ampliùs Sanguis Christi. *Paludan. Capreol.*

Tandem Durandus in 4. dist. 12. q. 3. Vasquez disp. 195. c. 6. Suarez disp. 57. sect. vlt. & Ægidius q. 67. art. 8. docent, & meritò, per mixtionem liquoris cum speciebus consecratis factam sola diuisione & penetratione, absque physica immutatione specierum ad earum corruptionẽ sufficiente, Sanguinem Christi non desinere esse sub illis. *Durand. Vasquez. Suarez. Ægidius.*

Et in primis id probatur, quando liquor speciebus consecratis infusus est eiusdem speciei, vt quando speciebus vini rubri consecratis infunditur vinum rubrum non consecratum, quia tunc sola diuisione & penetratione, quamuis per minutissimas partes facta, non destrueretur propria substantia vini, si adesset sub speciebus; ergo sub ipsis non desinet esse Sanguis Christi, quia iste tamdiu perseuerat sub illis, quamdiu perseueraret propria substantia vini. Antecedens autem probatur Primò, quia substantia non viuens, qualis est substantia vini, in qualibet minima parte, quamuis ab alijs separata, conseruari potest, quantum est ex parte quantitatis. Secundò, quia quamuis substantia vini conseruari non posset sub qualibet minima parte separata, & non continuata cum alijs, potest tamen sub qualibet minima continuata cum quantitate substantiæ eiusdem speciei, vt patet.

Quòd autem tunc, si adesset propria substantia vini consecrati, fieret vnum tertium vinum per continuationem, non sufficit, vt sub speciebus consecratis desinat esse Sanguis Christi: quia continuatio hæc, ratione cuius fieret vnum tertium vinum, si adesset propria substantia vini sub speciebus consecratis, non sufficeret, vt non maneret substantia propria, quæ esset ante continuationem (quamuis non maneret sub denominatione totius, sed partis) quia in materia illius vini consecrati, si adesset, nulla noua forma introduceretur, sicut neque in materia vini non consecrati infusi introducitur; & ideò tunc ex plurib⁹ substantijs, si etiam adesset propria vini consecrati, fieret vna non tam corruptione plurium, & productione tertiæ, quàm continuatione plurium; ac proinde non sufficeret, vt sub speciebus consecratis, quamuis continuatis cum accidentibus vini non consecrati, desineret esse Sanguis Christi, sicut econtrà diuisio, qua species consecratæ diuiduntur, non sufficit vt sub partibus, in quas fit diuisio, nõ maneat Sanguis Christi, quamuis media illa diuisione & discontinuatione, si substantia propria vini adesset, ex vna fierent plures distinctæ; quia adhuc facta ea discontinuatione, maneret eadem substantia vini in partibus discontinuatis, quæ anteà erat in eisdẽ continuatis (quamuis non

non sub denominatione partis, sed totius) ac proinde ex illa fierent plures, non tam per corruptionem vnius, & productionem plurium, quàm per vnius discontinuationem.

Deinde idem probatur, quando liquor speciebus consecratis infusus est diuersæ speciei, vt quando infunditur aqua, quia etiam tunc sola diuisione & penetratione, absq; superaddita physica alteratione, non destrueretur propria substantia vini, si adesset, quamuis ex liquore illo, & ex propria substantia vini, si adesset, fieret vna tertia substantia per continuationem: quia tunc non destrueretur media aliqua physica alteratione, quia supponimus eam non esse; neque ex defectu magnitudinis, quamuis fiat diuisio in minutissimas partes, quia substantia non viuens nullam exigit determinatam magnitudinem ad sui conseruationem; neque destrueretur per continuationem (quamuis hæc esset possibilis, & fieret) ob rationem suprà adductam.

Addidimus, per mixtionem liquoris cum speciebus consecratis factam sola diuisione, absq; superaddita physica alteratione ad corruptionẽ specierum sufficiente, Sanguinem Christi non desinere esse sub illis, quia si species ita alterentur, vt corrumpantur, quamuis earum corruptio fiat ab alijs speciebus consecratis, tunc Sanguis Christi desinet esse sub illis, quia tunc sub illis non maneret propria substantia vini: imò quando ita alterantur, vt sub illis non maneret substantia vini, tunc verè annihilantur à Deo.

Sed an in vno vino sit aliqua qualitas, alteri vino, quamuis diuersi coloris, opposita, & sufficiens ad destruendum, incertum est.

Ex dictis in casibus occurrẽtibus iudicandum est, an quando fit mixtio liquoris cum speciebus consecratis, maneat sub ipsis Sanguis Christi, an non. In casu autem, in quo res maneat sub dubio, ita vt nequeat probabiliter seu prudenter iudicari manere vel non manere Sanguinem Christi, tunc species sunt absq; irreuerentia tractandæ, & à Sacerdote sumendæ, aliàs exponemur probabili periculo indignè tractandi species consecratas.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm quando Christus desinit esse sub speciebus, mutetur.

SVpponimus Christum non desinere esse sub speciebus primariò per mutationem sui, quia Christus non deserit species, quia ipse hoc aut illo modo mutetur, sed desinere esse sub illis, quia illæ corrumpuntur.

Est tamen difficultas, An quando Christus desinit esse sub speciebus, quamuis ad corruptionem ipsarum, nihilominus Christus mutetur.

Alexand. Ledesma. Alexander 4 par. q. 11. memb. 2. art. 2. & Ledesma 1. p. q. 17. art. 6. dub. 5. & 6. docent, Christum non mutari, quia incipit esse sub speciebus, nulla facta mutatione in ipso, sed sola conuersione panis & vini in ipsum; ergo quando desinit esse sub speciebus, nullo modo mutatur.

Vasquez. Suarez. Vasquez verò disp. 195. n. 57. Suarez disp. 54. sect. 1. & communiter Theologi docent, Christum physicè mutari, quãdo desinit esse sub speciebus; & meritò: quia secundùm nostram sententiam Christus est sub speciebus modo quodam formali accidentali vnionis cum illis, existente in ipso Christo, & est præsens in loco earum, præsentia accidentali de prædicamento Vbi. Ergo quando desinit esse sub speciebus, amittit dictam vnionem & dictam præsentiam: ergo tunc physicè accidentaliter mutatur, non positiuè aliquid acquirendo, sed negatiuè seu priuatiuè duo illa amittendo.

Quod verò aliqui dicunt, nempe Christum, cùm desinit esse sub speciebus, seu cùm illas deserit, in cælum localiter moueri, & ire, falsum est; quia quamuis Christus tunc deserat locum specierum, nullum tamen de nouo acquirit, sed retinet quem habet in cælo. Si tamen Christus non esset in cælo, neque alibi, nisi in vna Hostia consecrata, & hæc corrumperetur, Christus maneret in loco specierum circumscriptiuè, quia ex ipso naturaliter pullularet præsentia ipsi naturalis in eo loco, sicut ex aqua calida frigiditas, ne maneret absque omni præsentia.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm desitio Christi sub speciebus, sit conuersio ipsius in substantiam sibi succedentem.

EX supradictis constat, speciebus corruptis, & eo ipso Christo desinente esse sub speciebus illis, succedere substantiam aliquam creatam. Et etiam constat, corruptionem specierum non esse conuersionem ipsarum in substantiam illam ipsis succedentem, sed esse annihilationem: quia non corrumpuntur ex vi productionis illius substãtiæ, quia non est directa incompossibilitas, & oppositio in rerum natura inter substantiam illam, & inter species Sacramentales.

Est ergo difficultas, An desitio Christi sub speciebus, sit conuersio ipsius in substantiam sibi succedentem.

Non desunt recentiores, qui existiment, eam desitionem Christi esse veram conuersionem & transubstantiationem in substantiam ipsi Christo succedentem (ac proinde Christum conuerti in nostram substantiam, quando illum Sacramentaliter suscipimus) quia ea desitio est transitus à substantia Christi in substantiam ipsi succedentem.

Suarez verò disp. 54. sect. 2. & plures alij recentiores existimant, eam desitionem Christi non esse veram conuersionem, & meritò: Primò, quia substantia Christo succedens, non est opposita & incompossibilis cum Christo ex natura rei, neque ex significatione verborum, quia Christus non desinit esse sub speciebus, quia succedit alia substantia, seu quia sit qui intendat illam producere sub illis speciebus, sed tantùm desinit esse sub speciebus ex pacto & voluntate Dei, quia species corrumpuntur, vt occultetur mysterium. Secundò, quia quamuis Christus desineret esse sub speciebus ex vi substantiæ succedentis, quia esset incompossibilis cum Christo sub speciebus, quæ verè non est, non tamen conuerteretur in eam substantiam, quia Christus non corrumperetur; ad conuersionem autem vnius in aliud, necessaria est corruptio eius quod conuertitur; ac proinde desitio Christi sub speciebus non est transitus Christi in substantiam succedentem, ob duas dictas rationes.

DISPVTATIO VIII.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ conferat augmentum gratiæ iustificantis.

PRÆTER hæreticos, qui generaliter omnibus Sacramentis nouæ legis negant virtutè ad conferendam gratiam iustificantem ex opere operato, non satis constat fuisse aliquem, qui veritatem hanc negauerit, specialiter Eucharistiæ.

Conueniunt ergo Theologi (vno aut altero forsan excepto) Sacramentum Eucharistiæ ex opere operato conferre augmentum iustificationis dignè suscipientibus illud: quod iam definitum est ab Ecclesia, vt constat ex Decreto Eugenij IV. & ex Tridentino sess. 7. can. 6. 7. & 8. & ex sess. 13. cap. 2. si inter se conferantur.

Eugen. IV. Trident.

Et id deducitur ex illo Ioan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.* Nemo autem dicitur habere vitam æternam nisi qui viuit vita gratiæ iustificantis: sed nullus virtute Eucharistiæ incipit de nouo viuere vita gratiæ per se (sed ad summum aliquando & per accidens) quia Eucharistiâ viuimus tamquam cibo & potu; nullus autem incipit viuere cibo & potu, sed qui iam est viuens eis nutritur, & recreatur, vt amplius expendemus Diffic. VII. & VIII. ergo virtute Eucharistiæ viuitur augmento vitæ gratiæ, & illud confertur.

Ita tamen virtute Sacramenti Eucharistiæ confertur augmentum gratiæ iustificantis dignè suscipientibus illud, vt etiam conferantur auxilia gratiæ actualia ad peculiares fines, in quos institutum fuit hoc Sacramentum, nempe auxilia ad liberationem à peccatis venialibus, & etiam ad præseruationem à mortalibus, vt perseueremus in vita spirituali; quia perseuerantia in ea est effectus nutritionis spiritualis, ad quam Sacramentum Eucharistiæ ordinatur, & etiam ad alios peculiares fines, de quibus constabit ex dicendis: quia generale & commune est omnibus Sacramentis, vt virtute eorum conferantur auxilia efficacia gratiæ ad proprios & peculiares fines eorum (quamuis non infallibiliter) vt docent communiter Theologi, & nos diximus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione III. Difficultate III.

DIFFICVLTAS II.

Quando augeatur gratia iustificans virtute Sacramenti Eucharistiæ.

CIrca hanc Difficultatem duo examinanda sunt: alterum est, quo tempore Sacramentum Eucharistiæ incipiat conferre augmentũ gratiæ iustificantis; alterum est, quanto tempore duret virtus illius conferens augmentum gratiæ.

Sotus. Ledesma. Henriq. Valentia. Ægidius.

Circa prius Sotus in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. Ledesma 1. parte 4. quæst. 20. art. 1. Henriquez l. 8. c. 43. Valentia disp. 6. q. 7. pun. 1. Ægidius q. 79. n. 23. & Bonacina disp. 4. quæst. 4. pun. 2. docent Sacramentum Eucharistiæ conferre augmentum gratiæ in instanti vltimo terminatiuo traiectionis specierum ad stomachũ, seu deglutitionis, in quo finitur seu perficitur traiectio specierum in stomachum, seu deglutitio earum, & non anteà; & meritò: quia effectus iste Eucharistiæ, vtpote institutæ instar cibi & potus, promissus est à Christo manducationi & potationi illius, vt constat ex illo Ioan. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*, & non nisi manducationi & potationi perfectæ & completæ: sed manducatio & potatio perficiuntur & complentur in vltimo instanti transmissionis cibi & potus in stomachũ, seu deglutitionis eorum; quia manducatio & potatio non solùm includunt sumptionem cibi & potus in ore, sed etiam transmissionem eorum in stomachum, & in ea consummantur; traiectio autem, seu motus traiectionis non perficitur & consummatur vsque ad vltimum instans terminatiuum ipsius, quia vsque ad illud semper superest aliquid motus traiectionis: ergo augmentum gratiæ confertur in eo vltimo instanti terminatiuo dicti motus traiectionis, in quo motus iste definit per primum non-esse, siue in eo instanti vltimo producatur aliquod indiuisibile motus, vt nos credimus, siue non producatur, vt alij existimant. Quòd autem manducatio & potatio non solùm includant sumptionẽ cibi & potus in ore, sed etiam traiectionem eorum ad stomachũ, seu deglutitionem eorum, patet: quia qui nondum deglutiit cibum & potum, seu nondum traiecit illos in stomachum, quamuis eos habuerit in ore, non dicitur manducasse neq; potasse: in eo autem instanti vltimo, in quo finitur deglutitio & traiectio cibi & potus, & consequenter manducatio & potatio, dicitur quis manducare & potare, quia tunc perficit & complet manducationem & potationem, & anteà non dicitur manducare neque potare, sed dicitur incipere manducare & potare, quia anteà non traijcit neque deglutit perfectè: & in eodem instanti dici potest manducasse & potasse, quia ante illud instans præcesserunt omnes partes traiectionis & deglutitionis; & ideò dici potest augmentum gratiæ conferri ei qui manducat & potat Eucharistiam, & etiam ei qui manducauit & potauit.

Id autem fit non solùm quando vnica formula, & sola consummatè deglutitur, sed etiam quando prima formula ex pluribus, quæ aliquando pro eodem Sacramento sumuntur, aut quando prima pars discontinuata ab alijs consummatè deglutitur, quia etiam tunc species totalis & perfecta consummatè deglutitur, non verò quando aliqua pars formulæ continuata cum alijs partibus perfectè deglutitur & transmittitur, priusquam aliæ partes: quia etiamsi in ea parte sit totus Christus, & manducatione aut potatione illius Christus manducetur aut potetur, tunc tamen nihil primò deglutitur seu traijcitur, in cuius indiuisibili terminatiuo, & initiatiuo alterius, & cõtinuatiuo vtriusque, possit augmentum gratiæ conferri, quia ante quamcumque

cumque partē est alia prior & prior in infinitum, absque aliqua prima omnium; & ante quodcumque indiuisibile terminatiuū partis est aliud prius alterius partis prioris, & ante illud est aliud prius in infinitum absque aliquo primo omnium, ac proinde congruenter fuit à Christo institutum, vt augmentum gratiæ conferatur in vltimo instanti deglutitionis speciei totalis & perfectæ, vt sit aliquod instans fixum, in quo semper conferatur.

Circa posterius Caietanus q. 79. art. 1. & Richardus art. 15. docent, Sacramentum Eucharistiæ conferre gratiæ augmentum continuè, toto tempore quo durant species sacramentales incorruptę in stomacho. Primò, quia id est maximè conforme benignitati Dei. Secundò, quia Sacramentum Eucharistiæ institutum est in cibum & in potum spiritualem animæ. Ergo quamdiu in stomacho perseuerat, confert augmentum gratiæ, sicut cibus & potus corporalis tamdiu operantur ad nutritionem & ad refrigerationem, quamdiu sunt in stomacho.

Suarez. Reginald. Ægidius.

Doctrinam hanc Caietani & Richardi ex parte amplectuntur Suarez disp. 63. sect. 7. Reginaldus lib. 29. n. 140. & Ægidius q. 79. art. 1. num. 42. docentes, species Sacramentales, dum in stomacho incorruptæ perseuerant, retinere virtutem conferendi augmentum gratiæ, & illud tamdiu conferre, quamdiu durat actualis dispositio & deuotio; aut toties, quoties actualis dispositio & deuotio repetitur nouiter.

Sotus. Ledesma. Valentia. Henriq. Vasquez. Bonacina.

Sotus verò, Ledesma, Valentia, Henriquez, Vasquez, Bonacina, vbi suprà, docent, & meritò, Sacramentum Eucharistiæ in sumptione ipsa, in vltimo instanti terminatiuo illius, semel conferre totum suum augmentum gratiæ iustificantis, & posteà nihil ampliùs conferre. Quod in primis & præcipuè probatur, quia ante tempora Caietani, communi Ecclesiæ sensu firmatum erat, in sola sumptione ipsa augmentum gratiæ conferri (quia effectus iste in Scriptura tantùm tribuitur manducationi & potationi Eucharistiæ) & semel tantùm conferri, sicut contingit alijs Sacramentis: ergo non est dicendum, posteà conferri, neque continuè, quamuis dispositio continuetur, nec posteà discontinuè, quamuis repetatur. Consequentia patet, quia ad hoc affirmandum, nullum de nouo apparuit efficax fundamentum; absque fundamento autem efficaci nihil noui affirmandum est circa rem hanc, quæ pendet ex libera institutione Christi, præcipuè contra id quod communiter existimabatur in Ecclesia.

Deinde idem probatur ab incommodis, Primò, quia aliàs, qui indignè susceipit Eucharistiam, si posteà ante corruptionem specierum in stomacho perfectè conteratur, aut aliter rectè disponatur, recipiet gratiam Eucharistiæ, quod quamuis dicti Doctores admittant, sed absque fundamento, & contra communem fidelium sensum. Secundò, quia aliàs melius & vtilius esset maiorem quantitatem specierum sumere, quia maiori temporis spatio durabunt in stomacho absque corruptione, & sic iuxta sententiam Caietani & Richardi toto illo tempore gratiam conferrent, aut iuxta sententiam eorum, qui Caietanum & Richardum ex parte sequuntur, possent gratiam conferre, & conferent, si actualis dispositio non cesset, aut si repetatur. Tertiò, quia aliàs, iuxta sententiam Caietani & Richardi, ille qui post dignam sumptionem Eucharistiæ ante corruptionem specierum peccat mortaliter, v. g. peccato furti, aut luxuriæ, etiam peccaret peccato sacrilegij, quia peccato illo mortali impedit effectum gratiæ, quem species in stomacho, etiam absque continuata & absque noua dispositione conferrent; sicut etiam peccat peccato sacrilegij, qui susceipit Eucharistiā in peccato mortali, quia eo impedit effectum gratiæ Eucharistiæ.

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, id esse maximè conforme benignitati Dei, nihilominùs absque maiori fundamento non sufficere, vt contra antiquum & communem fidelium sensum affirmetur.

Ad secundam concedimus, Sacramentum Eucharistiæ esse cibum & potum spiritualem animæ; negamus tamen, in eo assimilari cibo & potui corporali, quod semper, dum est in stomacho, operetur ad nutritionem, & ad refrigerationē spiritualem: imò dissimiliter se habent, quia cibus corporalis non statim, ac perficitur manducatio, nutrit, sed transacto aliquo tempore, in quo disponitur ad id; neque statim, ac potatio perficitur, refrigerat, sed posteà: Sacramentum verò Eucharistiæ statim, ac est perfectè manductum aut potatum, nutrit aut refrigerat in instanti vltimo terminatiuo manducationis aut potationis, & non posteà.

DIFFICVLTAS III.

Quæ dispositio sit necessaria in susceipiente Eucharistiam, vt augmentum gratiæ ipsius recipiat.

CONueniunt Theologi, in susceipiente Eucharistiam esse necessarium statum gratiæ & sanctitatis, vt augmentum virtute Eucharistiæ recipiat, vt ex se patet.

Est tamen difficultas, An præter statum gratiæ aliqua alia dispositio requiratur ad id.

Alexand. S. Thomas. Durandus. Paludan. Caietanus. Antonin. Siluester.

Alexander 4. p. q. 10. mem. 8. art. 3. S. Thomas in 4. dist. 12. q. 2. art. 1. quæst. 13. Durandus q. 4. Paludanus quæst. 1. art. 2. Caietanus q. 79. art. 1. Antoninus 3. p. tit. 13. c. 6. & Siluester v. *Eucharistia.* docent, in susceipiente Eucharistiam, ad percipiendum fructum augmenti gratiæ ipsius, præter statum gratiæ requiri affectum aliquem deuotionis: quod Patres significare videntur, dum in susceipiente Eucharistiam, magnam deuotionem requirunt. Et ratione probatur Primò à simili: quia vt quis cibo corporali nutriatur, necessarium est, quòd vitaliter concurrat & cooperetur; ergo vt quis cibo spirituali Eucharistiæ nutriatur, necessarium est quòd vitaliter concurrat affectu aliquo deuotionis. Secundò ab absurdo probatur, quia aliàs si actualis aliqua deuotio necessaria non sit, innumeri Sacerdotes, qui in statu gratiæ Eucharistiam sumunt, ingens quoddam & incredibile augmentum gratiæ obtinuissent.

S. Thomas. Gabriel. Sotus. Adrianus. Vasquez. Suarez. Ægidius. Reginald. Bonacina.

S. Thomas verò q. 79. art. 8. Gabriel lect. 85. in can. litt. T. Sotus in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 8. Adrianus in 4. quæst. 1. de Eucharistia, Vasquez d. 206. Suarez d. 63. sect. 3. Ægidius quæst. 79. art. 1. dub. 1. Reginaldus lib. 29. cap. 6. q. 3. & Bonacina disp. 4. q. 6. pun. 1. docent, & meritò, in susceipiente Eucharistiam, præter statum gratiæ, nullam aliam actualem deuotionē requiri ad susceipiendum augmentū gratię virtute ipsius Eucharistiæ. Quod satis indicat Tridentinū sess. 13. c. 3.

dum præter statum gratiæ nullam aliam dispositionem requirit, quam, si necessaria esset, absque dubio requireret. Et id ratione probatur Primò, quia nullum apparet firmum fundamentum necessitatis dictæ actualis dispositionis. Secundò, quia aliàs Ecclesia inutiliter & indignè antiquitus administrasset Eucharistiam paruulis, & nunc his qui post vsum rationis in amentiam incidunt; quia paruuli & amentes nequeunt actualem aliquam deuotionem habere. Tertiò, quia aliàs, qui absq; actuali dispositione Eucharistiam sumeret, peccaret mortaliter, quia impediret effectum illius, & eius efficacitatem frustraret.

Qui ergo in statu gratiæ Eucharistiam sumit absq; actuali dispositione, non solùm recipit augmentum gratiæ, vt ex dictis patet, sed etiam nullo modo peccat, quia non frustrat efficacitatem Eucharistiæ: imò quamuis, dum Eucharistiã sumit, peccet venialiter, non solùm recipit augmentum gratiæ, vt aduertunt S. Thomas, Vasquez, Suarez, Reginaldus & Bonacina: quia peccatum veniale actualiter commissum (adhuc sumptione ipsa, vt quando hæc fit ex fine veniali) nõ destruit statum gratiæ, qui sufficit ad percipiendũ dictum augmentum, sed neque committit nouum peccatum veniale sacrilegij, quia peccato illo veniali actualiter commisso non frustrat efficacitatem Eucharistiæ.

S. Thomas. Vasquez. Reginald. Bonacina.

Obseruandum tamen est, statum gratiæ, quamuis ex institutione Christi requiratur ad percipiendum augmentum gratiæ virtute Eucharistiæ, non tamen requiri tamquam dispositionem, quia dispositio importat ordinem aliquem proportionatum ad productionem effectus, vt calor ad productionem ignis; sed requiri, vel tamquam remotionem impedimenti, peccati videlicet mortalis, vel potiùs tamquam formã, ex institutione Christi habilitantem subiectum ad augmentum gratiæ virtute Eucharistiæ percipiendum. Et quia status gratiæ nõ est dispositio, ideò augmentum gratiæ non confertur iuxta mensuram status gratiæ, ita vt, ceteris paribus, detur maius habenti maiorem gratiam, & minus habenti minorem; sed confertur iuxta mensuram deuotionis circa Eucharistiam, quia affectus & deuotio circa ipsam, aut circa illius sumptionem, aut circa Deum auctorem illius, aut circa Christum in ipsa contentũ, est dispositio & cooperatio ad sumptionem Eucharistię.

Patres ergo pro aduersarijs adducti, qui in suscipiente Eucharistiam cupiunt actualem deuotionem, aut aliam actualem dispositionem, non exigunt illam vt necessariam, sed ad eam exhortantur tamquam maximè vtilem ad effectum Eucharistiæ, qui crescit ob illam, & tamquam maximè congruam dignitati illius.

Et ad primam rationem concedimus, Eucharistiam vt cibum spiritualem nutrire, diuerso tamen & dissimili modo, quàm corporalem: quia Eucharistia nutrit efficienter, & non tamquam materia quæ conuertatur in augmentum gratiæ; cibus verò corporalis non nutrit efficienter, sed tamquam materia quæ conuertitur in augmentum illius quem nutrit: & ideò viuens debet efficiẽter & vitaliter concurrere ad nutritionem corporalẽ agendo in cibum, quia non est aliud agens particulare quod id efficiat, non verò est necessarium quòd sumens Eucharistiam efficienter cooperetur, sed sufficit, quòd supponatur spiritualiter viuus.

Ad secundam concedimus, Sacerdores, qui in statu gratiæ Eucharistiam sumunt, peruenire ad ingens augmentum gratiæ, & credibile. Cui non obstat, quòd in illis sint plura peccata venialia, quia hæc non sunt incompossibilia cum augmento gratiæ adhuc ingente. Quòd autem non experiantur dictum augmentum, non est mirum, quia augmentum habitus infusi, quantumuis ingens, non cadit sub experientiam, sicut cadit augmentum habitus acquisiti, quia habitus infusus non præstat facilitatem ad operandum, sicut præstat habitus acquisitus.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm virtute Sacramenti Eucharistiæ, præter vnionem animæ cum Deo factam medio augmento gratiæ, etiam fiat vnio aliqua inter carnem suscipientis & inter carnem Christi.

DOctores quidam Complutenses (vt refert Vasquez disp. 204. cap. 1.) contra Cardinalem Mendoça, qui in publica concione oppositum docuit, affirmarunt, præter vnionem spiritualẽ animæ cum Deo, mediante augmento gratiæ collato virtute Sacramenti Eucharistiæ, nullam aliam reperiri inter carnem Christi: quod tradidisse videntur Damascenus 4. de Fide orthod. c. 14. Pseudo-Cyprianus Sermone de Cœna Domini. Et ratione probatur: quia si vnio aliqua virtute Sacramenti Eucharistiæ daretur, esset quasi inter materiam & formam, vel tamquam inter agens & passum, quia nulla alia excogitari potest; sed nequit esse quasi inter materiam & formam, quia ex carne suscipientis, & ex carne Christi non resultat aliquod tertium compositũ tamquam ex partibus, sicut resultat ex materia & forma; neque esse potest tamquam inter agens & passum, quia neque ex carne Christi sub speciebus, neque ex speciebus ipsis deriuatur aliquid in carnem suscipientis: & quamuis deriuaretur, non esset sufficiens ad vnionem realem inter carnẽ illius & carnem Christi, quia ex Sole deriuantur plures effectus in hæc inferiora, & tamen non vnitur realiter cum illis.

Dictis Doctoribus acquiescere videntur Petrus Martinez, etiam Doctor Complutensis, in Epistolam Iudæ 3. parte Comment. loco 23. & Becanus cap. 22. q. 5. dum non agnoscunt aliam vnionem inter carnem suscipientis & carnem Christi, nisi propinquitatem localem inter eas, quatenus caro Christi est sub speciebus in stomacho suscipientis; & etiam Bonacina disp. 4. quæst. 4. pun. 1. dum non agnoscit aliam vnionem, nisi spiritualem cum Christo & cum fidelibus.

Roffensis verò lib. 4. contra Oecolampadium cap. 21. & 32. Hosius in Confessione Catholica cap. 42. Bellarminus lib. 1. de Eucharistia cap. 12. Toletus in cap. 6. Ioannis annotat. 29. Alanus lib. 8. de Sacramento Eucharistiæ, cap. 28. Suarez disp. 64. sect. 3. & Vasquez disp. 204. cap. 2. docent, & meritò, virtute Sacramenti Eucharistiæ non tantùm fieri vnionem spiritualem animæ suscipientis cum Deo, & cum anima Christi, per affectum ratione augmenti gratiæ & charitatis, collati virtute Sacramenti Eucharistiæ, sed

sed etiam fieri peculiarem vnionem realem inter carnem Christi & inter carnem dignè suscipientis, quæ etiam corruptis speciebus, & non manente Christo secundùm substantiam in stomacho, perseuerat. Quod absque dubio tradunt Hilarius l. 8. de Trinitate, & refertur in can. *In Christo Pater.* de Consecratione, dist. 2. Chrysostomus Homil. 46. in Ioan. Cyrillus Ierosolym. Catechesi 4. Damascenus 4 de Fide, c. 14. Cyrillus Alexandrinus l. 4. in Ioann. c. 14. Irenæus l. 4. Aduersus hæreses, ca. 34. Leo I. Epist. 3. & refertur can. *In quibus.* de Consecratione, dist. 2. & Innocentius III. l. 4 de Mysterijs Missę, c. vlt. dum omnes prædicti assignant peculiarē vnionem realem inter carnem Christi & carnem dignè suscipientis Sacramentum Eucharistiæ, tamquam peculiarem effectum huius Sacramenti, & contendunt, hanc vnionem tamdiu perseuerare, quamdiu dignè suscipiens perseuerat in gratia.

Hilarius. *Chrysost.* *Cyril Ierosol.* *Damascen.* *Cyr. Alex.* *Irenæus.* *Leo I.* *Innoc. III.*

Quòd si Primò respondeas, Patres per figuram hyperbolem sic fuisse locutos, ad exaggerandam Sacramenti Eucharistiæ excellentiā; contra hanc responsionem est, quòd, præterquàm quòd Patres eodem modo loquuntur de dicta vnione, & de præsentia Christi in Eucharistia, & de hac non loquuntur hyperbolicè, id est notare Patres hyperbolicæ locutionis, quæ veritatem excedit.

Quòd si secundò respondeas, Patres tantùm velle, quòd Verbum eo ipso quòd vnitum fuit carni Christi, etiam quodammodò vnitū fuerit omnibus hominibus; contra responsionem est, quòd non solùm aduersatur Patribus in modo loquendi, sed etiam in re ipsa: quia secundùm hanc responsionem negatur peculiaris vnio, quam Patres contendunt fieri virtute Sacramenti Eucharistiæ.

Quòd si tertiò respondeas, Patres tantùm voluisse, carnem Christi vniri nostræ, quia in stomacho recipimus illam; contra responsionem est Primò, quòd hæc vnio etiam fit inter carnē Christi & carnem indignè suscipientis Eucharistiam. Secundò, quod Patres contendunt, vnionem ab ipsis assignatam perseuerare, quamdiu suscipiens Eucharistiam perseuerat in gratia, & vnio illa localis tantùm perseuerat quamdiu Christus perseuerat sub speciebus in stomacho.

Quòd si quartò respondeas, Patres nō assignare aliam vnionem inter carnē Christi & nostram, nisi eam quæ esse potest inter ipsas, ex eo quòd à carne Christi tamquam ab instrumento diuinitatis diriuetur in carnem dignè suscipientis Eucharistiam, virtus & qualitas, qua caro nostra præparetur ad immortalitatem, similem ei quam habet caro Christi; contra responsionem est, quòd, præterquam quod hæc qualitas fingitur absque fundamento, deriuatio illius ex carne Christi in nostram non sufficit, vt caro Christi & nostra fiant vna caro & vnum corpus, quod Patres intendunt.

Quòd si quintò respondeas, Patres non assignare aliam vnionem, nisi eam quæ esse potest ex eo, quòd virtute Eucharistiæ dignè susceptę deriuentur & dentur dignè suscipienti auxilia gratiæ, medijs quibus efficiat membra sua arma iustitiæ ad piè & iustè operandū; contra hanc responsionem est. Primò, quòd hæc deriuatio & collatio auxiliorū non sufficiat, vt caro Christi & caro suscipientis sint vna caro & vnū corpus. Secundò, quia etiam virtute aliorum Sacramentorum deriuantur auxilia gratiæ ad opera pia & iusta, secundùm fines peculiares eorum, & tamen Patres contendunt, virtute Eucharistiæ fieri peculiarem vnionem.

Vnio ergo peculiaris inter carnem Christi & carnem dignè suscipientis Eucharistiam, proueniens peculiariter ex digna susceptione illius, & tamdiu perseuerans, quamdiu suscipiens perseuerat in gratia adhuc post specierum corruptionem, non est vnio aliqua physica, vt patet, sed est quædam vnio moralis, similis vnioni morali quæ est inter corpora coniugum, prouenienti ex copula, absq; irreuerentia & iniuria ab vno in alterum facta, ratione cuius fiunt vna caro & vnum corpus. Quia sicut coniuges non solùm fiunt vna caro physicè ratione copulæ quomodolibet adhuc iniuriosè habitæ, quia fiunt principium physicum vnius carnis & prolis, sed etiā fiunt vna caro moraliter ratione copulæ inter ipsos liberè & absque iniuria habitæ, quia hæc tam intima coniunctio liberè & absque iniuria habita, exigit moraliter vt vnus coniux carnem alterius quasi propriam respiciat, habeat, & tractet, & econtrà: ita etiam ex eo, quòd Christus in Eucharistia carnem suam liberè communicet suscipienti tamquam cibum, quo spiritualiter nutriatur, & eā dignè suscipiens illam intra suam carnem & viscera liberè suscipiat absque iniuria & irreuerentia in Christum, caro Christi, & caro dignè suscipientis illam, fiunt vna caro & vnū corpus, non physicè, vt patet, sed moraliter, quia hæc tam intima coniunctio liberè & dignè facta exigit moraliter, vt Christus carnem nostram, intra quā ipse & caro ipsius vt cibus spiritualis liberè & dignè suscipitur, habeat quasi propriam, & eam quasi propriam tractet, & econtrà, vt dignè suscipiens Eucharistiam carnem Christi, quam intra se liberè & dignè recipit, eam habeat & tractet vt propriam. Nihilominùs vnio hæc, quamuis tantùm sit moralis, dicitur à Patribus realis, & naturalis, & substantialis, quia non fit ratione solius affectus, sed etiam ratione receptionis realis carnis Christi secundùm rem, & secundùm naturam, & secundùm substantiam intra nos: & ob hanc vnionem moralem inter carnem Christi & nostram, prouenientem ex digna susceptione Eucharistiæ, Sacramentum Eucharistiæ dicitur à Patribus *Communio.*

Perseuerat autem vnio hæc moralis etiam post corruptionem specierum, quamdiu dignè suscipiens perseuerat in gratia accepta: quia quamdiu in ea perseuerat, caro dignè suscipientis digna est, vt ob mixtionem præcedentem cum carne Christi tractetur à Christo quasi propria, non verò post amissionem gratiæ.

Sumptio verò Eucharistiæ indigna, & in statu peccati mortalis facta, non vnit moraliter carnem Christi, & carnem indignè suscipientis, sed tantùm localiter: quia sumptio illa non fit absque iniuria & irreuerentia in Christum, ob quod coniunctio illa localis, quamuis libera, non exigit vt caro dignè sumentis habeatur & tractetur à Christo quasi propria; sicut neque copula carnalis vi & oppressione facta, sic commixtos efficit vnam carnem moraliter, ob eamdem rationē, siue sint matrimonio coniuncti siue non, efficit tamen illos vnam carnē physicè, id est principium physicum vnius carnis & prolis, ob quod inter sic cōmixtos, si matrimonio tantùm rato coniuncti sint, cōsummat matrimoniū, quia scilicet efficit illos principiū vnius prolis, ad quam matrimoniū ordinatur.

Id

Id verò, quod addit Vasquez, nempe, ad vnionem moralem inter carnem viri & carnem fœminæ requiri, quòd copula carnalis oriatur & fiat ex amore amicitiæ, seu beneuolentiæ, & mutuò, dicitur absq; fundamento, imò & contra rationem: quia eo ipso, quòd copula fit liberè & absque iniuria & irreuerentia, exigit, vt caro vnius tractetur ab altero quasi propria, & econtrà. Et sanè, copula carnalis regulariter oritur non ex amore beneuolentiæ in alterum, sed ex propria complacentia, seu beneuolentia sui, & ex concupiscentia alterius, quia vnus alterum, vt sibi bonum, nempe delectabilem, concupiscit: & in sumptione digna Eucharistiæ sæpè contingit, vt non fiat ex charitate erga Deum, neque erga Christum vt hominem, sed ex complacentia propria, & ex concupiscentia Christi, vt sanctificantis medijs speciebus; & tamen vtraque hæc coniunctio, quamuis sic facta, efficit sic coniunctos vnam carnem & vnum corpus.

Damascenus verò & Pseudo-Cyprianus pro aduersarijs adducti, ita agnoscunt vnionem spiritualem inter nos & Christum virtute Eucharistiæ factam, vt non negent dictam vnionem moralem inter carnem Christi, & nostram: imò Damascenus etiam hanc non leuiter indicat. Et ad rationem respondemus, præter vnionem physicam formæ cum materia, & coniunctionem agentis cũ passo, etiam esse vnionem moralem à nobis assignatam.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ conferat gloriam in alia vita.

CONueniunt Primò Theologi, gloriam animæ in alia vita esse effectum Sacramenti Eucharistiæ, non solùm generali ratione, quia effectus illius est gratia sanctificans, quę est ius ad gloriam; sed etiam speciali ratione, quia scilicet perseuerantia in gratia, ad quam infallibiliter consequitur gloria animæ, est specialis effectus Eucharistiæ. Est autem gloria animæ vtroque modo effectus Eucharistiæ, non immediatus & in se ipsa, sed mediatus & in radice, nempe in gratia, & in perseuerantia in illa: quia in tantum Eucharistia est vtroque dicto modo causa gloriæ, in quantum est causa gratiæ, & perseuerantiæ in illa, ad quas infallibiliter consequitur gloria animæ.

Conueniunt Secundò, gloriam corporis in alia vita esse effectũ Eucharistiæ, cuius effectus mentio fit Ioan. 6. illis verbis, *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* & ita esse effectum Eucharistiæ, vt non sit infallibiliter futura in eo qui dignè sumpsit Eucharistiam, sicut neque gloria animæ, ad quam consequitur. Et contra nonnullos, dicentes, gloriam quamdam accidentalem instar laureolæ, qua distinguantur qui dignè sumpserunt Eucharistiam, ab illis qui eam vel non sumpserunt, vel indignè, esse effectum Eucharistiæ, addimus, præter gloriam illam corporis communem omnibus, non esse aliam gloriam corporis, quæ sit effectus Eucharistiæ, quia nullum est firmum fundamentum ad id.

Est autem gloria corporis effectus Eucharistiæ, non immediatus, sed mediatus & remotus, & magis remotus quàm gloria animæ: & etiam vtroque illo modo, quo gloria animæ, quia est effectus Eucharistiæ generali ratione, quia scilicet Eucharistia est causa gratiæ, quæ est ius ad gloriam animæ, ad quam debito congruitatis consequitur gloria corporis: & speciali ratione, non conueniente alijs Sacramentis, quia scilicet est causa perseuerantiæ in gratia, ad quam consequitur gloria animæ, & ad hanc modo dicto consequitur gloria corporis. Vnde à Patribus optimè dicitur, carnem nostram per Eucharistiam ad immortalitatem præparari, quia scilicet id verè fit vtroque modo dicto, generali videlicet & speciali, quamuis mediatè.

Id verò, quod addunt Suarez disp. 64. sect. 2. & Ægidius quæst. 79. art. 8. nempe, gloriam corporis consecutam ad gloriam animæ, etiam attribui Eucharistiæ alio singulari modo, quia scilicet ob ipsam tamquam ob nouum titulum, quia per eam caro nostra coniungitur carni Christi, confertur, est omnino absque fundamento.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ in hac vita producat aliquid in corpore dignè suscipientis.

RECentiores nonnulli docent, in corpore dignè suscipientis Eucharistiã produci in hac vita qualitatem quamdam, ratione cuius corpus illius vnitur corpori Christi, & præparatur ad immortalitatem, quia qualitas illa necessaria sit ad vnionem, & ad præparationem prædictas, quas Patres tradunt.

Suarez verò disp. 64. sect. 1. Vasquez disp. 204. Suarez n. 28. & Ægidius quæst. 79. art. 8. docent, in corpore Vasquez dignè suscipientis Eucharistiam nihil produci Ægidius in hac vita, & meritò: quia qualitas hæc absque fundamento fingitur, quia neque est necessaria ad dictam vnionem realem inter carnem Christi & carnem dignè suscipientis, quia tantùm est mortalis; neque est necessaria, vt caro nostra ad immortalitatem præparetur, quia tantùm præparatur mediatè duobus modis Difficultate præcedente adductis.

Addimus, vt optimè Vasquez, corpora nostra virtute Eucharistiæ fieri arma & instrumenta iustitiæ & virtutis, quia ad nutritionem spiritualem animæ, & ad præseruationem à peccatis, quæ sunt effectus Eucharistiæ, pertinet externa protectio Dei, qua non solùm in anima, sed etiam in corpore impediuntur praui motus, & etiam pertinet interna inspiratio, qua ad actus bonos in anima & in corpore excitamur. Et his duobus modis, vt ex Patribus aduertunt Suarez & Ægidius, virtute Suarez Eucharistiæ temperatur libido, & minuitur fomes, Ægidius externa videlicet protectione Dei, & interna inspiratione, etiam facta in potentia imaginatiua sensitiua.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ per se remittat peccata mortalia.

LVtherus in Concione de Digna præparatione Lutherus ad Sacramentum Eucharistiæ, Kemnitius Kemnitius 2. Parte Examinis Concilij Tridentini sess. 13. cap. 2. & 7. & Caluinus lib. 4. Institutionum, Caluinus c. 3. docent, Sacramentum Eucharistiæ per se remittere

mittere peccata mortalia, & ad eorũ remissionem fuisse per se institutum, & ideò non accedere indignè ad illud eum, qui accedit conscius peccati mortalis. Omissis autem varijs argumentis, quibus id probare contendunt, quia facilè solui & videri possunt apud Bellarminum l.4. de Eucharistia, cap. 19. id præcipuè probant ex verbis consecrationis Calicis, quia primò in eis verbis Calix Christi dicitur *nouum Testamentum in Sanguine*, Lucæ 22. nouum autem Testamentum continet pactum remissionis peccatorum, vt dicitur Ieremiæ 31. Deinde, quia in eis verbis de Sanguine Christi dicitur, *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Bellarmin.

Catholici tamen conueniunt, Sacramentum Eucharistiæ non remittere per se mortalia, neque ad eorum remissionem fuisse per se institutum. Quod (vt Vasquez refert disp. 205. c. 1.) antiqua Patrum traditione confirmatum est, & satis indicat Tridentinum sess. 13. c. 2. dum assignans effectus Sacramenti Eucharistiæ, ipsi tantùm attribuit nutritionem spiritualem, & præseruationẽ à mortalibus, & liberationem à culpis quotidianis commissis: at si etiam per se remitteret mortalia, non omitteretur à Tridentino, à quo numerata fuit præseruatio ab illis; & can. 5. dum damnat illos, qui dicunt, vel præcipuum effectum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex Eucharistia nullos alios effectus prouenire; vbi per *peccata* absq; dubio intelligit mortalia, at si remissio mortalium esset effectus per se Eucharistiæ, remissio illorum esset effectus præcipuus illius, vt patet, quia hæc fit media gratia iustificante, quæ est principalissimus effectus Eucharistiæ. Idem quoque maximè indicant Patres, quos refert Vasquez vbi suprà, dum dicunt, pernicioſum esse cũ conscientia peccati mortalis ad Eucharistiam accedere.

Vasquez.

Trident.

Vasquez.

Et ratione, desumpta ex fine institutionis Eucharistiæ, probatur, quia hæc per se instituta est tantùm pro illis qui sunt viui, quia tantùm instituta est tamquam cibus & potus, & ideò tantùm sub speciebus panis & vini; cibus autem & potus non conuenit mortuis vt ad vitam reuocentur, sed viuis vt non moriantur, & vt in vita vegetentur; ergo per se instituta est pro spiritualiter viuis, vt in vita spirituali crescant, & vt non moriantur spiritualiter, & non pro spiritualiter mortuis, vt ad vitam reuocentur; ac proinde per se instituta est ad augmentum gratiæ, & ad præseruationem à mortalibus quibus anima moritur, & non ad reuocationem à morte, seu ad remissionem mortalium. Ex quo constat, eum qui ad Eucharistiam conscius peccati mortalis accedit, accedere contra institutionem illius, & consequenter indignè.

Ad ea verò quæ pro hæreticis ex verbis consecrationis Calicis adducuntur, respondemus, Calicem, aut Sanguinem Christi dici nouum Testamentum, quia effusio illius in cruce fuit conditio, seu fœdus, sub quo relicta & promissa est nobis gratia & remissio peccatorum: & ob id Sanguis, qui in Calice consecratur, rectè dicitur nouum Testamentum, continens pactum remissionis peccatorum, non quia, prout in Eucharistia, habeat hunc effectum ex opere operato, sed quia Sanguis, qui est in Eucharistia, prout fuit effusus in cruce, fuit pretium vniuersale remissionis peccatorum, & ob id etiam dicitur effundi in remissionem peccatorum.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ aliquando per accidens remittat peccata mortalia.

COnueniunt Catholici, eum, qui existens in peccato mortali accedit ad Eucharistiam absque bona fide, id est nulla ignorantia excusatus à peccato indignæ susceptionis, de qua in fine Difficultatis, non iustificari ab illo, quia non fuit per se instituta ad remissionẽ mortalium, & ideò eum, qui sic accedit, peccare nouo peccato mortali sacrilegij, quia sic accedens facit contra institutionem per se Sacramenti Eucharistiæ absque bona fide, id est absque ignorantia aliqua sufficiente ad excusandum ab eo peccato.

Est tamen difficultas, An aliquando per accidens remittat mortalia, in eo videlicet peccatore, qui bona fide accedit.

Sotus in 4. d. 11. q. 2. art. 3. Ledesma 1. p. 4. q. 20. art. 3. Sainctes Repetit. 6. de Eucharistia, cap. 10. Vega 9. in Tridentinum c. 4. Suarez disp. 63. sect. 1. Ægidius q. 79. art. 3. Adamus q. 7. dub. 1. & Becanus c. 22. q. 1. docent, Eucharistiam in casu dicto remittere ex opere operato peccata mortalia, primam gratiam habitualem conferendo. Ducuntur autem testimonijs aliquorum Patrum, qui docere videntur, Eucharistiam remittere mortalia, quia ad minus id efficit per accidens, quando scilicet bona fide susc ipitur à peccatore.

Sotus. *Ledesma.* *Sainctes.* *Vega.* *Suarez.* *Ægidius.* *Adamus.* *Becanus.*

Alexander verò 4. par. q. 10. memb. 8. art. 1. Bonauentura in 4. d. 13. 2. p. distinctionis, art. 1. q. 2. Gabriel dist. 9. q. 2. art. 2. Maior q. 1. & Vasquez d. 205. c. 4. docent, & meritò, Eucharistiam numquam ex opere operato remittere mortalia, neque primam gratiam habitualem conferre. Quod indicat Tridentinum sess. 13. c. 2. dum Sacramento Eucharistiæ attribuit, quòd præseruet à mortalibus, & remittat venialia. At si Tridentinũ sentiret, aliquando remittere mortalia, id etiã adderet, quia esset maximè vtile ad quietandas conscientias.

Alexand. *Bonauent.* *Gabriel.* *Maior.* *Vasquez.*

Et ratione probatur, quia non constat, Christum ad id instituisse Sacramentum Eucharistiæ; ergo absq; fundamento id illi tribuitur. Consequentia patet, quia neque Eucharistia, neque aliud Sacramentum tribuit effectum aliquem, nisi ex institutione Christi. Antecedens autem probatur, quia id neque constat ex Scriptura, neque ex aliqua Ecclesiæ definitione, neque ex ipsa natura seu institutione Eucharistiæ, neque ex antiqua aliqua traditione Patrum: ergo. Et in primis id non constat ex Scriptura, neque ex aliqua definitione Ecclesiæ, vt patet. Neque ex ipsa natura seu institutione Eucharistiæ, imò ex ea oppositũ deducitur, quia Eucharistia instituta fuit vt cibus & potus, qui numquam ordinantur in susc itationem mortuorũ, sed ad corroborationem & recreationem viuorum. Neque id constat ex antiqua Patrum traditione, quia nullus ex Patribus id affirmat.

Non negamus, Patres aliquos remissionem peccatorum Eucharistiæ attribuere, hi tamen de venialibus explicandi sunt, quia nullam de mortalibus mentionem faciunt, & venialia verè remittuntur per Eucharistiam ex opere operato. Cyrillus verò Alexandrinus l. 4. in Ioan. c. 7. dũ de Eucharistia ait, *non mortem solùm, sed etiam morbos omnes depellit,*

Cyr. Alex.

depellit, non loquitur de morte peccati præteriti, sed de morte peccati futuri, à qua Eucharistia præseruat, vt ex verbis, quę Cyrillus subdit, deducitur. Et Damascenus 4. de Fide cap. 14. dum ait, *Damascen* Corpus & Sanguinem Domini omnē spurcitiam abstergere, non loquitur de Eucharistia vt est Sacramentum, sed vt est sacrificium: quia vt est sacrificium, impetrat vt peccata mortalia deleantur, media impetratione auxiliorum efficacium ad id, vt ex verbis proximè antecedentibus Damasceni deducitur. Et Iustinus in Quæstionibus à gentibus Christianis, in responsione ad quæst. 44 dum *Iustinus.* ait, carbonem Dominicæ carnis conscientiam eorum, qui ipsam edunt, ab omni scelere expiare, tantùm loquitur, vt ex contextu conijcitur, de esu carnis Christi nō in Eucharistia, sed de esu carnis per fidem edendæ, credendo in carne Christi mysterium incarnationis, per quod fuit quasi carbo igne Diuinitatis ignita; quia impij, siue infideles, de quorum sceleribus ibi loquitur, per hanc fidem, seu esum carnis Christi, cultores Dei effecti, & ad lauacrum regenerationis perducti, à suis sceleribus abluuntur. Ex quibus constat solutio ad principale fundamentum aduersariorum ex Patribus desumptum.

Inter eos verò Doctores, qui existimant, aliquando Eucharistiam per accidens primam gratiam habitualem conferre, & peccata mortalia remittere, controuersia est, quæ dispositio necessaria sit & sufficiat in suscipiente ad eum effectum.

Sunt qui dicant, ad id sufficere, quòd suscipiens Eucharistiam omnino inuincibiliter, imò & probabiliter seu prudenter credat se esse in statu gratiæ, quamuis non habeat attritionem mortalium, quorum fit remissio. Hi tamen absque fundamento aliquo id dicunt, imò & contra rationem: quia ad remissionē mortalium, adhuc per Baptismum & per Pœnitentiam, quamuis sint Sacramenta pro mortuis instituta, ad minus est necessaria vera attritio illorum, imò etiam ad remissionem venialium faciendam adhuc per Eucharistiam.

Alij, existimantes, necessariam esse attritionem mortalium quæ remittuntur, docent eam sufficere, etiam in conscio mortalis, quamuis cognitam & scitam, & non existimatam contritionem. Hi etiam manifestè falluntur (nisi forsan in casu, in quo conscius mortalis bona fide accedat, non iudicans se indignè accedere) quia Eucharistia per se institutra est ad conferendum augmentum gratiæ; ergo contra finem & institutionem illius, & consequenter indignè accedit, qui conscius peccati mortalis accedit, sciens se tantùm habere attritionem, nisi bona fide accedat; ac proinde non recipiet gratiam habitualem, quia in eo casu sic accedens peccat mortaliter.

Reliqui verò docent, ad id in suscipiente requiri & sufficere veram attritionem mortalium quæ remittuntur, & quòd suscipiat bona fide, & meritò: & ex suppositione, quòd Eucharistia aliquando per accidens conferat primam gratiam, & remittat mortalia: quia in primis attritio est necessaria, vt per eam aliquo modo peccator disponatur ad remissionem eorum mortalium, sicut etiam requiritur in suscipiente Baptismū & Pœnitentiam. Deinde est necessarium quòd suscipiat bona fide, vt ea excusetur à peccato mortali sacrilegij indignæ susceptionis, quia eo impedietur à susceptione augmenti gratiæ.

Ille autem dicitur suscipere bona fide ad id sufficiente, qui omnino inuincibiliter, aut probabiliter seu prudenter credit sibi nihil deficere ad dignè accedendum, vel quia non est conscius mortalis non remissi, vel quia si est conscius, credit inuincibiliter, siue physicè siue moraliter se habere contritionem; vel quia credit, quòd quamuis sit conscius, & non habeat nisi attritionem, possit nihilominùs dignè accedere, quia qualiber bona fide ex his, excusatur à dicto peccato indignæ susceptionis, & etiam ille dicitur suscipere bona fide sufficiente, vt excusetur à dicto peccato, qui non iudicat nec dubitat sibi deficere aliquid necessarij, vt possit dignè Eucharistiam suscipere.

DIFFICVLTAS IX.

Quos alios effectus conferat Sacramentum Eucharistiæ.

COnueniunt Theologi, per Sacramentum Eucharistiæ remitti peccata venialia quoad culpam, vt antiqua Patrum traditione firmatū est, & definitum in Tridentino sess. 13. c. 2. & remitti per illud mediatè, & ex opere operantis, medio actu seu opere contritionis, quam Deus medio auxilio efficaci excitat in eo qui dignè suscipit illud.

Est tamen difficultas, An etiam per illud remittantur immediatè, & ex opere operato.

Circa quam Suarez disp. 63. sect. 10. Vasquez *Suarez Vasq.* q. 87. art. 3. dub. 2. Ægidius q. 19. art. 4. Bonacina *Ægidius Bonac.* q. 4. pun. 1. & communiter Theologi, contra nonnullos meritò docent, etiam immediatè, & ex opere operato per illud remitti. Quod indicat Tridentinum vbi suprà, & constat Primò ex eo, quòd institutum est tamquam cibus & potus, qui ordinantur ad immediatè restaurandum quod deperditur: per remissionem autem venialium anima reparatur, sicut per remissionem mortalium viuificatur. Secundò constat ex eo, quòd semper illa remittit in dignè suscipiente illud, & attrito de illis, & non semper excitat neq; impetrat auxilium efficax ad contritionem venialium: ad hanc autem remissionem venialium, quæ immediatè & ex opere operato fit per Sacramentum Eucharistiæ, non prærequiritur in suscipiente perfecta eorum contritio, tamquam dispositio, alias eorum remissio non fieret virtute Eucharistiæ, quia præsupponeretur facta ex vi illius contritionis; prærequiritur tamen attritio eorum, quia hæc etiam prærequiritur ad remissionem eorum per Sacramenta mortuorum, de quo latiùs diximus Tractatu de Pœnitentia Disputat. 11. Difficult. XVI.

Circa remissionem pœnæ debitæ pro peccato, dicendum est, Sacramentum Eucharistiæ eo modo quo remittit culpam, etiam remittere pœnam *Vasquez* ipsi culpæ debitam, totam, aut partem maiorem aut minorem, iuxta maiorem aut minorem suscipientis dispositionem, ac proinde non remittere ex opere operato pœnam æternam debitam pro peccato mortali, imò neq; temporalem restantem post remissionem culpæ mortalis, quia non remittit ipsam culpam mortalem adhuc per accidens: remittere tamen immediatè, & ex opere operato pœnam debitā pro peccatis venialibus, totam aut partem iuxta proportionem dispositionis suscipientis Eucharistiam, quia immediatè & ex opere operato remittit culpas ipsas veniales.

Circa

Circa præseruationem à peccatis mortalibus, vt in ea non incidamus, conueniunt Theologi eam esse effectum Sacramenti Eucharistiæ. Quod definitum est in Tridentino sess. 13. cap. 2. & significatur Ioann. 6. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* & infrà: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et id constat ex eo, quòd institutum est tamquam cibus & potus spiritualis; cibus autem & potus spiritualis in conseruationem, & in perseuerantiam in vita spirituali ordinantur; quæ peccatis mortalibus destruitur.

Sacramentum autè Eucharistiæ causat ex opere operato præseruationem à mortalibus, quia eam causat ex institutione Christi, sed non causat illam immediatè, sed tantùm mediantibus auxilijs efficacibus, quæ dignè sumenti conferuntur ex opere operato, quæ non semper sunt internæ inspirationis, quibus implemus præceptum positiuum, aut quibus retrahimur ab opere mortali contra præceptum negatiuum, sed aliquando sunt auxilia externæ protectionis, seu manutentiæ Dei, quibus auferuntur occasiones peccandi mortaliter. Ita tamen confert dicta auxilia efficacia ex institutione Christi, vt non conferat illa infallibiliter, sed pro libito Dei: nihilominùs sæpè ob Sacramentum Eucharistiæ conferuntur auxilia efficacia ei, qui illud dignè susceperit, quæ non conferrentur si illud non suscepisset; de quo diximus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputat. 111. Difficult. 111.

DISPVTATIO IX.

De sumptione Sacramenti Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm sumere Sacramentum Eucharistiæ in statu peccati mortalis, sit peccatum mortale.

CONVENIVNT Catholici, accedere ad Sacramentum Eucharistiæ, seu illud sumere in statu peccati mortalis, esse peccatum mortale: quod definitur in Tridentino sess. 13. can. 11. & significatur 1. ad Corinthios 11. *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Et ratione probatur, quia qui sic accedit ad Sacramentum Eucharistiæ, totam eius efficacitatem frustrat, totum fructum illius impediendo, in quo non leuis irreuerentia seu iniuria fit ipsi Sacramento, & auctori illius.

Vnde peccatum hoc est irreuerentiæ & sacrilegij contra virtutem religionis, à quo nullus excusatur ob solam difficultatem eliciendi contritionem, quando deficit copia Confessarij, etiamsi Missam celebrare teneatur, quia nemini, antequam ad altare accedat, est impossibile adhuc moraliter contritionem elicere, quia ex vna parte nemini deficit auxilium sufficiens ad contritionem peccatorum, quando venit in mentem obligatio eliciendi contritionem, vt generaliter aduertit Vasquez 1. part. d. 95. cap. 5. siue auxilium illud sit immediatè sufficiens, siue tantùm mediatè & remotè: & ex altera parte supponimus, vsque ad Communionem superesse non paruum temporis spatium, vt absque nimia difficultate contritionem eliciat. Nihilominùs si contingat, vt quis in altari existens recordetur alicuius mortalis non confessi, & cuius non habuit neque habet contritionem, & quando recordatur, est adeò propinquus Communioni, vt pro temporis angustijs nequeat moraliter, seu absque nimia difficultate ad contritionem excitari, nisi pro tempore aliquo aliqualiter notabili, cum graui nota sui honoris, ad eam eliciendam detineatur, tunc iste talis ab eo peccato excusabitur, communicando in eo malo statu, quia non est contra reuerentiam Sacramento debitam in eo statu accedere, ne notam grauem honoris incurrat.

Vasquez.

Quòd si obijcias, Peccatum mendacij nulla potest necessitate excusari: sed qui communicat in peccato mortali, peccat peccato mendacij; ergo nequit necessitate aliqua, adhuc vitandi notam grauem honoris, excusari à peccato communicandi in eo statu. Consequentia patet, & etiam Maior. Minor verò probatur, quia qui communicat, profitetur, & denotat se ea Communione vniri Christo tamquam cibo spirituali, & reliquis membris Christi iustis tamquam conuiuis spiritualibus, quod est falsum in eo qui communicat in peccato mortali, quia vnio cum Christo tamquam cum cibo, & cum alijs iustis tamquam cum conuiuis, supponit vnionem communem per charitatem, quia vnio cum cibo spirituali non conuenit, nisi anteà spiritualiter viuenti, & vnio cum conuiuis spiritualibus non conuenit nisi viuentibus spiritualiter, & ei qui cum illis præsupponitur amicus. Respondemus, concedendo, mendacium nulla necessitate excusari, significare tamen falsum, adhuc scienter & contra mentem, absque animo significandi falsum, & decipiendi, quamuis sit contra veracitatem, si fiat absque rationabili causa; excusari tamen potest ex causa rationabili: in casu autem præsenti, quamuis supponamus, eum qui in peccato mortali communicat, significare falsum, quia tamen non communicat animo significandi falsum, & decipiendi, in quo ratio mendacij consistit, ideò ob dictam necessitatem potest à falsa significatione excusari, quamuis à mendacio nulla causa excusari possit. Est tamē discrimen inter res & voces, quoad significandum falsum absq; animo significandi falsum, & decipiendi, quod in rebus facilè cōtingit, medijs illis falsum significari, absq; animo id significandi, & decipiēdi; quia illis facilè possum⁹ vti animo seu intentione alterius finis, quàm significādi, quia res possunt ad plures alios fines ordinari; in vocibus verò difficile admodum contingere illis significare falsum absq; animo id significandi, & decipiendi,

quia difficile admodum est vti vocibus, & eas ordinare ad alium finem, quàm ad significandum, quia difficile admodum est vsum vocum ad alium finem conducere, nisi ad significandum.

Obseruandum est Primò, quòd quamuis Sacerdos peccet mortaliter manducando Eucharistiam in statu mortalis peccati, non tamen eam in statu manibus aut oculo tangendo, quia in eo tactu, quamuis facto in statu mortalis peccati, nulla apparet irreuerentia saltem grauis, quia tactus iste non est Sacramentalis.

Obseruandum est Secundò, eum, qui intuitu reuerentiæ Sacramenti Eucharistiæ, prohibitus præcepto aliquo positiuo, adhuc humano, sumere Eucharistiam (vt prohibetur excommunicatus, & non ieiunus, & qui ob aliquod speciale peccatum prohibetur quasi indignus) eam sumit in statu mortalis, non committere duo peccata mortalia, sed vnum tantùm numero: quia quamuis sumptio illa ex duobus titulis sit peccatum mortale, nempe, & quia est transgressio illius præcepti positiui, & quia est transgressio præcepti naturalis diuini non sumendi Eucharistiam in statu mortalis; nihilominùs quia vterq; iste titulus eodem modo opponitur religioni, quia eodem modo est contra reuerentiam Sacramenti, ideò est idem specie peccatum, & etiam est idem numero, quia non est vnde malitia numero multiplicetur, quia materia est eadem numero, & non respiciens diuersa extrinseca, imò nullum, quia est absoluta, nullum extrinsecum respiciens.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm peccatum mortale indignæ susceptionis Eucharistiæ sit omnium peccatorum grauissimum.

PRo huius clariori resolutione supponimus, in malitia (in qua cõsistit ratio formalis peccati) esse duplicem perfectionem; vnã essentialem, quæ desumitur ex ordine ad obiectũ, & in indiuisibili consistit, ita vt ab ipso eodẽ manente, nullum prædicatum auferri possit, neque nouum illi addi; in quo sensu essentiæ rerum dicuntur esse sicut numeri; quia sicut addita aut ablata vnitate à numero, variatur numerus secundùm speciem, ita etiam addito aut ablato prædicato, essentiæ & species rerum variantur. Alteram accidentalem, quæ intra latitudinem essentialem crescit & decrescit quasi intensiuè, ex augmento & decremento aut libertatis aut materiæ, aut obligationis virtutis, & ex eis desumitur; & secundùm hanc perfectionem accidentalem attenditur in malitia ratio mortalis & venialis, & non secundùm perfectionem essentialem. Vnde quia in his, quæ non mole magna sunt, idem est maius quod perfectius, ideò etiam in malitia est duplex maioritas seu grauitas & quantitas perfectionis, vna est essentialis, & secundùm hanc peccatum est huius vel illius speciei; altera est accidentalis, & secundùm hanc peccatum est mortale aut veniale, & secundùm vtramque maioritatem seu grauitatem vnum peccatum potest esse maius seu grauius altero.

Hoc ergo supposito, certum est Primò, peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ, per accidens, seu secundùm grauitatem accidentalem, posse esse grauius etiam peccatis quæ sunt contra Deum, vt peccato odij Dei, & blasphemiæ contra Deum, quia hæc posteriora peccata possunt esse tantùm venialia ex paruitate seu leuitate deliberationis; & peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ potest esse mortale, & secundùm hanc grauitatem accidentalem peccatum hoc indignæ receptionis Eucharistiæ posse esse leuius, etiam peccatis quæ sunt contra puras creaturas, aut circa eas, vt peccato homicidij, & furti, & fornicationis, quia hæc possunt esse mortalia, & peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ potest esse tantùm veniale, si fiat ex parua seu imperfecta deliberatione.

Secundò certum est, peccata contra Deum commissa, vt peccatum odij & blasphemiæ, secundùm grauitatem essentialem desumptam ex ordine ad obiectum ipsorum, esse peccata grauiora peccato indignæ receptionis Eucharistiæ, quia peccata illa priora opponuntur virtutibus aut actibus essentialiter perfectioribus, quia peccatum odij Dei opponitur charitati virtuti Theologicæ, quæ essentialiter est perfectior virtute religionis, cui opponitur peccatum sacrilegij indignæ receptionis Eucharistiæ, & peccatum blasphemiæ Dei opponitur actui laudis Dei ad religionẽ pertinenti, qui essentialiter est perfectior actu reuerentiæ erga Eucharistiam, pertinente ad eamdem virtutem religionis, cui etiam opponitur peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ.

Peccatum ergo sacrilegij indignæ susceptionis Eucharistiæ essentialiter est grauius omnibus peccatis quæ sunt in puras creaturas, aut circa illas, vt furto, homicidio, sodomia, & alijs, quod docent S. Thomas & Caietanus quæst. 80. art. 5. Gabriel lect. 87. lit. H. Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 5. & Vasquez disp. 207. cap. 1. quia peccatum sacrilegij indignæ receptionis Eucharistiæ opponitur religioni, quæ est virtus perfectior & melior virtutibus moralibus, quibus opponuntur peccata omnia quæ sunt in puras creaturas, aut circa illas: & non solùm est grauius dictis peccatis secundùm rationem genericam, sed etiam secundùm rationem specificam; quia secundùm vtramque opponitur actui religionis perfectiori & honestiori secundùm rationem genericam & specificam actibus, & omissionibus, quibus peccato in puras creaturas, aut circa illas opponuntur, quia est actus perfectioris virtutis.

Et non solùm in præsenti casu, sed etiam generaliter credimus, nullam speciem contentam sub genere perfectiore, esse imperfectiorem specie contenta sub genere imperfectiore, sed semper esse perfectiorem; quia absque dubio in genere perfectiore differentiæ perfectiores continentur, & perfectiores ex eo extrahuntur, & oppositum nulla ratione, nulloque exemplo exactè discusso ostendi potest. Ob quod nobis non probatur id in quod inclinat Suarez disp. 66. sect. 2. nempe, peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ, quamuis secundùm rationem genericam sit grauius peccato circa puras creaturas, non tamen secundùm rationẽ specificam, quod etiam indicat Durandus in 4. dist. 9. q. 4. n. 10. qui etiam in exemplo, quod ad id confirmandum adducit, fallitur manifestè, quia supponit, peccatum homicidij priuatæ personæ secundùm rationem specificã esse grauius peccato contumeliæ in Principẽ, in quo Durandus apertè decipitur: quia contumelia Principi facta opponitur obser-

obseruantiæ erga Superiores, quæ perfectior est quàm iustitia, cui opponitur homicidium priuatæ personæ; ac proinde secundùm rationem specificam, & essentialiter, grauior est dicto homicidio, etiamsi accidentaliter possit esse leuior, & digna minori pœna.

Ex dictis constat, peccatum indignæ receptionis Eucharistiæ simpliciter & absolutè non esse omnium peccatorum grauissimum: quia quamuis grauitate accidentali possit esse grauius peccatis in Deum, ex sua tamen specie & essentia est leuius illis, & consequenter, ceteris paribus, est illis leuius, imò & leuius est essentialiter peccato sacrilegij eorum qui crucifixerunt Christum, & peccato sacrilegij Iudæ qui eum vēdidit, quia homicidium Christi, & eius venditio, opponitur actui, aut omissioni perfectiori eo actu, cui opponitur indigna receptio Christi in Eucharistia. Quando verò Patres adeò exaggerant peccatū indignę receptionis, vt illud comparent peccato crucifigentiū, & Iudæ, non id faciunt, quia sentiant, inter ea esse æqualitatem, sed quia inter illa reperitur quædam imitatio & proportio: quia sicut Iudas osculo tradidit Christum indignis & inimicis ipsius Christi, ita etiam peccator recipiendo Christum in Eucharistia, veluti quodam osculo tradit illud indigno & inimico ipsius Christi, eum sibi tradendo, & eum ore intra se recipiendo; & sicut qui Christum crucifixerunt, fuderunt sanguinem illius in suam perniciem, ita etiā peccator indignè recipiendo Christum quodam modo in sui mortem fundit Sanguinem Christi.

Obseruandum est, peccatorem eò grauiùs peccare sumendo Eucharistiam, quò in peiori statu illam sumit, siue quia in pluribus, siue quia in grauioribus peccatis illam sumit; quia qui in peiori statu sumit illam, eò indigniùs sumit, sicut sumptio est melior, quò in meliori statu fit, & digna ex opere operantis maiori augmento gratiæ & gloriæ. Nihilominùs nullus tenetur in confessione explicare numerum mortalium, in quorum statu Eucharistiam sumpsit (& multò minus eorum grauitatem) sed sufficit, si explicet se in statu peccati mortalis Eucharistiam sumpsisse, quia illam in statu plurium sumere, non multiplicat numero peccatum indignæ receptionis, imò non semper est circumstantia notabiliter aggrauans; & quando sit, non est necessariò in confessione explicanda.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm sumere Eucharistiam in peccato veniali sit peccatum.

COnueniunt Theologi, non esse mortale, sumere Eucharistiam in peccato veniali, siue habituali iam præterito, nondum remisso; siue actuali, quod tempore sumptionis cōmittitur: imò neque sumendo Eucharistiam sumptione veniali, vt quando fit ex inani gloria, quia quocumque & in quocumque veniali recipiendo Eucharistiā, non cernitur fieri irreuerentia grauis Eucharistiæ.

Est tamen difficultas, An id sit peccatum veniale nouum contra religionem, distinctum ab eo, quo aut in quo sumitur.

Recentiores nonnulli docent, sumere Eucharistiam in veniali facto, tempore ipso sumptionis esse aliud peculiare & nouum peccatum veniale sacrilegij contra religionē, quia eo peccato actuali impeditur maius augmentum gratiæ, quod Eucharistia causaret, si in sumente esset feruor charitatis, qui eo peccato actuali impeditur. Imò addūt, committere peccatum nouum sacrilegij eum, qui habens peccata venialia præterita facta ex consuetudine, sumit Eucharistiam, & etiam eum, qui sumit illam habens conscientiam multis venialibus onustam (quæ intelligunt, quando sumitur Eucharistia absq; attritione illorum) quia qui vtrouis modo ex his duobus sumit Eucharistiam, & aliquo modo indignè sumit illam, & etiam impedit remissionem illorum, quæ fieret si haberet attritionem illorum.

Richardus verò in 4. dist. 9. art. 2. q. 1. Maior q. 1. Sotus d. 12. q. 1. art. 4. Adrianus in 4. q. 1. de Eucharistia, & Vasquez disp. 207. c. 2. docent non esse nouum peccatum veniale sacrilegij, sumere Eucharistiam in peccato veniali, quamuis multiplici, & ex consuetudine facto, & quamuis actuali facto tempore sumptionis, imò quamuis facto sumptione ipsa; & meritò: quia peccatū veniale, quamuis multiplex, & ex consuetudine factū, & actuale, & sumptione ipsa Eucharistiæ commissum, non impedit principalem & primarium effectum Eucharistiæ, nempe augmentum gratiæ: ergo sumendo Eucharistiam in peccato veniali, quamuis multiplici, & ex consuetudine facto, & actuali, & sumptione ipsa commisso, nullum committitur nouum peccatum veniale sacrilegij. Antecedens patet. Consequentia autem probatur, quia præter irreuerentiam, quæ in impediendo effectum principalem & primarium Eucharistiæ reperitur, nullo fundamento ostendi potest, aliquam aliam reperiri: quia in primis nullo fundamento ostendi potest indignè sumi & irreuerenter positiuè, ex eo præcisè, quòd sumatur in aliquo statu ex dictis, neque in omnibus simul dum sumatur in statu gratiæ. Deinde non sumitur indignè ex eo, quòd sumendo Eucharistiam in aliquo statu ex dictis, impediatur aliquis alius effectus Eucharistiæ distinctus à principali & primario, quia nō sumitur indignè ex eo, quòd sumatur Eucharistia in multiplici veniali, & ex consuetudine facto absq; attritione, quia sic sumendo impediatur remissio illorum: quia etiā qui sumit Eucharistiam in peccato veniali præterito non remisso, & non facto ex consuetudine, absq; attritione illius, impedit eius remissionem, & tamen non peccat peccato aliquo nouo sacrilegij, quia in eo statu sumit Eucharistiam, in quo omnes conueniunt; neque sumitur indignè, quia sumendo Eucharistiam in peccato actuali, quamuis commisso sumptione ipsa impediatur maius augmentum gratiæ, quod Eucharistia causaret, si in sumente esset feruor charitatis, qui peccato actuali impeditur, aliàs quicumq; sumens Eucharistiā peccaret ex defectu maximæ, aut saltē maioris dispositionis, quā posset habere, quamuis absque veniali aliquo illam sumeret, quia non habendo maximam, aut saltem maiorem dispositionem, impediret maximū, aut saltem maius augmentum, quod Eucharistia sic dispositō conferret.

Richardus. *Maior.* *Sotus.* *Adrian.* *Vasquez.*

Gennadius verò lib. de Ecclesiasticis dogmatibus apud Augustinum l. 53. & refertur can. *Quotidie*, de Cōsecratione dist. 2. dum ad sumptionē Eucharistiæ exigit satisfactionem pro peccatis, quamuis non capitalibus neque mortalibus, & mentem absque affectu committendi peccatum etiam non capitale & mortale, non exigit satisfactionem

pro peccatis venialibus, neque mentem absque affectu illa committendi, sed satisfactionem pro peccatis mortalibus non publicis, & mentem absque affectu illa committendi, vt ex contextu deducitur. Et Pseudo-Anselmus in illud 1. ad Corinthios 11. *Probet autem seipsum homo*, dum ait: *Indignè manducat & bibit, qui vel aliquid graue, vel multa leuia commisit peccata, & non est confessus.* Per leuia tantùm intelligit peccata venialia, ex quibus efficitur vnum mortale (vt ex pluribus furtis paruis fit vnum, saltem quantum ad retentionem, aut non restitutionem) aliàs ad sumptionem Eucharistiæ exigeret confessionem venialium, quod nullus Theologus exigit.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm existens in peccato mortali, teneatur Sacramentaliter confiteri ad sumptionem Eucharistiæ.

POst Tridentinum negari nequit, ad sumptionem Eucharistiæ, in eo qui peccauit mortaliter, necessariam esse confessionem Sacramentalem illius mortalis, quamuis ab eo iustificatus sit media contritione perfecta, quia sess. 13. cap. 7. & can. 11. id præcipit & statuit.

Est tamen difficultas, An in eo, qui peccauit mortaliter, ad sumptionē Eucharistię ante Tridentinū & semper fuerit necessaria, seu sub præcepto, cōfessio Sacramentalis peccati mortalis commissi.

Caietanus. Caietanus (qui fuit ante Tridentinum) in Summa v. *Communio*, & in illud 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*, & quæst. 80. art. 4. docet, nullum esse neque fuisse præceptum præmittendi confessionem Sacramentalē mortalis ad sumptionem Eucharistiæ; quod videtur tradidisse Chrysostomus Homilia 28. in dicta verba Pauli, *Probet autem seipsum homo*, & ex eis Caietanus suam sententiam probat; quia Paulus tantùm exigit, vt homo seipsum probet, ergo non est necessarium quòd probetur à Confessario.

Reliqui verò Doctores docent, & meritò, ante Tridentinum ab initio Ecclesiæ Christianæ fuisse necessariam, seu sub precepto, confessionem Sacramentalem mortalis ad sumptionem dignam Eucharistiæ. Quod satis significat Tridentinū sess. 13. cap. 7. & can. 11. Et in primis fuisse necessariam ante Tridentinum, satis significat ipsum Concilium c. 7. dum loquens de præparatione necessaria ad sumptionem Eucharistię, & reuocans in memoriam verba illa Pauli 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo*, & illa appellans præceptum, ait: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* & can. 11. dum ait: *Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessariò præmittendam esse confessionem Sacramentalem.* In quibus locis apertè Tridentinum tradit, ante ipsum necessariam fuisse confessionem Sacramentalem mortalis ad sumptionem Eucharistiæ, quia non tantùm vtitur verbo *statuit*, quo denotat se præcipere; sed etiam verbo *declarat*, quo significat id quod ante ipsum erat; ac proinde declarare, illam fuisse necessariam, supponit eam necessariam fuisse ante declarationem.

Deinde dictam confessionē fuisse necessariam, seu sub præcepto ad sumptionem Eucharistiæ, non tantùm ante Tridentinum, sed ab initio Ecclesiæ & à tempore Pauli, exprimit ipsum Tridentinum cap. 7. dum verba illa Pauli, *Probet autem seipsum homo*, appellat præceptū aut Pauli aut Christi, supponens, probationem fuisse præceptam & necessariam à tempore aut Pauli aut Christi: & statim subdit, eam probationem debere esse per confessionem Sacramentalem. Tridentinum ergo sentit, à tempore aut Pauli aut Christi necessariā & præceptam fuisse confessionem Sacramentalem mortalis ad sumptionem Eucharistiæ. Vnde opinio Caietani post Tridentinum sustineri non potest.

Chrysostomus autem vbi suprà non dixit, eum qui habet conscientiam mortalis, non teneri præmittere confessionem ad sumptionem Eucharistię, sed tantùm docuit, quemlibet posse sine teste examinare & iudicare, an habeat vel non peccatum mortale.

Quòd verò homo seipsum probare debeat, quod verbis Pauli significatur, non tollit, etiam debere à Confessario probari. Ideò autem Paulus dixit, *Probet seipsum homo*, quia ipse homo prius debet examinare conscientiam suam, an commiserit aliquod mortale, vt si inueniat commissse, illud Sacerdoti confiteatur, & in eo casu etiam probetur ab illo.

Obseruandum est contra nonnullos, vt optimè Canus relect. de Pœnitentia, par. 4. concl. 4. Azorius cap. 30. quæst. 10. Vasquez disp. 208. num. 24. & Bonacina disp. 4. quæst. 6. punct. 1. eum qui sine confessione mortalis cōmissi sumit Eucharistiam, non peccare duplici peccato, vno omissionis confessionis, & altero commissionis sacrilegij indignæ sumptionis Eucharistiæ, sed vno tantùm, nempe peccato commissionis sacrilegij indignæ sumptionis; quia in hoc casu confessio Sacramentalis non obligat ratione sui, sed tantùm ratione dignæ sumptionis Eucharistiæ: vbi autem vnum est propter aliud, ibi est vnum tantùm. Et ob eamdem rationem idem dicendum est de illo, qui absque contritione sumit Eucharistiam, quando confiteri non potest, quòd scilicet vno tantùm peccato commissionis indignæ sumptionis Eucharistiæ peccet, & non duplici.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm præceptum præmittendi confessionem mortalis ad sumptionem Eucharistiæ, sit etiam diuinum, an tantùm Ecclesiasticum.

CErtum est, præceptum hoc esse Ecclesiasticum, quia ad minus latum est à Tridentino sess. 13. c. 7. & can. 11. & ante ipsum fuit ad minus Ecclesiastica consuetudine introductum. Est tamen difficultas, An etiam sit diuinum.

Supponimus autem, non esse diuinum naturale, ortum ex natura ipsa Eucharistiæ, & confessionis Sacramentalis, quā habent ex iustitutione diuina, absque

absque alia superaddita insinuatione diuina; quia Christus potuit vtrumque dictum Sacramentum, substantia vtriusque integra permanente, instituere absque obligatione confitendi ante sumptionem Eucharistiæ.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An dictum præceptum ita sit Ecclesiasticum, vt etiam sit diuinum positiuum.

Palatius. Medina. Armilla. Nauarrus. Glossa.

Palatius in 4. dist. 9. q. 10. Medina Cod. de Confess. q. 17. Armilla v. *Communio*, & Nauarrus in Init. de Pœnit. dist. 5. in 3. partem Glossæ n. 31. & 32. docent, dictum præceptum esse tantùm Ecclesiasticum, Primò, quia præceptum hoc continetur in illis verbis, *Probet autem se ipsum homo*. hæc autem verba sunt Pauli, non Domini. Secundò, quia Tridentinum c. 7. præceptum hoc appellat Pauli, non Domini, quia post mentionem Apostoli ait, *Quare reuocandum est in memoriam eius præceptum*, vbi relatiuum *eius* ad Apostolum non ad Dominum refertur, tum quia, quamuis anteà facta fuerit mentio Apostoli & Domini, tamen in verbis proprijs ipsius Tridentini non fuit facta mentio Domini, sed Apostoli; Domini autem tantùm facta fuit mentio in verbis Pauli relatis à Tridentino, nempe, *non diudicans Corpus Domini*; imò relatis ante mentionem Apostoli: tum etiam, quia postquam Tridentinum dixit, *Reuocandum est in memoriam eius præceptum*, illud statim & immediatè assignat, referens verba illa Pauli, *probet se ipsum homo*, in quibus præceptum continetur: ait enim Tridentinum, *Quare reuocandum est in memoriam eius præceptum, Probet se ipsum homo.*

Sotus. Canus. Vasquez. Suarez. Valentia. Couarru. Bonacina.

Sotus verò in 4. dist. 12. q. 1. art. 4. Canus relect. de Pœnit. par. 5. Vasquez disp. 207. cap. 4. Suarez disp. 66. sect. 3. Valentia disp. 6. q. 8. pun. 3. Couarruuias in cap. *Almamater*, 1. p. §. 17. & Bonacina disp. 4. q. 6. pun. 1. docent, præceptum præmittendi confessionem ante sumptionem Eucharistiæ, ab eo qui peccauit mortaliter, non esse purè Ecclesiasticum, sed etiam esse diuinum positiuum, & meritò: quia dictum præceptum in dictis verbis Pauli contentum, non fuit tunc latum à Paulo quando verba illa protulit, sed erat iam anteà latum; ergo credendum est, latum fuisse à Christo, & nobis à Paulo traditum & explicatum, quia, iuxta Regulam Augustini lib. 4. de Baptismo cap. 14. præceptum illud conijcitur esse diuinũ, cuius non agnoscitur initium, si aliunde nõ conijciatur non fuisse latum à Deo. Quòd autem dictum præceptum in verbis Pauli contentum, non fuerit tunc à Paulo latum, sed anteà fuerit, ex eo probatur, quòd non fuit traditum à Paulo tamquam nouum, sed tamquam antiquum: quod Primò constat ex eo, quòd Paulus tradit probationem illam per confessionem tamquàm medium anteà vnicum & necessarium, vt quis dignè manducaret & biberet, vt ex contextu constat. quia postquam dixit, *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini*, immediatè subdit: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit.* At si anteà non fuisset præceptum confessionis ad sumptionem Eucharistiæ, non tradidisset probationem per confessionem tamquam medium vnicum & necessarium ad dignam sumptionem Eucharistiæ, quia præter confessionem erat contritio perfecta, qua peccator potuisset constitui in statu gratiæ. Secundò idem constat ex eo, quòd Paulus reprehendebat Corinthios, quia absque probatione illa sumebant Eucharistiam, supponens fuisse transgressores illius præcepti, & ob id plures ex illis fuisse infirmitatibus, mortibus, & alijs pœnalitatibus à Deo punitos.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus, in verbis illis Pauli contineri dictum præceptum, sed non vt à Paulo latum, sed vt promulgatum & traditum. Ad secundam etiam concedimus, dictum præceptum appellari à Tridentino Pauli, non quia à Paulo latum, sed quia ab ipso explicatum & promulgatum; sicut etiam lex vetus, quamuis diuina, etiam dicebatur Moysis, non quia fuerit à Moyse tamquam à legislatore lata, sed quia ab ipso promulgata fuit.

DIFFICVLTAS VI.

Quando possit quis post mortale sumere Eucharistiam sine præuia confessione illius.

COnueniunt Theologi, præceptum præmittendi confessionem mortalis ad sumendam Eucharistiam, quamuis etiam diuinum, non adeò strictè obligare in actu secundo, quin ob aliquam causam occurrentem eius obligatio in actu secundo (de qua est difficultas) aliquando cesset: quod expressit Tridentinum sess. 13. c. 7.

Est tamen difficultas in assignandis casibus, in quibus obligatio dicti præcepti cesset.

Casus ergo in quibus obligatio dicti præcepti cessat, & licitum est absque præuia confessione mortalis Eucharistiam sumere, habendo perfectam contritionem, qua fiat iustificatio ab illo, sunt plures, & deducendi ex doctrina, quam Tridentinum tradit sess. 13. c. 7. dum significat, id tunc esse licitum, quando deficit copia Confessarij, & simul vrget necessitas sumptionis Eucharistiæ.

Circa prius, quod concurrere debet, vt peccator possit Eucharistiam sumere absque præuia confessione mortalis, sola perfecta contritione illius, obseruandum est, tunc non deficere copiam Confessarij, quamuis deficiat ille cui deuotiùs, & ille cui quis ordinariè cõfitetur, si adsit Sacerdos, qui possit saltem ex priuilegio, aut aliter ex commissione absoluere ab omnibus peccatis pœnitentis, etiam in eo casu in quo pœnitens ob aliquam causam sufficientem excusatur ab integrè confitendo mortalia; quia etiam in eo casu peccator tenetur præmittere confessionem, quamuis non integram: & tunc deficere copiam Confessarij, quando peccator nulli potest confiteri, saltem absque graui nota infamiæ, aut suspicionis peccati mortalis, vt potest contingere ei, qui iam accessit ad altare ad communicandum, si confitearur ipsi administranti Eucharistiam, aut si discedat ex altari ad confitendum alteri. Iudicio autem prudentis relinquitur, quando Parochus celebraturus teneatur pro quærendo Confessario adire oppidum vicinum, quia ad id tenetur, quando, habita ratione loci, & temporis, & personæ, commodè potest adire, & tempore opportuno commodè redire; & non tenetur, quando nequit absque incommodo graui atque intolerabili.

Circa posterius plures sunt necessitates vrgentes sumptionis Eucharistiæ, quæ, quantum est

ex se, sufficiunt ad excusandum à præmittenda confessione mortalis ad sumptionem Eucharistiæ, quæ ad duas generatim possunt reduci (excepto casu præcepti diuini sumendi Eucharistiam post consecrationem factam, de quo Difficultate VII.) Prior est, quando est periculum mortis instantis, quia tunc potest quis Eucharistiam sumere absque præuia confessione, si adsit Diaconus, qui possit illam administrare, ne absque Eucharistia ex hac vita discedat, in quo Theologi communiter conueniunt. Posterior est, quando absque graui nota infamiæ aut suspicionis, aut absque prudente timore illius, nequit omitti sumptio Eucharistiæ, quia etiam tunc sumi potest absque præuia confessione, in quo Theologi conueniunt.

Sed quando possit prudenter timeri grauis nota infamiæ aut suspicionis in non sumendo Eucharistiam, arbitrio prudentis relinquitur. Timeri autem potest prudenter, & non rarò, Primò, quando vrget obligatio vel consuetudo, absque obligatione communicandi, in Congregatione aliqua, quod attentis circumstantijs iudicandum est. Secundò, quando populum vrget præceptū audiendi Missam, & non est nisi vnus qui celebrare possit, præsertim si sit Parochus: in hoc autem casu potest, deficiente copia Confessarij, absque præuia confessione celebrare, non vt populus audiat Missam, sed vt ipse non incurrat infamiam, neque suspicionem mortalis, quam posset Sacerdos incurrere non celebrando.

Vnde ob concurrentiam duorum prædictorum, nempe inopiæ Confessarij, & vrgentis necessitatis sumptionis Eucharistiæ, ille qui coram alijs accedit ad altare ad communicandum, quamuis ibi recordetur alicuius mortalis, potest absque præuia confessione illius communicare ob periculum infamiæ aut suspicionis, cui est expositus si discedat & non cōmunicet, ob quod vrget necessitas communicandi; aut si contineatur Sacerdoti administranti Eucharistiam, vel si discedat vt alteri confiteatur, ob quod deficit copia Confessarij: quia ex vna parte ex obiecto expositus est periculo dicti damni, & ex altera non discernit se esse liberum à dicto periculo, vt supponimus; quia si id discerneret, non posset absque præuia confessione communicare. Et ob hanc rationem, qui accedens ad altare pro temporis angustijs nequit prudenter discernere, an ex discessu ab altari, vel ex confessione in eo facienda, incursurus sit notam aliquam grauem, an non, tunc potest absque præuia confessione Eucharistiam sumere, quia scilicet ex obiecto est expositus periculo dicti damni, & ex altera non discernit se esse liberum ab eo periculo. Et ob eamdem rationem administrans Eucharistiam, dum non discernit prudenter, eum, qui accedit petens confessionem, esse liberum à dicto periculo ex discessu, aut ex confessione facienda, potest illi administrare Eucharistiā, non audiendo confessionem. Et idem ob eamdem rationem dicendum est de Sacerdote, qui vadens vestitus ad altare, aut iam in altari existens, recordatur alicuius mortalis, quòd scilicet non teneatur regredi aut discedere adhuc ante consecrationem, neque vocare Confessarium, nisi quando discernit prudenter se esse liberum à dicto periculo, quamuis regrediatur, aut discedat, aut Confessarium vocet. Et idem dicendum est in casu, in quo Sacerdos vadens ad altare, aut in eo existens, recordatur excommunicationis, aut fractionis ieiunij ad communicandum requisiti, aut alius impedimenti ad id.

Ad hanc autem posteriorem vrgentem necessitatem communicandi ob vitandam notam infamiæ aut suspicionis, & ad priorem, ne quis discedat vita absque Eucharistia ob mortem instantem, reduci possunt omnes casus vrgentis necessitatis sumptionis Eucharistiæ: quia casus ille communicandi absque præuia confessione ad vitandum scandalum verum (non ob vitandam admirationem, aut occasionem loquelæ) quod ex non communicando posset oriri, reducitur ad vrgentem necessitatem communicandi ob vitandam notam infamiæ aut suspicionis: quia si tunc potest quis absque præuia confessione communicare ob vitandum scandalum, quod non communicando daret, ideò est, vt euitet dictam notam, quam non communicando incurreret, & non est vt euitet scandalum, quia istud est passiuum, ob quod, siue sit pusillorum peccantium ex passione vel ex ignorantia, siue sit Pharisæorum peccantium ex malitia, non est omittendum præceptum aliquod, & in præsentiarum non est omittendum præceptum confitendi mortale ad dignè communicandum, à quo quis aliàs non excusatur ob vitandam dictam notam, aut aliter.

Et ad communicandum absque præuia confessione, quando deficit Confessarius, non sufficit, vt quidam volunt, magna aliqua deuotio illius qui desiderat communicare, neq; occurrentia alicuius festiuitatis, in qua solitus est communicare; quia neutra ex his est vera necessitas sumendi Eucharistiam, quam Tridentinum requirit, neque quæ sufficiat ad excusandum à præcepto confitendi mortale ad sumendam Eucharistiam.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm qui sumpsit Eucharistiam absque præuia confessione mortalis, teneatur confiteri quàm primùm possit.

DIfficultas hæc procedit & de Sacerdote celebrante, & de laico communicante, cuius nomine etiam comprehenditur Sacerdos laicè communicans.

Circa Sacerdotem celebrantem conueniunt Primò Theologi, eum qui conscius mortalis, non habens copiam Confessarij, & vrgente necessitate celebrandi, absque præuia confessione celebrauit, teneri, quàm primùm oblata opportunitate post celebrationem possit, ad confitendum, vt constat ex Tridentino sess. 13. c. 7. in fine.

Secundò conueniunt communiter Theologi, præceptum hoc, quo Sacerdos in casu dicto tenetur ad confitendum post celebrationē, quàm primùm possit, non esse diuinum, quia id nullo fundamento constat, sed tantùm esse Ecclesiasticum; & non esse antiquius Concilio Tridentino, quia id nullo fundamento conijci potest, sed esse nouum à Tridentino in eo loco nouiter latum. Quod verbum *confiteatur* planè indicat, quamuis non sit verbum præcipiendi, neque æquiualens, quia id non semper est necessarium; sed aliquando sufficit verbum modi imperatiui, præsertim quando ab initio sic fuit intellectum, sicut verè fuit verbum istud. Et quamuis præceptū hoc sit tantùm Ecclesiasticum,

Vasquez
Suarez
Ægidius
Regina
Bonacina

siasticum, obligat tamen ad confessionem peccati mortalis interioris, quia determinat & modificat, quoad tempus, præceptum diuinum confessionis, obligans ad confessionem omnium mortalium etiam interiorum, quod Ecclesia non facit ex potestate ordinaria, sed ex peculiari, quam habet ad determinandum & modificandum præceptum diuinum, quod non fuit pro determinato tempore latum.

Et quia præceptum hoc Ecclesiasticum tantùm fuit latum pro celebrantibus, qui conscij mortalis, & non habentes copiam Confessarij, & vrgente necessitate, celebrarunt absque præuia confessione; ideò qui celebrauit absque conscientia mortalis, quamuis post celebrationem recordetur mortalis ante celebrationem commissi, non tenetur eo præcepto, neque qui celebrauit conscius mortalis, si erat copia Confessarij, aut si non vrgebat necessitas celebrandi, quia nec instabat mors, nec erat periculum alicuius grauis notæ. At si, dum celebrat, ante sumptionem Eucharistiæ recordetur, & fiat conscius mortalis anteà vel tunc commissi, & nequeat tunc confiteri absque graui nota, neque desistere à celebrando, aut ob periculum grauis notæ, aut quia iam consecrauit, tenetur post celebrationem quàm primùm confiteri, quia tunc sumit Eucharistiam absque confessione ob vrgentem necessitatem sumendi illam, ne scilicet notam incurrat, aut quia iam consecrauit, & quia caret copia Confessarij, quia nulli confiteri potest absque dicta nota.

Circa laicum communicantem Nauarrus in Summa cap. 2. num. 10. docet, etiam laicum conscium mortalis, absque præuia confessione communicantem, quando defuit Confessarius, & fuit necessitas vrgens communicãdi, teneri post Communionẽ, quàm primùm possit, ad confitendum; quia quamuis Tridentinum id non expresserit de laico, id etiam absque dubio voluit, & id absque dubio responderet, si de eo interrogaretur.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Reginald. Bonacina.

Vasquez verò disp. 208. n. 23. Suarez disp. 66. sect. 7. Ægidius quæst. 80. art. 4. in fine. Reginaldus lib. 29. num. 110. & Bonacina disp. 4. quæst. 6. punct. 1. docent, laicum non teneri dicto præcepto, & meritò: quia Tridentinum id tantùm præcepit Sacerdotibus celebrantibus, vt pâtet ex contextu; & absque dubio id noluit laicis præcipere, vt conijci potest ex eo, quòd postquam generatim dixit, omnes conscios mortalis teneri ad confessionem ante Communionem, peculiariter Sacerdotibus, in casu dicto celebrantibus absque præuia confessione, præcepit, statim quàm primùm possint confiteri: id autem eis peculiariter præcepit, quia eis frequentiùs accidit ad celebrandum accedere absque præuia confessione in dictis casibus; vnde Tridentinum interrogatum negatiuè responderet.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm minister administrans Eucharistiam indigno, vnum tantùm peccatum committat.

COnueniunt Theologi, ministrum, qui absq; causa excusante scienter administrat Eucharistiam indigno, peccare mortaliter peccato sacrilegij, quia facit contra reuerentiam Eucharistiæ debitam: & idẽ est, quando sic administrat quodlibet aliud Sacramentum.

Est tamen difficultas, An peccet vno tantùm peccato, an duplici.

Recentiores nonnulli docent, eũ peccare duplici peccato sacrilegij; vno, quia ex se indignè administrat Eucharistiã, & altero, quia cooperatur peccato indignæ susceptionis suscipientis Eucharistiam.

Vasquez verò d. 209 c. 1. docet, ministrũ scienter administrantem Eucharistiam indigno (aut quodlibet aliud Sacramentum) vnũ tantùm peccatum sacrilegij committere, & meritò: quia ex vna parte minister in casu dicto non aliter peccat, nisi quia Eucharistiam ministrat indigno, efficiendo aliquid præuium ad indignam susceptionem illius, in quo malè tractat Eucharistiam; & ex altera parte ex eo præcisè, quòd sic concurrat & cooperetur cum indigno ad indignam susceptionem, non imputatur illi peccatum indignè suscipientis, neque ei tribuitur, quia non est causa peccati suscipientis, quia non est causa susceptionis; quia neque physica, vt patet; neque moralis, quia non inducit neque suadet suscipienti ad id, vt potest non suadere, & supponimus, sed tantùm cooperatur, & non consuscipiendo, sicut cooperantur ad tractionem nauis qui eam simul trahunt, sed tantùm dando, & efficiendo id sine quo alter non susciperet indignè, in quo ipse non peccat peccato susceptionis suscipientis, sed tantùm proprio peccato administrationis factę indigno. Ergo administrans Eucharistiã indigno (aut quodlibet aliud Sacramentum) vno tantùm peccato sacrilegij peccat indignæ administrationis, & non etiam peccato indignæ susceptionis, quia non aliter peccat, nisi quia administrat indigno, & hoc tantùm modo adiuuat & cooperatur indignæ susceptioni, & non aliter. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Addimus contra Vasquez, ministrum, qui non tantùm administrat Sacramentum indigno, sed eum etiam inducit ad id, non solùm peccare peccato indignæ administrationis, sed etiam peccare peccato indignæ susceptionis, quo indignè suscipiens peccat, quia est causa indignæ susceptionis illius. Et eodem modo eum, qui inducit feminam ad fornicationem cum ipso, non solùm peccare peccato propriæ fornicationis, sed etiam peccato fornicationis feminæ ab ipso inductæ: quando verò non inducit, sed tantùm fornicatur cum illa, vno tantùm peccato fornicationis peccare, quia ipse non est causa actionis feminæ, quia non physica, vt patet; neque moralis, quia eam non inuitat, etiamsi cooperetur cum illa, efficiendo actum necessariò comitantem actionem feminæ, & sine quo actio feminæ non esset.

Addimus secundò contra Vasquez, vt optimè Suarez disp. 63. sect. 1. ministrum in peccato mortali se ipsum communicantem, ad minus duo peccata sacrilegij committere, vnum indignæ administrationis, quia in peccato mortali administrat (quod tantùm est veniale, vt diximus Tractatu de Sacramentis in genere, Disp. IV. Diffic. IX.) alterum indignæ susceptionis (quod est mortale) quia in eo statu suscipit Eucharistiam, quæ sunt duo distincta, imò & in specie, & neutrum est peccatum ratione alterius, seu malitia desumpta ab altero, sed vtrumque ratione sui: imò etiam peccat alio tertio peccato mortali sacrilegij, quia sibi indignè Eucharistiam administrat.

Obseruandum tamen est, præceptum administrandi Eucharistiam & alia Sacramenta digno, quamuis sit diuinum naturale, imò & negatiuum (quidquid Suarez dicat) quia contra illud peccatur nõ omittendo reuerentiam debitam seu actum reuerentiæ debitæ, sed committendo, & efficiendo actum irreuerentiæ, nempe indignè tractando & conferendo Sacramenta; ita tamen obligare, vt aliqua rationabili causa possit minister à peccato contra illud peccatum excusari, vt posteà dicemus, eo modo quo aliqua præcepta naturalia negatiua aliquando nõ obligant, deficiente aliqua circumstantia requisita, vt obligent; quia non omnia obligant circa materiam absolutè (vt obligat præceptum non mentiendi) sed circa materiam aliquibus circumstantijs vestitam & determinatam, quibus deficientibus, aut earum aliqua, cessat eorum obligatio, quamuis nulla deficiente, obligent semper & pro semper; vt præceptum non occidendi hominem, quod ita obligat, vt in defensionẽ propriam, aut Deo concedente facultatem, non obliget; & præceptum non auferendi alienum inuito domino particulari, non obligat Deo dante facultatẽ ad id.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm peccatori occulto, petenti publicè Eucharistiam, sit deneganda.

COnueniunt Theologi, peccatori occulto publicè petenti Eucharistiam, nõ esse denegandam, quia in hoc euentu occurrunt duo præcepta, vnum iustitiæ, non infamandi proximum, ipsi publicè negando Eucharistiam: alterum religionis, non administrandi Sacramentum indigno. Ex his autem duobus, quorum vnum tantùm potest in eo euentu seruari, præceptum iustitiæ strictiùs & firmiùs obligat, quàm alterum religionis; ergo peccatori occulto non est publicè deneganda Eucharistia, ne infametur, sed ipsi, quamuis indigno, administranda est. Quòd autem præceptum iustitiæ non infamandi proximum, strictiùs obliget quàm præceptum religionis non administrandi Sacramentum indigno, probatur: quia sicut obligatio misericordiæ, qua subuenitur miseriæ proximi, præfertur obligationi religionis, qua Deo sacrificium offertur, iuxta illud Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificium.* quia sacrificium non offertur Deo ob ipsius vtilitatem, sed ob nostram, & ob id cessat obligatio religionis, vrgẽte miseria proximi, vt huic subueniatur; ita etiam obligatio iustitiæ non infamandi proximum, præferenda est obligationi non administrandi Sacramentum indigno: quia Deus voluit & instituit Sacramentorum administrationem in vtilitatem nostram, nõ in suam; & ob id non indignè Sacramentũ tractatur, quando administratur indigno, ne infametur; quia in eius vtilitatem institutum est, & non Dei.

Quòd si obijcias, Primò: Ex duobus malis, quæ ita occurrunt, vt necessarium sit alterum eorum eligere, eligendum est quod est minus; sed infamare proximum in casu dicto est minus malũ, quàm administrare Sacramentum indigno, quia illud opponitur iustitiæ, quæ est minor virtus quàm religio, cui opponitur administrare Sacramentum indigno; ergo. Respondemus, dictam regulam, eligendi minus malum contra minorem virtutem, intelligendam esse, quando ex parte obiecti vtriusque præcepti, aut vtriusque virtutis, nulla deest circumstantia pro obligatione alicuius ipsorum, sed ex solo occursu tollitur obligatio alterius, vt contingit, quando quis est dubius de valore matrimonij, in quo casu debet reddere petenti, eligendo id quod fortasse est contra castitatem; ne negando debitum, faciat contra iustitiam, quæ est melior castitate; quia in hoc casu nulla deest circumstantia necessaria ex parte obiecti, vt vtrumque præceptum obliget, sed ex solo occursu vtriusque eligit quod minus est. In nostro verò casu non ita contingit; quia ex parte obiecti præcepti non administrandi Sacramentum indigno, & non cooperandi cũ illo ad indignam receptionem, deest circumstantia, nempe carentia illationis damni proximo, ex cuius defectu cessat obligatio illius. Quia ne damnum, adhuc temporale famæ contra iustitiam, inferatur proximo, ipsi publicè negando Sacramentũ, quod in eius vtilitatem institutum est, nulla fit irreuerentia Sacramento, administrando illud indigno, & cum eo cooperando ad indignam receptionẽ; sicut quando proximo in extrema necessitate administratur Baptismus ab eo qui est in peccato mortali, & moraliter nequit disponi ad iustificationẽ, quia vrget periculum mortis baptizandi, nulla infertur irreuerentia Baptismo, quia institutus est in remedium hominũ, & tunc non potest proximo subueniri, nisi minister illud administret in statu peccati.

Quòd si obijcias Secundò: Si quis habeat apud se ensem alterius depositum, & sciat dominũ ensis eum petere vt se ipsum occidat, nequit depositarius illum reddere domino, vt euitet mortem corporalem domino, quamuis ipsi domino ex negatione ensis aliquando sequatur infamia; ergo peccatori petenti Eucharistiam reddi nequit, saltem vt euitetur mors spiritualis ipsius, quæ est maioris considerationis quàm corporalis. Respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam, ob discrimen inter damnũ spirituale & corporale; quòd damnum spirituale, quia est generale, consequens ad violationem cuiuscumq; virtutis & præcepti, non est ratione sui contra aliquam virtutem, neque contra aliquod præceptum; & ideò qui peccando grauiter se ipsum spiritualiter occidit, non peccat, quia se ipsum spiritualiter occidat; neque aliud peccatum committit, nisi illud ex quo mors spiritualis oritur: quia ex eo quòd seipsum occidat spiritualiter, non facit contra aliquam peculiarem virtutem, nec contra aliquod peculiare præceptum; & qui alterum inducit & inuitat ad peccatum aliquod graue quo spiritualiter occiditur, non peccat nisi eo peccato ad quod prouocat, quia est causa moralis illius peccati, & non quia illum spiritualiter occidit. Damnum verò corporale, quia non est generale, est contra aliquam peculiarem virtutem, aut iustitiæ, aut misericordiæ, aut fortitudinis, & est præceptum peculiare fortitudinis vitandi mortem propriam, nisi quando ad non vitandam illam est rationabilis causa. Quia ergo præceptum vitandi mortem corporalem proximi, cuiuscumq; virtutis sit, ceteris paribus, strictiùs obligat, quàm præceptum reddendi depositum illi, & illum non infamandi, ideò in casu obiectionis non est reddendus ensis domino, quamuis ipsi sequatur infamia, vt eius mors corporalis vitetur: in nostro verò casu Eucharistia non est deneganda peccatori occulto eam publicè petenti, ne infametur, ob rationem dictã, nulla habita ratione damni spiritualis; quia

quia hoc ratione sui non est contra aliquam peculiarem virtutem, neque contra aliquod peculiare præceptum; & ideò præceptum non administrandi Sacramentum indigno, non occurrit cum præcepto aliquo vitandi mortem spiritualem proximi indignè sumentis Sacramentum, sed cum præcepto non infamandi illum, quod debet illi præferri, ob rationem dictam: præceptum verò reddendi ensem domino, & ipsum non infamandi, occurrit cum præcepto vitandi mortem corporalem ipsius, quod debet illis præferri.

Quòd si obijcias Tertiò: Minister potest cõferre peccatori occulto hostiam non consecratam, & hoc modo famam illius illęsam seruare, & nullam irreuerentiam irrogare Sacramento, ergo id debet facere, & non conferre Eucharistiam. Respondemus, præterquam quòd id non potest semper fieri, & ideò tunc minister debeat illi Hostiam consecratam conferre, quamuis id posset fieri, non esset licitum id facere ipso peccatore ignorante, imò neque ipso sciente & consentiente, quia fictio semper est illicita, & in Sacramentis valdè pernicioſa & execranda, vt dixit Innocentius III. in cap. *De homine*, de Celebratione Missarum.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm peccatori occulto, occultè petenti Eucharistiam, sit etiam deneganda.

COnueniunt Theologi, occulto peccatori occultè petenti Eucharistiam, denegandam esse à ministro, cui non conuenit ex officio Sacramenta administrare, quia tunc nulla adest causa ob quam Sacerdos non Parochus excusetur ab obligatione præcepti non administrandi Eucharistiã indigno, quia tunc neque peccator infamatur, quia ipsi ita negatur Eucharistia, vt nullus sit testis apud quem possit nouiter infamari, vel tantùm est vnus aut alter, qui peccatum illius etiam agnoscit: neque illi fit iniuria aliqua contra ius aliquod, quod habeat vt ipsi Eucharistia conferatur, quia nullum habet vt sibi conferatur à Sacerdote non Parocho.

Est tamen difficultas, An neganda sit à ministro, cui ex officio incumbit Sacramenta administrare, nempè à proprio Parocho.

Sotus. Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 6. docet, non esse illi negandam tempore obligationis Communionis, neque extra tempus obligationis (nisi quando frequenter petit) quia peccator habet ius petendi Eucharistiam à suo Pastore, præsertim tempore obligationis.

S. Thomas. S. Thomas verò in 4. dist. 9. art. 5. & reliqui Theologi docent, negandam esse illi Eucharistiam etiam tempore obligationis, & meritò: quia peccator, dum est in statu peccati, non habet ius ad Eucharistiam, quia non est in statu requisito à Christo vt eam possit recipere; & credi non potest, Christum contulisse ius iustitiæ ad Sacramenta ei, qui non est in statu requisito ab ipso.

Addimus contra Alexandrum 4. par. quæst. 11. memb. 2. ar. 3. Durandum in 4. dist. 9. q. 1. Vasquez disp. 209. cap. 5. & contra plures alios, vt optimè Adrianus Quodlib. 3. q. 3. Paludanus in 4. dist. 9. q. 4. art. 1. Gabriel q. 2. art. 3. dub. 1. Nauarrus c. 21. n. 55. Ægidius q. 80. art. 6. n. 38. & plures alij, non esse negandam Eucharistiam dicto peccatori, si minister Eucharistiæ cognouerit statum peccatoris tantùm in confessione Sacramẽtali, in qua eum non absoluit, etiamsi nullus adsit testis; non quia tunc peccator habeat ius ad Eucharistiam, sed ne negatione Eucharistiæ fiat illi confessio odiosa, quia facilè suspicabitur, sibi negari Eucharistiam, quia ipse confessus fuit suum statum, quo irreuerentia irrogatur Sacramento confessionis, iuxta ea quæ diximus Tractatu de Pœnitentia, Disput. XI. Difficultate IX.

Adrianus. Paludan. Gabriel. Nauarrus. Ægidius.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm peccatori publico, publicè petenti Eucharistiam, deneganda sit.

COnueniunt Theologi, publico peccatori non tantùm quando occultè, sed etiam quando publicè petit Eucharistiam, denegandam esse, quia tunc nulla adest causa, ob quam minister excusetur ab obligatione non administrandi Eucharistiam indigno.

Est tamen difficultas, Quis dicatur & sit peccator publicus, ad hunc effectum vt ei sit etiam publicè deneganda Eucharistia.

Circa hanc rem, varijs modis dicendi omissis, dicendum est, vt optimè Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 6. & Vasquez disp. 209. cap. 2. vt peccatum alicuius sit & dicatur publicum ad effectum dictum, non sufficere infamiam ex indicijs ortam, sed requiri notorietatem peccati, siue per sententiam Iudicis, siue per confessionem ipsius in iudicio factam, siue per euidentiam facti seu peccati, quæ nulla possit tergiuersatione celari. Quia sicut in cap. *Quæsitum*, de Cohabitatione Clericorum & mulierum, dicitur, non sufficere infamiam, vt Missam Sacerdotis peccatoris audire nõ possimus, sed requiri notitiam peccati aliquo ex tribus modis dictis; sic etiam non sufficit infamia peccati ex indicijs orta, ad negandam Eucharistiam, sed necessaria est, & sufficit notitia peccati aliquo modo ex dictis. Ratio autem huius est, quia quando tantùm est dicta infamia, & non est notitia aliquo modo ex tribus dictis, peccator negatione Eucharistiæ ipsi facta læditur in sua fama, quia ea negatione publicè facta infamatur manifestò, & infamiã ex indicijs habitã nondum est sufficienter infamatus, quia hæc infamia est maximè fallibilis. Quando verò adest notitia peccati aliquo modo ex tribus dictis, peccator ita est infamatus, vt negatione Eucharistiæ publica non lædatur in fama, quia notitiã eã, vtpote publicã & moraliter certã, est publicè & moraliter certò infamatus. Est autem peccatum notorium euidentiã facti, quando factum est coram maiori parte viciniæ, in qua ad minus habitant decem: si tamen vicinia sit plurimorum, non requiritur quòd fiat coram maiori parte, sed coram aliquibus, sicut quando fit in platea, ad arbitrium viri prudentis, attentis qualitate testium, tempore, & loco, vt diximus Tractatu de Excommunicat. Disputatione 1. Difficultate III.

Sotus. Vasquez.

Superest tamen difficultas, An quando peccator est publicus seu notorius in vno oppido, & non in alio, neganda sit illi Eucharistia in illo alio, in quo non est publicus seu notorius. Et non procedit, quando ex oppido, in quo est pubicus, citò humano more deueniet notitia ad aliud, quia tunc absque dubio neganda est illi Eucharistia tamquam publico peccatori, quia tunc humano more

nega-

negatione publica Eucharistiæ non lædituir in fama: sed tantùm procedit, quando creditur, quòd non deueniet notitia, saltem citò, in illud aliud oppidum.

Resolutio huius difficultatis pendet ex resolutione alterius, an scilicet infamatus in vno loco possit infamari in alio, ad quem creditur non deuenturam infamiam, aut saltem non deuenturam citò: de qua re legi potest Lessius de Iustitia, cap. 2. dub. 13.

Circa hanc difficultatem, quia pars negatiua nobis verior videtur, quia ille habere videtur ius vt in illo alio loco non infametur, ideò consequenter credimus, peccatori publico seu notorio in vno oppido, non posse publicè negari Eucharistiam in illo in quo est occultus, & creditur non citò publicandus, & multò minùs si creditur numquam publicandus; quia ea negatione publicè infamatur in oppido in quo aliàs aut non est infamandus, aut non est citò infamandus.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm Eucharistia possit administrari alicui ad purgationem delicti, de quo est suspectus.

RAtio difficultatis pro parte affirmatiua desumitur ex Concilio Wormatiensi, quia ab ipso modus iste purgationis institutus est cap. 10. & refertur can. *Si Episcopo* 2. quæst. 5. vbi statuitur, quòd si Episcopo aut Presbytero crimen aliquod imputetur, Missam celebret, & hoc modo de crimine obiecto innocentem se ostendat: & ab eodem in cap. 15. & refertur can. *Sæpè*, præcipitur, quòd si intra Monasterium furtum aliquod fieri contigerit, & auctor ipsius ignoretur, & Fratres ab hoc delicto purgandi sint; Missa celebretur, & singuli Fratres in ea Eucharistiam sumant, & hæc verba dicant, *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.*

Nihilominùs Doctores conueniunt (exceptis Adriano Quodlib. 3. art. 3. oppositum dicente, & Ægidio quæst. 80. num. 39. id idem indicante) Eucharistiam nulli posse administrari ad purgationem delicti de quo est suspectus, & illud non faretur.

Quo autem Iure id prohibitum sit, non est parum difficile. Quia in primis id non est prohibitum Iure naturali, quia ab homine suspecto ita potest extorqueri suscepti Eucharistiæ, vt in ea susceptione nō tentetur Deus, sed ita vt suspectus suscipiens Eucharistiam instar iurantis se habeat: quia potest sic sumi, vt sumptione ipsa iuret quodam genere iuramenti execratorij, quasi supra se inuocando potentiam Dei, vt Deus signo aliquo visibili ipsum puniat, si non sit innocens; in purgatione autem sic facta nullo modo tentatur Deus, quia id non est velle experiri potentiam Dei, sed profiteri veritatem, quia qui sic inuocat potentiam Dei, & sic iurat, vt Deus approbet quod iurat, non petit à Deo miraculum, quia Deus id videtur approbare nihil faciendo. Deinde id non est prohibitum Iure naturali diuino, quasi contra reuerentiam Eucharistiæ efficiat minister, si eam tribuat suspectis de crimine, quia verè non efficit contra illam, nisi quando suspicio est talis, vt nulla in contrarium admittatur probatio; & æquiualeat manifesto crimini: quia non est contra reuerentiam Eucharistiæ ipsam tribuere leuiter & non certò suspectis, ne certò infamentur, præsertim quòd quis præsumendus est bonus, dum firmiter non probatur malus. Rursus id non est prohibitum Iure diuino positiuo, quia de eo nullatenus constat. Tandem id non est prohibitū Iure aliquo humano scripto, quia nullibi id reperitur, etiamsi in aliquibus Canonibus reperiatur prohibita purgatio per aquam feruentem, & per ferrum candens, quatenus per eam tentatur Deus, & in ea absque sufficiente causa petitur à Deo, vt manifesto miraculo approbet innocentiam suspecti; quia in ea petitur, vt li suspectus de crimine sit innocens, nihil mali patiatur ab aqua feruente, neque à ferro candente.

Dicta ergo purgatio mediâ collatione Eucharistiæ, est prohibita Iure humano non scripto, sed desuetudine introducto, vt aduertunt Maior in 4. dist. 9. quæst. 4. & Vasquez disp. 210. cap. 3. quia eo ipso quòd genus aliquod purgationis seu iudicij non est in vsu, est peregrinum: quod autem est peregrinum, est eo ipso illicitum, vt dicitur in cap. *Ex tuarum*, de Purgatione canonica, illis verbis, *Quia verò peregrina iudicia sunt inhibita, purgationem quam præstitit, sufficere non putantes*, &c. Et meritò, quia eo ipso quòd iudicium est peregrinum, est contra ordinem Iure scripto aut consuetudine præscriptum.

Ad rationem ergo difficultatis ex capitulis illis Concilij Wormatiensis (quod tantùm fuit Prouinciale, & non approbatum à Romano Pontifice) desumptam respondemus, eâ tantùm probari, dictam purgationem non fuisse Iure aliquo vniuersali prohibitam, & pro tempore aliquo in vsu fuisse in ea Prouincia; id tamen non tollit iam esse prohibitam Iure humano, vniuersali desuetudine introducto.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm pollutio impediat sumptionem Eucharistiæ.

SVpponimus, pollutionem, quæ est peccatum mortale, ita impedire sumptionem Eucharistiæ, vt nequeat absque præuia confessione sumi, vt generale est omnibus peccatis mortalibus; & pollutionem non esse mortalem, nisi quando est directè intenta, non verò quando tantùm est indirectè intenta, seu in sua causa, id est quando adhibetur causa pollutionis, non intendendo pollutionem, sed aliud, quamuis sciatur ex ea causa futuram esse pollutionem, nisi quando causa non habet alium effectum, quàm excitare ad pollutionem (qualis est actus libidinosus) vt dicimus Tractatu de Peccatis.

Hoc ergo suppositio, difficultas est, An pollutio impediat sumptionem Eucharistiæ.

Conueniunt Doctores, pollutionem, quæ non est mortalis, quamuis in vigilia eueniat, & si fuit, si præcedat Sacramentalis confessio illius, non impedire sumptionem Eucharistiæ: quia ex vna parte pollutio non mortalis non aufert statum gratiæ, qui est sufficiens ad augmentum illius ad quod Eucharistia primariò & principaliter instituta fuit; & quamuis fuerit mortalis, si præcedat Sacramentalis confessio illius, non impedit statum gratiæ, quem Sacramentalis confessio potest conferre:

ferre: & ex altera parte nulla est prohibitio sumendi Eucharistiam post pollutionem non mortalem, neque post mortalem, si præcedat confessio illius, quia nulla est prohibitio positiua, quia de ea non constat; neque naturalis, quia ex nullo capite ostendi potest.

Quòd si Primò obijcias Augustinũ Serm. 244. de Tempore, vbi ait, post pollutionem, quæ nobis nolentibus accidit, non licere communicare, nisi eleëmosyna præcedat, imò & ieiunium; Respondemus, vt Vasquez quæst. 8. cap. 7. Augustinum loqui de pollutione quæ est peccatum veniale, & docere, quòd post eam non liceat communicare, sumpto *non licere* pro eo quod non est congruum seu decens, non verò pro eo quod est illicitum & peccatum.

Quòd si Secundò obijcias Timotheum Alexandrinum in Responsis Canonicis, quæ habentur Tomo 6. Bibliothecæ Patrum, Respon. 3. vbi ait, pollutionem nocturnã impedire Communionem, & Respon. 5. & 13. vbi ait, coniugatos non posse sumere Eucharistiam eo die, quo simul cohabitauerint; Respondent nonnulli, in dictis locis non contineri prohibitionem, sed consilium non communicandi. Vasquez verò vbi suprà credit, antiquitus fuisse legem aliquam vel vniuersalem, vel prouincialem, qua post pollutionem, imò & tempore menstrui feminæ, prohibitum erat communicare, nisi post aliquot dies aut horas, vt in aliquibus canonibus indicatur, & id significasse Timotheum vbi suprà: iam tamen dictam legem non vigere, quia opposita consuetudine sit abrogata.

Negari tamen non potest, esse optimum consilium, in Eucharistiæ reuerentiam, quando ad communicandum non vrget aliqua rationabilis causa, à Communione abstinere pro aliquo tempore post pollutionem, & post actum coniugalem, & quando adest menstruum, præsertim si post eos actus relinquitur aliqua carnis cõmotio, vel aliqua mentis euagatio circa eas res: non tamen est peccatum, adhuc veniale, quando adest menstruum, & post pollutionem, & post actum coniugalem absque dilatione comunnicare, etiamsi pollutio fuerit mortalis, & actus coniugalis fuerit ex fine aut aliter factus mortalis, si ante Communionem præcedat confessio illius quod fuerit mortale, quia nulla adest prohibitio communicandi in dictis casibus, quia non est aliqua positiua, quia de ea non constat; neque naturalis, quia nullo sufficienti fundamento ostendi potest.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm cibus vel potus sumptus impediat sumptionem Eucharistiæ.

LVtherani & Caluinistę in eo errore fuerunt, vt existimauerint, ad sumptionem Eucharistiæ non esse necessarium ieiunium: & in eodem fuerunt aliqui antiquiores hæretici, vt indicatur in Concilio Constantiensi sess. 13.

Conueniunt tamen Catholici, necessarium esse, & à multis annis necessarium fuisse ieiunium ad sumptionem Eucharistiæ, vt dicitur in Concilio Constantiensi sess. 13. in initio: quod etiam præcipitur & decernitur in pluribus alijs Concilijs, quæ referunt Suarez disp. 68. sect. 3. & Vasquez disp. 211. in quibus etiam fit mentio antiquissimæ consuetudinis non sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij: imò fuisse à tempore Apostolorum, dicitur in VI. Synodo, can. 29. & à pluribus Patribus, quos referunt Suarez & Vasquez.

Concilium Constant.

Suarez. Vasquez.

Præceptum autem hoc non sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, non est diuinum, quia non constat Christum id præcepisse, imò conijcitur id non præcepisse, quia illam Apostolis post cœnam communem administrauit; neque est naturale, vt patet; sed est Ecclesiasticum, à principio Ecclesiæ siue ab Apostolis expresè traditum, siue dicta consuetudine introductum, & sæpè in pluribus Concilijs confirmatum.

Sed obijcit Lutherus, Christum dedisse Apostolis Eucharistiam post cœnam. Respondemus, quòd quamuis fuerit conueniens, quòd Christus post cœnam è vita discessurus, in fine illius in signum amoris pro discessu Eucharistiam instituerit, & eam Apostolis ministraret; tamen posteà, causa hac cessante, conuenientius fuit, & est, vt nos ad Eucharistiam accedamus nullo cibo & potu communi præoccupati: & ideò id fuit vel ab Apostolis expresè præceptum, vel consuetudine introductum tamquam necessarium & præceptum.

Secundò obijcitur testimonium Chrysostomi Epistola ad Cyprianum Episcopum, in qua cùm quidam ipsi obiecisset, quòd non ieiunos ad Eucharistiam admitteret, respondet, etiam Christum post cœnam dedisse Apostolis Communionem; qua responsione significat, licitum esse post fractionem ieiunij Eucharistiam sumere. Respondemus, Chrysostomum priùs negasse se id facere; deinde retulisse exemplum illud Christi, non vt significaret id esse licitum, sed vt extenuaret crimen sic accedendi ad Eucharistiam, ne putaretur nimis execrandum.

Tertiò obijcitur illud Pauli 1. ad Corinthios cap. 11. *Si quis esurit, domi manducet.* vbi Paulus videtur admittere, quòd Corinthij iam pransi ad Ecclesiam venirent ad sumendam Eucharistiam. Respondemus, varijs solutionibus & expositionibus omissis, Paulum verbis illis non admittere Corinthios iam pransos ad Eucharistiam sumendam, sed admonere, vt si quis præ fame non posset expectare communem cœnam, quæ post sumptionem Eucharistiæ erat in vsu apud illos pro omnibus qui Eucharistiam sumebant, adiret domum, & manducaret, vt ita expectare posset: erat enim apud Corinthios in vsu, in memoriam cœnæ Christi commune conuiuium, seu communem cœnam post sumptionem Eucharistiæ parari in Ecclesia omnibus qui Eucharistiam sumebant, ex cibis quos ipsi, præsertim diuites, ad id in Ecclesiam deferebant: plures tamen ex diuitibus, qui magnam ciborum & potus copiam deferebant, nolebant pauperes ad cœnam expectare, quia cœna non poterat ita citò pro omnibus parari; & ideò vnusquisque, præsertim ex diuitibus, id quod in Ecclesiam detulerat, cœnare præsumebat, antequam omnes ad cœnandum conuenirent; ex quo schismata & dissensiones inter Corinthios oriebantur: quia pauperes alij, qui nihil ad cœnandum detulerant, non cœnabant, (ob quod rubore confundebantur) & ita cœna Dominica, seu Christi, à qua nullus, neque Iudas fuit exclusus, non recolebatur. Paulus ergo in eo loco reprehendit Corinthios diuites, qui non exspectantes pauperes, priùs ante communem cœnam

nam in Ecclesia cœnabant, & eos admonet, vt cum omnibus cœnent, & ne aliquis fame vrgente in Ecclesia suam cœnam seorsim cœnet, admonet, vt si esuriat, manducet domi, non ante, sed post sumptionem Eucharistiæ, vt posteà possit cum reliquis in Ecclesia cœnare.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm ieiunium ad sumptionem Eucharistiæ prærequisitum debeat esse naturale, an sufficiat Ecclesiasticum.

IEiunium naturale dicitur abstinentia ab omni cibo & potu, adhuc per modum medicinæ: Ecclesiasticum verò est abstinẽtia à cibo per modum cibi, & non est abstinentia à potu, neque à medicamentis, neque à cibo per modum medicinæ, sed ad nutritionem.

Gotfredus. Io. Paris. Circa difficultatem ergo Gotfredus & Ioannes Parisiensis docuerunt, ad sumptionem Eucharistiæ sufficere ieiunium Ecclesiasticum, quia ieiunium ad eam prærequisitum præcipitur ab Ecclesia: ergo eodem modo intelligendum est, quo Ecclesia intelligit ieiunium quod pro diebus ieiunij præcipit.

S. Thomas. S. Thomas verò, & eius interpretes, quæst. 80. art. 8. & Scholastici in 4. distinct. 8. & Summistæ v. *Eucharistia* vel v. *Ieiunium* docent, & optimè, ieiunium ad sumptionem Eucharistiæ prærequisitum esse naturale, & non sufficere Ecclesiasticum, quod habetur in Concilio Toletano VII. cap. 2. & indicatur in cap. *Ex parte*, de Celebratione Missarum: & id exprimitur & declaratur consuetudine Ecclesiæ, qua introductum est, aut qua saltem obseruatur. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Et quamuis non desint, qui existiment tantùm esse peccatum veniale, Eucharistiam sumere post sumptionem cibi & potus in parua quantitate, ob leuitatem seu paruitatem materiæ; Suarez tamen *Suarez. Vasquez.* disp. 68. sect. 4. & Vasquez disp. 211. cap. 3. & communiter Doctores existimant esse mortale, etiamsi Eucharistia sumatur post sumptionem minimæ quantitatis cibi aut potus, & meritò: quia materia huius prohibitionis non est sumptio cibi aut potus, sed est sumptio Eucharistiæ post sumptionem cibi aut potus; sumptio autem Eucharistiæ post illam est materia grauis, seu magni momenti.

Obseruandum est Primò, ieiunium hoc naturale ad sumptionem Eucharistiæ prærequisitum non violari ex eo, quòd aliquid cibi, intra dentes ex die præcedente relicti, traijciatur à casu in stomachum, quia traiectio illa à casu facta non censetur moraliter comestio; censebitur autem, si fiat scienter & ex intentione, ac proinde per illam violaretur dictum ieiunium, vt contra Tabiennam v. *Communicare*, & forsan contra Ægidium q. 80. art. 8. & contra Adamum quæst. 8. num. 79. aduertunt communiter Doctores: sicut etiam censetur traiectio sacchari noctu immissi in os paulatim deglutiendi, si traiectio illius post mediam noctem perseueret. Neque violari ex eo, quòd parum aquæ saliuæ admixtum deglutiatur, in quo Doctores conueniunt, quamuis non sit conuersum in saliuam, quia deglutitio illius non est potatio, quia sumitur per modum saliuæ, seu quasi vnum cum saliua. Et idem est, quando aliquid iuris aut cibi conditi sumitur ad gustandum, & parum illius admixtum saliuæ, quamuis non conuersum in saliuam, deglutitur, vt plures Doctores aduertunt; quia etiam tunc deglutitio illius non est potatio neque comestio, quia etiam sumitur per modum saliuæ, & quasi vnum cum ea. Neque violari sumptione pulueris, quem cum aëre, quem respiramus, attrahimus ad stomachum; neque muscæ sic attractæ in stomachum, neque ipsius volando intrantis in os apertum, & à casu traiectæ in stomachum: quia dicta traiectio non est comestio. Neque violari traiectione saliuæ, neque sanguinis descendentis ex capite, aut aliunde, neque alius humoris, quamuis scienter facta; quia neque est comestio, neque potatio, quia ad comestionem & ad potationem requiritur, quòd cibus & potus ori ab extrinseco imponantur.

Obseruandum est Secundò, ieiunium hoc naturale ad sumptionem Eucharistiæ tantùm prærequiri in eo die in quo sumitur Eucharistia: dies autem ad hunc effectum, iuxta Ecclesiæ consuetudinem, computatur à media nocte; & ideò quod ante mediam noctem manducatum aut potatum est, non impedit sumptionem Eucharistiæ. quod verum est, quamuis digestum non sit, siue ex defectu somni, siue aliunde, vt contra Gloss. in can. *Nihil* 7. quæst. 1. & in cap. *Si extiterit*, de Accusationibus, aduertunt communiter Doctores.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm Eucharistia possit aliquando à non ieiuno sumi.

COnueniunt Doctores, in articulo physico mortis, aut in periculo mortis (quod etiam dicitur articulus, quamuis solùm moralis) siue mortis naturalis, siue violentæ, in quo Sacramentum Eucharistiæ tamquam viaticum pro migratione ex hac vita debet ex præcepto diuino, sumi posse à non ieiuno, quando nequit commodè tempus matutinum ieiunus expectare; vel quia Ecclesia non vult in eo casu obligare prohibitione non sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, vel quia in eo articulo, siue physico siue morali, est præceptum diuinum sumendi Eucharistiã, quod, vtpote diuinum, & materiæ maioris considerationis, præferendum est dictæ prohibitioni Ecclesiasticæ.

Addidimus, *quando nequit commodè tempus matutinum ieiunus expectare*, quia non sufficit, quòd infirmus possit vna vel duabus horis post mediam noctem commodè ieiunus expectare, vt non possit ab ipso non ieiuno Eucharistia sumi, quia tunc non tenetur diutiùs differre sumptionem cibi aut potus, quia nequit absque considerabili incommodo ob nimiam infirmitatem, neque tenetur curare vt intempestiua nocte ad se afferatur Eucharistia, quia id regulariter fieri nequit absque considerabili incommodo (imò in ea hora nequit satis honorificè afferri) Ecclesia autem non vult adeò infirmum grauare. Ob quod non est scrupulosè procedendum in administrando Eucharistiam sic infirmo non ieiuno, vt Ecclesiæ consuetudo declarat.

Est

Est tamen difficultas, An in eadem infirmitate possit infirmus non tantùm semel, sed iterùm atque iterùm non ieiunus communicare, quando ieiunus nequit commodè expectare: & procedit, quando in eodem periculo mortis perseuerat, & illud non euasit: quia quando non perseuerat in eodem periculo mortis, sed illud euasit, nequit non ieiunus iterùm communicare.

Circa hanc difficultatem supponimus, quòd quando status eiusdem infirmitatis ita variatur, vt infirmus, qui fuit in periculo mortis, ab eo liberatus fuit, & posteà iterùm incidit in periculum mortis, tunc toties potest ab ipso non ieiuno Eucharistia sumi, quoties sit in nouo periculo, quamuis eadem infirmitas perseueret; quia tunc sunt noui articuli necessitatis (non minùs ac quando in diuersis infirmitatibus, in qualibet contingit articulus mortis) imò pro nouis illis periculis mortis esse nouam obligationem sumendi Eucharistiam, indicat Vasquez disp. 11. c. 4. in fine, quod plures negant.

Est ergo punctum difficultatis, An in eadem infirmitate, eodem periculo mortis perseuerante, possit infirmus non tantùm semel, sed etiam iterùm atque iterùm non ieiunus communicare, quando nequit commodè ieiunus commodum tempus expectare.

Vasquez. Ægidius. Ochagau. Vasquez vbi suprà, Ægidius q. 80. num. 52. & Ochagauia q. 12. docent, infirmum, postquam semel sumpsit Eucharistiam vt viaticum (id est pro articulo mortis, siue physico siue morali) siue eam ieiunus siue non ieiunus sumpserit, non posse iterùm in eadem infirmitate, quamuis periculum mortis perseueret, & quamuis post primam sumptionem mortaliter peccauerit, Eucharistiam non ieiunum sumere, quia infirmus pro periculo mortis excusatur à prohibitione Ecclesiastica sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, quando aliter nequit commodè, quia occurrit cum præcepto diuino communicandi pro eo periculo, quod præferendum est dictæ prohibitioni Ecclesiasticæ: sed postquam infirmus semel pro periculo mortis communicauit, ita satisfecit præcepto diuino communicandi, vt pro eodem periculo non teneatur ex diuino illo præcepto iterùm communicare, quamuis post primam sumptionem Eucharistiæ mortaliter peccauerit, vt dicemus Disput. x. Diffic. 11. Ergo postquam infirmus semel pro periculo mortis communicauit, nequit iterùm pro eodem perseuerante non ieiunus communicare, quia post primam sumptionem nullum extat diuinum præceptum iterùm communicandi, quo excusari possit à prohibitione Ecclesiastica communicandi post fractionem ieiunij.

Suarez. Henriq. Toletus. Reginald. Tabienna. Armilla. Suarez verò disp. 78. sect. 5. Henriquez lib. 8. cap. 50. Toletus lib. 6. cap. 15. Reginaldus lib. 29. num. 120. Tabienna v. *Communicare*, num. 48. & Armilla num. 18. docent, infirmum in eodem periculo mortis perseuerantem, quamuis post primam sumptionē Eucharistiæ non peccauerit mortaliter, posse iterùm atque iterùm non ieiunum communicare, quando commodè nequit tempus commodum expectare, & meritò: quia à prohibitione Ecclesiastica sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, excipiuntur ab ipsa Ecclesia infirmi in periculo mortis constituti, quando aliter commodè nequeunt, absque ea limitatione, nempe vt semel tantùm fiat: ergo prohibitione illa non tenentur pro periculo mortis, ac proinde poterunt pro eodē periculo non ieiuni sæpè communicare. Quòd autem infirmi pro periculo mortis ab Ecclesia excipiantur à dicta prohibitione, quando aliter commodè nequeunt, non leuiter indicatur in Concilio Constantiensi sess. 13. dum dicitur: *Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit & seruat, vt hoc Sacramentum non possit recipi à non ieiunis, nisi in casu infirmitatis* (subintellige periculosæ) *aut alius necessitatis à Iure vel ab Ecclesia concesso vel admisso.* vbi exceptio hæc sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij in casu periculosæ infirmitatis, tribuitur auctoritati canonum, & consuetudini Ecclesiæ, & etiam concessioni vel admissioni factæ à Iure vel ab Ecclesia, & non occursui cum diuino præcepto. Et quidem satis credibile est, casum hunc pro periculo mortis exceptum fuisse, vel consuetudine ipsa Ecclesiæ, si media hac introducta fuit prohibitio illa; vel ab Apostolis, si lata fuit ab ipsis, vtpote communem, & sæpè contingentem.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus, ex eo posse infirmum pro periculo mortis non ieiunum communicare, quando aliter commodè non potest, quia prohibitio dicta occurrat cum diuino præcepto communicandi pro eo periculo; sed quia casus iste fuit semper à prohibitione illa exceptus, & absque ea limitatione, vt semel tantùm fiat. Quod non leuiter indicatur in Concilio Constantiensi sess. 13. in qua fit mentio dictæ exceptionis, & pro causa ipsius non redditur occursus cum diuino præcepto: sed nullâ redditâ causâ, exceptio illa reducitur ad auctoritatem canonum, & ad Ecclesiæ consuetudinem, & ad concessionem vel admissionem Iuris vel Ecclesiæ.

Doctores tamen nostræ sententiæ ferè omnes, pro repetitione Eucharistiæ sumendæ ab infirmo periculosè ægrotante non ieiuno, requirunt interuallum aliquorum dierum inter vnam & alteram Communionem. Suarez & Reginaldus requirunt interuallum octo dierum, Henriquez interuallum septem dierum, Tabienna interuallum sex dierum, Toletus interuallum aliquorum dierum, illud non determinans, Armilla verò nullum assignat, absque dubio credens, repeti posse quoties potest à sano ieiuno, quod in Concilio Constantiensi vbi suprà indicari videtur, dum excipit infirmos absque vlla limitatione, quo videtur indicare, toties posse ab illis non ieiunis sumi, quoties à sanis ieiunis.

Suarez. Reginald. Henriq. Tabienna.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm Sacerdoti existenti extra periculum mortis, sit licitum aliquando non ieiuno Eucharistiam sumere.

COnueniunt Doctores, in tribus sequentibus casibus Sacerdotem non ieiunum posse Eucharistiam sumere extra periculum mortis. Primus est, quando est necessarium perficere Sacrificium, vt quando Sacerdos incautè pro vino consecrando aquā calici infudit, & posteà calicem sumens percipit esse aquam; quia tunc etiam facto naturali ieiunio, sumptione illius aquæ, debet iterùm vinum modicissimæ aquæ mixtum infunde-

re & consecrare, & consecratum sumere, vt Sacrificium, quod ex consecratione vtriusque speciei essentialiter coalescit, perficiat, quia præceptum perficiendi sacrificium, præterquam quod est diuinum, est etiam maioris considerationis, quàm prohibitio Ecclesiastica sumendi Eucharistiam facto naturali ieiunio. Et idem dicendum est, quando vnus Sacerdos post consecrationem non potuit consumere species consecratas, quia tunc alius, quamuis non ieiunus, si alius ieiunus deficiat, debet illas consumere, vt dicitur in Concilio Toletano VII. can. 2. quia præterquam quòd præceptum consumptionis Sacrificij iuxta plurium sententiam est diuinum, est etiam maioris considerationis, quàm prohibitio communicandi post fractionem ieiunij; quia consumptio Sacrificij, quod est res maximæ considerationis, pertinet ad ipsius integritatem accidentalem.

Secundus casus, in quo Doctores conueniunt posse Eucharistiam à Sacerdote non ieiuno sumi, est, quando imminet periculum irreuerentiæ inferendæ Eucharistiæ ipsi, siue ab infidelibus, siue à bestia aliqua Eucharistiam deuoratura, aut periculum incendij, aut alius indecentiæ futuræ circa Eucharistiam; quia tunc potest à Sacerdote non ieiuno consumi, imò, deficiente Sacerdote, à laico, quia maioris ponderis est, Eucharistiam liberari ab irreuerentia vel ab indecentia, quàm eam à non ieiuno sumi. Et ob eamdem rationem laicum, qui inaduertenter accessit ad altare ad communicandum, & postea recordatur se non esse ieiunum, si nequeat ab altari ante Communionem absque graui nota discedere, potest non ieiunus communicare, quia scilicet maioris ponderis est, notam illam non incurrere, quàm non ieiunum communicare.

Tertius casus, in quo Doctores conueniunt, est, quando, consumptis speciebus panis & vini, remanet à casu in Calice particula aliqua speciei panis, quia in Missali Romano in Rubricis de Defectibus dispositionis statuitur, vt tunc particula illa digito ad labrum Calicis adducatur, aut vino infuso sumatur in ipso, vbi vtriusuis datur optio: at quando Sacerdos eligit vinum infundere, vt in ipso illam sumat, regulariter contingit, quòd particula aliqua vini priùs deglutiatur, quo ieiunium naturale frangitur, quàm particula illa speciei panis. Ratio, quæ huius communiter redditur, est, quia lex illa ieiunij ante sumptionem Eucharistiæ tantùm obligat pro actione totali sumendi Eucharistiam, non pro singulis particulis actionis sumendi illam: & quia tunc Sacerdos ante actionem totalem ieiunus erat, ideò nihil refert, si non sit ieiunus, ad partem aliquam sumptionis Eucharistiæ, nempe illarum reliquiarum Eucharistiæ; quia ad eamdem actionem seu sumptionem totalem cum partibus sumptionis præcedentibus moraliter pertinet. Ratio tamen hæc nobis non probatur, quoniam secundùm eam non esset contra prohibitionem sumendi Eucharistiam, post fractionem ieiunij sumere scienter aliquid cibi ante sumptionem reliquiarum. Ratio ergo huius desumitur ex voluntate Ecclesiæ, quæ in eo casu vult fractionem ieiunij non impedire; sicut etiam vult non impedire, quando in Feria sexta Parasceues ex præcepto ipsius particula Hostiæ consecratæ remanentis ex Feria quinta infunditur vino non consecrato, & in ipso sumitur, & tamen regulariter contingit, quòd particula aliqua vini priùs deglutiatur, quàm particula illa hostiæ consecratæ.

Quartus casus, in quo Doctores non conueniunt, est, quando post sumptam ablutionem calicis Sacerdos reperit in altari, aut in patena, aut in calice particulam aliquam Eucharistiæ, quia Caietanus in Summa v. *Missæ celebratio*, Vasquez Caietan. disp. 211. n. 51. Ægidius quæst. 80. n. 65 & plures Vasquez. alij docent, posse post sumptam ablutionem sumi. Ægidius

Rosella v. *Eucharistia* 3. num. 13. & alij docent, non posse sumi, quia est contra prohibitionem sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, sed reponendam esse in sacrario. Rosella

Nos tamen existimamus, particulam relictam post sumptam ablutionem non posse sumi, sed reponendam esse in sacrario, quando absque periculo irreuerentiæ, & indecentiæ, & perditionis particulæ relictæ, aut alicuius partis illius reponi & seruari potest (vt potest contingere, quando particula est speciei panis, & grandiuscula) quia tunc absque causa aliqua excusante à prohibitione sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij, sumitur à non ieiuno: posse verò, imò & debere sumi, quando reponi & seruari nequit absque periculo aliquo ex dictis (vt contingere potest, quando particula relicta est Sanguinis, aut quando si est Corporis est nimis parua, aut quando est madefacta in calice) quia tunc materia dictæ prohibitionis non manet apta prohibitioni, quia tunc sumere particulam illam, est maioris reuerentiæ erga Eucharistiam, quàm non sumere, quia fractum sit ieiunium. Et ob hanc rationem, quando Hostia adhæret palato possunt multiplicari ablutiones, vt deglutiatur; & potiùs istæ sunt multiplicandæ, quàm Hostia tactu digiti, præsertim laici communicantis, sit à palato dimouenda.

Tandem conueniunt Doctores, Sacerdotem non ieiunum, quamuis deficiat Hostia pro infirmo existente in articulo mortis, non posse Missam celebrare, vt in ea consecret Hostiam pro illo, & meritò: quia maioris ponderis est, vt non ieiunus abstineat à Communione, quàm quòd ægroto iustificato illam administret pro augmento iustitiæ, & pro abundantia auxiliorum ad perseuerandum, cùm auxilia necessaria & sufficientia ad id etiam dentur absque Eucharistia, imò & alia plura non necessaria.

Id verò quod docet Maior in 4. d. 9. q. 3. nempe Sacerdotem non ieiunum posse Hostiam secretò absq; ritu Ecclesiastico consecrare pro ægroto existente in articulo mortis, falsum est, quâuis Sacerdos sit ieiunus, & est contra communẽ sententiam; quia maioris ponderis est, non consecrare Eucharistiam contra vniuersalẽ Ecclesię consuetudinem, quam eam administrare ęgroto deobligato ad eam suscipiẽdam defectu copiæ ipsius Eucharistiæ. Et multò magis falsum est, quod in casu dicto videtur supponere, nempe, Sacerdotem posse panẽ tantùm consecrare, & eum administrare ægroto, absque eo quòd ipse de eo participet: quia præterquam quòd, vt dicemus Tract. de Sacrificio Missæ, Disput. 1. Iure diuino necessarium est, quòd vtramque speciem consecret, & secundùm plurium sententiam, quòd ipse communicet, vt sic Sacrificium perficiat; & quodlibet ex his duobus, saltem prius, est multò maioris ponderis, quàm ægroto illi Eucharistiam conferre.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XVIII.

Quotuplex sit modus sumendi Eucharistiam.

CONueniunt Doctores, Eucharistiam posse tribus modis sumi, nempe Sacramentaliter tantùm, & spiritualiter tantùm, & Sacramentaliter & spiritualiter simul. Diuisionem hanc modi sumendi Eucharistiam in tres dictos modos, approbat Tridentinum sess. 13. c. 8. & addit eam rectè traditam fuisse à Patribus.

Ille dicitur Eucharistiam Sacramentaliter tantùm sumere, qui re ipsa sumit illam, & non fructum illius; vt peccator qui illam indignè sumit: & ille dicitur Eucharistiã spiritualiter tantùm sumere, qui re ipsa non sumit illam, sed tantùm fructum spiritualem illius media fide viua Eucharistiæ, & medio voto seu desiderio suscipiendi illam. Dicitur autem fructus iste à Tridentino & à Doctoribus fructus Eucharistiæ, non quia fides viua illius, & votum illam sumendi, conferant fructum aliquem ex opere operato, quia nullum ex opere operato conferunt, in quo Doctores conueniunt, quia ad id nullum est fundamentum; sed quia fructus ille oritur ab ipsa Eucharistia vt ab obiecto, quia Eucharistia fide viua iusti credita, & voto desiderata, confert obiectiuè illum fructum ex opere operantis; quia actus fidei Eucharistiæ, & votum illius, qui habent pro obiecto Eucharistiam, conferunt meritoriè augmentum gratiæ, quamuis ei augmento non sint annexa auxilia ad finem Eucharistiæ. Ille tandem dicitur Sacramentaliter & simul spiritualiter sumere Eucharistiam, qui eam re ipsa sumit, & etiam fructum spiritualem illius; vt iustus, qui illam sumit.

Addimus, Eucharistiam posse etiam alio quarto modo sumi, nempe materialiter, vt sumitur, quando manducatur à bestia, quia bestiæ non est Sacramentum.

DIFFICVLTAS XIX.

Vtrùm Eucharistia possit infantibus ministrari.

CIrca hanc difficultatem tria examinanda sunt. Primum est, an infantes sint capaces sumptionis Sacramentalis Eucharistiæ: secundum, an sint capaces fructus spiritualis illius: tertium est, an possit illis licitè ministrari.

Circa primum recentiores nonnulli existimant, infantes non esse capaces Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, quia qui ignoranter sumunt panem aut vinum consecratum, credentes se panem communem aut vinum commune sumere, non sumunt Eucharistiam Sacramentaliter, sed materialiter: ergo etiam infantes, quamdiu in eo statu sunt, quia in eo ignorant id, quod accipiunt esse Sacramentum. *Vasquez.*

Vasquez verò disp. 212. cap. 2. docet, infantes etiam pro eo statu esse capaces Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, non minùs quàm Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: & id supponunt communiter Doctores, & meritò: quia Eucharistia est infantibus Sacramentum, non minùs quàm Baptismus, Confirmatio, & Ordo; quia, vt statim dicemus, ex opere operato confert illis augmentum gratiæ, quod non efficeret, si non esset illis Sacramentum.

Ad rationem aduersariorum respondemus, discrimen esse inter ignorantes sui compotes, & inter infantes: quia priores non tãtùm ignorant id quod manducant, sed etiam habent voluntatem contrariam, sumendi videlicet illud vt quid commune, & non vt Sacramentum, quia credentes se panem communem sumere, volunt vt panem communem sumere, ac proinde vt non Sacramentum: infantes verò quamuis ignorent quod sumunt, & careant voluntate sumendi Eucharistiam vt Sacramentum, non tamen habent voluntatem contrariam, nempe sumendi illam vt non Sacramentum. Bruta autem, & non baptizati non sunt capaces Sacramẽtalis sumptionis Eucharistiæ, sed tantùm materialis sumptionis illius; quia quamuis possint Eucharistiam re ipsa sumere, non tamen vt Sacramentum, quia non est illis Sacramentum.

Circa secundum Alexander 4. parte, quæst. 11. memb. 2. art. 3. Paludanus, & Maior in 4 dist. 9. q. 1. Sotus dist. 12. q. 1. art. 9. Petrus Sotus de Institut. Sacerdotum lib. 8. de Eucharistia, & Caietanus q. 80. art. 12. docent, infantes non esse capaces fructus spiritualis, quẽ Eucharistia ex opere operato confert: Primò, quia Eucharistia confertur tamquam cibus ad nutritionem spiritualem: ergo sicut ad corporalem nutritionem faciendam medio cibo, requiritur cooperatio vitalis viuentis circa cibum, qua cibus digeratur; ita etiam ad nutritionem spiritualem faciendam media Eucharistia, aliquis actus vitaliter spiritualis circa illam, vt actus deuotionis circa Eucharistiam, quem infantes habere non possunt; ergo non sunt capaces nutritionis, seu fructus spiritualis Eucharistiæ. Secundò, quia fructus spiritualis Eucharistiæ est instar nutritionis, ad instaurandum quod amissum est: infantes autem post generationem spiritualem medio Baptismo factam, nihil spirituale possunt amittere; ergo non sunt capaces fructus spiritualis Eucharistiæ. *Alexand. Paludan. Sotus. Caietan.*

Richardus verò artic. 15. Ledesma 1. p. 4. q. 21. art. 9. dub. 5. Alanus 2. de Eucharist. c. 37. Corduba lib. 1. q. 8. Vasquez cap. illo 2. Suarez disp. 62. sect. 4. & Ægidius q. 80. nu. 77. docent, & meritò, infantes capaces esse fructus spiritualis, quem Eucharistia confert ex opere operato, & eum recepturos, si Eucharistiam recipiant. Ratio huius desumitur ex consuetudine, quæ antiquitus fuit in Ecclesia in variis Prouincijs, conferendi Eucharistiam infantibus, vt constat ex Dionysio cap. 7. de Ecclesiastica Hierarchia, & ex Cypriano lib. de Lapsis, & ex Gregorio Magno in suo Missali veteri, quod Romæ extat: & id maximè indicat Tridentinum sess. 21. c. 4. & id fuisse in Hispania consuetum, supponit Concilium Toletanum II. can. 11. At si Eucharistia non posset infantibus prodesse quoad fructum augmenti gratiæ, ad quem primariò & principaliter instituta est, dicta consuetudo fuisset illicita, quia contra reuerentiam cuiuscumque Sacramenti est, illud administrare quando frustrandum est suo primario & principali fructu. Id autem nequit Ecclesiæ attribui, præsertim, quia Tridentinum cap. illo 4. affirmat, dictam consuetudinem, si fuit, non esse damnandam. *Richardus. Ledesma. Alanus. Corduba. Vasquez. Suarez. Ægidius. Dionysius. Trident.*

Et quidem absque sufficienti fundamento negatur, Eucharistiam non conferre infantibus augmentum

mentum gratiæ, cuius aliàs sunt capaces, & media Confirmatione accipiunt, quia fundamenta desumpta ex analogia nutritionis spiritualis ad corporalem, nullius momenti sunt ad id probandum: quia similitudo inter vtramque non tenet in omnibus, quia non tenet in eo quòd ad spiritualem debeamus actiuè cooperari, vt diximus Disp. VIII. Difficult. III. neque in eo quòd spiritualis ordinetur ad instaurandum aliquid quod per peccatum veniale amissum sit, quia per peccatum veniale nihil sanctitatis & gratiæ amittitur; sed in eo tenet quòd ordinatur ad augmentum sanctitatis & gratiæ in iusto, sicut corporalis ad augmentum substantiæ in viuente.

Circa tertium, in Ecclesia Latina consuetudine introducta est prohibitio conferēdi Eucharistiam infantibus ante vsum rationis, adhuc in articulo mortis, & satis conuenienter; quia ex vna parte nullum est præceptum diuinum, quo teneamur infantibus Eucharistiam conferre, quia de eo non constat; & ex altera parte, in collatione Eucharistiæ infantibus multa contra reuerentiam Eucharistiæ possunt accidere, præsertim postquam ex præcepto Ecclesiæ sola species panis laicis confertur, quia hæc ab infantibus pro ætate infantili difficilè deglutiretur.

DIFFICVLTAS XX.

Vtrùm Eucharistia possit amentibus ministrari.

SVpponimus Primò, amentes etiam à natiuitate & perpetuò, capaces esse Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, & fructus spiritualis augmenti gratiæ, quem ex opere operato confert, non minùs quàm infantes, quia omnium eadem est ratio.

Supponimus Secundò, amentibus ab infantia, qui numquam ad vsum rationis peruenerunt, non posse licitè Eucharistiam conferri adhuc in articulo mortis (sicut neque infantibus) quia id consuetudine prohibitum est.

Difficultas ergo est de amentibus, qui aliquando vsi sunt ratione, & posteà in amentiam inciderunt, an eis possit licitè Eucharistia conferri.

Alexand. Gabriel. Alexander 4. parte, q. 11. memb. 2. art. 3. & Gabriel in 4. dist. 9. quæst. 2. art. 3. dub. 4. partem negatiuam tuentur: quia vt aliquis possit licitè Eucharistiam recipere, debet se ipsum probare an sit in statu gratiæ, & inter hunc cibum spiritualem & inter cibum communem diiudicare, quæ amentes nequeunt efficere.

S. Thomas. Paludanus. Sotus. Vasquez. S. Thomas verò quæst. 80. art. 9. Paludanus in 4. dist. 9. quæst. 4. art. 2. Sotus dist. 12. q. 1. art. 9. Vasquez disp. 212. c. 3. & communiter Theologi partem affirmatiuam meritò tradunt, quæ decernitur aut supponitur in Concilio Carthaginensi IV. *Concilium Carthagin.* can. 74. qui refertur 26. q. 6. can. *Iis qui*: & in Concilio Arausicano cap. 3. quod refertur d. quæst. 6. *Arausic. Toletā.* II. can. *Qui recedunt*: & in Concilio Toletano II. can. 11. Quod autem respondent Alexander & Gabriel, in dictis Canonibus sermonem esse de ijs qui non sunt omnino amentes, friuolum est, quia in Concilio Carthaginensi sermo est de ijs, qui ita in amentiam inciderunt, vt nullo modo confiteri possint.

Ratio huius nostræ doctrinæ est, quia in primis prædicti amentes sunt capaces Sacramentalis sumptionis Eucharistiæ, & augmenti gratiæ, quod est primarius effectus illius, non minùs quàm infantes. Deinde, prudēter creditur, illos ante amentiam habuisse voluntatem sumendi Eucharistiam, si non voluntatem specialem, saltem generalem, qua quis Catholicè viuens desiderat vti medijs Ecclesiæ, vel ea sibi conferri quando ipsis indigeat. Et tandem id nullo Iure positiuo prohibetur, imò in dictis Canonibus vel præcipitur, vel saltem commendatur. Ergo illis potest licitè Eucharistia conferri, dummodò non constet, proximè ante amentiam fuisse in peccato mortali notorio.

Conferenda autem est illis Eucharistia non quotannis, ob reuerentiam Eucharistiæ, sed pro viatico in articulo mortis, siue physico siue morali, vt docent communiter Theologi, vt in articulo tantæ necessitatis non priuentur fructu Eucharistiæ. Et sic fieri solitum est in Ecclesia. Ad id autem non requiritur, quòd ipsi se ipsos probent an sint in statu gratiæ, quando ipsi non possunt; quia tunc sufficit, quòd id à ministro prudenter præsumatur: neque requiritur, quòd diiudicent inter dictos cibos, quando ipsis confertur Eucharistia, sicut neque diiudicat cordatus, qui naturaliter distractus Eucharistiam suscipit.

Addimus, Eucharistiam posse etiam conferri, & conferendam esse semifatuis, seu non omnino amentibus, quia nullo Iure sunt prohibiti: ob reuerentiam tamen Eucharistiæ non esse illis conferendam, nisi in articulo mortis physico aut morali, & tempore Paschatis, quando adest præceptum suscipiendi Eucharistiam.

DIFFICVLTAS XXI.

Vtrùm Eucharistia possit energumenis ministrari.

COnueniunt Theologi, energumenis, seu dæmoniacis, qui non fuerunt ob peccatum aliquod mortale à dæmone obsessi, non esse negandam Eucharistiam, quia nulla lege est illis prohibita, etiamsi tempore Dionysij & Concilij Elibertini omnibus aut aliquibus energumenis, ex causa aliqua rationabili negaretur Cōmunio per viam; & etiam interesse consecrationi, vt deducitur ex ipso Dionysio de Ecclesiastica Hierach. cap. 3. & ex Concilio Elibertino cap. 29. Addidimus *per viam*, quia in extremo vitæ illis conferebatur, vt idem Concilium decreuerat cap. 37.

Est tamen difficultas, An energumenis ob peccatum aliquod mortale obsessis, possit Eucharistia licitè conferri.

Alexander p. 4. q. 11. memb. 2. ar. 3. S. Thomas *Alexan.* in 4. dist. 9. q. vnica, artic. 5. quæstiunc. 3. Armilla *S. Thom.* v. *Communio*, n. 25. & Siluester v. *Eucharistia*, 3. *Armil.* p. 5. partem negatiuam tuentur. S. Thomas verò *Silueste.* 3. p. q. 80. art. 9. Vasquez disp. 212. c. 4. Sotus in 4. *Cypri.* dist. 12. quæst. 1. artic. 9. & Bonacina quæst. 6. *Paludan.* punct. 1. partem affirmatiuam tradunt, & meritò, quia nulla lege prohibitum est illis Eucharistiam conferri. *Sotus* *Bonacin.*

DIFFI-

DIFFICVLTAS XXII.

Vtrùm conueniens sit quotidie Eucharistiam sumere.

SVpponimus Primò, non solùm non esse conueniens, sed etiam Iure Ecclesiastico prohibitum Sacerdotibus, in eodem die plus quàm semel celebrare, vt constat ex can. *Sufficit*, de Consecratione, qui est Alexandrini II. & ex ca. *Consuluisti* 3. de Celebratione Missarum. Et eamdem prohibitionem vsu Ecclesiæ extensam esse ad laicos, ne in eodem die plus quàm semel communicent. Permittitur tamē Sacerdotibus in dicto cap. *Consuluisti*, vt in die Natalis Domini tres Missas celebrent: laicis verò nūquam permittitur plus quàm semel in die communicare, nisi quando necessarium sit iterùm Eucharistiam sumere ad impediendam iniuriam aut irreuerentiam Eucharistiæ inferendam, ne in manus infidelium veniat, vel ne incendatur, & ne quis decedat sine Viatico, qui post Communionem in sanitate aut extra periculum factam incidit in eodem die in periculum mortis, de quo dicemus Disput. x. Diffic. 11.

Supponimus Secundò, nullo Iure Ecclesiastico vniuersali, nec scripto, nec consuetudine introducto, prohibitum esse quotidie semel communicare (quamuis in aliquibus diœcesibus id prohibitum inueniatur) & multò minùs prohibitum esse Iure diuino; aliàs in primitiua Ecclesia non fuisset in consuetudine quotidie communicare, vt verè fuit, imò & Iure Ecclesiastico præceptum, vt dicemus Disput. x. Diffic. 111. Et sanè id non est prohibitum Iure diuino positiuo, quia non inuenitur, nec scriptum, nec traditione, nec alio modo traditum: nec prohibitum est Iure diuino naturali, quia nulla irreuerentia positiua irrogatur Eucharistiæ in eo quòd quotidie sumatur.

His præsuppositis, difficultas est, An sit decens & conueniens, omnes cuiuscumq; status quotidie cōmunicare, si sint in statu gratiæ, & confessionem post peccatum mortale commissum præmittant.

Recentiores nonnulli docēt, id esse conueniens, laudabile, & consulendum. Quod Primò satis significat Paulus 1. ad Corinth. 11. dum consulit, vt homo seipsum probet, & probatus Eucharistiam sumat: ergo qui seipsum probat quotidie, meliùs & conuenientiùs facit, si quotidie cōmunicet, quia facit secundùm consilium Pauli. Secundò idem significare videtur Christus verbis illis apud Marcum cap. 6. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quia illis hortatur nos, vt quotidie petamus, & sumamus Eucharistiam, quia nomine *panis* in eis verbis intelligitur Eucharistia à Hieronymo in cap. 6. Matthæi, & ab Augustino Serm. 28. de Verbis Domini, & de Dono perseuerantiæ cap. 24. & à Cypriano Tract. de Oratione Dominica, & ab Ambrosio lib. 5. de Sacram. cap. 4. qui sic ait: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis? Quotidie accipe, vt quotidie tibi prosit.* Tertiò id maximè indicāt Ambrosius & Augustinus vbi suprà, dum docent, qui non meretur quotidie accipere nempe Eucharistiam, non meretur post annum accipere; ergo secundùm ipsos quotidie non minùs conuenienter sumitur Eucharistia, quàm post annum. Quartò id expressisse videtur Tridentinum sess. 22. c. 6. dum optat, vt fideles in singulis Missis adstantes communicent. Cui accedit declaratio Cardinalium Volum. 4. Decisionum Rotæ, in Declaratione sess. 22. Tridentini c. 6. vbi ait: *Obstat Tridentinum Episcopo volenti præscribere certa tēpora, vt est dies Dominicus, Feria quarta, & Feria sexta, in quibus tantum liceat viris & mulieribus coniugatis sacratissimam Eucharistiam sumere.* Quintò id maximè indicatur in can. *Si non sit*. de Consecratione, dist. 2. dum dicitur: *Si non sunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non se debet a medicina Corporis & Sanguinis Domini separare.* quibus satis significat, conueniens esse quotidie communicare, quia non est conueniens à medicina abstinere.

Hieronym. August.

Cypriamus. Ambros.

Trident.

Et ratione probatur Primò: nam in Ecclesia primitiua fideles quotidie communicabant, vt deducitur ex Actorum 2. & absque dubio conuenienter & laudabiliter fiebat; ergo etiam modò fiet. Secundò, quia sola temporis dilatione nullus meliùs disponitur ad sumptionem Eucharistiæ; ergo qui post vnum mensem sumit Eucharistiam, non sumit illam meliùs dispositus, quàm qui illam sumit die immediatè sequente; ergo si post vnum mensem illam conuenienter & laudabiliter sumit, etiam sumet conuenienter & laudabiliter die immediatè sequente.

S. Thomas verò & Ægidius q. 80. art. 10. Vasquez disp. 214. num. 26. Suarez disp. 69. sect. 4. & communiter Doctores docent, & meritò, non esse conueniens nec laudabile, regulariter omnes cuiuscumque status quotidie communicare, quamuis in statu gratiæ inueniantur, & post mortale commissum Sacramentaliter confessi. Quod significat Auctor de Ecclesiasticis dogmatibus apud Augustinum c. 53. dum ait, *Quotidie communicare, nec laudo nec reprehendo.* Quod etiam videtur tradere Augustinus. Epist. 118. Et id non leuiter confirmatur ex eo quòd in aliquibus diœcesibus est prohibitum, & etiam ex vsu Ecclesiæ, in qua pro nunc etiam ex consilio piorum & etiam doctissimorum virorum rarissimè, & à paucissimis, Eucharistia quotidie sumitur, & non nisi ab hominibus probatissimæ virtutis.

S. Thomas. Ægidius. Vasquez. Suarez.

Ratio huius nostræ & communis doctrinæ desumitur ex maxima reuerentia tanto Sacramento debita: quia tanta sumptionis illius frequentia ab eo, qui absque magna deuotione & præparatione (qualis regulariter non reperitur in omnibus cuiuscumq; status) illud sumit, non congruit maximæ reuerentiæ tanto Sacramento exhibendæ; quia tantum Sacramentum ob tantam sumptionis frequentiam absq; magna præparatione quodammodò vilescit. Quotidiana igitur Eucharistiæ sumptio, quamuis non sit illicita & reprehensibilis, tamen in omnibus non magnæ virtutis non est conueniens & congrua Eucharistiæ, nec eam decens, quamuis sumēti sit maximè vtilis ad augmentum gratiæ, quod quotidie cōfert quotidie illā sumenti.

Ad primum ergo fundamentum aduersariorum, desumptum ex Paulo 1. ad Corinth. 11. respondemus, Paulum ibi non exhortari ad frequentiam Eucharistiæ, nec eam consulere, imò nec ad sumptionem illius, sed tantùm docere & exprimere necessitatem probationis, quam quisque exhibere debet, vt possit Eucharistiam sumere.

Et Christus Matth. 6. nomine *panis* aut non intelligit Eucharistiam, sed auxilium gratiæ Dei, quo quotidie egemus, vt non moriamur spiritualiter:

aut si nomine *panis* intelligitur Eucharistia, vt Patribus relatis placet, ideò Christus & isti Patres exhortantur nos vt quotidie petamus & sumamus Eucharistiam, quia per se, & quantum est ex parte Eucharistiæ, vtilissimum nobis est, & ipsi Eucharistiæ honorificum & conueniens; seruatis tamen, quæ ad tantam frequentiam expediunt, nempe pura & sanctissima vita: & quia hæc tam pura & sancta vita pro nunc communiter & regulariter non reperitur in omnibus, ideò regulariter non expedit in omnibus quotidiana frequentia. Et eodem modo respondemus ad Tridentinum & ad Patres, qui ad frequentiam Eucharistiæ exhortantur, quòd scilicet loquuntur per se, quantum est ex parte Sacramenti. Vnde Christus, Tridentinum & Patres ad frequentiam Eucharistiæ exhortantes, implicitè exhortantur nos ad eam puritatem vitæ absque qua decentius est non sic frequentare. Imò ad id expressè exhortatur Ambrosius, dum post verba suprà relata immediatè subdit: *Sic viue, vt quotidie merearis accipere.* At dum ipse & Augustinus dicunt, *Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum:* nomine meriti intelligunt dispositionem requisitam & sufficientem ad dignam sumptionem, non ad laudabilem & decentem: & merito sic sumpto, verum est, quòd qui non habet dispositionem requisitam, & sufficientem vt dignè sumat Eucharistiam quotidie, non habet sufficientem vt dignè post annum sumat illam. Et quod ad declarationem Cardinalium attinet, præterquam quòd non est certum esse factam ab illis, quia desumpta fuit ex quodam manu scripto cuiusdam Iurisconsulti, vt dicitur in titulo illius libri; respondemus, in ea non faueri quotidianæ frequentiæ Eucharistiæ respectu eiusdem personæ de qua loquimur, quia in ea tantùm significatur esse contra desiderium Tridentini, ita præscribere dictos tres dies ad Communionem, vt in alijs nulli liceat, nec ei qui multo tempore anteà non communicauerat: imò etiam erit contra desiderium Tridentini, generaliter prohibere quotidianam Communionem, si non addatur, *nisi ex licentia Prælati, aut Confessary.*

Et in can. *Si non sunt*, nihil significatur de frequentia sumptionis Eucharistiæ, sed tantùm de sumptione ipsa secundùm se, & secundùm substantiam: & dicitur ab Eucharistia neminem debere abstinere, qui non sit in culpa, ob quam possit excommunicari, nempe in culpa mortali.

Ad primam verò rationem respondeo, concedendo, conueniens & laudabile fuisse in primitiua Ecclesia, fideles quotidie communicare, quia regulariter erant magno deuotionis & charitatis feruore affecti, & nunc non; & ideò nunc regulariter non esse conueniens.

Et ad secundam respondemus, concedendo, neminem sola temporis dilatione meliùs disponi, & consequenter, qui post vnum mensem sumit Eucharistiam, non ex eo sumere illam meliùs dispositum; nihilominùs eum post vnum mensem illam sumere conuenienter & laudabiliter, & non quotidie, quia tam frequenter illam sumere, absq; extraordinaria præparatione, cedit quodammodò in minorem reuerentiam Eucharistiæ, non verò quando non adeò frequenter.

DIFFICVLTAS XXIII.

Vtrùm Christus sumpserit suum Corpus & suum Sanguinem sub speciebus Sacramentalibus.

NOn defuerunt, vt refert S. Thomas quæst. 81. artic. 1. qui existimauerint, Christum non sumpsisse suum Corpus & Sanguinem: quod etiam docuit Lutherus lib. de Abroganda Missa priuata, vt refert Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. artic. 1.

Nihilominùs Scholastici omnes conueniunt, Christum suum Corpus & Sanguinem sub speciebus Sacramentalibus sumpsisse, quod tradunt Dionysius Areopagita de Cœlesti Hierar. cap. 4. Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam, dum ait: *Ipse conuiua & conuiuium, ipse comedens & qui comeditur:* & refertur in can. *Nec Moyses*, de Consecratione dist. 2. & Chrysostomus Homilia 83. dum ait: *Vt non turbarentur discipuli, prius Sanguinem suum bibit.* & Hesychius in cap. 8. Leuitici, dum ait: *Christus in cœna prius Sanguine accepit, deinde dedit discipulis.* Et id deducitur ex illo Matth. 26. *Non bibam amodò de genimine vitis.* quo Christus supponit se calicem illum sumpsisse. ibi autem sermo est de calice consecrato, vt expendit Vasquez disp. 196. cap. 4. & 5.

Fuit autem maximè conueniens, Christum suum Corpus & Sanguinem sub speciebus Sacramentalibus sumere, vt exemplo præiret, obseruando quæ obseruare præcepit.

Dissentiunt tamen Scholastici, an dicta sumptio, facta à Christo, fuerit Sacramentalis, an spiritualis: quia alij affirmant fuisse Sacramentalem, quia fuit sumptio Sacramenti; & non fuisse spiritualem, quia caruit fructu Sacramenti: alij contrà fuisse spiritualem, quia magna deuotione fuit facta; & non fuisse Sacramentalem, quia non fuit Christo mysteriosa.

S. Thomas verò, Vasquez q. 81. art. 1. & Sotus vbi suprà, & Suarez disp. 75. sect. 2. docent, fuisse Sacramentalem & spiritualem, quod nos existimamus verum, quamuis non omnino absolutè, sed cum addito. Et in primis fuit Sacramentalis, quia verè fuit sumptio Sacramenti; tamen quia Eucharistia non fuit Christo Sacramentum, quia non fuit illi signum practicum gratiæ Sacramentalis, ideò tantùm fuit Christo quodammodò Sacramentalis, nempe materialiter, & non formaliter. Deinde fuit spiritualis, quia fuit spiritualiter fructuosa, quia verè fuit spiritualiter meritoria apud Deum; tamen quia non fuit illi fructuosa ex opere operato, quoad fructum quem alijs dignè sumentibus confert ex opere operato, ideò tantum fuit Christo quodammodò spiritualis, & non absolutè & omnino.

DIFFICVLTAS XXIV.

Vtrùm Christus dederit suum Corpus Iudæ.

TVrrianus in Explanatione defensoria ca. 13. aliàs 16. lib. 5. Constitutionum Apostolicarum, existimat, Christum non dedisse Corpus & Sangui-

Sanguinem suum Iudæ: quod videntur tradere
Clemens. Clemens lib. 5. Constitutionum Apostolicarum dum ait: *Cum autem antitypa mysteria pretiosi Corporis & Sanguinis sui nobis tradidisset absente Iuda, exijt in montem Olineti.* Et Innocentius
Innocent. Hilarius. lib. 4. de Mysterijs Missæ cap. 13. & Hilarius cap. 30. in Matthæum, dum eodem modo loquitur
Clemens. Dionysius. ac Clemens, Et tradidisse videtur Dionysius Areopagita de Cælesti Hierarchia cap. 3. & deduci videtur ex Ioannis 13. dum refertur, Christum buccellam intinctam dedisse Iudæ, ipsum verò ea accepta continuò exijsse; buccella autem
Concilium Braccaren. illa non fuit Eucharistia, vt docent Concilium Braccarense III. & Iulius I. in Epistola ad Episcopos per Ægyptum, & refertur in can. *Cum omne*, de Consecratione, distinct. 2. & Petrus Damianus Epist. 64. & Augustinus Tract. 62. in Ioannem: & buccella illa data fuit Iudæ ante Eucharistiæ institutionem, quia credibile est, Christum ad finem cœnæ Eucharistiam instituisse; ac proinde Iudas ante institutionem Eucharistiæ exijt, & illam non recepit. & indicari videtur Matthæi 26. illis verbis: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.* Christus autem illud non bibit cum Iuda in regno Patris sui, ergo nec in cœna. Et ratione videtur probari, quia manifesto peccatori non potest Eucharistia conferri: Iudas autem ante institutionem Eucharistiæ erat manifestus peccator, quia Christus Matthæi 26. postquam dixit se esse tradendum ab vno ex discumbentibus, ipsi Iudæ interroganti, *Numquid ego sum Rabbi?* annuens coram omnibus respondit, *Tu dixisti*: ergo ipsi non potuit, ac proinde non fuit Eucharistia data.

S. Thomas. Suarez. Valentia. Vasquez. S. Thomas verò quæst. 81. artic. 2. Scholastici in 4. distinct. 11. Suarez disputat. 41. Valentia puncto 2. Vasquez disp. 217. & sacræ Scripturæ Interpretes communiter docent, Christum suum Corpus & Sanguinem dedisse Iudæ. Quod Pa-
Dionysius. tres communiter tradunt, præsertim Dionysius Areopagita cap. illo 3. quia in eo significat, Christum priuasse & exheredasse Iudam fructu Corporis & Sanguinis sui, quia indignè sumpsit, vt Vasquez expendit.

Et ratione probatur, quia ex vna parte negari non potest, Iudam cum Christo & cum Apostolis nocte illa vltima cœnasse, & in ea Eucharistiam fuisse institutam, quia ex Euangelio constat; & ex altera parte nullo firmo fundamento constat, Christum Iudæ Eucharistiam negasse; ergo. Et accedit, quòd si Christus Iudæ negasset Eucharistiam, prædictæ negationis, vtpote rei notabilis, absque dubio fieret mentio in Euangelio.

Ad testimonium ergo Clementis respondet Suarez, aut Clementem id dixisse ex propria opinione, & non ex Apostolica traditione; aut locum Clementis corruptum esse. Accedit, quòd non desunt viri eruditi, qui existimant, non esse certum dictos libros esse Clementis, saltem quoad aliquas partes. Et nos addimus, verba illa Clementis ita explicari posse, vt particula *absente Iuda*, non referatur ad tempus sumptionis Eucharistiæ, sed ad tempus quo Christus exijt in montem Olineti: & hoc posteriori modo potest exponi Innocentius, præsertim quòd ibi loquitur vt priuatus Doctor. Ad testimonium autem Dionysij, si attentè legatur, constat nobis fauere, non Turriano.

Ad testimonium Ioannis cap. 13. admittimus, vt prædicti Patres significant, buccellam illam non fuisse Eucharistiam, quia credi non potest Christum Eucharistiam intinxisse: sed an buccella data fuerit Iudæ ante vel post institutionem Eucharistiæ, sub controuersia est apud Patres, quia Augustinus, Petrus Damianus, & Beda existimant datam fuisse Iudæ post institutionem Eucharistiæ. Iuxta hanc autem opinionem non habet vim dictum testimonium contra nostram doctrinam. Iulius verò I. Serm. 3. de Passione, Baronius Tomo III. Annalium sub anno 34. § 63. existimant, datam fuisse Iudæ ante institutionem Eucharistiæ: quod non est parum verisimile, quia Christus saltem postquam ipse cœnauit, instituit Eucharistiam. Credi autem non potest, Christum, postquam cœnauit, sumpsisse buccellam illam, & intinxisse, sed quando ipse adhuc cœnabat. Et accedit, quòd à Matthæo cap. 26. prius refertur porrectio buccellæ, quàm institutio Eucharistiæ; ac proinde Lucas, qui id videtur referre post distributionem Eucharistiæ, id fecit per anticipationis figuram. Hac tamen sententia admissa, negandum est, Iudam post buccellam statim, absque interuallo aliquo sufficiente ad expectandam sumptionem Eucharistiæ, exijsse; quod quia breue fuit, potuit aptè particulâ illâ *continuo* significari.

Ad illud verò Matthæi 26. *Vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei*, respondemus, ad veritatē horum verborum non fuisse necessarium, vt cum omnibus, cum quibus illud bibit in cœna, nullo excepto, illud biberet nouum in regno Patris; quia particula illa *vobiscum* non est distributiua, nec ibi est affecta signo distributiuo.

Et ad rationem concedimus, peccatori manifesto non posse administrari Eucharistiam (quamuis id licuisset Christo, vtpote auctori Sacramentorum & gratiæ, vt aduertit Vasquez num. 31.) negamus tamen, Iudam ante institutionem Eucharistiæ fuisse manifestè detectum: quia neque fuit detectus signo illo, *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet*, quia post hæc verba speciatim Iudas interrogauit de se ipso, an ipse esset, quod non interrogasset, si sufficienter signo illo fuisset detectus: ideò autem signo illo non fuit detectus, quia signum illud erat etiam alijs Apostolis commune, quia etiam alij in eadem paropside cum Christo intingebant. Neque detectus fuit verbis illis, *Tu dixisti*, vel quia, vt ait Iansenius cap. 132. id adeò submissa voce dixit, vt *Iansenius.* solus Iudas intelligere posset, & forsan etiam aliquis alius; vel quia id ita dixit, vt alij id non aduerterent, vt ait Augustinus lib. 3. de Consensu *August.* Euangelistarum cap. 3. vel quia dictis verbis, & signo buccellæ, si aliquid expressit, solùm expressit traditionem posteà intendendam, & faciendam à Iuda, non propositum aliquod præsens, quod haberet: sicut etiam quando Christus dixit Petro, *ter me negabis*, non manifestauit prauum aliquem animum Petri negandi Christum, quem tunc haberet, sed tantùm manifestauit id quod posteà oblata occasione facturus erat. Quòd verò Christus anteà, quando lauabat pedes, dixisset, *& vos mundi estis, sed non omnes*, non vrget,

vt dicamus, posteà, quando expressit traditionem faciendam à Iuda, discipulos intellexisse iam in corde Iudæ esse prauum animum tradendi Christum, & ratione huius Christum anteà dixisse, *sed non omnes*: quia quamuis id sufficeret ad generandam aliquam suspicionem, non tamen ad generandum firmum nec prudens iudicium, quia verba illa pro tunc poterant proferri pro alio, præsertim quòd non manifestauit Iudam traditurum esse Christum.

DISPVTATIO X.

De præcepto sumendi Eucharistiam.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm sit præceptum sumendi Eucharistiam.

CERTVM est, esse præceptum Ecclesiasticum sumendi Eucharistiam, vt constat ex cap. *Omnis vtriusque sexus* 12. de Pœnitentijs & remissionibus.

Est tamen difficultas, An etiam sit præceptum diuinum.

Alexand. Bonauent. Alexander 4. p. quæst. 11. memb. 2. art. 4. Bonauentura in 4. dist. 12. parte 2. distinctionis, art. 1. quæst. 1. S. Thomas dist. 6. quæst. vlt. artic. 1. quæstiunc. 2. Gabriel in Canonem Missæ, lectione 87. littera X. Ferrariensis 4. contra Gentes c. 61. Siluester v. *Eucharistia* 3. docent, non esse præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, quia illud ex nullo fundamento constat: quia si ex aliquo, maximè ex illo Ioann. 6. *Nisi manducaueritis*, &c. ex eo autem non efficaciter deducitur, quia illud intelligi potest de sola manducatione spirituali per fidem.

Ferrarienſ. Siluester.

S. Thomas. Ægidius. Suarez. Vasquez. Valentia. S. Thomas verò par. 3. quæst. 80. art. 11. & ibidem Ægidius, Suarez disp. 69. Vasquez disp. 213. Valentia disp. 6. quæst. 8. puncto 4. & plures alij Doctores docent, & meritò, esse præceptum diuinum sumendi Eucharistiam. Quod etiam docuit *Innoc. III.* Innocentius III. lib. 4. de Mysterijs Missæ cap. 24. Esse autem præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, deducitur Primò ex illo Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, quia hac forma & hoc tenore verborum necessitas aliqua Eucharistiæ significatur; sed non necessitas medij, quia non est hoc modo necessaria, vt diximus Disput. 1. Difficul. vi. ergo necessitas dictis verbis significata, est præcepti à Christo his verbis lati. In eis autem verbis sermonem esse de manducatione carnis Christi sub speciebus, & non de spirituali, diximus Disput. 19. Difficult. 1. ex Tridentino sess. 13. c. 2. & sess. 21. cap. 1. & etiam ex Patribus.

Secundò idem deducitur ex illis verbis Lucæ 22. & 1. ad Corinth. 11 *Hoc facite in meam commemorationem*, in quibus verbis Iustinus Martyr in Apologia 2. pro Christianis ad Antonium Pium agnoscit præceptũ sumendi Eucharistiam à Christo latum: & etiam Tridentinum sess. 13. c. 2. vbi *Trident.* postquam dixit, Christum discessurum ex hoc mundo ad Patrem hoc Sacramentum instituisse, subdit: *Et illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem.* Tridentinum ergo sentit, in dictis verbis Lucæ contineri præceptum Christi sumendi Eucharistiam.

Vnde expositio eorum, qui dicunt, in illis tantùm contineri præceptum consecrandi, & non sumendi Eucharistiam; & expositio aliorum, qui dicunt in dictis verbis contineri præceptum non sumendi Eucharistiam, sed habendi intentionem expressam faciendi memoriam passionis Christi media sumptione ipsa, distinctam ab intentione sumendi Eucharistiam, reijciuntur ex dictis verbis Tridentini: quia quod Christus secundùm Tridentinum præcepit, fuit, vt sumptione ipsa recolamus memoriã passionis suæ. Præcepit ergo Christus sumptionem Eucharistiæ, & non tantùm consecrationem; & sic præcepit sumptionem, vt non præceperit intentionem illam recolendi passionem Christi superadditam intentioni sumendi Eucharistiam: quia quod præcepit, fuit, vt id sumptione ipsa efficeremus. quia qui Eucharistiam sumunt absque alia superaddita intentione, passionem Christi commemorant sumptione ipsa non formaliter & proximè, sed præsuppositiuè & remotè, quia scilicet sumptio supponit consecrationem, per quam mors Christi repræsentatur, vt dicimus Tractatu de Sacrificio Missæ, Disputat. 1. Difficultate VIII. & IX.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm præceptum sumendi Eucharistiam obliget pro articulo mortis.

NOmine *articuli mortis* etiam comprehenditur periculum mortis, quod moraliter est articulus mortis, & ipsi moraliter æquiualet quoad Communionem & confessionem.

Supponimus ergo, præceptum sumendi Eucharistiam semper obligare quasi in actu primo, seu habere vim obligandi pro suo tempore, & non semper obligare quasi in actu secundo, seu non obligare pro semper.

Est ergo difficultas, An obliget pro articulo mortis, seu, quod idem est, an in articulo mortis obliget quasi in actu secundo.

Caietanus in Summa v. *Communio Sacramentalis*, & Ledesma 1. par. 4. quæst. 21. art. 2. dub. 11. docent, nullum esse præceptum sumendi Eucharistiam specialiter prò articulo mortis obligans; ac proinde eum, qui tempore Paschatis communicauit, ampliùs non teneri in articulo mortis communicare; quia Christus non præcepit frequentiam Communionis, sed Communionem: qui autem in Paschate communicauit, verè dicitur communicasse. Addunt tamen, eum, qui in articulo mortis non sumit Eucharistiam, venialiter peccare, & non mortaliter, secluso contemptu, si tempore Paschatis communicauit. in quo etiam conueniunt Siluester v. *Eucharistia* 3. Armilla v. *Com-*

Victoria. Rodriguez. Sà.

munio num.4. Victoria in Summa num.86. & Rodriguez in Summa cap.64 de Communione n.3. Sà v. *Eucharistia.* num.1.

Durandus. Gabriel. Sotus. Valentia. Vasquez. Suarez. Ægidius.

Durandus verò in 4. dist. 9. quæst. 2. Gabriel quæst. 2. artic.2. concl.3. Sotus dist. 12. quæst.1. artic. 11. Valentia disput. 6.q.8. punct.4. Vasquez disput.213. Suarez disput.69. Ægidius quæst.80. art.11.dub.3.& communiter Doctores docent, & meritò, esse præceptum sumendi Eucharistiam obligans pro articulo mortis, etiamsi tempore Paschatis sumpta fuerit.

Concilium Nicænum.

Quod constat ex Concilio Carthaginensi IV. can.77.quod à Leone IV. approbatum fuit, dum absolutè & absque vlla limitatione præcipitur eis, qui in infirmitate (subintellige periculosa) sint, vt viaticum accipiant: & non leuiter deducitur ex Concilio Nicæno I. can. 12. qui refertur can. *De his* 26.quæst.6. dum Eucharistia sumenda in fine vitæ, dicitur viaticum necessarium; & ex consuetudine Ecclesiæ, in qua Eucharistia in articulo mortis sumitur tamquam quid ex obligatione necessarium, etiamsi tempore Paschatis sumpta fuerit. Consuetudo autem quo aliquid fit tamquam ex obligatione necessarium, vel supponit præceptum anteà latum, vel si non supponit, ipsa consuetudine introducitur.

Ex quo constat, eum qui in articulo mortis non sumit Eucharistiam, etiamsi eam tempore Paschatis sumpserit, peccare mortaliter, quia omittit præceptum rei grauis & magni momenti, & maioris quàm sit præceptum audiendi Missam, in cuius omissione nequit non agnosci peccatum mortale.

Præceptum autem sumendi Eucharistiam in articulo mortis, & vt viaticum (id est ad iter agendum ex hac vita ad alteram) in primis esse diuinum, quod vi sua pro eo articulo obliget, quamuis Ecclesia nihil præcepisset, docent communiter Doctores, & merito: quia supposito quòd sit præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, vt iam diximus esse, negari non potest, pro articulo mortis obligare, quia est accommodatissimum, vt pro eo articulo latum fuerit, cùm in eo fuerit maxima necessitas illius, maior quàm in quolibet alio tempore. Nihilominùs aptè potuit Ecclesia aliquibus in eo articulo negare, in pœnam aliquorum criminum, non dispensando in præcepto, diuino, sed impediendo aut tollendo ius & potestatem, quam habet criminosus sumendi Eucharistiam, intuitu reuerentiæ Eucharistiæ, ob indecentiam quæ apparere posset in conferendo Eucharistiam illi criminoso: quod olim in Hispania & in alijs Prouincijs fiebat; iam tamen in Hispania reuocatum fuit Motu proprio Pij V. edito anno 1569.& confertur omnibus, & ex obligatione conferenda est, nisi reus, oblata à iudice sufficiente dilatione ad id, noluerit pro tunc Communionem recipere, quia tunc ei potest negari tempus ad id, vt admittunt Sotus 5. de Iustit. quæst.1. art.2. Reginaldus lib.29. num.71. Ochagauia quęst.14.& Bonacina disp.4. quæst.7.punct.1.

Sotus. Reginald. Ochagau. Bonacina.

Deinde præceptum sumendi Eucharistiam in articulo mortis etiam esse Ecclesiasticum, constat, quia absque dubio id præcipitur in dicto Concilio Carthaginensi, approbato à Leone IV. & etiam in dicto Concilio Nicæno can.illo 12.si attentè legatur: id tamen non statuit & præcipit Ecclesia quasi de nouo, quia iam absque dubio intellexerat præceptum esse à Christo pro eo articulo.

Supereſt tamen difficultas, An qui ante articulum mortis, siue physicum siue moralem, sumpsit Eucharistiam, maneat liber ab obligatione præcepti sumendi Eucharistiam pro eo articulo.

Paludan. Angelus.

Paludanus in 4.dist. 9. quæst. 1. art. 2. Angelus v. *Eucharistia* 3. Suarez sect. 3. Ægidius num. 98.

Reginald. Bonacina. Adamus.

Henriquez lib. 8. cap.4. & 5. Reginaldus lib. 29. num.65. Bonacina & Adamus cap.8. dub.5. docent, eum qui paulò antè, quàm in ægritudinem periculosam incideret, communicauit, excusari ab obligatione præcepti communicandi pro eo articulo, nempe si octo vel decem diebus ante periculum communicauit. Et idem docent Sotus & Tabienna cum hac limitatione, nempe si post sumptam Eucharistiam non peccauit mortaliter.

Vasquez n.13.& Ochagauia q.14. docét, non satisfieri dicto præcepto per Communionem factam ante articulum mortis, quamuis paulò anteà factam, ac proinde non excusari ab obligatione sumendi Eucharistiam pro eo articulo; & meritò: quia nulli præcepto satisfit propriè, nisi intra tempus obligationis illius, & non ante, adhuc in tempore maximè propinquo tempori obligationis, vt constat in præcepto audiendi Missam, & in præcepto ieiunij, quibus non satisfit pridie ante tempus obligationis.

Vnde existimamus, eum, qui sanus, aut si infirmus, extra periculum tamen mortis communicauit, si in eodem die post eam Communionem incidat in periculum mortis, siue violentæ siue naturalis, & adeò vrgens, vt prudenter timeatur eodem die moriturus, aut quòd eo transacto non sit futurus potens communicare, teneri pro viatico iterùm in eodem die communicare post incidentiam in dictum periculum, quia præceptum communicandi in articulo mortis, cui non est satisfactum Communione ante periculum facta, est diuinũ, & maioris ponderis, quàm prohibitio Ecclesiastica non communicandi in eodé die nisi semel. Quod expressit Vasquez in manuscriptis, & ei subscripserũt plurimi nostræ Societatis, & plures alij grauissimi viri Academiæ Complutensis, & Salmanticensis, & aliarum Prouinciarum, & id fecerunt Romę P.N. Generalis Aquauiua, qui post celebrationem Missæ incurrit maximum periculum mortis, & Madriti P. Vega Rector illius Collegij, & P. Aualos in eodem Collegio.

Vasquez.

Obseruandum tamen est, eum, qui in articulo mortis constitutus semel communicauit (qui eo ipso absque alia intentione dicitur Eucharistiam vt viaticum sumpsisse) ampliùs eo præcepto non teneri, quamdiu in eodem periculo perseuerat, quamuis post sumptionem peccet mortaliter: in quo præceptum Communionis differt à præcepto confessionis, quia istud toties de nouo obligat, quoties, quis in periculo mortis constitutus iterùm post confessionem peccat mortaliter, quia confessio obligat pro consequenda prima gratia habituali, quæ est ad salutem æternam necessaria necessitate medij; & ideò quoties prima gratia per peccatum mortale amittitur, toties reuiuiscit obligatio confessionis; Eucharistia verò non obligat pro aliquo sic necessariò ad salutem æternam, sed pro commemoratione seu annuntiatione mortis Christi in extremo tempore vitæ nostræ, & ideò, semel in eo tempore annuntiatâ, nihil supereſt, ratione cuius obligatio Eucharistiæ reuiuiscat.

DIFFI-

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm præceptum sumendi Eucharistiam obliget etiam pro tempore extra articulum mortis.

CErtum est, præceptum Ecclesiasticum sumendi Eucharistiam, etiam obligare pro tempore extra articulum mortis, vt statim constabit.

Est tamen difficultas, An præceptum diuinum etiam obliget pro tempore extra articulum mortis.

Circa hanc rem Doctores, qui admittunt præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, non omnes docent etiam obligare pro tempore extra articulum mortis; & non omnes qui id docent, conueniunt in assignando tempore extra periculum mortis, pro quo obliget: quorum placita in Tractatu de Pœnitentia Disputatione VII. examinamus, quia eadem omnino est difficultas circa tempus, pro quo obliget præceptum diuinum confitendi, & sumendi Eucharistiam.

Nihilominùs pro nunc dicimus, præceptum diuinum Christi Eucharistiæ etiam obligare pro tempore extra articulum mortis physicum & moralem: Christum tamen non determinasse tempus illud, sed determinationem illius commisisse arbitrio Ecclesiæ, ac proinde si Ecclesia nullum tempus determinasset, pro quo obligaret, nullum committeretur peccatum omissionis non sumendo Eucharistiam, vt Disputatione illa VII. Difficultate II. dicimus circa præceptum diuinum confitendi.

Ecclesia ergo vtens dicta commissione Christi Primò in sui initio determinauit præceptum diuinum sumendi Eucharistiam pro quolibet die, vt constat ex Anacleto Papa Epist. 1. cap. 2. & refertur can. *Episcopus*, de Consecratione, distinct. 1. vbi ait, eum, qui quotidie non communicauerit, ingressu Ecclesiæ priuandum esse; & subdit: *Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.* Et idem præcipitur in can. 10. Apostolorum, vbi additur, vt qui id quotidie non fecerit, ipsa Communione priuetur. Huius consuetudinis & præcepti mentionem faciunt Clemens Romanus lib. 2. Apostolicarum constitut. cap. 57. & Dionysius cap. 3. de Ecclesiastica Hierarchia par. 2. & 3.

Secundò Fabianus Papa, vt refert Gratianus, determinationem dicti præcepti diuini ad pauciores Communiones restrinxit, præcipiés, vt fideles ter in anno communicarent, nempe in Natali Domini, in Paschate (subintellige Resurrectionis) & in Pentecoste. quod refertur in can. *Et si non frequentiùs*, de Consecrat. dist. 2. Quòd verò Soter Papa, vt refertur in can. *In cœna*, ead. distinct. 2. præcepit, vt in Cœna Domini fideles communicarent, non est ita intelligendum, vt diuersum tempus à Paschate Resurrectionis assignauerit, sed ita vt pro eodem Cœnam Domini & Pascha vsurpauerit.

Tandem Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. 21. & refertur in cap. *Omnis vtriusque sexus* 12. de Pœnitentijs & remissionibus, præcipit, vt fideles omnes vtriusque sexus, cùm ad annos discretionis pertenerint, singulis annis semel ad minus tempore Paschatis Eucharistiã suscipiant, nisi de consilio Confessarij illud differant ad tempus: & nunc hoc tantùm præceptum Innocentij est in viridi obseruantia, quia duo alia priora in desuetudinem abierunt. Vnde fideles satisfaciunt præcepto diuino communicandi extra articulum mortis, semel in Paschate Resurrectionis communicando: imò quando Confessario videtur ob aliquam rationabilem causam, quòd aliquis differat Communionem, satisfacit communicando tempore præscripto à Confessario. Nomine autem Paschatis intelliguntur quindecim dies à Dominica Palmarum inclusiuè vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, vt cõsuetudo ipsa declarat, & declarauit Eugenius IV. teste Nauarro cap. 21. n. 45.

Præceptum ergo annuæ Communionis pro tempore Paschatis non est purè humanum, quia includit aut supponit præceptum diuinum Communionis quoad substantiam, quo præcipitur Communio vagè quoad tempus extra articulum mortis, & superaddit modificationem quoad tempus, quam Christus prætermisit, & commisit Ecclesiæ; sicut etiam de præcepto annuæ confessionis dicimus Tractatu de Pœnitentia Disput. VII. Difficultate V.

Eum autem, qui dicto tempore Paschatis non communicauit, non manere liberum vsque ad aliud Pascha ab obligatione communicandi, sed semper obligatum manere, & semper perseuerare actualiter quousque communicet contra non paucos dicimus Tractatu de Pœnitentia Disput. VII. Difficult. XII. & eum, qui prudenter timet se non habiturum copiam Eucharistiæ tempore pro quo obligatur communicare, teneri anticipare Communionem, ne nimiùm differatur Communio, etiam contra non paucos dicimus Tractatu de Pœnitentia Disput VII. Difficult. XIII. vbi etiam addimus, eum, si fortè veniat ad tempus pro quo tenebatur, quamuis anticipauerit Communionem, teneri iterùm communicare.

DIFFICVLTAS IV.

Qui teneantur præcepto Communionis.

SVpponimus ex Tractatu de Pœnitentia Disputatione VII. (in quo idem de præcepto confessionis disputatur) non baptizatos, quamuis præcepto Communionis, quatenus Ecclesiastico, non teneantur, quia Ecclesia nullam in eos habet iurisdictionem, tamen teneri illo quatenus diuino, quia omnibus etiam non baptizatis loquebatur Christus, quando Ioan. 9. illis verbis, *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. præcepit sumptionem Eucharistiæ, ac proinde etiam non baptizatos teneri fieri habiles ad sumptionem Eucharistiæ, suscipiendo Baptismum: & ideò, qui non baptizantur, si aliàs ignorantia inuincibili non excusentur, peccant non solùm quia non baptizantur, sed etiam quia non sumunt Eucharistiam in articulo mortis, pro quo præceptum diuinum Eucharistiæ ex vi sua absque Ecclesiæ determinatione obligat; quamuis non teneantur præcepto diuino confessionis, quia hoc non obligat absolutè (sicut obligat præceptum diuinum Communionis) sed tantùm ex suppositione, quòd post Baptismum fiat peccatum mortale, quia solum

lum peccatum commissum post Baptismum est materia apta absolutionis. Ita tamen non baptizati tenentur præcepto diuino Communionis, vt ei non satisfaciãt communicando ante Baptismum, quia quamdiu non sunt baptizati, non recipiunt Eucharistiam vt Sacramentum, quia Eucharistia non est illis Sacramentum, quia illis non est significatiua & collatiua gratiæ, quia non est pro illis in Sacramentum instituta; & præceptum sumendi Eucharistiam, est sumendi illam vt Sacramentum: in quo non baptizati distinguuntur à baptizatis peccatoribus; quia hi, etiamsi in statu peccati mortalis scienter communicent, satisfaciunt præcepto affirmatiuo etiam diuino Communionis, vt contra nonnullos aduertunt communiter Doctores, quia quamuis indignè communicent, verumtamen recipiunt Sacramentum Eucharistiæ.

Circa baptizatos ergo conueniunt Theologi, adultos omnes sanæ mentis, habentes sufficientem discretionem ad perfectè discernendum inter panem cæleſtem & communem, & ad perfectè iudicandum de præparatione ad dignè sumendam Eucharistiam requisita, præcepto Communionis, tam vt Ecclesiastico quàm vt diuino teneri; quod est verum, quamuis energumeni sint, quia ex eo nullam habent excusationem: qui verò amentes sunt, quamdiu sunt in amentia, non solùm non peccant non communicando, quia eis deficit libertas, sed etiam verè excusantur à præcepto illo, etiam vt diuino, ob amentiam, quando est perpetua. imò consuetudine prohibitum est illis Eucharistiam adhuc in articulo mortis conferre, vt diximus Disputat. IX. Diffic. XX. Quando verò amentia non est perpetua, quia ante amentiam fuerant compotes sui, tunc quamuis, quamdiu in amentia sunt, non peccent non communicando ex defectu libertatis, & excusati sint à præcepto communicandi vt Ecclesiastico, quia ob reuerentiam Sacramenti non est decens, & forsan consuetudine prohibitum, illis quotannis Eucharistiam conferre; tamen si ante amentiam prudenter timeant futuram amentiam tempore annuæ Communionis, tenentur, si intra annum sint, anticipare Communionem annuam; quia præceptum Communionis annuæ pro tempore Paschatis non tantùm fertur in honorem Cœnæ Domini, sed etiam ne nimiùm differatur Communio: in quo præceptum hoc, & præceptum confessionis annuæ, differunt à præcepto audiendi Missam, quia hoc tantùm fertur in honorem diei festi, & ideò non obligat ad anticipationem ante diem festum, nec transacto die festo perseuerat obligatio illius.

Circa infantes verò conueniunt Doctores, nullatenus præcepto Communionis teneri. quod expressè tradit Tridentinum sess. 21. cap. 4. & ex se patet, quia præceptum tradi tantùm potest eis qui ratione vtuntur, sicut etiam violatio eis tantùm potest imputari, aliàs bestijs posset præceptum tradi & imponi. Augustinus verò epist. 106. & Innocentius epist. 26. quæ est 93. apud Augustinum, vbi significare videntur infantes comprehendi verbis illis Ioann. 6. *Nisi manducaueritis*, &c. (in quibus nos diximus præceptum diuinum Communionis contineri) & infantibus sumptionem Eucharistiæ esse necessariam, intelligendi sunt, non de necessitate præcepti, sed medij; & non de sumptione Eucharistiæ in re, sed in voto contento in Baptismo, quia infantibus est necessarius Baptismus, ratione cuius, quando adulti sint, obligantur ad sumptionem illius ex vi illorum verborum Ioann. 6. de quo diximus Disputatione I. Difficultate VI.

Trident.

August. Innocent.

Circa pueros, (sub quibus etiam puellas comprehendimus) dissentiunt Doctores, à qua ætate incipiant ad Communionem obligari.

Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 11. & Valentia disp. 6. quæst. 8. puncto 4. pueros non obligari præcepto Communionis ante annum duodecimum, etiamsi ante illum habeant sufficientem discretionem, vt possint illam suscipere, quando incipit vsus rationis in illis. *Sotus. Valentia.*

S. Thomas verò in 4. dist. 9. q. 1. art. 1. quæstiuncula 4. Vasquez disp. 214. cap. 4. & communiter Doctores docent, pueros, si ante duodecimum annum habeant discretionem sufficientem præcepto Communionis tam annuæ, quàm pro articulo mortis, obligari; & merito: quia pueri, postquam ad sufficientem discretionem peruenerunt, nullo priuilegio à dicto præcepto ante duodecimum annum excipiuntur, quia de eo priuilegio nullatenus constat. *S. Thomas. Vasquez.*

Pueri ergo in ea ætate, præcepto Communionis tam annuæ, quàm in articulo mortis obligari incipiunt, & non anteà, in qua ad eam discretionem peruenerunt, qua perfectè discernere valent inter panem cæleſtem & communem, & de præparatione ad Communionem requisita perfectè iudicare, vt aduertunt S. Thomas, Vasquez, & communiter Doctores: quia sicut absque hac discretione nullus contra Eucharistiam grauiter peccat, ita etiam nullus ante eam discretionem præcepto Eucharistiæ adhuc vt diuino, & pro articulo mortis obligatur. Hæc autem discretio in alijs tardiùs, & in alijs citiùs contingit, & ob id nequit vna determinata ætas pro omnibus ad dictam obligationem assignari, sed id relinquitur arbitrio prudentium, præsertim parentum, aut Confessariorum. Nihilominùs puero permittendum est communicare, quamuis ad eam discretionem non peruenerit, si prudenter iudicetur peruenisse ad perfectum vsum rationis, sufficientem ad peccatum mortale, si Confessarius prudenter præsumat esse sufficienter dispositum.

Obseruandum est, vt optimè Corduba in Summa Hispana quæst. 60. Vasquez num. 40. & Ochagauia q. 17. pueris priùs aduenire tempus obligationis præcepti confessionis, quàm Eucharistiæ, adhuc pro articulo mortis sumendæ; quia minor discretio sufficit vt quis confiteri, quàm vt communicare teneatur, quia ad obligationem confitendi sufficit, vt quis sic inter malum & bonum discernat, vt possit mortaliter peccare, ad quod minor discretio sufficit, quàm ad perfectè discernendum inter panem cæleſtem & communem, & ad iudicandum de præparatione ad illum panem cæleſtem dignè recipiendum requisita, quod requiritur ad obligationem communicandi adhuc in articulo mortis. Vnde contingere potest, vt puer in articulo mortis existens teneatur confiteri, & non teneatur communicare, vt prædicti Doctores aduertunt contra Suarez disputat. 70. Reginaldum lib. 29. num. 84. Bonacinam disp. 4. q. 7. punct. 2. & contra alios recentiores, qui existimant, quemlibet, qui habet sufficientem discretionem vt teneatur præcepto confessionis, etiam teneri communicare in articulo mortis.

Obseruat

Obseruat Henriquez cap. 42. puerum, qui numquam communicauit, & transacto Paschate deprehenditur sufficientem discrerionem ad communicandum habere, non esse cogendum ad Communionem vsque ad Pascha sequens. Quod verum existimamus, quando non iudicatur prudenter etiam sufficientem illam discretionem habuisse Paschate illo quod transactum est: quia quando prudenter iudicatur etiam tunc illam habuisse, cogendus est statim ad Communionem, quia obligatio præcepti sumendi Eucharistiam, quam habuit Paschate illo, non fuit extincta Paschate transacto, vt diximus Difficultate præcedenti.

Pro eis autem, qui non satisfaciunt præcepto Communionis, nulla est Iure communi lata pœna, quam ipso facto incurrant; quamuis pro non communicantibus tempore Paschatis assignata sit in dicto cap. *Omnis vtriusque sexus*, carentia ingressus Ecclesiæ, & Ecclesiasticæ sepulturæ, quæ poterit à Superioribus infligi, etiam impuberibus. In aliquibus tamen diœcesibus solet Iure proprio esse lata excommunicatio contra non communicantes tempore Paschatis, quam ipso facto incurrant, etiam impuberes, de quo dicimus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate VII.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm laici teneantur communicare sub vtraque specie.

Dresdensis Iacobellus. PEtrus Dresdensis, & Iacobellus Misnensis, hæretici in Bohemia anno 1412. affirmarunt, laicos Iure diuino teneri sub vtraque specie panis & vini communicare, & non posse licitè sub vna tantùm. Quos hæretici nostri temporis secuti sunt, potiùs vt Ecclesiæ Romanæ contradicant, quàm quia dictæ doctrinæ assentiantur, quorum fundamenta posteà nobis obijciemus.

Nihilominùs Catholici conueniunt, laicos non teneri sub vtraque specie, sed licitè posse sub specie tantùm panis communicare. Quod expressit Concilium Constantiense, & Tridentinũ sess. 21. cap. 1. & can. 1. & meritò: quia in primis non tenentur ad id Iure Ecclesiastico, vt patet, imò eo Iure sunt prohibiti communicare, nisi tantùm sub

Concilium Constant. Trident. specie panis, in ipso Concilio Constãtiensi sess. 13. & à Martino V. in Epist. ad ipsum Concilium: & in Tridentino sess. 21. cap. 2. Deinde non tenentur ad id Iure diuino. Quod Primò ex Scriptura probatur, quia Christus, qui Ioann. 6. dixit, *Nisi manducaueritis carnẽ Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (quo necessitas præcepti significatur, sine cuius obseruatione nequit salus & vita spiritualis haberi) ipse posteà subdit, *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* & iterùm, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* quibus verbis Christus satis significat, manducationem solius speciei panis, absque potatione speciei vini, sufficere ad vitam, id est ad seruandum præceptum diuinum Eucharistiæ, sine quo nequit seruari aut haberi vita, ex quibus Concilium Constantiense & Tridentinum cap. 1. id deduxerunt. Secundò idem probatur, quia in Ecclesia fuit antiquissima cõsuetudo communicandi sub specie tantũ panis; ergo id non est contra præceptum diuinum. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia Eucharistia semper fuit solita in Ecclesia pro ægrotis seruari, vt constat ex Clemente Romano libro 8. Constitut. Apostolic. cap. 13. & ex Eusebio lib. 6. Historiæ cap. 36. & ex Tridentino sess. 13. cap. 6. vbi dicitur, Concilium Nicænum agnouisse & probasse morem seruandi Eucharistiam pro ægrotis: imò aliquando per annum seruabatur, vt testatur Sophronius in Prato spirituali cap. 79. At vinum non potuit adhuc ad breue tempus seruari, quin statim acesceret, quod non esset licitum: ergo quando ægrotis vrgente necessitate ministranda erat Eucharistia, sub specie tantùm panis ministrabatur.

Supposito autem, quòd laicos communicare sub specie tantùm panis, & non sub specie vini, sit licitum, & non contra præceptum diuinum, ac proinde capax præcepti humani, aut prohibitionis humanæ, facilè constat, prohibitionem Ecclesiasticam, qua Ecclesia Latina laicis interdixit vsum calicis, esse iustam & rationabilem: quia ex vna parte in Ecclesia est potestas ad ferendam dictam prohibitionem & legem, & ex altera parte ad illam ferendam sunt iustissimæ & admodum rationabiles causæ; ergo dicta prohibitio & lex est iusta & rationabilis. Consequentia patet. Antecedens autem quoad vtramque partem probatur. Et inprimis, quòd in Ecclesia sit dicta potestas, definit Tridentinum sess. 21. cap. 2. & etiam generaliter potestas circa vsum Sacramentorum deducitur ex Paulo 1. ad Corinthios c. 4. dum ait: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et specialiter potestas circa vsum Eucharistiæ deducitur ex Paulo 1. ad Corinthios cap. 11. dum, postquam locutus fuerat de vsu huius Sacramenti, ait, *cetera cùm venero disponam.* Et idem ratione constat, quia nihil est quod obster, vt Ecclesia possit liberè ferre leges in his quæ circa vsum Sacramentorum non sunt Iure diuino præscripta. Deinde, quòd sint iustissimæ & rationabiles causæ ad prohibendum vsum Sanguinis laicis, constat ex incommodis, quæ in vsu illius respectu tantæ multitudinis contingere possunt. Inter alia autem quæ communiter enumerãtur, præcipuum est, quod iam in tanta fidelium multitudine & varietate maximum periculum sit, quòd aliquid Sanguinis effundatur, in quo maxima indecentia & irreuerentia reperitur, quia Sanguis semel effusus colligi nequit. Iustissimè ergo & admodum rationabiliter dicta prohibitio facta est ab Ecclesia, & iustissimè & admodum rationabiliter defraudantur laici gratiâ correspondente speciebus vini, etiamsi species vini aliquam rationem sui conferant, de quo dicemus Difficultate sequenti.

Nihilominùs hæretici contra hanc prohibitionem clamant, & obijciunt multa, quæ poterunt videri apud Bellarminum 4. de Eucharistia à c. 20. apud Valentiam disp. 6. quæst. 8. p. 5. apud Vasquez disp. 216. & apud Ægidium q. 80. art. 12. ex quibus nos aliqua adferemus.

Primò ergo obijciunt verba illa Ioann. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem*, &c. quibus necessitas sumptionis vtriusque speciei significari videtur. Respondemus, particulam *&* (quamuis admittamus sumi copulatiuè) aut ita sumi, vt iuxta phrasim Hebraicam repetat negationem præcedentem, ita vt sensus sit, *Si non manducaueritis carnem Filij hominis, neque biberitis eius Sanguinem*, &c. ac proinde,

proinde, qui speciem tantùm panis sumit, satisfacit præcepto in eis verbis contento, & vitam habebit. Hic autem sensus optimè congruit cum verbis quæ posteà subduntur, *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, vt suprà dicebamus. Aut si sumitur copulatiuè, & non repetens negationem, ac proinde in eis contineatur præceptum sumendi vtramque speciem, non tamen obligabit omnes, sed tantùm aliquos, ita vt tota Ecclesia quoad aliquos teneatur, non quoad omnes & singulos, quale est præceptum illud Gen. 1. *Crescite & multiplicamini*.

Secundò obijciunt illud Matthæi cap. 16. *Bibite ex eo omnes*. Facilè tamen respondemus, illam particulam *omnes* ad Apostolos tantùm referri: cui optimè congruit illud Marci 14. *Biberunt ex eo omnes*, & tamen Apostoli tantùm biberunt.

Tertiò obijciunt illud Lucæ cap. 22. & Pauli 1. ad Corinthios cap. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Christus significat, se velle, vt Apostoli, & eorum in Sacerdotio successores, faciant quod ipse fecit; ipse autem omnibus præsentibus dedit vtramque speciem, ergo. Respondemus Primò, si in prædictis verbis continetur aliquod præceptum, non esse administrandi Eucharistiam, sed manducandi aut bibendi, vt deducitur ex eo quod Paulus addit, *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*; & si in illis continetur præceptum sumendi Eucharistiam, & in Luca tantùm continetur præceptum sumendi speciem panis, quia in Luca verba illa tantùm habentur post consecrationem panis, etiam in Paulo illud tantùm continebitur: quia quamuis in Paulo etiam habeantur post consecrationem calicis, tamen in eo non habentur absolutè, sicut habentur in Luca, post consecrationem panis, sed cum eo addito, *quotiescumque bibetis*. quasi dicat, Quotiescumque bibetis, annuntiabitis mortem meam. Addimus, quòd in prædictis verbis continetur præceptum sumendi vtramque speciem, non respectu singulorum, sed respectu totius Ecclesiæ, non à singulis, sed ab aliquibus implendum.

Quartò obijciunt Ignatium, Tertullianum, & alios Patres, asserentes populum Calicem Domini bibere. Respondemus, eos Patres tantùm significare, tunc esse populo in vsu calicem sumere (quod non negamus) non tamen esse necessarium ex præcepto diuino laicis conferri, aut ab eis sumi.

Quintò obijciunt Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Cyprianum & Augustinum, qui ita videntur tribuere vitam spiritualem potui Sanguinis Christi, vt absque eo nequeant homines illam adipisci. Respondemus, prædictos Patres, quamuis dictam vitam attribuant sumptioni Sanguinis, eam tamen non negare sumptioni solius Corporis, neque negare posse, quia Ioan. 6. dicitur, *Qui manducat me, ipse viuet propter me*.

Sextò obijciunt Iustinum Apologia 2. pro Christianis, vbi significare videtur, esse præceptum diuinum sumendi vtramque speciem. Respondemus, Iustinum ibi nullum aliud præceptum videri agnoscere, nisi illud quod est apud Lucam c. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. Apud Lucam autem tantùm est præceptum sumendi speciem panis, aut si est præceptum sumendi vtramque speciem, tantùm est respectu totius Ecclesiæ. Et hoc posteriori modo intelligendi sunt Pseudo-Cyprianus Sermone de Cœna Domini, & Bernardus Sermone 3. Dominicæ Palmarum, dum significant, etiam ipsum Sanguinem esse sub præcepto. Chrysostomus verò Homilia 18. in Epistolam 1. ad Corinthios, quamuis supponat, attento Iure diuino, etiam laicis poculum dari, vt suo tempore dabatur, tamen non significat id esse Iure diuino necessarium, sed illo attento posse dari, quia eo non prohibetur.

Septimò obijciunt sententiam illam, *Neque Caro sine Sanguine, neque Sanguis sine Carne Iure communicatur*, quam refert Algerus lib. 2. de Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, cap. 8. ex Augustino, sed desumpta est ex Paschasio libro de Corpore & Sanguine Domini, cap. 19. Respondemus, hanc sententiam Paschasij esse difficilem, & non esse admittendam, aut explicandam non quoad species panis & vini, sed quoad rem contentam sub illis speciebus, quia in neutra sumitur Caro sine Sanguine, nec Sanguis sine Carne.

Octauò obijciunt Gelasium Papam in Epistola ad Mauritium & Ioannem, & refertur can. *Comperimus*, de Consecratione, dist. 2. vbi dicitur grande sacrilegium, percipere vnam speciem absque altera. Respondemus, Gelasium ibi tantùm loqui de Sacerdotibus celebrantibus sub vna tantùm specie, quo etiam modo Gratianus dictum canonem *Comperimus* exponit.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm vtraque species, panis videlicet & vini, plus gratiæ conferat quàm altera tantum.

CAietanus quæst. 80. artic. 12. Sotus in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 12. Ledesma 1. p. q. 21. art. 12. dub. 2. Petrus Sotus lect. 10. de Eucharistia, Hessellanus de Communione sub vtraque specie, tractatu 3. Suarez disp. 63 sect. 2. & Ægidius quæst. 79. art. 1. n. 34. docent, vtramque speciem non conferre plus gratiæ, quàm alteram tantùm: quod indicare videtur Tridentinum sessione 21. cap. 3. dum docet, sub altera tantùm specie totum Christum contineri, & verum Sacramentum sumi, ac propterea nulla gratia ad salutem necessaria eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt: at si per sumptionem vtriusque speciei conferretur maior gratia, quàm per sumptionem alterius tantùm, verè defraudaretur aliqua gratia, qui non sumeret vtramque, sed vnam tantùm.

Caietan. *Sotus.* *Ledesma.* *Vet. Sotus.* *Hessellan.* *Suarez.* *Ægidius.*

Et ratione probatur, quia sumenti Eucharistiam confertur ex opere operato gratia, quia sumit Sacramentaliter Christum, eiusque Corpus & Sanguinem; sed qui sumit vnam tantùm speciem, non minùs perfectè sumit Sacramentaliter Christum eiusque Corpus & Sanguinem, quàm qui sumit vtramque, vt patet; ergo non minus gratiæ confertur sumenti vnam tantùm speciem, quàm sumenti vtramque, si aliàs sint æqualiter dispositi.

Alexander verò 4. parte, quæst. 11. membro 2. art. 4. Casalius lib. 2. de Cœna & Calice Domini, Arboreus in cap. 6. Ioannis, & Vasquez

Alexand. *Casalius.* *Arboreus.* *Vasquez.*

disp. 215. docent, & meritò, vtramque speciem maiorem gratiam conferre, quàm alteram tantùm: quod sensit Clemens VI. in Bulla ad Regem Angliæ anno 1541. in qua illi concessit, vt ad gratiæ augmentum sub vtraque specie communicaret. Et ratione probatur; quia quælibet species ratione sui diuerso modo specifico significat & confert gratiam, ergo quælibet ratione sui confert diuersum & peculiarem gradum gratiæ sibi correspondentem. Consequentia probatur, quia ex eo deducimus, diuersa Sacramenta ratione sui conferre diuersum & peculiarem gradum gratiæ, quia quodlibet ratione sui diuerso modo specifico significat & confert gratiam. Antecedens autem patet, quia species panis ratione sui diuerso modo specifico, quàm species vini, significant & conferunt gratiam, quia species panis significant & conferunt gratiam vt satiantem, quia illam significant & conferunt tamquam cibus; species verò vini significant & conferunt illam vt refrigerantem, quia illam significant & conferunt vt potus.

Quòd autem in anima idem sint fames & sitis, & quòd eadem gratia sit satians & refrigerans, quia per eamdem gratiam fames & sitis animæ extinguuntur, non obstat, vt cuilibet speciei diuerso modo specifico significanti & conferenti gratiam, nouus & distinctus gradus gratiæ correspondeat; quia etiam omnibus Sacramentis, quamuis eamdem gratiam significent & conferant, siue ad delenda peccata, siue ad magis iustificandum, diuersus tamen gradus gratiæ correspondet: quia illam, quamuis eamdem, diuerso modo specifico significant & conferunt. Ideò cuilibet speciei ratione sui, etiam quando simul sumuntur, correspondet diuersus gradus gratiæ; non quia in vtraque sit perfectior seu expressior significatio gratiæ refectiuæ, sed quia in qualibet ratione sui, est significatio gratiæ secundùm speciem distincta, quamuis ex vtraque integretur & coalescat vna significatio conuiuij & refectiui, ideò verò plures species panis (& idem est de pluribus speciebus vini) quando simul sumuntur, non conferunt diuersos seu peculiares gradus gratiæ, quia sumuntur per modum vnius, & non significant gratiam diuerso modo specifico.

Ita tamen quælibet species ratione sui independenter ab altera confert diuersum & peculiarem gradum gratiæ, vt illam conferat non expectata sumptione alterius speciei, non solùm quando vna tantùm species sumenda est, vt patet in eo qui tantùm sumit species panis, sed etiam quando vtraque sumenda est; quia absque fundamento id negabitur in hoc posteriori casu, quod in priori negari non potest.

Obseruandum est, pro nouo gradu gratiæ, quem dicimus species vini conferre, non esse necessariam nouam aliquam dispositionem, aut præparationem, præter eam quæ necessaria fuit ad gratiam collatam ab speciebus panis, tum quia, vt quælibet species conferat suum effectum gratiæ, sufficit, quòd in sumente præsupponatur quilibet gradus sanctitatis & gratiæ, ac proinde, vt species vini suum effectum gratiæ conferant, sufficiet ille gradus sanctitatis & gratiæ, qui præsuppositus fuit ad sumptionem speciei panis; tum etiam, quia quamuis ad effectum Eucharistiæ prærequisita etiam esset aliqua actualis dispositio, sufficeret vna pro sumptione vtriusque speciei, quia ex vtraque integratur vnum conuiuium.

Tridentinum autem cap. illo 3. dum ait, eum, qui vnam tantùm speciem sumit, nulla gratia ad salutem necessaria defraudari, non fauet aduersarijs: quia quamuis priuetur gratia quæ conferretur per sumptionem alterius speciei, illa tamen non est necessaria ad salutem, quia ad hanc sufficit quæ confertur per vnam tantùm speciem, quia sumptio alterius speciei, nempe vini, nullo modo est necessaria ad salutem, nec vt medium, nec vt præceptum, vt Tridentinum dixerat cap. 1. quia cap. 3. loquitur de necessitate gratiæ ad salutem, non ratione sui, sed ratione sumptionis illam causantis, vt deducitur ex cap. 1. dum ait, sumptionem speciei panis sufficere ad salutem. Imò Tridentinum nobis fauet, dum non dicit absolutè, eum qui vnam tantùm speciem sumit, nulla gratia defraudari, sed cum eo addito, *ad salutem necessaria*, quia eo addito indicat defraudari aliqua, quamuis non necessaria.

Et ad rationem respondemus, sumenti Eucharistiam conferri gratiam, non præcisè quia sumit Christum, sed quia sumit species continentes Christum, eiusque Corpus & Sanguinem; quia essentia Sacramenti Eucharistiæ in ipsis solis speciebus directè saluatur non intrante intrinsecè & directè Christo, sed tantùm extrinsecè & indirectè, & quia species panis & species vini sunt duo Sacramenta essentialiter perfecta & distincta, quamuis integraliter non sint duo, sed tantùm vnum, vt diximus Disput. 1. Diffic. 1v. ideò cuilibet diuersus gradus gratiæ correspondet, quamuis quælibet Christum, eiusque Corpus & Sanguinem perfectè contineat.

DIS-

DISPVTATIO XI.

De ministro Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm solus Sacerdos sit minister Eucharistiæ quoad consecrationem.

ERROR est, quemlibet Christianum baptizatum absque alia ordinatione posse panem & vinum consecrare: quod insinuauit Wiclefus, & expresserunt Lutherus & alij hæretici nostri temporis, vt Vasquez refert disp. 118. cap. 1.

De fide tamen est, solos Sacerdotes posse validè panem & vinum consecrare. Ita supponitur in Concilio Nicæno I. can. 14. & definitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 1. & refertur in cap. *Firmiter*: de Summa Trinitate & fide Catholica, & etiam definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & tandem definitur in Tridentino sess. 22. cap. 1. & sess. 23. cap. 1. & 4. & id deducit Tridentinum ex illis verbis Matth. 26. & Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem, vti Ecclesia Catholica intellexit & docuit*, ait Tridentinum; eis enim verbis, quibus dedit potestatem consecrandi, tantùm locutus fuit Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus. *Trident.*

Id quoque frequentissimè docent Patres, Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia ca. 5. Clemens Romanus lib. 2. Constitutionum Apostolicarum cap. 27. aliàs 31. Ignatius ad Trallianos, Tertullianus libro de Præscriptionibus, & plures alij, quos refert Bellarminus libro 4. de Eucharistia, cap. 16. *Clemens.* *Tertulliã.* *Bellarmin.*

Quòd si obijcias, omnes Christianos dici *regale Sacerdotium*, 1. Petri 2. ergo omnes possunt validè consecrare. Respondemus, tantùm dici Sacerdotes lato quodam modo, quo etiam omne opus bonum dicitur *Sacrificium*, quo etiam modo ibidem dicuntur *Reges*.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm plures Sacerdotes possint simul eamdem hostiam consecrare.

CONueniunt Primò Doctores, plures Sacerdotes posse simul eamdem hostiam validè consecrare, quia huic valori nihil obstare potest, dummodò quilibet integram formam circa eamdem hostiam proferat, & omnes illam in eodem instanti absoluant.

Conueniunt Secundò (Durando excepto, oppositum affirmante) id posse licitè fieri, vt constat ex consuetudine Ecclesiæ Græcæ, in qua semper, quando Episcopus consecrat, etiam cum eo consecrat Presbyter cum illo concelebrans; & ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ Romanæ, in qua, qui ordinantur Presbyteri, consecrant eamdem materiam simul cum Episcopo ordinante; & qui ordinatur Episcopus, etiam simul consecrat cum Episcopo ipsum ordinante.

Est tamen difficultas, *Quomodò* id possit licitè fieri. Ratio difficultatis pro parte negatiua est, quia humanâ diligentiâ caueri nequit, ne aliquis eorum priùs quàm alij formam perficiat, quo forma ab alijs prolata irrita fit & inanis, quo ipsi formæ iniuria & irreuerentia irrogari videtur.

Circa hanc difficultatem varij sunt modi, quibus à varijs Doctoribus consuetudo hæc & cærimonia, vt licita defenditur, & à sacrilegio excusatur. Primò sunt qui dicunt, ideò posse plures simul eamdem materiam licitè consecrare, quamuis sit euidens periculum, quòd aliquis priùs validè consecrabit, & reliqui nihil efficient, quia omnes ea intentione consecrandi proferre debent, & proferunt verba consecrationis, vt omnium eorum intentio ad idem instans, in quo vltimus prolationem perficit & absoluit, referatur; quia sic nullius prolatio irrita fit, quia omnes, etiam qui priùs prolationem formæ perficiunt, efficiunt consecrationem instanti, in quo vltimus prolationem formæ finiuit. Modus tamen iste excusandi & defendendi dictam consuetudinem, nisi amplius explicetur, difficilis est: quia quamuis in potestate celebrantis sit effectum verborum consecrationis impedire, si illa proferat absque intentione consecrandi, tamen si cum intentione consecrandi proferat illa circa materiam idoneam, non est in potestate illius vsque ad hoc, vel vsque ad illud instans, differre seu suspendere effectum verborum, quia oppositum nullo sufficienti fundamento dici potest.

Secundò alij dicunt, ideò dictam consuetudinem licitam esse, quia solus Episcopus ordinans profert verba consecrationis formaliter & significatiuè, seu intentione consecrandi; reliqui verò materialiter tantùm & recitatiuè, absque intentione consecrandi, solùm ad ostendendam potestatem acceptam, & ideò nullam iniuriam irrogare verbis, etiamsi ipsis non fiat consecratio. Modus etiam iste defendendi dictam consuetudinem, reijcitur ex Pontificali Romano, in quo Episcopus admonetur, vt paulatim alta voce verba consecrationis proferat, vt recenter ordinati, quantum fieri possit, simul cum ipso prolationem finiant. Hæc autem admonitio superflua esset, si recenter ordinati materialiter tantùm & recitatiuè verba consecrationis proferrent, &, quantum est ex parte ipsorum, non consecrarent.

Tertiò, alij dictam consuetudinem ideò excusant ab irreuerentia & sacrilegio, quia recenter ordinati debent proferre, & proferunt verba consecrationis, non intentione absoluta consecrandi, sed sub conditione aliqua, nempe vel sub ea, *si Episcopus non habeat intentionem consecrandi*; vel sub ea, *si non proferat tempore opportuno*; vel sub ea, *si simul cum Episcopo formam consecrationis finiant*. Hic etiam modus defendendi dictam consuetudinem reijcitur ex eo,

quòd modus iste intentionis est ignotus recenter ordinatis, quia de eo numquam admonentur. mirum autem esset, id esse regulariter ignotum, si necessarium esset ad licitè proferenda verba consecrationis; & Ecclesiam non admonere intentionem adeò extraordinariam, si ea esset necessaria ad id.

Quartò, alij dicunt, dictam cærimoniam licitè fieri, quando omnes verba consecrationis intra paruam distantiam seu durationem finiunt, quia tunc non fit consecratio, quousque vltimus finiat formam consecrationis, sicut effectus formæ & materiæ aliorum Sacramentorum non fit statim ac finitur forma, si nondum est applicata materia, nec fit statim ac finitur applicatio materiæ, si nondum finita est forma; sed tantùm sit quando finitur positio partis quæ vltimò ponitur, quia non obstat paruum interuallum inter prolationem formæ & applicationem materiæ: quia quando distantia inter materiam & formam est parua, est simultas moralis inter illas, ac proinde sufficiens ad simul producendum effectum gratiæ, aut consecrationis. Iste quoque modus non probatur, ob manifestum discrimen: quia si in alijs Sacramentis, formâ priùs prolatâ, suspenditur effectus quousque materia applicetur; & econtrà materiâ priùs applicatâ, suspenditur effectus quousque forma proferatur; ideò est, quia forma eorum non sufficit ad effectum absque applicatione materiæ, nec applicatio materiæ absq; prolatione formę, & ideò expectanda est illa pars, quæ posteriùs ponitur: at vtraque positâ, nequit pro sola voluntate ministri effectus suspendi & differri, quia vtraque positâ, nihil deest ad effectum, & tempus in quo Sacramentum semel perfectum debet causare, non est sub arbitrio ministri. Cùm ergo, prolatis verbis consecrationis circa materiam idoneam nihil desit ad effectum consecrationis, non est adhuc pro minima mora expectanda prolatio ab altero facienda, quia hæc nullatenus est ad effectum consecrationis necessaria.

Quintò, alij docent, duo esse facienda à recenter ordinatis, vt licitè proferant verba consecrationis: alterũ est, quòd proferant verba iuxta morem Ecclesiæ in qua ordinantur; alterum verò, quòd non habeant expressam intentionem consecrandi, nec non consecrandi, sed debitam, id est, quòd statuant se ea intentione proferre verba, qua debent proferre. Modus etiam hic defendendi dictam consuetudinẽ nobis displicet, Primò, quia hic modus intentionis est ignotus ipsis recenter ordinatis, & de eo à nullo admonentur. Secundò, quia qualiscumque aut quęcumq; sit intentio, cum qua recenter ordinatus profert verba consecrationis, non potest non esse aut sufficiẽs ad consecrandum, vel non sufficiens: & si est sufficiens, poterit etiam verba proferre cum intẽtione expressa consecrandi, quia intentio sufficiens æquiualet expressæ, & tunc aut Episcopus inaniter proferet verba, aut recenter ordinatus, quia qui illa vltimus finit, nihil efficiet; & si non est sufficiens, etiam poterit illa proferre cum intentione expressa non consecrandi, quia non sufficiens illi æquiualet, & tunc non poterit verba consecrationis formaliter & significatiuè, sed tantùm materialiter & recitatiuè proferre, & quamuis posset, frustrà sic illa proferret, quia defectu intentionis nihil efficiet.

Prædicta ergo consuetudo & cærimonia tamquam licita defendenda est, admittendo, recenter ordinatos proferre verba consecrationis cũ intentione absoluta, & sufficiẽte ad absolutè consecrandum; quia sic illa proferre, aut debere proferri, deducitur ex admonitione, qua diximus recenter ordinatos admoneri, & ex eo quod aliter proferre verba consecrationis sit illis ignotum: & eo admisso, defendunt dictam consuetudinem Sotus Sayr. in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 2. & Vasquez disp. 219. Vasq. cap. vlt.

Ratio ergo ob quam sit licitum, & non fiat irreuerentia verbis consecrationis, illa cum absoluta intentione circa materiam cum dicto periculo proferendo, imò circa materiam iam consecratam ab Episcopo, aut ab alio concelebrante, est, quia dicta cærimonia est maximè congrua & conueniens institutioni Eucharistiæ: quia Christus consecrans, & instituens Sacramentum Eucharistiæ, simul cum alijs illud sumpsit, & officium consecrandi illis commisit, & præcepit, quòd in memoriam suæ passionis illud consecrarent, & sumerent. Ob quod, etiamsi, quando ipse consecrauit, non consecrauerint cum ipso Apostoli, vt sic ipse solus denotaretur auctor tanti Sacramenti, fuit maximè conueniens, vt posteà aliquando plures Sacerdotes cum Episcopo tamquam cum Christo simul non tantùm sumant idem Sacramentum, sed illud efficiant, vel saltem conentur efficere, sicut efficerent, vel conarentur Apostoli, si non præualeret congruitas denotandi Christum esse auctorem tanti Sacramenti, vt sic cum Episcopo sumentes, & consecrantes memoriam passionis Christi eo vtroque modo recolant. Expedit tamen, ne recenter ordinati Episcopum in prolatione verborum præueniant, & consecrent, quia Episcopus est, qui præcipuè celebrat.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm solus Sacerdos possit Sacramentum Eucharistiæ dispensare & distribuere.

COnueniunt Catholici, solis Sacerdotibus conuenire esse ministros ordinarios ad dispensandum & distribuendum Sacramentum Eucharistiæ, seu eos solos esse, quibus ex officio id conuenit. Quod deducitur ex Tridentino sess. 13. cap. 8. vbi dicitur: *In Sacramenti sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus Communionem acciperent: Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent:* mos autem iste in Ecclesia non fuisset, nisi Sacerdotes ex proprio officio, & tamquam ministri ordinarij id haberent.

Addunt tamen communiter Doctores, Primò, Diaconis posse conuenire distributionem Sacramenti Eucharistiæ ex commissione, & non tantùm distributionem Sanguinis, sed etiam Corporis, quod quoad distributionẽ Corporis habetur in Conc. Carthaginẽsi IV. can. 38. his verbis: *Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo si necessitas cogat, iussus eroget.* Particulâ autẽ *iussus* denotatur, id ex sola commissione Diacono conuenire posse; & id quoad distributionem Sanguinis (vbi possit distribui) significatur verbis

verbis S. Laurentij ad Sixtum Papam, relatis ab Ambrosio lib. 1. Offic. cap. 21. *Cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.* Et quoad distributionem Corporis & Sanguinis exprimit Iustinus Apolog. 2. pro Christianis in fine, & indicat Clemens Rom. lib. 8. Constit. Apostolic. cap. 28. aliàs 34. dum de Diacono ait: *Non baptizat, non offert. oblatione ab Episcopo, aut à Presbytero facta ipse Diaconus dat populo, non tamquam Sacerdos. sed tamquam qui ministrat Presbyteris.* Vbi absolutè de administratione Sacramenti Eucharistię loquitur, & absque distinctione ad ministrationis Corporis & Sanguinis. Quando autem ait, *non tamquam Sacerdos, sed tamquam qui ministrat Presbyteris*, satis indicat, ipsi ex commissione Presbyteri conuenire.

Diacono ergo committi potest à Presbytero dispensatio seu distributio Eucharistiæ, tam Corporis quàm Sanguinis, quia ordinatur, vt ministret & inseruiat Presbytero in altari, vt exprimitur in ordinatione illius illis verbis, *Diaconum oportet ministrare ad altare:* sed non potest ei committi absque necessitate, seu causa rationabili (vt quoad distributionem Corporis exprimitur in dicto Concilio Carthaginensi) quia ordinatur vt ministret & iuuet, ac proinde solùm quando iuuamen Diaconi est necessarium Presbytero committenti, quia scilicet sunt qui cõmunicent, & Presbyter committens cõmodè nequit, & non est alius Presbyter qui id possit & commodè efficere. Et quoad necessitatem requisitam ad dictam commissionem faciendam, eadem est ratio, quoad distributionem Corporis & Sanguinis, etiamsi nonnulli ad distributionem Sanguinis nullam necessitatem requirant.

Addunt Secundò, communiter Doctores in casu vrgentis necessitatis ægroti, seu in articulo mortis, siue physico siue morali, si non sit præsens Episcopus, aut Presbyter, qui id possit expressè committere Diacono, posse ipsum Diaconum Sacramentum Corporis ægroto dispensare, quia id ipsi committitur ex interpretatiua aut præsumpta voluntate potentis committere: imò Iure ipso communi canonis 14. Concilij Nicæni I. & ideò quamuis Presbyter sit præsens, & renuat, si ipse nolit, illud ægroto administrare, potest Diaconus id efficere, quia scilicet ipsi committitur Iure communi.

Sed an in casu vrgentis necessitatis, seu in articulo mortis ægroti, siue physico siue morali, possit laicis committi dispensatio Corporis Christi, sub controuersia est. Circa quam, quamuis probabile sit id fieri posse, verius tamen est id non posse, in quo Doctores communiter conueniunt; quia id est laicis intuitu reuerentiæ Eucharistiæ prohibitum Iure Ecclesiastico in can. de Consecratione, dist. 2. desumpto ex Concilio Rhemensi sub Leone III. quod consuetudo confirmat. Quòd autem ægrotus in articulo mortis, siue physico siue morali, teneatur Iure diuino Eucharistiam sumere, non obstat; quia Ius hoc non obligat ægrotum, seu ab eo ægrotus excusatur, quoties Eucharistia nequit commodè & secundùm ordinem ab Ecclesia præscriptum dispensari.

Vasquez. Addit Vasquez disp. 219. cap. 1. posse Diaconos etiam extra vrgentem necessitatem, seu articulum mortis, absente Presbytero, se ipsos communicare, quia id conceditur illis in Concilio Nicæno I. *Concilium Nican. I.* can. 14. & multò meliùs id posse Presbyteros, quando alius Presbyter deficit, & aliquid necessarium ad celebrandum. Quod Valentia disp. 6. quæst. 1. puncto 10. Suarez disp. 72. sect. 3. Reginaldus lib. 29. num. 93. & alij extendunt ad laicos in articulo mortis; vt in eo possint se ipsos communicare, deficiente Presbytero & Diacono, immeritò tamen, vt aduertunt Vasquez vbi suprà, Henriquez lib. 8. cap. 54. Victoria de Eucharistia, n. 89. & Bonacina disp. 4. quæst. 5. puncto 1. & plures alij, quia dictum ministerium est laicis Iure Ecclesiastico prohibitum intuitu reuerentiæ Eucharistiæ, quæ non est ad salutem necessaria tamquam medium necessarium, quia in eo casu maioris momenti est retractio à materia prohibita, quàm sumptio Eucharistiæ præceptæ. *Valentia. Suarez. Reginald. Vasquez. Henriq. Bonacina.*

Regina autem Scotiæ, quæ refertur Eucharistiam, quam apud se seruabat, suis manibus sumpsisse quando ad mortem ducebatur, potuit id licitè fecisse, aut ne Eucharistia deueniret ad manus hæreticorum, aut saltem bona fide.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm omnes Sacerdotes sint ordinarij ministri ad distribuendam Eucharistiam.

COnstat ex dictis, solos Sacerdotes esse ordinarios ministros ad distribuendam Eucharistiam; supereſt tamen difficultas, An omnes Sacerdotes sint ordinarij ministri ad id.

Conueniunt Doctores, non omnes Sacerdotes esse ministros plenè ordinarios ad distribuendam Eucharistiam, sed tantùm eos, qui sunt proprij Pastores, reliquos verò non nisi ex commissione aut quasi commissione proprij Pastoris illius, qui communicaturus est. Quod significatur in Concilio Carthaginensi I. cap. 7. dum statuit, vt nullus Clericus vel laicus in aliena parochia sine literis sui Episcopi communicet: & in Concilio Mileuitano can. 18. dum priuatur Communione, qui non in propria parochia, sed in aliena communicat. Et id ratione probatur, quia soli proprio Pastori spirituali ex vi sui officij incumbit suis ouibus pastum & cibum spiritualem tribuere, & non alijs, qui non sunt proprij Pastores; ergo non omnes Sacerdotes, sed tantùm proprij Pastores sunt ministri plenè ordinarij ad distribuendam Eucharistiam.

Vnde Sacerdotes, qui non sunt proprij Pastores, non possunt alicui Sacramentum Eucharistiæ distribuere, nisi ex commissione proprij Pastoris; quia officium proprij Pastoris exigit, vt nullus alius nisi ex voluntate ipsius eius oues pascat: non quia Sacerdotes, qui non sunt proprij Pastores, ex vi ordinis Sacerdotij non habeant potestatem plenam ad distribuendam Eucharistiam, quia verè illam ita completam habent ad id, vt quantum est ex parte potestatis, nihil illis deficiat, quòd egeant à proprijs Pastoribus recipere, sicut deficit illis ad absoluendum, quia Eucharistiam distribuere non est actus iurisdictionis, sicut est absoluere à peccatis; sed quia proprij Pastores habent ius iustitiæ, vt nullus alius contra suam voluntatem suas oues pascat, eo modo quo Tractatu de Baptismo Disput. 11. Diffic. 11. diximus, Sacerdotibus non proprijs Pastoribus conuenire

potestatem ad baptizandum. Ac proinde Sacerdotes, qui non sunt proprij Pastores, quamuis peccent peccato iniustitiæ in proprios Pastores, contra eorum voluntatẽ administrantes Eucharistiam eorum subditis, non tamen peccato sacrilegij, seu irreuerentiæ in Eucharistiam, eo modo quo vbi suprà diximus peccare Sacerdotes baptizantes incolas parochiæ alienæ, contra voluntatem proprij Pastoris. Vnde commissio, aut potiùs licentia & voluntas proprij Pastoris requisita in alijs Sacerdotibus ad administrandã Eucharistiam, tantùm requiritur vt illam non administrent illicitè contra iustitiam, non verò vt illam non administrent illicitè contra reuerentiam Eucharistiæ. Imò Sacerdotes non proprij Pastores possunt dici ministri ordinarij ad administrandam Eucharistiam, quia id habent plenè ex vi sui Ordinis & officij Sacerdotij; sed non sunt dicendi tales omnino absolutè, quia dependent à voluntate proprij Pastoris, vt exerceant suam potestatem licitè absque iniustitia, sicut etiam Episcopus non proprius habet plenam potestatem ad ordinandum subditos alterius Episcopi, etiãsi eam nequeat licitè absque iniustitia exercere absq; voluntate proprij Episcopi.

Nomine autem proprij Pastoris non tantùm proprius Parochus, sed etiam proprius Episcopus, & Summus Pontifex intelliguntur, quia omnibus eis ex proprio officio conuenit suis subditis Sacramenta administrare. Quis autem sit proprius Parochus vagãbundorum in ordine ad confessionem & Communionem, & cui possint confiteri, & à quo possint Communionem recipere peregrini & iter agentes, dicimus Tractatu de Pœnitentia, Disputatione x. Difficultate xii.

DIFFICVLTAS V.

Quomodo alijs Sacerdotibus, qui non sunt proprij Pastores, conueniat Eucharistiam distribuere.

COnueniunt Doctores, Sacerdotes non proprios Pastores non posse licitè, absq; voluntate seu licẽtia proprij Pastoris, Eucharistiam distribuere, vt patet ex dictis; & ex ea posse: quia quilibet Sacerdos habet sufficientem potestatem ordinis ad id, & ei nihil deficit vt possit, nisi quòd id efficiat absque iniuria in proprium Pastorem, absque qua id efficiet eo ipso quòd id velit proprius Pastor.

Est tamen difficultas, An ad id sufficiat Sacerdotibus non proprijs Pastoribus voluntas interpretatiua seu præsumpta proprij Pastoris; an verò necessaria sit illis ad id voluntas expressa illius.

Circa quam conueniunt Doctores, ad id sufficere illis voluntatem præsumptam proprij Pastoris, quia voluntas seu licentia proprij Pastoris tantùm requiritur in alijs Sacerdotibus, vt id efficiant absque iniuria seu iniustitia in ipsum proprium Pastorem: quia distributio Eucharistiæ non est actus iurisdictionis, sicut est absoluere à peccatis, quia non est ius seu sententiam dicere, sicut est absoluere; sed tantùm est actus ordinis Sacerdotij, & actus dominij, aut quasi dominij, habentis tantùm quasi dominium, & ius iustitię ad distribuendam Eucharistiam proprijs ouibus. Fit autem absque iniustitia in proprium Pastorem, quando fit ex voluntate illius præsumpta seu interpretatiua, non solùm quando est præsens proprius Pastor (vt contingit, quando id videt aut scit fieri, & tacet) sed etiam quando tantùm est futura, id est, quando iudicio prudentis credi potest, proprium Pastorem contentum fore si id sciret, quia eo ipso quòd fit ex voluntate præsumpta, quamuis tantùm futura, non fit contra voluntatem rationabilem illius, seu non fit ipso rationabiliter inuito: iniustitia autem seu iniuria tantùm committitur, quando fit aliquid inuito domino rationabiliter.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis distribuere Eucharistiam absque voluntate saltem præsumpta proprij Pastoris, nequeat fieri absque peccato graui iniustitiæ contra proprium Pastorem, ob illud tamen nulla est generaliter in Iure statuta pœna, nisi tantùm Religiosis, quibus in Clement. *Religiosi*, De Priuilegijs, imposita est pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, si absque licentia proprij Pastoris præsumpserint laicis Eucharistiam ministrare: quam non incurrunt, qui eum ignorãtia adhuc vincibili id faciunt, nec qui ex voluntate præsumpta, quamuis tantùm futura; quia prædicti non dicuntur præsumere illud facere: nec illam incurrunt, qui Eucharistiam administrant in articulo mortis, absente omni alio qui id posset facere, quia tunc præsumitur proprium Pastorem contentum fore, si id sciret: nec qui habent peculiare priuilegium ad id, quia illi id faciunt ex licentia proprij Pastoris, nempe Romani Pontificis, qui est proprius Pastor totius Ecclesiæ.

DIFFICVLTAS VI.

Quibus concessa sit facultas ex priuilegio ad distribuendam Eucharistiam.

QVamuis in dicta Clement. *Religiosi*, De Priuilegijs, prohibitum sit generaliter omnibus Religiosis, Eucharistiam laicis distribuere absque licentia proprij Pastoris; iam tamen à Sede Apostolica concessum est Minoribus Obseruantiæ, & Societati nostræ (& consequenter omnibus alijs, quibus Mendicantium priuilegia communicantur) vt toto anno, excepto festo Paschæ Resurrectionis, possint omnibus fidelibus in suis templis Eucharistiam ministrare; imò vt concedant facultatem alijs Sacerdotibus, vt eam in dictis templis omnibus fidelibus ministrent.

Circa hæc priuilegia Nauarrus in Summa c. 21. num. 52. & Henriquez lib. 8. cap. 55. nomine *festi Paschæ* intelligunt diem ipsum Resurrectionis & Paschatis, ita vt in eo nequeant dicti Religiosi Eucharistiam sæcularibus ministrare, non solùm illis qui eam sumunt ad satisfaciendum præcepto annuæ Communionis, sed nec illis qui ex sola deuotione illam sumere intẽdunt. Et eumdem diem intelligunt Patres nostræ Societatis Compilatores Compendij nostrorum priuilegiorum, v. *Eucharistia*, §. 2. Addunt tamen dicti Patres, sic priuilegiatos posse eo die administrare Eucharistiam eis qui præcepto annuæ Communionis satisfecerint: & idem dicerent de his, qui intendunt postea satisfacere, & eo die tantùm volunt ex deuotione communicare.

Vasquez disp. 219. c. 3. Suarez disp. 72. sect. 2. *vbi sup.* & Adamus v. *Eucharistia*, quæst. 8. dub. 8. nomine festi Paschæ seu Resurrectionis intelligunt Communio-

munionem propriam illius Festi, prout extensi ad quindecim dies, qui à Dominica in Ramis numerantur iuxta vsum Ecclesiæ, ita vt Religiosi sic priuilegiati tantùm prohibeãtur administrare Communionem, qua intenditur satisfieri præcepto annuæ Communionis. Quod etiam re ipsa sentit *Ægidius.* Ægidius quæst. 82. art. 3. num. 31. & meritò: quia Pontifices dicta exceptione tantùm intendunt excipere Communionem, qua satisfit præcepto annuæ Communionis, vt fideles pro impletione præcepti annuæ Communionis ad proprios Parochos recurrant. Ergo nomine festi Paschæ intelligunt totum tempus Paschale, in quo potest satisfieri præcepto (vt dicitur in Declarationibus nostrarum Constitutionum Parte 7. cap. 4.) non materialiter, quasi in toto eo tempore non possint Religiosi sic priuilegiati Eucharistiam administrare volentibus ex sola deuotione communicare, quia verè possunt etiam in die ipso Resurrectionis, vt significatur in dictis Constitutionibus; sed formaliter, ita vt tantùm prohibeantur Eucharistiam ministrare volentibus præcepto annuæ Communionis satisfacere. Et sanè si, vt Nauarrus vult, nomine dicti Festi tantùm intelligeretur ipsa dies Resurrectionis materialiter, possent fideles in quolibet alio die ex dictis quindecim satisfacere præcepto annuæ Communionis, communicando in templis dictorum Religiosorum, quia acciperent Eucharistiam ab eis qui habent licentiam ad id à summo Pastore omnium. Et ob dictam rationem, quando in varijs Bullis conceditur priuilegium, vt Eucharistia possit toto anno, excepto die Paschæ, recipi à quolibet Sacerdote etiam sæculari, vt conceditur in Bulla Cruciatæ; dies Paschæ sumendus est non materialiter, sed formaliter, nempe pro Communione ex præcepto annuæ Communionis facienda: & quando in Bulla Pauli III. nobis conceditur priuilegium ministrandi Eucharistiam, exceptis die festo Paschatis, & articulo mortis, nomine *articuli mortis* intelligitur articulus mortis non materialiter, sed formaliter, sumptus videlicet pro Communione ex præcepto in eo articulo facienda: & ideò nostri, in domibus sæcularium infirmorum celebrantes, non prohibentur illis, quamuis in articulo mortis existentibus, Eucharistiam ex sola deuotione sumendam administrare.

Obseruandum tamen est Primò, deficiente proprio Parocho in articulo mortis, siue physico siue morali, posse nostros (& communiter alios Religiosos, quibus nostra priuilegia communicantur) Eucharistiam pro viatico administrare, & pro impletione præcepti communicandi in eo articulo, vrgente necessitate, id est, quando aliàs prudenter timetur ægrotum absque Eucharistia decessurum, quia Paulus III. in dicta Bulla id nobis concessit. Quando verò toto tempore Paschatis deficit proprius Parochus, quamuis toto eo tempore possimus Eucharistiam administrare, quia eam possunt fideles ex sola deuotione sumere, nulla tamen Communione à nobis collata satisfieri præcepto annuæ Communionis, quia non est nobis concessa licentia ad conferendam Eucharistiam pro impletione illius præcepti; & ideò tunc parochianos teneri elapso illo tempore Eucharistiam sumere de manu proprij Parochi, aut alterius ex licentia illius: quia obligatio illius præcepti eo adhuc tempore elapso perseuerat.

Obseruandum est Secundò, vt quis possit ex priuilegio aut ex licentia administrare Eucharistiam non indigere approbatione aliqua, quia nullo Iure est requisita; quamuis Iure Tridentini sess. 23. cap. 15. de Reformatione, requisita sit ad administrandam pœnitentiam sæcularibus, vt latè dicimus Tractatu de Pœnitentia, Disputatione x. Difficultate xvi.



TRACTATVS DE SACRIFICIO MISSÆ.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura & essentia Sacrificij Missæ.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit Sacrificium propriè & stricte sumptum.

CIRCA naturam & essentiam Sacrificij in communi propriè & strictè sumpti, non parum laborant Theologi.

Gabriel. Castro.

Gabriel lect. 85. in Canonem Missæ, & Castro lib. 10. Aduersus hæreses, v. *Missa*, Hæresi 2. docent, Sacrificium propriè & strictè sumptũ, esse quodcumque bonum opus, quod fit vt sancta societate Deo adhæreamus. Et eodem modo definit Kemnitius Sacrificium in communi in 2. Parte Examinis, disp. de Sacrificio Missæ. Quæ definitio sumpta videtur ex Augustino lib. 10. de Ciuitate ca. 6. dum ait: *Proinde verum Sacrificium est omne opus bonum, quod agitur vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.*

Definitio tamen hæc Sacrificij communiter reijcitur, & meritò: Primò, quia quodcumq; opus bonum fit, aut fieri potest, vt sancta societate Deo adhæreamus, & efficiamur beati, & tamen non quodcumq; opus est propriè & strictè & peculiariter Sacrificium, vt constat ex Scriptura, in qua multa opera bona opponuntur Sacrificio, & ab eo distinguuntur. Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificium.* & 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victima.* Secundò, quia Sacrificium propriè & peculiariter sumptum, est opus virtutis religionis, qua Deum peculiariter colimus, vt omnes nationes consentiunt; ergo non est actus cuiuscumque virtutis. Tertiò, quia in Ecclesia Dei post mortem Christi non agnoscitur nisi vnum tantùm propriè & peculiariter sacrificium, & istud Corporis & Sanguinis Christi; ergo Sacrificium propriè non est opus cuiuscumque virtutis.

Definitio etiam, qua Melanchthon in Apologia Confessionis Augustanæ in Articulo de Missa definit Sacrificium, quòd sit *cærimonia vel opus quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus*, eisdem fundamentis reijcitur, si per honorem intelligat eum, quem quocumque opere bono exhibemus Deo. At si per honorem intelligat quemcumque peculiarem, quem ex virtute religionis Deo exhibemus, reijcitur Primò, quia ex virtute religionis etiam exhibemus Deo honorem peculiarem oblationibus, votis, iuramentis, & adoratione; & tamen actus isti non sunt peculiariter Sacrificia. Secundò, quia post mortem Christi in lege Euangelica est vnum tantùm propriè & peculiare Sacrificium secundùm speciem, & tamen sunt plures actus virtutis religionis specie distincti, quibus diuerso modo specifico colimus Deum.

Definitio quoque Caluini, qua lib. 4. Institut. cap. 18. definit Sacrificium, quòd sit *quidquid omnino Deo offertur*, facilè reijcitur; quia in lege Euangelica est vnum tantùm Sacrificium, & tamen in ea plures res offeruntur. Cui adde, quòd aliàs Aaron Num. 8. dum obtulit Domino filios Leui, eos Deo sacrificasset.

Augustinus autem vbi suprà, dum quodcumque opus bonum, factum vt Deo placeamus, appellat Sacrificium verum, non vult esse propriè & peculiariter Sacrificium, sed Sacrificium latè. Appellat autem quodcumque opus bonum sic factum, verum Sacrificium, ab effectu veri & proprij Sacrificij; quia dicta opera aliquo modo magis placent Deo, & per ea aliquo modo magis placatur Deus, & nobis magis reconciliatur, quàm per Sacrificium externum, præsertim quando sit sine pietate: quod maximè verum est de sacrificijs peccatorum, quibus Augustinus reliqua bona opera comparauit, & de quibus ait per se & fictè facta non placere Deo.

Aug.

Deinde Gabriel vbi suprà, & Suarez disp. 73. sect. 6. definiunt Sacrificium, quòd sit *actus externus religionis, continens supremum latriæ cultum, soliq; Deo debitum.* Quam definitionẽ reijcit Valquez disp. 220. n. 18. & meritò: quia per eam non explicatur peculiaris ratio & essentia Sacrificij, sed communis omnibus actibus religionis, quia quicumque actus religionis continet supremum cultum latriæ, & soli Deo debitum: quia quocumque opere virtutis religionis, aut Deitatem, aut attributum aliquod Deitatis, practicè profitemur & recognoscimus; Sacrificio autẽ nihil maius Deitate nec ipsius attributis profitemur, quia Sacrificio profitemur omnipotentiam Dei, quæ non est maior Deitate nec alijs attributis.

Gabr. Suarez.

Rursus recentiores nonnulli definiunt Sacrificium, quòd sit, *oblatio externa Deo facta, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis, & professionem di-*

uinæ

uinæ maiestatis, à legitimo ministro res aliqua sensibilis & permanēs ritu mystico consecratur & transmutatur. Et ferè in idem recidunt duæ aliæ definitiones Sacrificij, quibus Suarez vbi suprà etiam definit Sacrificium, quarum prior est: Sacrificium est *oblatio Deo facta per immutationem alicuius rei, in signum legitimè institutum diuinæ excellentiæ & reuerentiæ.* posterior est: Sacrificium est *signum sensibile ad diuinam excellentiam, & cultum illi debitum immediatè significandum, impositum per alicuius rei immutationem.* Et etiam ferè in idem re-
Ægidius. cidit definitio Sacrificij, qua Ægidius quæst. 83. num. 3. definit Sacrificium, quòd scilicet sit *oblatio externa legitima auctoritate instituta, qua res aliqua sensibilis immutatur, per legitimum ministrum legitimo loco, & ritu Deo vero facta, in protestationem summi ipsius in res omnes dominij.*

Definitiones hæ etiam sunt insufficientes, quia non explicant peculiarem rationem Sacrificij, prout Sacrificium distinguitur ab omnibus alijs actibus religionis: quia adoratione profitemur diuinam excellentiam & maiestatem, & nostram infirmitatem & inferioritatem, imò clariùs quàm Sacrificio, quia adoratione nos tamquam inferiores submittimus Deo tamquam omnium supremo in excellentia, maiestate & dignitate. Nec ex eo, quòd addatur, in Sacrificio rem offerri & immutari, explicatur peculiaris ratio Sacrificij; quia etiam oblatione rei odoriferæ, & eius exhalatione, vt thurificatione, Deum aliquando adoramus, quatenus eum quasi odore perfundimus; quia eo ipso nos ei, vt inferiores in prædictis, submittimus: ex eo enim, quòd addatur à legitimo ministro, aut in signum legitimè institutum aut impositum, nulla ratio essentialis, nec propria passio Sacrificij explicatur. quia Sacrificium esse potest absque vtroque. Nam quamuis lege scripta Dei, imò & plurium nationum, instituta fuerint peculiaria signa pro sacrificijs, & ad id etiam fuerint aliqui homines peculiariter destinati & deputati; Sacrificium tamen ex sua natura neutrum exigit: quia vnicuique, seclusa prohibitione positiua, iure naturæ permissum est, Deum Sacrificio colere, & etiam sibi eligere signum, ad id idoneum. Id verò, quod addit Ægidius, *in protestationem summi dominij in res omnes*, falsum est: quia etiamsi simplici oblatione rerum Deo factæ, protestemur supremum Dei dominium in illas, non tamen Sacrificio; quia eo tantùm protestamur Deum esse auctorem vitæ & mortis, & esse & non esse rerum.

Tandem definitio aliorum, qua definiunt Sacrificium, quòd sit *oblatio sensibilis immutata, in honorem & cultum & reuerentiam Dei*, reijcitur ex eo, quòd per eam non explicetur peculiaris ratio professionis seu protestationis practicæ Dei, vt auctoris vitæ & mortis, in qua peculiaris ratio & essentia Sacrificij consistit; quamuis in ea definitione ponatur *immutatio*, quia tantùm est quid materiale, cui potest conuenire dicta ratio professionis & protestationis practicæ; imò illa potest esse materiale, cui conueniat ratio adorationis.

Pro exacta igitur Sacrificij propriè dicti definitione supponendum est ex communi Theologorum consensu, Sacrificium esse quemdam peculiarem actum virtutis religionis, distinctum ab omnibus alijs; qui ab adoratione, & à simplici oblatione, cum quibus maiorem habet similitudinem, quàm cum alijs actibus virtutis religionis, sic distinguitur. Quando per adorationem practicè recognoscimus & profitemur Deum, vt supremum quoad excellentiam, seu claritatem, & dignitatem, quia est signum quo practicè nos submittimus Deo, vt superiori in excellentia & dignitate, & per simplicem oblationem practicè recognoscimus & profitemur Deum, non vt superiorem in excellentia & dignitate, sed vt supremum Dominum omnium rerum; cui omnes seruire debent; ideò enim Deo offerimus res aliquas, v. g. aurum, aut triticum, aut panem, vt denotemus earum, & reliquarum quas possidemus, ipsum magis quàm nos esse Dominum: per Sacrificium verò practicè recognoscimus & profitemur Deum, vt omnipotentem ad conseruandum & destruendum omnes res creatas, præsertim viuentes; seu recognoscimus, & profitemur Deum, vt auctorem ipsius esse & non esse rerum, præsertim ipsius vitæ & mortis viuentium, & quia nihil est quod merè naturaliter sit practica recognitio auctoritatis diuinæ circa esse & non esse rerum, circa mortem & vitam. ideò requisita est aliqua positiua institutio, aut Dei, aut hominum, qua re aliqua id in Deo denotemus, & significemus, & affectum seu intentionem id efficiendi exprimamus. Et quamuis ad id possit pro libito quæcumque res institui, etiamsi nullam ad id habeat naturalem proportionem (sicut voces, absque proportione aliqua naturali ad res, fuerunt institutæ ad eas significandas, quia eam habere non possunt) aptiùs tamen & conuenientiùs ad id instituuntur res, quæ aliquam habent proportionem naturalem ad id; quia sunt plures res quæ talem proportionem habere possunt: ad id autem maximam habet proportionem naturalem, immutatio rei quæ sacrificatur, quæ sit consumptio illius rei, aut quæ saltem ad consumptionem rei ordinetur; quia talis immutatio maximè apta & conueniens est ad denotandum, nos & omnem rem ita à Deo pro nutu voluntatis ipsius destrui posse, sicut res illa in Sacrificium Deo oblata modo dicto immutatur à nobis.

Prædicti autem tres actus religionis distinguuntur à laude Dei, quæ etiam est actus religionis, quia actus laudis Dei positus est in verbis, & circa omnia attributa Dei versatur: illi verò tres positi sunt in rebus, & singulis eorum prædicta peculiaria attributa Dei profitemur.

Quòd si obijcias: Oblatio panis & vini facta à Melchisedech Genes. 14. fuit verũ Sacrificium, & absq; dubio satis aptè & conuenienter & tamen in pane & vino nulla fuit facta immutatio; ergo absque hac aptè & conuenienter potest esse Sacrificiũ. Omissis alijs solutionibus, respõdemus, quòd etiamsi in Scriptura non fiat mẽtio alicuius immutationis factæ in pane & vino à Melchisedech, credendum tamen est, factã fuisse. Quomodo autem fuerit facta, non constat: potuit tamen panis adustione in clibano immutari, & vinũ effusione illius super panem adustũ, aut expressione illius ex vuis.

Sacrificium ergo in communi propriè & strictè peculiariter dictum, est *signum existens in re Deo oblata, quo Deum ipsum auctorem vitæ & mortis profitemur.* Aut, quod in idem recidit, est *immutatio rei Deo oblatæ, qua Deum ipsum auctorem vitæ & mortis profitemur.*

Definitio hæc Sacrificij in cõmuni est sufficiens & exacta, quia per eam explicatur propria & peculiaris ratio Sacrificij, prout est actus distinctus ab alijs

aliis actibus virtutis religionis, vt ex dictis facilè constare potest. Dicitur in ea definitione Sacrificium esse *signum existens in re Deo oblata*, aut dicitur esse *immutatio rei Deo oblatæ, qua Deum ipsum auctorem vitæ & mortis profitemur*, quia nulli alij potest licitè fieri, nisi verò Deo, etiamsi verè & validè possit fieri alij, qui iudicetur non esse Deus: quia si res aliqua illi offeratur, immutando illam animo & intentione profitendi illum auctorem vitæ & mortis, absque dubio illi fiet vetum & validum Sacrificium, quamuis in eo maximum sacrilegium committatur; nam ratio cultus non tam pendet ex persona cui fit, quàm ex signo & ex intentione ex qua fit.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm in Missa sit verum & proprium Sacrificium, & in eo Christus immoletur.

NOmen *Missa*, quod hæretici tamquam barbarum, & in Scriptura minimè repertum, immeritò rident, de quo legendi sunt Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 1. & Ægidius q 83. art. 1. dub. 3. non est Hebræum, vt non pauci falsò existimant, sed est Latinũ, vt aduertunt Bellarminus & Ægidius vbi suprà, Suarez disput. 14. Vasquez disp. 221. & plures alij: & non deriuatur à *transmittendo*, vt absque fundamento aliquo existimat Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis, p. 8. cap. vlt. quia populus ministerio Sacerdotis vota sua & oblationes Deo transmittit; sed deriuatur & dicitur à *mittendo* (vt Isidorus lib. 6. Etymol. c. 9. Augustinus Serm. 237. & reliqui Theologi, qui existimant esse Latinum, aduertunt) sumpto pro dimittendo, ita vt *Missa* idem sit quod *missio* seu *dimissio*, quia populus in Missa dimittitur, nunc tantùm in fine Diacono dicente, *Ite missa est*, id est, Ite, quia iam missio seu dimissio est, vel tempus missionis seu dimissionis. Antiquitus verò Catechumeni immediatè ante Offertorium, dicente Diacono, *Catechumeni exeunto*; & baptizati, in fine Missæ, Diacono dicente, *Ite missa est*: & ideò in eodem Sacro dicebantur esse duæ Missæ, vna Catechumenorum, & altera baptizatorum, & ob id nunc idem Sacrum dicitur *Missarum solemnia*.

Bellarmin. Ægidius. *Vasquez.* *Hugo de S Victore.* *Isidorus.*

Hoc suppositio, hæretici circa præsentem Difficultatem docent, in Missa nullum esse propriè Sacrificium, in quo Christus aut aliud immoletur. Quod multis probant, Primò, quia Christus, vt dicitur ad Hebræos 7. est Sacerdos in æternum; ergo ipsi nullus in terris succedit Sacerdos; & consequenter Sacrificio facto à Christo, nullum in terris succedit Sacrificium, in quo ipse aut aliud immolari possit.

Secundò, quia Sacrificium cruentum Christi in cruce fuit infiniti valoris; ergo superuacaneum est nunc Sacrificium nouum offerre, & antiquum repetere. Et confirmatur, quia Christus vno introitu per sanguinẽ in sancta (id est vna sua morte in fieri, seu vno sacrificio cruento) æternã redemptionem inuenit, vt ait Paulus ad Hebr. 9. & vna oblatione sui in cruce consummauit sanctificatos, vt ait idem Paulus c. 10. Ergo post mortem Christi frustrà fiet nouum Sacrificium, & repetetur antiquum.

Tertiò, quia Eucharistia est Sacramentum & testamentũ; ergo nequit esse propriè Sacrificiũ. Probatur consequentia, quia ratio Sacrificij consistit in eo, quòd sit id quo nos aliquid Deo offeramus; ratio verò Sacramenti in eo, quòd sit id quo Deus nobis aliquid conferat; & ratio testamenti in eo, quòd sit id quo nobis aliquid promittat seu relinquat. Impossibile autem est, quòd eadem res sit id quo Deus nobis aliquid promittat & donet, & quo aliquid à nobis Deo offeratur.

Quartò, quia Christum in vltima cœna Sacramentum Eucharistiæ Discipulis dedisse rectè nouimus; se autem ipsum, aut aliud Patri obtulisse in Sacrificium, numquam legimus; ergo Sacerdotes Christi ad imitationem illius consecrantes, non dicentur aliquid Patri in Sacrificium offerre.

Quintò, quia ad rationem Sacrificij necessaria est consumptio aut immutatio rei quæ immolatur, ad ipsius consumptionẽ ordinata; in Missa autem saltem Christus non consumitur, nec inchoatiuè; ergo saltem Christus non immolatur in Missa.

De Fide tamen est, in Missa verum & propriè dictum Sacrificium Deo offerri, & in eo Christum immolari. Quod definitum est in Tridentino sess. 22. cap. 1. & 2. & can. 1. 3. & 4. & illius fit mentio in Concilio Nicæno I. can. 13. & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. 1.

Et id tradunt innumeri Patres (vt hæretici ipsi testantur:) pro nunc tamen sufficiant Andreas Apostolus, qui, vt ex eius Legenda constat, Ægeæ Proconsuli, suadenti vt Dijs immolaret, respondit: *Ego omnipotenti Deo immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari.* Et Hippolytus Martyr, qui in Oratione de Consummatione sæculi introducit Christum sic loquentem: *Venite Pontifices & Sacerdotes, qui pretiosum Corpus & Sanguinem meum quotidie immolastis.* Et Ambrosius, qui in c. 1. Lucæ sic ait: *Cùm sacrificamus, Christus adest, Christus immolatur.* quæ omnia fiunt in Missa.

Et id ratione probatur, Primò à priori: quia in Missa, media consecratione vtriusque speciei, occiditur Christus vt homo (quamuis non cruentè, sed incruentè & mysticè) quia per consecrationem vtriusque speciei ex vi verborum, quibus illa fit, separatur Corpus à Sanguine, & Sanguis à Corpore, vt expendemus Diffic. VIII. quo verè & propriè denotamus Deum esse auctorem vitæ & mortis, & id intendimus: ergo in Missa est verum & proprium Sacrificium, & in eo Christus immolatur.

Secundò idem ab absurdo probatur, quia si in Missa non est verè & propriè Sacrificium, & in eo Christus non immolatur, in Ecclesia Christiana nullum esset propriè Sacrificiũ. Consequens autem est absurdum, quia nulla natio, quantumuis barbara, agnoscitur caruisse vero & proprio Sacrificio. Antecedens autem probatur, quia extra Missam nihil fit in Ecclesia Christiana ad denotãdum Deum auctorẽ vitæ & mortis, quia extra Missam nullum animal ad id denotandũ occiditur, vt patet; nec res aliqua ad id denotandum consumitur, nec immolatur, quia consũptio thymiamatis & incensi, quæ non rarò fit in Ecclesia Dei, non fit ad denotandum Deum esse auctorem vitæ & mortis (quamuis posset) sed vt vapore eorum & suffitu Deum adoret; & ob id si thymiama & incensum absque igne vaporem illum copiosè exhalarent, sicut, quando igne cremantur, Ecclesia non vteretur consumptione eorum in igne. Accedit, quòd vaporibus & suffitibus thymiamatis & incensi

incensi etiam colit imagines, sicut luminaribus
Synod. VII. accensis, vt dicitur in VII. Synodo act. 7. & tamen imaginibus numquam obtulit sacrificium. Vnde quando in benedictione cerei Paschalis grana incensi cereo affixa dicuntur Sacrificium, non sumitur ibi Sacrificium propriè: quia non immutantur, nec immutanda sunt ad denotandũ Deum auctorem vitæ & mortis, imò tunc non immutantur; sed dicuntur Sacrificium latiori significatione, qua etiam opera misericordiæ dicuntur Sacrificium: imò grana illa tantùm dicuntur latè Sacrificium figuratè & repræsentatiuè, quatenus grana illa significant opus misericordiæ factum à mulieribus quando emerunt aromata ad vngendum corpus Christi.

Ad primam ergo rationem hæreticorũ respondemus, ex eo quòd Christus sit Sacerdos in æternum, tantùm deduci, nullum posse in Sacerdotio ipsi tamquam relinquẽti Sacerdotium succedere, sicut Sacerdotes Leuitici alijs succedebant, quia morte desinebãt esse Sacerdotes: non verò deduci, non posse de nouo plures ordinari Sacerdotes non successores Christi, sed Vicarios illius, qui tãquam ministri illius possint nomine ipsius ministrare.

Ad secundam respondemus, quòd etiamsi Sacrificium cruentum Christi, seu oblatio qua se ipsum moraliter obtulit mactationi cruẽtæ, fuerit infiniti valoris, & sufficientissimum, tamquam meritum vniuersale, ad redemptionẽ nostram: nihilominùs absque iniuria illius, & absq; iniuria crucis in qua fuit factum, & absq; eo quòd virtuti infinitæ illius aliquid derogetur, possunt altaria erigi, & Sacrificium Missæ quotidie celebrari, & repeti, quia istud non fit, nèc repetitur, quia nõ sufficiat Sacrificium Christi tamquam meritum vniuersale; sed vt per Sacrificium Missæ, tãquam per causam particularem, & tamquam per medium, instar Sacramenti nobis applicetur fructus meriti vniuersalis oblationis, qua Christus se ipsum obtulit mactationi cruentæ, vt docet Tridentinum sess. 22. c. 1. & 2. Ex eo autem quòd præter Sacrificium Missæ sint alia media, per quæ possit nobis applicari fructus meriti dictæ oblationis Christi, non est censendum superuacaneum Sacrificiũ Missę: quia ex eo, quòd non sit medium vnicum, tantùm sit, non esse necessarium; non verò, nõ esse vtile. Et ad confirmationem respondemus, Christum vna sua morte, & vno suo Sacrificio cruento, inuenisse redẽptionem nostram, & illam cõsumasse, quoad sufficientiam, seu tamquam meritum vniuersale, non verò quoad efficaciam; & ideò non frustrà fieri Sacrificium nouum in Missa, sed vtiliter, vt scilicet fructus meriti vniuersalis Christi nobis per illud applicetur.

Ad tertiam concedimus, Eucharistiam esse Sacramentum & testamentum; negamus tamen, non posse esse Sacrificium, quia id conuenit Eucharistiæ ratione diuersarum rerum ipsius. Quia est Sacramentum, ratione specierum, quatenus sunt signum practicum gratiæ: & est Sacrificium, ratione consecrationis vtriusque speciei; quia ex vi illius humanitas Christi incruentè mactatur: & est testamentum, ratione Sanguinis contenti sub speciebus vini; quia Sanguis Christi, quamuis non prout existens sub speciebus vini, sed prout effusus in cruce, seu effusio illius est conditio sub qua Deus nobis promisit gratiam & gloriam, & ob effusionem illius iam impletam nobis illas confert, & ob eam præuisam contulit gratiam Patribus veteris Testamenti, de quo diximus tractatu de Eucharistia Disputatione III. Difficultate VII.

Ad quartam respondemus, quòd quamuis expressè non legamus, Christum in vltima cœna se Deo in Sacrificium obtulisse, id tamen negari non potest; sicut etiam, quamuis non legamus, Sacramentum Eucharistiæ sub nomine Sacramenti suis Discipulis tradidisse, id negari non potest, quia verè illis tradidit, quod habuit veram rationem Sacramenti. Quia ergo positio Christi sub speciebus est vera mactatio illius, vt dicemus Difficult. VIII. & IX. & absque dubio instituta & facta est ad denotandum, Deum esse auctorem vitæ & mortis; negari non potest, Christum in vltima cœna se ipsum in Sacrificium Deo obtulisse, quia in ea se ipsum sub speciebus posuit, & dicto fine.

Ad quintam, negamus, Christum in Missa non consumi mysticè, de quo dicemus Diff. VIII. & IX.

Ex dictis constat, Christum esse victimam, seu hostiam Sacrificij in Missa reperti, quia ipse est qui immolatur in illo, de quo amplius Diff. VIII. & IX.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm aliquid aliud simul cum Christo ad victimam, seu hostiam Sacrificij Missæ pertineat.

BEllarminus lib. 1. de Missa, ca. 27. & Adamus q. 9. dub. 2. docent, ad victimam & hostiam, quę in Sacrificio Missę immolatur, etiam pertinere substantiam panis & vini, quia in Liturgia seu Missa Romana panis & vinum appellantur *hostia*, quando in Offertorio dicitur, *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam:* & etiam appellantur *Sacrificium*, quando statim post Offertorium dicitur, *Veni sanctificator, & benedic hoc Sacrificium tuo sancto nomini præparatum.* Et idem videntur tradidisse Patres, dum dicunt, Christum ex suis creaturis obtulisse; & dum Sacrificiũ Missæ appellant *Sacrificium panis & vini*; & dum dicunt, Christum panem & vinum obtulisse; & dum dicunt, panem & vinum in Sacrificio offerri; & clariùs, dum dicunt, panem & vinum offerri in Sacrificium. *Bellarmin. Adamus.*

Vasquez verò disp. 222. n. 51. Valentia disp. 6. q. 12. punct. 1. & communiter Theologi docent, & meritò, panem & vinum non pertinere intrinsecè ad victimã Sacrificij Missæ, sed tantùm Christum vt hominem. Quod satis indicat Tridentinum sess. 22 c. 2. dum ait: *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Sed in Sacrificio cruento crucis solus Christus absque substantia panis & vini, & absque ipsorum accidentibus fuit hostia & victima; ergo in Sacrificio incruento Missæ solus Christus est hostia & victima; & ad eam non pertinet substantia panis & vini, nec ipsorum accidentia; alias in vtroque dicto Sacrificio non esset eadem hostia & victima. *Vasquez. Valentia.*

Et ratione probatur: quia, vt dicemus Diff. VIII. & IX. immolatio seu actio sacrificandi in Missa sufficienter saluatur & constituitur in separatione mystica, qua Corpus Christi ponitur ex vi verborum sub speciebus panis, nõ posito Sanguine ex vi eorum; & Sãguis Christi ex vi verborum sub speciebus vini, non posito Corpore ex vi illorum,

rum, quia in ea mystica separatione est sufficiens mactatio & iugulatio Christi; ergo solus Christus absque aliquo alio est sufficiens victima in Sacrificio Missæ.

Illud verò, quod tradit Gaspar Casalius lib. 1. de Sacrificio Missæ c. 25 nempe, in Missa esse duo Sacrificia, vnum in quo solus Christus est victima, & alterum in quo panis & vinum sunt victima, absurdum est, non solùm quoad id quod asseritur, in Missa esse duo Sacrificia, quia est contra Tridentinum sess. 22. in initio, vbi Sacrificium Missæ appellat *singulare*, de quo dicemus Diff. XI. sed etiam quoad id quod asseritur, in Missa esse duas victimas, quia est contra Tridentinum cap. 2. vbi ait, in Sacrificio Missæ esse vnam hostiam, & hanc esse eamdem cum hostia in Sacrificio crucis immolata; & contra id, quod in Oratione Dominicæ VI. post Pentecosten continetur, nempe: *Deus, qui legalium differentiam hostiarum vnius Sacrificij perfectione sanxisti.* vbi nomine *Sacrificij* potiùs hostia intelligitur, quàm actio sacrificandi; tum quia comparatur cum hostijs & victimis legalibus; tum quia in Ecclesia non vna tantùm immolatio successit antiquis, sed plures specie, nempe cruenta & incruēta, & plures numero incruentæ. Et quidem ex nullo fundamento deduci potest, Christum aliam rem præter se ipsum in victimam pro Sacrificio commendasse, nec ad aliud immolandū quàm se ipsum, Sacerdotes instituisse.

Panis verò & vinum appellantur in Missa hostia & sacrificium, quia transeunt & conuertuntur in victimam huius Sacrificij, & ob id appellantur hostia & sacrificium præparatum, id est, id quod præparatum est, vt ex eis fiat Sacrificium, & ob idem Christus dicitur ex creaturis suis obtulisse, & ob idem Sacrificium Missæ appellari Sacrificium panis & vini; & etiam quia in hoc Sacrificio immolatur Christus, vt contentus sub speciebus panis & vini: & ob id dici potest Christum panem & vinum obtulisse, quamuis addatur, in Sacrificium & panem & vinum immolasse.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm immolatio, seu actio sacrificandi in Missa, consistat in oblatione panis & vini statim post lectum Euangelium verbaliter facta.

SVpponimus, in Missa sex actiones inter alias reperiri. Prima est, oblatio panis & vini statim post Euangelium lectum verbaliter facta. Secunda est, consecratio realis vtriusque speciei, in qua inclusæ sunt desitio panis & vini, & positio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus. Tertia est, oblatio Corporis & Sanguinis Christi paulò post consecrationem vtriusque speciei verbaliter facta. Quarta est, fractio Hostiæ consecratæ. Quinta est, distributio Sacramenti Eucharistiæ. Sexta est, sumptio illius facta à Sacerdote.

Est ergo difficultas, in qua actione earum actio Sacrificij Missæ consistat: & Primò est difficultas, An consistat in oblatione panis & vini, statim post Euangelium verbaliter facta.

Scotus. Scotus in 4. dist. 13. quæst. 2. § *Ad quæstionem*, versic. *Si obijcias*, docet, in ea oblatione sufficienter constitui, quamuis indicet etiam sufficienter constitui in oblatione verbali Corporis & Sanguinis Christi post consecrationem facta: quod indicant Patres, dum Sacrificium Missæ dicitur ab ipsis panis & vini, & dum Christus in vltima cœna, ad cuius imitationem nos in Missa Sacrificium offerimus, dicitur panem & vinum obtulisse. Et ratione probatur, quia dicta verbalis oblatio panis & vini est vera oblatio, & Deo facta; ergo est vera immolatio, & Sacrificium.

Alanus. Alanus verò lib. 2. de Sacrificio cap. 18. Bellarminus lib. 1. de Missa, c. 22. Suarez disp. 75. sect. 3. Vasquez disp. 222. c. 1. & communiter Theologi docent, immolationem, & actionem Sacrificij Missæ non esse positam in dicta oblatione, & meritò: quia per eam oblationem panis & vini, non fit immutatio aliqua in pane & vino, qua profiteri possimus Deum esse auctorem vitæ & mortis, quia simplici tantùm oblatione offeruntur; ergo in ea nequit constitui vera immolatio & sacrificatio. Et accedit Primò, quòd in primitiua Ecclesia non fiebat dicta oblatio panis & vini in Missa, & tamen semper in Missa Sacrificium fuit oblatum. Accedit Secundò, quòd victima in Sacrificio Missæ non est panis & vinum, sed solus Christus, vt diximus Difficultate præcedenti.

Sacrificium verò Missæ dicitur à Patribus panis & vini, & quia panis & vinum transeunt in victimam huius Sacrificij, & quia Christus, vt contentus sub speciebus panis & vini, instar substantiæ panis & vini immolatur; & ob easdem rationes dicitur panem & vinum obtulisse, etiam addendo in Sacrificium.

Et ad rationem respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam; quia non quæcumq; oblatio est Sacrificium, sed tantùm illa, qua res oblata ita immutatur, vt ipsius immutatione denotetur Deum esse auctorem vitæ & mortis.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm immolatio, seu actio sacrificandi in Missa, consistat in oblatione Corporis & Sanguinis Christi, paulò post consecrationem verbaliter facta.

ECkius lib. 3. de Sacrificio Missæ, c. 9. & Gabriel in 4. dist. 13. q. 1. art. 3. docent, immolationem, seu actionem sacrificij Missæ, sufficienter constitui in oblatione illa verbali, qua Sacerdos paulò post consecrationem verbaliter offert Corpus & Sanguinem Christi: quod etiam indicat Scotus q. 2. §. *Ad quæstionem*, vers. *Si obijcias*. Probari autem potest, quia per eam oblationem sufficienter offertur Deo Christus, seu Corpus & Sanguis Christi; ergo in ea sufficienter constituitur actio Sacrificij Missæ.

Bellarminus verò, Vasquez & Suarez vbi suprà, docent, immolationem, seu actionem Sacrificij Missæ non constitui sufficienter in dicta oblatione; & meritò: quia per dictam oblationem nulla fit immutatio, nec aliud quo denotetur Deum esse auctorem vitæ & mortis; ergo in ea non consistit immolatio & sacrificatio reperta in Missa. Accedit, quòd non constat, Christum, qui in vltima cœna incruentè sacrificauit, & quem nos in Sacrificio Missæ imitamur, post consecrationem panis & vini seipsum Patri obtulisse.

Addunt prædicti contra Sotū & Couarruuiam, non solùm in ea oblatione non cōstitui sufficienter immo-

immolationem Missæ, sed nec ad essentiam illius pertinere; & meritò: quia, vt dicemus Difficultate IX. tota essentia immolationis Missæ sufficienter consistit in consecratione vtriusque speciei. Et quamuis in ea non consisteret sufficienter, nō posset dicta oblatione perfici & compleri, quia nihil in ea est, quod iuuare possit ad denotandū, Deum esse auctorem vitæ & mortis; quia si aliqua ratione iuuare posset ad id, maximè quia est oblatio quæ ad essentiam actionis Sacrificij requiritur: ea autem ratione non iuuat, quia oblatio ad essentiam actionis Sacrificij requisita non est actio distincta ab ipsa actione sacrificandi, sed est ipsa actio facta intentione denotandi Deum esse auctorem vitæ & mortis; sicut etiam consecratio in actione Sacrificij reperta, non est aliud quàm actio ipsa Sacrificij, seu oblatio ipsa Deo facta. Accedit, quòd absque dubio à Christo in vltima cœna fuit Sacrificium integrè essentialiter factum, & non constat ab ipso factam fuisse prædictam illam oblationem.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, per oblationem illam sufficienter offerri Deo Corpus & Sanguinem Christi; negamus tamen, in ea essentiam immolationis Missæ consistere: quia ad rationem immolationis non sufficit quæcumque oblatio, quia requiritur oblatio qua denotetur Deus auctor vitæ & mortis, quod non denotatur dicta oblatione.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm actio Sacrificij Missæ in fractione Hostiæ consecratæ consistat.

NVllus est, qui totam essentiam actionis sacrificandi in Missa, in fractione Hostiæ consecratæ constituat, quia quamuis apta sit, vt in ea ratio immolationis, seu actionis Sacrificij reperiatur, quia est immutatio intrinseca Hostiæ consecratæ, seu accidentium panis: nihilominùs Christus non commendauit illam pro Sacrificio Missæ, quia voluit ipsum in Missa immolari, & non solam Hostiam consecratam. dicta autem fractione Hostia sola immutatur immutatione apta ad immolationem, non verò Christus; quia per eam fractionem Christus non immutatur nisi localiter, & immutatio localis non est apta ad id.

Est tamen difficultas, An partialiter pertineat ad essentiam immolationis, seu actionis Sacrificij.

Canus. Valentia. Canus 12. de Locis c. 13. ad 4. argumen. & Valentia disp. 6. q. 9. pun. 1. §. 2. docent, consecrationem non sufficere ad essentiam actionis Sacrificij Missæ, sed ad eam etiam requiri fractionem Hostiæ consecratæ, quod videtur Christus insinuasse Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. dum panem consecratum fregit, & præcepit vt nos id etiam faceremus. Et ratione probatur, quia fractio Hostiæ consecratæ fit, vt per eam significetur fractio seu passio Christi in cruce, vt aduertunt Prosper relatus de Consecrat. dist. 2. can. *Cum frangitur*, & Algerus lib. 1. de Sacramentis Corporis & Sanguinis Christi c. 19. Ergo fractio Hostiæ consecratæ habet rationem Sacrificij commemoratiui, non minùs quàm consecratio.

Bellarmin. Vasquez. Suarez. Ægidius. Bellarminus verò, Vasquez, & Suarez vbi suprà, & Ægidius q. 83. art. 1. dub. 5. docent, fractionem Hostiæ consecratæ nō pertinere ad essentiam actionis Sacrificij Missæ (quod etiam significat S. Thomas q. 82. art. 6. ad 6.) & meritò: quia consecratio vtriusque speciei, absque fractione Hostiæ consecratæ, est sufficiens actio sacrificandi Christum, vt dicemus Difficultate VIII. ergo fractio Hostiæ absque fundamento dicitur ad essentiam actionis Sacrificij Missæ pertinere. Accedit, quòd Christus in vltima cœna se ipsum incruentè sacrificans integrè essentialiter, nō fuit vsus fractione panis consecrati, sed panis non consecrati, vt diximus Difficul. 1. nec dicta fractio Hostiæ consecratæ facta fuit in omnibus Missis, vt constat ex Liturgia Basilij, in qua nulla fit mentio talis fractionis, & tamen in omnibus semper fuit factum Sacrificium essentialiter integrum. *S. Thomas.*

Ad fundamentum Cani ex facto & præcepto Christi desumptum, negamus, Christum panem consecratum fregisse, sed tantùm panem nondum consecratum; ac proinde non præcepisse, nec commendasse fractionem Hostiæ consecratæ, imò nec fractionem Hostiæ non consecratæ, sed consecrationem, & ad summum etiam sumptionem Hostiæ consecratæ.

Et ad rationem negamus, fractionē Hostiæ consecratæ fieri, vt significetur passio & quasi fractio Christi, quia hæc consecratione significatur, vt dicemus Difficult. IX. sed fieri tum, vt quodammodò Christum imitemur, qui etiam vsus est fractione panis nondum consecrati, tum etiam, vt diuisione Hostiæ in tres partes, tres status hominum beatorum significentur, nempe eorū qui sunt actu beati, & eorum qui sunt in Purgatorio, & eorum qui sunt adhuc in mundo. Prosper autem & Algerus non loquuntur de fractione Hostiæ qua Sacerdos semper vtitur in Missa, sed de ea quam aliquando facit ad distribuendū alijs, & de effusione Sanguinis in ora fidelium; & de his rectè dicitur per eas denotari immolationem Corporis Christi, & effusionem Sanguinis illius (quod etiam est verum de fractione Hostiæ consecratæ, & de calice de quo Sacerdos bibit) nō quia illa fractio & effusio Sanguinis in ora fidelium immediatè, & ratione sui id efficiant, sed mediatè, & præsuppositiuè ratione consecrationis quam præsupponunt, per quam id immediatè significatur, vt ex Nysseno aduertit Vasquez nu. 76. Et id tantùm voluit Paulus 1. ad Corint. 11. dum ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Addimus, quòd quamuis fractio Hostiæ consecratæ fieret ad significandam immolationem cruentam Christi, non sufficeret & ad rationem actionis Sacrificij Missæ, vt dicemus Difficultate VIII.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm actio Sacrificij Missæ in sumptione specierum consecratarum consistat.

SVpponimus, sumptionem Eucharistiæ factam ab alijs, quibus celebrans illam distribuit, non pertinere ad actionem Sacrificij Missæ, vt constat ex vsu Ecclesiæ, in qua sæpè celebrantur Missæ absque dicta sumptione; & tamen negari non potest, in eis fieri Sacrificia essentialiter integra, aliàs Missa priuata (id est in qua solus Sacerdos cōmunicat) esset illicita, quia illicitū est omittere aliquid quod ad essentiam actionis Sacrificij pertineat. Consequens autem damnatum est in Tridentino sess. 26. cap. 6. & can. 8.

Hoc suppositio, difficultas est de sumptione à Sacerdote facta, an hæc ad essentiam actionis Sacrificij pertineat.

Albertus. Albertus in 4.d. 13. & Ledesma 1.par.quæst.23. art. 4. in fine, docent, totam essentiam Sacrificij Missæ consistere in sumptione Eucharistiæ à Sacerdote celebrante facta: quia si ad rationem actionis Sacrificij requiritur aliqua immutatio in Christo, qui est res oblata, nulli alij actioni Missæ conuenire potest ratio actionis Sacrificij nisi dictæ sumptioni; quia per eam videtur fieri immutatio aliqua in Christo: aut si ad rationem actionis Sacrificij Missæ, quia incruentum est, nulla requiritur in Christo immutatio, in ea sumptione melius constituetur, quàm in aliqua alia actione; quia ratio Sacrificij incruenti consistit in eo, quòd repræsentet Sacrificium cruentum; sumptione autem Eucharistiæ id optimè repræsentatur, vt significat Paulus 1. ad Corinthios 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.* Et quamuis etiam consecratione repræsentetur, nihilominùs non in ea, sed potiùs in sumptione ratio actionis Sacrificij, quod in Missa vnicum est, constituenda est; quia expressiùs repræsentare videtur Sacrificium cruentum Christi, quàm consecratio.

Sotus. Bellarmin. Puteanus. Sotus in 4.d.13.quæst.1. art.4. Bellarminus vbi suprà, & Puteanus quæst 83.art.1.dub.4. docent, sumptionem Eucharistiæ à celebrante factam, ad essentiam actionis Sacrificij Missæ partialiter pertinere; ita vt essentia dictæ actionis ex consecratione & ex sumptione coalescat & compleatur. Quod indicari videtur in can. *Cùm frangitur*, de Consecratione dist. 2. dum dicitur, effusionem Sanguinis in ora fidelium, effusionem Sanguinis factam in cruce significare, ac proinde ad essentiam Sacrificij Missæ incruenti pertinere; & in Concilio Toletano XII. can. 5. & refertur de Consecratione d. 2. can. *Relatum*, dum grauis statuitur pœna in eos Sacerdotes, qui non consumunt Sacrificium quoties sacrificant: & reddit Concilium rationem, nempe, quia quale erit Sacrificium cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur, & ideò Theologi communiter fatentur, necessarium esse sub præcepto, quòd si Sacerdos celebrans post consecrationem impediatur consumere Sacrificium, alius Sacerdos subrogetur qui illud consumat. Et ratione probatur, quia in tota Missa nulla est alia realis destructio victimæ, nisi sumptio Eucharistiæ; ergo ad essentiã Sacrificij Missæ pertinet & requiritur, quia ad essentiam Sacrificij requiritur consumptio victimæ.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Becanus. Vasquez verò disp. 222. cap. 4. Suarez disp. 75. sect. 5. Ægidius quæst. 83. art. 1. dub. 1. Becanus cap. 25. quæst. 6. & plures alij, docent, & meritò, sumptionem Eucharistiæ adhuc à celebrante factam, non pertinere ad huc partialiter ad essentiam actionis Sacrificij Missæ.

Et in primis, totam essentiam actionis Sacrificij Missæ non consistere in dicta sumptione, probatur Primò, quia essentia actionis Sacrificij Missæ consistit saltem partialiter in consecratione, vt dicemus Difficultate VIII. ergo tota non consistit in dicta sumptione. Secundò, quia si ob aliquam rationẽ tota essentia actionis Sacrificii Missæ sita esset in sumptione dicta, & nullatenus in consecratione, maximè quia per sumptionem res oblata immutatur, & non per consecrationem. Hæc autem ratio est nullius momenti, quia ad rationem Sacrificij incruenti non est necessaria immutatio aliqua physica in re oblata, vt dicemus Difficultate VIII. & si necessaria esset, non sufficeret dicta sumptio, quia per eam Christus, qui est victima, tantùm immutatur secundùm locum; immutatio autem secundùm locum non est apta ad rationem actionis Sacrificij, quia non est destructio rei quæ mouetur, nec tendit ad destructionem illius.

Deinde dictam sumptionem nec partialiter pertinere ad actionem Sacrificij Missæ, probatur Primò, quia tota denotatio & significatio requisita ad essentiam actionis Sacrificij, in quo Christus immolatur, inuenitur in sola consecratione, vt dicemus Difficultate VIII. ergo. Secundò, quia ad rationem actionis Sacrificij incruenti non est necessaria physica immutatio rei immolatæ, & quamuis esset, non sufficeret dicta sumptio, vt nuper dicebamus: ergo absque necessitate requiritur dicta sumptio, quia si requisita esset, tamquam pars maximè, vt per eam victima immutaretur.

Ad rationem ergo pro Alberto & Ledesma respondemus, ad rationem actionis Sacrificij Missæ non requiri immutationem aliquam intrinsecam rei immolatæ, sed sufficere immutationem mysticam, quæ in sola consecratione immediatè & ratione sui reperitur, & non in sumptione specierum immediatè & ratione sui, sed tantùm præsuppositiuè ratione consecrationis. Et id tantùm voluit Paulus 1. ad Corinthios 11. vt diximus Difficultate VI. in fine.

Et ad fundamentum pro Soto & Bellarmino, desumptum ex dicto can. *Cùm frangitur*, respondemus, quod in eo dicitur, nempe effusionem Sanguinis in ora fidelium, significare effusionem Sanguinis Christi in cruce, non esse verum immediatè & ratione sui, sed præsuppositiuè ratione consecrationis præsuppositæ ad ipsam sumptionem Sanguinis; & quamuis immediatè & ratione sui illam designaret seu significaret, non sufficeret ad rationem actionis Sacrificij incruenti Christi, vt dicemus Difficultate VIII.

Et ad secundum, desumptum ex dicto Concilio Toletano XII. respondemus, in eo statui pœnam pro Sacerdotibus non communicantibus quoties sacrificant, non quia Concilium existimet, sumptionem Eucharistiæ ad essentiam Sacrificij pertinere, quia potiùs supponit, Sacerdotes verè sacrificare, quamuis non consumant & communicent; sed quia quilibet sacrificans ex præcepto tenetur fieri particeps Sacrificij, vt ei consentire, & illud approbare videatur.

Ad tertium ex ratione desumptum, respondemus, ad rationem Sacrificij incruenti, quale est Sacrificium Missæ, non requiri immutationem physicam in re oblata, sed sufficere mysticam, qualis reperitur in consecratione vtriusque speciei: & quamuis esset requisita, non sufficere sumptionem specierum, vt per eam Christus immoletur, quamuis sit apta vt species immolentur, quod non intenditur in Missa.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm essentia actionis Sacrificij Missæ sita sit in consecratione, qua Corpus & Sanguis Christi ponuntur ex vi verborum sub speciebus panis & vini.

Scotus. Gabriel. Eckius. Clitouæus.

SCotus in 4. dist. 13. quæst. 2. §. *Ad quæstionem*, Gabriel quæst. 1. art. 3. dub. 2. Eckius lib. 3. de Sacrificio Missæ cap. 9. Clitouæus lib. 2. contra Lutherum, cap. 16. & plures alij, docent, essentiam actionis Sacrificij Missæ nullatenus sitam esse in consecratione, Primò, quia consecratio non est oblatio, ergo non est immolatio. Consequentia patet, quia oblatio est necessaria ad immolationem, imò est genus ad illam. Antecedens autem, nempe quòd consecratio non sit oblatio, indicatur in Tridentino, sess. 22. 23. cap. 1. dum ait, Sacerdotibus datam esse potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & Sanguinem Christi, quibus significare videtur, consecrationem esse distinctam actionem ab oblatione, sicut etiam ab administratione. Et etiam ratione probatur, quia oblatio supponit rem quæ offertur, consecratio autem non supponit rem consecratam; ergo consecratio non est oblatio, nec res consecrata est res oblata.

Secundò eadem sententia probatur, quia si essentia actionis Sacrificij Missæ sita esset in consecratione, numquam fieret Sacrificium Missæ, nisi fieret consecratio. Consequens autem est falsum, vt constat ex VI. Synodo can. 52. Trullano, & ex Concilio Laodicensi can. 49. dum dicitur, in diebus Quadragesimæ celebrari Sacrificium ex præsanctificatis, exceptis Sabbato & Dominica, quod etiam nunc obseruat Ecclesia in die Parasceues, in quo non consecrat, sed panem die antecedenti consecratum offert in Sacrificium.

Ruardus. Alanus. Cassalius. Suarez. Vasquez. Ægidius. Adamus. Becanus.

Ruardus verò art. 16. §. *Eamdem fidei veritatem*, Alanus l. 2. de Sacrificio, cap. 15. Gaspar Cassalius lib. 2. de Sacrificio Missæ, cap. 25. Episcopus Oxomensis Tractatu de Sacrificio, cap. 11. Suarez disp. 75. sect. 5. Vasquez disp. 222. cap. 5. Ægidius quæst. 83. art. 1. dub. 5. Adamus q. 9. dub. 2. & Becanus c. 25. quæst. 6. docent, & meritò, essentiam actionis Sacrificij Missæ sitam esse in consecratione reali, sumpta pro positione Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus: quod absque dubio sentiunt Simeon Thessalonicensis libro de Mysterijs Missæ, cap. 23. Nicolaus Cabasilas in Expositione Liturgiæ cap. 23. Irenæus lib. 4. Contra hæreses, c. 23. Nyssenus Oratione 1. de Christi Resurrectione, columna 6. Gregorius lib. 4. Dialogorum cap. 18. & Isidorus lib. 6. Etymologiarum, cap. 19. quorum verba expendunt Vasquez & Ægidius.

Et ratione probatur, quia consecratio realis aptissima est, & maximè proportionata, vt per eam Christus immoletur & sacrificetur, & in Missa non est alia actio ad id apta & proportionata; ergo consecratio realis fuit absque dubio ad id instituta, & commendata à Christo. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia ex vi verborum consecrationis Christus tamquam victima iugulatur incruentè, & mysticè, seu ex vi significationis verborum consecrationis, quia ex vi verborum separatur Corpus Christi à Sanguine, & Sanguis à Corpore, ex vi enim verborum consecrationis Corporis, & per se, solum Corpus ponitur sub speciebus panis, & non Sanguis, nisi per concomitantiam, & per accidens, & ex vi verborum consecrationis Sanguinis, & per se, solus Sanguis ponitur sub speciebus vini, & non Corpus, nisi per concomitantiam, & per accidens: ergo consecratio realis aptissima est, & maximè proportionata, vt sit immolatio Christi, ac proinde vt per eam verè denotetur Deum esse auctorem vitæ & mortis.

Consecratio autem realis, est iugulatio Christi mystica, non quia repræsentat mortem cruentam, seu Sacrificium cruentum Christi (quamuis verum sit, illam de facto repræsentare) quia Sacrificia antiquæ legis etiam repræsentabant Sacrificium cruentum, & mortem Christi, & tamen non erant iugulatio mystica Christi: sed dicitur iugulatio Christi mystica, quia est iugulatio Christi, non physica, sed occulta, & alta, vtpote facta tantùm ex vi significationis verborum. Vnde consecratio facta à Christo in vltima cœna, etiam habuisset rationem iugulationis & immolationis, seu sacrificationis Christi, quamuis Christus non esset moriturus, & etiam consecratio à nobis facta, quamuis Christus non fuisset mortuus.

Obseruandum tamen est, consecrationem sumptam pro dicta positione, esse veram & realem immolationem, seu verum & reale Sacrificium, etiamsi non sit realis & intrinseca iugulatio, sed tantùm extrinseca & per rationem, quia tantùm est iugulatio ex vi significationis verborum: quia ipsa positio, cui conuenit denominatio, & ratio iugulationis, ex vi significationis prouenientes, est realis; sicut etiam Sacramenta dicuntur realia, quamuis ratio formalis eorum, nempe significatio Sacramentalis, non sit realis; quia id cui conuenit ipsa significatio Sacramentalis, est quid reale.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus, consecrationem non esse oblationem. Et ad primam probationem desumptam ex Tridentino, ex eo quòd in eo dicatur in Sacerdotibus esse potestatem consecrandi & offerendi Corpus & Sanguinem Christi, respondemus, ex eo non sufficienter colligi, consecrationem esse actionem distinctam ab oblatione, quia læpè dictiones idem significantes repetuntur, præsertim quando illud idem, vt ratione diuersum significant, vt in præsentiarum contingit, quia consecratio & oblatio sunt rationes distinctæ tamquam genus & species. Ad secundam verò probationem, ex ratione desumptam, respondemus, Christum, qui est res oblata, præsupponi ad consecrationem, quia non fit per illam; præsertim quod falsum est, rem oblatam necessariò præsupponi ad oblationem, quia etiamsi Christus desineret in esse rerum natura, si verba consecrationis ita instituta essent, vt à Sacerdote prolata Christum sub speciebus nouiter producerent, & illum eo modo, quo nunc, sub illis ponerent, absque dubio dicta positio esset oblatio, imò & immolatio.

Ad secundam rationem respondemus, numquam fieri immolationem seu Sacrificium Missæ, absq; consecratione, ac proinde quãdo in Quadragesima iuxta canones VI. Synodi, & Cõcilij Laodicensis

censis non fiebat consecratio, neque fiebat Sacrificium, sed ex præsanctificatis & consecratis fiebat sacrum mysterium; & etiam in Ecclesia, in qua Sacerdos in die Parasceues non consecrat, etiam non sacrificat, sed participat de Sacrificio sumpto pro victima, illam comedēdo pro se & pro populo (vtpote victimam Sacrificij pro se & pro populo facti) vt ea participatione à Deo impetret pro se & pro populo; & ideò petit, vt adstantes orent, vt Sacrificium illud acceptabile fiat, id est, vt victima illa pridie sacrificata fiat in sui & in adstantium vtilitatem, per manducationem ab ipso, nomine populi faciendam.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm ad essentiam actionis Sacrificij Missæ, requisita sit vtriusque speciei consecratio.

Cassalius. Ruardus. Bonacina. GAspar Cassalius lib. 2. de Sacrificio, cap. 25. Ruardus art. 26. Henriquez lib. 9. c. 9. n. 10. & Bonacina quæst. vltima, punct. 2. docent, ad essentiam actionis Sacrificij Missæ non esse requisitam consecrationem vtriusque speciei, sed sufficere consecrationem cuiuslibet. Primò, quia per consecrationem cuiuslibet speciei seorsim consecratur Christus, vt sit modo Sacramentali sub illa, & in consecratione cuiuslibet speciei, inclusa est oblatio Christi Deo in ipsius honorem facta; ergo nihil deest, vt consecratio ciuiuslibet speciei sit immolatio, & Sacrificium.

Secundò specialiter probatur, in sola consecratione Corporis sufficienter constitui, quia per eam solam Christus mysticè & incruentè occiditur, & meritò: quia per eam solam Corpus Christi ex vi significationis verborum ponitur sub speciebus panis absque Sanguine, & absque anima; ergo in ea sola sufficienter constituitur. Imò videtur non posse in vtraque simul constitui, quia per vtramq; simul non moritur adhuc mysticè, sed tantùm mysticè vulneratur, quia per vtramque consecrationem tantùm separatur Sanguis à Corpore: per consecrationem verò solam Corporis, Corpus separatur ab anima, quia ex vi verborum ponitur absque illa.

Tertiò idem specialiter probatur, quia si Sacerdos tantùm consecraret Corpus, & non Sanguinem, verè diceretur sacrificare, quamuis non Sacrificio integro & completo; ergo ad essentiam immolationis Missæ non requiritur vtriusque speciei consecratio, quamuis requisita sit ad illius integritatem.

Alanus verò, & Episcopus Oxomensis vbi suprà, Suarez sect. 6. Vasquez disp. 223. Bellarminus lib. 4. de Eucharistia, cap. 22. Azor lib. 10. cap. 19. quæst. 4. Ægidius dub. 5. Adamus quæst. 9. dub. 2. & Becanus cap 25. quæst. 6. docent, ad essentiam actionis Sacrificij Missæ requiri consecrationem vtriusque speciei, & meritò: quia neutrius speciei consecratio seorsim, sed tantùm vtriusque speciei simul, est mystica iugulatio Christi. Antecedens autem probatur, & in primis, neutrius speciei seorsim consecrationem esse mysticam iugulationem Christi: quia per consecrationem, v. g. solius panis aut Corporis, ita ex vi verborum ponitur Corpus Christi non posito Sanguine, imò nec posita anima, vt non excludatur positio Sanguinis nec animæ, quia verbis ex vi quorum fit consecratio, non significatur exclusio & separatio eorum, vt patet; aliàs non possent per concomitantiam poni cum ipso Corpore: ac proinde ex vi verborum non ponitur Corpus Christi exangue nec inanime; ergo consecratio panis aut Corporis nō est separatio mystica Corporis Christi à Sanguine, nec ab anima ipsius, & consequenter nec est iugulatio mystica Christi, nec mystica mors illius; & eadem proportione, per consecrationem solius vini aut Sanguinis, ita ponitur Sanguis sub speciebus vini, ex vi verborum positis Corpore & anima, vt non excludātur; ergo sola consecratio vini aut Sanguinis non est mystica iugulatio, nec mystica mors Christi.

Quòd verò consecratio vtriusque speciei simul sit mystica iugulatio, & effusio totius Sanguinis à Corpore Christi, probatur, quia ex vi verborum consecrationis Sanguinis tantùm ponitur Sanguis Christi sub speciebus vini: (etiamsi totus Christus sub qualibet specie ponatur per concomitantiam) ergo ex vtraque consecratione coalescit quædam mystica iugulatio Christi, & totius Sanguinis effusio, quia per vtramque consecrationem Corpus & Sanguis Christi separatim ponuntur ex vi verborum, Corpus sub specie panis, & Sanguis sub specie vini, ac proinde radicaliter, & remotè, est quædam mystica mors Christi, quod sufficit ad rationē Sacrificij incruenti, sicut etiam actio Sacrificij cruenti proximè & formaliter in iugulatione, seu occisione & mactatione, quæ est propinqua causa mortis, consistit, actio enim Sacrificij cruenti in Sacrificio veteri, formaliter & proximè sita erat in iugulatione ad quam sequebatur mors.

Ex dictis deducimus, desitionem panis & vini, in qua simul cum superaddito respectu ad Corpus & Sanguinem Christi diximus conuersionem seu transubstantiationem Eucharisticam consistere, non esse actionem Sacrificij Missæ, nec ad hanc actionem pertinere; quia desitio illa non intrat mactationem seu iugulationem Christi, quia Christus ex eo solùm mysticè mactatur & iugulatur, quòd Corpus & Sanguis ipsius ex vi verborum, & per se separatim ponuntur; ac proinde quamuis non desineret panis & vinum ad positionem Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus (vt contingeret si consecratio fieret validè his verbis, *Hic est Corpus meum*, &, *Hic est Sanguis meus*, particula *hic* aduerbialiter sumpta) esset eadem mystica mactatio & iugulatio. Et ob eandem rationem in illa alia actio ex illis sex, quas Difficultate IV. diximus in Missa reperiri, ad essentiam Sacrificij Missæ pertinet, quia scilicet nulla earum intrat mysticam mactationem Christi.

Actio ergo incruentè sacrificandi Christum sita est essentialiter in positione physica Corporis sub speciebus panis, & Sanguinis sub speciebus vini, prout facta ex vi significationis verborum consecrationis; quia per eam positionem, prout sic factam, Christus mysticè mactatur seu iugulatur: quia per eam modo dicto factam Corpus & Sanguis Christi mysticè separantur, ita tamen actio Sacrificij Missę in ea physica positione modo dicto facta consistit, vt necessarium nō sit, quòd nouiter fiat quando proferuntur verba consecrationis, sed

sed sufficit quòd ex tunc dicta positio continuetur ex vi illorum, si anteà ex sola voluntate Dei, & non ex vi verborum præcessit, quia ex tunc positio illa esset mystica iugulatio Christi, quia ex tunc Corpus ipsius inciperet esse sub speciebus panis per se, & non Sanguis nisi per accidens, & per concomitantiam; & Sanguis sub speciebus vini, & non Corpus, nisi per accidens, & per concomitantiam; etiamsi ante prolationem verborum omnia, quæ sunt in Christo, essent æquè per se & primariò. Et quia reuerà sic essent, si ponerentur ex sola voluntate Dei, & non ex vi verborum consecrationis, ideò si positio illa nouiter non fiat, aut antiqua continuetur ex vi verborum consecrationis, non erit iugulatio Christi mystica, quia nullo modo esset separatio mystica Corporis & Sanguinis Christi. In Sacrificio ergo incruento Missæ, immolatio est quid coalescens ex positione physica Corporis Christi sub speciebus panis, & Sanguinis Christi sub speciebus vini, & ex respectu rationis proueniente ipsi positioni ex eo quòd fiat à Deo ad exigentiam significationis verborum consecrationis, qui potest moralis appellari, vtpote ortus ex instrumento morali, nempe ex verbis consecrationis, ex quibus prouenit Corpus per se poni sub speciebus panis, & Sanguinem sub speciebus vini: & consecratio vocalis, seu prolatio verborum consecrationis, se habet ad actionem Sacrificij Missæ, quasi instrumentum, & gladius quo ipsa fit: res autem oblata, seu victima in dicto Sacrificio est Christus vt homo secundùm suam substantiam, prout abstrahit à modo existendi naturaliter, quia substantia ipsa hominis Christi est quæ mactatur, non modus. Species verò Sacramentales non pertinent ad essentiam seu substantiam victimæ, vt patet ex dictis; pertinent tamen quodammodò ad immolationem ipsam tamquam ea sub quibus fit; Corpus verò & Sanguis Christi non sunt victima, quia ipsa non mactantur seu iugulantur; sunt tamen quasi partes, & frusta victimæ.

Ad primam rationem aduersariorum concedimus, per consecrationem cuiuslibet speciei totum Christum consecrari, vt sit Sacramentali modo sub illa, & ex eo forsan Deo in honorem ipsius offerri; sed non in Sacrificium, ob rationem à nobis traditam, sed ad summum simplici oblatione.

Ad secundam respondemus, & in primis ad eius priorem partem constat, quomodo in consecratione solius Corporis non consistat actio immolationis: quia quamuis ex vi verborum ita ponatur Corpus per se, vt non ponatur Sanguis, nec anima per se; non tamen excluduntur, & ideò nec est mystica mactatio, nec mors. Et ad posteriorem etiam constat, quo modo per consecrationem vtriusque speciei non tantùm mysticè iuguletur proximè, sed etiam mysticè moriatur remotè, quod ad rationem Sacrificij sufficit; quia ad id non requiritur consumptio nec mors victimæ, sed sufficit immutatio victimæ, ad consumptionem aut mortem tendens.

Ad tertiam negamus, quòd si Sacerdos tantùm consecraret Corpus, & non Sanguinem, sacrificaret, in quo nullum est absurdum.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm consecratio vtriusque speciei simul, sit Iure diuino præcepta.

COnueniunt Theologi, consecrationē vtriusque speciei simul esse necessariam sub præcepto, ita vt illicitum sit vnam tantùm consecrare, & non ambas, suppositò quòd sit cōsecratio, quod ex dicendis constabit. Est tamen difficultas, quo Iure præcepta sit, an diuino, an tantùm humano.

Adrianus in 4. quæst. 6. de Eucharistia, Maior etiam in 4. dist. 9. quæst. 3. & Claudius Sainctes Repetit. 10. de Eucharistia, cap. 3. docent, non esse præceptum Iure diuino, sed tantùm Iure humano Ecclesiastico: Primò, quia Christus in castello Emaus speciem tantùm panis consecrauit; ergo ipse non præcepit consecrationem vtriusque speciei, quia ipse non faceret contra id quod alijs præceptum relinquebat. Secundò, quia si consecratio vtriusque speciei esset præcepta à Christo, maximè quia esset necessaria, vt per consecrationem vtriusque fieret commemoratio Passionis Christi, quasi per consecrationem vnius non fiat; sed per consecrationem vnius tantùm speciei fit prædicta commemoratio, sicut fit sumptione vnius tantùm speciei, vt indicatur Luc. 22. dum post consecrationem Corporis ante consecrationem Sanguinis dicitur, *Hoc facite in meam commemorationem.* Tertiò, quia si consecratio vtriusque speciei esset Iure diuino Christi præcepta, non posset dispensatione Romani Pontificis vna sola consecrari, quia Romanus Pōtifex nequit in Iure diuino dispensare. Legimus autem, Romanum Pontificem aliquibus nationibus concessisse, vt sub specie tantùm panis consecrarent, quia Innocentius VIII. id concessit Norvvegis, vt refert Volaterranus lib. 7. Geographiæ c. 4.

Adrianus. *Maior.* *Sainctes.*

Marsilius verò in 4. quæst. 6. art. 1. par. 1. dub. 3. & 4 Caietanus quæst. 80. art. 12. Gabriel lect. 10. Sotus in 4. dist. 9. q. 1. art. 2. & Vasquez disp. 223. cap. 3. & Ægidius dub. 5. docent, consecrationem vtriusque speciei simul esse Iure diuino positiuo Christi præceptam; quod significat Tridentinum sess. 22. cap. 1. dum, postquam dixit, Christum Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulisse, subdit: *Ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem; vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Et idem indicatur Lucæ c. 22. illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, ex quibus Tridentinum deduxit, Christum præcepisse consecrationem vtriusque speciei simul; quia quamuis apud Lucam non dicatur, *hæc facite*, sed *hoc facite in meam commemorationem*, & ea verba tantùm fuerint expressa immediatè post consecrationem panis, nihilominùs satis indicatur ea etiam fuisse repetita à Christo post consecrationem Calicis, dum subditur, *similiter & calicem*: quia aduerbium *similiter* refert repetitionem omnium quæ dicta fuerunt post consecrationem panis.

Marsilius. *Caietanus.* *Gabriel.* *Vasquez.* *Ægidius.*

Et id ratione congruenti probatur, quia Christum præcipere consecrationem vtriusque speciei simul, ex suppositione quòd fieret consecratio, fuit maximè conueniens, quia ad essentiam Sacrificij fuit requisita, & ad integritatem Sacramenti; ergo credi potest illam præcepisse. Hac ratione, etiamsi id congruenter probetur, sed non efficaciter, quia potuit non præcipi à Christo.

Addimus, consecrationem vtriusque speciei simul, etiamsi præcepta sit Iure diuino positiuo Christi, non tamen Iure diuino naturali, suppositâ institutione diuina Christi consecrationis in Sacrificium, & specierum consecratarum in Sacramentum; quia adhuc ea institutione suppositâ, nulla fit irreuerentia Sacrificio, nec Sacramento, ex eo quòd quis, quando consecrat, nec perficiat Sacrificium, nec Sacramentum, quia id nullo fundamento potest probari; præsertim cùm absque vlla irreuerentia in Sacramentum conseruetur regulariter imperfectum integraliter, vt quando conseruatur species panis, nulla conseruata specie vini.

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, Christum, etiamsi fuerit auctor dicti præcepti positiui, tantùm consecrasse speciem panis in castello Emaus, vt ex contextu deducitur, & satis congruenter, quia pro tunc voluit suos Discipulos reficere, & ab eis agnosci, & agnitus statim ab ipsorum oculis euanescere, quia id pro eo tempore expediebat: & quia statim in fractione panis consecrati agnitus fuit, ideò non expectans consecrationem vini disparuit.

Ad secundam respondemus, consecrationem vtriusque speciei fuisse præceptam à Christo, vt fieret Sacrificium, & vt per illud passio ipsius repræsentaretur, quia vnius tantùm consecratione non fit Sacrificium, nec passio illius repræsentatur, nec vnius, imò nec vtriusque sumptionè, nisi præsuppositiuè. Quomodo verò Lucas significet, Christum verba illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, repetijsse post Sanguinis consecrationem, iam diximus.

Ad tertiam, nonnulli, qui admittunt, consecrationem vtriusque speciei esse Iure diuino Christi præceptam, etiam admittunt, Romanum Pontificem posse in eo, & in quocumque alio Iure diuino, dispensare. Sotus verò, Vasquez & Ægidius docent, Romanum Pontificem non posse in præcepto diuino consecrandi simul vtramque speciem dispensare; nec in aliquo alio præcepto diuino; & meritò: quia nullus inferior potest in præcepto sui superioris dispensare. Vnde falsum est, Innocentium VIII. in dicto præcepto dispensasse. Nihilominùs dispensare potest, & sæpè dispensat in voto, & in iuramento promissorio, quorum obligatio est naturalis, & non minor quàm obligatio diuini præcepti; non auferendo immediatè obligationem voti & iuramenti, sed tamquam Vicarius Christi, & dispensator bonorum illius, remittendo promissionem Deo factam, qua remissa, extinguitur obligatio naturalis. Dispensat etiã, seu aufert obligationem ortam ex matrimonio rato non consummato, dissoluendo nomine Dei ipsum contractum ex quo oritur illa obligatio, ad quæ habet peculiarem potestatem; & non ad relaxandam obligationem præcepti à Deo lati, quia hæc non agnoscitur in Romano Pontifice. Et si recenter ordinati, qui concelebrant cum Episcopo ordinante, non sumunt vtramque speciem, quas simul celebrantes Iure diuino tenentur sumere, sed tantùm sumunt speciem panis; non est, quia Ecclesia dispenset cum illis, sed quia præceptum istud tantùm est pro præcipuo celebrante, qui in eo casu est Episcopus. Nec dispensat cum eo, qui in articulo mortis ob sua delicta priuatur Eucharistiâ, quia tantùm priuat illum iure communicandi, ex quo priuatus, potiùs dicitur impeditus ad impletionem præcepti diuini sumendi Eucharistiam, quàm dispensatus in eo præcepto.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm in Missa sit vnum tantùm Sacrificium.

DIfficultas hæc præsertim procedit de Sacrificio pro actione sumpto, quia hæc sola est & dicitur absolutè & strictè Sacrificium.

Cassalius lib. 1. de Sacrificio cap. 20. docet, in Missa duo esse Sacrificia, vnum panis & vini, & alterũ Corporis & Sanguinis Christi: quod etiam indicat Scotus in 4. d. 13. q. 2. §. *Ad quæstionem*, dum Sacrificium Missæ sufficienter constituit in oblatione panis & vini seorsim, & etiam in oblatione Corporis & Sanguinis Christi. Probari autem potest, quia in Missa fit destructio panis & vini, & etiam mactatio incruenta Christi; ergo in Missa sunt duo Sacrificia, non tantùm pro victima seu pro re oblata, sed etiam pro actione seu immolatione.

Alij (vt refert Azor lib. 10. cap. 19. quæst. 6.) docent in Missa esse duo Sacrificia, vnum Corporis, & alterum Sanguinis: quibus fauere videtur Ecclesia, dum in Oratione pro defunctis de anima ait, *His sacrificijs purgata*. Et probari potest, quia est duplex consecratio, vna Corporis, & altera Sanguinis, & quælibet repræsentat Sacrificium cruentum Christi, ergo sunt duo Sacrificia, non tantùm pro victima, sed etiam pro actione.

Bellarminus l. 1. de Missa, c. 27. Suarez disp. 64. sect. 4. Vasquez disp. 223. Azor vbi suprà, & communiter Doctores docent, & meritò, in Missa esse vnicum tantùm Sacrificium, quod satis indicat Tridentinum, dum sess. 22. in initio eam appellat verum & singulare Sacrificium; quod præcipuè intelligitur de Sacrificio pro actione sacrificandi, quia ipsa sola est quæ strictè est & appellatur Sacrificium. Et ratione constat, quia in Missa est vnica tantùm victima, nempe humanitas Christi, vt patet ex dictis Difficultate 111. & vnica tantùm immutatio humanitatis Christi, quæ aptè & conuenienter possit in Sacrificium seu in immolationem assumi, nempe consecratio vtriusq; speciei simul, per quam Christus, vt homo, mysticè & incruentè occiditur seu mactatur; & non est alia, quia si aliqua alia, maximè adductio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, & oblatio Corporis & Sanguinis Christi, neutra autem est apta ad id, quia neutra est consumptio humanitatis Christi, nec præuia, & ordinata ad id; ergo in Missa est vnicum tantùm Sacrificium, etiam pro actione seu immolatione sumptum.

Ad rationem verò pro Cassalio concedimus, in Missa reperiri desitionem panis & vini, & eam esse aptam vt assumatur in Sacrificium; quia tamen non est apta vt assumatur in Sacrificium Christi, quod tantùm fuit à se ipso commendatum Ecclesiæ in victimam,

victimam, sed tantùm est apta in Sacrificium panis & vini, ideò in Missa non habet rationem Sacrificij: quia iuxta intentionem Ecclesiæ non fit ex affectu profitendi Deum auctorem vitæ & mortis, absque quo nequit habere rationem Sacrificij & immolationis; sicut genuflexio, quæ nō fit ex affectu recognoscendi practicè Deum vt superiorem ipsi qui genuflectit, non habet rationem adorationis.

Quomodo verò nec oblatio panis & vini, nec oblatio Corporis & Sanguinis Christi habeat rationem Sacrificij & immolationis, iam diximus Difficultatibus præcedentibus; & etiam quomodo ex vtraque consecratione coalescat vnum sacrificium, seu vna immolatio Christi; & quomodo sola humanitas Christi sit victima, & non eius Corpus & Sanguis. Sacrificium tamen Missæ dicitur ab Ecclesia in Oratione illa Sacrificia in plurali, quia in eo reperiuntur duæ res sacræ, Deo pro nobis simplici oblatione oblatæ.

Addimus, in quo Doctores conueniunt, non solùm in Missa vnicum tantùm Sacrificium fieri, sed etiam præter illud nullum aliud extra Missam in Ecclesia fieri ex ordinatione Christi, aut Ecclesiæ; quod significant Tridentinum & plures Patres, dum ab ipsis Eucharistia appellatur vnicum & singulare Sacrificium. Et ratione constat: quia quamuis iure naturali sit liberum vnicuiq; Sacrificium offerre, nihilominùs postquam publica auctoritate eriguntur Sacerdotes ad Sacrificium offerendum, nullus alius potest licitè Sacrificium offerre, quia eo ipso virtualiter id prohibetur alijs: sed in Ecclesia Christiana sunt instituti & electi Sacerdotes ad sacrificandum, ergo nullus alius id potest licitè efficere: sed isti tantùm sunt instituti ad offerendum Sacrificium Missæ, ergo præter illud nullum aliud in Ecclesia fit. Imò nullum aliud ab Ecclesia potest institui, vt aduertunt Vasquez & Suarez, sicut nec nouum genus Sacerdotij, quia eo ipso quòd Christus dictum Sacerdotium instituit ad dictum ministerium, virtualiter prohibuit aliud institui.

Fuit autem maximè conueniens, vt postquam Sacrificium cruentum Christi, quod veteribus præfigurabatur, fuit factum, non solùm nullum ex antiquis perseueraret, sed etiam vt nulla alia res præter ipsum Christum, seu humanitatem Christi in Ecclesia Christiana immolaretur; nihilominùs ne Ecclesia Christiana sine Sacrificio maneret, fuit etiam maximè conueniens, vt idem Christus alio modo, & in memoriam sui Sacrificij cruenti in Sacrificium offerretur.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm Sacrificium Missæ sit idem cum Sacrificio quod Christus in vltima cœna celebrauit.

SVpponimus, Sacrificium Missæ, & Sacrificium quod Christus incruentè in vltima cœna celebrauit, & quæcumque alia, non differre in ratione religionis & Sacrificij, quia in eis est idem motiuum, & eadem ratio cultus, nempe professio Dei vt auctoris vitæ & mortis. Est tamen difficultas, quomodo, salua vnitate specifica in ratione Sacrificij, Sacrificium Missæ & Sacrificium Christi in vltima cœna factum conueniant, & differant.

Hæc ergo duo Sacrificia conueniunt non solùm specie formali in ratione Sacrificij, vt patet; sed etiam specie materiali, seu physica quoad immolationem, & quoad modum, quia vtrumque fit incruenta & mystica mactatione, & incruento & mystico modo: nihilominùs quoad immolationem & mactationē distinguuntur numero, vt patet. Ita tamen Sacrificium Missæ & Sacrificium à Christo in cœna factum distinguuntur numero quoad actionem & quoad modum, vt non magis differant quàm duo Sacrificia quæ fiunt in duabus Missis, etiamsi alijs rationibus accidentaliter differant, quibus non differunt duo Sacrificia in duabus Missis facta: quia Primò differunt quoad statum victimæ, seu rei oblatæ, quia homo Christus in cœna fuit immolatus mortalis, & in Missa immolatur immortalis. Addimus, *quoad statum victimæ*, quia mortalis & immortalitas non intrant in victimam; quia quod offertur, est Christus, seu humanitas Christi secundùm se, prout abstrahit ab hoc & ab illo statu. Secundò differunt quoad offerentes, quia in Sacrificio illo à Christo in cœna facto, ipse Christus fuit proximè & ratione sui offerens, & ita Christus actione ipsa Sacrificij meruit, vtpote ab ipso elicita; in Sacrificio verò Missæ Sacerdotes sunt qui proximè offerunt, non verò Christus, nisi tantùm remotè, vt dicemus Disputatione 11. Difficultate 1. & ita Christus actione ipsa sacrificandi in Missa non meretur, quamuis nunc sit in statu merendi alijs.

Tertiò differunt, quòd Sacrificium à Christo incruentè in vltima cœna factum, fuit figura Sacrificij mortis cruentæ in cruce paulò pòst futuræ. Sacrificium verò quod à nobis fit in Missa, est figura Sacrificij mortis cruentæ in cruce præteriti, quamuis discrimen hoc potiùs oriatur ex diuerso statu rei figuratæ, quàm ex diuersitate aliqua signi in Sacrificio incruento facto à Christo, & facto à nobis in Missa.

His & alijs rationibus satis notis differunt Sacrificium incruentū Christi, & sacrificium Missæ, quas quisque facilè discernere potest.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm Sacrificium Missæ sit idem cum Sacrificio cruento, quod Christus in cruce celebrauit.

SVpponimus, Sacrificium Missæ, & Sacrificium cruentum Christi in cruce non distingui specie formali in ratione Sacrificij, quia in eis est idem motiuum, & eadem ratio cultus. Est tamen difficultas, quomodo, salua hac vnitate, seu identitate specifica formali, conueniant & differant.

Sacrificium ergo Missæ, & Sacrificium quo Christus fuit in cruce à se ipso cruentè immolatus, conueniunt quoad victimam, quia in vtroque est vna & eadem numero, nempe Christus, vt definit Tridentinum sess. 22. cap. 2. dum ait: *In diuino Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis seipsum cruentè obtulit.* Et paulò inferiùs: *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in* Trident.

cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa. Ita tamen in vtroque est eadem victima, vt sit eadem numero: quod significat Tridentinum, dum in eo dicitur in vtroque dicto Sacrificio eamdem esse hostiam, & eumdem esse offerentem, sola offerendi ratione diuersa. Et ratione constat, quia in vtroque idem & solus Christus immolatur: cui non obstat, quòd Christus in vtroque habeat diuersum modum existendi, quia isti modi existendi non intrant victimam adhuc partialiter, quia Christus, prout abstrahit ab hoc & ab illo modo, in vtroque immolatur.

Differunt tamen duo dicta Sacrificia in ratione offerendi, quia Christus in Sacrificio Missæ offertur seu immolatur incruentè, & in Sacrificio crucis fuit cruentè oblatus seu immolatus. Vnde etiam differunt quoad actiones immolandi, quia in Missa immolatur occisione incruenta & mystica, in cruce verò occisione cruenta; ex quibus proueniunt dicti modi diuersi, quorum vno offertur in Missa, & altero oblatus fuit in cruce.

Et quamuis in vtroque dicto Sacrificio idem Christus sit offerens, diuerso tamen modo, vt dicemus Disputatione 11. Difficultate 1. quia in Sacrificio crucis Christus fuit proximè offerens, quia per se ipsum vsque ad mortem sustinuit passionem oblatam, ad denotandum Deum auctorem vitæ & mortis, in qua immolatio illius Sacrificij posita fuit; in Sacrificio verò Missæ non offert proximè, quia non offert per se ipsum, sed Sacerdotes nomine illius, tamquam ministri illius; ex quò etiã ipse dicitur offerre, quamuis remotè tantùm.

Patres ergo, quando significant Sacrificium Missæ & Sacrificium crucis esse idem, intelligendi sunt quoad victimam, non verò quoad actionem Sacrificij.

Ita tamen Sacrificium Missæ & Sacrificium crucis sunt idem secundùm speciem formalem in ratione Sacrificij, vt in ratione Sacrificij distinguantur secundùm numerum, & hoc eodem modo distinguantur Sacrificia quæ fiunt in diuersis Missis, quia in omnibus illis Sacrificijs diuersæ actiones immolandi secundùm numerum reperiuntur, in quarum qualibet diuersus cultus secundùm numerum reperitur, & diuersa numero processio omnipotentiæ Dei circa vitam, vt aduertunt Vasquez disp. 224. c. 2. & Suarez disp. 76. sect. 1. Et idem existimamus, quando in eadem Missa plures formulæ & plures calices consecrantur, nempe in ea fieri plura numero Sacrificia, sicut & plura numero Sacramenta, quia tunc fiunt plures numero actiones immolandi, quamuis simul, & iisdem verbis. Imò quando plures formulæ consecrantur, & vnus tantùm calix, etiam fiunt plura numero Sacrificia, sed partialiter tantùm diuersa; quia consecratione illius vnius calicis efficitur vnum essentialiter Sacrificium, cum consecratione cuiuslibet speciei panis seorsim, diuersum partialiter à Sacrificio coalescente ex consecratione eiusdem calicis, & ex consecratione alius speciei panis; sicut vna species vini cum pluribus speciebus panis efficit plura numero Sacramenta integraliter perfecta, inter se partialiter distincta, quia in quolibet est vna pars distincta, nempe species panis. Plura tamen numero Sacrificia, siue totaliter siue tantùm partialiter distincta, in eadẽ Missa simul facta, non causant maiorem fructum, quàm si vnum tantùm fieret: quod reducendum est ad

Vasquez Suarez

institutionem Christi, qui noluit plura numero Sacrificia ab eodem simul moraliter facta maiorem fructum causare, quàm si vnum tantùm fieret, quia illum causant, quando fiunt, ad quam etiam reduximus plures formulas (quas diximus esse plura numero Sacramenta) non causare maiorem gratiam, quando simul ab vno recipiuntur, quàm si vnum tantùm reciperetur, quia illam causant, quando recipiuntur sicut Sacrificia quando fiunt.

Quòd si obijcias: Vita Christi est vna & eadem secundùm numerum, ergo etiã priuatio illius, seu mors in qua actio Sacrificij consistit; ergo Sacrificia, quibus Christus immolatur, nequeunt esse plura adhuc secundùm numerum. Respondemus, quòd quamuis vita Christi sit vna & eadem, & consequenter priuatio illius seu mors in facto esse sit tantùm vna & eadem, nihilominùs priuatio illius in fieri, & per modum actionis aut passionis, qua ratione dicitur interitus, seu occisio & interfectio, potest esse multiplex, non solùm mystica; sed etiam cruenta: quia si Christus iterùm interiret physicè, diceretur duplicem interitum seu mortem obijsse; Sacrificium autem non consistit in priuatione vitæ in facto esse, seu in morte in facto esse, quia etiã mors perseuerat, quando iam Sacrificium transactum est; sed in priuatione vitæ in fieri, & ideò vnus Christus potest pluribus Sacrificijs seu immolationibus immolari & offerri, quia potest pluribus actionibus aut passionibus occidi, imò non solùm mysticè, sed etiam physicè.

DIFFICVLTAS XIV.

Quo pacto in Eucharistia ratio Sacrificij comparetur cum ratione Sacramenti.

OMissis quæ ab alijs circa hanc difficultatem dicuntur, quia vnusquisque circa eam philosophatur iuxta ea quæ sentit circa naturam Sacramenti, & circa naturam Sacrificij Eucharistiæ; ea tantùm circa eam pronuntiabimus, quæ iuxta dicta à nobis de eorum natura sufficiant, & necessaria sint ad illius breuem & claram resolutionem.

Et Primò, si comparatio fiat in ordine durationis, Sacramentum Eucharistiæ essentialiter nõ integraliter perfectum, prius durationè est quàm Sacrificium, vt aduertunt Vasquez disp. 224. cap. 4. & Suarez disp. 76. sect. 3. quia ad essentiam Sacramenti Eucharistiæ sufficit consecratio vnius tantùm speciei tam panis quàm vini, ad essentiam verò Sacrificij Eucharistiæ requiritur consecratio vtriusque speciei: Sacramentum verò integraliter perfectum non est prius duratione quàm Sacrificium, sed simul duratione, quia Sacramentum integraliter perficitur & coalescit ex specie panis & ex specie vini, vt cõtinentibus Christum, ad quam prærequisita est consecratio vtriusque speciei, in qua consistit essentia Sacrificij.

Secundò, si comparatio fiat in ordine naturæ, & causalitatis efficientis, & in ordine quasi executionis, Sacrificium prius est Sacramento integraliter perfecto, & suo modo pars Sacrificij Sacramento essentialiter non integraliter perfecto, quia essentia Sacrificij sita est in consecratione realì vtriusque speciei simul, nempe in positione Corporis sub speciebus panis, ex vi significationis verborum facta, &

& in positione Sanguinis sub speciebus vini, ex vi significationis verborum facta in vtroque simul: essentia verò Sacramenti in speciebus ipsis prout conficeratis, seu prout continentibus Christum; positio autem dicta Corporis & Sanguinis Christi prior est ordine causalitatis efficientis, & executionis quàm quod species contineant Christum, seu sint Sacramentum, quia dicta positio conducit tamquam effectio seu causalitas efficientis seu ponentis Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus, vt species contineant Corpus & Sanguinem Christi, & sint Sacramentum. Econtrà verò Sacramentum Eucharistiæ eadem proportione est prius ordine intentionis, imò & perfectionis ipso Sacrificio. Et inprimis ordine intentionis est prius, quia dicta positio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus ordinatur quasi medium ad Sacrificium, quasi ad finem, quia dicta positio non tantùm fit vt ea denotetur Deus auctor vitæ & mortis, sed etiam, vt mediâ illâ species, sub quibus Corpus & Sanguis ponuntur, sint Sacramenta, seu signa factiua gratiæ. Deinde etiam est prius ordine perfectionis, quia species, in quibus essentia Sacramenti posita est, perfectiores sunt dicta positione Corporis & Sanguinis Christi sub ipsis speciebus.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm Sacrificium Missæ sit propitiatorium.

SVpponimus, Sacrificium, quo Deum auctorem vitæ & mortis practicè profitemur, ex fine ob quē potest aptè fieri, dici quadrupliciter. Quia primò dicitur *honorarium*, quatenus est aptum vt fiat ex proprio intrinseco fine, nēpe colendi Deum, in eo fine sistendo. Secundò dicitur *eucharisticum*, seu laudis, quatenus est aptum vt fiat ad agendas gratias Deo pro aliquo beneficio accepto. Tertiò dicitur *propitiatorium*, quatenus est aptum vt fiat ad placandum Deum peccatis nostris iratum, vt ea remittat. Quartò dicitur *impetratorium*, quatenus aptum est vt fiat ad impetranda à Deo alia beneficia, distincta à remissione peccatorum.

Conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ verè esse honorarium, & etiam eucharisticum, seu laudis, in quo etiam conueniunt hæretici, ex suppositione quòd sit propriè Sacrificium, quod ipsi non admittunt, contra quos id nos probauimus Difficultate 11.

Est tamen difficultas, An Sacrificium Missæ etiam sit propitiatorium.

Hæretici vno ore negant, Sacrificium Missæ esse propitiatorium, adhuc ex suppositione quòd sit propriè Sacrificium, quia Christus suo Sacrificio cruento crucis abundantissimè satisfecit pro peccatis nostris; ergo Sacrificium Missæ, esto sit Sacrificium, frustrà erit propitiatorium seu expiatorium.

De Fide tamen est, Sacrificium Missæ (quod iam vidimus esse propriè Sacrificium) esse verè propitiatorium. Ita definitur in Tridentino sess. 22. *Trident.* cap. 2. & can. 3.

Et omissis rationibus, quibus Difficultate 11. ostendimus Sacrificium Missæ esse propriè Sacrificium, quibus eo ipso ostenditur esse propitiatorium, quia omne propriè Sacrificium eo ipso est propitiatorium, nunc id specialiter ostendendū est.

Et inprimis id indicat Paulus ad Hebr. 5. dum ait: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Quibus verbis Paulus describit munus Sacerdotis in communi, vt ostendat Christum Sacerdotem ad id fuisse assumptum à Deo. Sacerdotes ergo à Christo in sua Ecclesia instituti, absque dubio instituti fuerunt ad offerendum Sacrificium pro peccatis; sed ad nullum aliud Sacrificium instituti fuerunt, nisi ad Sacrificium Missæ; ergo istud est propitiatorium, seu aptum vt offeratur pro peccatis.

Secundò id tradunt Iacobus in sua Liturgia, dum ait, *Offerimus tibi incruentum Sacrificium pro peccatis nostris, & ignorantijs populi,* Chrysostomus & Basilius in suis Liturgijs, & communiter Patres, quos referunt Bellarminus l. 2. de Missa cap. 2. & Vasquez disp. 224. cap. 3. *Chrysost. Basilius. Bellarm. Vasquez.*

Tertiò ratione probatur, quia antiqua Sacrificia verè erant propitiatoria pro peccatis, vt significatur Iob. 1. & Leuitici 4. ergo absque fundamento & causa id negabitur Sacrificio Missæ: quia si Sacrificium cruentum Christi non obstitit Sacrificijs antiquis, vt essent propitiatoria, etiam non obstabit, vt Sacrificium Missæ sit propitiatorium, nec obstat, vt diximus Difficultate 11.

Addimus, in quo etiam conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ etiam esse impetratorium aliorum beneficiorum, quod significat Tridentinum cap. illo 2. & can. 3. dum ait, Sacrificium Missæ offerri pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, vbi nomine aliarum necessitatum omnia alia beneficia, quibus indigemus, intelliguntur. Et id tradunt Tertullianus lib. de Corona militis, Cyrillus Catech. 5. Chrysostomus Ho. 18. & 21. in Acta Apost. & Augustinus lib. 22. de Ciuitat. cap. 28. & idem etiam constat ex omnibus Liturgijs Græcis, & etiam ex nostra Latina, in qua ante & post consecrationem varia beneficia petimus, & non nisi virtute Sacrificij, vt modus ipse petendi denotat. Et ratione probatur, quia antiqua Sacrificia etiam fiebant pro impetrandis varijs beneficijs, distinctis à remissione peccatorum, vt constat ex Iob 10. & Leuit. 7. & 2. Reg. vlt. & 2. Machab. 3. & 1. Esdræ 6. ergo id non est negandum Sacrificio Missæ, quia in eo omnis virtus, quę fuit in Sacrificijs antiquis, est perfectiori & nobiliori modo, vt aduertunt Leo Serm. 8. de Passione, Chrysostomus in Psalm. 59. & Augustinus lib. 1. Contra aduersarium legis & Prophetarum, c. 20. & indicatur in Oratione Dominicæ 6. post Pentecosten, dum dicitur: *Deus, qui legalium differentiam hostiarum vnius Sacrificij perfectione sanxisti.* *Tertullian. Cyrillus.*

Addimus, Sacrificium Missæ excedere Sacrificia antiqua in modo impetrandi remissionem peccatorum, & beneficia, quia Sacrificia illa id tantùm efficiebant ex opere operantis, nempe quatenus opera bona, & attenta deuotione offerentis; Sacrificium verò Missæ ex opere operato, vt dicemus Disputatione 111. Difficultate v1.

DISPVTATIO II.

De offerentibus, & de his pro quibus offertur Sacrificium Missæ.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo Christus offerat Sacrificium Missæ.

Trident. CONVENIVNT Catholici, Christum esse offerentem in Sacrificio Missæ, vt definitur in Tridentino sess. 22. cap. 2. & esse principalem offerentem, vt deducitur ex eo, quòd in eodē capite dicitur Christus offerre ministerio Sacerdotum, quia qui offert per alios tamquam per ministros, est principaliter offerens. Est tamen difficultas, quomodo Christus offerat, an per se ipsum proximè & immediatè, an verò remotè tantùm, & mediatibus Sacerdotibus.

Suarez. Adamus. Ægidius. Trident. Suarez disp. 77. sect. 1. Adamus q. 9. dub. 3. & Ægidius quæst. 83. art. 1. dub. 6. docent, Christum in Sacrificio Missæ immediatè & proximè, & per se ipsum offerre: quod indicare videtur Tridentinum sess. 22. c. 2. dum ait, Christum nunc esse offerentem in Sacrificio Missæ; & significari videtur in Scriptura Psalm. 109. & ad Heb. 7. dum in ea Christus dicitur Sacerdos in æternum: ex eo autem, quòd semel se ipsum obtulit incruentè in cœna, & iterùm cruentè in cruce, non potest dici Sacerdos in æternum; ergo ex eo dicitur Sacerdos in æternum, quia perpetuò offert & sacrificat, quando Sacerdotes sacrificant. Et id denotare videtur Paulus in dicta Epist. ad Hebr. dum inter legem veterem & nouam discrimen constituit, in eo quòd in veteri erant plures Sacerdotes ad tempus tantùm offerentes, & ideò sibi succedentes; in noua verò sit vnus Sacerdos in æternum, cui nullus alius succedit, quamuis sint aliqui Vicarij & Ministri illius; denotat ergo Paulus, Christum nunc etiam offerre & sacrificare.

Et rationibus probari potest. Primò, quia Christus est verè & principaliter offerens in Sacrificio Missæ, ad id autem non sufficit fuisse ab ipso institutum Sacrificium Missæ, quia Sacrificia antiqua fuerunt instituta à Deo, & tamen Deus non dicebatur offerens in illis; Christus ergo actu & proximè offert in illo. Secundò, quia Sacrificium Missæ est infiniti valoris, & tale, vt nequeat iniquitate Sacerdotis inquinari, vt dicitur in Tridentino sess. 22. c. 1. ergo in eo Christus est actu & proximè offerens, quia Sacrificia à proximè offerente & sacrificante habent valorem & bonitatem, & non ab instituente, aliàs antiqua Sacrificia habuissent infinitum valorem, & fuissent ita bona, vt non potuissent inquinari, quia fuerunt instituta à Deo infinitè digno & sancto. Tertiò, quia Christus, vt homo, est verè Sacerdos, & inferior Deo, & concurrit physicè ad actionem Sacrificij Missæ, ergo est verè offerens proximè & immediatè; imò & principalis, comparatus cum Sacerdote. Quartò, quia Sacerdotes offerunt in persona Christi tamquam Vice-Christi, & Legati ipsum repræsentantes; ergo actu & proximè offert; sicut dominus, qui per famulum elargitur eleëmosynam, eam dicitur actu & proximè elargiri.

Corduba verò l. 1. q. 3. opin. 2. Vasquez d. 223. c. 3. & Becanus c. 25. q. 9. docent, in Sacrificio Missæ Christum non offerre per se ipsum, seu immediatè & proximè, sed tantùm Sacerdotes, offerre tamen remotè & mediatè, nempe mediis Sacerdotibus; quod satis indicant Scotus Quodl. 20. art. 1. & Gabriel lect. 26. lit. G. & H. *Cordub. Vasquez. Becanus.*

Prior pars, nempe Christum non offerre per se ipsum, seu immediatè & proximè, sed tantùm Sacerdotes, probatur à priori: quia actio ipsa exterior sacrificandi & immolandi in Missa, non fit à Christo per se ipsum & immediatè, sed tantùm à Sacerdotibus; ergo Sacrificium Missæ non offertur & fit à Christo per se ipsum & immediatè, sed tantùm à Sacerdotibus. Consequentia patet. Antecedens autem probatur Primò ex Tridentino sess. 22. cap. 1. dum ait, Christum in Sacrificio Missæ immolari per Sacerdotes, denotans non per alium; & cap. 2. dum ait, Christum esse nunc offerentem ministerio Sacerdotum, denotans non aliter offerre: qui autem aliquid facit per alterum, & ministerio alterius, non facit illud immediatè & per se ipsum, sed tantùm remotè & per alterum. Secundò, idem Antecedens probatur ratione, quia ab eo tantùm fit proximè & immediatè actio Sacrificij & immolatio, à quo verba consecrationis proferuntur, quia verba sunt quibus quasi gladio fit dicta immolatio, verba autem consecrationis non proferuntur à Christo, sed tantùm à Sacerdotibus, vt patet; ergo.

Posterior pars, nempe Christum in Sacrificio Missæ offerre remotè & mediantibus Sacerdotibus, & per illos, constat ex Tridentino vbi suprà, quia ex eo constat, Christum in Sacrificio Missæ esse nunc offerentem ministerio Sacerdotum, & ipsum per Sacerdotes immolari.

Et ratione probatur, & declaratur, Primò, quia Christus tribuit Sacerdotibus victimam ad Sacrificium Missæ, nempe se ipsum illis tamquam suis ministris remittens, & commendans, vt ipsum in Sacrificium offerant, ergo Christus non minùs concurrit ad immolationem sui, quàm dominus ad elargitionem eleëmosynæ factam medio famulo, cui dedit pecuniam, ipsi remittens, & commendans, vt eam in eleëmosynam elargiatur, dominus autem ad elargitionem eleëmosynæ factę à famulo, concurrit mediatè & per illum, ergo Christus ex hoc capite sufficienter offert mediatè & remotè in Sacrificio Missæ. Secundò, quia Sacerdotes ex intentione Christi offerunt in Sacrificio Missæ nomine ipsius Christi tamquam Vice-Christi, & ipsius Legati ipsum repræsentantes, vt cōstat ex verbis quibus id efficiunt, nempe, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic est calix Sanguinis mei*: ergo Christus, etiam ex hoc capite dicitur per illos

&

& medijs illis sufficienter offerre in Sacrificio Missæ, quamuis mediatè & remotè. Ad id autem non existimamus necessarium, quòd id efficiant nomine Christi ex institutione ipsius: quia si id efficerent nomine Christi, quamuis ex sola institutione Dei, sufficeret; quia eo ipso quòd id efficerent nomine Christi, & tamquam legati ipsius ipsum repræsentantes, Christus diceretur per illos & medijs illis id efficere.

Christus ergo in Sacrificio Missæ, est verè offerens non proximè & immediatè, sed tantùm mediatè & remotè, ex duplici tamen titulo, & ex quolibet sufficienter: nempe, & quia tribuit Sacerdotibus victimam ad immolandum illam, eius immolationem illis tamquam suis ministris remittens & commendans, quod sufficit vt per illos dicatur offerre, quamuis id non efficerent tamquam Vicarij ipsius ipsum repræsentantes; & quia Sacerdotes nomine ipsius tamquam Vicarij ipsius, & eius Legati ipsum repræsentantes offerunt, quod sufficit vt per illos dicatur offerre, quamuis ipsis non tribueret victimam ad immolandū, illis tamquam ministris remittens & commendans immolationem illius. Et quamuis mediatè tantùm & remotè dicatur Christus in Sacrificio offerre, quia non per se ipsum; sed tantùm medijs Sacerdotibus, & tamquam ministris, & etiam tamquam Vicarijs & Legatis; nihilominùs nunc & actu dicitur offerens, quia id efficit nunc, quamuis per Sacerdotes; & etiam dicitur principalis, quia offert per alios tamquam per ministros & Legatos. Ex quo constat ad fundamentum aduersariorum, desumptum ex Tridentino, quia dicit Christum esse nunc offerentem in Sacrificio Missæ.

Ad hoc verò, quòd Christus sit Sacerdos in æternum, vt dicitur Psalmo 109. & ad Hebr. 7. quod adducitur pro aduersarijs; non est necessarium, quòd per se ipsum offerat in æternum, quia etiam post finem mundi manebit Sacerdos, & tamen post finem mundi nullū offeret Sacrificium: imò ad id non est necessarium quòd aliquod offerat, nec quòd aliquod obtulerit Sacrificium; quia sufficit, quòd eius humanitas sit in æternum vnita diuinitati, quia Sacerdotium nō consistit in ministerio & vsu sacrificandi; sed in dignitate & potestate ad id quā Christus habet, & habebit, quamdiu humanitas ipsius sit vnita diuinitati, vt dicimus Tractatu de Incarnatione Disputatione XIX. Difficultate III. Ex eo verò in Epistola ad Hebræos Christus dicitur Sacerdos in æternum, nullum habens successorem, quia ei nullus succedit in dignitate & potestate, quia eam non amisit per mortem, sicut Sacerdotes Leuitici succedebant alijs in dignitate & potestate; non verò quia ei nullus succedat in ministerio & in exercitio, quia quoad hoc ipsi cessanti à ministerio sacrificandi succedunt Sacerdotes Euangelici, accipientes dignitatem & potestatem Sacerdotalem ad id, & ob hoc dicuntur Vicarij Christi.

Et ad primam rationem pro aduersarijs concedimus, Christū verè & principaliter offerre nunc in Sacrificio Missæ, & non quia Sacrificium Missæ fuerit ab ipso institutum, sed duobus prædictis modis, nempe, & quia tribuit Sacerdotibus victimam ad eam immolandam, & ipsis tamquam ministris commisit immolationem illius; & quia Sacerdotes tamquam Legati Christi, in persona & nomine ipsius ipsum repræsentantem offerunt.

Ad secundam concedimus, Sacrificium Missæ habere infinitum valorem, & infinitam virtutem ad causandum fructum & effectum, vt dicemus Disputatione III. Difficultate VII. iste tamen infinitus valor, & infinita virtus non est in genere meriti, seu ex opere operantis; sed tantùm instar Sacramenti ad causandum ex opere operato: ad quod non requiritur bonitas aliqua in proximè offerente, quia sufficit institutio Christi communicantis istum infinitum valorem ipsi actioni Sacrificij, quamuis factæ à malo ministro, & quamuis ab eo fiat mala, si mala fieri potest; & quoad hoc dicitur nō posse à malo ministro coinquinari, quia quamuis fiat mala, eius tamē valor & virtus, quam habet ex institutione Christi, non impeditur, nec Sacramenta possunt eo modo coinquinari à malo ministro, quamuis ab eo peccaminosè fiant.

Ad tertiam negamus, Christum vt hominem concurrere physicè ad immolationem, sicut nec concurrit physicè ad prolationem verborum; quia ad immolationem Missæ tantùm concurrit duplici modo dicto, & etiam moraliter, id est meritoriè, quia sua passione meruit impetrare à Deo positionem Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, factam ex vi verborum Sacerdotis. quo etiam modo concurrit ad effectum Sacramentorum, nempe tamquam instrumentum morale vniuersale diuinitati coniunctum, impetrando meritoriè à Deo effectum illorum.

Ad quartam concedimus, Sacerdotes in Sacrificio Missæ offerre, & tamquam ministros Christi, & tamquam Legatos ipsius ipsum repræsentantes: ex eo tamen solùm fit, Christum actu & nunc offerre quando offerunt Sacerdotes, sed non proximè & immediatè, quia per Sacerdotes & non per se ipsum exercet actionem sacrificandi.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm omnes Sacerdotes possint efficere & offerre verum Sacrificium Missæ.

CONueniunt Catholici cōtra hæreticos, in solis Sacerdotibus esse potestatem efficiendi & offerendi Sacrificium Missæ, vt significatur in Tridentino sess. 22. & 23. c. 1. *Trident.*

Est tamen difficultas, An omnes Sacerdotes possint validè efficere & offerre Sacrificium Missę.

Scotus in 4. d. 13. quæst. 2. & Gabriel quæst. 2. art. 3. du. 2. partem negatiuam tuentur, quam etiam videtur tradere Magister in 4. d. 13. Eam tamen non eodem modo defendunt: quia Scotus concedens Sacerdotem hæreticum & schismaticum, & Gabriel concedens omnem Sacerdotem præcisum ab Ecclesia, posse validè consecrare; negant tamen, posse verum Sacrificium efficere & offerre: quia ex vna parte existimant, essentiam Sacrificij Missæ sitam esse in ea oblatione, quæ fit verbis illis, *Offerimus*, &c. siue ante consecrationem, siue post; & ex altera existimant, dictos Sacerdotes non posse verè dicere, *Offerimus*, &c. quia non possunt nomine Ecclesiæ loqui, cùm sint ab ipsa præcisi; Sacerdos autem nequit sacrificare, nisi ea verba nomine Ecclesiæ proferat, quia non nomine proprio, sed tantùm nomine Ecclesiæ sacrificat & offert. Magister verò idem videtur tradere, dum existimat, excommunicatum, aut præcisum manifestè notatum, non posse validè consecrare, quia ob ra- *Scotus. Gabriel. Magister.*

tionem

tionem Scoti & Gabrielis nequeat dicere, *Offerimus*; essentia autem Sacrificij Missæ in consecratione consistit.

S Thomas. Vasquez. S. Thomas verò q 82. art. 7. Vasquez d. 226. & communiter Theologi partem affirmatiuam meritò tradunt. Et in primis quemcumque Sacerdotem, quantumuis hæreticum & ab Ecclesia præcisum, posse verum Sacramentum Eucharistiæ efficere, conueniunt Theologi contra Magistrum, & maximè indicat Tridentinum sess. 23. c. 1. & 4. & can. 4. Id verò, quod Magister in contrarium & pro se adducit, nempe Sacerdotem non posse verè dicere *Offerimus*, nullius momenti est, & quia id est falsum, vt statim dicemus; & quia verbum istud *offerimus*, siue præcedens siue subsequens consecrationem, non pertinet ad formam consecrationis; sed tantùm hæc, *Hoc est Corpus meum, Hic est calix Sanguinis mei*: hæc autem proferri possunt à quocumque Sacerdote, quantumuis præciso, etiam nomine Christi, ratione characteris, quia ratione huius habet potestatem illa proferendi nomine & Vice Christi, & nequit ab Ecclesia deleri.

Deinde contra Scotum & Gabrielem, quemcumq; Sacerdotem quouis modo præcisum, posse Sacrificium Missæ efficere & offerre, probatur; tum, quia immolatio & oblatio Sacrificij Missæ in consecratione consistit; consecratio autem validè fieri potest à quocumque Sacerdote quouis modo præciso, quia consecratio fit validè ratione characteris, qui nequit ab Ecclesia deleri: tum etiam, quia quamuis immolatio seu actio Sacrificij Missę sita esset in oblatione, verbis illis, *Offerimus*, &c. facta, nihilominùs Sacerdos præcisus validè posset verum Sacrificium offerre, quia Sacerdos non offert nomine Ecclesiæ, potestate ab ipsa accepta; sed potestate annexa characteri à Deo accepto ad orandum & offerendum pro Ecclesia, & nomine Ecclesiæ, ergo nequit ab Ecclesia auferri potestas dicendi nomine ipsius, *Offerimus*, &c. quamuis id prohibere possit, & de facto præcisis prohibeat.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm alij fideles, præter Sacerdotes, Sacrificium Missæ offerre dicantur.

Rupertus. Innoc. III. Leo I. CONueniunt Catholici, alios fideles, præter Sacerdotem consecrantem, etiam in Sacrificio Missæ offerre. Quod tradunt Rupertus lib. 2. de Diuinis officijs cap. 6. Innocentius III. lib. 3. de Mysterijs Missæ cap. 5. & Leo I. Epist. 81. cap. 2. & id exprimitur in Canone Missæ, dum dicitur: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Quo significatur, totam familiam Christi, seu totum populum Christianum hoc Sacrificium seruitutis offerre: & dum paulò inferiùs dicitur, *Vnde & memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta*, &c. *offerimus præclaræ maiestati tuæ*, &c. & id non leuiter indicatur, dum dicitur: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis.* vbi verba illa, *vel qui tibi offerunt*, de circumstantibus intelliguntur, quia particula *qui* ad circumstantes refertur.

Omnes ergo alij fideles, etiam absentes, dicuntur etiam Sacrificium Missæ offerre, non proximè & immediatè, quia ipsi non proferunt verba consecrationis, medijs quibus quasi gladio mactatur & offertur victima in Sacrificio Missæ; sed tantùm remotè & mediatè, nempe medio Sacerdote; non quia ipsi ad illud aliquo modo concurrant, nec physicè nec moraliter, sed generaliter fideles ex eo tantùm dicuntur offerre, quia ex vna parte Christus reliquit omnibus fidelibus se ipsum tamquam victimam sic vnicuiq; propriam, ac si vnusquisque eam tribueret Sacerdoti, vt pro ipsis illam offerret; & ex altera Sacerdos ratione characteris à Deo deputatus, vt nomine fidelium offerat dictam victimam, offert illam quasi propriam singulorum fidelium; sicuti in Lege veteri illi dicebantur immolare & offerre, qui victimam tribuebant Sacerdoti, vt nomine ipsorum illam immolaret & offerret siue pro ipsis tribuentibus victimam, siue pro alijs. Dicitur autem Sacerdos nomine fidelium aut Ecclesiæ immolare & offerre, non tamquam superioris, sed tamquam inferioris, seu plebis & populi, vt aduertunt Bellarminus l. 2. de Sacrificio Missæ, cap. 4. & Vasquez disp. 226. num. 14. quia Ecclesia non comparatur cum Sacerdote, nisi tamquam plebs & inferior cum superiore & interessore. Dicitur tamen immolare & offerre nomine Christi tamquam superioris, quia cum Christo comparatur tamquam minister, & inferior cum superiore & principali, & tamquam Vicarius & legatus illius ipsum repræsentans: & ideò Sacerdos potiùs dicitur minister Christi in Ecclesia, quàm minister Ecclesiæ.

Addimus, eos fideles, qui ad Sacrificium Missæ aliquo modo cooperantur, aut Sacerdoti sacrificanti ministrando, aut ei stipendium ad id tribuendo, aut sua assistentia Sacrificium approbando & auctorizando, dici specialiori modo offerre Sacrificium Missæ, & sic offerendo benè operari, & mereri.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Sacrificium Missæ possit pro omnibus viuis offerri.

QVamuis Sacrificium offerri pro alio, sumi possit prout idem est, quod nomine & loco alterius offerri; in præsentiarum tamen non ita sumitur, sed prout idem est quod offerri in vtilitatem & commodũ alterius, ei applicando fructum Sacrificij, qua ratione communiter sumitur apud Patres, & apud Scholasticos, & apud Paulum ad Hebr. 5. non tantùm dum ait, *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre*, id est in vtilitatem populi & sui; sed etiam dum dicit, *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur*, id est in vtilitatem & commodum hominum, vt omnes exponunt, & deducitur ex alijs verbis iam relatis, quæ paulò inferiùs proferuntur à Paulo.

Hoc ergo supposito, Sacrificium Missæ offerri posse, non tantùm pro ipsis Sacerdotibus offerentibus, vt constat ex suprà relatis verbis Pauli, *Propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre*; sed etiam offerri posse pro alijs viuis, vt constat ex his verbis Pauli, & ex praxi & vsu Ecclesiæ, in qua quotidie offertur Sacrificium Missæ pro alijs viuis.

Est tamen difficultas, Primò, pro quibus alijs viuis in particulari offerri possit. Circa quam conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ offerri posse pro

pro omnibus fidelibus baptizatis viuis, qui sunt membra Ecclesiæ, & ab ipsa non sunt præcisi. Ita definitur in Tridentino sess. 22. cap. 1. & can. 3. & id constat ex praxi Ecclesiæ, qua post verba, *Te igitur, clementissime Pater*, statim subditur, *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica*, & paulò inferiùs, *& pro omnibus orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.*

Nomine autem fidelium baptizatorum qui non sunt præcisi, intelligimus non tantùm adultos, sed etiam paruulos, quia ex omnibus coalescit Ecclesia Catholica, quia omnibus eis, non tantùm adultis, tam iustis quàm peccatoribus, sed etiam paruulis, Sacrificium Missæ prodesse potest, quia etiam paruulis impetrari potest salus, & vitæ diuturnitas, imò & auxilia externæ protectionis, quibus ex tunc optimè dirigantur ad rectam vitam futuram: & sub prædictis fidelibus baptizatis etiam comprehenduntur energumeni, quia etiam ex eis constat Ecclesia, & eis potest Sacrificium Missæ prodesse.

Secundò est difficultas, An Sacrificium Missæ possit offerri pro non baptizatis viuis, vt pro gentibus, Iudæis, paganis, & Catechumenis.

Bellarmin. Suarez. Henriq. Ægidius. Laymann. Bonacina. Bellarminus lib. 2. de Sacrificio Missæ, cap. 6. Suarez disp. 78. sect. 2. Henriquez lib. 9. cap. 15. Ægidius q. 83. art. 1. dub. 9. Laymannus tract. 5. c. 2. & Bonacina disp. 4. pun. 5. docent, offerri posse validè & licitè; quod indicare videtur Paulus 1. ad Tim. 2. dum cõmendat obsecrationes & orationes fieri pro Regibus qui tunc non erant baptizati. Et specialiter, quòd Sacrificium Missæ offerri possit pro non baptizatis, indicat Tertullianus in lib. Ad Scapulam, cap. 2. num. 11. dum ait: *Itaque sacrificamus pro salute Imperatoris.* Imperatores autem tunc non erant baptizati. Et etiam quòd offerri possit pro Catechumenis non baptizatis, contineri videtur in Libello qui dicitur *Ordo Romanus*, in 3. Scrutinio quod Feria quarta hebdomadæ quartę Quadragesimæ fiebat. Imò offerri posse pro Catechumenis adhuc defunctis, tradere videtur Innocentius III. in cap. *Apostolicam*, de Presbytero non baptizato, & Ambrosius in Oratione de obitu Valeriani Imperatoris.

Et ratione probatur, quia Sacrificium crucis pro omnibus, etiam non baptizatis, & infidelibus, oblatum fuit; ergo etiam Sacrificium Missæ, quod est applicatio fructus Sacrificij crucis, offerri potest pro omnibus.

Soto. Vasquez. Azor. Soto verò in 4. d. 11. quæst. 2. art. 7. Vasquez disp. 227. cap. 3. & Azor lib. 10. cap. 22. docent, Sacrificium Missæ nec licitè nec validè offerri posse pro non baptizatis viuis. Et in primis non posse pro illis licitè offerri, probatur ratione desumpta ex consuetudine: quia Ecclesia non baptizatis, quantumuis Catechumenis, denegat publicas orationes in Missa, excepto die Paraseues, ex peculiari priuilegio, in signum generalis redemptionis in eo die pro omnibus à Christo exhibitæ; in alijs autem diebus potiùs petit vt infideles conterantur: ergo Ecclesia hac consuetudine satis denotat, se nolle, & prohibere quòd fiant orationes publicè pro nobis baptizatis, ergo multò meliùs prohibet, & non vult Sacrificium Missæ pro illis offerri, quia istud maius est orationibus publicis, & non minùs publicum quàm illæ.

Deinde non posse pro illis validè offerri, probatur, quia Eucharistia vt Sacramentum, non prodest illis, quia tantùm est instituta in Sacramentum pro baptizatis; ergo nec vt Sacrificium, quia etiam vt Sacrificium confert suos effectus instar Sacramenti ex opere operato. Consequentia patet, quia mirum esset, & nullo fundamento affirmari potest, Christum Eucharistiam in Sacramentum pro baptizatis tantùm instituisse, & eamdem in Sacrificium, quam etiam vt sic, instar Sacramenti, instituit, pro non baptizatis instituisse.

Paulus ergo pro aduersarijs adductus, commendauit fieri orationes pro Regibus & alijs infidelibus non baptizatis, & verè fiebant etiam multo tempore post Paulũ adhuc in Sacrificio Missæ, vt significant Clemens Romanus lib. 8. Constit. Apostol. & Chrysostomus in sua Liturgia, & satis conuenienter: quia tempore Pauli & dictorum Patrum, baptizati commorabantur inter non baptizatos, vt sic illis signa amoris ostenderent, & pacificè viuerent: iam verò id est ab Ecclesia dicta consuetudine prohibitum, & multò magis pro illis Sacrificium Missæ offerre, quia numquã pro non baptizatis illud obtulit, præsertim quia illis prodesse non potest, nec pro illis validè offerri. *Clem. Rom. Chrysost.*

Tertullian. Tertullianus verò, qui specialiter de Sacrificio loquitur, aut nomine Sacrificij non intelligit Sacrificium Missæ, sed Sacrificium latè sumptũ pro orationibus publicis in Sacrificio Missæ factis; aut si nomine Sacrificij intelligit Sacrificium Missæ, intelligendus est quoad valorem & meritum operantis, quod vt sic offerri potest pro non baptizatis, sicut & quodlibet aliud opus bonum. Et hoc posteriori modo explicandi sunt Innocentius III. Ambrosius & libellus Romanus, qui loqui videntur de Sacrificio Missæ.

Et ad rationem respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam: concedimus enim, Sacrificium crucis pro omnibus, etiam non baptizatis, oblatum fuisse à Christo; negamus tamen inde inferri, Sacrificium Missæ posse pro illis offerri, etiamsi per illud applicetur fructus Sacrificij crucis, sicut nec infertur, Sacramenta posse applicari non baptizatis, quamuis valor Sacrificij crucis per ipsa applicetur, quia est discrimen inter Sacrificium crucis ex vna parte, & inter Sacrificium Missæ & Sacramenta ex altera, quòd Sacrificium crucis fuit à Christo oblatum tamquam bonum opus, & meritum ipsius pro redemptione generis humani; & ideò voluit pro omnibus illud offerre, & pro omnibus pati & mori, quia voluit redemptionem omnium quoad sufficientiam mereri. Sacrificium verò Missæ, prout à Christo institutum, non offertur tamquam bonum opus, & meritum Christi, sed tantùm tamquam quoddam peculiare instrumentum, institutum ad applicandum efficaciter ex opere operato meritum seu pretium Sacrificij crucis pro nostra redemptione, quoad effectus ad quos institutum est. Vnde non est mirum, quòd Christus noluerit illud instituere pro non baptizatis; sicut noluit alia Sacramenta à Baptismo distincta pro illis instituere, quia etiam sunt peculiaria instrumenta, medijs quibus pretium Sacrificij crucis applicatur efficaciter, & ex opere operato quoad aliquos effectus; quod supra Sacrificium crucis est quidam nouus fauor, quem noluit præstare non baptizatis.

Tertiò est difficultas, An Sacrificium Missæ possit offerri pro baptizatis ab Ecclesia præcisis.

Supponimus, posse pro illis validè offerri, quo-

ad fructum, quem habet ex institutione Christi, quia ex vna parte institutum est à Christo pro omnibus baptizatis, & ex altera parte Ecclesia nequit dictum fructum impedire, quia iste non pendet ab Ecclesia, sed tantùm ex intentione ministri, cui soli Christus totum commisit.

Punctum ergo difficultatis in eo consistit, An Sacrificium Missæ possit pro præcisis ab Ecclesia licitè offerri. Et primò examinandum est, an possit licitè offerri pro schismaticis & hæreticis, excommunicatione secluſa.

Bellarmin. Suarez. Henriquez. Bonacina. Layman. Cælestinus.

Bellarminus, Suarez, Henriquez, Bonacina & Laymannus vbi suprà, partem affirmatiuam tuentur, & Cælestinus Papa in Epist. 1. ad Episcopos Galliæ, & Iacobus in sua Liturgia, dum admittunt pro eis publicas orationes fieri, etiam in Missa. Et ratione probatur, quia ex vna parte institutum est à Christo pro omnibus baptizatis, & ex altera, secluſa excommunicatione, id non est prohibitum ab Ecclesia; ergo non solùm validè, sed etiam licitè potest pro illis offerri.

Gabriel. Sotus Vasquez.

Gabriel verò lect. 34. in Can. lit. A. Sotus & Vasquez vbi suprà, partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Ecclesia numquam offert Sacrificium Missæ, nec publicè orat pro schismaticis & hæreticis, adhuc in communi, nisi in die Paraſceues, in alijs autem diebus potiùs petit vt conterantur; ergo satis denotat se nolle, & se prohibere offerri Sacrificium & orationes publicas pro illis fieri.

Testimonijs verò Patrum adductis pro aduersarijs, tantùm probatur, id non esse prohibitum ex natura rei, & pro illis temporibus non fuisse ab Ecclesia prohibitum, imò fuisse ordinatum vt fieret; non tamen, quòd modò non sit ab Ecclesia prohibitum, vt verè est, prohibitione dicta consuetudine introducta aut denotata.

Quoad reliquos verò baptizatos maiori excommunicatione excommunicatos, quamuis pro eis possit Sacrificium Missæ validè offerri, quia baptizati sunt; conueniunt tamen Theologi, non posse pro illis licitè offerri, quia ab Ecclesia sunt excluſi à communibus suffragijs (quorum vnum est Sacrificiũ Missæ) vt constat ex cap. *Anobis* 26. & ex cap. *Sacris* 38. de Sentent. excommunicat. & ex 11. q. 3. de quo latiùs dicimus Tractatu de Excommunicatione Disputat. 111. Difficult. 11. Id tamen intelligitur quoad excommunicatos non toleratos, id est nominatim denuntiatos, aut eos qui notoriè inciderunt in excommunicationem ob percussionem Clerici, quia pro excommunicatis toleratis licitè offerri potest, vt dicimus in eadem Disputatione Difficultate IV.

Obseruandum est, quòd quamuis Sacrificium Missę nequeat offerri directè pro baptizatis præcisis ab Ecclesia, nec pro nõ baptizatis, quamuis Catechumenis, oblatione ad illos directa; indirectè tamen potest, oblatione directa ad Ecclesiã, nempe pro dilatatione & pace Ecclesiæ, pro sedando schismate, & pro salute v.g. Germaniæ, & etiam totius mundi, quamuis Sacrificium Missæ sic oblatum redundet indirectè in bonum non baptizatorum, & baptizatorum ab Ecclesia præcisorum, quia eorum conuersione & reductione Ecclesia pacificatur, melioratur, & propagatur, de quo latè in dicta Disputatione.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Sacrificium Missæ possit pro omnibus defunctis offerri.

CIrca damnatos non defuerunt, qui olim existimauerint Sacrificium Missæ pro illis validè & licitè offerri: validè, quia eis potest prodesse, vt æterna pœna minùs impatienter sustineatur, & vt tolerabilior fiat: & licitè, quia id non est prohibitum. Quibus maximè fauet Glossa in can. *Tempus* 13. quæst. 2. dum ait, orationem & eleëmosynam prodesse damnatis mediocriter malis, vt mitiùs in inferno puniantur, quod multò melius attribueret Sacrificio Missæ. Et id tradere videtur Augustinus in Enchiridio cap. 110. & refertur in Aug. d. can. *Tempus*, dum ait, Sacrificium Altaris & eleëmosynarum prodesse non valdè malis, vel vt sit plena remissio, vel vt tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Nihilominùs Theologi constanter docent, Sacrificium Missæ nec validè nec licitè posse pro damnatis offerri. Quod autem id non liceat, dicitur in can. *Pro obeuntibus*. 13. quæst. 2. & idindicat Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 40. dum ait, non esse licitum pro damnatis orare, quia eadem omnino est ratio; imò maior, vt etiam non sit licitum pro illis Sacrificium offerre. Et ratione probatur, quia Sacrificium Missæ ad nihil potest prodesse damnatis, quia non sunt in statu adipiscendi nouam misericordiam, sed patiendi rigorosam vindictam, quia in inferno nulla est redemptio & misericordia, de quo latiùs dicitur in Tractatu de Suffragijs, aut in Tractatu de Nouissimis.

Augustinus verò nullatenus fauet aduersarijs, quia nomine *damnationis*, dum ait Sacrificia prodesse vt tolerabilior fiat ipsa damnatio, non intelligit pœnam æternam inferni, sed pœnam purgatorij, quæ Sacrificijs aut omnino tollitur, aut remissione alicuius partis pœnæ fit tolerabilior. Vnde per non valdè malos intelligit eos, qui è vita decesserunt non plenè extincto reatu pœnæ.

Circa Beatos Primò conueniunt Theologi, Sacrificium Missæ offerri non posse vt Beatis remittatur culpa, nec pœna aliqua, vt patet, nec vt in eis augeatur gratia habitualis, nec gloria, quia totam, quam habituri sunt, habent ab ingressu gloriæ.

Secundò conueniunt, posse Deo Sacrificium Missæ offerri, vt ipsi gratias agamus pro Beatorum victorijs, vt dicitur in Tridentino sess. 22. cap. 3. & pro beatitudine ipsis collata, quod est quodammodò pro ipsis Sacrificium offerri, quia Sacrificio ea intentione oblato, Beati quodammodò recompensant, vel nos loco illorum, pro beneficijs à Deo acceptis, ac proinde vnum ex fructibus Sacrificij quodammodò participant.

Tertiò conueniunt, Sacrificium Missæ offerri posse in honorem & gloriam Beatorum, & de facto sic offertur, vt constat ex Missa Latina, dum in eius Officio dicitur, *quam tibi offerimus in honorem Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, vt illis proficiat ad honorem.* Dicitur autem offerri in honorem & gloriam Sanctorum, tum quia in Officio Missæ multis modis illos cõmemoramus, præsertim à Deo petentes, vt faciat eos suis intercessionibus nos adiuuare, & per eorũ merita à Deo multa beneficia petentes, quo non parum eos honoramus

&

& glorificamus; tum etiam, quia actione ipsa Sacrificij auxilia gratiæ à Deo nobis & alijs impetramus, vt Sanctos honoremus & glorificemus, quamuis hoc non tam sit pro Sanctis Sacrificium offerri, quàm pro nobis.

Ita tamen in Ecclesia offertur Sacrificiũ Missæ in honorem & gloriam Sanctorum, vt non ipsis, sed soli Deo offeratur, vt aduertit Tridentinum cap. illo 3. ac proinde soli Deo templa & altaria eriguntur, vt in eis soli Deo, non Sanctis Sacrificium offeratur: id tamen non tollit, quin templa & altaria in honorem Beatorum erigantur, & illis dicentur, vt in Sacrificio in illis oblato, Sancti prędictis modis inuocentur & commemorentur. Et hoc posteriori modo & fine fit in Ecclesia, non priori modo, vt Kemnitius falsò imponit Ecclesiæ. Quòd verò Sanctos in Officio Missæ inuocare, & commemorare, vt fit in Ecclesia, non sit reprehensione dignum, sed potiùs laudabile, constat ex Patribus, & ex vsu Ecclesiæ, & ex ratione, vt videri potest apud Bellarminum l. 1. de Missa, cap. 8. vbi etiam obiectiones Kemnitij contra consuetudinem hanc dissoluit.

Circa defunctos baptizatos in Purgatorio existentes conueniunt Catholici, Sacrificium Missæ posse pro eis offerri, & eis maximè prodesse ad remissionem pœnæ (ac proinde, vt citiùs beatitudinem adipiscantur) vt definitur in Tridentino sess. 22. cap. 2. & can. 3. & constat ex perpetua Ecclesiæ traditione. quod etiam expresserunt Augustinus de Verbis Apost. Serm. 32. Chrysostomus Homil. 3. Epist. ad Philip. & Homil. 69. ad populum Antiochenum. Cyprianus lib. 1. Epist. 9. Epiphanius Hæresi 75. Eusebius lib. 4. de Vita Constant. cap. 71. & Cyrillus Catechesi 5. Pro defunctis verò non baptizatis nequit adhuc validè offerri, & multò minùs quàm pro non baptizatis viuis, nisi quoad valorem & meritum ipsius operantis seu Sacrificantis; sicut quodlibet aliud opus bonum, eo modo quo Difficultate præcedenti diximus posse offerri pro non baptizatis viuis.

Trident. *Augustin.* *Chrysost.* *Cyprian.* *Epiphan.*

DISPVTATIO III.

De virtute & effectibus Sacrificij Missæ.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm remissio peccati mortalis quoad culpam sit effectus Sacrificij Missæ.

CONVENIVNT Catholici, virtute Sacrificij Missæ peccata mortalia quoad culpam remitti. Est tamen difficultas circa modũ, quo virtute illius remittãtur, an scilicet immediatè, an tamtùm mediatè.

Albe. Pigh. Albertus Pighius Controu. 5. & nõnulli recentiores docent, virtute Sacrificij Missæ immediatè & proximè remitti peccata mortalia quoad culpam, & infundi gratiam habitualem ei pro quo offertur, sicut virtute Sacramenti Pœnitentiæ: ad id tamen requirunt in eo, pro quo offertur, attritionem de illis; quod probabile censet Gaspar Casalius lib. 2. de Sacrificio Missæ, & indicare videtur Tridentinum sess. 22. c. 2. dum de Sacrificio Missæ loquens, ait: *Sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, vt si cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ conceden s, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.* Et id tradere videntur Martialis in Epist. ad Burdegalenses cap. 3. Alexander in Epist. 1. decretali c. 4. Ambrosius 1. Offic. cap. 48. Hieronymus Epist. 146. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 5. & Iulius Papa in Epist. ad Episcopos per Ægyptum, & refertur in can. *Cùm omne crimen.* de Consecrat. d. 2. dum ab ipsis remissio peccatorum tribuitur Sacrificio Missæ.

Gasp. Cas. *Martial.* *Alexand.* *Ambros.* *Hieronym.* *Cyr Ieros.* *Iul. Pap.*

Et ratione probatur, quia in Eucharistia potior est ratio Sacrificij quàm Sacramenti, quia ratio Sacrificij in oblatione posita est, ratio verò Sacramenti ad vsum refertur: sed Eucharistia quatenus est Sacramentum, immediatè confert primam gratiam habitualem, & remissionem mortalium attrito, qui bona fide se existimat contritum; ergo idem etiam operatur quatenus est Sacrificium, adhuc in eo qui scienter est tantùm attritus, quia Eucharistia quatenus est Sacrificium, instituta est ad remittenda peccata mortalia, non verò quatenus est Sacramentum.

S. Thomas verò in 4. d. 12. quæst. 2. art. 2. ad 4. Vasquez disp. 228. Suarez disp. 79. sect. 3. Ægidius art. 1. dub. 8. & communiter Theologi docent, virtute Sacrificij Missæ non remitti immediatè peccata mortalia quoad culpam, sed tantùm mediatè, quia scilicet virtute illius impetrantur auxilia, medijs quibus acquiritur remissio & iustificatio à mortalibus. quod significat Tridentinũ cap. illo 2. illis verbis: *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ conceden s, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit.* quibus verbis satis significat, Deum virtute Sacrificij Missæ remittere mortalia, concedendo auxilium gratiæ ad pœnitentiam (siue Sacramentum, siue perfectam contritionem) mediâ quâ remittantur peccata. quod etiam superiùs expresserat illis verbis: *Per ipsumque fieri, vt si cum vero corde & recta fide, cum metu & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* quibus verbis satis exprimit, per Sacrificium Missæ nos consequi misericordiam & remissionem peccatorum, medijs auxilijs, si pœnitentes, quamuis solùm attriti, seu imperfectè contriti simus. Ex quo patet ad testimonium Tridentini pro aduersarijs adductum: & id ratione ab absurdis desumpta probatur, quia Primò sequeretur, eum, pro quo Sacrificium offertur, posse in somnis iustificari à mortalibus, si ante somnum habuit attritionem eorum, & pro eo in somnis existente Sacrificium offeratur: id autem nimium est concedere Sacrificio Missæ, quia vix conuenit Sacramentis. Secundò sequeretur, Sacramentum Pœnitentiæ nec in re nec

S. Thomas. *Vasquez.* *Suarez.* *Ægidius.*

in voto esse medium necessarium in baptizatis ad remissionem mortalium, quia hæc fieri potest medio Sacrificio, in quo nec Sacramentum Pœnitentiæ nec eius votum continetur. Quibus accedit, quòd absque firmo fundamento prædictus modus remittendi mortalia, & iustificandi ab illis, tribuitur ei quod non est Sacramentum.

Patres ergo pro aduersarijs adducti, solùm affirmant, Sacrificio Missæ remitti peccata; quia tamen non dicunt, immediatè & proximè, exponendi sunt, sicut Tridentinum, mediatè & remotè.

Ad rationem verò negamus, in Eucharistia rationem Sacrificij esse perfectiorem ratione Sacramenti (imò potiùs est imperfectior) & etiam negamus, Eucharistiam, vt Sacramentum, à mortalibus immediatè iustificare: & quamuis vtrumque esset verum, non concluderetur intentum aduersariorum, quia ex eo non conuinceretur, Sacrificium Missæ fuisse institutum ad sic iustificandum, quia duobus illis existentibus, potuit Christus non instituere Sacrificium Missæ ad id.

Addimus, in quo Theologi conueniunt, remissionem mortalium, quæ fit virtute Sacrificij Missæ, impetrando auxilia efficacia ad id, non esse certam & infallibilem, quamuis offeratur pro rectè dispositò, quia ad id nullum est sufficiens fundamentum. Accedit, quòd perseuerantia sit effectus Eucharistiæ vt Sacramenti, non minùs quam dicta remissio mortalium est effectus ipsius vt Sacrificij: perseuerantia autem non conceditur infallibiliter dignè suscipientibus Sacramentum Eucharistiæ; ergo nec dicta remissio eis, pro quibus offertur Sacrificium Missæ. Vnde medio Sacrificio Missæ non conceditur infallibiliter auxilium efficax ad id medio quo fiat dicta remissio, quia auxilio efficaci concesso, dicta remissio fit certò & infallibiliter. Quòd autem dicta remissio sit effectus Sacrificij Missæ ex institutione Christi, & ex opere operato, non sufficit vt sit infallibilis, vt dicemus Difficultate VI.

Sed an impetratio auxilij tantùm sufficientis ad eam remissionem, sit etiam effectus Sacrificij Eucharistiæ, parui momenti est: credimus tamen, non esse effectum illius; sicut nec impetratio auxilij tantùm sufficientis ad perseuerandum est effectus Eucharistiæ vt Sacramenti: quia non satis aptè institueretur peculiare instrumentum, quo applicarentur merita Christi ad auxilium, quod nullum est habiturum effectum, quamuis non sit habiturum ex defectu illius cui datur, & non ex defectu ipsius auxilij. Et id quoad impetrationem auxilij medio Sacrificio Missæ indicat Tridentinum cap. illo 2. dum assignans prædictũ effectum Sacrificio Missæ, ait, *Per ipsumque fieri, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno*, id est efficaci; & etiam dum subdit, *Huius quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia, dimittit*: quia Deus donum pœnitentiæ non concedit absque auxilio efficaci, etiam quoad impetrationem auxilij ad perseuerandum medio Sacramento Eucharistiæ. Id etiam indicat sess. 13. cap. 2. dum ait Christum voluisse Eucharistiam sumi *tamquam antidotum, quo à peccatis mortalibus præseruemur*: præseruamur autem auxilio efficaci, & non auxilio tantùm sufficiente.

Trident.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm remissio venialium sit effectus Sacrificij Missæ.

CONueniunt Theologi, virtute Sacrificij Missæ etiam remitti peccata venialia quoad culpam: quod significat Tridentinum sess. 22. c. 2. Trid. dum ait, per Sacrificium Missæ peccata etiam ingentia dimitti; quia particula *etiam* supponit, etiam minora & minima peccata dimitti. Et quidè nullum est instrumentum ad remissionem mortalium institutum, quod etiam non sit ad remissionem venialium.

Est tamen difficultas, An remittantur immediatè, an mediante impetratione auxiliorum.

Canus 12. de Locis c. 13. ad 3. Corduba lib. 2. Cord. q. 3. Notab. 4. Valentia disp. 6. q. 11. pun. 1. §. 22. Val. Henriquez lib. 9. cap. 13. & Petrus Nauarra lib. 2. Nau. cap. 2. n. 354. docent, peccata venialia immediatè remitti per Sacrificium Missæ, sicut per Sacramenta, quia per Sacramentalia, vt per aquam benedictam, immediatè remittuntur; ergo multò melius per Sacrificium Missæ.

Vasquez verò disp. 228. cap. 3. Suarez disp. 79. Vas. sect. 5. Azor lib. 10. cap. 20. q. 4. Ægidius art. 1. Suar. dub. 8. num. 136. Laymannus c. 1. n. 5. Bonacina Azor. pun. 3. & Adamus q. 9. dub. 4. docent, & meritò, Ægid. venialia non remitti immediatè per Sacrificium Bonac. Missæ, sed tantùm mediatè, media scilicet impetratione auxiliorum gratiæ ad contritionem perfectam, vel ad receptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Quod indicat Tridentinum c. illo 2. dum non Adam. tantùm supponit, per Sacrificium Missæ etiam remitti veniale, sed etiam tradit modum quo id fiat, nempe quia Deus concedit gratiam & donum pœnitentiæ. Et ratione probatur, quia nullum est firmum fundamentum ad tribuendam dictam virtutem immediatam ei quod non est Sacramentum.

Addimus, remissionem venialium, quæ fit virtute sacrificij Missæ, non esse certam & infallibilem, quia ad id nullum est firmum fundamentum, cui non obstat, quòd fiat ex institutione Christi, & ex opere operato, vt dicemus Difficultate VI.

Ad fundamentum aduersariorum negamus, per Sacramentalia remitti immediatè venialia.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm augmentum gratiæ habitualis sit effectus Sacrificij Missæ.

CONueniunt Theologi, augmentum gratiæ habitualis esse effectum Sacrificij Missæ, vt pro iustis offeratur: quia si peccatoribus impetratur remissio mortalium, & iustis remissio venialium; non est mirum, quòd impetretur augmentum gratiæ habitualis iustis, pro quibus offertur; præsertim quòd remissio venialium non fit absque augmento gratiæ habitualis, collato intuitu attritionis de illis, aut absq; contritione perfecta, intuitu cuius etiam confertur augmentum dictæ gratiæ.

Est tamen difficultas, An id fiat immediatè, sicut per Sacramenta, an tantùm mediatè.

Petrus Sotus de Instit. Sacerd. lect. 7. de Eucha- Ped. Sot. ristia, & Dominicus Sotus in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. Dom. Sot. docèt id fieri immediatè, quia non videtur minor virtus

virtus Sacrificij, quàm Sacramentorum.

Suarez. Vasquez. Ægidius. Suarez disp. 79. sect. 4. Vasquez disp. 228. & Ægidius art. 1. dub. 8. num. 131. docent id non fieri immediatè, & meritò: quia nullum est firmum fundamentum ad attribuendam eam virtutem Sacrificio Missæ. Et specialiter, quòd non habeat virtutem conferendi immediatè augmentum gratiæ eis pro quibus offertur, probatur; quia aliàs in adulto dormiente posset augeri, si pro eo, quando dormit, offeratur; & etiam posset augeri in parvulo baptizato, si pro eo offeratur, quod est nimium concedere ei quod non est Sacramentum.

Ex eo ergo iustis augetur iustitia & gratia virtute Sacrificij Missæ, quia virtute illius conferuntur illis auxilia efficacia ad opera bona, quibus crescant in iustitia & gratia: augmentum tamen istud sic mediatè collatum, etiamsi ex opere operato conferatur, non tamen certò & infallibiliter, quia ad hoc nullum est firmum fundamentum.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm remissio pœnæ temporalis sit effectus Sacrificij Missæ.

COnueniunt Primò Catholici, virtute Sacrificij Missæ pœnam temporalem restantem post remissionem culpæ remitti iustis, tam viuis quàm defunctis; quod definitur in Tridentino *Trident.* sess. 22. c. 2. vbi etiam dicitur, id ex Apostolica traditione constare. Idē definitur can. 3. & sess. 25. cap. 1. Et sanè, cùm in Ecclesia Sacrificium istud semper fuerit pro pœnis iustorum viuorum & defunctorum oblatum, negari nequit illis ad pœnæ remissionem prodesse.

Conueniunt Secundò Theologi, virtute Sacrificij Missæ dictam pœnam temporalem immediatè remitti. Quod indicatur in Tridentino sess. 22. *Trident.* cap. illo 2. dum, postquam dixit Deum Sacrificio Missæ placatum ingentia peccata remittere, gratiam & donum pœnitentiæ concedendo (quo satis indicat culpas mediatè remitti) absolutè & absque vlla limitatione subdit, Sacrificium Missæ pro pœnis offerri. imò addit, *& pro satisfactionibus*, quo non leuiter indicat, Sacrificium Missæ substitui pro operibus satisfactorijs, quia alio modo non offertur pro satisfactionibus, ac proinde immediatè virtute illius pœnas immediatè remitti, sicut satisfactionibus extinguuntur. Et quidē si immediatè non prodesset ad remissionem pœnarum, eas & quodcumque aliud æquiualens excusando, sed tantùm mediatè, impetrando auxilia ad opera satisfactoria, parum ad remissionem pœnarum prodesset, quia pœnæ aliàs, etiamsi Sacrificium non offeratur, operibus satisfactorijs extinguuntur. Accedit, quòd defunctis nequit alio modo ad remissionem pœnarum prodesse, vnde etiam eodem modo proderit viuis.

Est tamen difficultas, An pœnarum remissio certò & infallibiliter fiat medio Sacrificio Missæ.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, virtute Sacrificij Missæ certò & infallibiliter remitti pœnas viuis iustis, & meritò; quia maximè conueniens est, Sacrificium Missæ, quòd institutum est à Christo instar Sacramenti, tamquā causa particularis applicatiua fructus suæ passionis, habeat fructum aliquem infallibilem, sicut habent Sacramenta, instar quorum institutum est: nullus autem alius ei potest commodiùs attribui, quàm remissio dictarum pœnarum, & quia est effectus immediatè ab ipso prouenies, & quia nullū aliam infallibilem agnoscitur habere, & quē nullis alijs cōmodiùs tribuit quàm viuis, quia remedia particularia præcipuè sunt pro viuis à Christo instituta.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An Sacrificium Missæ certò & infallibiliter prosit iustis defunctis ad pœnarum remissionem.

Sotus. Canus. Cordub. Sotus in 4. dist. 13. quæst 2. art. 1. Canus 12. de Locis cap. 3. & Cordubalib. 1. q. 3. docent, Sacrificium Missæ non semper & infallibiliter prodesse defunctis ad dictum effectum, sed prout Deo placuerit, quia Indulgentię tantùm prosunt defunctis hoc modo; ergo etiam eo tantùm modo illis prodest Sacrificium Missæ.

Vasquez. Suarez. Vasquez verò disp. 228. cap. 4. Suarez disp. 79. sect. 10. & communiter Theologi docent, Sacrificium Missæ pro defunctis iustis oblatum, eis semper & infallibiliter prodesse ad remissionem pœnæ temporalis, & meritò: quia Sacrificium Missæ institutum fuit à Christo ad remissionem pœnæ, tam pro viuis iustis quàm pro defunctis; ergo sicut viuis prodest certò & infallibiliter, ita etiam defunctis, quia eadem est pro vtrisque ratio; & nullum inter vtrosque quoad dictum effectum agnoscitur discrimen.

Vnde quamuis verum esset, Indulgentias defunctis applicatas, non certò & infallibiliter illis prodesse, sed pro arbitrio Dei, non esset idem dicendum de Sacrificio Missæ pro illis oblato ob discrimen inter Indulgentias & Sacrificiū Missæ; quia si Indulgentiæ non prodessent illis certò & infallibiliter, ideò esset, quia Ecclesia, ex cuius auctoritate Indulgentiæ applicantur, nullam habet in defunctos iurisdictionem, vt ipsis possit per modum absolutionis Indulgentias applicare; Sacrificium verò Missæ à Christo, qui etiam habet iurisdictionem in defunctos, fuit etiam pro illis ad remissionē pœnæ institutum, & ideò illis, sicut etiam viuis, certò & infallibiliter prodest.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm sint alij effectus Sacrificij Missæ.

COnueniunt Theologi, Sacrificium Missæ non tantùm prodesse ad impetrationem auxiliorum, ad vincendas tentationes, & ad perseuerandum in gratia, & ad alia bona spiritualia, quibus egemus vt ad gloriam perueniamus, sed etiam ad impetrationem bonorum temporalium, vt victoriæ, pacis, salutis, fructus terræ, & aliorum, quatenus spiritualibus deseruire possunt. Quod satis indicat Tridentinum sess. 22. cap. 2. & can. 3. dum *Trident.* ait, Sacrificium Missæ offerri non tantùm pro pœnis & pro satisfactionibus, sed etiam pro alijs necessitatibus. Et id significant Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 5. Chrysostomus Homil. 77. in *Cyrillus. Chrysost.* Ioannem, Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei c. 8. & plures alij Patres.

Addimus, Sacrificium Missæ prodesse ad impetrationem bonorum temporalium, *quatenus spiritualibus deseruire possunt*; quia sicut Christus non fuit mortuus pro temporalibus absque respectu ad spiritualia; ita etiam Sacrificium Missæ, quod institutum fuit à Christo vt instrumentum peculiare

applicationis fructuum suæ passionis, non fuit institutum ad impetrationem temporaliũ, nisi quatenus adspiritualia possunt conducere.

Obseruandum tamen est, prædictos effectus non certò & infallibiliter obtineri virtute Sacrificij Missæ, etiamsi expediant ei pro quo offertur, quia ad dictam infallibilitatem nullum habemus sufficiens fundamentum.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm omnes effectus Sacrificij Missæ suprà memorati dicendi sint ex opere operato.

COnueniunt Theologi, Sacrificium Missæ, vt benè moraliter factum à Sacerdote, habere vim ex opere operantis ad omnes memoratos effectus, quia vt sic factum à Sacerdote, est opus bonum; ac proinde meritorium pro se & pro alijs, præsertim si fiat à Sacerdote iusto. Addimus, *vt bene moraliter factum à Sacerdote, habere vim ex opere operantis ad omnes dictos effectus*, quia comparatum cum tota Ecclesia, non habet vim ex opere operantis ad illos, vt aduertit Vasquez disp. 229. c. 2. quia non fit ab Ecclesia (ac proinde nec est opus moraliter bonum Ecclesiæ) quia totæ Ecclesia non exercet opus Sacrificij, nec aliter concurrit ad illud, aliàs omnes iusti sibi mererentur de condigno vitam æternam per Sacrificium factum à Sacerdote, quia per omne opus bonum, ad quod ipsi aliquomodo concurrunt, merentur de condigno vitam æternam. Fatemur, vim impetrandi, quæ in Sacrificio ex opere operantis reperitur, ipsi non tantùm prouenire ratione personæ particularis seu priuatæ Sacerdotis, sed etiam dignitatis Sacerdotalis; quia, vt idem Vasquez aduertit, Deus etiam ad eam dignitatem attendens, solet Sacerdotes exaudire, ita vt aliquando concedat, quod ratione personæ priuatæ Sacerdotis non concederet, præsertim quando Sacerdos est in statu peccati.

Vasquez

Ita tamen in Sacerdote est dicta duplex ratio impetrandi rem vi personæ particularis, & dignitatis Sacerdotalis, vt quò Sacerdos fuerit sanctior, eò opus Sacrificij sit magis impetratorium, quasi intensiuè ratione personæ particularis; quia, vt definit Alexander Papa Epistol. 2. & refertur in can. *Ipsa Sacerdotes* 1. quæst. 1. *quanto digniores fuerint* (subintellige Sacerdotes) *tanto facilius pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur:* & quo sanctior fuerit Ecclesia, id est, quò in ea fuerint plures & magis sancti, eò opus Sacrificij factum à Sacerdote, etiam sit magis impetratorium ratione dignitatis Sacerdotalis qua in Ecclesia fulget; quia quò dignior est communitas in qua quis vt minister offert & deprecatur, faciliùs impetrat.

Alexand. P.

Est tamen difficultas, An in Sacrificio Missæ sit vis ex institutione Christi, & ex opere operato, ad omnes dictos effectus.

Circa hanc difficultatem, omissis varijs modis dicendi Scoti Quodlib 20. indicantis, Sacrificium Missæ ad nullum effectum habere vim ex opere operato, & Suarez disp. 79. existimantis habere vim ex opere operato ad aliquos, & non omnes effectus: dicendum est, vt optimè Vasquez disp. 229. cap. 2. Ægidius cap. 1. dub. 8. & Puteanus art. 1. dub. 5. in Sacrificio Missæ esse vim ex opere operato ad omnes suos suprà relatos effectus, quia Sacrificium etiam operatur omnes dictos effectus, quia institutum est à Christo, vt ad ipsum factum & exhibitum attendens Deus, quamuis aliàs malè fiat, & à malo Sacerdote, conferat omnes dictos effectus ei pro quo offertur: ergo ad omnes habet vim ex opere operato. Consequentia patet, quia quod operatur ex institutione Christi, seu quia institutum est à Christo, non tantùm operatur, quia habeat vim seu valorem ex ipso operante, sed quia aliunde habet vim communicatam, nempe à Christo instituente: hoc autem est operari ex opere operato, vt ex terminis patet. Antecedens autem, nempe Sacrificium Missæ habere vim ad omnes dictos effectus, quia institutum est à Christo, non attenta bonitate & valore ipsi proueniente ab operante, constat ex Tridentino sess. 22. cap. 1. vbi dicitur: *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest.* quod non dixit Tridentinum, quia actio ipsa prauo aliquo affectu offerentium non possit fieri mala, quia verè fieri potest; sed quia nulla malitia offerentium amittere potest vim ad omnes suos effectus, quam habet ex institutione, quam Christus fecit in reuerentiam rei in ipso Sacrificio oblatæ. Et idem indicatur in eodem cap. dum dicitur, Christum reliquisse sacrificium, quo cruentum crucis repræsentaretur, & quo virtus illius cruenti applicaretur. Christus ergo instituit Sacrificium Missæ, vt medio ipso, tamquam instrumento particulari, virtus suæ passionis nobis applicetur ad omnes effectus, qui medio ipso conferuntur, & specialiter, quòd dicta virtus Sacrificio Missæ ex institutione Christi conueniens, sit ad omnes effectus, etiam ad eos, qui non conferuntur infallibiliter & certò, significat Tridentinum, quia post-quam cap. 1. Sacrificio Missæ attribuit dictam vim ex institutione Christi, quam fecit in reuerentiam rei in illo oblatæ, posteà cap. 2. effectus illius enumerans, non tantùm enumerat remissionem peccatorum quoad pœnam, quæ certò & infallibiliter conceditur, sed etiam impetrationem aliorum donorum quæ non conferuntur certò & infallibiliter: ideò autem effectus istos, qui non certò & infallibiliter conferuntur, attribuimus virtuti Sacrificij ex opere operato, quia quando conferuntur, verè conferuntur non tam attenta bonitate ipsa operis offerentis, quàm attenta institutione Christi; vt non obstante malitia offerentis, nihilominùs prædicti effectus conferantur, vt significat Tridentinum cap. illo 2. Quòd autem non semper conferantur, non obstat, vt sint effectus ex opere operato, seu ex institutione Christi; quia Christus instituere potuit, vt medio Sacrificio conferantur, vt Deo placuerit, sicut perseuerantia est effectus Eucharistiæ ex opere operato, quia est ex institutione Christi, & tamen non certò confertur.

Scotus.

Suarez

Vasquez. Ægidius. Puteanus.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Sacrificium Missæ sit infiniti valoris.

SVpponimus, valorem Sacrificij Missæ ex opere operantis seu offerentis, esse finitum & limitatum, quia Sacrificium, sicut quodcumque aliud

aliud opus bonum, habet hunc valorem ex bonitate operis, & ex dignitate proximè sacrificantis; bonitas autem operis est finita & limitata, & etiam dignitas Sacerdotis, qui est proximè sacrificans: est ergo difficultas de valore Sacrificij Missæ, quem habet ex institutione Christi, seu ex opere operato.

Durandus. Maior. Gabriel. Sotus. Bellarmin. Henriquez. Azor. Ægidius. Bonacina. Laymann.

Durandus in 4.d.45. quæst.3.ad 3. Maior q.2. Gabriel lect. 27. litt. K. Sotus lib. 9. de Iustitia q.2. art. 2. concl. 2. Bellarminus lib. 2. de Missa c. 4. Henriquez l. 9. c. 19. Azor lib. 10. c. 2. q.8. Ægidius art. 1. dub. 10. Bonacina disp. 4. quæst. vltima pun. 4. & Laymannus tract. 5. cap. 1. docent, valorem ex opere operato Sacrificij Missæ esse finitum & limitatum, Primò, quia si Sacrificium Missæ esset infiniti valoris, sufficeret vnum pro omnibus necessitatibus, ac proinde non esset necessarium illud repetere: ideò enim Sacrificium crucis non fuit repetitum, quia fuit infiniti valoris, & illo vno Christus consummauit sanctificatos, vt ait Paulus ad Hebr. 10.

Secundò, quia quamuis Sacrificium crucis fuerit infiniti valoris quoad sufficientiam, tamen quoad efficaciam finitè operatur, per causas particulares per quas applicatur, nempe per Sacramenta, etiam Eucharistiæ: sed etiam applicatur per Sacrificium Missæ, tamquam per causam instrumentalem particularem; ergo Sacrificium Missæ etiam est finiti valoris sicut sunt Sacramenta.

Tertiò, quia si Sacrificium Missæ esset infiniti valoris, etiamsi pro multis offerretur, non minùs prodesset cuilibet, quàm si tantùm pro quolibet offerretur, ac proinde Sacerdos vna Missa posset satisfacere pluribus, pro quibus eam celebrare debet.

Caietanus. Siluester. Canus. Sotus. Corduba. Vasquez.

Caietanus verò q.7. art.5. Siluester v. *Missa*, quæst.9. Canus lib.12. de Locis cap.13. Petrus Sotus lect. 7. de Eucharistia, Viguerius cap.16. §.3. Corduba lib.1. quæst.3. & Vasquez disp.230. docent, valorem Sacrificij Missæ ex Christi institutione, seu ex opere operato esse infinitum, quamuis de facto & in actu secundo finitum tantùm effectum operetur, & meritò: quia valor Sacrificij Missæ ex opere operato tantus est, & virtus seu vis illius ex institutione Christi ad operandum tanta est, vt quò maior est dispositio & deuotio erga ipsum Sacrificium, in eo pro quo offertur, eò maiorem fructum & effectum causet, vt dicemus Difficultate XII. Ergo virtus ex institutione Christi ipsi conueniens ad operandum, est absque fine & limite, seu infinita: imò non tantùm est virtus & vis infinita in potentia, sed etiam in actu; quia actu tanta in illo virtus reperitur, vt absque additione nouæ virtutis ipsi facta possit maiorem & maiorem effectum absque limite producere: ex infinitate autem in potentia effectus optimè deducitur infinitas in actu virtutis in causa, vt ostendit Vasquez 1.part. disp.103. cap. 2. Et eadem ratione constat, etiam Sacramenta habere virtutem infinitam in actu; quia quò in susceptibus est maior dispositio, eò maiorem effectum causant.

Est tamen discrimen inter Sacramenta, excepto Eucharistiæ, & Sacrificium Missæ; quòd Sacramenta, excepto Eucharistiæ, tantùm habent virtutem ad causandum maiorem effectum, & maiorem quoad intensionem, non tamen maiorem quoad extensionem, nempe ad effectum in pluribus & in pluribus hominibus causandum: quia idem Sacramentum, excepto Eucharistiæ, nequit in pluribus operari, quia nequit vnum à pluribus recipi: Sacrificium verò non solùm habet valorem & virtutem ad causandum maiorem & maiorem effectum quoad intensionē in eodem homine, sed etiam ad causandum maiorem & maiorē quoad extensionem, nempe in pluribus & in pluribus hominibus, vt posteà dicemus; & negari nequit, quoties plures & plures, pro quibus offertur, sunt ipsi Sacerdotes offerentes: quia quoties plures & plures Sacerdotes accedunt cum Episcopo ad offerendum idem Sacrificium Missæ pro se ipsis, eò etiam in omnes ipsos operatur, & non minùs in quemliber, quàm in vnū tantùm, quando vnus tantùm, qui sacrificat, offert pro se ipso solo; aliàs minùs fructus obueniret cuilibet, quando plures simul idem numero Sacrificium offerunt pro se ipsis, quod dici non potest. Excipimus Sacramentum Eucharistiæ à dicto discrimine, quia contingere posset, vt idem à pluribus reciperetur, vt si ab vno recepta formula euomatur, posteà recipiatur ab altero.

Ad primam ergo rationem aduersariorum respondemus, Sacrificium Missæ esse infiniti valoris, seu infinitæ virtutis, aliter tamen quàm Sacrificium crucis; quia hoc est infiniti valoris per modum meriti & pretij, & ex opere operantis, & ideò quamuis intuitu illius plura & plura, & maiora & maiora dona conferantur, manet inexhaustum, vt ita intuitu illius possint noua & maiora dona conferri, quia meritum illius manet ampliùs remunerabile, & ob id non est necessarium quòd repetatur. Sacrificium verò Missæ, quamuis sit infiniti valoris, & infinitæ virtutis quoad sufficientiam, non tamen per modum meriti, & ex opere operantis, sed tantùm vt causa instrumentalis particularis, applicans in actu secundo fructum Sacrificij cruenti crucis, seu Passionis Christi; & quia de facto, & in actu secundo numquam applicat nisi fructum finitum (etiam quando offertur pro dispositio, cui applicat maiorem & maiorem, iuxta proportionem dispositionis ipsius, quia dispositio semper est finita) & non nisi semel, ideò vt nouum vel vt maiorem fructum applicet, necessarium est quòd repetatur.

Ad secundum concedimus, Sacrificium crucis quoad efficaciam, finitum tantùm effectum operari per Sacramenta & per Sacrificium, tamquam per causas particulares, quia tamen Sacramenta & Sacrificium Missæ ex Christi institutione eò plus operantur quasi intensiuè, quò meliorem inueniunt dispositionem, ideò habent valorem infinitum, & virtutem infinitam, quasi intensiuè ex institutione Christi, seu ex opere operato, ad applicandum fructum Sacrificij crucis, quamuis de facto & in actu secundo tantùm applicent finitum ex defectu dispositionis, vel quia nulla est dispositio in eo pro quo offertur, aut quia si est, semper est finita: & quia Sacrificium Missæ etiam habet, quòd possit pluribus & pluribus prodesse, si pro pluribus & pro pluribus offeratur, ideò etiam habet valorem & virtutem quasi extensiuè infinitam, non subiectiuè & formaliter infinitam, sed tātùm obiectiuè, quæ absolutè non dicitur infinita: calor enim vt vnus, quamuis possit in infinitis subiectis, si ipsis applicetur, calorem extensiuè infinitum producere, non tamen dicitur infinitus adhuc extensiuè, quia formaliter & subiectiuè non est talis.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Sacrificium Missæ pluribus, quamuis non sacrificantibus, applicatum, ita singulis prosit, ac si paucioribus applicaretur.

CONueniunt communiter Doctores, Sacrificium Missæ quoad fructum ex opere operantis minùs prodesse singulis, quando pro pluribus offertur, ac quando offertur pro paucioribus. *Vasquez. Azor.* Ita Vasquez disp. 231. num. 19. & Azor lib. 10. cap. 21. quæst. 2. Et meritò, quia opus eatenus vi sua, & quatenus est opus operantis, proficit & impetrat, quatenus est bonum, & aliquando etiam quatenus à tali persona sancta elicitum; quia ratio, seu vis illius ad merendum & impetrandum, in sua bonitate fundatur, & aliquo modo in sanctitate personæ; ergo ex se, & vi sua non magis proficit & impetrat quando pro pluribus offertur, ac quando offertur pro paucioribus, non solùm quando opus aliàs est infinitè dignum, sed etiam quando tantùm est finitè bonum & dignum, quia etiam quando tantùm est finitè bonum & dignú, etiamsi pro pluribus offeratur, non crescit in dignitate, sicut nec in bonitate, nec in sanctitate personæ operantis: ergo Sacrificium Missæ ex se, quatenus est opus bonum & dignum, minùs proficit & impetrat singulis, quando pro pluribus fit, quia tunc donum finitum & limitatum, quod meretur & impetrat, inter eos plures diuiditur, ac proinde singulis minùs obuenit, quàm si inter pauciores diuideretur. Vnde opus vt dignú, & meritorium, & impetrans, proportionem habet cum dono, siue donum vni tantùm siue pluribus conferatur: in quo causa hæc moralis & meritoria differt à causis naturalibus, v. g. ab igne, quia iste tantùm calorem producit in singulis lignis, quando in pluribus sibi applicatis producit, ac quando in vno tantùm. Et ob rationem dictam hoc, quod dictum est de opere Sacrificij quoad fructum ipsius, vt est opus operantis, dicendum etiam est de orationibus, & alijs bonis operibus, quòd minùs proficiat singulis, quando pro pluribus offeruntur: in quo etiam Doctores communiter conueniunt.

Est tamen difficultas de Sacrificio Missæ quoad fructum ex opere operato, seu ex institutione Christi, an quoad illum non minùs proficiat singulis quando pro pluribus offertur, ac quando pro paucioribus, vel pro vno tantùm.

Bonauent. Richardus. Durandus. Paludanus. Sotus. Couarru. Suarez. Ægidius. Layman. Bonacina. Bonauentura & Richardus in 4. dist. 45. art. 2. q. 3. Durandus q. 3. Paludanus q. 2. art. 1. Sotus lib. 9. de Iustit. q. 2. art. 2. concl. 3. Couarruuias in cap. *Alma mater* 1. part. §. 5. num. 9. Suarez disp. 79. sect. 12. Ægidius art. 1. dub. 10. Laymannus cap. 1. & Bonacina quæst. vlt. punct. 4. docent, Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum, minùs prodesse singulis quoad fructum ex opere operato, quàm si offerretur pro paucioribus. Primò à priori, quia quamuis valor Sacrificij Missæ sit infinitus, effectus tamen & fructus illius ex opere operato semper est finitus; ergo inter plures diuisus, minor est in singulis, ac quando inter pauciores diuiditur, ergo quando pro pluribus offertur, minùs proficit singulis, ac quando offertur pro paucioribus, vel pro vno tantùm.

Secundò, quia si Sacrificium pluribus applicatum, ita singulis prosit, ac si vni eorum tantùm applicaretur, frustrà quis petit vt pro ipso offeratur specialiter, quia semper offertur generaliter pro ipso & pro alijs fidelibus.

Tertiò, quia si id esset verum, posset Sacerdos vna sola Missa pluribus satisfacere, à quorum quolibet integrum stipendium accepit pro illa vna Missa.

Caietanus verò quæst. 79. art. 5. Corduba lib. 1. Caiet. quæst. 3. Petrus Sotus lect. 7. de Eucharistia, Petrus Nauarra lib. 2. cap. 2. num. 268. Richardus art. 16. & Vasquez disp. 231. docent, Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum, non minùs prodesse singulis, quàm si pro paucioribus, & meritò: quia Sacrificium instjtutum est à Christo, vt instar Sacramenti effectum tribuat ei pro quo offertur, siue generali siue speciali intentione pro eo offeratur: sed Sacrificium, quando pro pluribus offertur, pro quolibet offertur integrum non minùs quàm si pro vno tantùm offerretur; ergo non minùs proficit cuilibet, quàm si pro eo tantùm offerretur, sicut si idem Sacramentum à pluribus reciperetur (vt contingeret, si quis post receptionem formulæ consecratæ eam euomeret, & ab altero reciperetur) quilibet non minorem fructum reciperet, quàm si solus reciperet, quia cuilibet recipienti integrum essentialiter Sacramentum tantus fructus assignatur, in quo Sacrificium Missæ assimilatur causis naturalibus, v. g. igni, qui quando in pluribus subiectis sibi applicatis operatur, non minùs operatur in singulis, quàm si in vno tantùm operaretur.

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus, effectum & fructum Sacrificij Missæ ex opere operato esse finitum, non tamen euenit minor in singulis in casu dicto, quia non diuiditur, sed numero multiplicatur (sicut calor ab eodem igne in plurib⁹ lignis productus) in quo differt fructus iste ex opere operato à fructu ipsius Sacrificij, vt operis operantis, & à fructu aliorum bonorum operum, quòd fructus operis operantis, siue Sacrificij, siue aliorum operum bonorum, vtpote præmium illius, correspondet & commensuratur bonitati & dignitati operis secundùm se, siue vni siue pluribus applicetur; fructus verò ex opere operato Sacrificij Missæ correspondet ipsi Sacrificio, prout instituto à Christo instar Sacramenti, & causæ naturalis ad conferendum integrum fructum ei cui integrè applicatur, & pro quo integrum offertur.

Ad secundam respondemus, quòd etiamsi Sacrificium ita prosit singulis, quando pro pluribus offertur, ac si pro vno eorum tantùm offerretur, nihilominùs non frustrà, sed vtiliter petit vt pro ipso specialiter offeratur, Primò, quia sic pro eo speciali intentione offertur, quę plus prodest quàm generalis, vt dicemus Difficultate xi. Secundò, quia petitio est dispositio, vt petenti ratione petitionis detur maior fructus. Tertiò, quia sententia nostra, quamuis sit probabilior, non tamen est certa, ac proinde est exposita periculo deceptionis, cui obuiatur oblatione tantùm pro petente facta.

Ad tertiam respondemus, quòd quamuis Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum non minùs prosit ex opere operato singulis, quàm si pro quolibet solo offerretur, nihilominùs celebrans vnâ Missâ non satisfacit pluribus, à quorum quolibet integrum stipendium accipit. Primò, quia qui pro

pro vna Missa integrum stipendium offert, absque dubio & rationabiliter exigit, vt primo loco pro ipso solo offeratur, quia cùm opinio nostra incerta sit, si ita non fiat, fortè defraudabitur parte aliqua fructus, si etiam pro alijs primo loco offeratur. Secundò, quia qui celebrat, nequit ratione contractus mutui, absque iniustitia, nisi vnum integrum stipendium accipere, quia nequit nisi congruam sustentationem, correspondentem dictæ celebrationi, accipere; & ad eam sufficit vnum integrum stipendium: ac proinde quando pro pluribus primò offert Sacrificium Missæ, nequit à quolibet illorum nisi partem stipendij accipere, ita vt ab omnibus simul vnum tantùm integrum stipendium accipiat.

Ægidius. Obseruandum est, vt optimè Ægidius, celebrantem non teneri ad applicandum Sacrificium, nisi quoad fructum ex opere operato, pro eo à quo stipendium accipit; non verò quoad fructum ex opere operantis, nec alius exigitur nisi prior ille, alias nō satisfaceret quando ex malo fine celebrat. Et ob eamdem rationem credimus, non esse obligationem offerendi pro illo orationes, & alia quæ in Missa fiunt.

DIFFICVLTAS IX.

A quibus participetur fructus Sacrificij Missæ ex opere operato.

COnueniunt Doctores, Sacrificium Missæ ex opere operato proficere eis pro quibus offertur, quamuis ipsi non sint offerentes, vt indicat *Trident.* Tridentinum sess. 22. cap. 2. dum, postquam dixit, per Sacrificium Missæ fructus Sacrificij cruenti Christi vberrimè percipi, docet, offerti pro viuis & pro defunctis ad percipiendos eos fructus. Sentit ergo, Sacrificium Missæ prodesse ex opere operato eis pro quibus offertur, & etiam prodesse eis quamuis non sint offerentes, cùm significet prodesse eis pro quibus offertur, absque eorum limitatione & distinctione: & prodesse defunctis pro quibus offertur, & tamen defuncti pro quibus offertur, non sunt offerentes.

Est tamen difficultas, An etiam prosit ex opere operato ipsis offerentibus, quamuis non offeratur pro ipsis.

Suarez. Suarez disp. 79. sect. 8. docet, Sacrificium Missę prodesse ex opere operato omnibus offerentibus, nempe Sacerdoti celebranti, & ministrantibus, & adstantibus, & alijs aliquo alio modo cooperantibus ad Sacrificium, etiamsi pro ipsis non offeratur; quia ex vna parte potuit à Christo pro offerentibus institui, ex eo solùm quòd sint offerentes, & ex alia parte id est maximè cōsentaneum rationi; ergo credendum est sic fuisse à Christo factum & institutum.

Vasquez. Vasquez verò disp. 231. cap. 3. docet, & meritò, non prodesse ex opere operato offerentibus, ex eo quòd offerunt, nisi etiam pro ipsis offeratur. Quod *Trident.* supponunt, aut indicant communiter Doctores, & indicat Tridentinum cap. illo 2. dum tantùm significat prodesse viuis & defunctis pro quibus offertur. Et ratione communi probatur, quia Sacrificium Missæ institutum est instar Sacramenti ad proficiendum ex opere operato; Sacramenta autem non proficiunt ex opere operato ipsis ministrantibus, & applicantibus illa, nisi etiam ipsis applicentur, & ab ipsis sumantur: ergo Sacrificium Missæ non proficit ex opere operato applicantibus illud, nisi etiam ipsis applicetur, & pro ipsis offeratur.

Ad rationem ergo aduersariorum, concedimus Antecedens quoad vtramque partem, nempe Sacrificium Missæ potuisse sic institui à Christo, & etiam id esse consentaneum; negamus tamen Consequentiam, quia id potuisse fieri, & esse consentaneum, non sufficit ad id affirmandum & inferendum, quia etiam potuit fieri, & esset cōsentaneum, quòd Eucharistia vt Sacramentum proficeret administrantibus, quamuis non sumerent, & tamen non fuit sic factum & institutum, nisi pro sumentibus, quia eis solùm applicatur; ac proinde Sacrificium eadem proportionè solùm proficit eis pro quibus offertur, quia eis solùm applicatur.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm applicatio Sacrificij Missæ fiat secundùm intentionem debitam.

COnueniunt Doctores, quòd quamuis non solùm Sacerdos, sed etiam alij, nempe ministrantes, & adstantes, & stipendium tribuentes, dicantur offerre Sacrificium Missæ; nihilominùs ex sola intentione Sacerdotis, qui specialiter & immediatè offert, & ex sola applicatione ab ipso facta, pendere quòd Sacrificium prosit ex opere operato alijs, saltem non offerentibus (imò secundùm nostram sententiam etiam ipsis offerentibus, adhuc ipsi celebranti) quia Sacrificium tantùm prodest ex opere operato illi pro quo offertur, saltem quando non est offerens. Quòd autem Sacrificium fiat aut offeratur pro hoc aut pro illo, tantùm pendet à Sacerdote: ergo ab eo solo depēdet, quòd prosit huic aut illi, saltem quando is pro quo offertur, non est etiam offerens. Consequentia probatur, & constat ex Difficultate præcedenti. Minor verò, nempe, quòd Sacrificium fiat pro hoc aut pro illo tantùm, pendeat à Sacerdote celebrante, probatur Primò ex forma qua ordinatur Sacerdos, nempe, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo Missasque celebrandi, tam pro viuis quam pro defunctis.* quibus verbis satis significatur, ipsi tantùm collatam esse potestatem offerendi pro alio. Secundò ratione, quia Sacrificium tantùm fit à Sacerdote, ab alijs verò si fit, tantùm fit remotè, quia eum iuuant aut inducunt ad sacrificandum; ergo quòd sacrificium, quod re ipsa immediatè tantùm fit à Sacerdote, fiat pro hoc aut pro illo, tantùm pendet ex voluntate & intentione Sacerdotis, non verò aliorum offerentium, quamuis ab eis possit remotè prouenire, inducendo Sacerdotem vt pro hoc aut pro illo offerat. Vnde quando plures Sacerdotes simul consecrant, ad quemlibet illorum pertinet applicare Sacrificium, prout à se factum, ac si quilibet solus consecraret, quia quilibet integrè & vt causa totalis consecrat; & quando vnus Sacerdos tantùm consecrat Corpus, & posteà alter, defectum prioris supplens, consecrat Sanguinem, ad hunc posteriorem pertinet applicare Sacrificium, quia iste solus, vtpote perficiens, essentialiter Sacrificium dicitur sacrificare, & ideò non tenetur intentioni prioris conformari. Et ob hanc rationem Sacerdos, qui facta consecratione Corporis nondum applicuit Sacrificium, potestante conse-

consecrationem calicis applicare, quia consecratione calicis perficit Sacrificium, & ideò tunc dicitur sacrificare, & qui consecrauit Corpus intendens applicare Sacrificium pro aliquo, si ante consecrationem calicis mutet intentionem applicandi pro alio, huic manet applicatum, & prodest, non priori: & qui ante perfectam vtriusque speciei consecrationem non applicauit Sacrificium, iam non supereſt locus applicandi illud, quia cùm iam sit factum, iam non potest fieri ex intentione applicandi illud.

Est tamen difficultas, An dicta applicatio Sacrificij pro aliquo fiat à Sacerdote secundùm intentionē quam debet habere, aut ratione stipendij, aut ratione promissionis, aut ratione præcepti, aut aliunde, an verò solùm secundùm intentionem quam re ipsa de facto habet & elicit, non curans de obligatione offerendi, qua tenetur pro hoc aut pro illo; id est, an Sacrificium prosit ex opere operato ei pro quo Sacerdos debet illud offerre, an verò ei pro quo de facto illud offert.

Gabriel lect. 26. docet, Sacrificium Missæ applicari, & prodesse secundùm intentionem debitam, non verò secundùm habitam & elicitam: quia Sacerdos eatenus habet potestatem applicandi Sacrificium, quatenus est minister Christi, ergo nequit illud contra voluntatem Christi applicare. Intentio autem quam habet contra obligationem & debitum, non est iuxta voluntatem Christi, sed contra illam. Non desunt, qui sententiam Gabrielis veram existiment, quando Sacerdos tenetur ad applicandum illud pro aliquo ex præcepto superioris, quasi in eo casu voluntas superioris præualeat, & vincat voluntatem Sacerdotis sibi subditi.

Vasquez. Suarez. Henriquez. Ægidius. Layman.

Vasquez verò disp. 231. cap. 6. Suarez disp. 79. sect. 9. Henriquez lib. 9. cap. 21. Ægidius art. 1. dub. 9. & Laymannus cap. 2. docent, Sacrificium Missæ applicari & prodesse secundùm intentionem quā Sacerdos celebrans habet & elicit, quamuis sit contra obligationem, adhuc ortam ex præcepto superioris, & meritò: quia ita se habet minister Sacrificij Missæ ad eius applicationem, sicut minister Sacramentorum ad eorum administrationem & applicationem; sed minister Sacramentorum, contra qualemcumque obligationem & præceptum administret & applicet Sacramenta, ita illa valide applicat, vt in subiecto, cui applicantur, non habente obicem, operentur ex opere operato; ergo & minister Sacrificij Missæ, quamuis contra obligationem, adhuc ex præcepto superioris ortam, illud applicet, ita valide applicat, vt in eo cui applicatur, operetur. aliàs qui contra obligationem celebrandi pro aliquo in aliquo determinato die non celebraret pro illo, sed pro alio, non teneretur postea celebrare pro illo pro quo celebrare tenebatur, & non celebrauit, quia ratione intentionis debitæ fuisset applicatum pro illo, & ei profuisset.

Ad rationem verò concedimus, Sacerdotem esse ministrum Christi quoad applicationem Sacrificij, & quatenus ministrum Christi, habere potestatem ad applicandum Sacrificium; negamus tamen, non posse contra obligationem valide illud applicare, quia ita fuit institutus minister, vt ipsius voluntati fuerit commissa applicatio Sacrificij, sicut & ipsa sacrificatio seu consecratio independenter ab obligatione, vt validè fiat. Vnde quamuis minister sacrificet, & Sacrificium applicet contra voluntatem Christi seu Dei, in eo sensu, quia Christo seu Deo displicet, quia facit contra obligationem, & peccat, non tamen contra voluntatem Christi, qua dictam applicationem commisit; quia eam commisit voluntati Sacerdotis independenter ab obligatione Sacerdotis. ac proinde superior nequit, quoad validam applicationē, voluntatē ministri sibi subditi vincere, quia nequit à ministro sibi subdito auferre potestatem Ordinis, qua minister id potest validè pro sua voluntate.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm applicatio seu oblatio generalis Sacrificij Missæ eòdem modo prosit, ac specialis.

OBlatio illa dicitur specialis, quæ fit pro aliquo in se ipso; generalis verò, quæ fit pro aliquo, vt contento in aliqua cōmunitate, vt quando fit pro Collegio, aut pro Ecclesia, cuius est membrum seu pars.

Supponimus Sacerdotem, quoties celebrat, offerre generaliter Sacrificium pro omnibus baptizatis, viuis & defunctis, & id facere debere, vt constat ex verbis Officij Missæ (quorum significationi debet intentionem suam accommodare) quæ continentur in oblatione verbali panis & calicis, & in principio Canonis.

Conueniunt ergo Doctores, applicationem seu oblationem specialem Sacrificij pro aliquo, plus ei prodesse quàm generalem. Ita Siluester v. *Missa.* 1. quæst. 9. Corduba lib. 1. quæst. 3. opin. 5. Azor lib. 10. c. 21. q. 3. & Vasquez disp. 231. c. 6. & meritò, quia specialis & expressa applicatio Sacrificij melior est, quàm generalis & confusa; ergo Sacrificium priori modo applicatum, vtpote melius applicatum, maiorem fructum & effectum ex opere operato causabit.

Et ob eamdem rationem oratio pro aliquo specialiter & expresè facta seu applicata, magis ei prodest ex opere operantis, quàm si pro eo generaliter fieret, vt dicitur in Concilio Constantiensi sess. 8. dum damnatur error 19. Wiclefi, dicentis; *Speciales orationes applicatæ vni personæ, non plus prosunt eidem, quàm generales, ceteris paribus.* & ideò Ecclesia, iudicans maiorem fructum ex Sacrificio Missæ specialiter applicato oriri, instituit, vt pro aliquibus specialiter & expresè offeratur.

DIFFICVLTAS XII.

Quæ dispositio necessaria sit in eo, pro quo Sacrificium Missæ offertur, vt eius fructum ex opere operato percipiat.

SOlos baptizatos esse capaces fructus Sacrificij Missæ ex opere operato, diximus Disputat. 11. Difficultate IV. & etiam eos, quamuis existentes in mortali, esse capaces alicuius fructus, nempe auxiliorum gratiæ, & aliquorum aliorum donorum, conueniunt Theologi.

Est tamen difficultas, Primò, An existentibus in peccato mortali, prosit ad remissionem pœnæ temporalis restantis post remissionem culpæ. Citra quam

quam conueniunt communiter Doctores, non prodesse illis ad id; & meritò: quia non est credendum, Christum instituisse Sacrificium Missæ ad remittendam pœnam ex opere operato ei, qui nequit satisfacere pro illa; qui autem est in statu peccati mortalis, nequit pro pœna aliqua satisfacere.

Ad remissionem ergo dictæ pœnæ temporalis faciendam medio Sacrificio Missæ, necessaria est sanctitas & gratia, saltem tamquam forma, in eo pro quo offertur, & ei cui applicatur; & præter eam non est necessaria aliqua dispositio. In quo etiam conueniunt communiter Doctores: quia ex nullo fundamento deducitur necessitas huius alius dispositionis, in quo Sacrificium Missæ conuenit cum Sacramentis viuorum.

Secundò est difficultas, An quò maior fuerit sanctitas & gratia in eo pro quo offertur Sacrificium Missæ, effectus remissionis dictæ pœnæ sit maior.

Circa quam absque controuersia est inter Doctores, Sacrificium Missæ nullũ operari effectum, adhuc remissionis dictæ pœnæ iuxta mensuram sanctitatis & gratiæ, quia sanctitas potiùs est remotio impedimenti, vel forma reddens capacitatem ex institutione Christi, requisitam ad remissionem dictæ pœnæ, faciendam medio Sacrificio Missæ, quàm dispositio ad illã, vel ad alios effectus; quia sanctitas nullum ordinem nec proportionem importat ad effectus illius, dispositio autem ordinem aliquem aut proportionem importat ad effectum ad quem est dispositio, vt calor ad ignem, & frigus ad aquam.

Dispositio ergo, iuxta cuius mensuram Sacrificium Missæ operatur, & maiorem producit effectum (etiam remissionis pœnæ, quem absque fundamento excipit Ægidius num. 171.) est deuotio illius pro quo offertur, præsens, aut præterita, & non quæcumque, sed illa quam habet aut habuit erga ipsum Sacrificium Missæ per modum cooperationis ad illud, nempe, vel sacrificanti ministrando, vel ad eius sustentationem adiuuando, vel illud sua assistentia approbando, vel illud petendo, vel aliter ad illud inducendo.

Et in primis, quòd Sacrificium Missæ operetur etiam remissionem pœnæ iuxta mensuram deuotionis erga ipsum, est maximè rationi consentaneum, quia Sacrificium Missæ operatur instar Sacramenti etiam remissionem pœnæ; Sacramenta autem operantur iuxta mensuram deuotionis erga ipsa, & cooperationis recipientium illa. Quòd verò non operetur iuxta mensuram deuotionis, quæ non sit erga ipsum, conijcitur ex eo, quòd quæcumque alia videtur impertinens ad effectus ipsius Sacrificij.

Obseruandum est Primò, vt contra Nauarrum & Henriquez optimè aduertunt Suarez disp. 79. sect. 1. Vasquez d. 231. n. 51. & Bonacina q. vlt. punct. 5. Sacrificium Missæ applicatum homini in statu peccati mortalis existenti, ob quod tunc non operatur in eo remissionem pœnę temporalis, posteà non operari illam recedente fictione, seu peccato mortali, in quo erat tempore applicationis, quia id (quod nec conuenit Sacramento Eucharistiæ) nullo fundamento potest attribui Sacrificio Missæ. *Nauarrus. Henriq. Suarez. Vasquez. Bonacina.*

Obseruandum est Secundò, fructum Sacrificij Missæ applicati homini existenti in gratia, & nullum habenti reatum pœnæ (ob quod pro tunc non prodest illi ad remissionem pœnæ) non posse à celebrante reseruari pro tempore futuro, in quo fiat reus pœnæ, quia ad id (quod neque conuenit Sacramentis) tribuendum Sacrificio, nullum habemus firmum fundamentum.

DISPVTATIO IV.

De obligatione & prohibitione celebrandi, quoad substantiam, & quoad circumstantias.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm omnes Sacerdotes teneantur aliquando celebrare.

Bonauent. Alexand. Caietanus. BONAVENTVRA in 4. dist. 12. & 13. p. 2. art. 2. quæst. 1. Alexander in 4. q. 51. memb. 2. & Caietanus quæst. 82. art. 10. qui iussu Pij V. extinctus fuit in Romana impressione. Gabriel lect. 87. lit. V. Victoria num. 94. & Puteanus q. 83. art. 2. docent, Sacerdotes, quamuis non impeditos, numquam celebrantes, seclusò scandalo & contemptu, non peccare mortaliter: quod probabile censent Suarez d. 80. sect. 1. Azor lib. 10. cap. 24. & Henriquez, quia id nullo Iure, nec naturali, nec diuino, nec humano præcipitur. Et ob hanc rationem ex Auctoribus huius sententiæ sunt, qui dicant nullo modo peccare.

Pius V. Gabriel. Victoria. Puteanus.

Suarez. Azor. Henriquez.

Sotus. Paludanus. Siluester. Sotus verò in 4. dist. 13. quæst. 1. art. 10. Paludanus q. 2. art. 1. Siluester v. *Missa* 1. quæst. 7. Nauarrus c. 25. num. 88. Vasquez d. 232. Valentia disp. 6. quæst. 10. punct. 3. Antoninus 3. par. tit. 13. c. 16. Toletus lib. 2. c. 3. Ægidius quæst. 83. art. 2. dub. 1. Laymannus c. 3. & plures alij docent, Sacerdotes non impeditos teneri sub mortali aliquando celebrare, & meritò: quia ex vna parte Sacerdotes tenentur præcepto diuino Christi ad celebrandum, vt significat Tridentinum sess. 22. cap. 1. dum ait, Christum illis verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, vt offerant præcepisse; & ex altera parte præceptum istud celebrandi est de re graui & notabili, nõ minùs quàm præceptum audiendi Missam, & quàm præceptum cõmunicandi in Paschate laicis impositum: ergo non minùs peccant mortaliter Sacerdotes, qui nunquam celebrant, quàm qui in Paschate non communicant, & quàm qui in die festo non audiunt Missam. Accedit, quòd Pius V. iussit expungi illam partem Caietani in dictum articulum 10. in qua continebatur, id non esse peccatum mortale. *Nauarrus. Vasquez. Valentia. Antonin. Toletus. Ægidius. Layman. Trident.*

Supereſt

Supereſt tamen difficultas, Quoties & quando Sacerdotes ratione Sacerdotij teneantur celebrare.

Silueſter. Antonin. Silueſter & Antoninus referunt, quoſdam Iuriſperitos dixiſſe, Sacerdotes teneri quotidie celebrare: id tamen ipſi & Doctores communiter reijciunt, quia dicitur abſque fundamento.

S Thomas. Gabriel. Antonin. S. Thomas q. 83. art. 2. (cui conſentiunt Gabriel, Silueſter & Antoninus) docet, illos teneri in præcipuis Feſtiuitatibus anni.

Nauarrus. Nauarrus docet illos teneri in illis diebus, in quibus laici Religioſorũ communicare conſueuerunt.

Paludan. Maior. Paludanus vbi ſuprà, & Maior in 4. diſt. 12. q. 5. docent, illos teneri in Natiuitate Domini, in Reſurrectione, in Pentecoſte, in Aſſumptione Virginis, & in feſto Omnium Sanctorum.

Sotus. Vaſquez. Azor. Henriquez. Toletus. Sotus verò, Vaſquez, Azor, Henriquez, Toletus, & plures alij docent, & meritò, Sacerdotes ratione Sacerdotij in nullo determinato die teneri ad celebrandum; nihilominùs in quolibet anno teneri ſaltem ter celebrare.

Et in primis, in nullo die determinato teneri ad celebrandum, conſtat, quia nec præcepto diuino, quo celebrare tenentur, nec alio præcepto determinatur dies quo teneantur. Quod verò ſaltem ter teneantur, probatur, quia cùm numerus vicium celebrandi non ſit expreſsè definitus præcepto Chriſti, vt patet, nec præcepto aliquo humano, quia nullibi habetur, nec in cap. *Dolentes*. de Celebratione Miſſarũ, nec in Tridentino ſeſſ. 23. c. 14. de Reformatione, nec alibi, ac proinde arbitrio viri prudentis definiendus ſit, Doctoribus præſertim Theologis, qui in hac materia prudentes ſunt, attento eo quod præcipitur, & fine præcepti; viſum eſt dictum præceptum ſaltem ter obligare, & eum numerum eſſe minimũ qui ſufficit vt ei præcepto ſatisfiat, ideò id ſentiendum eſt.

Nihilominùs Parochus abſque dubio tenetur per ſe, aut per alterum in diebus feſtiuis celebrare, vt populus Miſſam audiat, vt patet ex munere Parochi; in quo Doctores conueniunt. Addunt Sotus & Vaſquez contra alios, teneri quotidie, ſi ſint Parochiani qui ex deuotione Miſſam audire velint; & non immeritò: quia ipſis rationabiliter petentibus tenetur paſtum reddere. Nihilominùs vno aut altero die deſſere, non erit mortale. Et inſuper prædicti & alij eamdem obligationem quotidie celebrandi attribuunt Eccleſijs Cathedralibus & Collegialibus, imò & Conuentibus Religioſorum. Attendendum tamen eſt ad conſuetudines & fundationes Eccleſiarum & Conuentuum Religioſorum, & iuxta eas iudicandum eſt, an ad id teneantur, & an in aliquibus diebus teneantur plures Miſſas celebrare.

Sotus. Vaſquez.

Et Capellanus ex iuſtitia tenetur toties per ſe aut per alterũ celebrare, quoties fundatio Capellaniæ exigit, etiamſi exigat quotidie celebrare, niſi conſuetudo aliqua Capellano obligato ad celebrandum quotidie faueat, quia ob humanam fragilitatem in aliquibus Eccleſijs, Capellanis quotidie celebrare obligatis, cõceditur in qualibet hebdomada vnus dies vacationis. Quòd ſi Capellanus infirmitate aut alio impedimento non voluntario impeditus exiſtat, non tenetur Miſſas pro paruo tempore, nempe pro vno menſe omiſſas, compenſare, vt aduertunt Petrus Nauarra lib. 2. de Reſtit. c. 2. n. 210. & Laymannus c. 7. (niſi conſtitutio aliqua, aut nota conſuetudo id non permittat) quia id poteſt de mente fundatoris prudentiſſimè præſumi.

Nauarra. Layman.

DIFFICVLTAS II.

Quibus diebus licitum ſit Sacerdotibus celebrare.

PRimò eſt difficultas, An ſit licitum in Feria quinta maioris Hebdomadæ.

Circa quam conueniunt Doctores contra Francolinum lib. de Horis Canonicis c. 30. licitum eſſe, non ſolùm Præpoſitis Eccleſiarum, ſed etiam quibuſcumque alijs Sacerdotibus, Miſſam, etiam priuatim, celebrare in dicta Feria quinta, ſicut in alijs diebus per annum, quia id nullo Iure prohibitum eſt Sacerdotibus: quia non Iure aliquo ſcripto, quia nullibi extat; nec Iure aliquo conſuetudine introducto, quia quamuis fuerit conſuetudo in Eccleſia non celebrandi (ſed ad ſummum communicandi) non tamen quaſi ex obligatione, ſed tantùm ex deuotione, vt ſic Sacerdotes imitentur Apoſtolos, qui de manu Chriſti communicarunt; aut ſi fuit quaſi ex obligatione, & vim legis obtinuit, iam tamen contrario vſu, qui iam diu viguit, abrogata eſt. *Franc.*

Obſeruat autem Vaſquez, in ea Feria quinta tantùm eſſe licitum celebrare antequam finiatur Miſſa ſolemnis, & recondatur Corpus Chriſti, quia ſtatim poſt id incipit Officium Paraſceues, quia ſtatim dicuntur Veſperæ Paraſceues; in Paraſceue autem, vt ſtatim dicemus, nequit Miſſa celebrari. *Vaſq.*

Secundò eſt difficultas, An id ſit licitum in feria ſexta maioris Hebdomadæ. Conueniunt Doctores, cuicumque Sacerdoti prohibitum & illicitum eſſe in hac Feria ſexta celebrare; prohibitio autem hæc introducta eſt conſuetudine Eccleſiæ, in qua nulli Sacerdoti permiſſum fuit Miſſam celebrare, ſed vni ſoli (ſub diſiunctione tamen, huic vel illi) ex præſanctificatis (id eſt ex conſecratis) ſub ſpecie tantùm paniſ cõmunicare. Quam conſuetudinẽ nobis expreſſit Innocentius I. in Epiſt. 1. ad Decentium, c. 4. & refertur in can. *Sabbato*, de Conſecratione, diſt. 3. dum ait, traditionem Eccleſiæ habere, in iſto biduo (id eſt in Feria ſexta, & in Sabbato ſancto) Sacramenta penitus non celebrari (id eſt non conſecrari:) & ideò in Feria quinta Sacerdos in Miſſa ſolemni conſecrat duas hoſtias panis, ex quibus vnam in ea Miſſa ipſe conſumit, & alteram reſeruat; non in memoriam ſepulturæ Chriſti, ſed vt eam in Feria ſexta ſumat, & eam abſque Sanguine ſumit. *Innoc.*

Obſeruat Vaſquez, quòd ſi in Feria ſexta contingat feſtum obſeruandum, populus teneatur intereſſe non paſſioni, nec omnibus poſt paſſionem recitatis, ſed Officio, quod, extracto Sacramento Euchariſtiæ, & in altari poſito, celebratur à Sacerdote, quia hoc Officium loco Miſſæ habeatur: nihilominùs obligatio hæc abſque fundamento introducitur, cùm Officium iſtud non ſit Miſſa, ex defectu conſecrationis. In hoc ſenſit Congregatio, dum die 19. Februarij anni 1622. declarauit, quòd ſi in Paraſceue incidat Feſtum Annuntiationis, non teneantur fideles ad audiendam Miſſam. *Vaſq.*

Sed quæres, An in dicta Feria ſexta licitum ſit fidelibus communicare. Francolinus n. 12. negat, quia id indicant Innocentius vbi ſuprà, dum ait, in ea die Sacramenta nullatenus celebrari; & Miſſale Romanum illis verbis: *Hodie* (id eſt Feria quinta) *Franc.*

Sacerdos

Sacerdos consecrat duas Hostias, quarum vnam sumit, alteram reseruat pro die sequenti, in quo non conficitur Sacramentum: reseruat etiam aliquas particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis. Ergo solùm infirmis licet in ea Feria sexta communicare.

Durandus. Vasquez. Suarez. Layman. Adamus. Durandus verò in Rationali diuinorum, ca. 75. n. 11. Vasquez disp. 232. Suarez disp. 80. Laymannus cap. 4. & Adamus quæst. 10. dub. 4. affirmant, & meritò, quia id nullo Iure prohibitum est: quia non scripto, quia Innocentius in dicto testimonio tantùm loquitur de celebratione, non de Communione; & Missale Romanũ, dum ordinat, vt reseruetur Eucharistia pro infirmis, non prohibet quòd reseruetur pro sanis, & ipsis non liceat, sed tantùm infirmis; sed id ordinat & præcepit pro infirmis, quia ipsis in periculo existẽtibus est sub præcepto necessaria, & non sanis: nec id prohibitum est Iure consuetudine introducto, quia etiamsi regulariter ea die fideles non communicent, id tamen non omittitur regulariter, quasi necessarium sit ea die non communicare, sed quia est congruens, quia est dies maximi mœroris.

Tertiò est difficultas, An sit licitum omnibus Sacerdotibus in Sabbato sancto celebrare, sicut in alijs diebus per annum.

Supponimus, antiquitus etiam fuisse prohibitum in Sabbato sancto celebrare, sicut in Paraseeue, vt cõstat ex adducto testimonio Innocentij: nihilominùs posteà tempore procedente Missa solemnis, quæ inchoante die Dominica post mediam noctem celebrari solebat, iam dispensatione retracta est ad Sabbatum, vt in eius manè celebretur.

Hoc suppositio, difficultas est, An etiam liceat indiscriminatim omnibus Sacerdotibus priuatim celebrare, sicut in alijs diebus per annum.

Nauarrus. Francol. Vasquez. Henriq. Nauarrus in Summa, cap. 25. n. 88. Francolinus cap. 30. n. 8. & 9. Vasquez disp. 232. & Henriquez lib. 9. c. 24. docent, id non esse licitum, quia Iuri antiquo, saltem consuetudine introducto ab Innocentio declarato non celebrandi in Sabbato, derogatum est pro vno tantùm Sacerdote solemniter celebrante, non pro alijs. Accedit, quòd in Vigilia Pentecostes pro Missa solemni nullus Introitus assignatur, quia in ea plures Prophetiæ præmittuntur; pro Missa verò priuata, in qua Prophetiæ non præmittuntur, assignatur proprius Introitus: at in Sabbato sancto, in qua nullæ Prophetiæ præmitti debent, nullus Introitus assignatur, ergo signum est, Ecclesiam nolle quòd in ea die Missa aliqua priuata celebretur, sed tantùm solemnis.

Sotus. Rodriguez. Gutierrez. Scortia. Suarez. Ægidius. Layman. Sotus verò in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. Rodriguez in Summa, c. 247. conc. 3. Gutierrez in quæst. Canonicis art. 36. Ioannes Scortia lib. 2. ca. 6. Suarez disp. 80. sect. 2. Ægidius ar. 2. du. 2. & Laymannus cap. 4. docent, id esse licitum (dum cautè & absque scandalo fiat) & meritò: quia antiqua prohibitio non celebrandi in ea die generaliter pro omni Missa, & pro omnibus Sacerdotibus, iam cessauit ex duplici titulo, tum quia finis & ratio illius prohibitionis cessauit, non tantùm in casu particulari, sed etiam generaliter in omnibus casibus, quia scilicet iam Ecclesia celebratione Missæ solemnis à manè Sabbati, non repræsentat requiem Christi in sepulchro, & ex tunc reijcit mœrorem, ob quod antiquitus fuit prohibitum biduo illo celebrare; tum etiam, quia consuetudine, qua viri pij & docti celebrare solent, etiã ante Missam solemnem, omnino abrogata est, quia non est adeò rara & occulta, vt non sciatur à Romano Pontifice, & tamen tacet, quo eam approbare videtur; ex quo constat ad fundamentũ aduersariorum. Quòd autem pro Missa priuata in ea die non sit assignatus ab Ecclesia peculiaris Introitus, non fauet aduersarijs: quia si non est assignatus, non est quia in ea die Missa priuata non sit facta licita, sed quia non est facta licita licentiâ expressâ Ecclesiæ, sicut licita est in Vigilia Pentecostes; sed tantùm licentiâ tacitâ modo supradicto, & ideò assignatus est Introitus pro Missa priuata in Vigilia Pentecostes, & non pro Missa priuata in Sabbato sancto. Qui autem voluerit Missam in Sabbato sancto celebrare, & ante solemnem, poterit Missam Sancti in ea die contingentis, aut votiuam aliquam celebrare.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm licitum sit eidem Sacerdoti in eadem die plures Missas celebrare.

SVpponimus, generaliter prohibitum esse eidem Sacerdoti plures Missas in eadem die celebrare, non Iure diuino positiuo, nec diuino naturali orto ex natura Sacrificij, aut Sacerdotij, vt patet; sed tantùm Iure Ecclesiastico, lato ab Innocentio III. in cap. *Consuluisti* 3. & ab Honorio III. *Honor. III.* in cap. *Referente* 12. de Celebratione Missarum: ab hac tamen generali prohibitione excipiuntur ab Innocentio III. in dicto c. dies Natiuitatis, Do- *Innoc. III.* mini, & casus necessitatis, his verbis: *Excepto die Natiuitatis Dominicæ (nisi causa necessitatis suadeat) sufficit Sacerdoti semel in die tantùm Missam solummodo celebrare.* Et quia Innocentius III. non explicat, quænam necessitas requisita sit ad hoc, quòd idem Sacerdos possit pluries in eadem die celebrare, ideò Doctores assignant varios casus necessitatis, in quibus id possit fieri: supponunt tamen, in eis non posse celebrari secundam ab eo, qui lotione, aut alio modo, ieiunium post primam fregit.

Primus ergo casus necessitatis, in quo Sacerdos ieiunus potest pluries celebrare, qui est in vsu, & à Doctoribus communiter recipitur, est, quando habet duas Parochias in diuersis oppidis, & ob paupertatem nequit in alio habere coadiutorem, vt vnusquisque populus habeat in sua Parochia Missam quam in ea potest iure petere. Quod Sua- *Suarez.* rez disput. 80. sect. 3. etiam extendit ad diem non festum, quando in oppidis est sufficiens multitudo: & addit, Sacerdotem posse eadem proportione tres Missas celebrare, si in tribus oppidis habeat tres Parochias, quia in Iure non determinatur pluralitas Missarum.

Secundus casus necessitatis, qui communiter assignatur, est, quando pro viatico infirmi necessarium est iterùm celebrare. Ita Paludanus, Silue- *Paludan. Silueſter. Antonin. Tabiena. Angelus. Nauarrus. Toletus. Henriq. Ægidius. Vasquez.* ster, Antoninus, Tabiena, Angelus, Nauarrus, Toletus, Henriquez & Ægidius q. 83. art. 2. dub. 3.

Vasquez verò disp. 232. n. 50. dictam necessitatem insufficientem iudicat ad id, & non absque ratione; quia maioris momenti videtur obseruare prohibitionem non celebrandi pluries, vt recepta est (sicut & seruare legem ieiunij ante Communionem) quàm ægroto viaticum conferre. Poterit

tamen Sacerdos, vt Henriquez aduertit, si ante sumptionem Hostiæ moneatur de necessitate ægroti, ei particulam Hostiæ seruare.

Tertius casus necessitatis, qui communiter assignatur, in quo Sacerdos possit pluries celebrare, est, quando post Missam dictã, & nondum sumptam lotionẽ, supẽrueniunt plures peregrini, aut aliquis Episcopus, aut aliquis magnus vir, vt possint Missam audire, præsertim in diebus festis. Ita Silueſter, Antoninus, Nauarrus, Henriquez & Valentia.

Silueſter. Antonin. Nauarrus. Henriq. Valentia.

Vasquez verò & Ægidius dictam necessitatem insufficientem iudicãt ad id, & meritò: quia quòd prædicti Missam audiant, etiam in diebus festis, non est tanti momẽti, quanti obseruatio dictæ prohibitionis, vt recepta est; & ob eamdem rationem non est celebranda secunda Missa pro nuptijs, nec pro sepeliendo defuncto Missam celebrando, & multò minùs pro satisfaciendo petitioni Parochiani petentis Missam pro defuncto, vt contra Paludanum & Antoninum docent Vasquez & Ægidius.

Vasquez. Ægidius.

Paludan. Antonin.

Plures alij casus necessitatis assignari solent, in quibus Missa possit à Sacerdote ieiuno iterari; nihilominùs in eis non est iteranda, nec in alijs casibus necessitatis, quamuis vrgentis, nisi in solo primo, vt cõtra non paucos docet Vasquez, quia sola necessitas primi casus suadet vt fiat contra dictam prohibitionem, & iste solus est nunc in vsu: & ad eam necessitatem reducitur, vt possit à Sacerdote Missa iterari, raritas magna Sacerdotũ, qualis est in Anglia, vt docent Nauarrus, Henriquez, Azor, & Rodriguez; & ad eamdem necessitatẽ reducunt nonnulli, vt possit à Sacerdote Parocho Missa iterari, numerositas magna populi, quem templum nequit capere, & non sit alius, nec haberi possit ob paupertatẽ Parochi, à quo illi quos non capit templum, possint Missam audire. Hanc tamen necessitatem insufficientem iudicamus ad id, imò eam non esse necessitatem simpliciter, quia, vt dicemus Disp. v. Diff. 1. existentes extra templum, quamuis non videntes nec audientes Sacerdotem celebrantem, possunt satisfacere præcepto audiẽdi Missam.

Nauarrus. Henriq. Azor. Rodriguez.

DIFFICVLTAS IV.

A qua hora diei possit Missa inchoari.

COnueniunt Doctores, non esse licitum, Missam ante auroram incipere, benè tamen aurora inchoante; quod consuetudine introductum est, & iam habetur in Missali Romano, titulo De Missa celebranda. Et id supponunt priuilegia Religiosis concessa, celebrandi vna hora ante diem. Vnde Decretum Telesphori Papæ, relatum can. *Nocte sancta*, de Consecratione dist. 1. vbi dicitur, nocte sancta Natiuitatis excepta, in reliquis temporibus Missas non esse celebrandas ante horam diei tertiam, iam est saltem consuetudine reuocatum, etiam quoad Missas solemnes.

Telesph.

Circa conclusionem traditam obseruandum est, per auroram intelligi nõ ortum Solis, sed initium crepusculi diei, seu primam lucis irradiationem. Et quamuis crepusculum non semper sit æquale, quia tamen vt plurimum incipit vna hora & quinta parte ante ortum Solis, ideò, vt optimè Vasquez, pro regula morali haberi potest ad celebrandum: & quia ad celebrandum non est necessarium, ipsum momentum auroræ expectare, sed paulò antè potest inchoari, imò dimidia hora ante auroram, quia parum pro nihilo reputatur, ideò licitum est vna hora & dimidia ante ortum Solis celebrare, vt aduertit Suarez, & approbat Rodriguez, imò satis completis. Vnde Religiosi, quibus ex priuilegio licet vna hora ante diem celebrare, possunt duabus horis & dimidia, imò & vno quadrante ante ortum Solis celebrare.

Vasquez.

Suarez. Rodrig.

Dicta tamen lex & consuetudo non celebrandi ante auroram, non est vniuersalis, quia in aliquibus Prouincijs, in quibus hieme Sol serò oritur, consuetudine introductũ est, vt hieme possit Missa notabiliter ante auroram celebrari. Episcopi quoque iter agentes gaudent priuilegio celebrandi ante auroram, vt docent Paludanus, Antoninus, Silueſter, Nauarrus & Glossa in cap. vlt. de Priuilegijs, in 6. imò Glossa & Suarez, & communiter Doctores eis attribuunt facultatem dispensandi, ex rationabili causa, in dicta lege & prohibitione, quamuis Pontificia, introductam ex consuetudine, tacita Pontificis approbatione.

Paludan. Antonin. Silues. Nauar. Glos. Suar.

Sacerdotes etiam nostræ Societatis ex priuilegio Gregorij XIII. possunt vna hora ante auroram de licentia Superioris celebrare, vel causa itineris, vel alterius legitimi impedimenti, vt constat ex Compendio priuilegiorum, v. *Missa*.

Sacerdotes etiam omnes iure communi possunt in nocte Natiuitatis Domini ante auroram à puncto mediæ noctis Missam celebrare, vt patet ex can. *Nocte sancta*, de Consecratione. d. 1. quod non solùm est verum, quoad primam Missam, in quo Doctores conueniunt; sed etiam quoad alias duas, vt contra Silueſtrum, Armillam, Tabienam, Nauarrum, Henriquez & Toletum, aduertunt Suarez d. 80. sect. 4. Vasquez disp. 232. c. 3. Valẽtia disp. 6. q. 11. punct. 3. Ægidius dub. 4. & Puteanus q. 83. art. 2. quia in dicto canone id absolutè & absque vlla restrictione conceditur. Quòd verò in Rubricis Missalis tria tempora diuersa assignentur pro tribus Missis, non obstat, quia id tantùm fit pro Missis solemnibus.

Armil. Tabien. Nauar. Tolet. Suarez. Vasq. Valẽt. Puteanus.

Tandem antiquitus licitum fuit in nocte Resurrectionis paulò post mediam noctem Missam celebrare, quando Christus resurrexit; iam verò non licet (quia consuetudine, aut dispensatione expressa, licẽtia illa retracta est ad diem Sabbati) nisi forsan in aliquibus Ecclesijs, in quibus cõsuetudo illa antiqua Missam solemnem celebrandi retinetur.

Addimus, ob necessitatem Viatici ægroto posse Missam post mediam noctem ante auroram celebrari (vt aduertunt Paludanus, Antoninus, Gabriel & Vasquez: quia prohibitio illa potest per epikiam corrigi, quia maioris momenti est, ægroto succurrere Viatico, quàm post mediam noctem ante auroram non celebrare.

Paludan. Antonin. Gabriel. Vasq.

DIFFICVLTAS V.

Ad quam horam diei inceptio celebrationis Missæ differri possit.

NAuarrus c. 25. n. 85. & Viualdus de Sacramento Altaris, n. 151. Pitig. d. 13. q. 2. art. 4. & Llamas part. 3. Methodi, c. 5. §. 18. docent, inceptionem Missæ differri posse vsque ad horam nonam, quæ est tertia post meridiem. Primò, quia antiquitus id licuit, vt constat ex can. *Solent.* de Consc-

Nauar. Viual. Pitig. Llam.

S. Thomas. Consecratione, d. 2. & ex S. Thoma quæst. 87. artic. 2. prædictæ autem licentiæ nullo modo derogatum est. Secundò, quia hora illa nona aptissima est ad celebrationem Sacrificij incruenti Missæ, quia in ea Christus fuit cruentè sacrificatus.

Maior. Sotus. Suarez. Vasquez. Puteanus. Maior verò in 4. d. 9. q. 3. Sotus q. 2. a. 2. Suarez disp. 80. sect. 4. Vasquez disp. 232. cap. 4. & Puteanus art. 2. & communiter Doctores docent, & meritò, inchoationem Missæ non posse vltra meridiem differri. Ratio huius desumitur ex consuetudine Ecclesiæ, quæ iam ab omnibus tamquam necessaria & ex obligatione obseruatur. Et quia res hæc est moralis, ideò meridies non est Mathematicè sumenda, sed moraliter, ac proinde licitum est paulò post meridiem Missam inchoare, vt aduertunt Maior, Vasquez, Ægidius, Laymannus & Puteanus (qui exprimit posse differri per dimidiam horam) vt diximus de anticipatione ante auroram.

Vasquez. Addit Vasquez Primò, consuetudine receptum esse, vt quando Missa solemnis inchoata ante meridiem, durat post meridiem, quamuis multo tempore post, Missa priuata possit inchoari quamdiu solemnis durat. Secundò addit, ob necessitatem succurrendi infirmo, ne decedat absque Viatico, posse ex epiikia Missam priuatam inchoari multò post meridiem, vsque ad horam scilicet nonam.

Suarez. Rodriguez. Addunt Suarez & Rodriguez, posse vna hora post meridiem Missam inchoari, quando in die Festo ratione itineris aut alterius necessitatis non potuit anteà inchoari: id tamen non satis fundatur, nisi in casibus dictis à nobis aut in aliis non minoris necessitatis.

Ad primam ergo rationem aduersariorum constat, antiquam illam licentiam differendi Missam vsque ad horam tertiam post meridiem, consuetudine dicta reuocatam esse: & eadem obtentum est, vt vltra meridiem non differatur notabiliter inchoatio Missæ, etiamsi hora nona, quæ est tertia post meridiem, ob rationem aduersariorum sit congrua & apta ad celebrationem Missæ: ex quo constat ad secundam rationem illorum.

Laymann. Addit Laymannus, Episcopum ex iusta causa posse dispensare, vt inchoatio Missæ notabiliter differatur post meridiem; sicut potest, vt notabiliter ante auroram inchoëtur, quia eadem est ratio.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Missa celebranda sit in loco sacro.

COnueniunt Doctores, Iure ordinario antiquo non potuisse celebrari, nisi in loco sacro, vt patet ex can. *Nullus*, de Consecratione, dist. 1. iam tamen vsus obtinuit, vt celebrari possit in loco tantùm benedicto, imò in loco auctoritate Episcopi ad celebrandum assignato, quamuis non benedicto nec sacrato, vt docent communiter Doctores.

Obseruandum est Primò, facultatē concedendi licentiam ad celebrandum in quouis honesto seu decente loco, quamuis nec sacrato nec benedicto, conuenientē Episcopis ex suo officio, vt constat ex can. *Missarum*, de Consecratione, d. 1. (quamuis non extra propriā diœcesim, vt contra Siluestrum docent Angelus, Vasquez & Suarez) restrictam esse à Tridentino sess. 12. in decreto de Obseruandis & vitandis in celebratione Missæ, quia ibi præcipitur Episcopis, ne patiantur in priuatis domibus Missam celebrari, nisi in aliquo loco ab eis designato, & tantùm ad diuinum cultum dedicato.

Siluester Angelus. Vasquez. Suarez. Trident.

Vnde Episcopi non possunt licentiam conferre ad celebrandum in priuatis domibus in loco ad alios vsus deseruiente: possunt tamen dispensare, vt aliquādo celebretur in eo loco iustâ aliquâ causâ, qualis est, quando persona grauis ægrotat, vt domi audiat Missam, & Communionem ex obligatione suscipiat, quia in dicto decreto tantùm aufertur Episcopis facultas concedendi simpliciter licentiam ad celebrandum in dicto loco; non verò facultas dispensandi in aliquo casu.

Addimus, dictam facultatem concedendi simpliciter licentiam ad celebrandum in quouis honesto seu decente loco, conuenientem Episcopis ex suo officio, ablatam fuisse à Nuntio Hispaniarum iussu Pauli V. anno 1616. ita vt iam nequeant facultatem concedere ad celebrandum in priuatis domibus & oratoriis, non verò fuisse ablatam facultatem dispensandi ex iusta causa, vt aliquando in eis celebretur.

Obseruandum est Secundò, cuilibet Sacerdoti absque licentia & dispensatione licere in quouis honesto loco extra Ecclesiam celebrare, quando magna aliqua necessitas occurrit, vt exprimitur à Felice IV. in can. 1. de Consecr. d. 1. imò, vt aduertunt Vasquez & Ægidius, consuetudine obtentum esse, vt id etiam liceat, quamuis necessitas non sit magna, vt quando magna multitudo in aliquo die festo ad paruam aliquam Ecclesiam cōcurrit, quæ multitudinem illam non capit, vt omnes meliùs Missam audiant; & etiam vt existentes in castris Missam audiant: & etiam vt Missam audiant qui sunt in triremibus, aut in nauibus dum celebretur in littore, & non supra mare, nec supra flumen cum periculo probabili effusionis Sanguinis: secùs est eo periculo cessante, vt contra non paucos, nec indoctos, aduertunt Durandus in Rationali lib. 4. cap. 1. Ioannes Scortia lib. 2. c. 13. Sà, verbo *Missa*. num. 19. Laymannus cap. 5. nu. 6. & alij.

Felix IV. Vasquez. Ægidius. Durandus. Scortia. Sà. Layman.

Episcopis tamen in cap. vlt. de Priuilegijs, in 6. conceditur priuilegium, vt cùm iter agunt, etiam extra propriam diœcesim, possint, quamuis nulla occurrat necessitas, in quouis honesto loco celebrare, aut facere vt alius ipso præsente celebret: cui priuilegio non est derogatum per dictum decretum Tridentini, nec per dictum decretum Nuntij, quia in eis tantùm limitatur facultas concedendi simpliciter supradictam licentiam alijs.

Nostris quoque, qui in missionibus sunt, conceditur priuilegium, non obstante decreto Tridentini, celebrandi in quouis honesto loco, etiam in castris militum, si habeant licentiam Generalis aut Prouincialis: reliqui verò Religiosi eatenus possunt hoc priuilegio vti, quatenus post Tridentinum eis concessum fuerit per se, aut per communicationem.

Aduertunt tamen communiter Doctores, semper esse necessarium celebrare ad minus in altari portatili, seu Viatico, consecrato ab Episcopo (quod Ara vocatur) vt declaratur in can. *Concedimus*, de Consecratione, d. 1. & oppositum numquam fuit in Ecclesia permissum.

Id verò, quod docent Sotus in 4. distinct. 13. quæst. 2. ar. 3. & Sà v. *Missa*, nu. 20. nempe celebrare in loco non designato à Pontifice aut Episcopo, adhuc absque sufficienti necessitate, non esse peccatum mortale, si absque contemptu & absque scandalo fiat, falsum est, vt aduertunt

Sotus. Sà.

communiter Doctores; quia id est contra prohibitionem in re graui.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm possit celebrari in Ecclesia polluta & violata.

SVpponimus, Ecclesiam multis modis pollui & violari. Primò violatur homicidio intra Ecclesiam facto, quamuis fiat absque sanguinis effusione, vt constat ex cap. *Proposuisti*, de Consecratione Ecclesiæ vel altaris, & ex can. *Si motum*, de Consecratione, dist. 1. Vnde Ecclesia non violatur homicidio facto supra tectum Ecclesiæ, nec in turri, nec in campanili, nec in cubiculis Ecclesiæ coniunctis, nec in Sacristia, nec in cauerna sub Ecclesia, nec suspensione facta in parietibus Ecclesiæ à parte exteriori, quia in quacumque parte ex dictis fiat, non fit intra Ecclesiam, sed extra, nisi quando fit in cauerna in qua dicitur Missa, aut quæ deseruit ad sepeliendum. Nec violatur homicidio facto absque culpa mortali, nec homicidio non publico, quamuis mortali, nec homicidio cuius causa, vt vulnus, data est extra Ecclesiam, quamuis mors intra Ecclesiam contingat, quia tunc occisio seu homicidium non fit intra Ecclesiam; benè tamen homicidio cuius causa datur intra Ecclesiam, quamuis mors extra contingat, quia tunc occisio seu homicidium fit intra. Et non tantùm violatur homicidio mortaliter illicito contra iustitiam, sed etiam homicidio mortaliter illicito contra religionem, vt homicidio à iudice iuridicè facto intra Ecclesiam, & etiam homicidio mortaliter illicito contra fortitudinem, vt homicidio facto ab ipso occiso.

Secundò violatur Ecclesia humani sanguinis effusione intra Ecclesiam facta, vt constat ex cap. *Si Ecclesia*, de Consecratione Ecclesiæ, & ex can. *Ecclesiis*, de Consecratione, dist. 1. Vnde si fiat extra Ecclesiam, aut si non sit publica, non violatur Ecclesia, sicut diximus de homicidio; & si non sit copiosa, vt aduertunt communiter Doctores, & nomine ipso effusionis denotatur. Imò non sufficit, quòd sit copiosa, si percussio & læsio non sit grauis, & mortaliter illicita, vt potest contingere, quando percussio fit in naribus. Nec sufficit quòd sanguis effluat intra Ecclesiam, si vulnus factum fuit extra, sicut etiam diximus de homicidio, benè tamen si vulnus factum fuit in Ecclesia, quamuis sanguis non effluat intra Ecclesiam, sed extra, sicut diximus de homicidio, & quamuis sanguis non perueniat ad pauimentum Ecclesiæ.

Tertiò violatur Ecclesia humani seminis effusione intra Ecclesiam facta, vt constat ex dicto cap. *Si Ecclesia*, & ex can. *Ecclesiis*: requiritur tamen quòd sit mortaliter illicita, & publica, sicut diximus de effusione sanguinis, & de homicidio, & quòd sit copiosa, vt nomine ipso effusionis denotatur; & non sufficit, quòd fiat extra Ecclesiam, sicut diximus de effusione sanguinis, & de homicidio; & sufficit quòd fiat intra Ecclesiam, quamuis non perueniat vsque ad pauimentum.

Est tamen difficultas, An violetur effusione seminis facta in copula coniugali.

Paludan. *Nauarrus.* *Suarez.* *Couarru.* Paludanus in 4. d. 18. quæst. 8. a. 4. Nauarrus cap. 27. num. 257. & plures alij, partem affirmatiuam absolutè tuentur, quam limitant Suarez disp. 81. sect. 4. Couarruuas in 4. Decret. part. 2. cap. 7. §. 2. & Ægidius a. 3. dub. 1. & alij plurimi, vt tantùm sit vera, quando coniuges non coguntur iusta aliqua causa in Ecclesia simul dormire; quia si cogantur diu esse in Ecclesia, & ob diuturnam continentiam aliquis ex coniugibus sit in periculo incontinentiæ, aut alicui ex illis sit admodum molestum diu contineri, docent, tunc dicta seminis effusione non violari Ecclesiam, quia tunc non fit contra reuerentiam loci sacri, maritaliter coniungi. Rosella autem v. *Consecratio*. 1. Glossa in can. *Ecclesiis*, de Consecratione, dist. 1. Angelus v. *Debitum*, num. vlt. partem negatiuam absolutè tradunt, quam etiam indicat Sotus in 4 d. 13. quæst. 2. a. 3. ad 2. & non absque ratione, quia maritali effusione seminis nullo iure fit irreuerentia loco sacro, quia non iure naturali, quia ex natura rei non est contra reuerentiam Ecclesiæ; sicut nec blasphemia, nec periurium in Ecclesia: nec fit irreuerentia iure aliquo Ecclesiastico, quia eo iure intuitu reuerentiæ loci sacri lato, tantùm sunt prohibita homicidium, & sanguinis effusio, & effusio seminis contra castitatem, & furtum, quamuis furto non violetur Ecclesia.

Quartò violatur seu polluitur Ecclesia, quando in ea excommunicatus vitandus sepelitur, vt aduertunt communiter Doctores ex cap. *Consuluisti*, de Consecratione Ecclesiæ vel altaris: & etiam quando paganus in ea sepelitur, ex can. *Ecclesiam*. 27. de Consecratione, d. 1. & etiam quando infidelis, quamuis baptizatus, ex can. *Ecclesiam*. 28. de Consecratione, d. 1.

Obseruandum est, in quatuor dictis casibus violari Ecclesiam solùm quando est consecrata aut benedicta, vt aduertunt communiter Doctores ex dictis capitulis *Proposuisti*, & *Si Ecclesia*, & ex dicto can. *Ecclesiam*; non verò Ecclesias nec consecratas nec benedictas, nec oratoria: violata autem Ecclesia, etiam censetur violari cœmeterium ipsi contiguum, vt constat ex cap. vnico de Consecratione Ecclesiæ, in 6. Econtrà verò quamuis cœmeterium violetur, non censetur Ecclesia violari, quia id nullo iure disponitur.

Quintò Ecclesia consecrata amittit consecrationem, quando tota aut maior pars destructa est, antequam incipiat reparari, vt deducitur ex cap. *Ligneis*, de Consecratione Ecclesiæ vel altaris, & ex can. *Ecclesiis*, de Consecratione, dist. 1. Ecclesia verò tantùm benedicta, etiamsi tota ruat, si postea reficitur, non eget noua benedictione, quia manet idem solum, quod tantùm benedicitur quando Ecclesia benedicitur.

His ergo suppositis, conueniunt Doctores circa præsentem difficultatem, non posse absque peccato mortali in Ecclesia violata, & nondum reconciliata celebrari, quia celebrare est quid graue, & in dictis capitulis & canonibus prohibitum. Quòd si contingat Ecclesiam violari quando Sacerdos celebrat, si ad eius notitiam ante consecrationem inceptam perueniat, tenetur à celebrando desistere, non verò consecratione incepta, facta videlicet consecratione panis. Addunt Sotus, Suarez, & Henriquez, nempe quando adest rationabilis causa, posse de licentia Episcopi in Ecclesia violata celebrari.

Qui autem contra dictam prohibitionem in Ecclesia violata seu polluta celebrat, quamuis mortaliter peccet, non tamen incurrit irregularitatem in capit. *Is qui*. de Sententia excommunicationis, in 6.

in 6. & meritò : quia dicta violatio non est interdictum strictè, & nullo Iure irregularitas inducitur contra celebrantem in Ecclesia violata: nec incurrit aliam censuram, nec pœnam, vt aduertunt Suarez disp. 81. sect. 4. Laymannus cap. 5. & alij, quia nullo Iure inducitur. *Suarez. Layman.*

Ecclesia autem violata, si consecrata erat solùm, potest ab Episcopo Iure ordinario reconciliari, sicut & consecrari : ex commissione tamen Romani Pontificis id etiam potest simplex Sacerdos ; sicut possunt Sacerdotes nostræ Societatis in remotis Indiæ regionibus. Si verò Ecclesia violata tantùm erat benedicta, reconciliari potest à simplici Sacerdote per aspersionem aquæ benedictæ, vt dicitur in cap. vltimo de Consecratione Ecclesiæ vel altaris, & per alias breues & faciles cærimonias, prout habentur in Cærimoniali: & non desunt, vt Henriquez refert, qui affirment sufficere ad reconciliationem Ecclesiæ violatæ, quòd bona fide sit semel celebratum in ea.

DIFFICVLTAS VIII.

Quale debeat esse altare ad Missam celebrandam.

OMisso errore hæreticorum, qui altaria demoliuntur, & pro altaribus mensas excitant, quia falsò existimant in Missa non fieri Sacrificium, sed tantùm conuiuium, conueniunt Doctores, altare ad celebrandum debere esse lapideum, & consecratum, siue sit fixum in aliquo loco, siue portatile. Et in primis debere esse lapideum, & à tempore Siluestri Papæ, vt ex eius Legenda, & ex festo Dedicationis Basilicæ Saluatoris nono Nouembris apertè constat. Additur, *à tempore Siluestri*, quia anteà poterat esse ligneum, quale fuit altare in quo D. Petrus celebrare solebat, quod vsque ad hodiernam diem in Ecclesia Lateranensi seruatur, & in quo ex decreto eiusdem Siluestri solus Pontifex celebrare potest. Debet autem esse tantæ magnitudinis, vt commodè & absque periculo cadendi possit sustinere calicem & Hostiam, quamuis non sit necessarium quòd tota illa capiat, & sufficit quòd sit lapideum quoad supremam partem. *Siluester Papa.*

Deinde altare istud lapideum debere esse consecratum, constat ex decretis Euaristi, quæ habentur in 1. Tomo Conciliorum post duas Epistolas ipsius, & ex can. 2. & ex alijs de Consecratione, dist. 1. quod etiam ostendit antiquissima Ecclesiæ consuetudo : consecratio autem altaris potestate ordinaria tantùm fit ab Episcopo, vt patet ex can. *Nullus Presbyter*, de Consecratione, dist. 1. & ita in Pontificali pro solo Episcopo ponitur forma consecrandi altaria ; ex priuilegio tamen concedi potest simplicibus Sacerdotibus, vt de facto Paulus III. concessit nostris Presbyteris degentibus in locis temotissimis, si in eis defuerit Episcopus Catholicus. *Euaristus.*

Ita tamen altare debet esse lapideum & consecratum ad celebrandum, vt aliter celebrare, censeatur communiter esse peccatum mortale, quia est contra prohibitionem in re graui.

Quòd autem altare sit fixum, vel portatile, parum refert, quia non est decretum quòd sit fixum. Dicitur autem fixum, quod in eodem loco perseuerat stabile : portatile verò, quod facilè de vno loco in alium mutatur, qualis est ara; & altare non erit totaliter fixum, si pro suprema parte non constet tabella, seu mensa lapidea in eo fixa, quia absque ea altare non erit perfectum, & ideò ea deficiente indigebit tabella illa lapidea portatili : & sufficit hanc portatilem aut illam fixam esse consecratam, quamuis nihil reliqui altaris sit consecratum.

Quòd si obiicias : Episcopis in cap. vltimo de Priuilegijs, in 6. & etiam nostris, in missionibus, conceditur priuilegium vtendi altari portatili, seu viatico, ergo Iure communi debet esse fixum. Respondemus, dictum priuilegium ad id concedi, non vt eo vtantur, quasi id sit Iure communi prohibitum, sed vt super illud in quouis honesto loco possint celebrare.

Sed quæres, Quando altare amittit consecrationem? Conueniunt Doctores, si altare (siue fixum siue portatile) ita frangatur, vt nulla pars illius possit commodè sustinere calicem & Hostiam, amittere consecrationem : imò ineptum manere vt iterùm consecretur ad idem, quia ineptum manet vt in eo possit celebrari. Ita decernitur in cap. *Ad hæc.* 1. & in cap. *Quod in dubys.* 3. de Consecratione Ecclesiæ vel altaris. Addunt Glossa, Siluester, Angelus, Paludanus, Suarez, disp. 81. sect. 5. Vasquez disp. 233. cap. 2. quòd quando altare est fixum, si eius structura seu forma mutatione aut fractione dissoluatur, aut si lapis superior ab inferioribus partibus seiungatur, quamuis integer maneat, consecrationem amittat: quod significatur in cap. *Ad hæc.* 1. & in cap. *Quod in dubits.* 3. & in cap. *Ligneis.* 6. dum in eis de altari fixo (de quo in eis tantùm est sermo) dicitur, si altare motum vel confractum fuerit, iterùm esse consecrandum, & meritò ; quia lapis superior, qui consecratur, reuerà consecratur, vt affixus alicui determinato loco & basi, & vt habens illam structuram & formam, quæ maximè destruitur separatione lapidis superioris ab inferioribus partibus. Si verò structura altaris maneat eadem, etiamsi mutetur, & cornua Chrismate delibuta frangantur, non amittit consecrationem, quamuis lapis aliquis inferior deficiat ob rationem dictam. Sed quamuis altare fixum mutatione structuræ amittat consecrationem, templum tamen ipsum non amittit illam, vt dicitur in dicto cap. *Ad hæc*, vbi significatur, consuetudine derogatum esse Iuri antiquo habito in can. *Si motum*, & in can. *De fabrica*, de Consecratione, d. 1. quo etiam tota Ecclesia in casu dicto consecrationem amittebat. *Glossa. Siluester. Angelus. Paludan. Suarez. Vasquez.*

Altare etiam portatile non amittit consecrationem, vt contra Paludanum & Angelum aduertunt Siluester, Suarez, Vasquez, & Laymannus, etiamsi fuerit inclusum in capsula, & ei coniunctum glutine, aut aliter, & posteà à capsula extrahatur : quia lapis portatilis non consecratur vt ineluſus in capsula, seu dependenter ab ea inclusione, sed ipse per se solus, ac proinde ipse solus debet esse tantæ magnitudinis, vt possit commodè sustinere calicem & Hostiam. *Paludan. Angelus. Siluester. Suarez. Vasquez. Layman.*

Obseruandum est Primò, vt aduertunt Siluester, Vasquez, Ægidius, & Bonacina, altare portatile, seu viaticum, non posse fieri ex duobus lapidibus inuicem colligatis in modum libri, aut alio modo, quorum vnus capiat calicem, & alter Hostiam, sed tantùm ex vno ; quia sic est consuetudine receptum, ad denotandum vnam in Christo personam. *Siluester. Vasquez. Ægidius. Bonacina.*

Obseruandum est Secundò, vt contra Canonistas can. *Placuit*, de Consecratione, dist. 1. & contra Siluestrum, Azor & Scortiam aduertunt Sotus in 4 distinct. 13. quæst. 2. a. 3. Suarez disp. 81. Vasquez disp. 233. Ægidius num. 241. Laymannus & Doctores communiter, quòd etiamsi in Septima Synodo generali can. 7. & in alijs Concilijs Prouincialibus præceptum fuerit, vt nullum altare consecraretur absque Reliquijs Sanctorum (quod tantùm intelligebatur de altari fixo) iam tamen consuetudine receptum sit, vt absque eis consecrentur altaria, & independenter ab eis: quia vix fieri potest, vt pro tot altaribus Reliquiæ Sanctorum inueniantur: nec pro Reliquijs substitui possit pars Eucharistiæ, vt contra Guillielmum, Durandum, & Ioannem Andream aduertunt Hostiensis, Panormitanus, Vasquez & Ægidius. Vnde, vt contra non paucos aduertit Ægidius, etiamsi frangatur aut amoueatur loculus, seu sepulchrum in quo seruantur Reliquiæ, altare non amittit consecrationem, quia scilicet independenter ab eo loculo & ab ipsis Reliquijs consecratur.

Sotus. Suarez. Vasquez. Ægidius. Layman.

Hostiens. Panormit. Vasquez. Ægidius.

Obseruandum est Tertiò, quòd quamuis antiquitus in more fuerit, altare maius versus Orientem constitui, vt fideles ad illud conuersi orarent versus Orientem: liberum tamen est, vt aduertunt Vasquez & Suarez, versus quamlibet mundi partem illud constituere, quia dictus mos numquam fuit habitus vt necessarius, sed tantùm fuit iudicatus vt congruens, & conueniens vt Christum, qui Oriens est, & Sol iustitiæ, & qui fuit crucifixus habens faciem versus Occidentem, ad altare maius conuersi respiciamus.

Vasquez. Suarez.

DIFFICVLTAS IX.

Qualis debeat esse ornatus altaris ad Missam celebrandam.

PRimò pro ornatu altaris ad celebrationem Missæ requiritur, vt super altare ipsum sit quoddam linteum extensum vsque ad terram pertingens, quo mensa altaris cooperiatur; & etiam duplex palla, seu mappa linea, vel vna duplicata, vt dicitur in Missali reformato in Rubrica 2. de Præparatione altaris. Est autem necessarium, vt quælibet palla, aut quælibet pars pallæ duplicatæ, cooperiat totam aram: & præter dicta, etiam requiritur Corporale, vt constat ex Missali reformato Rubrica 2. de Ingressu Sacerdotis ad altare. Requiruntur ergo quatuor lintea, vel tria, & vnum ex eis duplicatum, vt deducitur ex dictis Rubricis inter se comparatis, etiamsi ante decretum Missalis reformati sufficerent tria, quia consuetudine sic obtentum erat contra Ius antiquum, quo quatuor exigebantur, vt suprà ponitur in can. *Super negligentiam*, de Consecratione, d. 1. & ob id Doctores, qui ante decretum istius Missalis reformati, vigente dicta consuetudine scripserunt, tria tantùm lintea requirunt.

Materia autem Corporalis debet esse linum, vt decernitur in can. *Consulto*, de Consecratione, d. 1. & constat ex praxi & vsu Ecclesiæ. Et quamuis canon iste tantùm loquatur de Corporali, certum est etiam, alias pallas seu mappas, quæ sunt sub Corporali, debere esse lineas, vt etiam constat ex praxi & vsu Ecclesiæ. Ita tamen Corporale fieri debet ex lino, vt nihil alterius materiæ in medio misceatur, vt exprimitur in Rubrica 1. de Præparatione Sacerdotis.

Et quamuis antiquitus Corporale ita fuerit oblongum, vt super illud non tantùm Corpus & Sanguis reponerentur, sed etiam, vt eo calix tegeretur (quod modò in aliquibus Ecclesijs retinetur) iam tamen consuetudo obtinuit, vt Corporale sit in duas partes diuisum, quarum vna & maior sit super altare, & super eam reponantur calix & Hostia; altera verò, & minor, quæ *filiola* dicitur (Hispanè hijuela) deseruiat ad operiendum calicem. Et quia hæc pars minor, est pars Corporalis, ideò debet esse ex lino quoad partem interiorem seu inferiorem, sicut pars maior, vt aduertunt Vasquez, Suarez, Ægidius & Laymannus, etiamsi Sotus a. 5. sentire videatur, posse esse seri-cam, aut ex alia materia, quod Rodriguez non audet improbare; nec nos quoad partem exteriorem seu superiorem.

Corporale autem quoad vtramque partem debet esse ab Episcopo benedictum, vt nomine *consecrati* decernitur in dicto can. *Consulto*. Et quamuis anteà pallæ, seu mappæ duæ quæ sub Corporali ponuntur, non deberent esse benedictæ; iam tamen benedici debent, vt constat ex Missali reformato in Rubr. 2. de Præparatione altaris. Corporale, & duæ dictæ pallæ, tamdiu & non amplius retinent benedictionem, quamdiu possunt ad vsus, ad quos deputantur, deseruire. Requiritur etiam Purificatorium, quod debet esse mundum, & collocari super os calicis, vt constat ex dictis Rubricis; & debet esse ex lino, vt consuetudine obtentum est, tamen non est benedicendum.

Secundò pro ornatu altaris ad celebrandum requiritur in eo lucerna ardens, & absque ea celebrare, est peccatū mortale, vt aduertunt communiter Doctores, & significatur in cap. vlt. de Celebratione Missarum: & debet fieri ex cera, vt etiam aduertunt communiter Doctores, & consuetudo ostendit. In casu tamen necessitatis, quamuis non magnæ, potest fieri ex oleo, imò ex seuo, vt aduertunt Azor, Laymannus & Bonacina.

De numero candelarum nihil Iure antiquo, nec consuetudine præscriptum est: nihilominùs in Missali reformato Rubrica de Præparatione altaris dicitur, vt ponantur ad minus duo candelabra cùm candelis accensis in vtroque latere, & vt à parte Epistolæ paretur cereus ad eleuationem Sacramenti accendendus, quæ non video tamquam obligantia recepta: erit tamen maximè decēs, omnia prædicta seruare. Cauendum tamen est, vt dicitur in Tridentino sess. 22. in Decreto De obseruandis in celebratione Missæ, ne certus numerus candelarum ex superstitione aliqua in Missa adhibeatur: poterit tamen ex fine religionis & cultus Dei.

Tertiò pro ornatu altaris ad celebrandum in ipso, requiritur Crux, non Iure aliquo antiquo, nec scripto, nec consuetudine introducto, sed tantùm Iure nouo Missalis reformati in dicta Rubrica 2. vnde non poterit absque veniali fine Cruce celebrari, si commodè possit haberi.

Quartò pro ornatu altaris ad celebrandum in eo requiritur liber Missalis, qui saltem Canonem Missæ contineat, ne celebrans lapsu memoriæ erret; quia quamuis id nullo Iure antiquo præscribatur, requiritur tamen Iure Missalis reformati, etiamsi Missa memoriter sciatur, vt constat ex Rubrica

Rubrica 10. de Defectibus in ministerio occurrentibus; quod etiam indicatur in Rubrica 1. de Præparatione Sacerdotis.

DIFFICVLTAS X.

Quæ & qualia vasa requirantur ad celebrandum.

CONueniunt Doctores, ad celebrationem Missæ requiri Calicem & Patenam; illis enim Ecclesia fuit ab initio ad celebrandum vsa: Calice quidem, & quia Christus in calice consecrauit, & quia vinum nequit absque calice seu vase commodè contineri, vt consecretur: Patena verò, quia in ea commodiùs fit receptio Hostiæ fractæ, & illius consumptio, vt si particula aliqua decidat, recipiatur in illa.

Materia autem Calicis & Patenæ non semper fuit eadem in Ecclesia, quia, vt constat ex can. *Vasa*, de Consecratione, distinct. 1. qui fuit Concilij Triburiensis cap. 18. antiquitus fuit lignea: deinde ex statuto Zephyrini Papę fuit vitrea: postea Vrbanus Papa decreuit omnia vasa sacra fieri argentea. Deinde in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. can. 6. & refertur in can. *Vt calix*, de Consecratione, dist. 1. statutum fuit, *vt calix cum patena, si non ex auro, saltem ex argento fiat; si tamen quis pauper fuerit, stanneo saltem calice vtatur, ex ære autem aut aurichalco calix nequaquam fiat; nullo autem modo in ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam cantare.* Et tandem in Missali Romano Rubrica 10. de Defectibus in ministro ipso occurrentibus, permittitur pes Calicis ex quacumque decente materia, dum cuppa illius sit aurea, vel argentea, vel stannea; vbi absolutè, & absque causa paupertatis, permittitur materia stanni: quod etiam habetur in Missali reformato in eadem Rubrica 10. Nihilominùs quia in Rubrica 1. de Præparatione Sacerdotis, in eodem Missali reformato nouiter statuitur, vt Calix sit aureus vel argenteus, & quòd, quando pes non est aureus vel argenteus, saltem habeat cuppam argenteam, & intus inauratam, ideò huic Rubricæ, vtpote nouiori, standum est, & per eam dicta Rubrica 10. limitanda quoad materiam stanni pro cuppa.

Zephyrin. *Vrbanus.* *Eugen. III.*

Patena quoque debet esse ex eadem materia, ex qua cuppa Calicis, nempe ex auro vel argento, vt ex dictis Rubricis 10. & 1. inter se collatis deducitur: quia in 10. dicitur, Calicem debere esse cum Patena conuenientem, & in 1. requiritur Patena inaurata, quando cuppa debet esse talis, nempe quando pes calicis non est aureus vel argenteus. imò ex eisdem deducitur, Patenam debere semper cuppæ Calicis assimilari, ita vt debeat esse aurea vel argentea, quæ debet esse inaurata, quando cuppa Calicis est talis.

Deinde Calicem & Patenam egere consecratione, & non sufficere benedictionem simplicem; conueniunt Doctores, & id supponunt Sixtus Papa in can. *In sancta*, de Consecratione, dist. 1. & Soter Papa in can. *Sacratas*, de Consecratione, dist. 23. & idem supponitur in can. *Non licent*, & in can. *Non oportet*, eadem dist. Hæc autem consecratio Iure ordinario tantùm fit ab Episcopo, vt aduertunt Doctores: ex priuilegio tamen Pauli III. concessum est nostris Presbyteris degentibus in remotissimis partibus,

Sixtus. *Soter.*

Circa amissionem consecrationis Calicis & Patenæ conueniunt Doctores, Calicem & Patenam amittere consecrationem, quando ita notabiliter franguntur, vt nequeant celebrationi deseruire: quod etiam est verum in fractione & separatione pedis Calicis à cuppa, quando continua erant, quamuis posteà coniungantur; quia tunc in nullo manet consecratio; non in Calice, quia non exstat; nec in cuppa, nec in pede, quia neutrum fuit consecratum seorsim ab altero, sed ambo per modum vnius, potentis deseruire celebrationi: consecratio autem semel amissa, numquam reuiuiscit, etiamsi Calix iterùm rediret idem numero coniunctione cuppæ & pedis, quia absque fundamento id dicitur; præsertim quòd Calix posteà noua coniunctione factus est physicè distinctus à Calice ante fractionem.

Quando verò Calix tornatilis est, habens pedem amobilem, coniunctum iunctura tornatili, non amittit consecrationem separatione pedis à cuppa, vt contra Paludanum & Siluestrum aduertunt Armilla, Vasquez, Suarez, Azor, Ægidius, Reginaldus, Laymannus, Bonacina, & communiter Doctores, quia in Calice tornatili cuppa per se consecratur independenter ab hoc vel ab illo pede, vtpote facilè mobili.

Paludan. *Siluester.* *Armilla.* *Vasquez.* *Suarez.* *Azor.* *Ægidius.* *Reginald.* *Layman.* *Bonacina.*

Et quando pars interior cuppæ anteà consecrata posteà inauratur, Calix consecrationem amittit, vt contra Guillielmum, Durandum, Ægidium, Laymannum aduertunt Paludanus, Armilla, Angelus, Tabiena, Azor, Suarez, Vasquez, Reginaldus & Bonacina, non quia Calix inauratione illa mutetur; sed quia ponitur noua superficies auri, quam Sanguis Christi immediatè tangit, quæ non est consecrata ratione sui, vt patet, nec illi consecratio Calicis anteà facta communicatur, quia superficies illa non est quasi accessoria, & minùs principalis; sed magis principalis (quamuis quoad quantitatem sit minor) quia illa tangit magis principaliter Sanguinem Christi, quia tangit illum immediatè; Calix autem ob tactum ad Sanguinem Christi consecratur (in quo Calix distinguitur ab Ecclesia, quia hæc non consecratur ob tactum, & ideò, quamuis post consecrationem parietes dealbentur, manet consecrata, quia post dealbationem manet eadem) è contrario verò, quamuis superficies interior Calicis inaurati destruatur, etiam noua superficies, quæ apparet, manet consecrata, vt aduertunt communiter Doctores; sicut quando Calix non est inauratus, & vsu ipso superficies interior consumitur, etiam noua, quæ apparet, manet consecrata: quia quando Calix consecratur, totus secundùm totam quantitatem consecratur, aut consecratus censetur. Et omnia prædicta de superficie interiore Calicis dicta, etiam sunt vera de superficie superiore Patenæ, ob eamdem rationem.

Paludan. *Sotus.* *Suarez.* *Vasquez.* *Ægidius.* *Layman.* *Bonacina.* *Guillielm.* *Durandus.*

Circa custodiam seu pyxidem, in qua Corpus Christi pro communicaturis consecratur aut asseruatur, est difficultas, an consecrari seu benedici debeat.

Paludanus, Sotus, Suarez, Vasquez, Ægidius, Laymannus, Bonacina, & communiter Doctores docent, non debere consecrari nec benedici (etsi decens sit benedici benedictione simplici, in Pontificali Romano præscripta pro ipsa pyxide) quia nullo Iure id præscribitur.

Guillielmus verò Durandus lib. 10. de Ritibus

Reginald. Ecclesiæ, cap. 16. Reginaldus lib. 29. num. 20. & alij docent, & meritò, debere benedici, vt constat ex Missali correcto Rubrica 2. de Ritu seruando; non tamen debere consecrari consecratione facta Chrismatis vnctione, quia in Pontificali Romano pro pyxide tantùm assignatur simplex consecratio & benedictio.

Vasquez. Id verò quod addit Vasquez, nempe, necessarium esse intra pyxidem esse vas aliquod ex lino, & benedictum benedictione Corporalis, absque fundamento dicitur; & etiam id quod addit, nempe debere pyxidem super aram collocari: reponenda tamen est super Corporale, quia hoc videtur consuetudine seruatum.

De materia pyxidis nihil est Iure positiuo præscriptum; Iure tamen naturali requiritur, vt materia sit talis, vt absque indecentia possit deseruire ad asseruandum Corpus Christi.

DIFFICVLTAS XI.

Quæ & quales vestes sint necessariæ ad celebrationem Missæ.

COnueniunt Primò Doctores, Sacerdotem ex præscripto Ecclesiæ debere peculiaribus vestibus indui ad celebrationem Missæ, quæ sunt numero sex, nempe Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula, quæ suas habent significationes, & videri possunt apud Suarez disp. 82. sect. 2. & apud Toletum lib. 2. c. 2. Ita tamen Sacerdos debet dictis vestibus indui, vt si absque aliqua ex illis celebret, peccet mortaliter, vt communiter aduertunt Doctores, qui excipiunt casum in quo Sacerdoti iniiciatur metus mortis, non in contemptum fidei, nec ordinationis Ecclesię, quia tunc non peccat, quamuis celebret absque aliqua ex illis, quia maioris momenti est conseruatio vitæ in eo casu, quàm obseruatio dictæ legis: imò in eo casu erit licitum absque omnibus celebrare, vt ob rationem dictam contra Suarez aduertunt Paludanus, Sotus, Medina, Vasquez, Sà, & Laymannus tract. 5. cap. 6.

Paludan. Sotus. Medina. Vasquez. Sà. Layman.

Materia autem dictarum vestium nullo Iure scripto præscribitur; tamen ex consuetudine Amictus & Alba debent fieri ex lino: reliquæ verò vestes possunt fieri ex qualibet decente materia. Circa figuram & magnitudinem earum seruanda est Ecclesiæ consuetudo absque variatione tali, vt vestes censeantur non Sacerdotales.

Conueniunt Secundò Doctores, prædictas sex vestes benedicendas esse, quia sic præscribitur in Missali reformato Rubrica 1. de Ritu seruando. Vbi etiam præscribitur, vt Sacerdos accedat calceatus ad altare, & quòd superior vestis ordinaria talum attingat, hoc tamen posterius non est consuetudine receptum.

Circa amissionem benedictionis idem dicendum est, ac diximus de alijs rebus benedictis, & consecratis, nempe, quòd si vestes ita destruantur, vt amittant figuram, aut reddantur ineptæ ad proprium vsum, ita benedictionẽ amittant, vt quamuis posteà reficiantur, indigeant noua benedictione; secùs est si, antequam amittant figuram, aut ineptæ fiant, reficiantur, quamuis aliquid non benedictum addatur. Vnde si cingulum ita frangatur, vt neutra pars seorsim deseruire possit, amittit benedictionem, quamuis post ruptionem iterùm nodo aut aliter coniungantur.

Obseruandum est, prædictas sex vestes, & quaslibet alias res sacras, quæ non tangunt immediatè species, nec sunt Chrismatis vnctione consecratæ, posse etiam à laicis, adhuc feminis, immediatè tangi: quia quamuis id fuerit generaliter prohibitum, quoad vestes sacras, ab Hilario Papa in can. *Vestimenta*, de Consecratione, d. 1. hæc tamen prohibitio non perseuerat in vsu quoad dictas sex vestes, & alias pallas, quæ non tangunt immediatè species. Excepimus res sacras, quæ tangunt immediatè, species vt Corporale (sub quo etiam comprehenduntur Pallæ) & Purificatorij, quamuis non sit benedictum, & pyxis, & quæ consecratæ sunt Chrismatis vnctione, vt Ara, & Agnus Dei cereus, quia non possunt immediatè tangi, nisi à constitutis in Sacris Ordinibus, vt consuetudo ostendit, & deducitur ex dicto can. *In sancta*, & ex alijs multis, de Consec. d. 23. Et ob vtrumque dictum titulum nequeunt immediatè tangi, nisi à prædictis, Calix & Patena, quia scilicet immediatè tangunt Christum, seu species sub quibus Christus continetur, & consecrantur Chrismatis vnctione. Religiosis tamen Minoribus, & etiam nostræ Societatis, quamuis non initiatis, ex priuilegio licet omnia prædicta immediatè tangere, etiam dicta vasa, quando sunt absque Corpore & absque Sanguine Christi: & feminis ex consuetudine licet prædicta, quæ lotione indigent, lauare post primam lotionem leuiter factam à constitutis in sacris. Tactus tamen immediatus dictarum rerum absque contemptu factus, non est mortalis, vt aduertunt communiter Doctores, ob leuitatem materiæ (nisi forsan tactus Calicis & Patenę, quando continẽt Christum) est tamen venialis, vt contra Sotum, in 4. d. 13. q. 2. a. 3. & contra Bartholomæum Angelum §. 321. aduertunt communiter Doctores, nullum tamen erit peccatum, si tactus ex rationabili causa fiat, vt aduertit Ægidius n. 249.

Addimus, prohibitum esse à Gregorio XIII. sub excommunicatione latæ sententiæ, Agnos Dei depingere, inficere, minio notare, aurum vel colorem aliquem imponere, aut tales venales proponere, aut tenere, vt refert Azor lib. 9. cap. 9. Hæc tamen constitutio non est in omnibus locis recepta, ac proinde in eis non obligat.

In fine obseruandum est, præceptum esse à Zacharia Papa in Synodo Romana, & refertur in can. *Nullus Episcopus*, de Consecratione, d. 1. ne Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus temerè (id est absque rationabili causa) præsumat ad Missarum solemnia accedere velato (id est cooperto) capite, aut cum baculo.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm dicenda & agenda sint, quæ in celebratione Missæ ordinantur.

SVpponimus, ea quæ in celebratione Missæ dicuntur & aguntur, esse conuenienter ordinata & instituta, super quibus legi potest S. Thomas quæst. 83. artic. 4. & 5. Bellarminus lib. 2. de Missa, à cap. 16.

Hoc supposito, conueniunt Doctores, omittere aliquid ex his quæ in Officio Missæ dicenda & recitanda ordinantur in Missali, esse peccatū (nisi consuetudine fuerit aliter receptum) & esse aut mortale, aut veniale, pro quantitate materiæ omissæ, non tamen esse repetendum, nisi id possit secre-

to,

tò, & facilè, & absque perturbatione ordinis, & cohærentiæ dicendorum fieri: & addere aliquid ex suo, quod non ordinatur in Missali, etiam esse peccatum, quia vtrumque prohibuit Pius V. in Bulla præfixa in initio Missalis Romani iussu ipsius impressi; quod non est mortale, quando parua aliqua Oratio additur ex deuotione, & non recitatur alta voce coram populo: & prætermittere ordinem celebrandi Missam in Rubricis assignatum pro singulis diebus, non esse peccatum, quia non est sub præcepto, esse tamen indecorum (saltem in diebus solemnibus) & oppositú esse consultius, ac proinde, qui aut ex promissione, aut ex fundatione tenetur celebrare certas Missas, v. g. *de Spiritu sancto, de Passione, de Beata Virgine, & de Requiem*, potest in die, in qua occurrit Festum alicuius Sancti, celebrare Missam de eo, quia id est conforme Rubricis, & cõsulendum, etiamsi oppositum fieri possit. Vnde qui suscepit onus celebrandi triginta Missas S. Gregorij pro defunctis, non tenetur singulas de Requiem celebrare diebus alicuius Sancti.

Pius V.

Obseruandum est, eum, qui tribus personis tres Missas promisit, singulis singulas, eis satisfacere ter celebrando pro illis tribus, non solùm secundùm nostram sententiam, secundùm quam Sacrificium applicatú pluribus non minùs proficit singulis ac si vni tantùm applicaretur, quia tunc magis proficit singulis; sed etiam secundùm sententiã eorum, qui dicunt fructú Sacrificij pluribus applicatum diuidi, quia etiam tunc tantum fructú tradit cuilibet ex illis tribus, ac si pro quolibet seorsim vnam Missam celebraret, quia tunc qualibet celebratione tribuit cuilibet tertiam partem fructus.

Addimus, vt iam communiter Doctores contra non paucos aduertunt, celebrare Missam ante recitationẽ Horarum matutinarum, non esse peccatum mortale, quia non est præceptum præmittendi earum recitationem. Nec huic obstat, quòd in Rubrica 1. de Præparatione Sacerdotis dicitur, Missam celebrandam esse post Horas matutinas; vel quia in ea tantùm est sermo de Officio Missæ in Ecclesijs in quibus Horæ publicè recitantur, vel quia iam desuetudine cessauit obligatio illius. Vnde neque erit peccatum veniale, saltem quando adest aliqualis ratio: quia quod non est contra præceptum, nullo modo est peccatum.

Circa agenda in Officio Missæ conueniunt Doctores, omittere cærimoniam aliquã Missæ ex assignatis in Missali, & aliam non assignatam addere, esse peccatum, quia est contra præceptum Pij V. vbi suprà, & esse mortale aut veniale, pro quantitate materiæ omissæ aut additæ.

Obseruandum est, quòd quamuis antiquitus in can. *Hoc quoque*, de Consecratione, d. 1. præceptum fuerit, vt Sacerdos nonnisi, vt minimùm duobus præsentibus celebret, iam tamen ita derogatum est, vt sufficiat vnus minister qui celebranti administret. Absque eo tamen nullus, quamuis Eremita sit, & nullus, quamuis ipsi instet obligatio audiendi Missam, poterit celebrare, vt contra Sotum docẽt Vasquez, Bonacina, & alij. Imò quamuis instet populo ea obligatio, & quamuis instet necessitas dandi ægroto Viaticum: quamuis sint, qui in his duobus posterioribus casibus oppositum sentiant. Poterit tamen celebrans Missam inceptam absque ministro prosequi, si minister abijt, & expectatus non veniat, vt aduertit Henriquez c. 3. quia quamuis, necessitate vrgente, à Missa incepta desistere possit, defectus tamen ministri non est necessitas vrgens, nec tantæ considerationis, quantæ ad desistẽdum requiritur in can. *Nullus Episcopus*, de Consecratione, d. 1. Minister autem debet esse mas, & non femina, vt decernitur in c. 1. de Cohabitatione Clericorum & mulierum, dum dicitur: *Nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare.* quod seruandum est, quamuis deficiat mas, etiam in casu in quo incepta est Missa, vt aduertunt communiter Doctores, quia etiam in eo potiùs debet sibi respondere, vt facit quando Horas Canonicas recitat, & sibi vt potuerit ministrare, quàm feminam admittere, quia id habet minus indecentiæ. Potest tamen femina, præsertim Monialis, ex loco remoto respondere celebranti, quia id non est prohibitum in dicto canone, vt patet ex verbis ipsius, nec alibi: non tamen ad altare accedere, nec ad illud ministrare, quia in eo canone prohibetur.

Sotus. Vasquez. Bonacina.

Henriquez

DIFFICVLTAS XIII.

Quomodo occurrendum sit defectibus in celebratione Missæ contingentibus.

IN primis, Missa incepta nequit absque graui & vrgente causa relinqui, vt dicitur in can. *Nullus*, de Consecratione, d. 1. quando verò inter celebrandum euenit morbus, aut alia corporalis necessitas, cogens celebrantem vt non perficiat Missam, si consecratio panis non est facta, relinquendum est Officium, & à nullo perficiendum, quia tunc in omissione illius non est incommodum aliquod considerabile: si verò fortè, aut malitia Sacerdotis, aut quia panis non fuit triticeus, & tempore consecrationis non fuit agnitus, non consecretur Hostia, sed tantùm vinum, posteà consecranda est Hostia, vt essentialiter perficiatur Sacrificium, & non est necessarium posteà iterùm aliud vinum post Hostiam consecrare, quia ad perfectionem essentialem Sacrificij non est necessarium, quòd priùs consecretur Hostia quàm vinum, quia consecratione vtriusque, quocumque ordine facta, mactatur mysticè homo Christus separatione mystica Corporis & Sanguinis inter sè ex vi verborum consecrationis facta.

Secundò, quando Sacerdos post consecrationem vnius speciei, aut vtriusque, recordatur se aut non esse ieiunum, aut esse in peccato mortali, aut excommunicatum, tenetur perficere Sacrificium contritione præmissa, si recordetur se esse in peccato mortali: quando verò eorum recordatur ante consecrationem, tenetur desistere à Sacrificio, nisi ob id timeat prudenter, quod grauiter notabitur, quia in casu huius timoris potest progredi contritione præmissa peccati mortalis non confessi, si illud habeat.

Tertiò, si Sacerdos post consecrationem, antequam finiatur Officium, cognoscat defectum consecrationis vini, quia loco vini fuit apposita aqua, aut acetum, aut alia materia insufficiens, si nequeat absque timore prudenti grauis notæ sui, aut grauis perturbationis adstantium, cõsecrare Sanguinem, non tenetur eum consecrare, sed potest absque illius consecratione Missam finire: quia præceptum affirmatiuum perficiendi essentialiter Sacrificium, quamuis sit diuinũ, non obligat cum timore prudente tanti damni. Si verò non sit prædictus timor, perficiendum est essentialiter Sacrificium, conse-

consecrando Sanguinem, vt patet, & non consecrando aliam Hostiam; quando agnoscitur defectus consecrationis vini ante sumptionem Hostiæ consecratæ, in quo Doctores cõueniunt. Et quando agnoscitur post sumptionem Hostiæ consecratæ, quamuis secundùm Rubricam 4. Missalis, de Defectibus vini, à Pontifice traditam, in qua loquitur sequendo sententiã probabiliorem, & non præcipiendo, sit consecranda alia Hostia, & vinum modicissimæ aquæ mixtum, incipiẽdo ab illis verbis, *Qui pridie quàm pateretur*: nihilominùs sufficit, quòd Sacerdos vinum cum modicissima aqua mixtu consecret, non consecrando aliam Hostiam, vt aduertunt Scotus in 4. d. 8. q. 3. Nauarrus c. 25. num. 91. Angelus v. *Missa*, n. 17. Suarez disp. 85. sect. 1. Vasquez & Ægidius quæst. 83. art. 6. & Laymannus tit. 5. cap. 7. Quia quamuis Hostia illa consecrata iam sit sumpta, non minùs perficitur Sacrificium consecratione vini posteà facta, quàm si non fuisset sumpta. Et sufficiet statim vinum aquæ mixtum consecrare, & sumere, nihil aliud, nec verbalem oblationem vini, ad consecrationem ipsius vini præmittendo; quia in Sacrificio Missæ, sicut in Sacramentis, nihil est iterandum; sed quod est omissum, est cautè supplendum. Imò quando omissum est tantùm accidentale, non est supplendum, si peruertendus est ordo in Rubricis assignatus, sed progrediendum est. Nec obstabit, quòd percipiat defectum consecrationis vini post sumptionem aquæ aut alterius materiæ insufficientis, vt posteà consecret vinum, & non ieiunus Sanguinem sumat, quia maioris considerationis est obseruatio præcepti diuini perficiendi essentialiter Sacrificium, quàm obseruatio præcepti Ecclesiastici non sumendi Eucharistiam post fractionem ieiunij naturalis. Imò quamuis materia illa insufficiens, quando agnoscitur, non sit deglutita, sed in ore, non est expuenda, ob indecentiam, & ob periculum expuendi particulam aliquam Hostię sumptæ. Addidimus in principio, *antequam finiatur Officium*, quia si defectus consecrationis vini agnoscatur post absolutum Officium, non est supplendus, quia iam censebitur actio distincta.

Scotus. Nauarrus. Angelus.

Quartò, si animal vel aliud decidat in Calicem, quod venenosum sit, si id contingat ante consecrationem, sumenda est alia materia, & consecranda: si verò contingat post consecrationem, si Sacerdos nequeat absque incommodo, aut periculo salutis, vel vomitus, illud sumere, extrahendum est ex Calice, & abluendum, & posteà comburendum, & cineres simul cum ablutione proijciendi sunt in piscinam, & Sanguis, si possit absque dicto periculo, est à Sacerdote sumendus. Et si nequit absque periculo dicto, seruandus est quousque species corrumpantur, & tunc sunt in piscinam mittendæ, vel potiùs sunt imbibendæ in stupa aut in alia commoda materia, quæ exsiccanda est, & posteà comburenda, & cineres mittendi sunt in piscinam.

Quintò, si Sacerdos prudenter dubitet, aut timeat se omisisse, aut insufficienter pronuntiasse verbum aliquod essentiale consecrationi, verbum omissum repetendum est submisè; vel ipsum solum, si aliud verbum non fuit interiectum, & ferè statim repetatur; vel repetenda sunt omnia verba essentialia, si aliquod verbum fuit interiectum, vel si longum tempus interceßit; sed non sunt repetenda absoluta intentione consecrandi, sed sub ea conditione (saltem mentaliter concepta) *si non protuli*, aut *si non protuli sufficienter*.

Omittimus alios defectus, quia eis facilè potest occurri, Rubricas Missalis obseruando.

DIFFICVLTAS XIV.

Quo pacto pro celebratione Missæ assignandum sit iustum stipendium.

SVpponimus, in quo Catholici conueniunt, ministros altaris posse licitè stipendium aliquod in sui sustentationem accipere: quod supponit Christus Luc. 10. dum Discipulos suos ad prædicandum mittens, dixit: *In eadem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos sunt, dignus est enim operarius mercede sua*. & id etiam supponit Paulus 1. ad Corinth. 9. dum ait: *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: & qui altari deseruiunt, cum altari participant*. Et sanè id est debitum ministro altaris, non tamquam pretium ministerij, quia esset simoniacum, quia ministerium est quid spirituale; sed tamquam stipendium pro vitæ sustentatione, quia dignum est, vt qui in ministerio spirituali in gratiam & bonum alterius occupatur, ab eo sustententur, siue omnino, siue ex parte, magis, aut minùs, pro quantitate occupationis.

Ex quo constat, etiam esse licitum Sacerdotibus diuitibus iustum stipendium accipere pro Missæ celebratione, quia stipendium non accipitur à ministro ad supplendam paupertatem, sed tamquam stipendium ad sustentationem, quia dignus est vt sustententur ab eo in cuius gratiam occupatur.

Et ob eandem rationem etiam Sacerdos, qui aliàs habet beneficium Parochiale, aut Canonicatum, aut aliud beneficium, poterit pro Missæ celebratione stipendium accipere: quia quòd reditus beneficij ei dentur in stipendium ratione aliorum ministeriorum, aut celebrationis aliarum Missarum, non obstat, vt ratione alterius ministerij, aut celebrationis aliarum Missarum, iustum stipendium accipiat.

Stipendium ergo iustum & condignũ pro Missæ celebratione taxandum est iuxta occupationem & laborem, siue communi populi existimatione, siue Romani Pontificis, siue Episcopi, ita vt quamdiu stipendium iudicio Romani Pontificis aut Episcopi non taxatur, communi existimationi populi standum sit: sicut etiam contingit in taxatione pretij rerum quæ pecuniâ æstimantur, quia quamdiu Princeps earum pretium non taxat, communi populi existimationi statur.

Obseruandum tamen est, vt optimè Vasquez *Vasq.* disp. 234. & Suarez d. 85. ita posse stipendium pro *Suar.* celebratione Missæ à Superioribus taxari, vt nequeant nisi intuitu alicuius circumstantiæ extrinsecæ Sacerdotibus prohibere, ne plus accipiant si liberaliter offeratur, neque minùs si ipsi liberaliter sint minore contenti, quia id esset opera virtutis liberalitatis impedire. Nihilominùs in aliquibus Ecclesijs Cathedralibus & collegialibus statutum est ne totum Capitulum interfit Funeri, aut alijs officijs, nisi tanta pecunia detur; quod potest esse honestum ob decentiam Capituli, ne facile pro quauis occasione conuocetur: id tamen non tollit, quò minùs, quando misericordia aut pietas resplendet, non possit gratis aut minori stipendio fieri.

DIF-

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm Sacerdos possit pro vnius Missæ celebratione plura integra stipendia accipere.

Sotus. Canus. SOtus 9. de Iustitia, q. 3. art 1. & Canus 12. de Locis, c. 13. ad 10. docent, Sacerdotem posse tot stipendia pro vna Missa recipere, quot sunt necessaria ad victum moderatum pro ea die, quia ei, qui altari seruit, debitum est stipendium necessarium & sufficiens ad victum saltem moderatum.

Henriq. Nauarra. Aragon. Henriquez lib. 9. cap. 22. Petrus Nauarra 2. de Restitutione cap. 2. n. 33. & Aragonius de Iustitia q. 85. art. 3. docent, pro vna Missa accipi posse stipendia necessaria ad congruam sustentationem diurnam, nempe ad victum, vestitum, & habitationem, quia ei, qui altari seruit, Iure naturali debitum est stipendium necessarium & sufficiens ad congruam sustentationem vitæ.

Corduba. Corduba lib. 1. quæst. 4. dub. 2. refert sententiam quorumdam asserentium, Sacerdotem posse pro vna Missa accipere stipendia necessaria & sufficientia non tantùm ad sui, sed etiam ad suæ familiæ sustentationem, & in hac sententia esse plures recentiores, refert Vasquez disp. 234. num. 14.

Vasquez. Henriquez vbi suprà refert recentiores Thomistas asserentes, posse Sacerdotem pro vna Missa accipere stipendia necessaria & sufficientia, non solùm pro sui & suæ familiæ sustentatione, sed etiam pro soluendis debitis, & pro emendis libris opportunis.

Nauarrus. Vasquez. Suarez. Bonacina. Nauarrus verò in Summa cap. 25. n. 29. Corduba, & Vasquez vbi suprà, Suarez disp. 86. sect. 2. Bonacina punct. 8. docent, Sacerdotem non posse pro vna Missa pluſquam vnum integrum stipendium accipere, quamuis non sufficiat ad victum, & meritò: quia quãuis minister spiritualis dignus sit mercede sua, non tamen omnes eodem modo, sed vnusquisque pro sua occupatione & labore; ita vt qui toto die occupatur in ministerio Ecclesiastico, vt in studendo ad docendum, aut in docendo, aut in administrando Sacramenta, dignus sit integra sui & suæ competentis familiæ sustentatione: ergo Sacerdoti pro occupatione tantùm in vnius Missæ celebratione, non debetur integra sustentatio, quia potest in alijs ministerijs occupari, sed pars aliqua, prout à superioribus fuerit taxatum, & eorum taxatione deficiente, prout communi populi iudicio taxatum fuerit, & eo deficiente, ad arbitrium viri prudentis.

Quòd autem Sacrificium Missæ pro pluribus oblatum, ita singulis prosit ac si pro vno tantùm offeratur, nõ sufficit, vt pro vna Missa possit à pluribus illis plura integra stipendia accipere, quia stipendium non datur pro valore Missæ (quod esset simoniacum) sed tantùm titulo sustentationis; ex eo autem quòd Sacerdos vnam Missam pro pluribus offerat, non eget maiori sustentatione, quàm si pro vno tantùm offerret. Nihilominùs ex hoc, quòd Sacrificium pro pluribus oblatum prosit singulis, ac si pro vno tantùm offerretur, credimus (excepta iniustitia stipendi;) vna Missa satisfieri pluribus petentibus vnam Missam, quia, vt aduertit Ægidius art. 1. dub. 10. non est alia obligatio in Sacerdote, quàm applicandi petenti Missam, fructum ex opere operato, seu ex institutione Christi, qui non minùs obuenit singulis, quàm si vni tantùm applicaretur; & non est obligatio applicandi fructum ex opere operantis, nempe orationum & precum, & aliarum actionum Missæ (qui minùs obuenit singulis) quia qui ea exercet ex malo fine, qua ratione nullum habent fructum, etiam satisfacit petenti Missam.

Id verò quod nonnulli dicunt (vt Vasquez refert) nempe posse Sacerdotem, quando celebrat, suspendere applicationem Sacrificij; & posteà illud applicare ei personæ pro qua id fuerit posteà petitum, & consequenter, posse pro ea Missa posteà applicata stipendium accipere, falsum est, vt aduertunt Vasquez & Corduba, quia Sacrificium, vtpote instar Sacramenti institutum, statim ac perficitur, habet suum peculiarem effectum, sicut Sacramenta, ita vt in potestate Sacerdotis non sit illum suspendere; sicut nec in potestate ministri Sacramentorum est, effectum eorum suspendere. Poterit tamen Sacerdos, vt aduertunt Vasquez & Corduba, quando celebrat, applicare Missam ei pro quo posteà petendum est, & ita poterit pro ea stipendium accipere, dummodò is, pro quo postulatur quando Missa fuit applicata, fuerit in eo statu, in quo is, qui postulat, desiderat applicari, v. g. si pro defuncto postulatur, & erat iam defunctus quando Missa applicatur.

Vasquez. Corduba.

Vasquez. Corduba.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm Sacerdotes obligati sint ad offerendum Missam pro alijs.

COnueniunt Doctores Primò, Sacerdotes non obligari ratione Sacerdotij ad offerendam Missam pro alijs, vt patet; obligari tamen ratione stipendij aut Capellaniæ ad id institutæ: & hanc obligationem esse ex iustitia, non quia constituatur æqualitas inter Missam & stipendium aut redditum, sed quia stipendium aut redditus non datur absolutè, sed ob causam, aut sub conditione; deficiente autem causa aut conditione, id quod sub hac aut ob illam datur, nequit absque iniustitia retineri.

Conueniunt Secundò, beneficiarios, non habentes curam animarum, non obligari ex vi beneficij ad offerendam Missam pro alijs, quia quamuis aliqua beneficia non parochialia instituta sint pro administratione Sacramentorum, nullum tamen eorum institutum est ad offerendam missam pro alijs.

Est tamen difficultas de Parochis, An teneantur Missam offerre pro parochianis.

Sotus. Sotus lib. 9. de Iustitia, quæst. 3. art. 1. docet, Parochos teneri per se aut per alterum pro suis parochianis Missam offerre, si fructus beneficij ad vitæ sustentationem sufficiant: si verò non sufficiant, teneri pro quantitate beneficij ter aut quater in hebdomada, quia ius ad decimas & ad fructus beneficij institutum videtur, non solùm vt Parochus populo Sacramenta ministret, sed etiam vt pro populo fungatur officio proprio Sacerdotis, hoc autem, vt Paulus ad Hebræos 5. ait, est offerre Sacrificium pro populo.

Maior. Nauarrus. Vasquez. Suarez. Ægidius. Layman. Maior verò in 4. d. 45. q. 2. Nauarrus c. 27. n. 91. Vasquez disp. 234. cap. 4. Suarez disp. 86. sect. 1. Ægidius ar. 1. du. 11. & Laymannus c. 3. docent, Parochum ex vi beneficij parochialis non teneri ad offeren-

offerendum Missam pro populo, & meritò: quia obligatio Parochi ad id nullo Iure scripto nec consuetudine introducto probari potest, nec ex institutione beneficij parochialis deducitur, quia ex hac tantùm deducitur obligatio Parochi ad celebrandum Missam, vt populus eam audiat. Vnde, vt aduertunt Corduba & Vasquez, standum est consuetudini, & statutis Synodalibus cuiuscumque diœcesis.

Corduba. Vasquez.

Ad rationem ergo Soti negamus, beneficium parochiale ad id institui, sed vt Parochus populo Sacramenta ministret, illumque doceat, & coram eo Missam & alia officia diuina celebret, non verò vt pro illo Missam offerat, quamuis officium Sacerdotis sit offerre Sacrificium pro his pro quibus voluerit; Parochus enim ex vi sui beneficij non tenetur ad omne id quod ei conuenit ratione Sacerdotij.

DIFFICVLTAS XVII.

Quo pacto se debeat gerere Sacerdos in distributione stipendiorum sibi collatorum pro Missarum celebratione.

COntingit, vt Sacerdoti pro celebratione Missarum conferatur maius stipendium, quàm iuxta statutum Synodale aut consuetudinem conferri solet.

Est ergo difficultas, An iste, qui non vult aut non potest dictas Missas celebrare, possit illas alijs commendare, non tribuendo illis nisi consueta stipendia, sibi reseruando residuum.

Nauarrus. Corduba.

Nauarrus cap. 25. nu. 91. & Corduba lib. 1. q. 4. dub. 5. docent, non posse, nisi habeat ex officio pro Missis celebrandis stipendia congerere, & congregare, & illa distribuere: quod absolutè absque dicta limitatione tradit Maior in 4. dist. 45. q. 3. dub. 3. Probari autem potest Primò, quia si is, qui stipendia accipit, id non habeat ex officio, nullo titulo accipere potest residuum illud. Secundò, quia alias, quamuis numquam pro alijs celebret, posset fieri diues. Tertiò, quia Sacerdos ille contra voluntatem eorum, qui stipendia excedentia contulerunt, retinet illud quod super est.

Maior.

Sotus. Suarez. Bonacina.

Sotus 9. de Iustitia q. 3. ar. 1. Suarez dis. 86. sect. 3. & Bonacina punct. 8. absolutè absque vlla limitatione docent, posse. Primò, quia Sacerdos ille in retentione residui nulli facit iniuriam, quia non alteri Sacerdoti cui Missam commendat, quia illi iustum stipendium confert; nec illi qui maius stipendium contulit, quia pro eo offertur Missa eiusdem valoris ab illo alio Sacerdote. Secundò, quia Sacerdos ille maiora stipendia accipiens, factus est dominus illorum sub obligatione celebrandi pro conferente illa; huic autem obligationi satisfacit Missam celebrando per alium, & huic satisfacit ipsi conferendo iustum stipendium. Tertiò, quia habentes Capellanias, satisfaciunt dicendo Missas per alios, his conferendo consueta stipendia, ergo.

Vasquez verò disp. 234. cap. 4. docet, & meritò, primò, eum, qui ex peculiari officio ad hoc destinatus colligit & distribuit stipendia Missarum, posse ex residuo illo stipendiorum aliquid sibi reseruare, quia sollicitudo in illis colligendis & distribuendis est pretio aliquo æstimabilis; id tamen debere esse exiguum, quia dictum officium est exiguæ sollicitudinis.

Secundò docet, eum Sacerdotem, qui ex officio peculiari non est ad id destinatus, si maiora illa stipendia ipsi tribuantur, non vt ipse eam celebret, sed vt alijs ad celebrandū distribuat (quod, quando aliàs non constet, poterit ex circumstantijs decerni) tunc nihil excessus posse sibi retinere, aliàs ille Sacerdos illis alijs, quibus distribuit, irrogaret iniuriam; non quia illis non tribueret iustum stipendium, sed quia illis non conferret totum, quod aliàs ex voluntate domini ad illos pertineret; et quo constat ad primam rationem pro Soto, Suarez, & Bonacina. Si verò maiora illa stipendia illi tribuantur vt ipse Missas celebret, tunc eum posse sibi excessum retinere titulo liberalis donationis sibi à domino factæ: & quidem tunc in retentione illius nulli facit iniuriam, quia non Sacerdoti cui distribuit, quia illi tribuit stipendium iustum, & nihil, quod ad illum ex voluntate domini pertineat, sibi retinet; nec domino stipendia illa maiora tribuenti, quia quamuis Missa magis prosit ei qui maiora stipendia tribuit, quia magis inducit ad celebrandum, ei tamen non minùs prodest ex eo quòd Sacerdos, cui ipse contulit maiora stipendia, sibi retineat excessum, quia dominus iam totum illud dedit, vt pro ipso Sacrificium offeratur, & ita non minùs cooperatur ad illud; ex quo patet ad rationes pro Nauarro, Corduba & Maiore.

Ad secundam verò rationem pro Soto, Suarez & Bonacina concedimus, Sacerdotem illum, etiam in priori casu secundæ partis nostræ sententiæ, acquisiuisse dominium eorum stipendiorum excedentium, non tamen absque obligatione & onere dandi illa integra celebranti, quia sic voluit dominus stipendiorum.

Ad tertiam rationem respondemus, Capellanos ex præsumpta voluntate instituentis Capellanias, posse sibi excessum illum retinere.

DIS-

DISPVTATIO V.

De præcepto audiendi Missam.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm baptizati teneantur Missam audire.

CONVENIVNT Primò Theologi, esse præceptum, quo baptizati Missam audire tenentur diebus Dominicis & Festis: & id constat ex can. *Missas*, de Consecratione, dist. 1. consensu vniuersalis Ecclesiæ recepto: vbi, quamuis tantùm fiat mentio diei Dominici, sub eo tamen quodlibet Festum obseruandum comprehenditur, quia ad id instituitur dies Festus, vt scilicet obseruetur sicut dies Dominicus. Et quamuis in eo canone præceptum tantùm dirigatur ad sæculares, consensu tamen & praxi Ecclesiæ extensum est ad omnes. Sed quamuis certum sit, esse dictum præceptum; id tamen non est de fide (vt nonnulli falsò dixerunt) quia Deus id non reuelauit.

Dicto tamen præcepto non tenentur pueri ante vsum rationis, nec perpetuò amentes, quia sunt incapaces præcepti & prohibitionis: amentes verò, qui post vsum rationis semel habitum in amentiam inciderunt, & in ea perseuerant, quamuis eo præcepto in actu primo obligentur, excusantur tamen ab eo, quia nequeunt humano modo Missæ assistere.

Suarez. Ægidius. Layman.

Addunt Suarez disp. 88. sect. 4. Ægidius q. 83. art. 6. dub. circa illum, & Laymannus l. 4. tract. 7. cap. 3. pueros non teneri præcepto audiendi Missam (& idem est de alijs præceptis, saltem humanis) ante vsum rationis perfectum, ita vt possint mortaliter peccare: quod nos difficile existimamus; imò credimus, vt eo præcepto teneantur, sufficere vsum rationis imperfectum sufficientem ad peccandum venialiter, sicut etiam sufficit vt teneantur præcepto non occidendi, & non mentiendi, etiamsi nullius transgressione peccent mortaliter; quia à culpa mortali excusantur ob imperfectionem deliberationis.

Addimus, transeuntes per oppidum in quo obseruatur Festum aliquod peculiare, non teneri Missam audire: imò non teneri, quamuis in eo oppido hospitentur per aliquot dies, quia ad id tantùm tenentur qui pertinent ad illud oppidum, seu ad parochiam illius, & ad illam tantùm pertinent qui habent domicilium, aut quasi domicilium. Et etiam non teneri audire Missam absentes à suo oppido, seu à territorio, seu à limitibus sui oppidi, in quo est Festum particulare, quia præceptum audiendi Missam, & ieiunandi, & similia, sunt annexa territorio. Et etiam non teneri, qui in die festo sui oppidi exit, & futurus est extra territorium, seu limites sui oppidi, tempore in quo posset impleri præceptum, quia tantùm tenemur præuenire impletionem præcepti, quando, manente vi seu obligatione præcepti, impediendi sumus ab impletione illius, non verò quando intra tempus, in quo posset impleri, non mansuri sumus subditi & obligati præcepto; de qua re nonnihil dicimus Tractatu de Censuris in communi, & legendi sunt Sancius lib. 3. de Matrimonio disp. 8. & Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 7. & 8.

Sancius. Lessius.

Conueniunt Secundò Theologi, dictum præceptum esse purè & simpliciter Ecclesiasticum, non diuinum, neque naturale; ac proinde Romanum Pontificem posse in eo dispensare.

Nomine autem audiendi Missam, quod præcepto seu Iure Ecclesiastico præcipitur, intelligitur assistentia corporalis & moralis, qua quis corporaliter & humano modo assistat seu adsit Missæ, vel audiendo vel videndo celebrantem, vel saltem ita comitando seu sociando alios videntes aut audientes, quamuis sit extra Ecclesiam (vt contingit, quando locus, in quo Missa celebratur, non capit multitudinem confluentem ad audiendam Missam) vt ex signis & gestu aliqua Missæ colligere possit, & ad multitudinem assistentium censeatur moraliter pertinere. Et nomine Missæ quæ præcipitur audiri, intelligitur non Missa sicca, qualis solet in mari dici, quia hæc non est vera Missa, sed tantùm intelligitur Missa in qua vera fit consecratio; ex cuius defectu officium, quod fit in Feria sexta Maioris hebdomadæ, non est Missa, quia scilicet in eo non fit consecratio; ac proinde non est obligatio ei assistendi, quamuis in ea Feria contingat Festum obseruandum. Intelligitur ergo Missa in qua fit vera consecratio, quocumque ritu permisso à Romano Pontifice celebrata, siue Latinorum, siue Græcorum, siue Syriorum, siue Mozarabum; quia dicto præcepto tantùm præcipitur auditio veræ Missæ, & quæcumque non sicca, ex dictis est vera Missa.

Conueniunt Tertiò Theologi contra Angelum v. *Feriæ* num. 42. omissionem audiendi Missam esse ex suo obiecto grauem seu mortalem, quia auditio Missæ est res grauis & notabilis, ac proinde omissio totius Missæ est grauis & notabilis; omissio verò partis Missæ erit mortalis aut venialis, pro grauitate aut leuitate partis omissæ: conducit autem ad grauitatem maior dignitas partis omissæ.

Vnde omissio Missæ ab initio vsque ad oblationem verbalem inclusiuè, seu iam factam, erit mortalis, quia est omissio partis grauis: omissio verò vsque ad Euangelium inclusiuè, seu iam dictum, si ab eo iam dicto assistatur vsque in finem, non erit mortalis, quia omissio hæc non videtur attingere grauitatem, nec omissio partis restantis post sumptionem Eucharistiæ est mortalis: imò neq; omissio huius partis simul cum omissione initij vsque ad Epistolam exclusiuè, seu nondum dictam, dum assistatur omni intermedio. Omissio verò partis Missæ à consecratione inclusiuè vsque ad *Pater noster*, etiam exclusiuè, est mortalis, ob dignitatem huius partis, non tamen omissio solius consecrationis, quamuis totius: benè tamen omissio totius consecrationis & sumptionis, quamuis assistatur intermedio ob dignitatē harum duarum partium; non tamen omissio ipsius *memento*, etiamsi Sacerdos per duas horas in eo detineatur, imò tunc satisfaciet quis absque vllo peccato, si assistat ipsi *memento* tempore consueto, non ampliùs ei parti assistendo.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam sit necessaria attentio interna ad Missam.

Suarez. Azor. Reginald. Bonacina.

SVarez disp. 88. sect. 3. Azor lib. 7. cap. 5. q. 2. Reginaldus lib. 19. cap. 2. quæst. 1. & Bonacina disp. 4. quæst. vlt. puncto 11. docent, necessariam esse attentionem interiorem, quia Ecclesia non tantùm præcipit assistentiam exteriorem, sed etiam interiorem assistentiam, seu attentionem ad Missam, aut ad alias res diuinas.

Silvester. Ægidius.

Silvester verò v. *Missa.* 2. q. 6. Ægidius q. 83. num. 302. docent, non esse necessariam; ac proinde exteriùs assistentem Missæ, quamuis interiùs liberè distractum, satisfacere præcepto audiendi Missam (quod probabile existimat Laymannus lib. 4. tit. 7. cap. 3.) & meritò: quia Ecclesia, à qua sola præcipitur auditio Missæ, nequit actum aliquem internum præcipere (nisi per accidens & indirectè, & secundariò eum actum interiorem, qui necessarius sit ad exercendum exteriorem quem præcipit) quia nequit de actu interiore, nec de eius omissione cognoscere & iudicare, nec illum nec eius omissionem punire.

Layman.

Vnde qui liberè interiùs distractus, & mente liberè vagans ad alia, assistit Missæ, quamuis fortè peccet venialiter contra Ius naturale religionis, quia id fortè sit contra reuerentiam Deo debitam, satisfacit tamen præcepto audiendi Missam, si humano modo exteriori assistit, id est, si assistit non distractus exteriùs, seu non occupatus exteriore occupatione moraliter incompossibili, seu difficillimè compossibili cum attentione interiori ad celebrationem Missæ, & ad alias res diuinas, quia eo præcepto non præcipitur attentio interior: si verò assistat, etiam absque modo exteriori humano, non satisfacit dicto præcepto, quia eo præcipitur assistentia exterior humana, id est moraliter compossibilis cum attentione interiori: ac proinde, qui assistit celebrationi Missæ simul scribendo aut docendo, nō satisfacit præcepto audiendi Missam, & multò minùs qui assistit dormiendo, quia non solùm dormiens non assistit modo exteriori humano, vt patet, sed nec scribens nec docens: quia neuter potest moraliter ad Missam nec ad alias res diuinas attendere: & etiam qui dum Missæ exteriùs assistunt, confabulantur profundè, aut huc & illuc circumspiciunt, non satisfaciunt præcepto audiendi Missam, quia non possunt moraliter ad Missam, nec ad alias res diuinas attendere interiùs: satisfaciunt tamen, qui dum assistunt, se vestiunt, quia facilè possunt ad Missam vel ad alias res diuinas interiùs attendere: & etiam qui dum assistit Missæ, recitat aut Rosarium, aut Horas Canonicas; imò & qui eas legit, quia etiam potest interiùs attendere ad Missam, vel saltem ad alias res diuinas, quod etiam sufficit ad satisfaciendū præcepto audiendi Missam, & simul etiam satisfaciet voto aut præcepto Ecclesiæ recitandi Horas, & voto aut præcepto Confessarij recitandi Rosarium aut aliam orationem, quia audire Missam, non est moraliter incompossibile cum attentione interiori ad recitationem, vel saltem ad alias res diuinas, quod sufficit.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm qui audit Missam absque intentione satisfaciendi præcepto, ipsi satisfaciat.

MEdina Cod. de Oratione, quæst. 16. Petrus Ledesma in Summa c. 27. post conclusionem 10. & Nugnus quæst. 83. art. 6. dub. 2. docent, eum, qui audit Missam absque intentione satisfaciendi præcepto (vt si audiat Missam, ignorans esse diem festum) non satisfacere præcepto, quia eo præcepto præcipitur actus obedientiæ, quem non exercet ille qui non intendit implere præceptum.

Suarez verò disp. 88. sect. 3. Ægidius quæst. 83. art. 6. dub. vnico, Azorius lib. 7. cap. 2. quæst. 6. Bonacina punct. 11. Vasquez 1. 2. quæst. 100. art. 9. Sancius in Summa lib. 1. cap. 13. Valentia 2. 2. disp. 6. quæst. 2. puncto vltimo, Lessius lib. 2. c. 37. dub. 10. & communiter Doctores docent, eum satisfacere præcepto audiendi Missam, & meritò: quia verè & humano modo facit quod sibi præcipitur, ac proinde actum obedientiæ, quamuis non formalem, sed tantùm materialem, qui solus sibi præcipitur.

Addimus, vt contra Azor, Medinam, & plures alios aduertunt Suarez, Valētia, Vasquez, Sancius, Ægidius, Lessius & Bonacina, eū satisfacere præcepto audiendi Missam, quamuis eam audiat animo expresso non satisfaciendi præcepto auditione illius Missæ: quia ex vna parte verè & humano modo facit quod sibi præcipitur, & ex altera eo animo non prorogat sibi oblgationem præcepti, quia non potest, sicut nec de nouo illam sibi imponere, quia non est sibi superior: nihilominùs quia potest quis sua voluntate conferre gratis alteri pecunias, & alias res suas, quia est earū dominus, ideò debitor, qui suo creditori confert pecunias, aut alias res animo liberali, nollens illis soluere debitum, manet obligatus ad postea soluendum debitum, si creditor acceptauit donationem.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm qui audit integram Missam, audiendo partem Missæ vnius Sacerdotis, & postea partem Missæ alterius Sacerdotis, satisfaciat præcepto audiendi Missam.

MAior in 4. dist. 12. & 45. quæst. 2. Sonas dist. 13. quæst. 2. art. 1. Nauarrus cap. 21. num. 2. Medina in Summa lib. 1. cap. 14. §. 9. Suarez sect. 2. Ægidius art. 6. Reginaldus lib. 19. num. 26. Bonacina punct. 11. num. 13. & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ille verè audit integram Missam (quamuis non vnam, sed partes duarum) quod tantùm præcipitur. Et idem est ob eamdem rationem, si audiat integram Missam, audiendo tres partes Missarum trium Sacerdotum.

Addit Bonacina, eum, qui audit integram Missam, audiendo simul duas partes Missarum duorum Sacerdotum, etiam satisfacere præcepto audiendi Missam, & non absque ratione; quia ex

vna

vna parte potest quis simul audire duas (imò & tres) Missas, & consequenter etiam duas partes duarum Missarum, & ex altera eas partes audiendo audit integram Missam.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm qui audit Missam extra propriam parochiam, satisfaciat præcepto audiendi Missam.

CIrca hanc difficultatem conueniunt Doctores, fideles satisfacere præcepto audiendi Missam, eam audiendo in quocumque loco, in quo id non fuerit specialiter cautum: quia etiamsi olim varia fuerint Iura, quibus præcipiebatur fidelibus Missam in proprijs parochijs audire; iam tamen contraria consuetudine vniuersalis Ecclesiæ abrogata sunt.

Addimus, etiam satisfacere præcepto audiendi Missam, qui audit Missam priuatam, non solemnem, seu maiorem, & qui audit Missam, quamuis non de tempore, sed votiuam, & etiam pro defunctis, quia circa hæc nihil speciale definitur nec præcipitur in Iure, & quælibet ex his est vera Missa.

DIFFICVLTAS VI.

Quibus de causis baptizati excusentur ab auditione Missæ in die festo.

COnueniunt Doctores, eos excusari ab audiendo Missam in die præcepti, qui sine graui seu considerabili suo aut alieno incommodo nequeunt Missam audire, quia euitatio incommodi grauis, adhuc alieni, maioris ponderis est quàm obseruatio dicti præcepti.

Vnde excusantur mater, aut nutrix, aut famula, quæ nequit puerum ad Ecclesiam ferre absq; prudente timore perturbationis, aut molestiæ considerabilis celebrantis, aut adstantium, nec illum domi relinquere absque prudente timore alicuius damni considerabilis: & pastores, qui absque prudente timore grauis damni aut periculi gregis nequeunt Missam audire: & qui non potest domo securus exire: & famulus, & vxor timentes rixas aut verbera, si Missam adeant: & femina honesta, quæ caret veste sibi conueniente, & si absque ea exeat, graui pudore afficietur: & femina ex occulta fornicatione prægnans, ne se prodat, vel ne pudore afficiatur: & famula, quæ in oppido, vbi vna tantùm celebratur Missa, remanet domi, quia necessaria est ad custodiendam domum, vel ad cibos parandos: & iter agens, qui si audiat Missam, amittet socios necessarios ad iter peragendum, vel quia viam ignorat, vel quia timet latrones: & qui, si audit Missam, negotium prætermittet, quod absque graui incommodo differre nequit; & ex hoc titulo excusantur cursores, & nautæ, & muliones, qui nequeunt immorari in audienda Missa absque grauibus expensis.

Conueniunt Secundò Doctores, excusari illos, qui impediti sunt Missam audire: quia nemo obligatur ad id quod non potest. Vnde excusatur incarceratus in carcere in quo non celebratur Missa, & etiam qui est excommunicatus, aut personaliter interdictus: & etiam ille, qui quando est interdictum locale, nequit audire locum Missæ distantem non interdictum, absque considerabili incommodo, attenta ratione loci, & temporis, & personæ: & idem est, quando quis absque interdicto loci inuenitur ita distans à loco Missæ, vt habita ratione loci, & temporis, & personæ nequeat absq; simili incommodo locum Missæ adire. Excusatur autem incarceratus, & modo dicto censura innodatus, quamuis facilè possit absolutionem acquirere, & à carcere liberari (vt diximus Tractatu de Excommunicatione, disp. 5. n. 4.) quia obseruatio præcepti Missæ non est tanti momenti, vt obliget ad tam remotam dispositionem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi Missam: & ob eamdem rationem interdictus non tenetur acquirere priuilegium audiendi Missam, si tamen illud acquirat, aut anteà habeat, tenetur Missam audire, vt dicimus Tractatu de Interdicto, num. 21. & etiam excusatur infirmus, qui nequit commodè Ecclesiam adire, aut absque prudente timore damni considerabilis in salute, aut retardandi conualescentiam: imò etiam qui assistit grauiter infirmo, si infirmus ope illius egeat, aut si timeatur mœrore afficiendus, si deseratur: quod etiam reduci potest ad primum titulum, seu ad primam causam excusandi ab auditione Missæ.

Conueniunt Tertiò Doctores, ob consuetudinem regionis posse aliquem excusari, quia consuetudo non minùs potest præceptum & legem abrogare, quàm inducere, imò illud potest faciliùs. Vnde excusatur vidua, quæ mortuo marito, ad certum tempus non exit domo, vbi hæc consuetudo viget: & etiam excusatur puella nobilis, quæ non consueuit, aut non permittitur Missam audire, donec nuptui tradatur, vbi etiam hæc consuetudo viget: & etiam excusantur feminæ, quæ post partum domi se continent, vbi etiam consuetudo viget; id tamen non est faciendum intentione seruandi ritum Mosaicum purificationis.

TRACTATVS DE ORDINE.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Ordo.

CIRCA prius, nomen *Ordo*, quòd variè accipitur, per antonomasiam & appropriationem quamdam significat certum quemdam gradú & statum eorum, qui ad certa officia Ecclesiastica consecrãtur. Ordo ergo dicto nomine per antonomasiá significatus, est gradus eminens in Ecclesia Dei, quo supra laicos ascenditur ad officium aliquod Ecclesiasticum, ordinatum ad Sacrificium Missę peragendum, sacro seu Ecclesiastico ritu collatus, & stabilis pro vita initiati.

Circa posterius hæretici nostri temporis tenent, in Ecclesia tantùm esse tres ordines, nempe *Episcopatus, Presbyteratus*, & *Diaconatus:* & reliqua officia quæ sunt in Ecclesia, nõ esse Ordines Ecclesiasticos, quia tantùm in tribus prædictis conueniunt generaliter Patres; & reliqua, excepto officio Exorcistæ, possunt à laicis non consecratis exerceri.

Catholici tamen conueniunt, in Ecclesia esse septẽ Ordines Ecclesiasticos, nempe *Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus*, & *Presbyteratus*: quorum mentionem faciunt Clemens Epist. 2. ad fratrẽ Domini, Ignatius Epist. ad Antioch. Cornelius Papa ad Fabianum Antioch. & Caius Epist. ad Felicem: & quoad ordines *Presbyteratus* & *Diaconatus* constat ex Scriptura, vt posteà videbimus; & quoad omnes prædictos definitur in Tridentino sess. 23. c. 2.

Clement. Ignatius. Corn. Pap. Caius.

Trident.

Et quoad eos omnes constat ratione: quia omnes septem sunt gradus eminentes, quibus in Ecclesia supra laicos ascenditur ad officia Ecclesiastica, ad Sacrificiú Missæ ordinata ritu Ecclesiastico stabiliter collati; ergo. Et in primis, quòd eis omnibus ascendatur ad officia ordinata ad Sacrificiú Missæ, constat: quia officium Presbyteri immediatè ordinatur ad Sacrificium Missæ conficiendú; & officia Diaconi & Subdiaconi, ad assistendú & ministrandum in altari Presbytero sacrificanti; & officium Acolythi, ad subministrandum ampullas, & cereos deferendos; & officium Exorcistæ, ad expellendos dæmones ab obsessis, quo apti redduntur vt Sacrificio Missæ intersint; & officiú Lectoris, ad legendum sacram Scripturam, vt media lectione excitet animas assistentium, vt debita reuerentia Sacrificio Missæ assistant; & officium Ostiarij, vt solos dignos ad assistendum admittat. Deinde quòd omnes septem prædicti gradus ritu Ecclesiastico stabiliter pro vita initiati conferantur, constat, & patet.

Quòd verò nonnulli ex Patribus nõ numerent omnes prædictos Ordines, nõ fauet hæreticis; quia qui aliquos numerant omittentes reliquos, non intendunt omnes Ordines Ecclesiasticos numerare: & non desunt Patres, qui omnes septẽ numerent. Quòd verò officia minorum Ordinum, excepto Exorcistæ, iam etiã exerceantur à merè laicis, prouenit, quia sæpè desunt ordinati qui illa possint commodè obire, & non quia potestas ritè concessa ad eorum actus non sit Ordo Ecclesiasticus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Ordines Ecclesiastici sint plures, quàm dicti septem.

MAior in 4. d. 24. q. 1. Caietanus to. 1. Opusc. tract. 11. Altisiodorensis l. 4. Summę tract. 8. q. 1. Eckius Homil. de Ordin. Angelus v. *Ordo* 1. n. 1. & nonnulli alij apud Valentiam disp. 9. q. 1. pun. 2. Sebastianus Cæsar q. 3. Proœm. & nonnulli alij Canonistæ apud Nauarrum c. 22. n. 18. & plures alij, docent, Ordines Ecclesiasticos esse plures quàm dictos septem. Auctores tamẽ huius sententiæ non conueniunt in assignando numerum, vel in assignando Ordinem vel ordines præter dictos septem: quia alij existimant, Ordines Ecclesiasticos esse octo, & ex his Doctoribus quidam dictis septem addunt *primam tonsuram*; quidam verò *Episcopatum*. Alij verò existimant, Ordines Ecclesiasticos esse nouem, & ex his Doctoribus quidam dictis septẽ addunt *Episcopatum* & *Archiepiscopatum*, quidam verò *primam tonsurã* & *Episcopatum*. Alij existimant esse decem, & dictis septem addunt *primam tonsuram, officium Cantoris*, & *Episcopatum*.

Et in primis, quòd *prima tonsura* sit Ordo Ecclesiasticus, indicatur in cap. *Cum contingat*, de Ætate & qualitate ordinandorum, dum prima tonsura appellatur ordo Clericatus, & ex Motu proprio Sixti V. edito anno 1588. contra malè promotos, vbi primam tonsuram appellat characterem clericalem. Deinde quòd officium Cantoris in Ecclesia sit etiã Ordo, constare videtur ex eo, quòd in Pontificali Romano ponitur ordinatio Psalmistæ seu Cantoris, & distincta ab alijs ordinationibus. Ratione quoque probari videtur, quia officium Cantoris in Ecclesia est gradus quidam, quo quis in Ecclesia constituitur supra laicos ad psallendum; imò & supra prima tonsura initiatos, & qui ritu Ecclesiastico conferri potest, vt patet ex Pontificali Romano. Et tandem quòd Episcopatus sit Ordo Ecclesiasticus, constabit ex Difficultate sequenti.

S. Thomas verò in Supplemento q. 32. art. 2. Vasquez d. 240. c. 5. Ægidius d. 20. du. 2. Reginaldus lib 3. cap. 1. Adamus disp. 7. q. 2. dub. 2. & iam communiter Doctores docent, & meritò, tantùm esse prædictos septẽ Ordines Ecclesiasticos. Quod non leuiter indicat Tridentinum sess. 23. c. 2. dum definit, septem esse Ordines Ecclesiasticos, & prædictos assignans, & enumerans: quia cùm ibi dogmaticè

mati cè loquatur contra hæreticos, qui aliquos Ordines ex dictis septem admittebant, & aliquos negabant, diminutam doctrinâ traderet, non numerando omnes. Quod etiam constat, discurrendo per omnia alia officia, quibus ratio ordinis conuenire videtur.

Trident. Et in primis, quòd prima tonsura non sit Ordo Ecclesiasticus, supponit Tridentinum vbi suprà, dum, postquâ dixit, plures esse in Ecclesia Dei ministrorum ordines qui Sacerdotio deseruiunt, subdit, ita illos esse distributos, vt qui iam clericali tõsura insigniti sunt, per minores ad maiores ascendant. vbi supponit, primam tonsuram præsupponi ad Ordines minores & maiores. Et ratione constat, quia prima tonsura non est potestas ad ministrandum & deseruiendũ in Sacrificio Missæ, ad quod omnes Ordines Ecclesiastici instituti sunt, vt indicat Tridentinum sess. 23. c. 1. & 2. & ex se patet, sed *Trident.* tantùm est destinatio & deputatio, qua quis tamquam aptus deputatur, vt possit ascendere ad gradum & ordinem Ecclesiasticũ, ob quod à Sixto V. *Sixtus V.* dicitur character clericalis, sed non dicitur Sacramentalis: ergo non est Ordo Ecclesiasticus, etiamsi ex eo, quòd sit destinatio vt quis possit ordinari, sit aliquo modo gradus eminẽs in Ecclesia supra alios fideles; & ob id prima tonsura in dicto c. *Cum contingat*, dicitur Ordo clericalis, sumptus iste pro statu clericali, & pro dicto aliquali gradu; & in eo sẽsu collatio illius in pontificali dicitur ordinatio.

Quòd verò officium cantandi in Ecclesia non sit nunc Ordo Ecclesiasticus, constat ex eo, quòd nunc, si confertur, nõ conferatur ritu Ecclesiastico, sed tantùm quibusdã verbis, vt ex Pontificali constat, neque stabili modo. Et quòd neq; nunc neque antiquitus fuerit Ordo Ecclesiasticus, constat ex eo, quòd non sit potestas aliqua ad deseruiendũ Missæ Sacrificio, sed tantùm ad canendum in choro; & ideò in Pontificali, quamuis collatio officiorum ab officio Episcopi, vsque ad officium Ostiarij appelletur ordinatio, non verò collatio officij Cantoris: *Clemens.* à Clemente autem Romano lib. 3. Constit. Apost. cap. 11. & can. 27. Apostolorum, collatio officij Cantoris dicitur ordinatio latè, quia erat collatio officij Ecclesiastici, & forsan fiebat ritu Ecclesiastico, & modo stabili.

Et quòd officium laborantium, seu fossariorum, & sepelientium mortuos, non sit Ordo Ecclesiasticus, certum est: quia modò non confertur ritu Ecclesiastico, neq; stabili modo. Et quòd neq; modò neq; antiquitus fuerit, constat; quia non est neq; fuit potestas aliqua ad deseruiendũ Sacrificio Missæ.

Et tandem, quòd nullum aliud officiũ Ecclesiasticũ sit neq; fuerit Ordo Ecclesiasticus, probatur, quia nullum aliud officium Ecclesiasticum est, neq; constat fuisse potestas ad deseruiendum Sacrificio Missæ, neque confertur, neque constat fuisse collatum ritu aliquo Ecclesiastico, neque stabili modo.

Potestas verò Sacerdotis ad absoluendum à peccatis, non tam est Ordo, quàm iurisdictio; quia non est in ordine ad Sacrificium Missæ. Dici tamen potest Ordo reductiuè, quia est potestas annexa ordini Sacerdotij ad consecrandum Corpus & Sanguinem Christi, & eum Ordinem supponens; & ob eamdem rationẽ potestas ordinaria conficiendi reliqua Sacramenta, excepto Ordine & Matrimonio, dici potest Ordo reductiuè: quia etiam supponit Ordinem ad consecrandum Corpus & Sanguinem Christi, & ei annectitur.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Episcopatus sit Ordo Ecclesiasticus.

SVpponimus contra hæreticos, Episcopatum esse distinctum à simplici Sacerdotio, saltem tamquam includentem ab incluso: imò & Iure diuino, vt dicemus Difficultate sequenti.

Est tamen difficultas, An Episcopatus, prout à Sacerdotio simplici distinctus, & ipsi superadditus, sit Ordo Ecclesiasticus.

Albertus in 4. d. 24. art. 39. Sotus q. 1. art. 2. & 3. Ferrariensis 4. contra Gent. c. 76. Henriquez, l. 10. c. 2. Reginaldus l. 30. tra. 1. & Bonacina dis. 8. pun. 1. partem negatiuam tuentur. Primò, quia Episcopatus, prout à simplici Sacerdotio distinctus, non est potestas ad consecrandum, neq; ad ministrandum Sacerdoti consecranti. Secundò, quia aliàs essent octo Ordines Ecclesiastici. Tertiò, quia aliàs Episcopatus, vt distinctus à Sacerdotio, imprimeret peculiarem characterem.

Albertus. Sotus. Ferrarienſ. Henriq. Reginal. Bonacina.

Altisiodorẽsis l. 4. Summæ, tr. 8. q. 1. Maior in 4. dist. 24. q. 1. Valentia disp. 9. q. 1. par. 4. Vasquez disp. 240. cap. 3. Ægidius disp. 20. dub. 2. Adamus disp. 7. q. 2. dub. 3. & Becanus c. 26. q. 2. partem affirmatiuã meritò tradunt, quam non leuiter indicat Tridentinum sess. 23. c. 4. & eam exprimit Anacletus Papa Epist. 3. c. 1. Et ratione constat, quia Episcopatus, prout à simplici Sacerdotio distinctus, & ipsi superadditus, est gradus quidam & potestas in Ecclesia Dei, titu Ecclesiastico & modo stabili collata in ordine ad Sacrificium Missæ, nempe ad efficiendos Sacerdotes potentes in altari sacrificare, & alios ministros Sacrificio Missæ deseruientes. Ergo verè & strictè est Ordo Ecclesiasticus. Ex quo constat ad primam rationem aduersariorum.

Altisiodor. Maior. Valentia. Vaſquez. Ægidius. Adamus. Becanus. Trident. Anaclet. P.

Ad secundam respondemus, quòd quamuis Episcopatus, prout à simplici Sacerdotio distinctus, sit Ordo Ecclesiasticus, non tamen sunt octo Ordines; quia vt sic distinctus, non est Ordo totalis totaliter distinctus à simplici Sacerdotio, sed tantùm partialis ab ipso partialiter distinctus; quia ex Episcopatu vt sic, & ex simplici Sacerdotio, integratur & perficitur vnum Sacerdotium; quia Episcopatus, vt distinctus à simplici Sacerdotio, est Ordo complens & perficiens Ordinem Sacerdotij, eo modo, quo potestas absoluendi à peccatis superaddita potestati consecrandi, complet & perficit simplex Sacerdotium; quia sicut potestas absoluendi, ita necessariò ex institutione Christi præsupponit potestatem consecrandi, vt hac non præsupposita, nequeat illa validè conferri; ita etiam potestas efficiendi Sacerdotes ita necessariò præsupponit Ordinem & potestatem simplicis Sacerdotij, vt hac non præsupposita, nequeat illa validè cõferri; quia Episcopus est Sacerdos perfectus, fecundus, & potens alios Sacerdotes creare, & ideò Episcopus comparatur cũ simplici Sacerdote, sicut vir perfectus potens generare, cum iuuene nondũ potente.

Et ad tertiam eadem proportione respondemus, per Episcopatum imprimi characterem partialiter distinctũ à charactere Sacerdotis ad absoluendum à peccatis, & à charactere ad consecrandũ: ex quibus tribus, quasi ex partibus integrantibus, integratur vnus totalis character Sacerdotis perfecti, ita tamen, vt character ad efficiendos Sacerdotes nequeat validè imprimi, non præsuppositis duobus primis; sicut neque character ad absoluendum,

non præsuppositio charactere ad consecrandum, quamuis omnes hi tres possint imprimi absq; characteribus inferiorum Ordinum.

Addimus, Archiepiscopatum esse omnino eumdem Ordinem, ac Episcopatum: quia Archiepiscopus est verè Episcopus, nihil Ordinis habens supra Episcopum, sed aliquid tantùm superioritatis. Et idem est de Patriarchatu, quia Patriarcha est Episcopus, qui est Princeps Episcoporum & Archiepiscoporum. Cardinalatum verò non esse Ordinem Ecclesiasticũ, quia non est potestas in ordine ad Sacrificiũ Missæ, quamuis sit quædam dignitas dignitate Episcopali superior, quoad vniuersalitatem regiminis; quia Cardinalis suo consilio iuuat Pontificem ad regendam vniuersalem Ecclesiam.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Episcopatus Iure diuino sit distinctus à Presbyteratu, & eo superior.

HÆretici nostri temporis, secuti Aërium antiquum hæreticum, docent, Episcopos Iure diuino non esse à simplicibus Sacerdotibus distinctos, neque eis superiores, sed solo Iure Ecclesiastico: quod etiam expressit Armacanus l. 11. de Quæstionibus Armenorum c. 7. & 8. & id sensisse videntur Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Titum, & Pseudo-Hieronymus Epist. ad Rusticum Narbonensem, de Septem gradibus Ecclesiæ cap. *De sexto gradu*, & Pseudo-Ambrosius in cap. 4. Epist. ad Ephesios. Quod indicare videtur Paulus Act. 20. & ad Titum 1. & sæpè alibi, dum easdem omnino personas modò vocat Presbyteros, & modò Episcopos, & ad Philip. 1. dum ait: *Paulus & Timotheus omnibus sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* quia faciens tantùm mentionem Episcoporum & Diaconorum, videtur non agnoscere Sacerdotes ab Episcopis distinctos.

Armacan. *Hieronym.* *Pseu-Hier.* *Pseu-Amb.*

Ex quo prædicti hæretici deducunt, Ecclesiam immeritò & iniustè distinxisse Episcopos à Presbyteris, & eos superiores Presbyteris in dignitate instituisse.

Durandus verò in 4. d. 24. q. 5. Maior q. 1. Medina l. 1. de Sacrorum hominum continentia, c. 3. & 4. Eckius l. 3. de Primatu Petri, cap. 22. Vasquez disp. 240. Adamus disp. 7. quæst. 2. dub. 2. Becanus cap. 16. q. 2. Sebastianus Cæsar q. 4. Proœmiali, & communiter Catholici docent, Episcopatum esse Iure diuino distinctum à simplici Presbyteratu, & eo superiorem.

Durandus. *Maior.* *Medina.* *Eckius.* *Vasquez.* *Adamus.* *Becanus.* *Sebast. Cæsar.*

Et in primis Episcopatũ esse Iure diuino distinctum à Presbyteratu, supponit Tridentinũ sess. 23. can. 6. dum damnat eos, qui dixerint in Ecclesia non esse hierarchiã diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, & Presbyteris, & ministris. vbi absque dubio supponit, Episcopos diuina ordinatione esse distinctos à Presbyteris. Esse quoque Episcopos Iure diuino seu ordinatione diuina superiores Presbyteris, satis indicat can. 7. sequenti, dum damnat eos, qui dixerint Episcopos non esse superiores Presbyteris, quia absque dubio loquitur de superioritate, quæ conuenit Episcopis in dicta hierarchia, quam can. 6. antecedenti ait fuisse diuina ordinatione institutam.

Trident.

Et vtramque significat Anacletus Papa Epist. 4. c. 1. dum ait: *Sacerdotum Ordo bipartitus est, & sicut Dominus illum constituit, à nullo debet perturbari.* & dum subdit, Episcoporum Ordinem sub Apostolis institutum fuisse, & Sacerdotum sub septuaginta duobus Discipulis. vbi Anacletus satis significat, ordinem Episcopalem ex Domini institutione distinctum esse à Sacerdotali, & etiam esse eo superiorem; quia Apostoli, quibus ex ipsius sententia Episcopi succedunt, fuerunt superiores Discipulis, quibus succedunt Sacerdotes.

Anaclet. P.

Et vtrumque ratione probatur. Primò, quia Episcopus supra ea, quæ possunt simplices Sacerdotes, etiam potest validè ordinare Sacerdotes, & Episcopos, quod simplex Sacerdos non potest, adhuc ex commissione Papæ; ergo Episcopus distinctus est, & superior Presbyteris, ex institutione Christi, & non ex institutione humana, aliàs ex humana commissione possent quod Episcopus.

Secundò, quia Episcopatus, prout distinctus à simplici Sacerdotio, est Sacramentum, vt dicemus Difficult. VII. 1. ergo ex institutione Christi est distinctus à simplici Sacerdotio; quia nihil potest esse Sacramentum, nisi ex institutione Christi. Quòd si ex Christi institutione est distinctus à Sacerdotio, etiam ex eadem est ei inæqualis, & non inferior, vt pater; ergo superior.

Quòd autem in Scriptura Episcopi aliquando appellentur Presbyteri, non conuincit Episcopos non esse Iure diuino distinctos à simplicibus Sacerdotibus: quia nomen *Presbyter*, quod est idem ac *senior*, etiam fuit accommodatum Episcopis, vt aduertit Vasquez d. 236. c. 9. Quòd verò ad Philip. 1. tantùm fiat mentio Episcoporum & Diaconorum, nõ est, quia Episcopi non distinguantur Iure diuino à Sacerdotibus simplicibus, sed quia ibi nomine Episcoporum etiam comprehenduntur simplices Sacerdotes; quia pro tunc, & pro multo tempore sequenti, nomen *Episcopus* etiam erat commune simplicibus Sacerdotibus, vt videri potest apud Vasquez. Iam tamen vsus Ecclesiasticus obtinuit, vt nomẽ *Presbyter* tantùm tribuatur simplicibus Sacerdotibus, & nomen *Episcopus* solis Episcopis.

Inter Episcopum autem, & inter Ecclesiam cuius est Episcopus, quamuis ab infidelibus occupatam, esse matrimonium seu vinculũ, tradunt Euaristus Epist. 2. Calixtus Epist. 2. c. 3. & referuntur in can. *Sicut alterus vxor.* 7. q. 1. & Innocentius III. in cap. *Inter corporalia.* de Translatione Episcoporum: matrimonium autem hoc inchoatur electione, & fit ratũ confirmatione, & consummatur consecratione, quamuis non omnino absque possessione; & dissolui nequit absque licentia Pontificis, habentis ad id vicem Dei, vt constat ex Innocentio III. vbi suprà, neque absque aliqua iusta causa. Vnde translatio Episcopi ex vna Ecclesia in aliã (quæ non fit absq; dissolutione prioris vinculi) nequit fieri absque licentia Pontificis, & absque iusta causa, de quo videri potest Vasquez disp. 241.

DIFFICVLTAS V.

Qui Ordines sint maiores, & qui minores; & qui sacri, & qui non; & quæ singulorum officia.

CIrca primum conueniunt Doctores, tres Ordines, nempe Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, esse maiores; reliquos verò quatuor Ordines, nẽpe Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus & Ostiariatus, esse minores. Quod non leuiter indicat Tridentinũ sess. 23. c. 2. Ordo Presbyter aius

teratus dicitur maior propter sui excellentiam,& destinationē ad maximum munus, nempe consecrandi; Ordines verò Diaconatus & Subdiaconatus etiam dicuntur maiores,quia Diaconus & Subdiaconus immediatè & proximè assistunt & ministrant in altari Presbytero consecranti:reliqui verò quatuor Ordines dicuntur minores, quia sunt inferiores tribus dictis, & ad actiones inferiores, & quibus non ministratur immediatè Presbytero solemniter consecranti.

Circa secundum conueniunt Doctores,Ordines Presbyteratus, Diaconatus & Subdiaconatus esse sacros,vt constat ex cap. *A multis*,de Ætate & qualitate ordinandorū,& ex can. *Nullus*,dist.6.quamuis olim Ordo Subdiaconatus non fuerit sacer, vt dicitur in d.cap. *A multis*; reliquos verò quatuor non esse sacros. Tres priores dicuntur sacri, non quia sint Sacramenta,quia ob hanc rationē Subdiaconatus semper fuisset sacer, quia semper fuit Sacramentum;sed quia ipsis est annexa obligatio non contrahendi matrimonium,& consequenter etiam non fornicandi, quo dicti ministri Deo sacrantur.

Circa tertium,ab infimis Ordinibus incipiēdo, Ostiarijs seu Ianitoribus in Pontificali (in quo singulorum officia assignantur)attribuuntur, Primò, aperire Ecclesiam & Sacrarium; Secundò,aperire librum ei qui prædicat, quod iam non est in vsu; Tertiò, percutere cymbalum & campanam, subintellige tempore Sacrificij.

Lectoribus in Pontificali attribuuntur, Primò, legere ea quæ prædicātur;Secundò, lectiones cantare; Tertiò, benedicere panes, & omnes fructus nouos, in quo ipsis assignantur munera quæ Subdiaconis, & Diaconis, & Presbyteris conueniunt; ea tamen absque dubio Lectoribus cum minore solēnitate conueniebant. Quomodo autem ab ipsis fierent,conijci nequit, quia iamdiu nō sunt in vsu.

Exorcistis in Pōtificali attribuuntur, Primò,per impositionē manus dæmones ab energumenis pellere;Secundò,dicere populo,vt qui nō communicat,det locum alteri volenti communicare;Tertiò, aquam in ministeriū, Baptismi videlicet, fundere. *Vasquez. Alcuinus.* Obseruat Vasquez ex Alcuino,peculiare esse inter minores Ordines,vt qui non est Ordine Exorcistatus insignitus,nequeat vti officio exorcizandi,quia ita moribus receptum est.

Acolythis in Pontificali attribuuntur, Primò, ceroferarium ferre,ob quod etiā dicuntur Ceroferarij;Secundò,luminaria Ecclesiæ accendere;Tertiò,vinum & aquam ad Eucharistiam ministrare.

Subdiaconis (id est Subministris) in Pontificali attribuuntur, Primò, aquam ad ministeriū altaris præparare;Secundò,pallas altaris & corporalia abluere;Tertiò,Diacono ministrare,id est,subseruire in his quæ pertinent ad Sacrificiū; Quartò, eidem calicem &patenā in vsum Sacrificij offerre; Quintò,Epistolam in Sacrificio Missæ canere,Sextò, in Pontificali indicatur ad Subdiaconos pertinere, oblationes populi suscipere,& supra altare ponere.

Diaconis, vtpote per antonomasiam ministris Presbyterorum,in Pontificali attribuuntur, ministrare ad altare, baptizare & prædicare: sed baptizare (imò & prædicare) non conuenit illis,nisi ex commissione Presbyteri, & graui necessitate existente,& etiam absque dicta commissione in extrema necessitate, & absente Presbytero, vt diximus Tractatu de Baptismo, Disput.11. Diffic.11. Inter ministeria autē ad altare quæ Diacono conueniunt, præcipuè olim fuit administratio Sanguinis populo,quæ iam non est in vsu, & conueniebat illis eo modo quo baptizare;& nunc ipsis conuenit cantatio Euangelij in Sacrificio Missæ, quæ an eis conueniat ex vi suæ ordinationis & institutionis Christi,dicemus Difficul. XII. Eis quoque olim conueniebat dispensatio seu administratio bonorum Ecclesiæ in pauperes, vt constat ex Legenda S. Laurentij,nō ex vi suæ ordinationis,sed ex institutione Ecclesiæ imitantis Apostolos, qui Actor.6. elegerunt Stephanum, & alios sex viros Spiritu sancto plenos,vt quotidianum victum in pauperes distribuerent,qui viri posteà ordinati fuerunt Diaconi, de quo Vasquez disp. 236. *Vasquez.*

Presbyteris seu Sacerdotibus in Pontificali hæ quinq; attribuuntur, offerre videlicet,benedicere, præesse, prædicare & baptizare. Offerre idem est quod consecrare &sacrificare;& sub verbo *præesse*, quod pascere & regere significat, etiam comprehenditur absoluere à peccatis: & ex dictis quinque muneribus, benedicere populum videlicet,& fructus,& aquam,& alia, ipsis tantùm conuenit Iure humano; reliqua verò quatuor illis conueniunt Iure diuino.

Episcopis verò, qui sunt Presbyteri perfecti & cōpleti,in Pontificali attribuuntur iudicare, interpretari,consecrare, ordinare, offerre, & baptizare, quæ omnia Episcopo conueniunt ex institutione Christi. Sub verbo *iudicare* nō tantùm significatur iudiciū in foro conscientiæ circa peccata,sed etiam in foro exteriori & iudiciali: & verbo *interpretari* significatur prædicatio verbi diuini: & verbo *consecrare* significatur confectio Chrismatis,imò etiam administratio Confirmationis: & verbo *offerre* significatur consecratio & sacrificatio.

Vnde ex dictis sex muneribus, quæ Episcopo conueniunt,tria etiam conueniunt simplicibus Sacerdotibus,nempe interpretari,offerre,& baptizare, imò etiam quædam pars muneris iudicandi; quia etiam eis conuenit iudicare peccata in foro interiori conscientiæ.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Ordo sit Sacramentum nouæ Legis.

NOmine *Ordinis* intelligimus ordinationē ipsam,qua Ordo cōfertur,quę ab effectu,quem confert,dicitur Ordo: & nō procedit difficultas de omnibus Ordinibus seu ordinationibus determinatè,sed de ordinatione seu Ordine vagè, & quasi in vniuersum, an scilicet aliqua ordinatio,siue hæc siue illa, sit Sacramentum nouæ Legis gratiam conferens.

Lutherus lib.de Captiuitate Babylonica,cap. de Ordine,Illyricus in Confessione Antuerpiensi c.11. & Kemnitius 2.par. Examinis, negant esse ordinationem aliquam in Sacramentum institutam. *Lutherus. Illyricus. Kemnitius*

De fide tamen est, Ecclesiasticā ordinationem, siue hanc siue illam,esse Sacramentum nouæ Legis, gratiam conferens. Quod definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto, & à Tridentino sess.7. c.1. de Sacram.in gen.& sess.23.c.3. & id tradiderunt Innocentius I.Epist.18.c.3. Leo I. Epist.81. & 87. c.1. Anastasius II.Epist. ad Anastasium Imp. c. 7. Dionysius de Eccles.Hier. cap. 7. Nyssenus Oratione de Sacro Baptismate, Ambrosius de Dignit. Sacerd. c.5. Augustinus lib. 2. Contra epist.Parmeniani, c.13.& Gregorius l.4.in c.10.l.1. Reg. *Eugen. IV. Trident. Innoc. I. Leo I. Anast. II. Dionysius. Nyssenus. Ambrosius. August. Gregorius.*

Et id indicat Paulus 1 ad Timoth. 4. dum ait: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.* Et 2. ad Timoth. 1. dum ait: *Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* In quibus locis dicitur, ordinationem fieri ritu sensibili, impositione videlicet manuum, & per hanc conferri gratiam. Hanc autem esse sanctificantem, deducitur ex verbis, quibus statim explicat qualitatem illius, ex illis videlicet: *Nonenim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis.* Et id etiam indicat Christus Ioan. 20. dum Discipulos suos ordinans partialiter in Sacerdotes, insufflans in eos dixit, *Accipite Spiritum sanctum*, quibus indicat, in ordinatione Sacerdotis conferri gratiam sanctificantem.

Ioan. 20.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm ordinationes Episcopi & Presbyteri sint Sacramenta nouæ Legis.

COnueniunt Catholici, ordinationem Presbyteri seu Sacerdotis esse Sacramentum nouæ Legis, gratiam conferens. Quod constat ex Tridentino sess. 23. canonibus 1. & 2. inter se comparatis. Et quidem si alicui ordinationi conuenit esse Sacramentum nouæ Legis, maximè ordinationi Presbyteri, quia per eam confertur Presbytero potestas consecrandi, & potestas absoluendi à peccatis, quæ sunt maximæ & excellentissimæ omnium, & ad quarum exercitium gratia Sacramentalis non est parum vtilis.

Trident.

Est tamen difficultas, An ordinatio Episcopi, prout distincta ab ordinatione Presbyteri, & ipsi superaddita, sit Sacramentum nouæ Legis.

Richardus. Scotus. Bonauent. Sotus. Couarruu.

Richardus in 4. d. 24. art. 5. q. 2. Scotus quæst. 1. Bonauentura par. 2. dist. art. 2. q. 3. Sotus q. 1. art. 3. & Couarruuias l. 1. Variarum resolut. c. 10. n. 15. partem negatiuam tuentur. Primò, quia Episcopatus, prout superadditus Sacerdotio, non sit Ordo: Secundò, quia in ordinatione Episcopi nulla sit materia neque forma.

Durandus. Medina. Bellarmin. Valentia. Vasquez. Ægidius. Adamus. Becanus. Sebastian. Cæsar.

Durandus verò in 4. dist. 24. q. 6. Medina l. 1 de Cõtinentia, c. 15. Bellarminus c. 5. Valentia disp. 9. q. 1. par. 4. Vasquez disp. 240. c. 4. Ægidius dis. 20. dub. 6. Adamus disp. 7. q. 2. dub. 2. Becanus c. 26. q. 3. & Sebastianus Cæsar q. 4. proœmiali §. 3. partem affirmatiuam meritò tradunt, quam indicat Paulus 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1. dum in eis significatur, ordinationẽ, de qua ibi est sermo, esse Sacramentum gratiam conferens: in eis autem sermo est de ordinatione Timothei in Episcopũ, superaddita ordinationi ipsius in Presbyterum: & eam etiam indicat Tridentinum sess. 23. c. 3. dum probat, sacram ordinationem esse Sacramentum gratiam conferens, ex illo 2. ad Timoth. 1. quia in hoc loco sermo est de ordinatione Episcopi, vt superaddita ordinationi Presbyteri.

Trident.

Et ratione Theologica probatur: Quia in ordinatione Episcopi absolutè & simpliciter confertur Spiritus sanctus, ergo in ea confertur gratia sanctificans. Consequentia probatur; quia Spiritus sanctus non confertur simpliciter, nisi media gratia sanctificante. Antecedens autem constat, tum ex

Trident.

Tridentino sess. 23. can. 4. vbi generaliter dicitur, per sacram ordinationem conferri Spiritum sanctum; tum ex forma ordinationis Episcopi, in qua ordinans dicit, *Accipe Spiritum sanctum.*

DIFFIC. VII. & VIII.

Ad primam ergo rationem aduersariorum constat ex Difficul. 111. Episcopatum, vt à simplici Sacerdotio distinctum, esse Ordinem Ecclesiasticum. Et ad secundam constabit Difficultate x.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm ordinationes Diaconi & Subdiaconi sint Sacramenta nouæ Legis.

DVrandus in 4. dist. 24. quæst. 2. & Caietanus tom. 1. Opusc. Tract. 11. docent, neque ordinationem Diaconi, neque ordinationem Subdiaconi esse Sacramentum nouæ Legis: & quoad ordinationem Subdiaconi, id etiam docent Magister in 4. dist. 24. & Gratianus in suo Decreto dist. 21.

Durand. Caiet. Magist. Gratian.

Et id generaliter probatur quoad vtramq; ordinationem. Primò, quia Sacramentum ordinationis confertur, vt quis fiat potens ad cõficienda Sacramenta, sicut Sacramentum Baptismi confertur, vt quis fiat habilis ad recipiẽda reliqua Sacramenta: sed neque per ordinationem Diaconi, neq; per ordinationẽ Subdiaconi, confertur potestas aliqua ad conficienda Sacramenta; ergo non sunt Sacramenta, sed tantùm præparationes quædã ad Sacramentum Sacerdotij, sicut exorcismus & catechismus ad Sacramenta Baptismi. Secundò, quia per neutram ordinationem imprimitur character, ergo neutra est Sacramentum. Consequentia patet, quia per Sacramentum Ordinis imprimitur character. Antecedens autẽ probatur, quia character est potestas ad faciendum aliquid, quod absque ipso non solùm nõ fit licitè, sed neq; simpliciter fieri potest; per ordinationes autem Diaconi & Subdiaconi nulla datur potestas necessaria, vt aliquid simpliciter fiat, sed tantùm vt fiat licitè; quia quidquid efficiunt Diaconus & Subdiaconus, fieri potest à quolibet alio, quamuis non licitè: ergo per illas nullus imprimitur character. Tertiò, quia si ordinationes Diaconi & Subdiaconi essent Sacramenta, essent plura quam septẽ Sacramenta. Quartò, quia ordinationes Diaconi & Subdiaconi nõ sunt à Christo institutæ, vt indicat Anacletus Epist. 13. cap. 1. dum Anac. postquam enumeraut Ordinem Episcoporum, & Ordinem Sacerdotum, ait: *Amplius quam istidno Ordines, neq; nobis à Deo collati sunt, neq; Apostoli docuerunt.* Ergo non sunt Sacramenta nouæ Legis, quia nullum est quod non sit à Deo institutum.

Quintò, id specialiter de ordinatione Diaconi probatur; quia ordinationis Diaconi ad altare nulla fit mẽtio in Scriptura, sed tantùm ad ministerium mensæ, ad quod nullum Sacramentum recipiebatur. Sextò, id specialiter probatur de ordinatione Subdiaconi; quia huius ordinatio confertur absq; manuum impositione, quæ ad Sacramentum Ordinis necessaria est, quia Sacramentũ Ordinis per eam significatur. Septimò, quia ordo Subdiaconi non fuit sacer ab initio Ecclesiæ, vt constat ex can. *Nullus*, dist. 60. & ex cap. *A multis*, de Ætate & qualitate ordinandorum: ergo ordinatio Subdiaconi non fuit à Christo instituta in Sacramentum, quia ex tunc ordo Subdiaconi esset sacer.

S. Thomas verò in 4. d. 24. q. 2. art. 1. q. 3. Bonauentura art. 1. q. 1. Richardus art. 3. q. 3. Paludanus art. 3. quæst. 1. Valentia disp. 9. q. 1. par. 4. Vasquez disp. 238. Ægidius disp. 28. dub. 6. & Adamus disp. 7. q. 2. dub. 2. & Sebastianus Cæsar q. 4. §. 2. docent, & meritò, ordinationes Diaconi & Subdiaconi esse Sacramenta nouæ Legis.

S. Thom. Bonau. Richar. Palud. Valent. Vasq. Ægid. Adam. Sebast.

Et

Et in primis ordinationem Diaconi esse Sacramentum nouæ Legis (in quo contra Durandum & Caietanum conueniunt reliqui Doctores) expressit Anastasius II. in Epist. ad Anastasiũ Imperatorem c. 7. & satis significat Tridentinum sess. 23. can. 6. dum ait: *Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, anathema sit.* vbi per *ministros* vt minimùm Diaconi intelliguntur. Si ergo ordinatio Diaconi instituta est à Christo, sicut ordinatio Presbyteri & Episcopi, absque dubio etiam fuit instituta in Sacramentum, sicut ordinatio Presbyteri & Episcopi. Et id ratione Theologica constat: quia in ordinatione Diaconi ordinans dicit, *Accipe Spiritum sanctum*; ergo per eam confertur gratia sanctificans, mediâ quâ Spiritus sanctus simpliciter & absolutè confertur, siue dictis verbis, & impositione manuum facta ab Episcopo sub illis, siue traditione libri Euangeliorum, & verbis ipsi correspondentibus, siue omnibus simul, de quo dicemus Difficul. XII.

Anast II. Trident.

Deinde ordinationẽ Subdiaconi esse etiam Sacramentum nouæ Legis, probatur eisdem testimonijs, & eadẽ ratione, quibus Difficultate sequenti id probabimus de quatuor minoribus ordinationibus. Et sanè ratio Sacramenti non minori ratione conuenit ordinationi Subdiaconi, quàm ordinationibus quatuor minorũ Ordinum, imò maiore; quia Subdiaconatus est Ordo illis perfectior, vt-pote institutus ad ministrandum proximè in altari Presbytero consecranti, quod non conuenit minoribus Ordinibus.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus, Sacramentum Ordinis quoad omnes Ordines conferri, vt ordinatus fiat habilis ad conficienda Sacramẽta, quamuis Baptismus conferatur vt quis fiat habilis ad recipiẽda reliqua Sacramẽta.

Ad secundam negamus, per ordinationes Diaconi & Subdiaconi non imprimi characterem, & ad probationem etiam negamus, omnem characterem esse necessarium, vt aliquid simpliciter fiat, imò neque vt licitè fiat, vt patet in charactere Confirmationis, absque quo fieri potest adhuc licitè propugnatio fidei, ad quam ordinatur Confirmatio: quia iste tantùm imprimitur vt stabiliter ornet animã, & constituat militem deputatum ad defensionẽ fidei.

Ad tertiam respondemus, quòd quamuis sint plura quàm septem Sacramenta in specie infima, sed non in specie subalterna; sicut etiam virtutes Cardinales sunt tantùm quatuor, & tamen aliquæ earum sub se continent aliquas species infimas.

Ad quartam negamus, ordinationes Diaconi & Subdiaconi non esse institutas à Christo, vt de ordinatione Diaconi cõstat ex Tridentino can. illo 6. & de ordinatione Subdiaconi ex eo, quòd Ignatius Epist. 11. ad Antiochenos; & Clemens Epistola 2. ad Fratrem Domini, & alij antiquissimi Patres illius meminerint.

Trident. Ignatius. Clemens.

Ad quintam respondemus, quòd quamuis in Scriptura non fiat mentio ordinationis Diaconi ad altare, id tamẽ constat ex traditione & vsu Ecclesię.

Ad sextam concedimus, ordinationem Diaconi fieri absq; manuum impositione; negamus tamẽ, hanc esse generaliter necessariam ad Sacramẽtum Ordinis, quamuis necessaria sit ad ordinationẽm Presbyteri, & ad ordinationem Episcopi, quæ sunt Sacramentum; ob quod Sacramentum Ordinis (cuius ratio principaliùs conuenit dictis duabus ordinationibus) aliquando manuum impositione significatur.

Ad septimam respondemus, quòd quamuis Ordo Subdiaconi nõ fuerit ab initio sacer, vt diximus Difficul. v. nihilominùs potuit ab initio esse Sacramentum, quia ex eo solùm dicitur sacer, quia ipsi annexa est obligatio seruandi castitatem, & non quia sit Sacramentum.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm quatuor minores ordinationes, & collatio primæ tonsuræ, sint Sacramenta.

COnueniunt Doctores, vno excepto Ayala oppositum insinuante, collationem primæ tonsuræ non esse Sacramentum: quia prima tonsura non est Ordo Ecclesiasticus: est tamen difficultas circa quatuor minores ordinationes.

Magister in 4. dist. 24. Sotus q. 1. art. 4. Gratianus in Decreto dist. 21. Vasquez disp. 237. c. 2. Medina l. 1. de Continentia, c. 46. & plures alij docent, quatuor minores ordinationes non esse Sacramenta: quia non fuerunt à Christo institutæ; quia in primitiua Ecclesia non fuerunt omnes quatuor minores ordines, quia Acolythatus nulla fit mentio vsq; ad Cyprianum & Corneliũ, qui ducentis & quinquaginta annis post Christum vixerunt: & quamuis Exorcistatus fuerit in primitiua Ecclesia, cuius mentionem faciunt Clemens & Ignatius, tunc tamen non fuit Ordo; quia, vt affirmat Clemens l. 8. Institut. c. 26. aliàs 22. non fiebat ordinatione, & ab Episcopo, & illum reducit ad gratiam sanitatum.

Magister. Sotus. Gratianus. Vasquez. Medina. Clemens.

S. Thomas verò in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. quæst. 3. Bonauentura art. 1. q. 1. Richardus art. 3. q. 3. Valentia disp. 9. q. 1. par. 4. Couarruuias 1. Resolutionum c. 10. Ægidius disp. 20. n. 47. Adamus disp. 7. q. 2. dub. 2. Sebastianus Cæsar q. 4. §. 1. & plures alij docent, & meritò, quatuor minores ordinationes esse Sacramentum nouæ Legis: quod satis insinuat Eugenius IV. in suo Decreto, dum, postquam definiuit Ordinem esse Sacramentum, & materiam illius esse illud per cuius traditionẽ confertur Ordo, & assignauit materiam Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, addit, *& similiter de alijs per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem*; quo absque dubio supponit etiam minores ordinationes esse Sacramentum. Et id etiam indicat Tridentinum sess. 23. c. 2. & 3. & can. 3. quia postquam c. 2. enumerat dictos septem Ordines maiores & minores, posteà c. 3. & can. 3. absolutè & absq; vlla limitatione ordinationem appellat sacram, & definit esse Sacramentum, ac proinde appellat sacram non in eo sensu, in quo Ordines maiores dicuntur sacri, sed quia est Sacramentum.

S. Thomas. Bonauent. Richardus. Valentia. Couarru. Ægidius. Adamus. Sebastian. Cæsar. Eugen. IV. Trident.

Et ratione probatur, quia quatuor minores Ordines fuerunt in Ecclesia ab initio ipsius; ergo credi potest, collationes ipsorum fuisse à Christo institutas, & ab ipso qui ordinationem instituit in Sacramentum, etiam fuisse in Sacramentum institutas, sicut etiam ordinationem maiorem. Antecedens autem traditur à Tridentino sess. 23. c. 2. dum de Subdiaconatu & de quatuor Ordinibus ait, eorum nomina & ministeria fuisse ab initio Ecclesiæ. Et id significant Clemens, dũ Epist. 2. ad Fratrem Domini, eorum mentionẽ facit; & Cornelius Pontifex circa annũ Domini 255. in Epist. ad Fabianum Antiochenum; & Caius Epist. ad Felicem, & Concilium

Trident. Clemens. Corn. Pont.

Conc. Rom. cilium Romanum sub Silueſtro can. 2. dum Ordines minores enumerat, vt rem in Eccleſia antiquam. Ex quo conſtat ad fundamentum aduerſariorum.

Quando verò Clemens vbi ſuprà ait, Exorciſtam non fieri ordinatione, loquitur de Exorciſta qui gratia ſanitatum à Deo accepta ſanabat energumenos.

DIFFICVLTAS X.

Quæ ſit materia, & quæ forma in ordinatione Epiſcopi.

COnueniunt Doctores, materiam proximam in ordinatione Epiſcopi eſſe impoſitionem manuum Epiſcoporum, & formam eſſe verba illa ſimul à tribus Epiſcopis manus imponentibus prolata, *Accipe Spiritum ſanctum.* Quod non obſcurè deducitur ex Paulo 1. ad Tim. 4. dum ſermonem inſtituens de ordinatione Timothei in Epiſcopum ait: *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij*, id eſt Conuentus Epiſcoporum. quia ſi in ordinatione Epiſcopi per impoſitionem manuum Epiſcoporum, & per prophetiam, id eſt per verba illa, *Accipe Spiritum ſanctum*, confertur gratia, abſque dubio manuum impoſitio eſt materia proxima, & dicta verba ſunt forma.

Quòd autem verba hæc, *Accipe Spiritum ſanctum*, ita generalia ſint, vt ſecundùm ſe non denotent peculiarem gradum Epiſcopi, non obſtat vt ſint forma; quia quamuis verba illa ſecundùm ſe non denotent gradum illum, eum tamen denotant, vt prolata à tribus Epiſcopis manus imponentibus: quia eo ipſo, quòd iſti tres miniſtri ſolius gradus Epiſcopalis ſimul congregati, imponentes manus ſupra caput ordinandi, dicunt, *Accipe Spiritum ſanctum*, denotant ſe eum accipere in ſuum conſortium ad gradum Epiſcopalem; eiſdem verò verbis prolatis ab Epiſcopo ordinante Diaconum, non denotatur gradus Diaconi (ob quod non ſunt forma in ordinatione Diaconi, vt dicemus Difficult. XII.) quia Epiſcopus, qui eſt miniſter Diaconatus, non tantùm eſt miniſter Diaconatus, ſed etiam Presbyteratus & Subdiaconatus, & aliorum inferiorum Ordinum; ac proinde prædictis verbis, quamuis manus imponendo, non magis denotat ſe admittere ordinandum in ſuum conſortium ad gradum Diaconi, quàm ad gradus aliorum Ordinum.

Antonin. Id verò, quod Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 16. docet, nempe non tantùm impoſitionem manuum Epiſcoporum, ſed etiam impoſitionem libri Euangeliorum ſub ceruicem conſecrandi, eſſe materiam proximam ordinationis Epiſcopi, abſque fundamento dicitur; quia nullum apparet: imò eſt contra rationem, quia in Sacramentis ab eodem miniſtro, à quo adhibetur materia proxima, debet applicari forma, ſeu proferri (excepto Sacramento Pœnitentiæ, quod inſtitutum eſt inſtar iudicij, in quo interueniunt reus & iudex) aliàs miniſter in illis non denotabit ſuum miniſterium, quod ad valorem Sacramenti requiritur: impoſitio autem illa libri non neceſſariò fit ab Epiſcopis, quia olim fiebat à Diaconis, & nunc fit ab aliquo ex Capellanis, vt dicitur in Pontificali. Et ob rationem dictam

Vaſquez. id, quod addit Vaſquez n. 65. nempe ad ſubſtantiam formæ ordinationis Epiſcopi ſufficere, quòd verba, *Accipe Spiritum ſanctum*, ab vno tantùm proferantur, eſt falſum: quia ſcilicet in Sacramentis (excepto Pœnitentiæ) ab eodem miniſtro, à quo adhibetur materia proxima, debet applicari forma. Vnde in Concilio Carthaginienſi IV. can. 2. Cui qui refertur can. *Epiſcopus*, de Conſecratione, diſt. 23. vbi dicitur, *Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Euangeliorum Codicem ſupra caput & ceruicem eius, & vno ſupra eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant*, per *benedictionem* non intelligitur prolatio formæ, ſed aliqua cærimonia accidentalis, quæ tunc erat in vſu.

DIFFICVLTAS XI.

Quæ ſit materia, & quæ forma in ordinatione Sacerdotis.

BOnauentura in 4. diſt. 24. 2. part. art. 1. q. 4. docet, totam materiam proximam ordinationis Sacerdotis ſitam eſſe in ſola impoſitione manuum Epiſcopi, & conſequenter, totam formam ſitam eſſe in ſolis illis verbis ei correſpondentibus, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata*, &c. Quod deduci videtur ex eo, quòd in Concilio Carthaginienſi IV. & apud antiquos Pa- Conc. tres, tantùm reperitur mentio impoſitionis manuum Epiſcopi pro ordinatione Sacerdotis, & non reperitur mẽtio alterius materiæ. Et ratione probatur, quia per impoſitionem manus, vtpote inſtrumenti inſtrumentorũ, ſufficienter ſignificatur maximum Sacerdotij miniſteriũ, & potiſſima Sacerdotis actio; ergo per eam impoſitionem ſolam, tamquam per materiam, confertur Ordo Sacerdotalis; quia quoties aliquis Ordo habet plures actiones, poteſtas illius tantùm confertur traditione materiæ, & verbis, quibus ſignificatur præcipua actio illius.

Richardus in 4. diſt. 24. art. 4. Durandus q. 3. Rich. art. 2. Tapperus art. 17. §. *De materia*, & Valentia Dur. diſp. 9. q. 1. pun. 5. docent econtrà, totam materiam proximam in ordinatione Sacerdotis ſitam eſſe in traditione Calicis cum vino, & Patenæ cum pane, & totam formam in verbis dictæ traditioni correſpondentibus, nempe, *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium*, &c. Quod videtur indicare Eugenius IV. in ſuo Decreto, dum pro ordinatione Eug. ne Sacerdotis non aſſignat aliam materiam, quàm traditionem dictam, neque aliam formam, quàm verba ipſi traditioni correſpondentia. Et id etiam videtur indicari in cap. *Presbyteris*, de Sacramentis non iterandis, dum in eo impoſitio manuum, quæ fit in ordinatione Presbyteri & Diaconi, dicitur introducta ab Apoſtolis; & ob omiſſionem illius non eſſe Sacramentum iterandum, ſed ſupplendam eſſe: & tandem id deduci videtur ex eo, quòd in aliquibus Pontificalibus non inuenitur cærimonia hæc impoſitionis manuum, neque inueniuntur verba ipſi correſpondentia.

Et ratione probatur, quia per traditionem dictam, & per verba ipſi correſpondentia denotatur conſecratio, ſeu ſacrificatio, quæ eſt præcipua actio Sacerdotis: ergo tantùm per dictam traditionem, & per verba ipſi correſpondentia, confertur character & poteſtas Sacerdotalis, & eis ſolis ordinatio Sacerdotis perficitur. Scotus

Scotus. Scotus tamen in 4.dist.24. Viguerius in Institu-
Viguerius. tionibus, c. 16. §. 6.Bellarminus cap. 9. Vasquez
Bellarmin. disp.139. Henriquez lib. 10. c.6. Ægidius dub.7.
Vasquez. Laymannus Tractatu 9. cap. 5. & Adamus disp.7.
Henriq. q.2.dub. 4. docent, & meritò, in ordinatione Sa-
Ægidius. cerdotis materiam proximam coalescere ex dicta
Layman. traditione, & ex dicta manuum impositione, & for-
Adamus. mam coalescere ex dictis verbis vtriq; correspon-
dentibus.

Et in primis, traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum pane, pertinere ad materiã proximam ordinationis Sacerdotis, & verba illa, *Accipe potestatem offerendi Sacrificium*, &c. pertinere ad
Eugen. IV. formam, exprimit Eugenius IV. in suo Decreto. Quòd autem eorum non fiat mentio in Concilio Carthaginiensi IV. non obstat; quia non tam intendit materias & formas Sacramentorum explicare, quàm ritum & modum seruandum in singulis ordinationibus.

Et id ratione constat, quia per traditionẽ dictam & per verba ipsi correspondentia, traditur potestas consecrandi seu sacrificandi, vt constat ex ipsis verbis, & ex eo quòd recenter ordinatus paulò pòst consecrat cum Episcopo ordinante, & nulla alia cærimonia præcedit, per quam dicta potestas conferri possit: potestas autẽ consecrandi est effectus, prouenies ex ordinatione Sacerdotis.

Quòd verò ad materiam proximam, & ad formam ordinationis Sacerdotis, etiam pertineant dicta impositio manuum Episcopi, & dicta verba ipsi
Trident. correspondentia, satis indicat Tridentinum sess.14. c.3.de Sacramento Extremæ Vnctionis, vbi ex illo Iacobi 5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, &c. deducit, ministros Extremæ Vnctionis esse Sacerdotes ab Episcopo ritè ordinatos per impositionẽ manuum Presbyterij (id est dignitatis Episcopalis, & non communis Episcoporum, vt sumitur à Paulo 1.ad Timoth. 4. quia Paulus agit de ordinatione Episcopi, & Tridentinum de ordinatione Sacerdotis) vbi Tridentinum supponit, Sacerdotes ordinari per impositionem manuum Episcopi, tamquam per materiam proximam. Addidit autem, ministrum vnctionis esse Sacerdotem ordinatum per impositionem manuum Episcopi, non quia existimet eam esse totam materiam proximam ordinationis Sacerdotis; quia optimè nouit dictum Decretum Eugenij IV. sed quia existimat, per hanc, & per verba ipsi correspondentia, conferri potestatem administrandi Sacramentum Extremæ Vnctionis; quia hoc Sacramentum est consummatiuum Sacramenti Pœnitentiæ, ad quod Sacerdoti confertur potestas per impositionem manuum Episcopi, & per verba ipsi correspondentia.

Et hoc idem ratione probatur; quia per eam impositionem manuum Episcopi, & per verba ipsi correspondentia, confertur potestas ad absoluendum à peccatis. quæ est potestas Ordinis reductiuè saltem, & effectus ordinationis Sacerdotis: ergo dicta manuum impositio, & verba ipsi correspondentia, pertinent ad materiam proximam, & ad formã ordinationis Sacerdotis. Quòd verò per hanc impositionem, & per hæc verba, conferatur potestas ad absoluendũ à peccatis, patet; quia id significant verba illa: & eisdem verbis, quamuis non manuum impositione, sed insufflatione, Christus
Ioan.20. pòst resurrectionem Ioann.20. contulit Apostolis
Trident. potestatem absoluendi à peccatis (vt definit Tridentinum sess. 14. cap.1. & 5.) pòst collationem potestatis consecrandi factam in nocte cœnæ traditione sui Corporis & sui Sanguinis iam ab ipso consecratorum, & illis verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* *Luca 22.*

Ex dictis constat, ordinationem Sacerdotis constare duabus partialibus ordinationibus, per quarum quamlibet confertur distincta potestas, & distinctus gradus gratiæ; ita tamen, vt potestas consecrandi, quæ priùs confertur, conferatur independenter à potestate absoluendi à peccatis; & ideò ante huius collationem ordinatus supradicta traditione, & verbis ipsis correspondentibus, verè & validè consecrat cum Episcopo ordinante; potestas verò absoluendi nequit validè conferri ante collationem potestatis consecrandi (in quo Doctores communiter conueniunt) quia potestas in Corpus mysticum Christi, id est in fideles, supponit ex institutione Christi potestatem in verum Corpus ipsius Christi. Vnde sicut in ordinatione Sacerdotis reperitur duplex partialis ordinatio, & duplex partialis potestas; ita etiam reperitur duplex character partialis, quorum quilibet habeat annexam dictam potestatem.

Ad rationem verò pro Bonauentura adductam respondemus, non esse vniuersaliter verum, illam tantùm rem, & illa tantùm verba pertinere ad materiam & ad formam ordinationis, per quæ denotatur potissima actio illius; quia illa omnia pertinent ad prędicta, per quæ confertur potestas illius Ordinis: potestas autẽ Ordinis Sacerdotalis confertur per omnia prædicta. Et addimus, per manuum impositionem, & per verba ipsi correspondentia, non denotari potissimam actionem Sacerdotis, sed per dictam traditionem & per verba ipsi correspondentia, etiamsi manuum impositio sit physicè perfectior. Ex quibus etiam constat ad rationem pro Richardo, Scoto, & alijs.

Eugenius verò IV. in suo Decreto non assignauit aliam materiam, neque aliam formam pro ordinatione Sacerdotis, quàm dictam traditionem, & verba ipsi correspondentia, non quia existimaret non esse aliam, sed quia ibi non intendebat exactè tradere omnia quæ pertinent ad materias & ad formas singularum ordinationum, sed tantùm adducere exemplũ eius quod generaliter dixerat, nempe materiam cuiusq; ordinationis esse illud, per cuius traditionem confertur Ordo; ad quod sufficiebat pro Sacerdotio adducere in exemplum dictam traditionem.

In cap. autem *Presbyter*, non est sermo de impositione, qua simul cum illis verbis, *Accipe Spiritum sanctum*, confertur potestas ad absoluendum, sed de accidentali seu Ecclesiastica quadam cærimonia, qua in ordinatione Sacerdotis, ante collationem potestatis ad absoluendum, imponuntur manus ab Episcopo & ab alijs Presbyteris, absque vllis verbis: & à solo Episcopo in ordinatione Diaconi, quæ ritu & exemplo Apostolorum fit in Ecclesia; & si omittatur, supplenda est tempore statuto ad ordinationes faciendas. Quòd verò illa manuum impositio Episcopi, & prolatio illorum verborum, *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris peccata*, &c. non habeantur in aliquibus Pontificalibus, non obstat; quia semper habita sunt, & habentur in Pontificali Romano, quod est regula omnium.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XII.

Quæ sit materia, & quæ sit forma in ordinatione Diaconi.

Medina. MEdina lib. 1. de Continentia cap. 39. docet, materiam proximam ordinationis Diaconi sitam esse in tribus traditionibus, quæ fiunt ab Episcopo, nempe in traditione Stolæ, in traditione Dalmaticæ, & in traditione libri Euangeliorum: & formam sitã esse in verbis correspondentibus dictis traditionibus; quia verbis illis correspondentibus significari videtur per eas traditiones, & per ipsa verba conferri gratiam Sacramentalẽ, ac proinde in eis consistere materiam & formam ordinationis Diaconi. Modus tamen iste dicendi, quoad traditiones Stolæ & Dalmaticæ, & quoad verba ipsis correspondentia, est singularis, & absque fundamento aliquo: quia per verba hæc, sub quibus traditiones istæ fiunt, si rectè expendantur, non significatur, per ipsa, & per eas traditiones quæ fiunt sub illis, gratiam conferri.

Durandus. Durandus in 4. dist. 24. q. 3. docet, totam materiam proximam in ordinatione Diaconi sitam esse in impositione manuum Episcopi; & consequenter, totam formã in verbis dictæ impositioni correspondentibus. Et in primis, materiam proximam sitam esse in dicta impositione, indicare videtur *Conc. Cart.* Concilium Carthaginiense IV. c. 4. dum pro ordinatione Diaconi assignat impositionẽ manuum *Dionysius.* Episcopi. Et Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia c. 5. dum ait, Episcopum, Sacerdotem & Diaconum perfici per impositionem manuum. Et ratione probatur, quia verbis dictæ impositioni correspondentibus, nempe, *Accipe Spiritum sanctum*, significatur gratiam conferri; ergo ea impositio pertinet ad materiam proximam ordinationis Diaconi, & verba ei correspondentia, ad formam. Quòd verò materia proxima ordinationis Diaconi consistat in sola dicta impositione, & consequenter forma in solis verbis ei correspondentibus, indicat dictum Concilium Carthaginiense, dum pro ordinatione Diaconi non assignat aliud quàm dictam impositionem. Et ratione probatur, quia si materia in ordinatione Diaconi in aliquo alio simul cum manuum impositione consisteret, maximè in traditione libri Euangeliorum: in hac autem non consistit, quia etiam in ipso initio Ecclesiæ ordinabantur Diaconi, & ad seruiendum altari, & tamen tunc nondum erat liber Euangeliorum; imò & tempore Durandi, vt ipse refert, in Ecclesia Anicienli, cui ipse præfuit Episcopus, in ordinatione Diaconi non tradebatur liber Euangeliorum.

Hosius. Henriquez. Adamus. Hosius in Confessione Catholica c. 72. Henriquez lib. 10. cap. 8. & Adamus disp. 7. quæst. 2. dub. 3. docent, materiam proximam ordinationis Diaconi coalescere ex impositione manuum Episcopi, & ex traditione libri Euangeliorum; & formam ex verbis vtriq; correspondentibus: in quod *Bellarmin. Ægidius. Layman.* inclinant Bellarminus cap. 9. Ægidius dub. 7. & Laymannus cap. 5. dum dicunt, ex institutione Christi materiam ordinationis Diaconi coalescere ex impositione manuum Episcopi, & ex traditione alicuius rei, qua officium Diaconi ad seruiendum Sacerdoti, præsertim in altari, designetur; & huius rei determinationẽ Christum reliquisse Ecclesiæ, quæ ex hac commissione designauit traditionem libri Euangeliorum. Et in primis materiam proximam sitam esse in ea impositione, paulò antea probabamus. Quòd verò etiam consistat in traditione libri Euangeliorum, statim probabitur.

S. Thomas verò in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 3. Soto. Tomus quæst. 1. art. 3. Vasquez disp. 238. cap. 4. Valentia disp. 9. quæst. 1. punct. 5. & Reginaldus lib. 30. Regin. cap. 2. docent, & meritò, totam materiam proximam ordinationis Diaconi sitam esse in traditione libri Euangeliorum, & totam formam in verbis ei correspondentibus.

Et in primis, materiam proximam sitam esse in dicta traditione (& consequenter formam in verbis ei correspondentibus) expresit Eugenius IV. Eug. in suo Decreto fidei. Et ratione probatur, quia per eam traditionem, & per verba ipsi correspondentia, denotatur peculiare officium Diaconi seruiendi in altari Sacerdoti. Quòd verò manuum impositio Episcopi non pertineat ad materiam ordinationis Diaconi (& consequenter, neque verba ei correspondentia ad formam) satis indicatur in cap. *Presbyter* 3. de Sacramentis non iterandis, dum manuum impositio, quæ fit in ordinatione Diaconi, dicitur introducta ritu Apostolorũ: quia quæcumque materia Sacramentorum à solo Christo instituta & introducta est. Et ratione probatur, quia per manuum impositionem, & per verba ipsi correspondentia, nempe, *Accipe Spiritũ sanctum, ad robur, & ad resistendum diabolo, & tentationibus eius*, nullum ministerium peculiare Diaconi denotatur, sicut denotatur per materiam & formam aliarum ordinationum.

Concilium ergo Carthaginiense, quod adducitur pro priori parte Durandi, non assignat materiam ordinationis Presbyteri & Diaconi, sed discrimen inter cærimoniam purè Ecclesiasticam impositionis manuum, quæ fit in ordinatione Sacerdotis, de qua loquitur cap. 3. & inter cærimoniam purè Ecclesiasticam impositionis, quæ fit in ordinatione Diaconi, de qua loquitur c. 4. (etiamsi à c. 5. vsque ad 9. agat de materia & forma Subdiconatus, & quatuor minorum Ordinum) inter eas autem impositiones id discrimen constituit, quod in ordinatione Presbyteri fit ab Episcopo, & ab alijs Presbyteris, & in ordinatione Diaconi à solo Episcopo. Et de eadem cærimonia loquitur Dionysius cap. illo 5. dum ait, Episcopum, Sacerdotem, & ministrum perfici manuum impositione, subintellige, accidentaliter; quod etiam constat ex eo, quòd pro ordinatione Episcopi tantùm commemorat impositionem manuum vnius Episcopi, quæ tantùm est accidentalis ordinationi Episcopi.

Et ad rationem pro eadem priori parte negamus, verbis illis correspondentibus impositioni manuum, nempe, *Accipe Spiritum sanctum*, significari, gratiam immediatè conferri per ipsam impositionem, & per verba ipsa: quia illis tantùm denotatur certa quædam fiducia in Episcopo impetrandi à Deo ipsi ordinando Spiritum sanctum, seu gratiam, media ordinatione statim facienda, iuxta modum illum loquendi Lucæ 17. *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori, Eradicare, & transplãtare, & obediet vobis*; ac proinde dicta verba non frustrà dicuntur ab Episcopo ordinante, vt docet Tridentinum sess. 23. can. 1. Trid.

Et ad rationem pro posteriori parte Durandi respondent Vasquez num. 43. Valentia disp. 9. q. 1. punct.

Reginald. punct. 4. & Reginaldus lib. 30. c. 3. n. 13. tempore illo, in quo nondum liber Euangeliorum erat scriptus, non fieri ordinationem Diaconi ad altare traditione libri Euangeliorum, sed sola manuum impositione (qua etiam eligebantur ad mensas) ex peculiari Christi cõcessione, posteà verò ex Christi institutione in principio facta, pro tempore in quo futurus erat liber Euangeliorum, cœpisse fieri sola traditione libri Euangeliorum, & satis congruenter; quia officium proprium Diaconi ipsi conueniens ex potestate ordinaria, est legere Euangelium tempore Sacrificij.

DIFFICVLTAS XIII.

Quæ sit materia, & quæ forma in ordinatione Subdiaconi.

Viguerius. VIguerius in Institut. c. 16. §. 6. docet, in ordinatione Subdiaconi materiam proximam esse traditionem libri Epistolarum, & verba ipsi correspondentia esse formam: quia sicut ad Diaconum pertinet legere Euangeliũ tempore Sacrificij, ita etiam ad Subdiaconũ pertinet legere Epistolam: ergo sicut in ordinatione Diaconi materia proxima est traditio libri Euangeliorum, & verba sub quibus fit sunt forma; ita etiam in ordinatione Subdiaconi traditio libri Epistolarum est materia proxima, & verba, sub quibus fit, sunt forma.

Vasquez. Ægidius. Laymann. Vasquez disp. 238. c. 5. Ægidius dub. 7. & Laymannus cap. 5. docent, in ordinatione Subdiaconi materiam proximam sitam esse in traditione Calicis vacui, & Patenæ vacuæ; & formam in verbis sub quibus fit. Quod quoad materiam expressit

Eugen. IV. Eugenius IV. in suo Decreto. Et ratione probatur, quia per eam traditionem, & per verba sub quibus fit, denotatur potestas ad propriam actionem Subdiaconi, nempe ad ministrandum Sacerdoti vasa Corporis & Sanguinis Christi.

Medina. Fornarius. Adamus. Medina verò lib. 1. de Continentia, c. 44. Fornarius de Ordinibus, c. 2. & Adamus disp. 7. q. 2. dub. 3. docent, materiam proximam in ordinatione Subdiaconi coalescere ex vtriusque materiæ dictæ traditione, & formam ex verbis sub quibus vtraque traditio fit, & meritò: quia per vtramque traditionem, & per verba vtrique correspondentia, denotatur & traditur potestas ad duas dictas actiones, quæ sunt propriæ Subdiaconi; ergo negari nequit, vtramque traditionem, & verba vtrique correspondentia, ad ordinationem Subdiaconi pertinere tamquam materiam & formam.

Quòd autem ministratio vasorum Corporis & Sanguinis Christi sit principalior lectione Epistolarum, non sufficit, vt in sola traditione vasorum consistat materia proxima ordinationis Subdiaconi, & forma in solis verbis sub quibus fit; sicut non sufficit, quòd actio consecrandi sit principalior absolutione, vt in traditione rei, per quam traditur potestas ad consecrationem, sita sit tota materia proxima Sacerdotis, & tota forma in verbis ei correspondentibus.

Id verò, quod addit Medina, nempe, etiam traditionem vestium pertinere ad materiam proximam ordinationis Subdiaconi; & verba, sub quibus fit, etiam pertinere ad formam, est singulare, & absque fundamento, imò & contra rationem: quia per eam traditionẽ, & per ea verba, nulla denotatur potestas ad actionẽ aliquam Subdiaconi.

Ordinatio ergo Subdiaconi coalescit ex vtraque dicta traditione, tamquam ex materia proxima totali; & ex verbis, sub quibus vtraque fit, tamquam ex forma totali. Verba autem sub quibus fit traditio vasorum, sunt illa, quæ Episcopus, postquam singulis ordinandis tradidit dicta vasa, dicit omnibus simul: *Videte cuiusmodi ministerium vobis traditur.* quia nulla alia aptiora, vt sint forma respectu traditionis vasorum, proferuntur ab Episcopo ordinante; quia ea verba, prout relata ad eam traditionem, sufficienter denotant potestatem ad dictam actionem, & non alia, & aliàs moraliter coniunguntur cum ea traditione.

DIFFICVLTAS XIV.

Quæ sit materia & quæ forma in ordinationibus minoribus.

COnueniunt Doctores, in ordinatione Ostiarij materiam proximam esse traditionem clauium Ecclesiæ, & verba ipsi correspondentia esse formam: & materiam proximam in ordinatione Lectoris esse traditionem libri Lectionum, qui *Lectionarius* dicitur, & formam esse verba sub quibus fit: & materiam proximam in ordinatione Exorcistæ esse traditionem libri exorcismorum, formam verò esse verba ipsi correspondentia: & quoad omnia prædicta, constat ex Pontificali Romano, & etiam ex Decreto Eugenij IV. dum lo- Eugen. IV quens de materia minorum ordinationum, significat consistere in rerum ad sua ministeria pertinentium assignatione, & meritò: quia per singulas dictas traditiones, & per verba ipsis correspondentia, denotatur potestas ad proprias actiones singularum dictarum ordinationum.

Est tamen difficultas, quæ sit materia & quæ forma in ordinatione Acolythi.

Durandus in 4. dist. 24. quæst. 3. & Paludanus Durandus. Paludan. q. 2. art. 3. docent, materiam proximam ordinationis Acolythi esse traditionem Vrceoli vacui, & verba ipsi correspondentia esse formam: quia per eam traditionem, & per ea verba, denotatur potestas ad implendos vrceolos vino & aqua, & ad eos suggerendos, quod est propria actio Acolythi.

Bonauentura in 4. dist. 24. par. 2. dub. 5. Richar- Bonauent. dus art. 4 q. 3. & Angelus v. *Ordo*, n. 4. docent, ma- Richardus. teriam proximam in ordinatione Acolythi esse Angelus. traditionem Candelabri cum cereo extincto, & verba ipsi correspondentia esse formam: quia per eam traditionem, & per ea verba, denotatur potestas ad accendendos cereos, & eos deferendos ante Sacerdotem, quod videtur præcipua actio Acolythi.

Viguerius verò cap. 16. §. 6. Vasquez disp. 237. Viguerius. n. 35. Henriquez lib. 10. ca. 2. & Adamus disp. 7. Vasquez. q. 2. dub. 3. docent, materiam proximam in ordi- Henriq. natione Acolythi coalescere ex dicta vtraque tra- Adamus. ditione, & formam ex verbis vtrique correspondentibus, & meritò: quia per vtramque dictam traditionem, & per verba vtrique correspondentia, denotatur potestas ad duas dictas actiones quæ sunt propriæ Acolythi.

Quòd verò vna actio Acolythi sit principalior quàm altera (qualis videtur esse ministratio & suggestio vini & aquæ) non sufficit, vt in sola traditione rei, & in verbis ipsi correspondentibus,

quibus denotatur potestas ad actionem principaliorem, consistat tota ordinatio Acolythi, vt in simili diximus Difficultate præcedenti.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm ad valorem singularum ordinationum requiratur ex parte ordinandi tactus physicus rei, cuius traditione ordinatur.

SVpponimus, necessarium esse necessitate præcepti, quòd ordinandus physicè tangat rem seu materiam remotam, cuius traditione confertur Ordo, vt Calicem, Vrceolum, Librum, &c. vt patet ex praxi Ecclesiæ.

Hoc ergo supposito difficultas est, An dictus tactus physicus sit necessarius necessitate Sacramenti Ordinis, seu ad valorem illius.

S. Thomas. Paludan. Viguerius. Valentia. Ægidius. Bonacina.

S. Thomas in 4. dist. 24. q. 1. art. 1 quæstiunc. 5. ad 3. Paludanus q. 1. art. 1. Viguerius cap. 16. §. 6. Valentia disp. 9. q. 1. punct. 5. Ægidius disp. 2. n. 7. Bonacina disp. 8. quæst. vnica, puncto 3. & plures alij partem affirmatiuam tuentur: quia dictus tactus requiritur ad verificationem formæ, in qua dicitur, *Accipe* v. g. *librum*, aut *ceroferarium*; quia quod non apprehenditur aut tangitur, non accipitur: imò etiam requiritur ad verificationem formæ, quia porrigendo rem seu materiam, dicitur, *Accipe potestatem*, &c. quia tunc verbum *Accipe* etiam refertur ad rem illam, cuius traditione traditur dicta potestas; quia tunc potestas traditur traditione rei seu materiæ.

Auctores tamen huius sententiæ ita ad valorem ordinationis requirunt tactum physicum materiæ remotæ, vt non requirant tactum physicum & immediatum singulorum quæ pro materia offeruntur; quia in ordinatione Sacerdotis non requirunt tactum immediatum vini & hostiæ, sed contenti sunt tactu immediato Calicis, quo etiam mediatè tangitur vinum inclusum; & tactu immediato Patenæ, quo etiam mediatè tangitur hostia posita supra Patenam: & in Rituali Romano, in quo nihil necessarium omittitur, non fit mentio immediati tactus vini, neque hostiæ: imò non pauci ex illis dicunt, sufficere tactum immediatum Calicis, quo mediatè tangantur vinum in calice inclusum; & Patena & hostia supra Calicem positæ.

Albertus. Caietanus. Victoria. Armilla. Vasquez. Layman.

Albertus verò in 4. dist. 24. art. 38. Caietanus in Summa v. *Ordinantium & ordinandorum peccata*; Victoria n. 230. Armilla v. *Ordo*, num. 4. Vasquez disp. 246. & Laymannus cap. 5. partem negatiuam tradùt, & meritò: quia ad verificationem formæ, nempe *Accipe potestatem*, denotatam oblatione materiæ, vt contingit in maioribus ordinationibus, vel *Accipe librum*, &c. vt in minoribus, non est necessarius tactus physicus materiæ, adhuc mediatus: ergo absque fundamento ad valorem ordinationis requiritur. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia, vt quis verè & propriè dicat *Accipe* hoc vel illud, non est necessarium, vt ille cui offertur seu porrigitur, apprehendat seu accipiat illud, sed sufficit vt ipsi offeratur seu porrigatur, vt ex se patet, etiamsi, vt verba illa effectum moralem sui imperij habeant, necessarium sit conferri & accipi quod offertur. Adde, quòd si ex parte ordinandi necessaria esset acceptio ad verificationem dictæ formæ, non sufficeret tactus absque apprehensione seu tentione rei oblatæ; quia tactus absque apprehensione & tentione rei non est acceptio illius, & ideò Eugenius IV. in suo Decreto materiâ proximam ordinationis non solùm appellauit traditionem & dationem rei, sed etiam porrectionem & assignationem, quo significat, ad valorem ordinationis non esse necessariam traditionem & dationem materiæ, sed sufficere assignationem & porrectionem. Addimus, nomen *traditio* aliquando significare non translationem, sed porrectionem seu oblationem rei; ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Obseruandum est, quòd quamuis opinio nostra sit verior, quia tamen non est certa, ac proinde qui non tangeret materiam, non esset certò ordinatus; ideò qui ordinatus est Sacerdos absque tactu materiæ, grauiter peccat, si eo defectu & periculo adeò extraordinario non detecto, audiat confessiones, & Sacrificia pro alijs stipendio accepto offerat: quia nullus à tali Sacerdote absolutionem peteret, nisi in extrema necessitate; neque Sacrificia oblato stipendio, nisi in defectu aliorum: & rationabiliter conqueri potest, quòd Sacerdos sic ordinatus, prædicta acceptaret non detegendo defectum adeò extraordinarium, vt moraliter nequeat in suspicionem venire. Et idem est de Sacerdote ordinato solo tactu immediato Calicis, non tangendo immediatè Patenam, quia tunc non est certum validè ordinari; secùs verò si ordinetur tangendo immediatè Calicem & Patenam, quamuis non tangat immediatè hostiam, quia hoc tel maximè certum moraliter.

DIFFICVLTAS XVI.

Quos effectus tribuat Sacramentum Ordinis.

COnueniunt Catholici, Sacramentum Ordinis gratiam sanctificantem conferre; quod generaliter de omnibus Sacramentis nouæ legis definitur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & à Tridentino sess. 7. can. 6. de Sacramentis in genere; & id specialiter definitur sess. 21. c. 3. de Sacramento Ordinis, & constat ex Paulo 1. ad Timoth. 4. & 2. ad Timoth. 1.

Et quia Sacramentum Ordinis saltem per se non confert primam gratiam iustificantem, quia non est Sacramentum mortuorum, institutum ad viuificandam animam; confert augmentum gratiæ, quia est Sacramentum viuorum institutum ad augendam vitam, ac proinde in suscipiente requirit statum gratiæ; & ideò, qui est in statu peccati mortalis, vt illud suscipiat, tenetur aut Sacramentaliter confiteri, aut perfectè conteri, prout illi placuerit: quia nullo præcepto determinatè tenetur præmittere confessionem, in quo Doctores communiter conueniunt: ipsi autem augmento gratiæ per ordinationem collato annexa est ex institutione Christi collatio auxiliorum efficacium gratiæ, ad exercenda ministeria singulis Ordinibus propria.

Confertur autem dictum augmentum gratiæ per singulas dictas septem ordinationes; quia singulæ illæ sunt vera Sacramenta, vt diximus in præcedentibus; imò & per quamlibet partialem materiam,

materiam, & per quamlibet partialem formam, cuilibet partiali materiæ correſpondentem eiuſdem ordinationis, conſtantis ex pluribus materiis & formis, per quam confertur dicta poteſtas ad diſtinctum miniſterium, confertur diſtinctus gradus gratiæ, cui gradui annectitur collatio auxiliorum proportionatorum dicto miniſterio. Dicitur autem Ordo, verbi gratia Subdiaconi, conſtans ex pluribus partialibus formis, idem Ordo; quia ex Chriſti inſtitutione non ſunt ſeparandæ; & Ordo Sacerdotis conſtans ex partialibus materiis, & ex partialibus formis, etiam dicitur idem Ordo, tum ob rationem prædictam, nempe quia vna ordinatio Sacerdotis non eſt ſeparanda ab altera; tum etiam, quia ordinatio, aut quaſi ordinatio ad abſoluendum ſupponit ad ſui valorem ordinationem ad conſecrandum.

Conueniunt Secundò Catholici, per Sacramẽtum Ordinis imprimi characterem: quod definit Eugenius IV. in ſuo Decreto, & Patres Tridentini ſeſſ. 7. can. 9. de Sacramentis in genere, & ſeſſ. 21. can. 4. innixi perpetuæ & conſtanti traditioni Eccleſiæ; & per quamlibet ordinationem, quæ ſit Sacramentum, imprimi peculiarem & diſtinctũ characterem, ac proinde, iuxta noſtram ſententiam, ſecundùm quam, vt diximus in præcedentibus, omnes ſeptem ordinationes ſunt Sacramenta, imprimi ſeptem characteres integrantes vnum totalem; ſicut omnes ſeptem ordinationes integrant vnam totalem ordinationẽ, & vnum totale Sacramentũ.

Eugen. IV. Trident.

Eſt tamen difficultas, An per partiales ordinationes eiuſdem Ordinis, vt per ordinationem Sacerdotis ad conſecrandum, & per ordinationem ſeu quaſi ordinationem eiuſdem ad abſoluendum, & per ordinationem eiuſdem in Epiſcopum, conferantur diſtincti characteres partiales.

Vaſquez diſp. 139. n. 57. & diſp. 140. n. 54. Henriquez l. 10. c. 6. Reginaldus l. 30. c. 4. & Laymannus c. 4. docent, per priorem tantùm partialem ordinationem eiuſdem Ordinis imprimi characterem, non per poſteriores, ſed per has conferri nouas poteſtates ad noua miniſteria, conſiſtentes aut in extrinſeca denominatione deſtinationis diuerſæ ad illa miniſteria, aut in modis realibus intrinſecis ſuperadditis dicto characteri, vt ait Laymannus.

Vaſquez. Henriquez. Reginaldus Layman.

Paludanus verò in 4. diſt. 24. q. 7. a. 3. Bellarminus c. 5. & Ægidius diſp. 20. n. 74. docent, per diſtinctas ordinationes partiales ad diſtincta miniſteria eiuſdem Ordinis, vt Sacerdotij (& idem eſt Subdiaconi & Acolythi) imprimi diſtinctos characteres partiales, & meritò: quia conformius rationi eſt, quòd ſicut prior poteſtas per priorem ordinationem collata annectitur à Deo entitati phyſicæ characteris, ita etiam poſterior poteſtas, & noua collata per poſteriorem ordinationẽ, etiam annectatur nouæ entitati phyſicæ partiali characteris: nihilominùs ex eis partialibus characteribus vnus integratur eo modo, quo ex illis partialibus ordinationibus integratur vna.

Paludanus. Bellarmin. Ægidius.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm Epiſcopus ſit miniſter Sacramenti Ordinis.

COnueniunt Doctores, poteſtatem ordinariam conferendi Ordines Eccleſiaſticos eſſe apud Epiſcopum conſecratum, vt definit Tridentinum ſeſſ. 23. c. 4. & can. 7. & contra Gratianum conueniunt, Epiſcopum, quamuis excommunicatum, ſuſpenſum, hæreticum, & degradatum, poſſe validè ordinare, quamuis non licitè: quia poteſtas ad validè conferendum Ordines annexa eſt ex Chriſti inſtitutione characteri Epiſcopi, qui deleri non poteſt. Patres verò nonnulli, qui indicant ordinationem factam ab Epiſcopo excommunicato eſſe irritam, tantùm intendunt, non eſſe habendam vt legitimam, ad eum effectum, vt ſic ordinatus non permittatur vti Ordine ſic ſibi collato.

Trident.

Obſeruandum eſt Primò, vt optimè Vaſquez diſp. 243. c. 2. & Laymannus c. 9. poteſtatem ordinariam ordinandi eſſe apud Epiſcopum conſecratum, & ipſi conuenire tantùm ratione Ordinis Epiſcopalis, non ratione aliorum; & conſequenter Epiſcopum, quamuis carentem Ordinibus Diaconi & reliquis inferioribus (vt fieri poteſt) quia iſti non neceſſariò præſupponuntur ad valorem ordinationis in Epiſcopum, ſicut præſupponitur ordo Sacerdotalis, poſſe validè conferre, non ſolùm eos quos ipſe habet (in quo Doctores conueniunt) ſed etiam eos quibus caret, vt contra Silueſtrum v. *Ordo.* 2. & contra Henriquez lib. 10. c. 20. docent Vaſquez & Laymannus. Eos tamen, quibus caret, nequit licitè conferre; quia, qui caret inferioribus ordinibus, prohibitus eſt in ordine ſuperiori miniſtrare.

Vaſquez. Layman.

Obſeruandum eſt Secundò, quòd quamuis quilibet Epiſcopus poſſit quemlibet, capacem Ordinis, validè ordinare, nequit tamen licitè non ſibi ſubditum ordinare, niſi ex licentia proprij Epiſcopi; quia prohibitum eſt in Concil. Nicæno can. 17. dum in eo ordinatio aliter facta dicitur irrita; quia nequit aliter irrita cenſeri, niſi quia ſic ordinatus interdicitur Ordinem ſic ſuſceptum exercere; & id nouiter fuit prohibitum in Tridentino ſeſſ. 23. c. 8. de Reformatione, vbi Epiſcopo ordinanti non ſubditũ, imponitur pœna ſuſpenſionis à collatione Ordinum per vnum annum, & ipſi ordinato ab exercitio Ordinum ſic ſuſceptorum ad beneplacitum proprij Epiſcopi. Quilibet tamen fit ſubditus Epiſcopo quoad ſuſceptionem Ordinũ (vt exprimitur in cap. *Cum nullus*, de Temporibus ordinationum, in 6.) aut ratione natiuitatis in diœceſi illius (ad quod credo ſufficere, quòd in ea fortuitò natus ſit, quia in ea erat mater cauſa itineris vel negotij) aut ratione domicilij in illius diœceſi, aut ratione beneficij quod in eius diœceſi obtineat: ac proinde, qui natus eſt in vna diœceſi, & in alia habet domicilium, & in alia tertia habet beneficium, poterit à quolibet Epiſcopo ex illis tribus licitè ordinari. Conceditur tamen in Tridentino ſeſſ. 23. cap. 9. Epiſcopo, vt poſſit ordinare familiarem ſuum, quamuis non ſubditum, qui cum ipſo fuerit per triennium commoratus, cum onere concedendi illi beneficium quàm primùm vacet; quod intelligitur, quamuis nullum habeat patrimonium, & quamuis nullius Eccleſiæ vrgeat neceſſitas Clericorum: Epiſcopis verò merè titularibus, quamuis reſideant in locis exemptis, & nullius diœceſis, & in Monaſteriis prohibetur in Tridentino ſeſſ. 14. c. 2. de Reformatione, ordinare aliquem, quamuis ſuum familiarem, ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Pontificalium per vnum annum.

Conc. Nic.

Trident.

Trident.

Trident.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm alij non Episcopi sint ministri Sacramenti Ordinis.

COnueniunt Primò Catholici contra hæreticos, laicos non esse ordinarios ministros ordinationis; imò nec Ecclesiasticos non Episcopos, quamuis Sacerdotes.

Conueniunt Secundò Doctores, nullum non Sacerdotem (quamuis Cardinalem) posse esse ministrum ex commissione ordinationis à Christo institutæ, cui conuenit ratio Sacramenti; quia nec facto aliquo, nec alio fundamento constat non Sacerdoti posse committi.

Est tamen difficultas, An Sacerdotes non Episcopi possint esse ministri Sacramenti ordinationis ex commissione Romani Pontificis. Addimus, *ex commissione Romani Pontificis*, quia nec facto aliquo, nec alio fundamento agnoscitur posse ex commissione alterius.

Adrianus. Maior. Adrianus in 4. quæst. de Sacram. Confirmationis, art. 3. & Maior dist. 7. quæst. vnica, docent, Sacerdotes non Episcopos, quamuis Cardinales, non posse ex commissione Romani Pontificis Ordinem aliquem conferre, nec minorem: quia Christus nullum alium ministrum ordinationis instituit, nisi Episcopum.

Richardus. Siluester. Couarru. Bonacina. Richardus in 4. dist. 25. a. 1. q. 7. Siluester v. *Ordo.* 3. q. 7. Couarruuias lib. 1. Variarum, c. 10. n. 10. & Bonacina puncto 4. docent, Sacerdotem non Episcopum posse ex commissione Romani Pontificis Ordines minores conferre, quia id sæpè factum est; non verò maiores, quia id nec ex facto aliquo, nec aliunde constat.

Turrian. Franciscus Turrianus in Annot. ad Concil. Nicænum can. 54. & alij, quos refert Vasquez, existimant posse ex commissione Romani Pontificis quatuor minores & Subdiaconatum conferre, non verò reliquos.

Gabriel. Supplemento Gabriel in 4. dist. 25. quæst. 1. a. 3. & alij existimant, Sacerdotem non Episcopum posse ex commissione Pontificis conferre quatuor minores Ordines, & Subdiaconatum, & Diaconatum, sed non Sacerdotium: quia hoc numquam legitur factum.

Aureolus. Angelus. Glossa. Innoc. IV. Paporm. Vasquez. Ochagau. Aureolus verò apud Capreolum dist. 25. qu. 1. ar. 2. Angelus v. *Ordo.* 2. nu. 2. Glossa in can. *Peruenit.* distinct. 95. Innocentius IV. in cap. 4. de Consecratione, nu. 4. Panormitanus n. 9. Vasquez disp. 243. c. 4. & Ochagauia q. 7. docent, & meritò, Sacerdotem non Episcopum posse ex commissione Romani Pontificis omnes Ordines, vsque ad Sacerdotium inclusiuè, conferre. Quod indicat

Eugen. IV. Eugenius IV. in suo Decreto, dum ait: *Ordinarius minister huius Sacramenti* (nempe Ordinis) *est Episcopus.* quia eo indicat, non Episcopum posse ex commissione esse ministrum Sacramenti Ordinis, ac proinde omnium dictarum ordinationum, quia omnes sunt Sacramenta; & non est maior ratio vnius, quàm alterius. Et quamuis ordinatio Episcopi sit Sacramentum, tamen nequit esse minister principalior illius, ob discrimen inter ordinationē Episcopi, & inter ordinationem reliquorum ministrorum: quia Episcopus est superior omnibus aliis ministris, & indecens est, quòd ab inferiori benedicatur & consecretur, tamquam à principaliori ministro; & ob id creditur ex Christi institutione ordinationem Episcopi non posse committi non Episcopo, tamquam principaliori ministro, de quo dicemus Difficultate XIX.

Et id specialiter probatur, quoad omnes ordinationes inferiores, excepto Sacerdotio, ex facto ipso: quia de facto commissa est ab Innocentio VIII. facultas Abbatibus Ordinis Cistertiensis, conferendi suis subditis omnes Ordines, excepto Sacerdotio, in Bulla quadam contenta in noua Compilatione priuilegiorū ipsius Ordinis, priuilegio xiii. & quoad ordinationes Minores, & quoad ordinationem Subdiaconatus, constat, quia Victoria in Vi... Summa n. 235. affirmat se vidisse Bullam Pontificis, in qua eisdem Abbatibus concedebatur facultas conferendi suis subditis Ordines minores, & Subdiaconatum. Et quoad ordinationes minores constat; quia modò inest facultas Cardinalibus, etiam non Episcopis, & Abbatibus exemptis conferendi Ordines minores, quamuis in Tridentino ... sess. 25. c. 10. de Reformatione, Abbatibus, & aliis quibuscumque exemptis, existentibus intra aliquam diœcesim, prohibitum sit, nec vlli, nisi suo subdito regulari, primam tonsuram, ne minores Ordines conferant.

DIFFICVLTAS XIX.

Quot Episcopi requirantur ad valorem Ordinationis Episcopi.

SVpponimus Primò, in quo conueniunt Doctores, vno aut altero excepto, ordinationem Episcopi non posse committi non Episcopo, saltem tamquam ministro principaliori; quia est valdè indecens, maiorem à minori consecrari & benedici; & ex altera parte id nulla coniectura nulloque facto possumus affirmare: vnde Episcopus nequit validè ordinari, adhuc ex commissione Papæ, nisi saltem ab aliquo Episcopo.

Supponimus Secundò, ex decreto & constitutione Ecclesiæ, ordinationem Episcopi non posse nisi à tribus Episcopis fieri; & aliter, quàm à tribus, illicitè fieri.

Est tamen difficultas, An ad valorem ordinationis requiratur, quòd fiat à tribus Episcopis.

Paludanus apud Siluestrum v. *Consecratio.* ... num. 1. partem negatiuam tuetur, quam etiam indicant ipse Siluester & Armilla eodem verbo, n. ... & Antoninus 3. p. tit. 14. cap. 19. Et primò supponi videtur in can. 1. Apostolorum, dum dicitur, Episcopum debere à duobus vel à tribus Episcopis ordinari: & idem habetur apud Clementem ... l. 3. Constitut. c. 20. Quòd si ad valorem ordinationis non requiruntur tres Episcopi, non est ratio aliqua sufficiens, vt affirmemus vnum Episcopum non sufficere. Et id secundò etiam supponi videtur in Concilio Arausicano I. c. 21. dum statuitur, vt si duo Episcopi præsumpserint aliquem inuitum (intellige non omnino, sed aliqualiter tantùm inuitum) Episcopum facere, vterq; Episcopus ordinans deponatur, & in locum vnius substituatur qui vim passus est, & in locum alterius ordinetur alius. vbi supponitur, Episcopum verè ordinari à duobus Episcopis. Et Tertiò id supponere videbatur Simon Chananæus Apostolus, qui, vt refert Clemens lib. 8. Constitut. c. 27. alias 33. permittebat ordinationē Episcopi fieri à duobus vel à tribus Episcopis; & de ordinato ab vno statuit, vt tam ordinatus quàm ordinans deponatur: quòd si non esset verè ordinatus, deponi non posset.

Hostiensis

Hostiensis. Glossa. Bellarmin. Vasquez. Aegidius.

Hostiensis verò, & Glossa in cap. *Ne Episcopi*, de Tempor. ordinat. Bellarminus de Notis Ecclesiæ c. 8. Vasquez disput. 243. c. 6. & Ægidius disp. 20. dub. 9. docēt, ad valorem ordinationis Episcopi ad minus requiri tres Episcopos, & meritò: quia ad ordinationem Episcopi, ex institutione Christi requiruntur tres Episcopi: ergo requiruntur ad valorem ordinationis illius. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, quia ab initio nascentis Ecclesiæ ad ordinationem Episcopi fuerunt requisiti tres Episcopi, vt expressit Anacletus Epist. 2. &

Anacletus.

significat Paulus 1. ad Timoth. 4. dum supponit, ordinationem Timothei in Episcopum fuisse per impositionem manuum Presbyterij, id est conuentus Episcoporum, ad quem ad minus requiritur

Anicetus.

congregatio trium Episcoporum. Et idem Antecedens expressit Anicetus Papa Ep. ad Episcopos Galliæ c. 1. vbi loquens de ordinatione Iacobi Minoris in Episcopum Ierosolymæ, quam Anacletus refert factā à Petro & à Iacobo Maiore & à Ioanne, cuius verba ipse Anicetus adducit, sic ait: *Si autem non minùs quàm à tribus Apostolis tantus vir fuit ordinatus Episcopus, patet profectò eos formam instituente Domino tradidisse, non minùs quam à tribus Episcopis ordinari debere.* Et quamuis Iacobus Minor non fuerit ordinatus Episcopus ab illis, sed anteà immediatè fuerit à Christo, sicut alij Apostoli, & ab illis tribus tantùm fuerit assignatus Episcopus Ecclesiæ Ierosolymæ; nihilominùs hac assignatione facta ab illis tribus, denorata fuit forma instituta à Christo ad ordinationem Episcopi: quia voluerunt tres concurrere ad electionem & assignationem illius in Episcopum Ierosolymæ, vt in ea imitarentur formam à Christo institutam pro ordinatione Episcopi.

Bellarmin. Vasquez. Aegidius.

Prædictam tamen doctrinam limitant Bellarminus, Vasquez, & Ægidius, vt ad valorem ordinationis Episcopi requirantur tres Episcopi, tamquā ministri ordinarij; quia existimant, ex commissione Romani Pontificis sufficere vnum Episcopū; quia id fecit D. Augustinus Episcopus Cantuariensis ex cōmissione D. Gregorij, vt significatur in Responsione 8. D. Gregorij ad interrogationes ipsius Augustini: & id significat Simon Chananæus Apostolus apud Clementem l. 8. Constit. Apostolicarū cap. 27. aliàs 33. dum, postquam dixit, Episcopum ordinandū esse à duobus vel tribus, subdit, quòd si necessitas coëgerit ab vno ordinari, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum. Et quamuis non satis constet de veritate dicti facti D. Gregorij; quia textus, ex quo deducitur, est mēdosus; & quamuis non satis constet de auctoritate dicti libri Constitutionum, dictam tamen limitationem libenter admittimus, nempe ordinationem Episcopi posse validè fieri ab vno tantùm Episcopo, assistentibus tamen aliis duobus Sacerdotibus ex commissione Pontificis, loco aliorum duorum Episcoporum minùs principalium assistentium; quia credimus, ministrū ordinationis, qui est Ordinarius, esse ordinarium totius ordinationis; & qui potest esse ex commissione, posse esse ex commissione totius ordinationis à primo gradu vsque ad vltimum, etiam ordinationis Episcopi: quia ex vna parte non est maior ratio ob quam sit aut possit esse vnius ordinationis, & non alterius; & ex altera parte nulla est indecentia in eo, quòd Episcopus, qui est superior simplici Sacerdote, consecretur & benedicatur à simplicibus Sacerdotibus, tamquam à ministris minùs principalibus, ex commissione Pontificis: & quia esset in eo, quòd consecraretur & benediceretur à simplici Sacerdote, tamquam à principaliori ministro, quamuis fieret ex commissione Pontificis, ideò credimus adhuc ex ea non posse validè fieri à simplici Sacerdote, tamquā à principaliori ministro. Vt verò dicta commissio fiat licitè, requiritur causa aliqua considerabilis seu grauis, vt deducitur ex testimonio Chananæi, & ex facto D. Gregorij, quod non fuit factum absque graui aliqua causa: non tamen requiritur, vt commissio validè fiat; quia non est dispensatio in Iure aliquo diuino, sed concessio facultatis similis ei, quæ confertur ad absoluendum à reseruatis, quæ fit validè, quāuis fiat absq; causa.

Ad primum ergo fundamentum aduersariorū, desumptum ex canone 1. Apostolorum, & ex Clemente l. 3. Constitut. c. 2. respondemus, ibi significari, ad ordinationem Episcopi sufficere duos vel tres Episcopos simul cum Metropolitano, qui semper & immobiliter fuit Iure Ecclesiastico requisitus.

Ad secundum, desumptum ex Concilio Arausicano I. respondemus, quòd quādo in eo dicitur, ordinatum à duobus, quando inuitus ordinatur, substituendum esse loco vnius ordinantis, non intelligatur absq; noua ordinatione ipsius inuiti ordinati; cui non aduersatur quod subditur, nempe pro altero ordinante ordinandum esse alterū (quo videtur particulā *substituendum esse* non significari ordinandū esse) quia etiam dici potuit substituendum esse alterum, & forsan dicitur substituendum esse loco vnius ordinantis, quia fuit apparenter ordinatus, & pro altero ordinante dicitur ordinandum esse alterum; quia nullatenus fuit alter ordinatus adhuc apparenter.

Ad tertium, desumptū ex Chananæo, respondemus, quando de ordinato ab vno, & de illum ordinante ait, tam ordinantem quàm ordinatum deponendum esse, non supponere ordinatum ab vno esse verè ordinatum; quia eo verbo *deponendum esse* tantùm significat, ordinatum ab vno, non esse permittendum exercere officium Episcopi, quia non fuit verè ordinatus; & ordinantem, quia illicitè ordinauit.

DIFFICVLTAS XX.

Vtrùm feminæ ex institutione Christi sint capaces ordinationis Ecclesiasticæ.

PRocedit difficultas de ordinatione Ecclesiastica à Christo in Sacramentum instituta. Circa quam hæretici, dicti Pepuziani, existimarūt, etiam feminas ex Christi institutione esse capaces cuiuscumque ordinationis Ecclesiasticæ, etiam Episcopatus. Primò, quia id indicare videtur Paulus ad Galat. 3. dum ait, in Christo Iesu masculum & feminam vnum esse, & inter eos non esse discrimen. Secundò, quia femina potest esse prophetissa; qualis erat Maria soror Moysis, & Anna filia Phanuel, Lucæ 2. ergo potest esse clerica, imò Episcopa. Tertiò, quia antiquitus in Ecclesia fuerunt Subdiaconissæ, & Diaconissæ, & Presbyteræ, & Episcopæ, vt constat ex abrogatione ordinationis earū, facta à Græcis in Concilio Laodicensi can. 11. & refertur can. *Mulieres.* 32. distinct. & à Latinis in Concilio Arausicano I. can. 26.

Con. Laod.

Concilium Arausic.

Catholici tamen conueniunt, feminas ex Christi

institutione non esse capaces ordinationis à Christo institutæ: quod indicat Paulus 1. ad Corinth. 4. dum ait, turpe esse mulieri loqui in Ecclesia, adhuc interrogando; & ideò monet, vt si quid velint discere, domi viros suos interrogent: turpius autem est, feminam in Ecclesia Sacrificium offerre, & sacrificanti ministrare. Et id constat ex eo, quòd Christus nec suam matrem, nec Magdalenam, neque aliam feminam, nec Ecclesia feminam aliquam ordinauerit, quod absque dubio Christus aut Ecclesia fecisset, si ex Christi institutione id posset validè fieri.

Ad primum ergo fundamentum hæreticorum respondemus, Paulum ibi tantùm voluisse significare, inter masculum & feminam nullum esse discrimen in Christo, quoad iustificationem & meritum. Ad secundum concedimus, feminas posse esse & fuisse prophetissas; negamus tamen, posse ordinari: quia prophetia absque indecentia potest esse in femina, & non ordinatio; quia prophetia non constituit feminam superiorem in Ecclesia, benè tamen ordinatio; & ideò ex Christi institutione non fuit facta habilis ad ordinationem ab ipso institutam.

Ad tertium respondemus, olim aliquas institui Diaconissas, non ordinatione Diaconatus ad munus Ecclesiasticum Diaconi, sed ad curam feminarum, vt eis in quibusdã necessitatibus assisterent, præsertim in ordine ad Baptismum suscipiendũ, & ad iam susceptum, vt indicat Epiphanius Hæresi 69. & præter has fuisse alias Diaconissas non ob aliquod officium, sed quia erant vxores virorũ, qui separatione facta quoad torum, ordinabantur Diaconi; & simili ratione erant aliæ Subdiaconissæ, & aliæ Presbyteræ, & aliæ Episcopæ, quia earum viri simili separatione facta ordinati erant aut Subdiaconi, aut Presbyteri, aut Episcopi, de quo legendus est Vasquez disp. 245. & Laymannus cap. 6.

Epiphan.

Obseruandum est contra Vasquez, Laymannum & Ochagauiã, vt optimè Paludanus in 4. dist. 25. q. 3. a. 1. ex dispensatione Pontificis feminas posse validè tonsura clericali initiari, etiamsi prima tonsura tribuatur masculis tamquam præuium ad ordinationem: quia hæc ordinatio est ex sola institutione Ecclesiæ; & non repugnat feminam esse capacem illius, quod in masculis est præparatio præuia, quamuis non sit capax eius ad quod est præparatio in masculis. Et ob eamdem rationem possent ex dispensatione Pontificis quatuor minoribus Ordinibus initiari, si non essent ex Christi institutione, sed tantùm ex institutione Ecclesiæ, vt credunt Vasquez & alij. Circa hermaphroditum legatur Laymannus libro 1. in priori Tomo, Bonacina disputat. 8. quæst. vnica, par. 5. & noster Tractatus de Irregularitate, Disputat. 11. Difficultate XIV.

Paludanus.

Layman.
Bonacina.

Est tamen difficultas, An infantes ante vsum rationis sint capaces ordinationis: & idem est de perpetuò amente.

Durandus in 4. dist. 25. q. 2. & Petrus Sotus de Institutione Sacerdotum, lect. 5. partem negatiuam tuentur: quia ordinans verbis formæ dicit ordinãdo, *Accipe*, aut *potestatem*, aut *Spiritum sanctum*, aut *librum*, aut aliam rem sensibilem; quæ verba cùm sint imperij, necessariò sunt dirigẽda ad eum qui capax est imperij passiui, cuius infans ante vsum rationis est incapax.

S. Thomas verò in 4. dist. 25. q. 1. a. 1. quæstiunc. 2. Scotus q. 2. Vasquez disp. 246. & cõmuniter Doctores partem affirmatiuam meritò tradunt. Et id quoad Ordines minores, & quoad Subdiaconatũ, supponitur in c. vnic. de Clerico per saltum promoto. Quòd si infans ante vsum rationis est capax dictorum Ordinum, etiam erit aliorum, adhuc Episcopatus; quia minores Ordines, & saltẽ Diaconatus, non minùs sunt Sacramẽtum, & non minùs imprimunt characterem, quàm reliqui maiores. Et ratione probatur, quia infans capax est omnium Sacramentorum, quæ non requirunt essentialiter conditionem aliquam statui infantiæ repugnantem; quia est capax Baptismi, & Confirmationis, & Eucharistiæ, quia non requirunt talem conditionem; & non est capax Matrimonij, nec Pœnitentiæ, quia essentialiter requirunt actus liberos; nec Extremæ Vnctionis, quia tantùm instituta est pro his, qui pro tempore, quo confertur, possint habere peccata actualia, aut debitum pœnæ restantis, & qui possint egere auxiliis ad resistendum dæmoni: Sacramentum autem Ordinis, adhuc Episcopatus, nullam requirit conditionem repugnantem statui infantiæ.

Ad rationem ergo pro aduersariis respondemus, illo verbo *Accipe* in forma ordinationis, non denotari imperium propriè & in rigore, quod tãtùm dirigitur ad eum qui est capax imperij passiui, cuius infans non est capax; sed tantùm denotari efficaciam & infallibilem vim Sacramenti Ordinis ad collationem potestatis & gratiæ, quarum infans est capax: & quamuis ad valorem ordinationis requiratur tactus physicus materiæ illius, cuius oblatione confertur potestas (quod nos negamus) infans est capax illius.

Sed quamuis ex institutione Christi (& consequenter ad valorem Ordinis) nulla certa ætas requisita sit in Ordinando, tamen ex Iure Ecclesiastico (& consequenter, vt licitè fiat) pro prima tonsura requisitum est septennium in Rubrica Pontificalis, de Ordinibus conferendis: imò in Tridentino sess. 23. c. 4. de Reformatione, pro prima tonsura requiritur certa scientia (de qua postea dicemus) quæ regulariter non inuenitur ante nonum annum. Pro minoribus vero Ordinibus nulla in Iure præscribitur certa ætas: ea tamen qualitas requiritur à Tridentino c. 11. quæ regulariter non inuenitur ante 12. annum. Pro maioribus autem Ordinibus nouissimè in Tridentino sess. 23. c. 12. de Reformatione præscribitur, vt nullus ad Subdiaconatum ante 22. & ad Diaconatum ante 23. & ad Presbyteratum ante 25. ætatis suæ annum promoueatur: vnde qui habet 22. inchoatum, ordinari potest Subdiaconus, & sic de aliis duobus; quia qui inchoauit annum, iam est in eo, & non ante eum.

Et id voluit Tridentinum etiam in ordinatione Regulariũ obseruari, non obstãtibus quibuscumq; pri-

DIFFICVLTAS XXI.

De ætate requisita ad ordinationem Ecclesiasticam suscipiendam.

COnueniunt Doctores, quemcumque masculum, habentem vsum rationis, esse capacem ordinationis Ecclesiasticæ: quia Christus in habente vsum rationis nullam præscripsit ætatem ad suscipiendam validè ordinationem, sicut nec ad validè suscipienda reliqua Sacramenta.

priuilegiis, quo reuocatum manſit priuilegium Minoribus ab Innocentio VIII. conceſſum, vt Generalis & Prouincialis poſſint diſpenſare, vt Religioſi ipſis ſubditi poſſint 22. anno completo ad Presbyteratum promoueri. Et quamuis Pius V. *Pius V.* voluit, vt Mendicantes non obſtante Tridentino, *Greg. XIII* vterentur ſuis priuilegiis; tamen Gregorius XIII. reuocauit, vt conſtat ex Motu proprio, qui exſtat apud Nauarrum in fine Summæ. Et quamuis poſteà ipſe Gregorius XIII. (vt Cardinales Congregationis Tridentini referunt) reſtituerit Mendicantibus ſua priuilegia, ſed in foro tantùm conſcientiæ; & ideò non poſſunt vti dicto priuilegio diſpenſandi in dicta ætate ad Presbyteratum requiſita: quia Superiores non aliter ordinant ſuos ſubditos, quàm mittendo illos ad Epiſcopum cum literis dimiſſoriis, & in eis debet contineri vera teſtificatio ætatis, vt priuilegium proſit; ac proinde diſpenſatio in ea ætate non poteſt fieri niſi in foro exteriori, ad quam vt ſic non habent priuile- *Vaſquez.* gium. Ad hoc tamen, vt aduertit Vaſquez nu. 45. poterit dictũ priuilegiũ prodeſſe Regularibus, vt ſi fortè aliquis bona fide ordinetur ante 25. annũ, poſt 22. poſſit Prouincialis diſpenſare cum illo, vt exerceat Ordinem. Pro Epiſcopatu nulla Iure nouo Eccleſiaſtico præſcripta eſt ætas; Iure tamen Eccleſiaſtico antiquo cap. *Cum in cunctis.* de Electione, præſcripta eſt ætas 30. annorũ completorũ.

DIFFICVLTAS XXII.

De qualitate ordinandorum.

Trident. PRo prima tonſura in Tridentino ſeſſ. 23. c. 4. de Reformatione, præſcribitur, vt ea initiandus ſuſceperit Confirmationẽ, & rudimenta fidei ſciat & legere, & ſcribere, & quòd non initietur ille de quo non ſit probabilis coniectura, quòd eligat id genus vitæ, vt Deo fideliter ſeruiat, & non vt declinet iudicium ſæculare. Nihilominùs, quia Tridentinum nullum quoad prædicta tradit præceptum, ſed tantùm ſimplicem monitionem, ideò Epiſcopus, qui ordinat eum quẽ prudenter timet habere intentionem ducendi vxorem, & is qui, habens eam intentionẽ, ordinatur, non peccat ſaltẽ mortaliter: & idem eſt de ordinante, & de eo qui ordinatur abſque reliquis prędictis, excepta ſcientia, quoad primam tonſuram, & quoad reliquos Ordines; quia quamuis ſcientia præſcripta à Tridentino pro illis, non ſit ab ipſo requiſita ex neceſſitate, eſt tamen ſic requiſita in can. *Illiteratos.* diſtinct. 36. & in c. *Cum in cunctis.* de Electione. & in cap. finali, de Temporibus ordinationum, in 6.

Trident. Pro quatuor verò minoribus Ordinibus Tridentinum c. 11. præſcribit, vt ad eos non admittantur, qui ignorant linguam Latinam, & de quibus non ſperetur habituros ſcientiam ſufficientem ad maiores Ordines.

Trident. Pro Subdiaconatu & Diaconatu Tridentinum cap. 13. præſcribit, vt eis initiandi habeant bonum teſtimonium, & ſint in minoribus Ordinibus probati, & ſint literis, & his quæ ad eos exercendos pertinent, inſtructi, & ſperent ſe ſeruaturos continentiam. Sed quia ea, quæ ad eos exercendos pertinent, facilè poſſunt ex Rubricis Miſſalis addiſci, ideò poſſunt abſque indecentia ordinari, quamuis ea non ſciant antea.

Trident. Pro Sacerdotio verò Tridentinum cap. 14. præſcribit, vt eo initiandi habeant bonum teſtimoniũ, & qui poſſint populum docere quę neceſſaria ſunt ad ſalutem, & ad rectè adminiſtranda Sacramenta, ſubintellige Baptiſmum, Euchariſtiam, & Extremã Vnctionem, non Pœnitentiam; quia ad hanc adminiſtrandam noua approbatio requiritur ab ipſo Tridentino c. 15. Ex eo verò, quòd in articulo mor- *Trident.* tis pœnitentis poſſint pœnitentiam abſque noua approbatione adminiſtrare, quando non eſt alius approbatus, non videtur neceſſarium, vt ante ordinationem ſciant neceſſaria ad id, imò nec poſt ordinationem; quia eſt caſus riſſimus, pro quo non videtur neceſſarium, neminem ordinari Sacerdotem, qui non ſciat neceſſaria ad id. Deinde pro eis, qui maioribus initiantur, ſtatuit Tridentinum ſeſſ. 21. c. 2. de Reformatione, ne quis (ſubintellige, ſæcularis) maioribus ordinetur, niſi habeat congruam ſuſtentationem ex beneficio certo, aut ex penſione, aut ex patrimonio: imò quando non ex beneficio, ſed ex penſione, aut patrimonio, non niſi pro neceſſitate aut commoditate Eccleſiæ ordinandi: qui verò ficto patrimonio, aut ficta penſione, aut ficto beneficio ordinatur, grauiter peccat; tamen non eſt ſuſpenſus, vt aduertimus Tractatu de Suſpenſione, Difficultate XIII.

DIFFICVLTAS XXIII.

De temporibus ordinationum.

CErtum eſt, primam tonſuram quouis anni tẽpore, & quauis die, & hora, & loco dari poſſe, & etiã, vt dicitur in Pontificali, minores Ordines quauis die Dominica: imò vnam aut alteram perſonam, quouis die feſto poſſe ad minores Ordines promoueri: Subdiaconatum verò (& conſequẽter Diaconatum & Presbyteratum) non niſi in Sabbato Quatuor Temporum anni, & in Sabbato ante Dominicam paſſionis, & in Sabbato ſancto ante Dominicam Reſurrectionis, vt dicitur in c. *De eo autem.* de Temporibus ordinationum: in quibus etiam poſſunt minores Ordines conferri. Imò in Hiſpania conſuetudine receptum eſt, vt in ieiunio Quatuor Temporũ ante Sabbatum minores Ordines conferri poſſint; quod introductum eſt, ne quis in eodem die Sabbati ſimul recipiat ordines Minores, & Subdiaconatũ, quãuis id non ſit prohibitum, vt aduertit Vaſquez diſp. 246. nu. 47. ſed *Vaſquez.* tantùm in eodem recipi duos Ordines ſacros, in c. *Dilectis.* de Temporibus ordinationũ, & in Tri- *Trident.* dentino ſeſſ. 23. c. 13. de Reformatione. Epiſcopatum autem non poſſe cõferri niſi in die Dominica, cõſtat ex antiqua praxi Eccleſiæ, & tradit Leo I. E- *Leo I.* piſt. 79. cap. 1. & refertur in can. *Quod dic.* diſt. 75.

Circa interſtitia ſeu interualla temporis quo vnus ordo confertur, vſque ad tempus quo alius conferri poſſit, in Tridentino ſeſſ. 23. c. 11. dicitur, *Trident.* minores Ordines per interſtitia conferendos eſſe, niſi aliud Epiſcopo magis expedire videatur; vbi tempus interſtitij ſeu interualli non aſſignatur, ac proinde remittitur arbitrio Epiſcopi: ſed iam in Hiſpania conſuetudine introductum eſt, vt minores Ordines eadem die abſque interſtitiis conferãtur. Et in eodem cap. dicitur, nemini conferendum eſſe Subdiaconatum, niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum Ordinum; nec Diaconatũ, niſi poſt alterũ annum à ſuſceptione Subdiaconatus, vt patet ex c. 13. nec Presbyteratũ, niſi poſt alterum annum à ſuſceptione Diaconatus, vt patet ex cap. 14. Iudicio tamen Epiſcopi relinquitur, vt in interſtitiis diſpenſet, prout neceſſitas vel

vtilitas Ecclesiæ postulauerit, quæ verè postulat vt ordinetur, qui habet beneficium, aut capellaniam cum obligatione celebrandi Sacrum, & etiam (vt Congregatio Cardinalium declarauit) vt ordinetur qui in literis aut in virtute magnos fecit profectus; quia is ordinatus, erit vtilis Ecclesiæ. Præposito autem Generali Societatis Iesu, & delegatis ipsius, concessa est facultas à Gregorio XIII. dispensandi cum suis subditis in interstitiis; quæ cõmunicata & delegata est Prouincialibus, vt constat ex Compendio suorum priuilegiorum, v. *Ordinis.* §. 3. & noluit vt in eo priuilegio Religio alia communicet cum Societate: vnde quando nostri mittuntur à Prouinciali vt ordinentur, mittuntur dispensati ab ipso in interstitiis, nulla egentes dispensatione Episcopi.

Greg. XIII

DIFFICVLTAS XXIV.

Quo Jure prohibitum sit, sacris & maioribus Ordinibus initiatum, Matrimonium contrahere.

SVpponimus, in quo Doctores cõueniunt, sacris & maioribus Ordinibus initiatos, prohibitos esse matrimonium contrahere, & esse inhabiles ad id, vt constat ex Tridentino sess. 24. can. 9. imò ab initio Ecclesiæ Christianæ fuisse prohibitos matrimonium contrahere, constat ex can. 27. Apostolorum, in quo ex Clericis tãtùm permittitur Cantoribus & Lectoribus matrimonium contrahere; quæ prohibitio post paucos annos videtur contrario vsu abrogata quoad initiatos minoribus Ordinibus, & Subdiaconatu, vt deducitur ex c. *A multis.* de Ætate & qualitate & ordine, edito ab Innocentio III dum dicitur, Subdiaconatum nõ fuisse Ordinem sacrum in primitiua Ecclesia; quia eo significatur, tunc non fuisse illi annexam obligationem non cõtrahendi matrimonium, ex quo Ordo dicitur sacer, vt satis insinuatur in dicto c. *A multis.* Prædicta tamen prohibitio renouata fuit quoad Subdiaconos, Diaconos & Presbyteros in Sexta Synodo generali in Trullo can. 6. approbato in dicto c. *A multis*; & modò perseuerat in tota Ecclesia, tam Græca quàm Latina: & in Ecclesia Latina qui illud de facto contrahunt, incurrunt ipso facto excommunicationem maiorem, latam in Clement. vnica, de Consanguinitate & affinitate; & fuisse inhabiles ad id à tempore Calixti II. deducitur ex can. *Presbyteris*, dist. 27. edito ab ipso in Concilio Romano cap. 2.

Trident. *Innoc.* III. *Conc. Rom.*

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, sacris initiatos, prohibitos esse matrimonium contrahere ex lege Ecclesiastica, siue immediatè & ratione sui, siue mediatè, mediante videlicet voto ex lege Ecclesiastica annexo Ordinibus sacris, de quo dicemus Difficultate XXVI.

Est tamen difficultas, An sacris initiati sint etiam Iure diuino positiuo prohibiti matrimonium contrahere.

Clichtouæus lib. 1. de Continentia c. 13. Medina lib. 2. de Continentia c. 7. Maior in 4. dist. 24. q. 2. Waldensis de Sacramentis cap. 28. & Franciscus Turrianus lib. de Sexta, septima, & octaua Synodo Generali, in expositione sexti Canonis sextę Synodi, docent, sacris initiatos, etiã Iure diuino esse prohibitos matrimoniũ contrahere. Primò, quia dicta prohibitio continetur in Scriptura, quia 1. ad Timoth. 3. dicitur, quòd Episcopus sit tantùm vnius vxoris vir; & paulò inferiùs idem subdit de Diaconis, & ad Titum 1. de Presbyteris. Secũdò, quia id prohibetur ab Apostolis can. 27. quem Patres Trullani renouarunt can. 6. Sextæ Synodi. Tertiò, quia in Synodo Neocæsariensi can. 1. & in Concilio Romano sub Silueſtro can. 19. statuitur, vt Presbyter, qui post ordinationem vxorem duxerit, ab ordine deponatur: & in Concilio Aurelianensi III. can. 7. idem prohibetur sub pœna excõmunicationis. Tunc autem non imponebantur pœnæ adeò graues, nisi pro transgressione Iuris diuini. Quarto, quia prohibitio hæc sancita fuit, & seruatur in vtraque Ecclesia, tam Græca quàm Latina; ergo est diuina, & non purè Ecclesiastica; quia mirum esset, vtramque Ecclesiam in eo conformari, sicut nec conformantur in castitate seruanda ab ordinatis post matrimonium; quia Græci, qui post matrimonium ordinantur, eo vtuntur, & licitè, vt dicemus Difficultate sequenti.

Clichtoueus. *Medina.* *Maior.* *VValdensis* *Franciscus Turrian.*

Sotus verò in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. Bellarminus l. 1. de Clericis, c. 18. Vasquez disp. 248. Ægidius disp. 20. du. 11. & Laymannus c. 11. docent, & meritò, sacris initiatos non Iure diuino, sed Iure tantùm Ecclesiastico, siue mediatè siue immediatè esse prohibitos matrimonium contrahere. Quod specialiter de Subdiaconis significat Innocentius III. in dicto c. *A multis*, dum ait, Subdiaconum non semper habuisse annexam obligationem continentiæ, ac proinde non ex Iure diuino. Et id generaliter de Ordinibus sacris satis indicat Tridentinum sess. 24. can. 9. dum ait: *Si quis dixerit, Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit*: quia dum sacris Ordinibus initiatos non posse licitè nec validè contrahere, attribuit legi Ecclesiasticæ, vel voto, nulla mentione facta legis diuinæ, satis indicat, neutrum ex lege diuina dimanare; quia huius primò mentionem fecisset. Et id probatur ex eo, quòd nullo sufficienti fundamẽto constat Deum id prohibuisse; quia non primo, nec secundo aduersariorum; quia his tantùm probatur, dictam prohibitionem esse Apostolicam, non diuinam: & id ad summum probatur quarto aduersariorum fundamento. Addimus *ad summum*, quia Ecclesia Græca & Latina benè possunt conformari ad tradendam & seruandam prohibitionem aliquã, quamuis non diuinam, nec Apostolicam. Quòd verò in Concilio Neocæsariensi & in Romano id prohibeatur sub dictis pœnis, non cõuincit dictam prohibitionem esse diuinam; quia pro transgressione legis humanæ, etiam tunc passim imponebantur prædictæ pœnæ.

Bellarm. *Vasquez* *Ægidius* *Laym.*

Quòd verò Ordo sacer non reddat personas inhabiles Iure diuino ad matrimonium, & id non irritet, sed tantùm Iure Ecclesiastico, diximus Tractatu de Matrimonio, Disp. XVI. Difficultate 1.

Quòd autem prohibitio Ecclesiastica, qua sacris initiati prohibentur matrimonium contrahere, & fiunt inhabiles ad id, sit rationabilis & sanctissima, & non parum congrua ministris altaris (quod hæretici impugnant) ita manifestum est, vt necessarium non sit id expendere, nec obiectionibus hæreticorum satisfacere: id tamen poterit videri apud Vasquez, Ægidium & Laymannum.

Vasq. *Ægid.* *Laym.*

Addimus, eo ipso, quod sacris initiati prohibentur matrimonium cõtrahere, etiam prohiberi fornicari:

nicari: quia matrimonium ipsis prohibetur propter copulam; prohibetur autem illis tam matrimonium quàm fornicatio intuitu obseruantiæ & reuerentiæ Ordinis; ac proinde peccatum contra dictam prohibitionem est quasi sacrilegij, non contra Religionem, sed contra duliam sacram erga personas sacras.

DIFFICVLTAS XXV.

Quo Iure prohibitum sit Sacris initiatos vti Matrimonio ante Ordines contracto.

SVpponimus, sacris initiatos, anteà coniugatos, saltem Iure Ecclesiastico, siue immediatè & ratione sui, siue mediatè ratione voti ex lege Ecclesiastica annexi Ordini sacro, prohibitos fuisse, & ab initio Ecclesiæ matrimonio anteà contracto vti: quod significat Clemens Romanus Epist. ad Iacobum fratrem Domini, vel potiùs ad Simeonem, dum ait: *Quod si post ordinationem ministro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, sacrarij non intret limina, nec sacrificij portitor fiat.*; quod ab Apostolo Petro accepisse testatur. Idem quoque constat ex Sixto III. lib. de Castitate, & ex Siricio Papa Epist. 4. quæ est in Concilio Tellensi, & ex Epiphanio lib. Aduersus hæreses, Hæresi 59.

Clem. Rom. *Sixtus III.* *Siric. Papa* *Conc. Tel.* *Epiphan.*

Hoc ergo supposito, difficultas est, An sacris initiati post matrimonium contractum, sint etiam Iure diuino prohibiti vti matrimonio anteà contracto.

Turrian.

Franciscus Turrian. lib de 6.7.& 8. Synodo generali in expositione 3. canonis Sextæ Synodi, & lib. 2. de Dogmaticis characteribus, partem affirmatiuã tuetur, quam latissimè probat testimoniis Scripturæ, Conciliorum, Pontificũ, & Patrum; quæ omittimus, quia sunt longa & facilia, & videri possunt apud Vasquez disput. 237.

S. Thomas. *Medina.* *Bellarm.* *Vasquez*

S. Thomas verò 2.2.q. 88. ar. 11. Medina l. 1. de Continentia, cap. 7. Bellarminus lib. 1. de Clericis, Vasquez & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò. Primò, quia nullo sufficienti fundamento constat, Deum sacris initiatis vsum matrimonij anteà contracti prohibuisse. Secundò, quia Græcis sacris initiatis (exceptis Episcopis) licitum fuit, imò & modò est, vti matrimonio anteà contracto; ergo id non est prohibitũ Iure diuino. Consequentia patet, quia Iure diuino omnes tenentur. Antecedens autẽ constat ex Stephano Papa III. in Conc. Lateranensi, & refertur in can. *Aliter.* d. 31. & ex Clemente III. in c. *Quæsitum.* de Pœnitentiis & remissionibus, & ex Innocentio III. in cap. *Cum olim.* de Clericis coniugatis, & ex Concilio Lateranensi sub eodem Innocentio III. ex Græcis & ex Latinis congregato, c. 14. & ex Sexta Synodo in Trullo congregata can. 13. vbi illis tantùm prohibetur vsus matrimonij pro tempore vicis suæ: quod etiam Gregorius libro 1. Epistolarum Epist. 42. docet de Subdiaconis, Siciliæ tunc existentibus, & refertur in can. *Ante triennium*, distinct. 31.

Stephanus Papa III. Conc. Lat. Clem. III. *Innoc. III.* *Syn. Trul.* *Gregor.*

Prædicta tamen lex Ecclesiastica non vtendi matrimonio ante Ordines sacros cõtracto, non solùm in Ecclesia Græca, contraria consuetudine abrogata fuit, vt deducitur ex dictis, etiamsi posteà in tota Græcia, aut in aliquibus partibus reuixerit (vsque ad Sextam Synodum, post cuius tempus omnino reuocata mansit) vt indicat Epiphanius Hæresi 59. & Hieronymus Epist. 53. dum supponunt, Clericos non posse vti matrimonio anteà contracto; sed etiam reuocata fuit in Ecclesia Latina ante Concilium Illiberitanum (cui præfuit Hosius Cordubẽsis, qui etiam præfuit Concilio Nicæno) vt indicatur can. 33. illius, dum innouatur primitiua prohibitio his verbis: *Placuit in totum* (id est pro omni tempore, & non tantùm pro tempore vicis suæ) *prohiberi Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, positis in ministerio* (id est, qui sunt proximè & immediatè deseruientes in altari) *abstinere à se coniugibus suis, & non generare filios.* quæ ex tunc permansit & permanet.

Con. Illiber. *Con. Nic.*

DIFFICVLTAS XXVI.

Vtrùm Sacris initiati obligentur ad continentiam lege Ecclesiastica immediatè, an mediante voto.

SVpponimus, in quo conueniunt Doctores, sacris initiatos in Ecclesia Latina ad continentiam ab omni actu Venereo teneri.

Est tamen difficultas, Quo teneantur ad id?

Scotus. *Paludanus* *Valentia.*

Scotus in 4 dist. 37. q. 1. Paludanus q. 1. art. 2. & Valentia q. 5. puncto 5. docent, sacris initiatos Iure Ecclesiastico & immediatè teneri ad dictam continentiam, & non voto. Eo in primis teneri Iure Ecclesiastico, probatur, quia aliàs, qui omnino ignoraret annexum esse votũ continentiæ sacris Ordinibus, aut qui id sciens intenderet non vouere, non contraheret peculiarem obligationem continentiæ, quod videtur falsum. Quòd verò non teneatur voto, probatur, quia qui sacris initiantur, etiamsi ab Episcopo de cõtinentia seruanda admoneantur, nullum tamen continentiæ votum emittunt; ergo ad illam non obligantur voto, quia nemo obligatur voto, nisi à se ipso emisso.

Caietanus. *Medina.* *Vasquez.*

Caietanus Tom. 1. tract. 27. Medina l. 5. de Cõtinentia, c. 2. & Vasquez dis. 247. docent, Sacris initiatos non teneri immediatè ad continentiã ex lege Ecclesiæ, sed teneri immediatè ex voto sacris Ordinibus ex lege Ecclesiastica annexo. Et in primis teneri ex voto, supponi videtur in c. *Cum olim.* de Clericis coniugatis, & maximè in c. vnico de Voto & voti redemptione, in 6. Quòd verò non teneantur immediatè ex lege Ecclesiastica, probatur, quia aliàs Sacris initiatus, qui ad propriam vel ad alienam accederet, duplici peccato peculiari, superaddito peccato luxuriæ, peccaret, vno infidelitatis seu irreligionis contra religionem erga Deum, cõtra votum altero quasi irreligionis contra duliam, ratione prohibitionis Ecclesiasticæ intuitu status Ecclesiastici, quod videtur durum.

Ægidius. *Rebellus.*

Ægidius verò disp. 20. dub. 13. Rebellus l. 3. de Matrimonij impedimentis, qu. 10. docent, sacris initiatos ad dictam continentiã teneri, non solùm voto Ordinibus sacris ex lege Ecclesiastica annexo, si illud saltem implicitè emiserunt; sed etiam immediatè lege Ecclesiastica.

Gregorius.

Et in primis Ordinibus sacris ex lege Ecclesiæ annexum esse votum continentiæ, constat ex Gregorio l. 1. Ep. 42. & refertur can. *Nullum.* dist. 28. vbi præcipit, vt nullus deinceps Subdiaconus ordinetur, nisi priùs se castè victurum promittat; & etiam vt votum continentiæ ab ordinandis sacris Ordinibus exigatur: imò in c. *Cum olim.* de Clericis coniugatis, & maximè in cap. vnico de Voto & voti redemptione, in 6. supponitur votum continentiæ in ipsa Ordinis susceptione emitti. vbi nomine *voti* nequit intelligi lex Ecclesiastica continentiæ, vt ex contextu posterioris capituli cõstat.

Epiphan. *Hieron.*

Hoc

Hoc ergo suppositò, constat, sacris initiatos ad continentiam teneri voto, quia verè emittunt votũ continentiæ, si non explicitè, saltem implicitè, Ordinem sacrum suscipiendo, quando illum scienter susciunt, & dictam annexionem scientes. Ex quo constat ad posteriorem rationem pro Scoto, Paludano & Valentia adductam. Et sanè si sacris initiati non tenerentur voto continentiæ, motus incontinentiæ interior, siue voluntatis, siue appetitus sensitiui, non esset in illis specialiter peccatum; quia lege Ecclesiastica nequit motus internus prohiberi.

Quòd verò etiam teneantur ad continentiam immediatè ex lege Ecclesiastica illis incõtinentiam immediatè prohibente, negari non potest quoad aliqua; quia in primis lege Ecclesiastica immediatè prohibentur matrimonium contrahere, vt etiam fatetur Vasquez nu. 100. & constat ex can. illo 27. *Vasquez.* Apostolorum, id prohibente Synodo Trullana, & numquam abrogato, nisi quoad Subdiaconos & alios Clericos inferiores; renouato tamen intra paucos annos quoad Subdiaconos, & quoad alios Clericos superiores, in Sexta Synodo in Trullo can. 6. approbato in c. *A multis.* de Ætate & qualitate & ordine. imò Ecclesia non solùm illis prohibet matrimonium, sed etiam eos reddit inhabiles ad id lege sua immediatè; & non redduntur inhabiles voto ipso, vt dicimus Tract. de Matrimonio, Disp. xv. & xvi. Eo autem ipso, quòd Ecclesia aliquibus prohibet matrimoniũ, etiam eis prohibet copulam, & quemcumque actum Venereum exteriorẽ, quem potest; quia propter actus eis prohibet matrimonium; & ob id actus copulæ, & quicumque alius Venereus inter affines, quibus prohibitum est matrimonium inter se, prohibentur specialiter, & sunt specialiter peccata.

Et tandem quòd lege Ecclesiastica immediatè teneantur ad non contrahendum matrimonium, constat, quia lege Ecclesiastica immediatè id illis *Conc. Illib.* prohibetur, vt constat ex can. illo 33. Concilij Iliberitani, recepto à tota Ecclesia Latina.

Vnde sacris initiatus, qui non vouit adhuc implicitè continentiam, aut quia in infantia ordinatus fuit, aut quia ignorauit annexionem voti continentiæ, aut quia intendit non vouere, ad nullam continentiam tenetur specialiter ex voto, tenetur tamẽ ex lege Ecclesiastica ad continentiam exteriorem, etiam ille qui metu ordinatur (sicut baptizatus tenetur legibus Ecclesiæ, quamuis in infantia baptizetur, & ex metu, & nolens Ecclesiæ legibus obligari) quia specialis lex continentiæ lata est pro initiatis sacris Ordinibus. Is tamen, qui ordinatur intendendo non vouere continentiam, non tantùm peccat pro tunc quando ordinatur non vouendo, sed etiam pro tempore sequenti, quousque aut explicitè aut implicitè voueat; quia ad eam vouẽdam tenetur tamquã ad aliquid annexum statui, quem suscepit; quod etiam forsan est verum, etiam si quis in infantia aut ex metu ordinetur.

Constat ergo, actum Venereum exteriorem sacris initiati, qui saltem implicitè vouit, esse triplex peccatum distinctæ speciei, nempe vnum luxuriæ contra castitatem, & aliud sacrilegij contra Religionem, ex qua obligat votum, & aliud quasi sacrilegij contra duliam sacram ratione legis Ecclesiasticæ id prohibentis, intuitu reuerentiæ statui Ecclesiastico debitæ. Addidimus *actum Venereum exteriorem*, quia interior, vt voluntatis & appetitus, de quo non potest Ecclesia iudicare, non erit peccatum contra duliam sacram, quia non est contra dictam legem Ecclesiasticam, quia Ecclesia nequit illum prohibere.

DIFFICVLTAS XXVII.

Vtrùm Sacris initiati teneantur tonsuram Clericalem gestare.

SVpponimus, gestationem Clericæ, seu tonsuræ Clericalis, factæ in summitate capitis instar coronę, initiũ sumpsisse à D. Petro (vt aduertũt Beda l. 5. Hist. Anglicanæ, & Germanus Patriarcha Cõ- *Beda.* stantinopolitanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, Tomo 4. Bibliothecæ antiquorum Patrũ) qui *Germ.* aut propria voluntate sic est attonsus in memoriam coronæ spineæ Christi, aut ab his, ad quos missus fuit ad prædicandum, in ludibrium & illusionem, quod Ecclesia voluit in honorem conuerti.

Hoc ergo suppositò, conueniunt Doctores, Clericos minoribus Ordinibus initiatos, habentes Ecclesiasticum beneficium; & maioribus initiatos, quamuis beneficio carentes, teneri tonsuram Clericalem gestare; quia id præcipitur Sacris initiatis in cap. *Si quis.* de Vita & honestate Clericorum, & minoribus Ordinibus initiatis beneficium habentibus in c. *Ioannes.* de Clericis coniugatis. Et idem præcipitur vtrisq; in Motu proprio edito à Pio V. *Pius V.* super reformationem Cleri Vrbis (& idem est de habitu Clericali; quia etiam id eis præcipitur in cap. pænult. de Vita & honestate Clericorum, & in Clementina, *Quoniam*, eodem titulo) Clericos verò minoribus initiatos carentes beneficio, non teneri tonsuram Clericalem gestare; imò hos, qui bigami sunt, non posse, vt constat ex cap. *Alterationis*, de Bigamis, in 6.

Est tamen difficultas, An Clerici, tonsuram gestare obligati, peccent mortaliter eam non gestando.

Caietanus v. *Clericorum peccata*, docet, prædictos Clericos non peccare mortaliter ex vi præcepti, secluso contemptu & contumacia, non gestando Clericam seu tonsuram instar coronæ, quia generaliter existimat præcepta humana ex vi sua, secluso contemptu & contumacia, non obligare sub mortali. In hoc tamen fundamento manifestè fallitur Caietanus, vt contra ipsum docent communiter Doctores in Tractatu de Legibus.

Panormitanus in c. *Si quis.* de Vita & honestate *Pan.* Clericorum, Angelus v. *Clericus.* 4. num. 1. & Na- *Ang.* uarrus c. 25. n. 100. absolutè & absq; vlla limitatione docent, Clericos prædictos peccare mortaliter *Nau.* non gestando Clericam, seu tonsuram instar coronæ; quia est omissio rei grauis præceptæ.

Siluester v. *Clericus.* 2. n. 2. Armilla n. 11. Vasquez *Silu.* disp. 250. n. 24. Reginaldus lib. 30. c. 2. Laymannus *Reg.* cap. 12. puncto 6. & cõmuniter Doctores, docent, *Laym.* prædictos Clericos, ex vi dicti præcepti, posse peccare mortaliter, non gestando Clericam, seu tonsuram in modum coronæ; sed de facto nõ peccare mortaliter, nisi quando mora temporis, in quo non gestatur, est adeò notabilis, vt detur occasio vilipendẽdi statum Clericalẽ, & meritò: quia id præcipitur Clericis in honorem status Clericalis, vt non vilipendatur, ac proinde ex hoc fine desumenda est grauitas & leuitas trãsgressionis huius præcepti, quæ, attentâ morâ tẽporis, & attento consueto modo, discernenda est arbitrio prudẽtis. Vnde quamuis res præcepta dicto præcepto sit grauis ex obiecto, id est possit esse grauis; de facto tamen potest esse leuis ex paruitate moræ temporis.

R. P.

R. P.

GASPARIS HVRTADO

DOCTORIS THEOLOGI E SOC. IESV

DE

SACRAMENTIS

TOMVS TERTIVS,

COMPLECTENS TRACTATVS

DE MATRIMONIO

ET CENSVRIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

FACVLTAS
P. PROVINCIALIS.

EGo Ludouicus de la Palma, Societatis IESV in Prouincia Toletana Præpositus Prouincialis, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. N. Mutio Vitelleschi Præposito Generali, facultatem facio, vt Tractatus de Matrimonio & Censuris, Auctore Patre Gaspare Hurtado Doctore Complutensi, nostræ Societatis Theologo, & eiusdem Societatis grauium doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus in hac nostra Domo Iesu del Monte, die XXV. Augusti, anno Domini M. DC. XXVI.

Ludouicus de la Palma.

FACVLTAD
DEL ORDINARIO.

NOs el Doctor D. Iuan de Mendieta, Vicario General en esta Villa de Madrid y su partido, por la presente, por lo que nos toca, damos licencia, para que se pueda imprimir el libro, intitulado *Tractatus de Matrimonio & Censuris*, atento que le hemos hecho ver, y no tiene cosa contra nuestra santa Fè, y buenas costumbres, antes es muy vtil y prouechoso. Fecha en Madrid à IX. de Setiembre de M. DC. XXVI.

Doctor D. Iuan de Mendieta.

Por su mandado,

Luys Parral de Olmedo.

APPROBATIO D. DOCTORIS D. CHRISTOPHORI DE GVZMAN, SERENISS. CARDINALIS INFANTIS, ARCHIEPISC. TOLETANI, MAGISTRI.

EX commissione Dr. Doctoris Ioannis de Mendieta, Vicarij Generalis Madriti, per Serenissimum D. ac D. meum Infantem Cardinalem Archiepiscopum Toletanum, vidi, attenteque legi peregregium Tractatum de Matrimonio & Censuris, à grauissimo & sapientissimo P. Doctore Gaspare Hurtado è Societate Iesv, & in eadem Compluti Theologiæ Primario Professore: Opus quidem valdè elaboratum, & quod mirabilius mihi est, cum breuitate sermonis, omnibus numeris absolutissimum, ita vt in eo nihil desiderandum reperiæ; nam & insignis resolutio sacrorum Canonum, necnon & Iuris ciuilis, quantum in hac parte opus est illis, subtilis & solida intelligentia, in dicendo consequentia, & Theologiæ Scholasticæ sollicita indagatio, maximè in hoc Opere enitent. Quare cùm sanam & veram doctrinam in nihilo nostræ fidei aduersantem, scholis vtilissimam contineat, dignum censeo vt typis mandetur, & in fructum vsumq; plurimorum publicè appareat. Madriti die VII. Septembris anno Domini M. DC. XXVI.

Doctor D. Christophorus de Guzman.

APPROBATIO.

DE mandato Dominorum summi Hispaniarum Senatus, vidi Tractatum de Matrimonio & Censuris, ab eruditissimo P. Doctore Gaspare Hurtado Societatis Iesv, & Compluti Primario Theologiæ Professore dignissimo compositum, Opus quidem multa breui sermone, & singulari resolutione mirum in modum doctissimè complectens; nihil in eo contra bonos mores, aut nostram sanctam Fidem, multa autem notatu digna inueni, quæ, & omnia in eodem Tractatu contenta, tam Theologis quàm Iuris vtriusque Professoribus grata erunt; & ideò censeo valdè proficuum fore, vt typis mandetur, religioniq́ue & eruditioni Auctoris, quasi debitum, vt ad id licentia concedatur. Madriti XV. Decembris M. DC. XXVI.

Garsias Anguiano Iuris vtriusque Doctor.

TRA-

TRACTATVS DE MATRIMONIO.

DISPVTATIO PRIMA.

De natura Sponsalium, & eorum valore ad obligandum.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sint Sponsalia.

1 SPONSALIA tripliciter sumuntur. Primò, quamuis rarò, pro muneribus sponsæ ab sponso collatis, vt sumuntur 1. Reg. 18. *Non habet Rex sponsalia necesse.* Secundò sæpè & propriè sumuntur pro contractu matrimonij nondum consum-

1. Reg. 18.

Matth. 1. mato, vt sumuntur Matth. 1. *Cùm esset desponsata mater Jesu Maria Joseph*: quia eo contractu quasi promittitur implicitè vsus matrimonij. Tertiò communiter & propriissimè sumuntur pro mutua promissione futuri matrimonij, vt sumuntur, L. 1. ff. de sponsalibus, & cap. *Nostrates* 30. quæst. 5. Vnde, iuxta hanc tertiam acceptionem sponsalium, communiter dicuntur sponsi, qui sibi mutuò promiserunt matrimonium; & iuxta secundam etiam dicuntur sæpè qui matrimonium contraxerunt, & illud non consummarunt.

2 Nomine ergo spōsæ (& idem est nomine sponsi) in odiosis tantùm comprehenditur sponsa de futuro, quia solùm hæc communiter & propriissimè dicitur sponsa; sicut etiam nomine vxoris seu coniugis in odiosis tantùm comprehenditur, quæ consummauit matrimonium, quamuis in fauorabilibus nomine vxoris seu coniugis etiam comprehenditur sponsa de futuro, vt decernitur in L. *Non sine.* C. De bonis quæ liberis. Quod etiam potest admitti in Iure Canonico, quoties ratio motiua legis fauorabilis etiam currit in sponsa de futuro, & nomine sponsæ etiam comprehenditur in fauorabilibus, quæ contraxit, & non consummauit; imò etiam in materia indifferenti, id est, neque odiosa neque fauorabili: quamuis in hac materia indifferenti, nomine vxoris etiam comprehendatur, quæ contraxit & non consummauit, non verò sponsa de futuro. Materia autem dicitur fauorabilis, quando lex directè intendit fauere, quamuis inde alicui resultet indirectè nocumentum; odiosa verò, quando lex directè intendit nocere, quamuis inde alicui resultet commodum indirectè, de quo legendus est Sancius lib. 1. disp. 1.

3 Hoc ergo supposito, sponsalia tertio modo sumpta, de quibus agimus, dicta sunt ab *spondendo*, quod significat sponte promittere; quia sponsalia

Sancius.

sunt promissiones futuri matrimonij: & sponsi dicuntur, quia sunt promissi. Sponsalia ergo *sunt futurarum nuptiarum mutua promissio*, vt definiuntur in cap. *Nostrates* 30. quæst. 5. excepta particula *mutua*: ea tamen deducitur ex L. 1. ff. De sponsalib. vbi sponsalia dicuntur repromissio. Insinuatur quoque in cap. *Præterea.* 2. & in cap. *De illis.* 5. & in cap. *Sponsam.* 8. de Sponsalibus. Et quidem non ob aliam rationem sponsalia dicuntur in numero plurali, nisi quia sunt mutua promissio.

Ex quo deducitur, impedimentum publicæ honestatis (quod ex sponsalibus oritur, vt dicemus Disp. XXIV.) non oriri, quando promissio matrimonij non fuit mutuò facta, id est ab vtroque contrahente, quamuis facta fuerit ab vno; quia ad sponsalia, ex quibus oritur, requisita est mutua promissio.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Sponsalia addant fornicationi sponsæ aut sponsi cum alia persona, nouam malitiam.

4 DIfficultas hæc procedit de Sponsalibus, vt regulariter fiunt, qua ratione facta obligant ex fidelitate & ex iustitia, vt dicemus Difficultate VI.

Couarruuias 4. Decretal. p. 1. cap. 1. Viualdus de Sponsalibus, nu. 10. & Basilius lib. 12. c. 6. docent, fornicationem sponsorum cum aliis personis, non addere nouam malitiam seu culpam supra malitiam luxuriæ, ac proinde circumstantiam sponsalium non esse necessariò explicandam in confessione.

Couarruu. Viualdus. Basilius.

Sancius verò lib. 1. disput. 2. Ægidius disp. 22 dub. 1. Filliucius Tract. 10. ca. 7. Sarmiento lib. 1. Selectarum, cap. 5. & communiter Doctores docent, fornicationem sponsorum supra malitiam luxuriæ addere nouam malitiam iniustitiæ contra alterum ex ipsis, & meritò: quia sponsi per sponsalia, vt regulariter fiunt, sibi mutuò reddunt ius iustitiæ ad corpora, qualia sunt quando sponsalia fiunt, quamuis non dominium seu ius in illis; ergo

Sancius. Ægidius. Filliucius. Sarmient.

violatio corporis promissi sponsi aut sponsæ est iniusta, seu contra iustitiam, vtpote contra ius quod quilibet sponsus habet in corpus alterius; ac proinde dicta fornicatio, præter malitiam luxuriæ contra castitatem, etiam habet malitiam specie distinctam iniustitiæ contra iustitiam. Dicta tamen fornicatio non est propriè adulterium, vt contra Paludanum in 4. distinct. 27. quæst. 1. artic. 3. & contra nonnullos Iurisperitos docent Couarruuias vbi suprà, & communiter Doctores, quia dicta fornicatio, non est violatio alieni tori (in quo consistit propria ratio adulterij:) quia sponsis nondum conceditur torus. quod non leuiter confirmatur ex L. *Inter.* ff. Ad Leg. Iuliam. de Adulteriis, vbi dicitur: *Proprie adulterium in nuptam committitur*; sponsa autem non est nupta.

Paludan. *Couarru.*

5 Doctores autem, qui admittunt, fornicationem sponsorum cum aliis personis, supra malitiam luxuriæ addere malitiam iniustitiæ, conueniunt, fornicationem sponsæ supra malitiam luxuriæ addere malitiam iniustitiæ grauem, seu mortalem; ac proinde circumstantiam sponsalium esse ab ipsa, & à viro ad eam accedente, necessariò explicandam in confessione.

Est tamen difficultas, An idem contingat in fornicatione sponsi. Sancius & Filliucius partem negatiuam tuentur, quia existimant, sponsum, & eam ad quam accedit, leuem iniuriam irrogare sponsæ.

Sancius. *Filliucius.*

Sarmiento verò & Ægidius partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte fornicatio sponsi, sicut & sponsæ, ratione sui absque alio damno, siue infamiæ siue alius mali, est iniusta, vtpote contra ius sponsæ in corpus sponsi, sicut fornicario mariti est contra dominium vxoris, & econtrà; & ex altera parte materia est grauis; ergo fornicatio sponsi, sicut & sponsæ, cum aliis

Sarmiento. *Ægidius.*

6 personis, addit nouam malitiam grauem seu mortalem iniustitiæ, ac proinde circumstantia sponsalium etiã est necessariò explicanda in confessione ab sponso, sicut ab sponsa, & ab illis aliis cum quibus fornicantur: imò tam in sponso quàm in spõsa addit tertiam malitiam infidelitatis contra virtutem fidelitatis, ob violationem promissionis; sed non malitiam mortalem, sed tantùm venialem, adhuc in sponsa, iuxta ea quæ dicemus Difficultate VI. Et quando fornicatio est publica, præter dictas tres malitias addit, saltem in sponsa, quartam malitiam iniustitiæ, ob infamiam, & in sponsa est malitia grauis; quia fornicatione sponsæ grauiter infamatur sponsus; non in sponso, quia fornicatione sponsi non infamatur, saltem grauiter, sponsa.

Obseruant Sancius & Ægidius, filios natos ex fornicatione sponsi aut sponsæ cum alia persona, quamuis non sint legitimi, esse tamen naturales, & non spurios; quia solum impedimentum dirimens matrimonium inter parentes efficit filios spurios.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm promissio Matrimonij ad sui valorem requirat acceptationem.

7 ANtoninus par. 3. titul. 1. cap. 18. & Armilla v. *Sponsalia*, num. 3. docent, promissionem matrimonij, vt sit valida ad obligandum, non requirere acceptationem. Et deduci videtur ex c. *Veniens* 5. Qui Clerici vel vouentes; vbi promissio matrimonij facta absenti censetur valida, & tamè non videtur fuisse acceptata, cùm fuerit facta absenti. Et ratione probatur, quia promissio matrimonij nullo Iure, neque naturali neque positiuo, requirit acceptationem ad sui valorem, ergo. Et in primis non Iure naturali, seu suâ naturâ; quia qui promittit, quamuis alter non accepter, si non implet promissum, non conformat facta promissis, quod videtur esse contra fidelitatem seu veritatem in factis, non minùs quàm dicere contra mentem est contra veritatem in dicendo. Deinde non Iure aliquo positiuo, quia quamuis Iure communi ciuili, & etiam particulari Castellæ, requiratur acceptatio ad valorem promissionis; non tamen Iure Canonico, quod solùm id posset requirere in promissione matrimonij, saltem baptizatorum, quia hic in baptizatis non subest Iuri ciuili.

Antonin. *Armilla.*

Sancius verò lib. 1. disput. 6. Vasquez disput. 4. num. 42. & Ægidius disp. 22. nu. 39. docent, promissionem matrimonij ad sui valorem ad obligandum requirere acceptationem, & meritò: cum promissio cuiuscumque rei sit, ante acceptationem non obligat ex iustitia, neque ex fidelitate, ex quibus solis obligatio promissionis oriri potest. Et in primis non ex iustitia, quia nihil potest ad aliquid, v. g. ad me, ex iustitia pertinere tamquam meum, aut quasi meum, absque meo consensu, aut Dei, aut alterius mihi superioris quoad eam rem; alias etiam posset ad me pertinere, me resistente, aut mihi superiore. Deinde neque ex fidelitate, quæ ei cui fides est oblata, & eam non accepit seu acceptauit ab offerente, non est necessariò seruanda, sicut neque illi, qui postquam fidem accepit, eam remisit; quia qui illam non accepit, ita se habet, & ita est sine illa, ac ille, qui postquam eam accepit, illam remisit.

Vnde quæcumque promissio, etiam matrimonij, quamuis infanti facta, potest ante acceptionem reuocari; quia ante eam non obligat. Quod si infans, quamuis sit incapax acceptandi, possit emancipari, vt constat ex L. *Iubemus.* C. De emancipationibus liberor. est; quia ad emancipationem non est necessaria acceptatio, quia per emancipationem pater nihil confert neque promittit filio, quia eam efficit pater cedendo potestati patriæ, quam ex solo Iure humano habet in filium.

Excipimus tamen promissionem factam cuanti, & pio loco; quæ quamuis ante acceptationem non obliget ob rationem dictam, vt aduertunt Vasquez & Ægidius, nihilominùs nequit reuocari Iure ciuili id statuente, vt aduertit Ægidius. Promittens tamen non tenetur suam promissionem indicare promissariis, qui ex defectu notitiæ non acceptabunt, & sic promittens non erit obligatus.

In prædicto autem cap. *Veniens*, pro aduersariis adducto, non constat, promissionem illam, quamuis absenti factam, non fuisse acceptatam; imò non deficit indicium acceptationis, cum in eo cap. supponatur, eum, cui facta est promissio, habuisse notitiam illius.

Ad rationem verò respondemus, acceptationem ad minus requiri Iure naturali, seu natura ipsius promissionis, vt promissio sit valida ad obligandum: quia, quamuis non conformare dicta menti, etiam quando promittimus, sit contra veritatem

tatem in dicendo; tamen non implere oblationem non acceptatam, non est contra fidelitatem seu veracitatem in operando, ob discrimen inter vtramque veritatem; quia veritas in dicendo obligat absolutè, absque respectu ad eum quem alloquimur, vt patet; non verò veritas in operando, vt diximus in probatione nostræ opinionis; quod non est mirum, cùm sint virtutes specie distinctæ, vt docet Molina. Molina Tom. 2. disp. 262.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm qui acceptat promissionem Matrimonij, eo ipso censeatur repromittere.

11 PAludanus in 4. distinct. 27. quæst. 1. Vasquez de Matrimonio disp. 4. & Basilius lib. 12. c. 4. partem affirmatiuam tuentur. Primò, quia acceptans promissionem matrimonij, affirmat promittenti, se velle inire matrimonium cum eo; hæc autem affirmatio est repromissio. Secundò, quia promittens matrimonium, illud promittit sub conditione repromissionis; ergo eo ipso, quòd alter acceptat promissionem sub conditione repromissionis sibi factam, repromittit, aut saltem repromittere censetur.

Paludanus. Vasquez. Basilius.

Sotus. Sancius.

Sotus verò in 4. distinct. 27. quæst. 2. & Sancius lib. 1. disp. 9. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia acceptatio promissionis non est formaliter repromissio, neque coniungitur necessariò cum repromissione; ergo acceptans promissionem matrimonij, non eo ipso repromittit formaliter, neque interpretatiuè, id est, non censetur repromittere. Antecedens autem probatur, & in primis, quòd acceptatio promissionis matrimonj non sit
12 formaliter repromissio; quia acceptatio hæc sufficienter fit, admittendo fidem matrimonij oblatam, id est affirmando, expressè vel tacitè, se accipere fidem matrimonij oblatam: hæc autem admissio seu affirmatio non est promissio, quia non est oblatio fidei propriæ, seu acceptio alienæ. Ex quo etiam constat, acceptationem promissionis matrimonij non censeri repromissionem, quia dicta admissio seu affirmatio potest esse absque repromissione; quia potest quis affirmare se accipere fidem matrimonij sibi oblatam, non affirmando, nec expressè nec implicitè, se illi dare fidem, nec id intendere, nec ad id obligari.

Ad primam ergo rationem respondemus, negando, acceptantem promissionem matrimonij eo ipso affirmare promittenti, se velle inire matrimonium cum eo, sed tantùm affirmare, se accipere fidem, aut ius oblatum, secum contrahendi matrimonium. Et quamuis acceptans id affirmaret, non eo ipso repromitteret; quia simplex affirmatio, qua quis affirmat promittenti, se velle contrahere matrimonium cum ipso, non est oblatio fidei, sed tantùm nuda & simplex affirmatio.

13 Ad secundam rationem respondemus, quòd quamuis promittens matrimonium regulariter promittat sub conditione repromissionis, id tamen non est necessarium; quia promissio potest fieri absolutè absque ea conditione. Et quamuis necessariò fieret sub ea conditione, ac proinde promissionem illam acceptaret sub conditione repromissionis, non tamen eo ipso repromitteret; quia potest non apponere conditionem illam sub qua promittens promisit, & non efficere promissionem promittentis absolutam, sed eam relinquere conditionatam.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm promissio Matrimonij non mutua, ab vno facta absque repromissione alterius, sit valida & sufficiens ad obligandum.

VAsquez disputat. 4. numero 29. Vera-cruz in Appendice ad Speculum, dub. 9. & Basilius libro 12. cap. 4. partem negatiuam tuentur; quia contractus matrimonij non est gratuitus, & quasi donationis, sed est mutuus, & quasi commutationis, per quem fit mutua corporum traditio; ergo promissio contrahendi matrimonij non est quasi donandi, sed quasi commutandi corpus pro corpore; ergo promissio contrahendi matrimonium ab vno solo facta, absque repromissione alterius, nequit esse valida ad obligandum, sicut neque traditio corporis potest fieri validè ab vno solo, quando etiam non fit ab altero. 14

Vasquez. Vera-cruz. Basilius.

Nauarrus verò capite 22. numero 25. & Sancius libro 1. disputatione 5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia fieri potest promissio ab vno gratis & absolutè, non sub conditione repromissionis, & potest ab altero absque repromissione acceptari; ergo fieri potest validè promissio matrimonij ab vno solo, absque repromissione alterius. Consequentia patet. Antecedens autem probatur: & in primis, quòd possit acceptari ab altero absque repromissione, diximus Difficultate IV. Quòd verò dicta promissio possit fieri gratis, & absoluta à conditione repromissionis, declaratur: quia quamuis traditio corporis, quæ fit in matrimonio, nequeat fieri liberaliter & absolutè, sed sub conditione retraditionis corporis alterius (quia matrimonium essentialiter est mutuum, & includit mutuam traditionem) ac proinde nequeat fieri promissio tradendi gratis corpus non pro altero corpore, cadente particula *gratis* supra particulam *tradendi*; promissio tamen tradendi corpus pro corpore fieri potest absolutè & gratis, particula *gratis* cadente supra *promissionem*; quia hoc non repugnat promissioni, etiam commutandi: quia quamuis commutatio ipsa essentialiter sit mutua, non tamen promissio commutandi; promissio enim & obligatio 16
vendendi alteri domum pro pretio, fieri potest absque eo quòd alter repromittat, & obligetur emere domum, seu dare pretium pro domo; quia sufficit dare pretium pro domo, quando domus venditur & traditur. 15

Nauarrus. Sancius.

Ad rationem ergo aduersariorum constat, ex discrimine inter contractum matrimonij, & inter promissionem illius; quia contractus est essentialiter mutuus, non verò promissio illius.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm promissio Matrimonij gratuita, & non mutua, obliget sub mortali.

17 *Henriquez.* HEnriquez de Excommunicat. cap. 17. quem alij sequuntur, docet, promissionem gratuitã, & non mutuam, seu simplicem (id est absque repromissione, & absque alio titulo quàm liberalitatis) quamuis sit rei grauis, vt matrimonij, non obligare sub mortali; quia promissio non mutua, & gratuita, tantùm obligat ex veracitate in operando (quæ dicitur fidelitas;) ergo tantùm obligat sub veniali. Consequentia patet, quia veritas seu veracitas in operando non magis obligat ad conformandum facta promissis, quàm veritas, seu veracitas in dicendo, ad conformandum dicta menti; sed hæc tantùm obligat ad id sub veniali, ergo & illa ad illud.

Nauarrus. Vasquez. Nauarrus cap. 18. num. 6. & Vasquez disput. 5. num. 13. docent, promissionem cuiuscumque rei grauis, vt matrimonij, quamuis gratuitam, & non mutuam, obligare sub mortali; quia promissio, etiam non mutua, & liberalis, non tantùm obligat ex fidelitate, sed etiam ex iustitia; quia promissione confertur promissario ius iustitiæ ad rem promissam, iustitia autem in re graui obligat sub mortali.

18 *Molina.* Molina verò Tomo 2. disp. 262. docet, promissionem rei grauis, vt matrimonij, aliquando tãtùm obligare sub veniali, & aliquando etiam sub mortali, iuxta intentionem promittentis, quod probabile censet Lessius lib. 2. c. 18. dub. 8. & meritò. Et

Lessius. is primis, quòd dicta promissio aliquando solùm obliget sub veniali, probatur; quia aliquando contingit, vt promittens pro sua voluntate purè promittat, & offerat suam fidem & verbum, nolendo conferre promissario ius aliquod iustitiæ ad rem promissam; quia verbis promissionis non necessariò affirmat, adhuc implicitè, aliud, quàm se dare, & seruaturum fidem: tunc autẽ promissio, quamuis sit rei grauis, non obligat ex iustitia, sed tantùm ex fidelitate erga homines, ex qua, adhuc in materia graui, non oritur maior obligatio, quàm sub veniali, sicut neque ex veracitate in dicendo.

19 Addidimus, ex fidelitate erga homines tantùm oriri obligationem sub veniali; quia ex fidelitate sacra erga Deum in materia graui, ad quam seruandam ex voto tenemur, oritur obligatio sub mortali, vt Doctores conueniunt; quia fidelitas hæc, ex qua tenemur, est religio erga Deum, quæ in materia graui obligat sub mortali: & non obligat vt veritas est, sed vt est obseruantia; quia violatione voti, vtpote facti in recognitionem supremi dominij Dei, cui dignum est vt obsequia promittantur, & promissa impleantur, peccamus, quia Deum inhonoramus, aut quia honorem ei debitum non deferimus, non quia eum decipiamus, quia non possumus; violatione verò puræ promissionis, homini factæ, peccamus contra fidelitatem vt veracitas est, quia peccamus ex eo quòd decipimus hominem (in quo, seclusis aliis damnis, non est grauis deformitas) & non peccamus contra eam vt obseruantia est, nisi homini promittamus obsequium, vt eius promissione, & promissionis impletione eum honoremus; quia tunc in violatione non solùm erit veniale contra fidelitatem, vt veritas est, sed etiam mortale contra eam vt obseruantia est, si materia fuerit valdè grauis.

Quòd verò promissio rei grauis, quamuis sit liberalis, & non mutua, aliquando etiam obliget sub 18
mortali, probatur: quia promittens, si velit, sua promissione promissario confert ius iustitiæ ad rem promissam non minùs, imò meliùs, quàm simplici assertione, qua non offertur fides: in hoc autem casu, quando contingit, promissio etiam obligat ex iustitia, ex qua in re graui oritur obligatio sub mortali; ergo promissio rei grauis in eo casu, quamuis solùm liberalis, & non mutua, etiam obligabit sub mortali, ac proinde in fractione talis promissionis duplex committitur peccatum, vnum veniale contra fidelitatem, & alterum contra iustitiam, quod potest esse mortale, & est, quando promissio est rei grauis.

Ex dictis deducimus, sponsalia, vt regulariter 19
seu communiter fiunt, obligare sub mortali. In quo conueniunt Doctores; quia ex vna parte, vt communiter fiunt, obligant ex iustitia, qua communiter fiunt mutuò contrahendo, & commutando ius ad vnum corpus pro iure ad corpus alterius; quia contrahentes communiter intendunt obligare, & obligari maiori obligatione, qua verbis promissoriis possunt (ob quod sponsalia, vt regulariter fiunt, dicuntur contractus sponsalitius) & ex altera parte sponsalia sunt res grauissimæ, nempe matrimonij. Vnde qui contrahunt sponsalia, intendendo efficere quod fieri solet, manent obligati ex fidelitate, & ex iustitia.

Addidimus, *vt regulariter fiunt*; quia non repugnat, fieri mutuam promissionem matrimonij, non commutando prædictũ ius pro prædicto iure, quia non repugnat priorem promissionem fieri liberaliter & gratis, & posteriorem etiam liberaliter aut ex gratitudine, & neutra earum conferri ius iustitiæ: in quo casu sponsalia solùm obligarent ex fidelitate, & sub veniali. ex sponsalibus tamen sic factis non oriretur impedimentum publicæ honestatis, vt dicemus Disputatione XXIV. quia ex vi illorum, sponsa non pertineret ad sponsum vt aliquid sponsi, neque econtrà.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm promissio Matrimonij merè interna, sit valida ad obligandum.

SVpponimus, promissionem merè internam, 1
seu corde retentam, Iure positiuo humano non obligare. Est tamen difficultas, An eo Iure seclusо, & attento solùm Iure naturali, obliget.

Ledesma 2. parte 4. quæst. 58. art. 1. dub. 3. & Mendoza lib. 1. de Pactis, cap. 4. num. 8. partem affirmatiuam tuentur, in quam etiam inclinat Molina Tom. 2. disputat. 266. quia interna promissio est vera promissio (sicut & vera affirmatio qua fides offertur) vt patet de promissione interna Deo facta; ergo est valida ad obligandum, quia infidelitas est, non stare veræ promissis.

Sancius verò lib. 1. disput. 3. Vasquez disput. 4. num. 34.

num. 34. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia illa tantùm promissio est valida ad obligandùm respectu hominis, quæ est perfecta respectu illius, seu qua ei perfectè & sufficienter promittitur; quia in huius tantùm promissionis violatione ei fit infidelitas: promissione autem interna non promittitur homini perfectè & sufficienter, quia promissio sita est in locutione seu affirmatione, qua quis alteri offert fidem suam; vnus autem homo non loquitur neque affirmat alteri perfectè & sufficienter sola locutione seu affirmatione interna intellectus, sed tantùm inchoatiuè, vt patet; benè tamen Deo, ob quod promissio interna Deo facta, valida est ad obligandum.

DIFFICVLTAS VIII.

Quanta deliberatio requiratur ad valorem Sponsalium.

25 SVpponimus, in quo nequit esse dubium, ad valorem sponsalium, & cuiuscumq; alterius promissionis, requiri deliberationem seu aduertentiam, quia absque hac nullus actus potest esse humanus; ac proinde neque fecundus ad pariendam obligationem humanam seu moralem. Est tamen difficultas, quanta deliberatio requiratur.

Circa quam conueniunt communiter Doctores, non requiri maturam & diuturnam deliberationem, qua sponsalia, & eorum circumstantiæ, maturè perpendantur; sed sufficere plenam, quæ ad peccandum mortaliter sufficit, etiam si repentina sit, & feruore iracundiæ habita. Ita Nauarrus cap. 18. num. 7. Vasquez disput. 5. cap. 1. & Sancius lib. 1. disp. 8. quia plena & perfecta deliberatio communis, quamuis repentina, & motu iracundiæ elicita, est sufficiens, vt actus sit perfectè & plenè humanus, & capax malitiæ mortalis, & inducens reatum pœnæ æternæ, & vt actus sit capax bonitatis moralis, & meritorius vitæ æternæ; ergo etiam est sufficiens, vt promissio, ad huc matrimonij, sit perfectè & plenè humana, & fecunda ad obligandum, etiam sub peccato mortali. Patet Consequentia, quia non est minoris momenti, actum fieri capacem malitiæ mortalis, & inducentem pœnam æternam, & fieri dignum vita æterna, quàm fieri fecundũ ad obligandum sub mortali.

Nauarrus. Vasquez. Sancius.

26 Quòd si obiicias Can. *Diuortium.* de Pœnitentia, distinct. 1. desumptum ex L. *Quidquid.* ff. De Regul. Iuris, vbi dicitur, *Quidquid calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum* esse, *quàm si perseuerantia apparuerit iudicium animi fuisse.* Quo Canone, & qua Lege nonnulli recentiores moti sunt ad affirmandum, contractum sponsalitium, & quemcumque alium calore iracundiæ factum, esse nullum iure positiuo, nisi post iram sedatam fuerit approbatus. Respondemus, vt optimè Vasquez, non satis constare, an dicto Canone & Lege irritetur ipso facto quod fit calore iracundiæ, an relinquatur irritandum sententia iudicis; & addimus, dictum Canonem (vtpote non habentem maiorẽ vim, quàm dictam Legem Imperatoriam, ex qua desumptus est, imò non distinctu à dicta Lege, quia non habet alium auctorem, quàm legislatorem dictæ Legis) non habere vim, nisi in terris Imperio subditis, & in eis non habere vim in contractu sponsalitio baptizatorum, quia specialiter subest potestati Ecclesiasticæ.

Vasquez.

Id verò, quod à nonnullis dicitur in cap. 1. de Noui operis enuntiatione, definiri, nempe quòd vbi leges ciuiles non sunt contrariæ sacris Canonibus, illis stetur (& exponit Vasquez quoad modum procedendi in iudiciis & litibus, non quoad irritationem collationis beneficiorum, neque matrimonij, neque sponsalium) non est verum id definiri, sed quòd statuta Canonum legibus ciuilibus adiuuentur, id est, quòd est maior ratio iudicandi secundùm Canones, quando idem etiam decernitur legibus. 27

Vasquez.

Obiici etiam solet L. 2. C. Ad Legem Iuliam maiestatis, & cap. *Sicut ex literis.* 13. de Iureiurando, vbi quædam iuramenta declarantur nulla, quia calore iracundiæ facta. Ex eis tamen nihil probatur, quia non declarantur nulla, quia facta sint calore iracundiæ, quamuis sic fuerint facta; sed quia sunt de materia illicita, vt constat ex contextibus.

Addimus, in quo etiam communiter Doctores conueniunt, prædictam perfectam deliberationem communem, sufficientem ad mortale & ad valorem sponsalium, etiam requiri ad eorum valorem, & cuiuscumque alterius promissionis, etiam Deo factæ, adhuc vt violatio illius in materia graui sit venialis ex imperfecta deliberatione; & non sufficere imperfectam & semiplenam sufficientem ad veniale, quia promissio absque perfecta deliberatione non est perfectè humana, ac proinde est infecunda ad pariendam humanam obligationem, quia fecunditas rei requirit statum perfectum rei. 28

Ex dictis constat, sponsalia & matrimonia, facta in furia & in ebrietate, esse nulla, vtpote non humana (in quo nullus dissentit, neque Glossa in cap. *Dilectus* 24. de Sponsalibus) & id quoad furiosum habetur in hoc cap. *Dilectus*, & in Legibus nostri Regni, Lege 6. tit. 2. p. 4. & quoad hoc eadem est ratio de ebrio. In Canone autem *Neque furiosus* 32. quæst. 7. qui est Fabiani Papæ, vbi dicitur, *Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si contractum fuerit, non separentur*; nihil contra dictam doctrinam, quia in hac posteriori parte Canonis sermo est de furia superueniente, matrimonio iam contracto, cuius Canonis sensus est: quamuis furiosi nequeant verum matrimonium efficere, tamen matrimonium ante furiam celebratum non est dissoluendum ob furiam posteà superuenientem. 29

Hæc autem doctrina de furioso & ebrio certa est, & absque difficultate, quando sponsalia & matrimonia contrahuntur ex furia aut ex ebrietate, & ante furiam & ebrietatem non fuerunt præuisa: at quando antea fuerunt præuisa, non est ita certum, & absque difficultate, statim examinanda.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm ad valorem Sponsalium & Matrimonij sufficiat deliberatio virtualis, vel potiùs intentio deliberata virtualis.

30 SVpponimus, vnam & eamdem intentionem deliberatam dici actualem, & virtualem, & habitualem,

bitualem, quamuis in diuerso statu; quia dicitur actualis, seu formalis, quamdiu in se ipsa formaliter perseuerat: & virtualis, quãdo præcessit, & non est retractata, & perseuerat in aliquo effectu sui ex ipsa deriuato; ad quod requiritur, quòd intẽtio illa aliquo modo perseueret in se ipsa, nempe confusè, ex expressa Physicè mutata in confusam: habitualis verò, quando præcessit, & non est retractata, non tamen perseuerat in se, adhuc confusè, neque in aliquo effectu sui.

Est ergo difficultas, An ad valorem sponsalium, & specialiter in furioso & ebrio, sufficiat deliberatio, aut potiùs intentio deliberata, quæ præcessit, & perseuerat in ipsa furia aut ebrietate.

31 Ratio difficultatis pro parte affirmatiua est, quia in tantum intentio deliberata est necessaria ad valorem sponsalium aut matrimonij, aut alterius cõtractus, in quantum est necessaria vt contractus sit voluntarius & liber: potest autem esse liber, quatũuis procedat ex intentione deliberata non actuali, sed virtuali, & non tãtùm ex directa, qua directè intenditur effectio contractus, & ex ea intentione eligitur causa ipsius contractus, tamquam mediũ conducens ad efficiendum cõtractum ipsum (quia tunc contractus verè fluit ab intentione deliberata mediatè, nempe mediante causa, quæ est effectus intentionis deliberatæ, in quo intentio dicitur virtualiter manere) sed etiã ex indirecta respectu ipsius contractus, qua causa contractus in causa ipsa præuisi fuerit directè intenta, non intento directè ipso contractu; quia vtroq; modo contractus ipse euadit voluntarius & liber, saltem in sua causa. Et confir. Primò, quia ad peccandũ mortaliter sufficit intentio virtualis in causa ipsius actus peccati, imò indirecta absq; directa intentione efficiendi actum peccati; ergo etiam sufficiet ad validè efficiendum spõsalia. Et confir. Secundò, quia ad efficiendũ validè Sacramentũ, sufficit intẽtio virtualis efficiendi illud, ergo etiam ad efficiendũ validè sponsalia.

32 Dicendum tamen est, ad efficiendum validè cõtractum sponsalitium (& idem est de quocumque alio contractu) non sufficere intentionem deliberatam virtualẽ, non solùm indirectam, qua sponsalia fuerint præuisa in sua causa, & in ea tantùm volita, v.g. in furia aut in ebrietate, volendo tantùm ipsam causam, nempe furiam aut ebrietatem, non intendendo sponsalia; sed neque directã, qua sponsalia per se & in se intendantur, & ex eorum intentione eligatur causa, v.g. furia aut ebrietas, vt medium ad illa conducens: & multò minùs sufficere habitualem, sed requiri actualem, imò expressam. *Sancius. Vasquez.* Ita Sancius li. 1. disp. 8. Vasquez disp. 5. c. 3. & cõmuniter DD. Ratio est, quia quicumq; contractus, vt sit validus & fecundus ad causandam obligationem, debet esse humanus, seu liber in se, & ratione sui, quia ipse ratione sui, & in se, & non causa ipsius, est causa moralis, ex qua oritur obligatio ipsius contractus: quicumq; autem contractus factus in ebrietate aut in furia, quamuis liberè volita, non est in se & ratione sui liber, seu humanus; quia tũc, quando fit contractus, nulla est libertas, etiamsi anteà fuerit quando apponebatur causa; quod est verum, etiamsi causa contractus fuerit electa, & apposita ex directa intentione deliberata efficiendi contractũ; quia ex hac nequit esse liber in se, quia non procedit immediatè ex ea intentione, sed ex indeliberata, siue eadem iam indeliberata, siue ex distincta, quamuis in ea dicatur deliberata illa virtualiter manere, tamquam in suo effectu; quia non manet in illa moraliter, cùm indeliberata non sit effectus moralis & humanus.

Et ob eamdem rationem existimamus, ad valorẽ contractus sponsalitij, & cuiuscumq; alterius, non sufficere intentionem deliberatam virtualem, adhuc extra ebrietatem & furiam, & somnũ, quamuis directa sit, & respiciens causam contractus, vt mediũ ad efficiendum contractũ (quidquid dicat Ochagauia de Matrimonio tract. 1. q. 9.) sed requiri intentionẽ actualem; ita vt, qui ex inconsideratione naturali actuali fuerit factus, sit nullus, quãuis ex intentione directa deliberata efficiendi contractũ apposita fuerint præuia ad ipsum, si, quando contractus fit, est inconsideratio naturalis ipsius, quia in tali casu non erit in se humanus & liber. Quod in simili de voto docent Angles 2. par. q. de Voto, a. 1. diffic. 3. cõcl. 2. illat. 2. & conc. 4. & Suarez lib. 1. de Voto, c. 10. præsertim §. pænult. & vlt.

Ad rationem ergo difficultatis concedimus, voluntatem deliberatam causæ virtualem sufficere, vt cõtractus in causa sit liber, id est, vt causa ipsius sit libera, non tamen vt contractus in se sit liber, quod requiritur vt sit moralis obligatio contractus, quæ hæc non oritur ex causa, sed ex ipso, ex quo, nisi sit liber in se, nequit oriri; in quo etiam actus malus conuenit cum contractu; quia quando actus in se non est liber, quamuis sit in causa, nequit in se esse malus, & ex eo nequit oriri malitia, seu culpa: nihilominùs quia apponere liberè causam actui malo, etiam est peccatũ, & contra rationem, imò non minùs quàm efficere ipsum actum malũ; ideò ad peccandum sufficit, actum malum esse liberum in sua causa, id est causam actus mali esse intentã, aut volitam liberè, quamuis actus ipse non sit liber, imò quãuis actus non fiat; quia nõ solùm peccatur actu malo libero, sed etiã appositione libera causæ peccati, & ex ipsa causa libera etiã oritur malitia, sicut ex actu ipso; at obligatio moralis ipsius contractus non oritur ex causa, sed ex ipso, ratione sui; ex ipso autem ratione sui oriri non potest, nisi ratione sui, seu in se sit liber. Ex quo constat ad primam confir.

Ad secundam verò respondemus, præcedentem intentionẽ deliberatam conficiendi Sacramentum virtualiter, aut remotè influẽtem in appositionem materiæ & formæ Sacramẽti, sufficere ad efficiendum validè Sacramentũ, quia Christus Dominus (ex cuius institutione totũ hoc pendet) nihil ampliùs requisiuit; quia noluit valorem Sacramentorum subiicere periculo inconsiderantiæ ipsius actionis Sacramẽti, quæ inconsiderantia ita frequenter cõtingit, vt vix possimus in deliberatione seu aduertentia cõtineri, ne passim inualidè fierẽt Sacramenta; obligatio autem contractus, quæ moralis est & humana, pendet & oritur ex natura ipsius contractus, & ideò ipse in se debet esse humanus & liber.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm promissio Matrimonij, ex animo promittendi facta cum animo non se obligandi, sit valida ad obligandum.

COnueniunt Doctores, cum, qui verè promittit matrimonium aut quidpiam aliud, & cum animo se obligandi, quamuis cum animo non implendi, teneri ipsa promissione; imò quamuis careat expresso animo se obligandi, si agnoscat vim promissionis ad obligandũ: & addimus contra nonnullos, etiam teneri, quamuis ignoret dictam

dictam vim, dum verè & ex animo promittat; quia ex promissione liberè facta, quæ distincta est ab obligatione, necessariò oritur obligatio ipsa (sicut ex igne applicato ligno oritur calefactio) saltem quando non adest animus non se obligandi.

Est tamen difficultas, An promissio, facta ex animo promittendi, sed cum animo non se obligandi, sit valida ad obligandum.

37 *Sancius. Ægidius.* Sancius lib. 1. disp. 9. & Ægidius disp. 21. docent, prædictam promissionem nullo modo obligare, Primò, quia intentio non se obligandi, est contra substantiam promissionis; ergo ea intentione potiùs destruitur quàm construatur promissio. Secundò, quia obligatio promissionis oritur ex propria & priuata voluntate promittentis, ergo quando in promittente non solùm non est voluntas se obligandi, sed potiùs contraria, nulla ex promissione oritur obligatio. Et confirmatur hæc ratio: quia promissio est quasi quædam priuata lex, quam promittēs sibi imponit; nulla autem lex obligat, quando legislator vult eam non obligare.

Pet. Ledes. Vasquez. Petrus Ledesma q. 43. art. 1. Difficul. 2. & Vasquez disp. 6. cap. 3. docent, dictam promissionem omni modo obligare, ex fidelitate videlicet & ex iustitia; quia prædicta promissio est vera promissio, vtpote affirmatio, qua quis ex animo offert fidem: vera autem promissio omni suo modo obligat, ex fidelitate videlicet & ex iustitia.

Nos tamen existimamus, prædictam promissionem esse validam ad obligandum ex fidelitate, non tamen ad obligandum ex iustitia.

38 Et in primis esse validam ad obligandum ex fidelitate, probatur, quia dicta promissio, quamuis ex animo non se obligandi facta, est vera promissio, cùm sit enuntiatio, qua promittens ex animo offert fidem contrahendi matrimonium, in qua sita est natura promissionis: ex natura autem, seu ex iure naturali veræ promissionis, nequit non oriri obligatio fidelitatis ad standum promissis; quia quamuis promittens nolit ad id obligari, est cōtra fidelitatem non stare verè & liberè promissis; sicut etiam est contra veracitatem, in dicendo affirmare aut negare aliquid contra mentem; quamuis enuntians nolit obligari ad conformandum dictū menti, cùm in nullius potestate sit deobligari à Iure naturali, vel ab obligatione non faciendi contra virtutem.

Quòd verò dicta promissio non sit valida ad obligandum ex iustitia, probatur; quia in potestate promittentis est, sua promissione tantùm offerre fidem, & non conferre ius iustitiæ ad rem promissam, quia natura promissionis sufficienter saluatur in oblatione fidei; & conferre ius ad rem, pendet ex voluntate domini rei, quia ius non confertur solis verbis, (quamuis aliàs sufficientibus) absque animo conferendi; quia contractus, ex quo oritur

39 ius iustitiæ in vno, & obligatio iustitiæ in altero, coalescit ex verbis conferendi sufficientibus, & ex consensu conferendi: ergo ex promissione, quāuis vera, & ex animo facta, & aliàs sufficienti ad conferendum ius iustitiæ, quantū est ex verbis ipsius; si tamen fiat absque animo conferendi ius alteri, & se obligandi ex iustitia, non oritur dictum ius in promissario, neque obligatio iustitiæ in promittente. Vnde dicta promissio, quamuis sit ficta in ratione contractus, non tamen in ratione promissionis; ac proinde, quāuis non obliget ex iustitia, obligat tamen ex fidelitate. Et hoc solum probatur ratione adducta pro Ledesma & Vasquez, qui aduersantur nostræ posteriori parti.

Ad priorem verò rationem pro Sancio & Ægidio, qui aduersantur nostræ priori parti, respondemus, intentionem non se obligandi, sicut & non obligationem ipsam, non esse contra substantiam promissionis, sed contra eius effectū, nempe contra obligationem fidelitatis, quam impedire non potest; sicut neque quòd promissio dicto modo facta sit vera, ex qua semel emissa necessariò oritur obligatio fidelitatis.

Ad posteriorem rationem respondemus, obligationem fidelitatis oriri ex promittentis voluntate mediatè & radicaliter, quia ex libertate voluntatis oritur, quòd fiat promissio, ex qua immediatè oritur obligatio illa; sed non oritur obligatio immediatè ex volútate; quia non est in potestate promittentis ex animo promittere, & non manere obligatum ex fidelitate, quia ex natura veræ promissionis necessariò oritur hæc obligatio; sicut non est in potestate legislatoris, verè præcipere & non obligare subditos, quia ex natura legis, aut præcepti necessariò oritur obligatio obedientiæ; quamuis in legislatore non sit voluntas obligandi superaddita præcepto. Ex quo etiam constat ad confirmationem eiusdem rationis. 40

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm promissio Matrimonij omnino ficta, sit valida ad obligandum.

DIcitur communiter promissio omnino ficta, quæ à promittente fit non solùm animo non implendi, & non se obligandi, sed etiam non promittendi; quia verbis solùm & oretenus fit, absque promissione interiori. Est ergo difficultas, vtrùm talis promissio matrimonij sit valida ad obligandū. 41

Sancius. Ægidius. Sancius lib. 1. disput. 9. & Ægidius disp. 21. partem negatiuam absolutè tuentur; quia promissio solis verbis exterioribus facta, absque animo promittendi, non est vera promissio, sed fictio seu simulatio promissionis, ergo non obligat vt promissio; quia obligatio propria promissionis tātùm oritur ex promissione, quæ est vera promissio.

Vasquez. Basilius. Vasquez disp. 6. num. 27. & Basilius lib. 12. c. 2. partem affirmatiuam absolutè tradunt; quia promissio, quamuis tantùm exterior seu verbalis, est vera promissio respectu hominis, ergo est valida ad obligandum.

Nos tamen existimamus, promissionem matrimonij, & cuiuscumque alterius rei, solis verbis homini factam, absque alio animo, quàm proferendi verba ipsa, esse validam ad obligandum ex fidelitate, sed non ex iustitia. 42

Et in primis, esse validam ad obligandum ex fidelitate, probatur; quia prædicta verbalis oblatio fidei est vera & sufficiens promissio respectu hominis, ergo est valida ad obligandum ex fidelitate; quia contra fidelitatem est, non stare verè & sufficienter promissis. Antecedens autem probatur, quia promissio nihil aliud est quàm enuntiatio qua fidem offerimus; solis autem verbis sufficienter offerimus fidem homini; imò ex animo, quia ex animo proferuntur prædicta verba.

Quòd verò promissio oretenus & solis verbis facta, non sit valida ad obligandum ex iustitia, constat ex dictis Difficul. vi. & x. quia ius iustitiæ

ad

ad rem promissam non cõfertur promissario solis verbis absque animo & voluntate illud conferendi, ac proinde in verbaliter tantùm promittente non oritur obligatio iustitiæ.

43 Ex dictis constat, promissionem tantùm exteriorem respectu hominis non esse in rigore omnino fictam, quia nequit esse ficta in ratione promissionis, quamuis sit ficta in ratione contractus conferentis ius iustitiæ: erit autem omnino ficta in ratione etiam promissionis, quando quis non profert verba promissionis, sed simulat proferre: ex hac autem simulata seu ficta promissione exteriori per se non oritur obligatio aliqua, adhuc fidelitatis; etiam si aliquando per accidens oriatur obligatio iustitiæ, vt quando ex dicta simulatione oritur damnum contra iustitiam, quod sit necessarium resarcire impletione simulatæ promissionis, aut aliter.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm qui defloravit virginem spe fictæ promissionis Matrimonij, teneatur eam ducere.

44 Difficultas hæc disputatur, & procedit de promissione solis verbis facta absque promissione interiori, quæ communiter dicitur ficta (& meritò) in ratione contractus, immeritò tamen in ratione promissionis.

Conueniunt Doctores, eum, qui sic fictè, seu tantùm verbaliter promittens matrimonium, sub ea spe defloravit virginem, teneri aut ad eam ducendam, aut ad satisfaciendum damno defloration is. Est tamen difficultas, An teneatur determinatè ad eam ducendam in vxorem.

Antonin. Ledesma. Antoninus 3.p. titul. 1. cap. 3. & Bartholomæus Ledesma de Matrimonio dub. 19. docent, eum qui sic defloravit virginem, non teneri eam in vxorem ducere, sed satisfacere constituendo ei dotem sufficientem, ad supplẽdum defectum defloration is: quia ille nullam incurrit obligationem ratione promissionis, quia fuit ficta, sed solùm ratione damni illati; ergo ad nihil amplius tenetur, quàm ad satisfaciendum damno, dotem sufficientem addendo, vt nubat viro sibi simili in qualitate.

45 *Sancius. Vasquez.* Sancius verò lib. 1. disp. 10. & Vasquez disp. 6. docent, eum, qui sub spe promissionis, quamuis tantùm verbalis, defloravit virginem, teneri determinatè eam ducere in vxorem, & non satisfacere iuuando ad nuptias illi aliàs æquales, Primò, quia iste, quamuis solùm verbaliter, verè tamen promisit sub conditione defloration is, quæ impleta fuit, ergo tenetur stare promissis. Secundò, quia iste verè intulit damnum virgini contra eius voluntatem, quæ solùm consensit sub conditione promissionis matrimonij veræ, & non fictæ; ergo tenetur ex iustitia ad matrimonium; quia quamuis damnum defloration is possit pecuniâ compensari, non tamen iniusta deceptio, nisi eam in vxorem ducendo.

Nos tamen existimamus, prædictum teneri ex fidelitate ad eam ducendam in vxorem, quamuis sit multò nobilior quàm illa; ex iustitia tamen ad id non teneri, sed satisfacere, si damnum defloration is recompenset, aut constitutione dotis sufficientis, aut aliter.

Ratio prioris partis est, quia prædicta promissio, quamuis solùm verbalis, est vera promissio respectu hominis, vt diximus Difficultate XI. ergo obligat ex fidelitate ad standum promissioni matrimonij.

Ratio posterioris est, quia qui ita fictè promisit, non tenetur promissione ipsa, vt contractu, aut ex iustitia, quia ea promissione noluit conferre ius iustitiæ; sed tantùm tenetur ratione damni illati, quia iniustè, vtpote deceptione illatum est; ergo satisfacit, recompensando tale damnum collatione dotis, aut aliter, quamuis deceptione illatum sit, quia deceptio ratione sui tantùm est contra veritatem, & non est iniusta, seu contra iustitiam, sed tantùm ratione damni ex ipsa illati: ac proinde si damno satisfacit dote, aut aliter, sufficienter satisfacit quamuis sit deceptione illatum, non minùs quàm si vi illatum esset. Quòd si deflorator nequit satisfacere damno, nisi defloratam ducendo, ad id tenetur ex iustitia ratione damni illati, tum ea quæ dicemus Difficultate XXI.

Ex quibus deducitur, prædictum teneri tantùm sub veniali ad ducendam virginem defloratam, quia tantùm tenetur ad id ex fidelitate ratione promissionis verbalis; teneri tamen sub morali, si eam non ducat, ad satisfaciendum damno defloration is dote, aut aliter; quia ad id tenetur ex iustitia ratione damnificationis iniustæ. Quòd si omnino fictè promitteret (id est si non proferret verba promissionis, sed simularet ea proferre) non teneretur ex fidelitate ad illam ducendam; quia non promisit verè, adhuc verbaliter; teneretur tamen ex iustitia ad satisfactionem damni, ratione damnificationis iniustæ.

Addimus tamen, vt optimè Sancius, Antoninus & Tabiena, & indicat Vasquez contra Soum. Nauarrum, & alios, quando virgo ex excessu nobilitatis aut diuitiarum promittentis tantùm verbaliter, aut aliunde coniecit dictam fictionem promissionis, tunc sic fictè promittentem ad nihil teneri ex iustitia, neque ex fidelitate: & idem est, quando prudenter timuit deceptionem. Et in promis non tenetur ex fidelitate, quia tunc, quamuis vir intenderit decipere, verè non decepit; fidelitas autem solùm obligat, ne decipiatur promissarius. Deinde non tenetur ex iustitia, quia virgo non est defloratà iniustè, quia non deceptione. Quòd si virgo non coniecit, aut saltem prudenter non timuit deceptionem, sed simplici animo credidit, vir à nulla ex dictis obligationibus excusatur, quamuis virgo cognoscat excessum nobilitatis & diuitiarum, & quodcumque aliud, ex quo constare potuit deceptio, vt contra Sancium & alios indicat Vasquez nu. 47. quia tunc verè decepta est à viro.

DIFFICVLTAS XIII.

Quibus verbis contrahantur Sponsalia & Matrimonium.

Conueniunt Doctores, ad sponsalia & ad matrimonium (ad quæ non sufficit enuntiatio interna intellectus, sed requiritur externa) non esse necessaria verba, sed sufficere quodcumque signum externum sufficiens ad exprimendum consensum, vel de futuro ad sponsalia, vel de præsenti ad matrimonium, siue id habeat signum ex com-

communi institutione, siue ex patriæ consuetudine, siue ex particulari contrahentium conuentione. Vnde sponsalia & matrimonium sufficienter contrahuntur, non tantùm verbis, sed etiam scripturâ, & nutibus, imò & taciturnitate filiorum, quando parentes pro eis præsentibus contrahunt; imò etiam quando pro absentibus, si postea, quando sciunt, tacitè ratificent (vt quoad sponsalia dicitur in cap. vnico de Desponsatione impub. in 6. Et idem est quoad matrimonium.) Dicuntur autem tacitè ratificare (vt aduertit Ægidius disput. 21.) quando certiores fiunt à parentibus, & tacent; quod non solùm est verum, quando parentes contrahunt pro filiis, sed etiam quando curatores, & tutores, & alij, qui loco parentum curam gerunt illorum. *Ægidius.*

50 Hoc præsupposito, obseruandum est, verba (& idem est de aliis signis) quibus possunt contrahi spõsalia, & matrimonium, alia esse de præsenti, vt, *Accipio te in meam*; & his potest addi aliquid de futuro, vt, *Accipio te in meam in crastinum*: alia de futuro, vt, *Accipiam te in meam*; & his potest addi aliquid de præsenti, vt, *Ex nunc accipiam te in meam, aut habebo te in meam.*

Circa verba de præsenti certum est, eis simpliciter sumptis, absque aliquo addito de futuro, vt, *Accipio te in meam*, verè contrahi matrimonium, vt constat ex cap. pænult. de Sponsalibus; quia illis verè significatur traditio corporum de præsenti.

Est tamen difficultas, an illis, quando additur aliquid de futuro, vt, *Accipio te in meam ex crastino*, seu *in crastinum*, contrahatur matrimonium, an sponsalia.

Sancius. Petr. Led. Sancius lib. 1. disput. 18. & Petrus de Ledesma quæst. 45. artic. 3. dub. 1. docent, prædictis verbis contrahi sponsalia, non matrimonium; quia ratione prædicti additi efficiunt sensum de futuro.

Ægidius. Barth. Led. Ægidius verò disp. 21. nu. 37. & Bartholomæus de Ledesma 2. p. 4. qu. 47. art. 3. docent, dictis verbis contrahi matrimonium, & non sponsalia, & meritò, quia sensus illorum est: *Nunc volo*, seu *consentio, vt ex crastino die sis mea*; quo non promittitur matrimonium, sed traditur corpus pro

51 crastino die, vt ex crastino die sit alterius; ac proinde fit matrimonium de præsenti, quamuis eius effectus (nempe traditio) suspendatur vsque ad diem crastinum, ita vt adueniente crastino die, sine nouo consensu fiat traditio; quia dictis verbis significatur consensus de præsenti in traditionem crastina die ex vi illius solius: sicut his, *Do tibi librum in crastinum diem*, quæ distincta sunt ab his, *dabo tibi librum crastino die*; quia his promittitur consensus futuræ traditionis libri, prioribus verò significatur consensus præsens traditionis futuræ.

Circa verba verò de futuro simpliciter sumpta, absque addito, & non significantia executionem alicuius actus matrimonialis, vt, *Accipiam te in meam*, certum est, eis non contrahi matrimonium, vt patet; contrahi tamen sponsalia, non minùs quàm verbis promissionis, quia communiter accipiuntur vt promissoria: quod etiam est verum, quamuis eis addatur aliquid de præsenti, vt, *Ex nunc te accipiam in meam*; quia his verbis neque præsuppositiuè neque implicitè significatur consensus de præsenti, sed tantùm de futuro.

Circa verba verò de futuro, quibus additur aliquid de præsenti, & significantia executionem alicuius actus matrimonialis, vt, *Ex nunc tractabo te sicut vxorem*, aut *ex nunc habebo te in meam*, conueniunt Doctores, eis contrahi matrimonium, vt constat ex cap. *Ex parte. 9.* de Sponsalibus, quia eis fit tacitè traditio; quia nequit ex tunc haberi & tractari tamquam vxor, nisi ex tunc fiat vxor, quæ anteà non erat vxor. 52

Est tamen difficultas, an dictis verbis de futuro significantibus executionem, sumptis absque addito de præsenti, vt, *Habebo te in meam*, aut *eris mea*, aut *tractabo te sicut vxorem*, contrahatur matrimonium, an sponsalia.

Siluester v. Matrimonium. 2. quæst. 9. Ema. Rod. Siluester v. *Matrimonium.* 2. quæst. 9. Emanuel Rodriguez, & alij docent, eis contrahi matrimonium, quia eis significatur executio actus matrimonialis, nempe habitio seu possessio vxoris, quæ præsupponit traditionem corporum factam.

Sancius. Ægidius. Sancius verò, & Ægidius vbi suprà, & alij docent, illis contrahi spõsalia, & non matrimonium, & meritò: quia illis tantùm significatur habitio de futuro, quæ quamuis supponat traditionem corporum de præsenti, sed non tunc factam, quando proferuntur verba, sed posteà faciendam. 53

Circa illa verba, *Volo tecum contrahere*, & *volo te habere in vxorem*, etiam est difficultas, quid eis fiat.

Cardinal. Sancius. Cardinalis in c. *Ex literis. 7.* de Sponsalibus docet, eis fieri matrimonium. Sancius docet illis fieri spõsalia, quia ad eorum verborum veritatem sufficit, quòd proferens velit illam posteà esse vxorem ipsius. *Paludanus* Paludanus docet, illis, quæ solùm significant initium actus, vt, *Volo tecum contrahere*, fieri spõsalia; illis verò, quæ significant executionem, vt, *Volo te habere in vxorem*, fieri matrimonium. *Rebellus. Ægidius.* Rebellus lib. 4. quæst. 3. & Ægidius num. 26. docent, dictis verbis nihil fieri, quia ad eorum veritatem sufficit desiderium posteà ducendi, aut habendi illam in vxorem, quo neque fit matrimonium, neque sponsalia.

Nos verò existimamus, dicta verba esse æquiuoca; quia illis potest significari consensus de præsenti in corporum traditionem, & consensus de futuro, seu consensus in promissionem futuræ traditionis, quod idem est, & etiam nudum desiderium posteà cõtrahendi: ac proinde dictis verbis potest pro voluntate contrahentium fieri aut matrimonium, aut sponsalia, aut nihil; quia si proferens velit significare consensum de præsenti, & alter id intelligat, & econtrà, fiet matrimonium; & si velit alteri offerre fidem matrimonij, & alter id intelligat, & econtrà, fient sponsalia; & si solùm velit significare simplex desiderium posteà contrahendi, nihil fiet. 54

In foro autem iudiciali, in quo non cognoscitur intentio, sed res ex verbis discernitur, ex prædictis verbis secundùm se iudicabitur nihil fuisse factum; quia ad eorum veritatem sufficit desiderium posteà contrahendi, quo nihil fit. Addidimus *secundùm se*, quia ex dictis verbis, si proferantur quando post tractationem de matrimonio conuenitur ad illud contrahendum, iudicabitur à Iudice matrimonium factum; & iudicabitur facta fuisse sponsalia, si verba proferantur, quando post tractationem de sponsalibus conuenitur ad id.

Circa

55 Circa verba negatiua, quibus additur particula exceptiua, difficultas est, an eis, quando sunt de præsenti, vt, *Nullam duco nisi te*, fiat matrimonium; & quando sunt de futuro, vt, *Nullam ducam nisi te*, fiant sponsalia.

Paludanus. Adrianus. Paludanus in 4. distinct. 27. quæst. 1. Adrianus, & alij docent, dictis verbis de præsenti fieri matrimonium, & de futuro fieri sponsalia; quia sensus eorum verborum est exceptiuus, id est, *Nullam aliam duco, & te duco*, quo contrahitur matrimonium; & *Nullam aliam ducam, & te ducam*, quo contrahuntur sponsalia.

Sancius. Ægidius. Sancius disp. 19. Ægidius num. 29. & alij docent, dictis verbis neque fieri matrimonium, neque sponsalia; quia sensus eorum est conditionalis, id est, *Si aliquam duco, te duco*, quo nihil fit, & *Si aliquam ducturus sum, te ducam*, quo tantùm contrahitur obligatio non ducendi aliam, sed illam, si aliquam ducturus est.

Nos tamen existimamus, dictis verbis de præsenti fieri matrimonium, & verbis de futuro non fieri sponsalia.

56 Pro cuius declaratione supponendum est, particulas *nisi* & *præter*, & reliquas exceptiuas, aliquando efficere sensum non purè exceptiuum, sed quasi conditionalem; vt quando dicitur ab *Augustino.* Augustino allegato in Regula *Peccatum, Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, id est, non dimittitur peccatum, si non fiat restitutio; & quando dicitur, *Nullam ingrediar Religionem, nisi sancti Francisci*, id est, si aliquam ingressurus sum, illam ingrediar. Id autem regulariter contingit, quando verbum præcedens nequit commodè afficere rem positam post particulam *nisi*, vt in priori exemplo; aut si potest, vt in posteriori, quando res de qua agitur est incerta, aut dubia: aliquando verò (& non rarò) efficere sensum purè exceptiuum, vt quando *Luc.* 11. dicitur, *Luc. 11.* *Signum non dabitur eis, nisi signum Ionæ Prophetæ*; *Matth. 14.* & Matth. 14. *Leuantes oculos neminem viderunt, nisi solum Iesum*; & quando dicitur, *Nullus currit nisi Petrus*: & tunc, quando particula exceptiua adiungitur negationi, affirmat, vt in exemplis proximè dictis; quia tunc excipit sequentem terminum à dicta negatione, & consequenter affirmat; sicut quando adiungitur affirmationi, negat, vt quando dicitur, *Omnes currunt, præter Petrum*; quia tunc excipit terminum sequentem (nempe Petrum) à dicta affirmatione, & consequenter negat. Id autem regulariter contingit, quando agitur de re cuius communiter habemus scientiam, & non dubitationem; vt sunt res præteritæ & præsentes, præsertim à nobis aut à personis nobis notis factæ, & quam verbum præcedens commodè afficere potest.

57 Hoc ergo supposito, prior pars probatur, quia his verbis, *Nullam aliam duco nisi te*, nequit commodè effici sensus conditionalis, sicut neque his, *Nullam aliam duxi nisi te*; sed exceptiuis (quia verbum præcedens potest commodè afficere rem positam post particulam exceptiuam, & res de qua agitur, est cognita à proferente) & consequenter sensus est affirmatiuus respectu termini sequentis, ita vt sensus sit, *Nullam aliam duco, sed te*, quo fit matrimonium.

Posterior pars probatur, quia his verbis, *Nullam aliam ducam nisi te*, nequit commodè effici sensus exceptiuus, sed conditionalis, sicut neque his, *Nullam Religionem ingrediar nisi S. Francisci*, & *Nullus currit, nisi Petrus*; quia sensus est, *Si aliquam ducturus sum, te ducam*, quibus verbis tantùm contrahitur obligatio sub conditione ducendi illam, si aliquam ducturus est.

Est tamen aduertendum, quibuscumque verbis aut signis, quibus contrahentes ratione aliquarum circumstantiarum sibi exprimunt consensum de præsenti, aut de futuro, contrahi matrimonium aut sponsalia; etiamsi verba aut signa id non significent ex communi impositione, neque ex consuetudine, neq; ex præuia aliqua conuentione contrahentium; quia tunc verè reperitur exterior expressio consensus, quæ (quantum est ex se) sufficit ad contrahendum.

DIFFICVLTAS XIV.

Qui possint Sponsalia contrahere.

QVamuis vsus perfectus rationis, qui ad valorem sponsalium requiritur, sufficiat iure naturali ad eorum valorem, Iure tamen positiuo Ecclesiastico ad eorum valorem requiritur septennium completum, vt disponitur aut disponitur supponitur in c. *Literas* 4. & in c. *Accessit.* 5. & in c. *Ad dissoluendum* 13. de Desponsat. impub. in Decretalibus, & in c. vnico eodem tit. in 6. Id autem sic fuit Iure Ecclesiastico dispositum, quia regulariter ante eam ætatem non est vsus rationis perfectus, qui Iure naturali requiritur ad valorem sponsalium, & cuiuscumque alterius contractus: & quia iste vsus Iure naturali requiritur, eo non existente, dicta ætas non sufficit ad valorem sponsalium.

Est tamen difficultas Primò, An ad valorem sponsalium requiratur septennium Mathematicè completum, an sufficiat esse completum moraliter, vt quando alicui deficiunt quindecim dies plus minúsve.

Sotus in 4. distinct. 27. ar. 2. & Rebellus lib. 4. de quæst. 5. docent, sufficere septennium moraliter completum; quia quod parum distat, nihil distare videtur.

Sancius verò libro 1. disputat. 16. Ægidius disput. 21. num. 51. & Basilius lib. 12. cap. 5. docent, requiri septennium Mathematicè completum, & meritò: quia sicut pretium rei Iure præscriptum consistit in indiuisibili, ita etiam ætas Iure præscripta; quia ideò Iure præscribuntur, ne quisquam possit illa suo priuato iudicio mutare; posset autem, si illa, postquam Iure præscripta sunt, non consisterent in indiuisibili. Vnde Regula prædicta, *Quod parum distat, nihil distare videtur*, non habet locum in termino præscripto à Iure, quia eo ipso consistit in indiuisibili, & ad id præscribitur. Id verò quod ait Basilius, nempe sufficere vltimum diem septennij esse inceptum, falsum est; quia quousque completus sit, non est septennium Mathematicè completum, nec in indiuisibili consistens.

Secundò est difficultas, An in sponsalibus malitia suppleat ætatem. In præsenti autem materia malitia nihil aliud est, quàm discretio, seu vsus rationis perfectus. Est ergo difficultas, An quando ante septennium est vsus rationis perfectus, sponsalia fiant validè ante illud.

Sancius,

Sancius. Sotus. Aegidius. Rebellus.

Sancius, Sotus, Ægidius, Rebellus, & Basilius partem affirmatiuam tuentur, quia in matrimonio malitia supplet ætatem Iure positiuo requisitam quatuordecim annorum in puero, & duodecim in puella; ergo etiam in sponsalibus, quæ sunt quædam matrimonij inchoatio.

61 *Abbas. Angelus. Rosella.*

Abbas verò in cap. *Iuuenis.* 3. de Sponsalibus, Angelus v. *Sponsalia*, num. 5. & Rosella v. *Impedimentum*, partem negatiuam tradunt quam etiam Vasquez interrogatus amplexus est, & meritò; quia aliàs dispositio Iuris, præscribens septẽnium, esset frustrà; quia ex vna parte, quando est vsus rationis perfectus ante septennium, validè fiunt sponsalia secundùm aduersarios; & ex altera, quando non est talis vsus rationis, etiam post septennium completum, non fiunt validè: ergo ad nihil deseruit dicta dispositio, quia si malitia supplet ætatem, sponsalia eodem modo fiunt, aut non fiunt validè, siue ea dispositio extet siue non extet.

Ratio autem à priori est, quia quamuis pro matrimonio Iure ipso fiat exceptio malitiæ supplẽtis ætatem, non tamen pro sponsalibus; ergo absq; Iure, imò contra Ius ipsum absolutè absque exceptione requirens septennium ad valorem sponsalium, admittitur dicta exceptio, quæ non fuit facta à Iure; quia frustrà fuisset facta dicta præscriptio ætatis pro sponsalibus, quæ non fit frustrà in matrimonio: quia malitia supplens ætatem in matrimonio, non tantùm est vsus rationis perfectus, vt est in sponsalibus, sed etiam potentia ad generandum expedita, quæ non solet esse expedita ante ætatem requisitam pro matrimonio; ac proinde, si ante eam est vsus rationis perfectus, & potentia expedita, validè fiet matrimonium, & post eam etiam validè fit, si sit vsus rationis perfectus, quamuis non sit potentia ad generandum expedita. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

62 *Nauarrus. Rebellus. Rosella.*

Tertiò est difficultas, An qui ante septennium contrahunt sponsalia, peccent.

Nauarrus cap. 22. n. 31. Rebellus & Rosella docent, peccare, & mortaliter, nisi id exigat bonum pacis; quia in cap. *Vbi.* 2. de Desponsat. impub. id prohibetur, nisi quando id exigit bonum pacis.

Sancius verò disp. 17. Ægidius num. 54. & Basilius docent, prædictos non peccare, adhuc venialiter, & meritò: quia quamuis supradictis Iuribus sponsalia ante septennium facta irritentur, nullibi tamen prohibentur, adhuc in dicto cap. 2. de Desponsat. impub. quia in eo tantùm prohibetur fieri matrimonium ante ætatem Iure canonico requisitam, nisi vrgentissima necessitate interueniente, vt bono pacis, & non sponsalia; quia in eo tantùm prohibetur, quòd aliqui coniungantur ante ætatem à Iure requisitam; sponsalia autem non coniungunt, sed tantùm matrimonium, quia eo solo fiunt coniuges. Quòd autem sponsalia fiant ante ætatem requisitam ad eorum valorem, nihil refert vt fiat peccatum; quia in sic contrahendo contra nullam virtutem fit.

63 *Rebellus. Aegidius.*

Est tamen peccatum mortale, vt contra Sanciũ docent Rebellus & Ægidius, ante ætatem Iure canonico requisitam matrimonium contrahere, nisi quando ex vrgentissima necessitate, vt boni pacis, toleratur (id est approbatur) ab Ordinario, quia id est quid graue, & in dicto cap. 2. prohibitum, nisi in dicta necessitate facta licentia ab Ordinario, de quo iterùm Disp. XXII. Diffic. XII.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm Sponsalia coacta, seu ex metu facta, sint nulla.

Sancius. Glossa. Henriq. Aegidius.

SAncius lib. 4. disp. 19. & Glossa in c. *Ex literis.* de Desponsat. impuberum, docent, sponsalia, metu graui iniusto facta, esse nulla; Henriquez verò 11. de Matrimonio c. 9. Ægidius disp 28. nu. 7. docent, sponsalia sic facta esse valida.

64 Nos tamen existimamus, non esse valida ad obligandum ex fidelitate, esse tamen ad obligandũ ex iustitia. Et in primis non esse valida ad obligandum ex fidelitate, seu non esse valida in ratione promissionis, probatur; quia fides extorta præsertim à promissario, non est necessariò seruanda. Esse verò valida ad obligandum ex iustitia, seu in ratione contractus, probatur; quia contractus sponsalitius sic factus, nõ est inualidus Iure positiuo, adhuc c. *Ex literis.* de Desponsat. impuberum, quamuis in eo supponatur, patienti coactionem, seu iniustitiam, liberũ esse resilire ab eo contractu: neque est inualidus Iure naturali, seu ex natura rei; quia duo, quæ Iure naturali sufficiunt ad valorem cuiuscumq; contractus, nempe voluntarium simpliciter, & titulus, reperiuntur in dicto contractu; quia in primis in eo reperitur voluntarium simpliciter (quamuis admixtum cum inuoluntario secundùm quid) quod, quantum est ex parte voluntarij, sufficiens est ex natura rei ad quemcumq; contractum; & etiam in eo reperitur titulus, quia in eo datur ius ad vnum corpus pro iure ad alterum.

65 Quòd si persona coacta ad promittendum, non acceperet ius oblatum ab altero, dictus contractus non erit validus ex defectu tituli, quia non fit pro iure in corpus alterius accepto, neque titulo liberalitatis; quia fit coactè: imò quamuis semel acceptet ius, & sic fiat validè contractus, potest tamen posteà à persona coacta dissolui & distrahi, cedendo iuri acceptato ob iniustitiam grauem illatam, ad extorquendam promissionem (vt significatur in dicto c. *Ex literis*: sicut etiam ob iniustitiam graué superuenientem sponsalibus iam factis, potest iniustitiam patiens sponsalia dissoluere, cedendo iuri sibi collato, & auferendo quod ipse contulit, ob facilitatem dissolutionis contractus sponsalitij, cùm sit contractus inchoatus, & non perfectus, tendens, quasi via, ad alium contractum.

66 Quomodo verò promissio matrimonij, ob coactionem nulla, obliget ratione iuramenti superaditi, obligatione religionis, dicemus Disp. VI. vbi etiam dicemus, ratione iuramenti quoad nullam obligationem validari.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm Sponsalia clandestina sint valida & licita.

SPonsalia dicuntur clandestina, quæ non fiunt coram Parocho & aliis duobus aut tribus testibus.

Matienzo. Albornoz. Menoch.

Circa prius Matienzo lib. 5. Recopilationis titul. 1. Albornoz, & Menochius docent, esse nulla. Probari autem potest Primò ex L. *Oratio.* ff. De sponsalibus; vbi dicitur: *Oratio, quæ quasdam nuptias Senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est.* rectè tamen dicitur, sponsalia in his casibus ip-

so Iure nullius esse momenti, ergo eo ipso, quòd Tridentinum irritauit matrimonia clandestina, etiam censetur sponsalia clandestina irritasse. Secundò, quia inhabilis ad matrimonium, etiam est
Tridentin. inhabilis ad sponsalia; sed post Tridentinum, vbi publicatum est, homines sunt inhabiles ad clandestinè contrahendum matrimonium, ergo etiam ad clandestinè contrahenda sponsalia.

67 Sancius verò disp. 12. & communiter Doctores
Sancius. Congreg. Cardinal. docent, sponsalia clandestina esse valida: quod etiam sensit Congregatio Cardinalium apud Rebellum nu. 49. dum dicitur, *decretum Tridentini, quo statuit, vt matrimonium fiat coram Parocho & aliis testibus, non* habere *locum in sponsalibus.* Et ratione probatur, quia sponsalia clandestina non sunt irrita Iure naturali, vt patet, neque aliquo Iure positiuo; quia si aliquo, maximè prædicto Tridentini; eo autem non irritatur, nisi matrimonium, vt patet; ergo.

Ad priorem ergo rationem aduersariorum, desumptam ex L. *Oratio*, respõdemus, orationem, seu legem prohibentem matrimonium, etiam vitiare promissionem efficiendi matrimonium, eo modo quo matrimonium prohibetur effici; quia eo ipso promissio est rei illicitæ seu prohibitæ, ac proinde
68 promissio contrahendi clandestinè matrimonium est nulla (particula *clandestinè* cadente supra contrahere matrimonium, non supra promissionem:) quia contrahere clãdestinè matrimonium, est prohibitum; promissio tamen clandestina contrahendi solemniter & publicè matrimonium, non est nulla, sed valida. & in dicto sensu, qui est inhabilis ad matrimonium, etiam est inhabilis ad sponsalia, seu ad promissionem contrahendi matrimonium, eo modo quo contrahitur inualidè. Ex quo patet ad posteriorem rationem.

Paludan. Siluester. Circa posterius Paludanus in 4. dist. 28. q. 1. a. 2. Siluester & alij docent, sponsalia clandestina esse illicita (imo Caietanus in Summa, & Armilla v. *Sponsalia*, existimãt esse peccatum mortale.) Et probari potest, quia matrimonium clandestinum prohibitum est in cap. finali, de Clandestina desponsat. & in Tridentino sess. 24. de Reformatione
Trident. matrimonij, cap. 1. Ergo etiam censentur prohibita sponsalia clandestina, iuxta dictam L. *Oratio*; quia prohibito aliquo actu, censentur prohibita omnia quæ ad illum ordinantur.

69 Sancius verò lib. 1. disp. 13. Salcedo, & plures
Sancius. Salcedo. Congregat. Cardinal. alij docent, sponsalia clandestina non esse illicita (quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Rebellum nu. 56.) quia non sunt prohibita Iure naturali, vt patet, neque Iure aliquo positiuo de ipsis specialiter lato, quia non extat. Ex eo autem quòd matrimonium clandestinum sit prohibitum, tantùm fit, sponsalia ordinata ad matrimonium clandestinũ, quamuis sint publica, esse prohibita, & id tantùm continetur in dicta L. *Oratio*.

De sponsalibus autem conditionatis, seu factis sub conditione, quæ, & quando, & quomodo obligent, dicemus Disp. VII. vbi agemus de matrimonio conditionato.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm, qui tenetur implere Sponsalia, & non vult, cogendus sit per Iudicem.

SVpponimus, sponsalia absque termino præfixo facta, implenda esse, quãdo alteruter ex sponsis petat (si tunc commodè fieri possit) quod generale est omnibus contractibus. Et idẽ est, quando facta sunt præfixo aliquo termino, eo impleto. Quòd si neuter petat, differri potest impletio, nisi aliquis eorum ex timore aliquo, adhuc reuerentiali, aut ex obliuione, non petat; quia si ob timorem vel ob obliuionem non petit, ei sunt implenda, quia tunc non differt liberaliter solutionem sibi debiti.

Est ergo difficultas, An quando tempore debito alter non vult implere, altero petente, cogendus sit à iudice ad impletionem; quia in foro conscientiæ cogendus est à Confessario, ita vt absoluendus nõ sit, quando sponsalia obligant ex iustitia, vt regulariter obligant; quia in non implendo peccat continuè mortaliter, quousque impleat.

Circa hanc difficultatem Doctores variè opinati sunt. Quia sunt qui absolutè docent, nolentem non esse cogendum à iudice. quod significari videtur in cap. *Requisiuit.* 17. de Sponsalibus, vbi de quadam femina, quæ iurata matrimonium promiserat, dicitur: *Cùm libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quàm cogenda; cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Et sunt etiam, qui econtrà absolutè docent, nolentem implere sponsalia, cogendum esse à iudice. quod nonnulli limitant, vt tantùm sit verum, quando sponsalia sunt iurata, & significari videtur in c. *Ex literis.* 10. de sponsalibus; vbi de quodam viro, qui iuratus matrimonium promiserat, dicitur: *Quia periculosum est contra iuramentum venire, mandamus vt eum moneas, & si monitus non acquieuerit, censuris compellas, vt ipsam (nisi rationabilis causa obstiterit) in vxorem ducat.*

Sancius verò lib. 1. disput. 29. Ægidius disp. 22. dub. 2. & communiter Doctores docent, iniuste recusantem implere sponsalia, adhuc non iurata, per se cogendum esse à iudice; aliquando tamen per accidens non esse cogendum, quamuis sponsalia sint iurata, quando videlicet ex matrimonio prudenter timetur malus exitus.

Et in primis, quòd per se (id est secluso periculo mali exitus) cogendus sit, quando sponsalia sunt iurata, expressum est in dicto cap. *Ex literis*, & ratione constat: quia ad iudicem, præsertim Ecclesiasticum, maximè pertinet, cogere ad impletionẽ iuramenti, cùm eius violatione maximè inhonoretur Deus. Et quòd etiam cogendus sit, quamuis sponsalia non sint iurata, etiam constat; quia ad iudicem pertinet, compellere vt vnicuique petenti reddatur debitum, præsertim ex iustitia. Quòd autem in cap. *Ex literis*, prædictæ coactionis faciendæ non reddatur alia ratio, quàm iuramentum, non obstat, vt dicatur, non esse cogendum ad sponsalia non iurata implenda; quia in eo non negatur, obligationem ex sponsalibus, prout sponsalibus, ortam, non sufficere vt iudex compellat; sed adducitur solùm iuramentum pro causa, quia erat sufficiens, & maior quàm promissio vt promissio.

Quòd verò per accidens, quando timetur periculum mali exitus, non sit cogendus ad implendã spõsalia, adhuc iurata, expressum est in dicto c. *Requisiuit*; & non leuiter deducitur ex dicto c. *Ex literis*; in quo etiam est sermo de sponsalibus iuratis, quia in eo dicitur, nolentem esse compellendum, nisi rationabilis causa obstiterit: periculum autem mali exitus, est causa satis rationabilis, obsistens coactioni. Et ratione constat, quia iudex non debet, imò tenetur abstinere à coactione, quando ea

ea timetur grauius malum, quod possit Rempublicam turbare aut scandalizare; ergo quando ex matrimonio coacto timetur malum grauius, quàm sit non implere sponsalia, vt quando timentur perpetuæ rixæ, aut fictio matrimonij, aut desertio vxoris, nolens non est cogendus.

Sancius. Ægidius. Vnde (vt optimè Sancius & Ægidius) quando iudex nolentem admonuit, & excommunicauit, non debet contra eum (si pertinax est) vltrà procedere, sed eum absoluere; quia ex matrimonio sic coacto nequit non timeri grauius damnum: quod verum est, quidquid dicat Basilius; etiam si dictum periculum, aut alia rationabilis causa, non deobliget nolentem.

Basilius.

74 Capitulum ergo *Requisiuit*, in quo dicitur, sponsa recusantem monendam esse potiùs, quàm compellendam, intelligitur de compulsione seu coactione extraordinaria; quia ex matrimonio extraordinariè coacto, exitus difficiles frequèter eueniunt; ac proinde non aduersatur dicto c. *Ex literis*, vbi dicitur, nolentem compellèdum esse, nisi rationabilis causa obsistat, qualis est prudens timor mali exitus.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm possit apponi pœna iniustè resilienti à contractu sponsalitio.

75 CONueniunt communiter Doctores, pœnam appositam, etiam iniustè, resilienti ab sponsalibus, esse nullam, & non obligare, quod non tantùm habetur in Iure ciuili in L. *Titia.* 134. ff. De verborum obligationibus, & in L. *Mulier.* 5. C. De sponsalibus, & in L. 39. Castellæ, tit. 11. partit. 5. sed etiam in Iure canonico, in c. *Gemma.* 29. de Sponsalibus; quod ius non solùm habet locum in appositione pœnæ sponsalibus inualidis (vt vult Basilius c. 19.) sed etiam in appositione pœnæ sponsalibus validis; quia in dicto c. *Gemma*, etiamsi casus fuerit appositionis pœnæ sponsalibus inualidis, ex defectu ætatis; decisio tamen, & ratio decisionis absoluta est, & generalis.

Basilius.

Prædicta autem dispositio non tantùm habet locum in appositione pœnæ inter ipsos contrahentes, & etiam inter eorum parentes (in quo communiter conueniunt Doctores;) sed etiam inter alios, qui iure propinquitatis sponsos attingunt, imò inter strictè sponsorum amicos, & inter eos quibus sponsi subditi sunt, & inter eos à quibus sponsi pati possunt graue aliquod damnum, vt docent Sancius disp. 30. & alij; quia in dicto c. *Gemma*, generaliter reprobatur pœna, qua contrahentium libertas impediri possit; pœna autem inter quoslibet, ex dictis, impedire potest libertatem contrahentiũ.

76 Prædicta dispositio etiam habet locum, quamuis pœna apposita sit modica (vt contra Ioannem Andream, & alios docent Sancius disp. 30. & Couarr. 4. Decret. 2. par. c. 3. §. 7.) quia dictis Iuribus pœna absolutè reprobatur; pœna autẽ, quamuis modica, est vera pœna, & aliqualiter impediens libertatem.

Sancius. Couarr.

Sancius. Filliucius. Ochagau. Addunt Sancius, Filliucius, & Ochagauia, iuramentum, additum appositioni pœnæ, non obligare ad ipsius pœnæ solutionem: quia eam soluere, sit approbare appositionem pœnæ prohibitam, seu illicitam. Immeritò tamen (vt optimè Lessius c. 17. dub. 7. & Ægidius disp. 22 n. 24.) quia, quamuis appositio pœnæ esset illicita seu prohibita (quod non probatur, quamuis sit nulla) solutio tamẽ pœnæ non est prohibita; quia non est prohibita ratione sui, vt patet, neque ex eo quòd sit solutio pœnæ quæ sit illicitè apposita, etiamsi hoc admittamus: quia etiam solutio pecuniæ, oblatæ homicidæ, qua conductus est ad homicidium patrandum, est licita, quamuis conductio fuerit illicita, quia ex eo nõ approbatur conductio, sed satisfit obligationi, relictæ ex conductione; iuramentum autem obligat, quoties licitè impleri potest, vt dicitur in c. *Debitores.* 6. & in c. *Si vero.* 8. de Iureiurando. Prædicti autem iuramenti impletio licita est, quia non est prohibita Iure aliquo positiuo, vt patet; neq; naturali, quia neque ex eo approbatur appositio pœnæ, neque impletio illius directè nocet bono publico, quamuis ei non sit expediens, quod non sufficit, vt iuramentum illius non obliget; sicut etiam non sufficit, vt iuramentum factum latroni inuadenti, dandi illi pecunias, non obliget. Pœnam tamen, solutam à nolente implere sponsalia, non poterit alter retinere (quidquid dicant Lessius & Ægidius) quia eam nullo titulo retinere potest, sicut neque vsurarius, neque latro qui accepit pecunias sibi extortè promissas, quamuis cum iuramento.

Lessius. Ægidius.

77

In Nouella autem 18. Imperatoris Leonis, vbi dicitur, *Quod consuetudini placuit, vt in sponsaliorũ reprobationibus pœnæ imminerent his qui reprobare instituerent, id in legis auctoritatem collocamus*, non tã est sermo de imminentia pœnæ appositæ, quàm infligendæ à iudice ob violationem sponsalium, quia vere potest à iudice infligi violanti sponsalia.

78 *Nouella Leonis.*

Obseruandum est (vt optimè Sancius disp. 30. n. 15.) posse inter cõtrahentes cõueniri, vt qui iniustè resilierit, recompenset alteri damnum quod ei emerserit; ex eo quòd facta sint sponsalia, & etiam lucrum, ob eadem facta, ei cessans; quia hæc recompensatio non est pœna quæ Iure positiuo irritatur; sed recompensatio Iure naturali iustitiæ debita; non tamen, vt recompenset lucrum diuitiarum, quod ex matrimonio, cuius erat promissio, acquirendum erat; quia ad istud lucrum non habet ius, nisi post factum matrimonium; ac proinde cõuentio recompensandi illud esset appositio pœnæ.

79 *Sancius.*

DIFFICVLTAS XIX.

Vtrùm in Sponsalibus possint tradi arrhæ amittendæ ab iniustè resiliente.

ARrhæ in præsenti sumuntur pro pignore, quod inter sponsos datur in signum implendi sponsalia, quod vulgò appellatur *señal.*

80

Circa difficultatem ergo conueniunt Doctores, posse in sponsalibus tradi arrhas, amittendas ab iniustè resiliente, & meritò: quia nullo Iure impeditur, imò id approbatur Iure ciuili, L. *Arrhis*, & L. final C. De sponsalibus, & L. 1. Castellæ, tit. 11. par. 4. Ratio congruentiæ, ob quam facta est lex irritans appositionem puræ pœnæ, & non traditionem arrharum, est, quia traditio arrhæ ex se & regulariter multò minùs impedit libertatem, quàm appositio pœnæ; quia, ceteris paribus, timor amittendi arrhas, vtpote iam traditas, & non soluendas, minor est, quàm soluendi pœnam appositam, vtpote nondum traditam. Cui accedit, quòd regulariter arrhæ traditio, vtpote rei quæ de præsenti datur, est minor, quàm appositio pœnæ, vtpote rei quæ promittitur in futurum.

Est tamen difficultas, Primò, an arrha possit validè constitui, & tradi in quacumq; quantitate. 81 *Rosella.*

Rosella v. *Sponsalia* n. 17. Angelus & Siluester docent, *Angelus. Siluester.*

docent, non posse validè tradi in tam magna quantitate, vt (considerata conditione contrahentium) impediatur eorum libertas; quia tunc currit ratio legis, quæ pœnam irritat.

Bartolus. Bartolus ad L. *Titia*, De verborum obligationibus (quē nonnulli Iurisperiti sequuntur) docet, arrhas non posse validè constitui in quantitate excedente quantitatem dotis (id est donationis propter nuptias:) quia dissoluens matrimonium, apud Romanos tantùm amittebat dotem; ergo æquum non est, vt sponsalia non implens, quæ sunt minoris momenti quàm matrimonium, incurrat maiorem amissionem.

Sancius. Aegidius. Couarr. Sancius verò disp. 25. Ægidius disp. 22. n. 15. & Couarruias 4. Decret. 2. p. c. 3. n. 7. docent, arrhas posse validè constitui, & tradi in quacumq; quātitate, absq; limite, & meritò: quia traditio arrharum, nullo Iure reprobata, imò Iure ciuili approbata, nullo Iure restringitur seu limitatur; ergo possunt validè in quacumq; quantitate tradi & constitui.

82 Quòd autem arrhæ in magna quantitate aliquomodò impediant libertatem, non obstat, vt in ea possint validè constitui; quia quamuis hæc ratio mouerit ad statuendam legem irritantem puram pœnam, non tamen mouit ad irritandas arrhas, adhuc in magna quantitate; quia in hac rarò constituuntur, ad quod non attendunt leges.

Quòd verò in sponsalibus (quando traduntur in quantitate excedente dotem) maior amissio incurratur, ob non impletionem eorum, quàm olim ob dissolutionem matrimonij, nō est contra æquitatem; quia tunc amissio dotis incurrebatur, tamquam pœna, & lege præscripta; quod durius est, quàm incurrere amissionem arrharum, etiam excedentiū dotem; quia harum amissio non incurritur tamquam pœna per legē inflicta, sed tamquam amissio rei propria sponte traditæ, & facta non per legem, sed ex propria voluntate. Addimus, Iure ciuili Castellæ arrhas non posse excedere decimam
83 partem bonorum dantis illas, vt constat ex L. 1. titul. 2. lib. 3. fori, quæ approbatur L. 2. tit. 2. lib. 5. Nouæ Recopilationis, & habet vim in sponsalibus non baptizatorum.

Secundò est difficultas, An arrhæ tradi & constitui possint in re immobili, vt in fundo, sicut etiam in re mobili, vt in pecunia.

Bartolus. Rosella. Bartolus & Rosella vbi suprà, partem negatiuā tuentur, Primò, quia L. final. C. De sponsalibus, approbans traditionem arrharum, loquitur de illis in quantitate numerata. Secundò, quia arrhæ aliquando duplicari debent ab accipiente illas, quod nequit fieri (saltem commodè) nisi in quantitate numerata.

Sancius. Couarr. Aegidius. Sancius verò, Couarruias & Ægidius vbi suprà, partem affirmatiuam amplectuntur, & meritò: quia arrharum traditio, in re immobili, nulla lege reprobatur; quamuis in dicta Lege tantùm fiat mentio earum in quantitate numerata. Et duplicatio arrharū, quando necessaria sit, poterit fieri restituendo rem immobilē, & reddendo valorem illius.

84 Tertiò est difficultas, An arrhæ possint validè ab vtroque contrahente constitui.

Bartolus. Angelus. Rosella. Bartolus, Angelus & Rosella partem negatiuam tradunt, quia quando traditio arrharum est mutua, videtur superflua; quia superfluè datur id, cui æquiualens recipitur.

Sancius. Couarr. Sancius verò & Couarruias partem affirmatiuam tuentur, & meritò: quia ex vna parte mutua arrharum traditio, nullo Iure irritatur, & ex altera non est superflua; quia iniustè resiliens, amittit arrhas à se traditas, & tenetur sibi traditas restituere.

DIFFICVLTAS XX.

Ad quem pertineant arrhæ.

COnueniunt Primò Doctores contra Henriquez, quando matrimonium promissum fit, arrhas traditas redire ad eum qui eas tradidit, quia arrhæ sunt quasi pignora, quæ non amittuntur, quando contractus (in cuius signum dantur) celebratur: & quando matrimonium promissum non fit ob culpam eius qui tradidit arrhas, illas amittere, & pertinere ad eum cui fuerunt traditæ, nō verò quando iustè resilit. Conueniunt Secundò, cum cui traditæ fuerunt (si iniustè resiliat) teneri illas restituere ei qui illas tradidit, vt patet; imò in L. final. C. De sponsalibus, decernitur, vt nō solùm restituat arrhas, sed etiam reddat tantumdem de suo patrimonio; quod æquitati est conforme; vt sicut tradens arrhas exponitur amissioni earum (si iniustè resiliat) ita etiam, qui illas recipit, exponitur amissioni tantidem, præter ipsas arrhas acceptas. Et hæc videtur intentio contrahentium (saltem tacita) quia id est in vsu, orto ex dicta L. *Quamuis*, nō obligante vbique, nisi in terris Imperio subditis, & in sponsalibus non baptizatorum, in qua excipitur minor vigintiquinq; annorum, vt tantùm teneatur restituere arrhas acceptas, & non reddere tantumdē; & ob id ea videtur intentio, tam minoris cui traduntur arrhæ, quàm contrahentis cū ipso minore.

Deinde in dicta L. final. decernitur, vt contrahentes possint inter se conuenire, quòd accipiens arrhas (nisi sit minor) si iniustè resiliat, reddat triplum; id est ipsas arrhas, & bis tantumdē; aut quòd reddat quadruplum, id est, arrhas, & ter tantumdē.

Circa quod decretum difficultas est, An facta conuentione dicta, si accipiens arrhas iniustè resiliat, teneatur in conscientia, ante iudicis sententiam, reddere, nō tantùm arrhas, sed etiā reliquum.

Nauarrus cap. 23. n. 68. & Sancius disp. 37. partem negatiuam tuentur; quia intentio contrahentium videtur esse, vt dicta pœna conuentionalis, id est, ex conuentione appositā, non obliget ante iudicis sententiam.

Couarruias verò 4. Decret. c. 6. §. 8. Ægidius disp. 22. dub. 4. & Basilius c. 19. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte, sola pactium cōuentione fieri potest, vt pœna debeatur ante iudicis sententiam, vt patet; & ex altera, mens contrahentium est, vt pœna sit debita ante illam. Quod constat Primò, quia conueniunt de solutione pœnæ, nulla facta mentione sententiæ iudicis. Secundò, quia amissio arrharum est pœna conuentionalis, nō minùs, quàm redditio dupli, aut tripli præter arrhas; & tamen tam tradens quàm accipiens arrhas intendunt eas amitti, & relinqui accipienti, ante iudicis sententiam; ergo etiam quod illud duplum aut triplum reddatur, quia id ad minùs intendit tradens arrhas; quia hic non minùs intendit accipientem obligari, quàm ipsemet obligatur; ac proinde etiam alter, si verè conueniunt, & conformantur.

Vnde non minùs accipiens arrhas, tenetur ante iudicis sententiam, ad tantumdē æquiualens arrhis, præter restitutionem arrharum, vt contra Sancium docet Ægidius; quia illud tantumdem, etiam est
pœna

pœna conuentionalis, saltem vbi non obligat dicta Lex; imò etiam vbi obligat, non est purè legalis; quæ non solet antè iudicis sententiam obligare.

Sed an pœna conuentionalis, bis tantidem, aut ter tantidem, & etiam semel tantidem (si est conuentionalis, vt nos existimamus) debeat solui ante petitionem partis, sub controuersia est inter Auctores nostræ opinionis: quia Couarruuias, Ægidius & Molina docent, illam non deberi ante petitionem partis, sicut neque pœna legalis, id est per legem apposita. *Couarr. Aegidius. Molina.*

88 Paludanus verò in 4. dist. 27. quæst. 1. & Petrus Nauarra lib. 3. de Restitut. cap. 2. dub. 10. docent, debere solui ante petitionem partis (nisi pars non petendo censeatur remittere) & meritò: quia debetur ex conuentione & contractu, ac proinde ex statim, sicut debitum ex aliis contractibus; & id est æquitati conforme, quia accipiens arthas, ex statim acquirit ius in illas, & eas iustè retinet. *Paludan. Nauarra.*

Obseruandum est, excepta appositione puræ pœnæ, quæ irritatur in cap. *Gemma*, de Sponsalib. posse validè & licitè sponsalibus adiici alios contractus, quia nullibi reprobantur, vt contractum fideiussoris, pro maiori securitate matrimonij efficiendi, & etiam pignoris, pro securitate arrharũ nondum traditarum, & etiam contractum habitandi in certo aliquo loco, cui cõtractui tenetur stare vir (nisi iusta causa mutandi locum superueniat) quòd si vir absq; iusta causa mutet locum, vxor nõ tenetur virum comitari, vt docet Sancius disp. 40.

DIFFICVLTAS XXI.

Quæ sint impedimenta, quibus impeditur valor Sponsalium nondum factorum, ne validè fiant.

89 COnueniunt Doctores, non tantùm defectum vsus rationis & ætatis, Iure ipso requisitæ, impedire ne validè fiant sponsalia, vt diximus Difficul. 11 v. sed etiam omnia impedimenta, quibus personæ sunt inhabiles aut prohibitæ ad contrahendum matrimonium, quando sponsalia referuntur ad matrimonium faciendum, tempore inhabilitatis aut prohibitionis; vt quando promittitur matrimonium, faciendum ante legitimam ætatem, aut tempore impedimenti dirimentis, aut tantùm prohibentis seu impedientis; quia qui nequit validè contrahere, nequit validè promittere ipsum contrahere, tempore impedimenti ipsius contractus; & qui nequit licitè contrahere, nequit etiam validè promittere ipsum contrahere, tempore prohibitionis ipsius contractus, quia promissio rei impossibilis aut illicitæ nequit esse valida. At quando sponsalia referuntur ad matrimoniũ, faciendum tempore in quo non est futurum impedimentum, aut prohibitio matrimonij, erunt valida; quamuis ipsa fiant tempore impedimenti, aut prohibitionis matrimonij; vt quando quis ante pubertatem, septennio completo, promittit, se contracturum matrimonium post pubertatem; & quando quis durante voto castitatis promittit se contracturũ matrimonium post cessationem voti. 90

Est tamen difficultas, An votum castitatis (& idem est de voto Religionis) ita se habeat ad sponsalia sequentia, quando facta sunt sub spe defloratonis virginis, cum effectu secutæ, vt qui sic promisit matrimonium, teneatur illam ducere; an potiùs teneatur voto ipso. Et procedit, quando virgo ignara erat voti; quia si conscia esset, non esset obligatio illam ducendi, imò neque resarciendi illi damnum; quia mala fide permisit sibi damnum illud inferri.

Sancius ergo disp. 45. & Rebellus lib. 4. qu. 8. sect. 7. docent, votum castitatis non impedire obligationem ducendi illam (intellige etiam cum animo consummandi) quod etiam sentiebat P. Vasquez. Et probari potest Primò, quia tunc facta est notabilis mutatio, qua impletio voti fit notabiliter durior, quia vouens post votum, intulit magnum damnum virgini ab ipso resarciendum; quòd si resarciat illam ducendo, erit facile; difficile verò & durum, si impleat votum, & damnum alia via resarciat; votum autem non obligat, quãdo fit similis mutatio. Secundò, quia votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex iustitia, ergo qui sub spe matrimonij defloravit virginẽ ignaram, etiam post votum emissum, tenetur illã ducere, non obstante voto; quia hoc impleretur cum dãno notabili debiti virgini ex iustitia. 91 *Sancius. Rebellus. Vasquez.*

Nauarrus verò lib. 4 Consiliorum tit. de Sponsalibus, consil. 21. & Rodriguez tom. 1. Summæ c. 208. nu. 11. & Viualdus 3 part. cap. 14. nu. 64. docent, votum castitatis impedire obligationem ducendi sic defloratam, ac proinde prædictum teneri voto, & meritò: quia prædictus non tenetur illam ducere ratione promissionis, quia fuit nulla, vtpote rei illicitæ, ratione voti præsuppositi; neque tenetur ratione damni illati, quia huic satisfieri potest constitutione dotis, aut aliter; ergo non tenetur illam ducere, sed tenetur implere votum, & etiam alia via satisfacere dicto damno, quando necessaria sit satisfactio. *Nauarrus. Rodriguez. Viualdus.*

Quòd si damno illato nequit alia via satisfieri, nisi eam ducendo (vt regulariter contingit, quando defloratione non cautè facta à viro, aut ab eo publicata, virgo est infamata) tenetur illam ducere, ob posteriorem rationem aduersariorum; quia scilicet votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex iustitia. Addidimus, *quando necessaria sit satisfactio*, quia non semper est, tunc scilicet, quando defforata non est infamata à viro, & æquè benè nubit, ac si deflorata non esset. Quòd si ipsa absque rationabili causa id publicauit, & sic se ipsam infamauit, quo etiam non æquè benè nubit, nisi maiori dote; deflorator solùm tenebitur ad satisfactionem damni defloratonis sufficientem, vt deflorata possit æquè benè nubere, ac nuberet, si defloratio secreta esset; & facta nota ei cui nubit, vt absque fraude procedat, quia deflorata potest ei cui nubit id manifestare. 92

Ad priorem ergo rationem aduersariorum respondemus, tunc ob mutationem notabilem superuenientẽ, qua impletio voti fit notabiliter durior, cessare obligationem voti, quando ea mutatio non fuit voluntaria ei qui emisit votum, sed euenit ineuitabiliter, quod non contingit in præsenti. 93

Ad posteriorem concedimus, votum non obligare, quando eius impletio futura est cum damno notabili debiti alteri ex iustitia. In præsenti autem casu impleri potest votum castitatis absq; damno defloratæ, quando alia via, quàm ducendo illam, potest ei satisfieri (vt sæpè potest) quia quando non potest, nisi eam ducendo, erit obligatio eam ducendi; & tunc votum non obligabit quoad redditionem debiti coniugalis, etiamsi quoad petitionem obliget, & quoad alios actus.

DISPVTATIO II.

De dissolutione Sponsalium.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Sponsalia puberum solo eorum mutuo consensu dissolui possint.

PVBERES dicuntur pueri, qui decimumquartum annum attingunt, & puellæ quæ duodecimum annum.

Hoc ergo supposito, ratio difficultatis pro parte negatiua desumitur ex cap. 2. de Sponsalib. vbi dicitur, *eos, qui de matrimonio contrahendo fidem dederunt, admonendos esse, vt præstitam fidem seruent; si autem se adinuicem admittere noluerint, ne forte inde deterius contingat, esse in patientia tolerandum.* Vbi supponi videtur, dissolutionem sponsalium non posse licitè fieri pro sola voluntate sponsorum, cùm dicatur, tolerandam seu permittendam esse, ne deterius aliquid contingat; & sponsos monendos esse, vt sibi fidem seruent.

2 Nihilominùs Doctores conueniunt, sponsalia non tantùm validè, sed etiam licitè posse solo mutuo sponsorum consensu dissolui. Et in primis posse validè dissolui, supponitur in dicto cap. 2. & ratione constat, quia, vt dicitur in cap. 1. de Regulis Iuris, *Res omnis, per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur* (subintellige, si dissolubilis est) sed sponsalia sunt dissolubilia, & solo mutuo sponsorum consensu nascuntur, seu fiunt, ergo solo eorum dē mutuo consensu dissoluuntur.

3 Quòd verò id licitè fieri possit, constat; quia nullo Iure, neque positiuo neque naturali, prohibetur. Verum est, quòd quando absque causa rationabili dissoluuntur, non fit absque nota aliqua inconstantiæ, & absque occasione aliqua obloquiorum; quod quamuis non sit peccatum, expedit tamen euitari. Et ob id euitandum dicitur in dicto cap. 2. sponsos monendos esse, vt sibi fidem seruent; quòd si nolint, dicitur esse tolerandum, seu permittendum, ne deterius aliquid contingat; quia minùs inconueniens est, quando sic resistunt, non coniungi, ne contingat malus exitus. Ex quo constat ad rationem difficultatis pro parte negatiua.

Maior difficultas est, quando sponsalia sunt iurata. Supponimus, sponsalia, quando iurata sunt, posse solo sponsorum consensu dissolui, quoad obligationem fidelitatis & iustitiæ; quia promissarius potest cedere iuri sibi promisso, & obligationi fidelitatis; est ergo difficultas, An possint dissolui quoad obligationem religionis ex iuramento ortam.

Circa quam Doctores communiter conueniunt, posse etiam dissolui quoad obligationem religionis, quando iuramentum factum est in fauorem partis; quia tunc solùm fit in gratiam iuratarij, ac proinde ipsius remissione obligatio iuramenti cessare potest, siue iuramentum sit confirmatiuum obligationis sponsalium, siue tantùm comitans illam. Est tamen difficultas, An quando sponsalia fiunt ab aliquo, intuitu pietatis, vt ducendi pauperem, & iuramentum principaliter fit in honorem & quasi in gratiam Dei (quia eorum impletio est opus pietatis, & obsequium Dei) etiam possint dissolui quoad obligationem religionis voluntate promissarij.

Sotus 8. de Iustitia quæst. 1. artic. 9. Siluester & Angelus, & Rosella partem negatiuam tuentur, quia iuramentum faciendi aliquid, intuitu pietatis factum, & in honorem Dei, æquiualet voto, cuius obligationem alter nequit relaxare seu extinguere, ac proinde promittens & iurans non manet liber ab obligatione iuramenti, quamuis alter remittat; sed tenetur ea obligatione ad contrahendum, quoties remittens velit, matrimonium, etiam post factam remissionem.

Sancius verò disp. 52. & Ægidius disput. 33. dubit. 1. Nauarrus & Henriquez partem affirmatiuam tradunt, & meritò; non solùm quando iuramentum factum est in confirmationem sponsalium, id est, quando cadit supra matrimonium, vt subest promissioni, seu quando iuramentum est implendi sponsalia (vt regulariter fit, quando iuramentum fit simul cum sponsalibus) etiamsi iuramentum factum sit in honorē & quasi in gratiam Dei; quia tunc consensu & remissione partis cessat materia iuramenti, quia cessant sponsalia, quorum materia, vt illis subest, erat materia iuramenti illius; sed etiam quando iuramentum non fuit factum in confirmationem sponsalium, & ea subordinatum, sed tantùm comitatur illa, id est, quando iuramentum fuit ducendi pauperem, vt contingit, quando iuramentum sit ante sponsalia, & potest etiam contingere, quando fit post illa; imo & quando fit simul cum illis, quamuis iuramentū factum sit in honorem Dei, ad eius seruitium attendendo; quia etiam tunc, cùm fiat in commodum partis, absque dubio fit saltem tacitè sub ea cōditione, *si illa persona, in cuius commodum fit, non respuat*; ergo persona illa respuente, cessat etiam obligatio dicti iuramenti (quamuis æquiualeat voto) non directa relaxatione, quæ nequit fieri nisi a Deo, aut ab habente vicem illius, sed cessatione conditionis, sub qua fuit tacitè factum; quia persona, in cuius commodum fit, id respuit & nō vult. Non negamus, iuramentum posse fieri ducendi personam illam, quoties ipsa velit, etiam post quascumq; nolitiones, & quasi remissiones, etiamsi non fiat quasi in gratiam Dei: id tamen non intendit iurans, ex eo quod intuitu pietatis & in honorem Dei iuret; ac proinde quando id non expresse intendit, censendus est iurasse sub conditione, quod alter numquam respuat. Ex quo constat ad rationem pro aduersariis adductam.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Sponsalia impuberum solo eorum mutuo consensu dissolui possint.

COnueniunt Doctores, sponsalia impuberum (id est puerorum non attingentium decimumquartum annum, & puellarum non attingentium duodecimum) non posse eorum mutuo consen-

consensu dissolui, quamdiu impuberes sunt; non quia impediti sint ad id Iure naturali, quia verè nõ sunt, sicut neq; puberes; sed quia impediti sunt Iure positiuo, tradito in cap. *De illis* 7. de Desponsat. impub. Ratio huius dispositionis fuit, vt occurratur leuitati impuberum, qui ob eam sæpiùs contraherent sponsalia, & dissoluerent. Nihilominùs statim atq; ad pubertatem perueniunt, quilibet potest sponsalibus renuntiare, vt dicitur in dicto cap. Ratio autem huius dispositionis fuit, vt immaturitati iudicij, quo impuberes contraxerunt, subueniatur, vt si fortè minùs prudenter se obligarunt, possint, quando ad maturiorẽ ætatem perueniunt, obligationem illam excutere; & quamuis impubes, qui contraxit cum pubere, possit, quando fit pubes, resilire, non tamen ipse pubes cum quo contraxit.

Est tamen difficultas Primò, An ex duobus impuberibus, qui contraxerunt sponsalia, possit, qui priùs ad pubertatem peruenit, altero impubere permanente, resilire.

8 *Cardinal.* Doctores contra Cardinalem partem affirmatiuam tradunt, quæ non leuiter deducitur ex dicto cap. *De illis*, & exprimitur L. 8. Castellæ, tit. 1. p. 4. & ratione constat; quia ex vna parte nullo Iure requiritur quòd expectet pubertatem alterius, & ex altera puberi conceditur licentia, vel potiùs aufertur impedimentum resiliendi; ergo statim, ac fit pubes, resilire potest ante pubertatem alterius.

Sancius. Addunt Doctores, quos sequitur Sancius disp. 51. necessarium esse, eum qui ad pubertatem peruenit, statim ac illam adeptus est, reclamare (aliàs censetur contractum approbare) quod insinuatur in dicto cap. *De illis*, dum dicitur: *Si cùm ad annos pubertatis peruenerint, reclamauerint.* Iuxta phrasim autem Iuris id dicitur statim fieri, quod fit intra triduum, L. final. C. De errore Aduocat. & L. final. C. De iudiciis.

Secundò est difficultas, An qui factus est pubes, possit ab sponsalibus ante pubertatem contractis resilire, si iurata fuerint.

Paludan. Cardinal. Henriq. Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. ar. 3. Cardinalis & Henriquez partem affirmatiuam tuentur, quia iuramentum, additum contractui, sortitur eamdem conditionem contractus, cùm in eius confirmationem fiat, sed sponsalia impuberum Iure positiuo includunt tacitè eam conditionem, *nisi facti pubes resiliant*, ergo etiam iuramentum illis additũ.

9 *Sancius. Aegidius.* Sancius verò & Ægidius partem negatiuam tradunt, & meritò: quia id definitur in cap. *Ex literis* 10. de Sponsalibus, dum dicitur, *eos impuberes, qui sponsalia contraxerunt, & iuramento confirmarunt, cogendos esse ad contrahendum matrimonium.* Id verò quod aduersarij respondent, nempe, dispositionem huius cap. intelligendam esse, quando non reclamarunt tempore debito, dicitur absque fundamento, imò & contra rationem; quia quando tempore debito non reclamant, quamuis non iurauerint, cogendi sunt ratione obligationis fidelitatis & iustitiæ.

Ad rationem ergo aduersariorum concedimus, iuramentum, additum contractui, sortiri conditiones illas; negamus tamen, sponsalia impuberum iurata includere supradictam conditionem, quamuis eam includant quando non iurantur, quia dispositione dicti cap. *Ex literis* negatur impuberibus licentia resiliendi ab sponsalibus iuratis, quæ conceditur in cap. dicto *De illis*, quando non sunt iurata.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Sponsalia, priùs facta, dissoluantur per votum simplex castitatis subsequens.

10 COnueniunt Doctores, quando vnus ex sponsis vouet castitatem, alterum manere liberum ab sponsalibus, seu ex parte illius dissolui sponsalia; quia vouens suo voto censetur renuntiare obligationi alterius; quia intendit se obligare ad id quod est incompossibile cum matrimonio sibi promisso; & in sponso etiam est alia peculiaris ratio, ob quam sponsa potest dissoluere sponsalia, quia scilicet eo voto fit notabiliter deterior sponsæ, quia sponsa cogitur non vacare actibus coniugalibus, nisi ipsa petat, quod ipsi est graue onus.

Est tamen difficultas, An vouens suo voto maneat liber ab sponsalibus factis, & eo ipso ea dissoluat.

Sotus in 4. dist. 16. q. 2. ar. 9. Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 14. & Basilius cap. 12. partem affirmatiuam tuentur, quia in sponsalibus semper 11 *Sotus. Henriq. Basilius.* inest tacita seu implicita conditio, nempe, *nisi voluero ad meliorem statum transire*; quia nemo promittens matrimonium, censetur velle statui perfectiori renuntiare: ergo votum castitatis, quamuis subsequens, etiam dissoluit sponsolia ex parte vouentis, vtpote emissa sub tacita conditione, *nisi voluero statum continentiæ eligere*. Et confirmatur, quia vt dicitur in cap. *Peruenit* 3. De iureiurando, *promissum non infringit, qui illud in melius cõmutat*; Ergo non infringit fidem sponsalium, qui post illa vouet castitatem, quæ melior est statu matrimonij.

Sancius verò disp. 46. & Ægidius disp. 23. n. 25. *Sancius. Aegidius.* partem negatiuam tradunt, & meritò; quia suprà dicta conditio nullo Iure inest sponsalibus, ergo non dissoluuntur ex parte vouentis. Antecedens probatur, quia non Iure aliquo positiuo, vt patet, neque Iure naturali, seu ex natura sponsalium, quamuis cælibatus sit perfectior statu matrimonij; aliàs qui promisit Petro diuiti rem aliquam, posset illam pauperibus erogare, quia hoc etiam est melius, quod est absurdum. Ex quibus constat ad rationem aduersariorum.

Et ad confirmationem, desumptam ex cap. *Peruenit*, respondemus, in eo sermonem esse de voto 12 facto Deo, cui non infringitur fides, quando ei redditur melius, quia semper acceptat rem meliorem loco minoris; homini verò, qui aliquando non acceptat rem meliorem, infringitur fides, quando non redditur res promissa, præsertim quando id melius, quod reddit aut efficit promittens, est melius ipsi promittenti, aut Deo, & non homini promissario, vt contingit sponso vouenti castitatem respectu alterius.

Obseruandum tamen est, eum, qui post sponsalia emisit votum castitatis, quamuis altera pars nolit remittere obligationem sponsalitiam, non teneri ingredi Religionem, quamuis hoc medio excusaretur ab sponsalibus, & posset implere votum, vt contra non paucos aduertunt Sancius & Ægidius, & insinuatur in Extrauagante antiqua de vo- *Sancius. Aegidius.* to; quia nemo tenetur medio tam duro & difficili ad voti castitatis impletionem, præsertim multò difficiliori, quàm sit impletio ipsius voti: quod ve- 13 rum existimamus, nisi vouens castitatem tunc aduertat, non esse aliud medium licitum ad implendum votum castitatis, nisi ingressum Religionis; quia quando id aduertit, implicitè vouet ingres-

sum Religionis: tenebitur tamen vouens castitatem post sponsalia debitum coniugale non petere (quamuis alteri petenti teneatur reddere) & altera parte mortua amplius non contrahere.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Sponsalia dissoluantur per votum subsequens suscipiendi Ordinem sacrum.

COnueniunt Doctores, susceptionem Ordinis sacri, vtpote inhabilitantis ad matrimonium, dissoluere sponsalia priùs facta; imò ob votum suscipiendi illum, sponsam manere liberam ab sponsalibus, seu ex parte ipsius dissolui sponsalia; quia eo voto sponsus censetur renuntiare suo iuri, & obligationi sponsæ. Est tamen difficultas, An ob dictum votum dissoluantur etiam ex parte sponsi vouentis, & liber maneat ab ipsis.

14 *Sotus. Henriq. Basilius.* Sotus 7. de Iustitia, quæst. 1. ar. 3 Henriquez 11. de Matrimonio, c. 14. & Basilius c. 12. partem affirmatiuã tuentur; quia in sponsalibus tacitè insit ea conditio, *nisi voluero ad statum perfectiorẽ transire*, & status Ordinis sacri sit perfectior matrimoniali.

Sancius. Aegidius. Sancius verò disp. 47. & Ægidius disp. 23. dub. 3. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia supradicta conditio nullo Iure inest sponsalibus. Quia non positiuo, vt patet; neque naturali sponsalium, quãuis status Ordinis sacri sit perfectior matrimoniali; aliàs qui diuiti rem aliquam promittit, poterit eamdem pauperi promittere & elargiri, quod est falsum. Ex quo constat ad rationem aduersariorũ.

Nihilominùs sponsus, qui id vouit, quamuis sponsa non remittat, non tenebitur Religionem ingredi vt votum adimpleat, nisi aduertens, ingressum Religionis esse vnicum medium ad impletionem voti, id vouerit; tenebitur tamen mortua vxore Ordinem sacrum suscipere.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm quilibet sponsus sit liber ad ingrediendum Religionem, non contracto Matrimonio, quamuis Sponsalia sint iurata.

15 SVpponimus, quemlibet sponsum, non obstantibus sponsalibus non iuratis, liberum esse per se ad ingrediendum Religionem, non contracto priùs matrimonio, vt supponitur in cap. *Commissum*, 16. de Sponsalibus. Et in primis sunt per se liberi ad ingrediendum; quia post cõtractum matrimonium ante consummationem sunt liberi ad id ex priuilegio Ecclesiæ, vt constat ex c. *Ex publico*, 7. de Conuersione coniugat. Ergo sunt liberi ad ingrediendum ante contractum matrimonij; quia si ingressus futurus est, contractus matrimonij per se est inutilis. Addidimus, matrimonium per se esse inutile, quando futurus est ingressus, & sponsos per se esse liberos; quia per accidens, matrimonium potest aliquando esse maximè vtile ad prospiciendum famæ sponsæ, & ad legitimandam prolem priùs conceptam, & ad alia; & tunc sponsi non sunt liberi ad ingrediendum Religionem ante contractum matrimonij, quia tunc alter rationabiliter & vtiliter petit sibi impleri promissionem matrimonij (quod multò verius est, quando sponsalia sunt iurata:) imò si sponsus sub spe matrimonij defloruit virginem, aut cognouit viduam honestam, & damno illato (si etiam viduæ illatum est) nequit aliter satisfieri, nisi ducendo illam, & consummando, non erit liber ad ingrediendum, etiam post contractum matrimonium; quia tenetur illud consummare.

16 Est tamen difficultas, An quando sponsalia sunt iurata, quilibet sponsus teneatur per se priùs contrahere matrimonium quàm ingredi Religionem.

Ledesma 2. par. quarti, q. 45. a. 3. Vega in Summa, cas. 389. Nauarrus & Angelus, parté affirmatiuã tuentur; quod significari videtur in dicto c. *Commissum*, vbi de quodam sponso, qui sponsalia iuraverat, & voluit Religionem ingredi, dicitur tutius esse ei, religione iuramenti seruata, priùs contrahere, & posteà ingredi. Et ratione probatur, quia licitum est priùs contrahere, non minùs quàm soluere vsuras iuratas; ergo quando iuratur, obseruandum est non minùs quàm soluere vsuras iuratas.

Sancius verò disp. 43. Ægidius disp. 23. dub. 1. 17 Henriquez, & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò; quod significatur in dicto c. *Commissum*, dum dicitur, *tutius esse ei priùs contrahere*; quia supponitur, tutum esse, non contracto matrimonio Religionem ingredi. Et ratione constat, quia iuramentum istud fit in confirmationẽ sponsalium, vt supponimus in casu Difficultatis; quia sic fit regulariter; ergo cessante obligatione sponsalium, vt verè cessat, etiam cessat obligatio iuramenti, quamuis eius impletio sit licita, quia iuramento deficit materia; & non cessaret, si iuramentum non fieret in confirmationem, sed comitanter, vt fit iuramentum soluendi vsuras; quia hoc iuramentum soluẽdi vsuras cadit supra id ad quod à principio nulla est obligatio ex vi promissionis: quia non obligat ex fidelitate, quia extorquent fidem, vt extorquet vsurarius, non est necessariò seruanda; neque ex iustitia, quia promissio est nulla ad conferendum ius iustitiæ, vtpote facta absque titulo, ob quod obligatio istius iuramenti non cessat, sed durat (sicut à principio obligabat) & obseruandum est, nisi vsurarius, in cuius gratiam fit, nolit solutionem vsurarum; quia tunc non obligat, quia sub ea conditione tacitè fit.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis quilibet ex sponsis habeat ius ingrediendi Religionem, etiam post contractum matrimonij factum nondum consummatum, ac proinde non irroget iniustitiam alteri parti ingrediendo Religionem, etiam post factum matrimonium, quamuis factum animo ingrediendi Religionem, & altera pars non admonita de eo animo, quia ob salutem animæ habet ius concessum ab Ecclesia ad id. Nihilominùs contrahens matrimonium eo animo, si pars non admoneat de illo, peccat contra charitatem aut misericordiam, non peccato commissionis contrahendo, sed omissionis, non admonendo partem, si ea commissione pars exponatur periculo suspicionis alicuius grauis defectus, aut sumptibus magnis faciendis in nuptiis, aut alij graui incommodo, nisi habeat rationabilem causam tacendi, seu non admonendi; vt si ex admonitione de eo animo timeat damnum alicuius conspirationis. Quando ergo in dicto cap. *Commissum*, dicitur, ei qui iurauerat, tutius esse priùs contrahere, intelligitur, seruatis seruandis ante contractum. Dicitur autem *tutius*, non quia sit sub præcepto, neque sit melius, sed quia, seruatis seruandis, certius est in priùs contrahendo nullum esse peccatum.

DIF-

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Sponsalia facta dissoluantur per ipsum ingressum Religionis factum absque iniuria partis.

SVpponimus, sponsalia præcedentia dissolui ex parte vtriusque per professionem solemnem cuiusliber, & etiam per vota simplicia post biennũ emissa in nostra Societate; quia per hæc & per illam redditur quis substantialiter Religiosus, & inhabilis ad matrimonium. Est tamen difficultas, An dissoluantur per ingressum ipsum Religionis.

20 Paludanus in 4. disp. 27. q. 1. art. 3. & Viguerius *Paludan. Viguerius.* cap. 16. §. 7. docent, sponsalia ex neutrius parte, adhuc manentis in sæculo, dissolui seu dirimi, & neutrum manere liberum ab illis, quia si aliquis maneret liber, maximè manens in sæculo: iste autem non manet liber, nisi subsecuta professione, cùm ante eam ille tantùm sit in Religione, vt experiatur an sibi expediat.

Sancius disp. 42. & Siluester v. *Sponsalia*, qu. 10. docent, sponsalia præcedentia ex parte vtriusque dissolui per ingressum Religionis, etiam ex parte ingredientis: quia sicut se habent sponsalia & matrimonium, ita etiam ingressus Religionis, seu nouitiatus, & professio; sed professio dissoluit matrimonium ratum ex parte vtriusque, ergo etiam ingressus Religionis dirimit sponsalia ex parte vtriusque.

21 Henriquez verò 11. de Matrimonio cap. 14. & *Henriq. Aegidius.* Ægidius disp. 23. dub. 3. docent, & benè, sponsalia præcedẽtia per ingressum Religionis dissolui posse ex parte manentis in sæculo, & non ex parte ingredientis. Et in primis manentem in sæculo liberum manere, vt dissoluat sponsalia, & vt resiliat, probatur; non quia ingrediens censeatur renuntiare obligationi alterius (quo ea de facto dissolueret ex parte alterius;) quia non semper censetur, nisi quando ingreditur animo firmo profitendi, sed quia eo ingressu fit notabilis mutatio, qua manens in sæculo cogitur exspectare an alter profiteatur, quod est onus graue; & qua ingrediens fit naturaliter minùs aptus ad nuptias, quia iam tantùm est aptus post desertionem Religionis, quæ communiter non leui probro ducitur. Contractus autẽ sponsalitius (quamuis mutuus) ob eius imperfectionem est facilis dissolutu: & quamuis simpliciter fiat, habet tamen tacitè pro modo, aut conuentione, quòd non fiat notabilis mutatio, aut qua res, pro qua facta est promissio, fiat notabiliter deterior, aut qua impletio fiat notabiliter durior, quorum vtrumque contingit in casu nostræ Difficultatis; ob quod manens in sæculo potest ea dissoluere, quamuis de facto non maneant dissoluta, iuxta ea 22 quæ dicemus Difficult. xv. Ex quo constat ad rationem pro Paludano & Viguerio adductam. Vnde id est verum, etiamsi sponsalia sint iurata, iuramento facto in confirmationem sponsalium, vt regulariter fit; quia posita potestate seu libertate resiliendi ab sponsalibus, ob dictam mutationem, etiam ponitur libertas non implendi iuramentum; quia hoc, vtpote confirmatorium sponsalium, sequitur eorum conditionem.

Quòd verò ingrediens Religionem non maneat liber ad resiliendum, probatur; quia non fit liber Iure aliquo positiuo, quia nullum extat; neque ingressu ipso, quia iste non est incompossibilis cum matrimonio, cùm ingrediens possit postea egredi; ergo si egrediatur, & alter velit, tenetur ítare promissis.

Ad rationem verò pro Sancio & Siluestro respondemus, negando, ita se habere ingressum Religionis & professionem, sicut sponsalia & matrimonium, sed sicut votum seu promissionem profitendi, & professionem; imò tantùm quoad hoc, quòd sicut sponsalia sunt promissio & inchoatio matrimonij, ita etiam promissio profitendi, ipsius professionis.

Ex dictis ergo in hac & præcedenti Difficultate 23 deduci potest, sponsalia per votum subsequens profitendi dissolui, non tantùm ex parte alterius, vt patet, quia eo ipso vouens censetur cedere iuri suo, & obligationi alterius; sed etiam ex parte vouentis, quia non solùm alter est liber ab obligatione sponsalitia cessione vouentis, sed etiam ipse vouens; quia huic est liberum profiteri, imò & necessarium, cum quo nequit esse obligatio contrahendi matrimonium, nisi fortè per accidens, si ex parte alterius occurrat aliqua rationabilis causa, vt fiat matrimonium ante ingressum Religionis. Per votum tamen ingrediendi Religionem, quod non sit votum profitendi, quamuis alter maneat liber ab sponsalibus ob cessionem, qua vouens cedit iuri suo, quando vouet animo firmo profiten- 24 di, sicut per ingressum ipsum factum eo animo, & maneat liber vt possit illa dissoluere, quando vouens tantùm vouet animo experiendi & probandi Religionem, sicut per ingressum factum simili animo; ipse tamen vouens nullo modo manet liber, sicut neque ingressu ipso, quia post ingressum, quo impleuit votum, potest egredi, & erit obligatus ad contrahendum matrimonium.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Sponsalia dissoluantur per Matrimonium subsequens factum cum alia persona.

COnueniunt Doctores, sponsalia dissolui per 25 matrimonium subsequens cum alia persona cõtractum. Quod definitum est in cap. 1. de Sponsa duorum, & in cap. *Si inter.* 31. de Sponsalibus; quod verum est, non solùm ex parte alterius relictæ (quia sic contrahens eo ipso renuntiat promissioni sibi à relicta factæ; imò etiam sufficientissimam causam offert relictæ, vt relicta possit dissoluere sponsalia ex parte sui, quamuis dicta cessione non fuissent dissoluta;) sed etiam est verum ex parte contrahentis matrimonium, saltem quamdiu durat matrimonium; quia tamdiu est ipsi impossibile implere promissionem relictæ factam.

Est tamen difficultas, An, qui cum secunda contraxit, teneatur, matrimonio dissoluto, siue morte siue professione secundæ, contrahere cum prima seu relicta, ipsa volente.

Sancius disp. 48. & Henriquez 11. de Matri- 26 monio, cap. 14. partem negatiuam tuentur, quia *Sancius. Henriquez.* matrimonium superueniens est vinculum fortius vinculo sponsalium præcedentium, & eiusdem rationis cum illo, & cum eo incompossibile, ergo extinguit illud: sicut etiam, qui vouit profiteri in strictiori Religione, liberatur omnino ab eo voto per professionem factam in Religione laxiore.

Adrianus verò in 4. quæst. 2. de Matrimonio, *Adrianus.*

&

Aegidius. & Ægidius disp. 23. n. 32. partē affirmatiuam tradunt, & meritò: quia vinculum matrimonij cum secúda, ex vna parte est defectibile morte aut professione secundæ, & ex altera non est incompossibile cùm obligatione sponsalitia respectu primæ; etiamsi, quamdiu durat, impediat impletionem illius, & sit incompossibile cum ipsa impletione: ergoquamuis, quamdiu durat vinculum illud, sopita sit obligatio sponsalitia respectu primæ, non tamen extinguitur (sicut etiam matrimonium consummatum post votum ingrediendi Religionem non est incompossibile cum obligatione voti, quāuis eius impletionem impediat) ac proinde deficiente vinculo matrimonij cum secunda, quasi reuiuiscit & euigilat obligatio sponsalitia cum prima, ad contrahendum matrimonium cum ipsa.

27 Ad rationem ergo aduersariorum constat, quòd quamuis vinculum matrimonij sit fortius obligatione sponsalitia, & sit eiusdem rationis cum illa; quia tamen non est incompossibile cum ea, vt relata ad tempus cessationis ipsius vinculi, ideò non tollit illam; quamuis, quamdiu durat, eius impletionem impediat. Quòd si professione in Religione laxiori extinguitur votum ingrediendi strictiorem, & in ea profitendi, est, quia votum illud in eam professionem commutatur, aut ex priuilegio Ecclesiæ, aut ab ipso professo, quia professio, quamuis in Religione laxiori, est manifestè melior voto profitendi in strictiori.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Sponsalia priora dissoluantur per posteriora, quibus accessit iuramentum aut copula.

28 SVpponimus (in quo Doctores conueniunt) sponsalia posteriora absque iuramento & absq; copula, non dissoluere priora ex parte contrahentis posteriora; quia sunt æqualia, ac proinde posteriora nequeunt contra priora prævalere: posterior enim promissio, vtpote rei illicitæ, quia iam alteri promissæ, nulla est, saltem relata ad tempus iuris prioris promissarij. Vnde qui posteriora sponsalia contraxit, tenetur prioribus: alter tamen, cum quo priora contraxit, liber manet ab sponsalibus; quia qui posteriora cōtraxit, eo ipso renuntiauit obligationi alterius, tam fidelitatis quàm iustitiæ. Et quāuis non renuntiasset, dedit illi sufficientem occasionē vt resilire possit; quia frangenti fidem, aut ad id conanti, non est necessariò seruanda promissio.

Hoc ergo suppositio, circa prius conueniunt Doctores contra Innocentium, sponsalia posteriora, quamuis eis accesserit iuramentum, non prævalere contra priora, sed econtrà: quia posterior promissio, vtpote rei illicitæ, quia iam alteri promissæ, est nulla; & iuramentum etiam, vtpote rei illicitæ, non obligat, saltem si referantur ad tempus iuris alterius. Nihilominùs, vt contra Sancium disp. 50. & contra Ægidium & Basilium optimè Couarruuias *Couarr.* 4. Decretal. p. 1. c. 4. §. 1. nu. 10. & Rebellus lib. 4. *Rebellus.* q. 8. sect. 8. si priora sponsalia dissoluantur, siue morte siue ingressu Religionis, siue renuntiatione alterius, is qui posteriora contraxit, tenetur ad matrimonium cum posteriori sponso: quia quamuis 29 posterior promissio, quatenus relata ad impletionem faciendam, tempore iuris alterius fuerit rei illicitæ, & nulla; fuit tamen valida, etiam à principio, quatenus relata ad impletionem faciendam tempore cessationis iuris alterius, ad quod tempus etiam extenditur obligatio illius, vtpote facta absolutè & absque limitatione, & facta tempore quo erat habilis ad id promittendum pro tempore dicto cessationis.

Circa posterius Rebellus lib. 4. q. 8. sect. 8. Ægi- *Rebel.* dius disp. 23. n. 34. & Basilius c. 14. docent, priora *Aegid.* sponsalia dissolui per posteriora, copula subsecuta *Basil.* cum posteriori spōsa, ignara priorum, & carnaliter cognita sub spe matrimonij (quod etiam docebat *Vas.* Vasquez) quia contra æquitatem naturalem videtur cum tanto damno alieno implere priorem contractum, & ex cuius dissolutione, seu non-impletione pars altera nullum aliud damnum patitur, quam quòd non fiat contractus, in quo ipsa est collatura tantum quantum receptura.

Sancius verò disp. 49. Henriquez 11. de Matrim. *Sanc.* cap. 57. Sotus & Nauarrus docent, non dissolui *Sot.* priora sponsalia per posteriora, adhuc copulâ sub- *Nau.* secutâ cum posteriori, quamuis ignarâ priorum, & meritò: quia qui contraxit posteriora, non tenetur ratione promissionis, cùm sit nulla, vt relata ad tempus iuris alterius, quia est rei illicitæ, præsupponit prioribus sponsalibus; neque ratione damni illati posteriori sponsæ, quia huic damno satisfiet potest constitutione dotis, aut alia via. Et confirmatur, quia qui vi aut fraude cognouit feminam, nō promissis nuptiis, non tenetur illam ducere, si alia via possit damno illato satisfacere. In præsenti autem casu ita contingit: quia perinde est, non esse promissionem, & eam esse nullam, vt est in casu dicto; ergo non tenetur illam ducere, sed priorem, & posteriori damnum alia via satisfacere. Quòd si aliquando non possit nisi eam ducendo, ad id teneatur ob rationem aduersariorum, quæ id probat, & non ampliùs. In hoc tamen casu, cessante matrimonio inito cum hac posteriori, tenetur postea contrahere cum priori, si ipsa velit.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Sponsalia transacto termino in eis assignato dissoluantur.

SVpponimus, terminum in sponsalibus pro contrahendo matrimonio præfixum, posse (sicut in aliis contractibus & rebus) dupliciter præfigi seu assignari: vno modo, sed rarò, tamquam terminum finientem obligationem, vltra quem promittentes nolunt obligari; altero modo, & regulariter, tamquam terminum finientem licentiam differendi impletionem, sed non finientem obligationem, ita vt non liceat vltra illum terminum differre impletionem, quamuis eo trāsacto perseueret obligatio.

Circa difficultatem ergo conueniunt cōmuniter Doctores, transacto termino in sponsalibus præfixo ad finiendum obligationem contrahendi, dissolui sponsalia ex parte eius per quem non stetit. Ita Sancius disp. 53. & Ægidius disp. 23. n. 46. Ratio *Sanc.* est, quia prædictus terminus assignatus fuit ad id, *Aegid.* vt eo transacto finiatur obligatio; ergo is per quem nō stetit, liber manet ab obligatione, quia tantum voluit obligari vsque ad terminum assignatum, & non vltra. Et de termino sic præfixo fermo est in cap. *Sicut.* 22. de Sponsalibus, quia in eo supponitur, eum qui præfixit terminum in sponsalibus, & per eum non stetit, illo transacto non teneri.

Addidimus, eum, *per quem non stetit*, liberum manere; quia alter, per quem stetit, nō manet liber, vt

vt supponitur in dicto cap. *Sicut*; quia tunc, quamuis finita fuerit obligatio orta per se ex dictis spōsalibus, obligatur tamen per accidens, vt reddat quod debuit ex iustitia reddere. Quod intelligimus verum, quamuis transactio termini, seu mora contrahendi, sit inculpabilis; quia iste non tenetur ratione damnificationis (quæ deberet esse culpabilis) sed ratione rei retentæ, & quasi acceptæ; quia retinet rem quam debuit reddere. Quòd si per vtrumque culpabiliter steterit, vterque manet liber: quia vterque censetur renuntiasse iuri suo, &
33 mutuo consensu illa dissoluisse. Et si per vtrumq; inculpabiliter stetit, vterque manet obligatus, non per se, vt patet, sed per accidens, vt quilibet reddat alteri quod debuit ex iustitia reddere. Et si per vnum stetit culpabiliter, & per alterum inculpabiliter, is, per quem culpabiliter stetit, manet obligatus, & alter liber; quia is per quem culpabiliter stetit, censetur renuntiasse iuri suo, & alter non.

At quando terminus præfixus sponsalibus, præfigitur non ad finiendam obligationem, sed ad finiendam licentiam differendi; transacto eo termino, non eo ipso dissoluuntur sponsalia, adhuc ex
Sancius. Ægidius. parte illius per quem non stetit (vt docent Sancius & Ægidius) quia tunc terminus non fuit præfixus ad finiendam obligationem; ac proinde eo finito & transacto, non eo ipso finitur obligatio. Et de termino sic præfixo sermo est in L. *Celsus*. ff. De receptis arbitris, dum dicitur, eum, qui iussus est dare pecuniam intra Kalendas, non liberari ab obligatione, etiamsi per creditorem steterit vt intra Kalendas non fuerit data.

34 Et quamuis regulariter terminus in sponsalibus assignetur hoc posteriori modo, nempe ad finiendā tantùm licentiam differendi; quia tamen etiam potest assignari priori modo, nempe ad finiendā obligationem, quia ex intentione contrahentium pendet vno aut altero modo terminum assignare, ad discernendum an priori an posteriori modo assignetur, quando de intentione contrahentium (ex qua pendet) non constat; recurrendū est ad causas & motiua assignandi terminū, & ad alias circumstantias, & ex eis arbitrio prudentis discernendum.

Ægidius. Obseruandum est, vt benè Ægidius, quòd quamuis ex dilatione vnius alter non liberetur per se ab obligatione, quando terminus non est assignatus ad finiendam obligationem; potest tamen per accidens liberari, tunc videlicet, quando dilatio est tanta, vt vel censeatur renuntiasse sponsalibus, vel grauiter fregisse fidem; quia frangenti grauiter fi-
35 dem, non est necessariò fides seruanda. Quod etiam est verum, quando sponsalia facta sunt nullo assignato termino, quòd scilicet, quando alter est in tanta mora, vt censeatur sponsalibus renuntiasse, liberet alterum ab obligatione; aut quando mora est tanta vt alter non censeatur se vsque ad tantam obligasse, quæ arbitrio prudentis discernēda sunt.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm, quando vnus ex sponsis discedit in remotissimū locum absq; consensu alterius, dissoluantur Sponsalia ex parte relicti.

COnueniunt Doctores, quando sponsus dimittit terram, se in remotas Prouincias transferens absq; consensu sponsæ, tunc sponsam liberam manere ab sponsalibus (vt absolutè exprimitur in c. *De illis*. 5. de Sponsalibus;) quia qui ita discedit, censetur renuntiare iuri suo, & obligationi alterius erga ipsum discedentem; imò suo discessu etiam confert sponsæ sufficientissimam causam, vt posset sponsalia ex parte sui dissoluere, quamuis nō 36
fuissent dicta renuntiatione dissoluta. Dicitur autem quis absolutè dimittere terram, quādo dimittit domicilium, seu recedit animo non redeundi; non verò qui animo redeundi, etiamsi per longum tempus: quia iste tantùm dicitur eam dimittere secundùm quid, & cum addito, ad tempus, non absolutè. Est autem prædicta doctrina vera, etiamsi spōsalia iurata sint, vt supponitur in dicto cap. quia iuramentum, vt supponimus, & vt regulariter fit, tantùm additur in confirmationem sponsalium; ac proinde his dissolutis, etiam cessat obligatio iuramenti. Ita tamen dicto discessu sponsi liberatur sponsa ab obligatione sponsalitia, vt statim ac sic discedit sponsus, libera maneat, absq; eo quòd necessarium sit sponsæ expectare biennium Iure ciuili communi requisitum pro absentia sponsi in eadem Prouincia; nec triennium eodē Iure requisitum pro absentia sponsi in alia Prouincia; & etiam requisitum Iure ciuili Castellæ L. 8. tit. 1. part. 4. quando ignoratur vbi sponsus sit, siue sit in eadem Prouincia siue non: quia quamuis designatio dicti temporis facta Iure ciuili, facta fuisset pro absentia deserendo domicilium, diceretur correcta Iure canonico dicti c. *De illis*, vbi absolutè, absque vlla temporis expectatione, dicitur sponsa libera manere, præsertim quòd nec facta fuit pro dicta absentia, nec habet locum in sponsalibus baptizatorum, vt dicemus in fine Difficultatis.

Et non solùm sponsa ex tunc manet libera ob 37
dictam discessionem seu absentiam sponsi, sed etiā sponsus ex tunc manet liber ob similem absentiam sponsæ, non Iure Ecclesiastico dicti c. *De illis*, quia in eo tantùm est sermo de absentia sponsi; sed Iure naturali; tum quia simili absentia sponsa censetur cedere iuri suo, & obligationi sponsi; quo ex parte sponsi dissoluuntur: tum etiam, quia eā absentiā fit notabilis mutatio, ob quam impletio fit sponso notabiliter difficilior & onerosior, vt patet; quo sponsus potest illa dissoluere.

Est tamen difficultas, An quando sponsus absque consensu sponsæ discedit in terras remotas animo redeundi, sed absque spe celeris reditus, sponsa maneat libera.

Paludanus in 4. dist. 27. q. 1. ar. 3. Antoninus 3. p. *Paludan.* tit. 1. c. 18. Siluester v. *Sponsalia*, nu. 8. & Canisius *Anton.* in dictum c. *De illis*. docent, quòd si sponsus non *Siluester.* discedat extra Prouinciam, teneatur expectare per *Canisius.* biennium; & si extra Prouinciam, teneatur expectare per triennium: & eo biennio aut triennio transacto, liberam manere, & non anteà; quia sic decernitur Iure ciuili l. 2. C. De repud.

Sancius lib. 1. disp. 54. Henriquez 11. de Matri- 38
mon. c. 14. & Toletus lib. 7. cap 21. docent, quòd & *Sancius.* sponsus discedit in terras remotas, siue extra Pro- *Henriquez.* uinciam siue non, & absq; spe celeris reditus, quā- *Toletus.* uis animo redeundi, ex tunc sponsa libera maneat ad contrahendum cum alio; imò existimant id disponi in dicto cap. *De illis*, quod nos existimamus falsum: quia credimus, in eo tantùm esse sermonem de discessu in terras remotas, deserendo terram & domicilium.

Nos ergo existimamus, rem hanc discernendam esse, iuxta ea quæ diximus Difficult. præcedenti, nempe, quòd si sponsus absens perseueret absens post

post terminum præfixum ad finiendam obligationem, ex tunc sponsa libera maneat; & quòd, quando post terminum, præfixum tantùm ad finiẽdam licentiam differendi, ita notabiliter moratur & perseuerat absens, vt videatur renuntiasse sponsalibus, aut notabiliter fregisse fidem, etiam ex tunc libera maneat; & quòd quando, nullo expresè assignato termino sponsalibus, ita moratur, vt moraliter censeatur renuntiasse sponsalibus, aut sponsa nõ censeatur se obligasse vsque ad tantam moram (quæ arbitrio prudentis discernenda sunt) etiam ex tunc sponsa libera maneat. Vnde in dictis casibus sponsa tenetur expectare dictum terminum, aut dictam moram; nisi quando ante dictum terminum, aut ante dictam moram prudenter creditur id euenturum, quia quando id anteà prudenter creditur euenturum, ex tunc potest se vt liberam gerere; quia in eo casu moraliter frustrà expectabit. Et idem, ob eamdem rationem, dicendum est de sponso, quando sponsa dicto modo discedit & moratur. Prædicta autẽ sunt vera, etiamsi sponsalia sint iuramento confirmata, ob rationem sæpè repetitam.

39

Prædicta autem dispositio Iuris ciuilis, expectandi biennium pro absentia intra Prouinciam, & triennium pro discessu extra eam, quamuis non sit correcta per dictum c. *De illis*, quia in hoc est sermo de discessu deserendo domicilium, & in Iure ciuili de discessu, absq; desertione domicilij, quando fit animo redeundi; nihilominùs non habet locum in sponsalibus baptizatorum, quia sunt contractus, habens pro materia & obiecto contractum matrimonij eleuatum ad esse Sacramenti.

40

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm ob fornicationem, post Sponsalia factam, dissoluantur ex parte innocentis.

41

COnueniunt Doctores, ob fornicationẽ sponsæ dissolui posse sponsalia ex parte sponsi (vt exprimitur in cap. *Quemadmodum*. 25. de Iureiurando) non solùm quia per fornicationem sponsa fit notabiliter vilior, ob quod impletio sponsalium fit spõso notabiliter difficilior, sed etiam, quia fornicando frangit notabiliter fidem, & ius; quia desponsatione contulit fidem, & ius in corpus, vt erat quando illud promisit; quod est verum, etiamsi sponsalia sint iuramento confirmata, vt dicitur in eodem cap. ob rationem sæpè repetitam; & propter fornicationem sponsi etiam dissolui possunt sponsalia ex parte sponsæ, vt docent communiter Doctores, ob supradictam posteriorem rationem; quia scilicet sponsus fornicãdo frangit notabiliter fidẽ.

42

Addimus contra Tabienam & Armillam, vt optimè Sancius disp. 55. Henriquez lib. 11. c. 14. Ægidius disp. 23 dub. 7. & communiter Doctores, ob fornicationem sponsæ, quamuis vi & coactione factam, dissolui posse sponsalia ex parte sponsi, vt dicitur in Can. *Raptor*. 26. q. 2. quia ea fornicatione sponsa fit notabiliter vilior in ordine ad matrimonium. Et ob eamdem rationem dissolui possunt, si permittat se turpiter tangi; quia scilicet eo habetur omnino impudica, ac proinde vilior, & etiam quia frangit notabiliter seu iure graui legem sponsaliũ, seu fidem. Ob fornicationem tamen sponsi, vi sibi illata factam, non possunt dissolui spõsalia ex parte sponsæ, vt docent Sancius & Ægidius; quia non frangit fidem sponsalium, neque fit notabiliter vilior in ordine ad matrimonium, ob tactus tamen illius impudicos dissolui possunt (vt contra nõ paucos aduertit Ochagauia quæst. 23.) quia quamuis Ochag. eis non fiat notabiliter vilior, frangit tamen notabiliter seu in re graui legem sponsalium, seu fidem. Vnde existimamus, non tantùm fornicationẽ sponsæ aut sponsi cum alia persona, sed etiam tactus impudicos, præter malitiam grauem luxuriæ, etiam habere nouam malitiam grauem iniustitiæ contra ius, quod habet in corpus alterius futurum illæsum, & tertiam malitiam leuem infidelitatis. Imò in sponsa addit quartam malitiam iniustitiæ, & grauem, quando tactus impudicus est publicus, & eo infamatur sponsus, vt de fornicatione diximus Disp. 1. Difficult. 11.

Sancius. Aegidius. Henriquez. Aegidius. Sancius. Aegidius.

Petr. L. Ochaga

Sancius. Aegidi

Obseruandum est, vt contra Ochaganiam q. 23. docent Henriquez & Ægidius, vtroq; sponso posse sponsalia fornicante & delinquente, sponsum resilire posse, & non sponsam; quia quamuis quoad fidei & iuris fractionem facta sit æqualis compensatio, non tamen quoad vilitatem; quia sponsa fit notabiliter vilior, non verò sponsus.

41 Henriquez. Aegidius.

Sed superest difficultas, An ob fornicationem ab sponsa, existimata virgine, ante sponsalia commissam, & post sponsalia ab sponso cognitam, possint sponsalia ex parte sponsi dissolui.

Paludanus in 4. disp. 27. qu. 1. art. 3. & Supplementum Gabrielis dub. 4. partem negatiuã tuentur; quod exprimi videtur in dicto c. *Quemadmodum*, dum dicitur, sponsum non posse obiicere sponsæ fornicationem præcedentem.

Paludan. Gabriel.

Sancius verò disp. 63. Ægidius, & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò, non quia sponsa fregerit fidem, aut quia reddatur in posterum suspecta; sed quia illa fornicatione est notabiliter vilior quàm existimabatur. Et ob eamdem rationem propter fornicationem præcedentem viduæ, existimatæ honestæ, ante sponsalia commissam, & posteà cognitam potest sponsus ab sponsalibus resilire, vt optimè Sancius; quia scilicet illa fornicatione est notabiliter vilior quàm apparebat, quamuis non tam vilis ac putata virgo.

Sanc. Aegid.

In prædicto verò c. *Quemadmodum*, vbi dicitur, non posse obiici sponsæ fornicationem præcedentem, tantùm est sermo de fornicatione præcedente, cognita ante sponsalia, vt exponunt Glossa, & communiter Doctores.

Sponsa tamen non potest resilire ob fornicationem præcedentem sponsi, quamuis ignoratam, & posteà cognitam, vt docent Sancius & Ægidius, quia sponsus ob illam non est notabiliter vilior in ordine ad matrimonium.

Sanc. Aegid.

Aduertunt non pauci, ob hæresim sponsalibus superuenientem posse sponsalia dissolui ex parte innocentis: quod nos verum existimamus, quando cohabitatio redditur periculosa innocenti, aut quando id contingit in Prouinciis, in quibus (vt in nostra, dedecori ducitur hæresis.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm Sponsalia dissolui possint ob impedimentum dirimens superueniens.

42

COnueniunt Doctores, ob impedimenta dirimentia, nempe ob affinitatem, & cognationem, & alia sponsalibus superuenientia, dissolui posse sponsalia ex parte alterius qui non fuit causa impedimenti, quia impedimento dirimente matrimonium

monium fit impossibile, absque dispensatione facta, quam non tenetur alter acceptare, etiamsi ei liberaliter offeratur.

Est tamen difficultas, An is, cuius causa impedimentum contractum est, teneatur dispensationem procurare, altero id exigente.

Petr. Led. Ochagan. Petrus Ledesma quæst. 43. art. 3. & Ochagauia quæst. 23. absolutè & absque limitatione docent, teneri; quia contra ius alterius oppositum liberè impedimentum, ac proinde ex iustitia tenetur ad illud auferendum. Quod etiam docent Sancius

46 *Sancius. Aegidius.* disput. 56. & Ægidius disput. 23. dub. 5. excepto, quando dispensatio nequit absque notabili incommodo obtineri, vt non absque magnis sumptibus; quia non videtur se ad impletionem sponsalium medio extraordinario & difficili obligasse, nisi quando pars innocens notabilem iacturam patiatur ex non impletione sponsalium. Filliucius c. 8. quæsito 8. docet, illum non teneri, nisi quando altera pars notabilem iacturam patitur ex non impletione sponsalium.

Nos tamen existimamus, eum, qui fuit causa impedimenti, teneri ad procurandam dispensationem, quando dans causam impedimenti aduertebat impedimentum contrahi; quia tunc liberè dedit causam damno impedimenti; damnificationi autem liberæ & humanæ satisfaciendum est. At quando tunc non aduertebat impedimentum cõtrahi, non teneri, quia tunc liberè non damnificauit; damnificationi autem, quando non liberè fit, non est necessariò satisfaciendum. Quando autem dicta damnificatio liberè facta est, ei satisfaciendũ est, procurando dispensationem, si possit absque magnis sumptibus, aut absque alio notabili incõmodo, quia si non possit nisi sic, non est necessariò procuranda, nisi id sit necessarium ad satisfaciendũ alicui alij damno defloration is, aut famæ.

Quomodo verò voto Religionis, aut castitatis,

47 aut cælibatus, quod solum ex pluribus impedimentis tantùm impedientibus, & non dirimentibus, quæ olim erât, remansit, superueniente sponsalibus, possint sponsalia dissolui, diximus Difficultate 111. & aliis sequentibus.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm Sponsalia dissolui possint ob notabilem defectum corporis superuenientem.

48 CONueniunt Doctores, ob notabilem corporis defectum post sponsalia superuenientẽ sponsæ, vt ob paralysim, lepram, amissionem oculorum, aut nasi, & ob aliquem alium turpiorem defectum, dissolui posse sponsalia ex parte sponsi, quamuis iuramento confirmata, vt exprimitur in dicto cap. *Quemadmodum.* 25. de Iureiurando; quia contractus sponsalitius (& consequenter etiam iuramentum in confirmationem illius factũ) tacitè fit addita conuentione, aut quasi conditione. Quòd si adsit notabilis mutatio, ob quam impletio sponsalium fiat notabiliter onerosior, is cui fit talis, resilire possit. Et ob eamdem rationem, quando defectus sponso superueniens est ei notabilis, quales sunt omnes prædicti, dissolui possunt sponsalia ex parte sponsæ, vt docent communiter Doctores. Sufficit autem ad dissolutionem sponsalium ex parte illæsi, amissio vnius oculi, siue in sponsa, siue in sponso, vt contra Paludanum, requirentem amissionem vtriusque, docet Sancius *Sancius.* disp. 27. & communiter Doctores.

Et ob prædictam rationem morbus Gallicus, & quicumque alius contagiosus, & quicumque alius notabilis incurabilis superueniens, est sufficiens ad dissolutionem sponsalium ex parte illæsi. in quo etiam conueniunt communiter Doctores. Quod etiam Sancius extendit ad notabilem oris fœtorem: & à fortiori extenditur communiter ad defectum notabilem in fama aut in honore superuenientem; quia ob quemlibet ex dictis impletio sponsalium fit notabiliter onerosior illæso. *Sancius.*

Et ob defectum notabilem in pulchritudine su- 49
peruenientem sponsæ, dissolui possunt sponsalia ex parte sponsi, vt contra Couarruuiam 4. Decret. p. 1. cap. 5. docet Sancius disp. 13. quia ob dictum *Sancius.* defectum impletio sponsalium fit sponso notabiliter durior, aut notabiliter minùs grata: & etiam dissolui possunt ex parte sponsæ ob notabilem deformitatem superuenientem sponso, ob eamdem rationem, quamuis ad id maior defectus requiratur in sponso quàm in sponsa. Quòd autem in dicto cap. *Quemadmodum.* tantùm fiat mentio deformitatis prouenientis ex amissione oculorum, aut nasi, non obstat, quia in eo non negatur, posse ob alias deformitates dissolui, & hæc deformitas & alij defectus, qui à nobis adduntur, sicut & illi qui in eo cap. assignantur, Iure naturali sufficiunt ad dissolutionem sponsalium.

DIFFICVLTAS XIV.

Ob quasnam alias causas dissolui possint Sponsalia.

CONueniunt Primò Doctores, ob notabilem 50
alterius asperitatem & sæuitiam aduenientem aut cognitam post sponsalia, ea posse dissolui ex parte alterius. Ita Sancius disp. 58. & Ægidius *Sancius. Ægidius.* disp. 23. num. 67. Quod constat Primò, quia ob illam impletio sponsalium fit alteri notabiliter durior. Secundò, quia ob illam etiam fieri potest diuortium, vt patet ex cap. *Literas.* 13. de Restitut. spoliatorum: ergo à fortiori dissolui possunt sponsalia. Quo argumento vtitur textus in cap. *Quemadmodum.* 25. de Iureiurando, ad probandum, ob fornicationem dissolui posse sponsalia; quia videlicet est iusta causa diuortij. In c. autem *Veniens.* 5. Qui Clerici vel vouentes, in quo mulier dicitur violasse fidem, non dicitur, quia resilierit ab sponsalibus ob seueritatem quam audierat de sponso, sed quia violauit votum castitatis, quod emisit in manibus cuiusdam Eremitæ, vt deducitur ex contextu; aut si dicitur violasse fidem, quia resilierit ob seueritatem sponsi, non est quia seueritas non sit sufficiens causa, sed quia mulier illa absque sufficienti notitia seueritatis sponsi eum recusauit.

Secundò conueniunt Doctores, ob graues ini- 51
micitias ortas inter sponsos, dissolui posse sponsalia ex parte vtriusque: & quia tunc impletio sponsalium fit vtrique notabiliter grauior, & quia ex eorum impletione potest malus exitus prudenter timeri.

Dissolui quoque possunt ex parte vtriusque, ob obstinatam parentum contradictionem, quando ex ea prudenter timetur aliquis malus exitus, vt aduertit Ægidius nu. 68. quia etiam tunc impletio sponsalium fit vtrique notabiliter grauior.

Tertiò contra Baldum & Alexandrum de Neuo, conueniunt Doctores, ob paupertatem superuenientem, quando ob eam non potest solui dos promissa, dissolui posse sponsalia ex parte alterius; quia tunc censentur celebrata sub conuentione aut quasi conditione dotis, vt constat ex cap. *De illis*. 3. de Conditionibus appositis; quod est verum, etiamsi paupertas absque culpa contingat. Imò quãdo, nulla facta promissione dotis, superuenit paupertas, etiam possunt dissolui ex parte alterius, vt

52 contra Couarruuiam 4. Decretal. p. 1. cap. 5. do-
Sancius. cent Sancius disp. 99. & Henriquez 11. de Matri-
Henriquez. monio cap. 14. quia ob illam impletio fit alteri notabiliter onerosior, & quæ à principio existens, etiam prudentem ab sponsalibus retraheret.

Sancius. Ægidius. Obseruant Sancius & Ægidius, quòd quamuis alteri ex sponsis ingentissima diuitiarum copia superueniat, altero in eodem statu permanente, non possunt dissolui sponsalia: quod nos difficile existimamus, quia dicta mutatio est ita notabilis, vt ex se efficiat impletionem notabiliter grauiorem facto ditiori, & quæ à principio existens, etiam prudentem ab sponsalibus retraheret.

Sancius. Henriquez. Ægidius. Tandem concludimus, vt aduertunt Sancius, Henriquez & Ægidius, quamcumque notabilem mutationem sponsalibus superuenientem, quæ eorum impletionem reddat notabiliter difficiliorem, esse sufficientem ad eorum dissolutionem ex

53 parte illius cui redditur difficilior; quia contractus sponsalitius (vtpote non perfectus, sed inchoatus, non conferens dominium, sed ius ad rem, & factus pro re non accepta, sed accipienda, & quæ non accipietur, si dissoluatur) tacitè fit addita conuentione, aut quasi conditione, Quòd si adsit notabilis mutatio, ob quã impletio sponsalium fiat notabiliter onerosior, resilire possit is cui fit talis.

Sancius. Ægidius. Obseruandum est, vt optimè Sancius & Ægidius, in omnibus dictis casibus, in quibus diximus dissolui posse sponsalia, id esse verum, quamuis sint iuramento confirmata, ob rationem sæpè repetitam.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm causæ, quæ quando superueniunt sponsalibus, sufficiunt ad eorum dissolutionem, etiam sufficiant, quando præcesserunt, & tunc fuerunt ignoratæ.

54 COnueniunt Doctores, causas dictas, quando fuerunt ante sponsalia, & ante ipsa fuerunt cognitæ, non sufficere ad dissolutionem sponsalium, vt patet. Est tamen difficultas, An etiam sufficiant, quando fuerunt ignoratæ.

Paludan. Paludanus in 4. distinct. 27. quæst. 1. art. 3. partem negatiuam tuetur, quam etiam probabilem

Sup. Gab. censet Supplementum Gabrielis quæst. 2. artic. 3. dub. 9. & deduci videtur ex c. *Quemadmodum*. 25. de Iureiurando, dum absolutè dicitur, ob fornicationem præcedentem non posse dissolui sponsalia.

Sancius. Henriquez. Basilius. Sancius verò disp. 63. Henriquez 11. de Matrimonio c. 4. & Basilius l. 12. c. 18. partem affirmatiuam tradunt, quàm supponunt communiter Doctores, & meritò; quia ob causas præcedentes, aliàs sufficientes, quamuis ignoratas, impletio sponsaliũ verè est difficilior, quàm apparet quando ignorantur, non minùs ac ob ipsas quando superueniunt: ergo quando præcedunt & ignorantur, sufficiunt ad dissolutionem sponsalium, sicut quando superueniunt.

Est ergo hæc doctrina vera solùm, quando ignorantia aut error causæ aliàs sufficientis fuit causa sponsalium, id est, quando sponsalia non fierent, si quando fiunt, esset notitia dictæ causæ; non verò quando ignorantia, aut error non fuit causa sponsaliũ, id est, quando etiam fierent sponsalia, quãuis à principio esset notitia dictę causę, quia in hoc casu impletio sponsalium non esset difficilior, quam ea ad quam etiam obligaretur, si esset notitia causę.

Cap. autem *Quemadmodum*, quod nobis videtur aduersari, dum in eo dicitur, ob fornicationem præcedentem non posse sponsalia dissolui, exponitur communiter & benè, quando etiam præcessit notitia fornicationis.

Obseruandum est, causam aliàs sufficientem, quando præcessit, & ignorata fuit ignorantiã, quæ fuit causa contractus sponsalitij, ita sufficere ad dissolutionẽ illius, vt verè fiat validus (quidquid dicat Basilius) quia tunc adest cõsensus simpliciter circa materiam substantialẽ, nempe circa personã, & etiam adest titulus. Et quamuis cõtractui sponsalitio ob eius imperfectionem tacitè insit conditio, & quasi cõditio, quòd non adsit notabilis mutatio; hac tamen conuentione, aut quasi conditione contractus sponsalitius non fit verè conditionatus, & eius valor non ita ab illa dependet, vt si causa præcedat, non fiat à principio validus, & semper fuerit nullus; & quando causa non præcedit, valet contractus sit suspensus vsq; ad euentum, aut non euentum causæ, quæ ponitur quasi pro cõditione, vt si eueniat, ex tunc absolutè sit non validus, si dum non euenit, sit suspensus; quia verè non est hoc modo conditionatus, sed verè absolutus; quia quando dicta causa præcedit, quamuis ignoretur, & ignorantia sit causa contractus, sit validè obtentionem dictam, & quando post factum cõtractum euenit, verè valuit absolutè; & verè validus perseuerat, vt supponitur in d. c. *Quemadmodum*, dum dicitur, sponsam post sponsalia fornicantem, frangere fidem desponsationis. Aliàs ex sponsalibus factis absque aliqua expressa conditione, vt regulariter fiunt, non oriretur impedimẽtum publicæ honestatis, quia non oritur nisi ex sponsalibus absolutis; ex quibus etiam oritur, quamuis post ipsa facta eueniat causa aliàs sufficiens, si neuter reclamerit. Conditio ergo, aut potiùs cõuentio, aut quasi conditio, quæ tacitè inest contractui sponsalitio, vt aduertit Sancius disp. 68. num. 11. hæc est, nempe, Quòd si adsit aliquid notabile, quod ignoratur in principio, ignorantiã quæ est causa contractus, & ratione cuius, quando posteà apparet, impletio contractus apparet notabiliter difficilior, aut quod si aliquid notabile posteà eueniat, ratione cuius impletio ipsius contractus fiat notabiliter difficilior, possit is cui fit, aut cui apparet difficilior, resilire ab sponsalibus. Quod non est strictè conditio, à cuius existentia dependeat valor, sed potiùs est modus additus, aut conuentio addita ipsi contractui, eius valorem absolutum supponens. Et hic modus, aut impropriè conditio, est satis conformis intentioni contrahentium, non tantùm intentioni expressæ, qua intendunt obligari, nullam apponendo conditionem, sed etiam intentioni tacitæ: quia quilibet potiùs vult ita promittere & obligari, vt si eueniat notabilis mutatio, aut præcedat ignorata, ob quam sibi ut

58 aut appareat difficilior impletio, alter etiam sit obligatus, & ipse possit pro sua voluntate efficere quòd fiat aut non fiat contractus; & hac tacita appositione quasi conditionis & conuentionis, fit, quòd ipse liber maneat ad resiliendum ab sponsalibus (quia potest resilire, cedendo iuri quod accepit, pro iure ab ipso alteri collato, & auferendo quod ipse alteri contulit) & quòd alter maneat obligatus; quia verè non maneret, nisi qui potest resilire ab sponsalibus, absolutè acquireret, & haberet, & retineret ius acceptum. Quod non tollit, aliquando contractum sponsalitium eo ipso distrahi, dissolui, & irritari, quamuis neuter resiliat, tunc videlicet, quando eo quod aduenit, fit illicita impletio sponsalium.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm sponsus, conscius causæ sufficientis ad dissolutionem Sponsalium, amittat ius resiliendi, si accedat ad sponsam.

59 CONueniunt communiter Doctores, sponsum conscium causæ sufficientis, amittere ius resiliendi, si accedat ad sponsam. Ita Sancius disputat. 66. & Ægidius disput. 23. dub. 10. quia eo accessu, vtpote facto sub spe matrimonij, satis ostendit se cedere iuri resiliendi, & in priori consensu permanere. *Sancius. Ægidius.*

Quod etiam nos verum existimamus, non solùm in foro exteriori, quia in eo absque dubio ita iudicabitur, quia dictus accessus est vehemens indicium remissionis defectus, & cessionis iuris resiliendi, sed etiam in foro interiori conscientiæ, quando accedit animo implendi sponsalia; non verò quando absque eo accedit, quia absque eo animo accedens non censetur verè remittere; ac proinde quando absque eo animo accessit, poterit resilire, si alia via, quàm ducendo sponsam, possit damno illato satisfacere, si eo
60 accessu aliquod intulit, & liberè. Dicitur autem damnum inferre, quando eo accessu, facto sub spe matrimonij, sponsa redditur minùs apta ad nubendum alteri sibi æquali; & dicitur liberè illud inferre, quando sciens se posse resilire accedit; quia tunc accedit aduertendo id posse nocere sponsæ.

Sed an sponsalia, à principio nulla, fiant valida copulâ subsecutâ, dicemus Disputatione III. vbi idem examinabimus de matrimonio à principio nullo.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm laborans occulto defectu, ab quem potest alter resilire, possit alterum ignarum illius defectus ad Matrimonium contrahendum compellere.

61 SVpponimus, in quo contra Ochagauiam q. 23. conueniunt Sancius disp. 68. Ægidius disp. 23. dub. 12. & Filliucius c. 9. laborantem occulto defectu, sufficiente ad dissolutionem sponsalium, alteri non pernicioso, posse licitè contrahere cum ignaro defectus. Quia si id esset illicitum & peccatum, maximè contra iustitiam: contra hanc autem *Sancius. Ægidius. Filliucius.* non est; quia quæcumque alia inæqualitas, præter corporum habilitatem ad commixtionem carnalem, qua consummatur & perficitur matrimonium, & quicumque alius defectus, qui non est defectus ad commixtionem carnalem, non attinet ad iniustitiam, quæ in hoc contractu committi potest; quia in eo nihil aliud traditur, quàm corpus habile ad commixtionem carnalem pro altero simili corpore, absque eo quòd necessarium sit esse habile ad alia, & ad id tantùm exigitur societas coniugalis, quamuis vtilis sit ad alia, vt ad mutua obsequia, quæ fieri debent quando fieri possunt. Et ob hanc rationem id etiam est verum, quamuis defectus, quo laborat, sit alteri grauiter
62 pernicioſus, vt morbus Gallicus, & grauis lepra, vt contra Ochagauiam & Ægidium supponunt Sancius & Filliucius, dum absolutè & absque distinctione aliqua defectus, supponunt id esse licitum; imò Sancius, dum id supponit, exemplificat in morbo Gallico. *Sancius. Filliucius.*

Laborans ergo quocumque defectu, potest licitè contrahere cum ignaro defectus, dum eum non decipiat positiuè, simulans seu fingens oppositum; poterit tamen dissimulare, seu tegere defectum, quia non tenetur eum manifestare: ac proinde corrupta, concedens vsuram sui corporis non solùm iam coniugi, sed etiam non coniugi promittenti sibi nuptias, potest licitè defectum corruptionis artificio aliquo occultare, vt aduertit Ægidius num. 49. quia tunc non tam fingit se esse *Ægidius.* virginem, quàm tegit & dissimulat corruptionem. Imò si interrogata, an sit corrupta, neget, mentaliter restringendo seu subintelligendo, *in communi existimatione*, aut *ad dicendum tibi*, non peccat, quia non tenetur ad interrogationem tam duram vniuocè respondere: imò si interrogata an sit virgo, affirmatiuè respondeat, mentaliter subintelligendo *in communi existimatione*, non peccabit saltem mortaliter, ob eamdem rationem.

Est tamen difficultas, An laborans occulto de- 63
fectu, sufficiente ad sponsalium dissolutionem, quando licitè potest cum ignaro defectus matrimonium contrahere, possit ad id cogere ignarum, siue per iudicem, siue priuatim exigendo tamquam debitum.

Circa quam Sancius, Ægidius, Filliucius, Ochagauia, & communiter Doctores existimant, posse cogere; & meritò: quia quamuis ignarus defectus habeat ius dissoluendi sponsalia ex parte sui, tamen ea non dissoluit ex eo, quòd nolit contrahere cum eo qui laborat defectu; quia quamuis eo ipso quòd non vult contrahere, dissoluat sponsalia ex parte alterius, quia eo ipso cedit iuri suo, & obligationi alterius; non tamen aufert sibi obligationem, qua obligatus est laboranti defectu, ac proinde laborans defectu potest alterum ignarum defectus cogere seu compellere, vt secum contrahat matrimonium, vt satisfaciat obligationi, quam adhuc retinet contrahendi. Secùs est de adultero adhuc occulto, quia iste adulterio amittit ius proximum petendi ab altero debitum tamquam debitum; ac proinde non potest illud petere ab altero coniuge innocente, ignaro adulterij.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm ad diſſoluenda Sponſalia ſit neceſſaria Iudicis auctoritas.

64 CONueniunt communiter Doctores, quando eſt moralis certitudo ſeu probabilitas, quòd eſt cauſa ad diſſolutionem ſponſalium, & quòd ſit ad eam ſufficiens, non eſſe neceſſariam Iudicis auctoritatem, id eſt, ſententiam ad eorum diſſolutionē, ſed poſſe propria auctoritate diſſolui. Ita Sancius diſp. 56. Valentia diſp. 10. q. 2. puncto 5. Ægidius diſp. 23. & Rebellus l. 4. q. 8. ſect. 9. & meritò: quia ex vna parte nullo Iure poſitiuo diſponitur exſpectandam eſſe ſententiam Iudicis ad id, & ex altera diſſoluens ſponſalia vtitur iure ſuo reſiliendi ab ſponſalibus, abſque perturbatione Reipublicæ.

Sancius. Valentia. Ægidius. Rebellus.

65 Addunt tamen prædicti, aliquando neceſſariam eſſe ſententiam & auctoritatem Iudicis, quando ſcilicet abſque ea ex diſſolutione priuata ſponſalium oriatur ſcandalum, id eſt, quando eâ inducatur aliquis etiam ad diſſoluenda ſponſalia abſque cauſa ſufficiente.

Vnde quando ſponſalia ſunt ſecreta, quamuis cauſa ſufficiens ſit ſecreta, non erit neceſſaria Iudicis auctoritas, quia tunc nullum poteſt oriri ſcãdalum ex diſſolutione ſponſalium, facta propria auctoritate: neque erit neceſſaria, quando cauſa diſſolutionis, & eius ſufficientia ſit publica, quãuis ſponſalia publica ſint; quia etiam tunc nullum poteſt prudenter timeri ſcandalum. Poterit tamen eſſe neceſſaria, quando ſponſalia ſunt publica, & cauſa ſecreta; quia tunc ex diſſolutione facta propria auctoritate, poterit oriri dictum ſcandalum, eùm videatur ſponſalia diſſolui, & non videatur cauſa. Erit autem tunc neceſſaria, quando prudenter timeatur, aliquem ad id eſſe ſcandalizandum, ſeu inducendum: euitabitur tamen ſcandalum, & conſequenter neceſſitas Iudicis, ſi pars defectu occulto laborans, comminatione publicationis ſui defectus admonita vt deſiſtat, non deſiſtit, ita publicando defectum, vt veriſimile fiat reſilientem habere cauſam ſufficientem.

66 Addidimus, quando eſt moraliter certum, ſeu probabile, eſſe cauſam, & eſſe ſufficientem; quia in dubio puro nequeunt ſponſalia diſſolui propria auctoritate, imò nec auctoritate Iudicis, ſi poſt iuridicam & ſufficientem diſcuſſionem maneat purum dubium exiſtentiæ cauſæ, & eius ſufficientiæ; aliàs fieret contra ius partis, aliàs certum, ortum ex ſponſalibus certis.

DIFFICVLTAS XIX.

Qualis probatio requiratur, vt Iudex diſſoluat Sponſalia.

67 CONueniunt Doctores, vt Iudex diſſoluat ſpõſalia ob impedimentum aliquod matrimonij, quamuis tantùm impediens, ſufficere vnum teſtẽ, vt ſignificatur in c. *Super eo.* 22. de Teſtibus, & in c. *Prætereà.* 12. de Sponſalibus: quia tunc agitur de vitando peccato, quod ſponſi impediti committerent, ſi contraherent, quod debet eſſe maximè fauorabile. Requiritur tamen quòd ſit iuratus, vt aduertunt Sancius l. 1. diſp. 71. & Ægidius diſp. 23. nu. 78. quia tunc ita agitur de vitando peccato, vt etiam agatur de præiudicio tertij, cum quo nullus creditur abſque iuramento: & requiritur quòd deponat ſe id ſcire certò, & non ſufficit quòd deponat ſe audiuiſſe, niſi ad probandam conſanguinitatem, quia tunc ſufficit quòd deponat ſe id audiuiſſe à duobus ſuis maioribus fide dignis, & quòd diſtinguat clarè gradus conſanguinitatis, vt docent Sancius & Ægidius, & deducitur ex cap. *Licet ex quadam.* 47. de Teſtibus; ſed non requiritur quòd nomen teſtis publicetur, vt ſupponitur in dicto cap. *Prætereà*, niſi quando ſponſalia ſunt iurata, ob fortiorem obligationem ſponſalium iuratorum.

Sancius. Ægidius.

Sufficit autem vnus teſtis iuratus ad diſſoluenda ſponſalia, quamuis ſint iurata, vt contra Paludanũ in 4. diſt. 27. q. 1. ar. 3. & contra Gregorium Lopez l. 18. tit 9. p. 4. docent Sancius vbi ſuprà, & Couarruuias 4. Decret. 2. p. c. 6. §. 10. quia in d. c. *Super eo.* abſolutè ſignificatur ſufficere vnum teſtem ad diſſoluenda ſponſalia, nulla facta mentione iuramenti, nec poſita limitatione ad ſponſalia non iurata. Quòd ſi in d. c. *Prætereà.* ſignificatur ſufficere vnum teſtẽ ad diſſoluenda ſponſalia, niſi ſint iurata, hoc additur, quia ibi eſt ſermo de teſte, cuius nomen non fuit publicatum ob timorẽ, qui abſq; publicatione non ſufficit, quãdo ſpõſalia ſunt iurata.

Addimus (in quo conueniunt Doctores) quòd ſicut ad diſſoluenda ſponſalia ſufficit vnus teſtis, etiam ſufficit fama impedimenti, vt exprimitur in c. *Super eo.* 2. de Conſanguin. quod eſt verum, etiamſi ſponſalia ſint iurata, vt contra Paludanum aduertunt Sancius, Couarruuias, & communiter Doctores, quia in hoc c. *Super eo.* abſolutè & abſque limitatione ad ſponſalia non iurata ſupponitur ſufficere: in cap. verò *Cùm in tua.* 27. de Sponſalib. vltra famam non requiritur teſtis, ſed vltra teſtem requiritur fama. Requiritur autem vltra teſtẽ fama; quia teſtis ille non fuit teſtificatus, ſeu non depoſuit, ſed tantùm denuntiauit ſeu detulit impedimentum: ſufficit autem fama, niſi clarior fama aut alij teſtes admittendi iudicio Ordinarij oppoſitum probent, vt deducitur ex hoc cap. *Cùm in tua.* Sed quamuis ad diſſoluenda ſponſalia ſufficiat fama, quæ eſt acclamatio ſeu opinio maioris partis vicinię aut communitatis, in qua ad minus habitant decem, ſed non ſufficit rumor, qui eſt opinio minoris partis.

Et quamuis ad diſſoluenda ſponſalia ob impedimentũ ſufficiat vnus teſtis iuratus, ad diſſoluendum tamen matrimonium contractum, ſeu potius ad declarandũ, fuiſſe nullum, requiſiti ſunt ad minus duo teſtes omni exceptione maiores, vt dicitur in dicto c. *Licet ex quadam*, & in c. 1. de Conſang. quia quamuis etiam tunc agatur de vitando peccato, eſt tamen res grauiſſima, & magni præiudicij. Quando tamen agitur de diſſoluendo matrimonio ob impedimentum conſanguinitatis, ſufficiunt parentes & conſanguinei ad teſtificandum, vt dicitur in cap. *Videtur.* 3. Qui matrimonium. & deduci poteſt ex cap. *Super eo.* de Teſtibus.

Supereſt tamen difficultas, An ad diſſoluenda ſponſalia, ob defectũ aliquem ex ſufficientibus ad eorum diſſolutionem, qui non ſit impedimentum (vt ob fornicationem) ſufficiat vnus teſtis iuratus.

Paludanus vbi ſuprà partem affirmatiuam tuetur, quæ deduci videtur ex dicto cap. *Super eo.* de Teſtibus, & ex dicto c. *Prætereà.* de Sponſalibus, vbi ad impediendum matrimonium dicitur vnum ſufficere. Sancius verò & Ægidius diſp. 23. n. 81. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia tunc

Paludan.

Sancius. Ægidius.

non

non agitur de vitando peccato, sed tantùm de præiudicio tertij; ac proinde ad minus fuerùt requisiti duo omni exceptione maiores, sicut generaliter in omnibus aliis causis: quia quòd sufficiat vnus, est speciale priuilegium in dicto cap. *Super eo.* de Testibus, & in dicto cap. *Præterea.* de Sponsalibus, concessum oppositioni impedimenti, quia tunc agitur de vitando peccato.

DISPVTATIO III.

De natura & essentia Matrimonij.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Matrimonium.

1 MATRIMONIVM dicitur à munere matris in spe; quia mulier ideò contrahit matrimonium, vt mater filiorum efficiatur: & non dicitur patrimonium à munere patris in spe; tum quia in filiorum generatione mater est certior quàm pater, tum etiam quià mater maiorem operam ponit in filiorum generatione & educatione. Matrimonium ergo dupliciter sumitur: vno modo, pro ipso contractu; & sic sumitur, quando matrimonium dicitur esse vnum ex septem Sacramentis: altero modo sumitur pro vinculo orto ex ipso contractu, & post contractum perseuerante; & sic sumitur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem, dum ait, consensum mutuum expressum esse causam efficientem matrimonij.

2 Hoc ergo supposito, matrimonium communi Doctorum consensu, & approbatione Alexan-
Alex. III. dri III. in cap. *Illud quoque.* 11. de Præsumptionibus, definitur quòd sit *viri & mulieris maritalis coniunctio inter legitimas personas, individuam vitæ consuetudinem retinens.*

Pro huius autem definitionis declaratione supponendum est, in matrimonio septem reperiri. Primò reperitur mutuus consensus de præsenti, circa mutuam corporum traditionem. Secundò reperiuntur verba, vel alia signa, quibus contrahentes paciscuntur de dicta mutua corporum traditione, & exprimunt dictum mutuum consensum circa illam. Tertiò reperitur mutuum dominium corporum traditum, seu translatum, quod est effectus primarius, & simul obiectum ipsius contractus coalescentis ex mutuo illo consensu, &
3 ex exteriore expressione illius. Quartò reperitur mutua radicalis obligatio in his, quæ pertinent ad prolis generationem, qua coniuges obstringuntur seu obligantur (quæ dicitur *vinculum*) ex aduerso correspondens dicto mutuo dominio; quia dominio in vno correspondet obligatio in altero, & econtrà. Quintò reperitur aliud mutuum ius proximum in corpore alterius ortum ex dicto mutuo dominio, sicut in materiis aliorum contractuum. Sextò reperitur mutua proxima obligatio in his quæ pertinent ad prolis generationem, ex aduerso correspondens dicto mutuo iuri proximo, de quibus ampliùs dicemus Disputatione VII. Difficultate VIII. Est autem tam dominium, & ius proximum, quàm obligatio radicalis & proxima, quid extrinsecum, siue reale siue rationis, vtpote proueniens ex signis, quorum ratio formalis etiam ea sita in extrinseco siue reali siue rationis. Tandem septimò reperitur vsus seu copula coniugalis.

In dicta ergo definitione matrimonij pro genere ponitur *coniunctio*, & pro differentia ponitur *maritalis* (id est ordinata ad prolis generationem) per quas dicta mutua radicalis obligatio, seu vinculum coniugum explicatur, & sufficienter, vt constat. Vnde reliquæ particulæ ponuntur ad maiorem declarationem. Dicitur enim, *inter legitimas personas*, quia dicta obligatio tantùm contrahitur inter personas habiles secundùm leges: additur verò, *individuam vitæ consuetudinem retinens*, vt indissolubilitas dicti vinculi, seu dictæ mutuæ obligationis significetur.

Ex dictis constat, dicta definitione matrimo-4 nium, sumptum pro contractu, definiri non essentialiter, sed descriptiuè; quia per illam explicatur mutua radicalis obligatio, quæ non est essentia contractus, sed eius primarius effectus, & quasi passio ab ipso inseparabilis: & matrimonium sumptum pro vinculo, essentialiter definiri; sicut hac definitione, *animal aptum ad ridendum*, homo describitur, & *risibile* essentialiter definiuntur.

DIFFICVLTAS II.

Quis consensus, seu quæ intentio requiratur ad essentiam & valorem contractus Matrimonij.

CONueniunt Doctores, ad essentiã & valorem 5 contractus matrimonij aliquem consensum requiri, quia ex consensu & ex pactione exteriori, expressiua consensus, coalescit essentia huius contractus, sicut cuiuscumq; alterius; & non sufficere consensum vnius, sed requiri consensum vtriusq; contrahentis, vt definitum est ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, & definitum fuerat in cap. *Tua.* 26. de Sponsalibus. Et meritò, quia contractus matrimonij est mutuus.

Et non sufficit, quòd consensus iste sit quædam simplex voluntas, sed requiritur quòd sit efficax intentio, vt significatur in dicto cap. *Tua*, quia per contractum matrimonij traditur dominium corporum, quod tradi nequit absque consensu efficaci. Et non sufficit, quòd procedat ex quacumque deliberatione (ex qua procedere debet, vt sit translatiuus dominij, & inductiuus obligationis) sed requiritur, quòd procedat ex plena, ad peccatũ mortale sufficiente, quia contractus matrimonij est magni momenti, vtpote translatiuus dominij corporis in alteram personam ad commixtionem carnalem, & inductiuus grauis obligationis in ipso transferente dominium. Et non sufficit cõsensus,

6 seu intentio efficax traditionis dominij corporis tantùm, in aliquo effectu perseuerans virtualiter; sed requiritur actualis, & procedens ex actuali deliberatione dictæ traditionis: aliàs consensus non erit in se ipso humanus & liber, & ex ipso non posset oriri translatio humana dominij, & obligatio moralis, vt diximus Disp. 1. Difficultate IX.

Vnde amentes, ebrij, dormientes, & pueri qui nondum ad perfectum vsum rationis peruenerunt, non possunt validè contractum matrimonij celebrare, ex defectu plenæ deliberationis, quam dicimus requiri.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm consensus, ad essentiam & valorem contractus Matrimonij requisitus, debeat ferri in mutuam corporum traditionem.

7 COnueniunt Doctores, ad essentiam & valorem contractus matrimonij requiri, consensum seu intentionem ferri in mutuam translationem dominij corporum, in ordine ad commixtionem carnalem, non minùs quàm pactionem ipsam exteriorem expressiuam consensus; quia dicta mutua translatio est ipse primarius effectus, & per se resultans ex contractu ipso matrimonij, & ad quem primariò ordinatur: contractus autem matrimonij, sicut quicumque alius, essentialiter componitur ex consensu voluntatis, & ex pactione exteriori; ergo non minùs consensus ipse, quàm pactio exterior, ferri debet in mutuam translationem dominij corporum ad commixtionem carnalem, quamuis necessarium non sit in eam translationem expressè ferri, sed sufficit confusè tendendo, videlicet in id quod fit contractu matrimonij, & ex ipso resultat, confusè apprehensum, & non expressum adhuc pactione ipsa exteriori.

8 Vnde qui à natiuitate simul est surdus & mutus, si sit videns, & perspicacis ingenij, poterit validè contrahere matrimonium; quia signis, visu perceptis, poterit percipere, contractu matrimonij, quem videt aliquando celebrari, aliquid fieri ordinatum ad commixtionem carnalem; ac proinde in id consentire, & de eo signis pacisci: secùs verò si etiam sit cæcus, vt contra plures docet Sancius lib. 1. disp. 8. quia defectu auditus & visus nequit adhuc confusè percipere contractum matrimonij, & eius primarium effectum.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm consensus, ad valorem contractus Matrimonij requisitus, debeat ferri in tria bona Matrimonij.

9 SVpponimus, tria esse bona matrimonij, nempe perpetuitatem, prolem, & fidelitatem.

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, ad cõtractum matrimonij essentialiter requiri, quòd consensus seu intentio feratur, saltem implicitè seu confusè, in perpetuitatem traditionis corporum; quia tantùm traditio perpetua est effectus ipsius contractus, & non temporaria; quia hæc (vtpote nociua proli, ad quam contractus matrimonij suâ naturâ ordinatur) nequit fieri ab hominibus validè, fertur autem implicitè in perpetuitatem, eo ipso quòd contrahentes efficere intendunt quod ipso contractu fieri potest, aut quod solet ab aliis fieri.

Secundò conueniunt, ad naturam & valorem huius contractus non esse necessarium, quòd consensus seu intentio feratur in alia duo bona, nempe in generandam prolem, & in seruandam fidem, quia hæc duo non fiunt per ipsum consensum; & necessarium non est, quòd consensus feratur in id quod non fit per ipsum; quia ipse, & pactio exterior, ex quibus contractus iste coalescit, tantùm requiruntur vt mediis eis aliquid fiat.

Est tamen difficultas, An intentio contraria proli, vt intentio eam vitandi, & contraria fidelitati, vt intentio non reddendi debitum, & adulterandi, obstet naturæ & valori huius contractus.

Angelus v. *Matrimonium*, 2. nu. 23. Henriquez lib. 11. de Matrimonio cap. 12. & Petrus Soto existimant, intentionem contrariam proli & fidelitati obstare valori huius contractus, ita vt si contrahatur animo impediendi generationem prolis, aut non seruandi fidem, non fiat validè; quia dicta duo, nempe generatio prolis, & seruare fidem, pertinent ad substantiam huius contractus; ergo intentio ipsis aut cuilibet ipsorum contraria impedit valorem illius.

Sancius lib. 2. disputat. 24. Ægidius disputat. 24. Ochagauia dub. 4. & Filliucius existimãt, intentionem contrariam proli & fidelitati non nocere valori contractus matrimonij, & meritò; quia valor huius contractus non nocet, nisi intentio incompossibilis cum intentione necessaria ad valorem illius: nentra autem intentio ex dictis est incompossibilis cum intentione necessaria, quia ad valorem non est necessaria alia intentio, quàm efficiendi id quod contractu ipso valido immediatè efficitur; eo autem immediatè & primariò tantùm efficitur mutua corporum traditio in ordine ad commixtionem carnalem, & mutua obligatio ipsi traditioni ex aduerso correspondens in altero; & quidquid aliud contractu ipso efficitur, est resultans ex ipsa traditione & obligatione, absque nouo aliquo consensu superaddito. Intentioni autem tradendi mutuò corpora ad vsum conjugalem, & ad hunc mutuò se obligandi, non est contraria intentio vitandi prolem, neque intentio non seruandi fidelitatem; sicut ipsum vitare prolem, & seruare fidelitatem, quæ sunt obiecta dictarum intentionum, non sunt incõpossibilia cum dicta mutua traditione & obligatione, quæ sunt obiecta intentionis necessariæ ad valorem contractus matrimonij; quia quamuis vitare prolem, & non seruare fidem, sint violatio iuris traditi, & obligationis contractæ ex contractu matrimonij, & in hoc sensu sint contra illa; non tamen sunt incompossibilia cum eis. Ex quo constat, Antecedens rationis aduersariorum esse falsum.

Sed an intentio se obligandi ad vitandam prolem, & ad non seruandam fidem, & deductio eorum in pactum, obstet valori matrimonij, examinabimus Disputatione VII.

DIF-

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm consensus, ad valorem contractus Matrimonij requisitus, debeat ferri in copulam.

12 CONueniunt Doctores contra Michaëlem Medinam, non requiri, consensum seu intentionem contrahentium expressè ferri in copulam; quia ad valorem huius contractus sufficit, quòd consensus expressè feratur in id quod per ipsum fit (imò in id tantùm quod per ipsum immediatè fit; quia quodcumque aliud necessariò resultat ex effectu immediato, absque superaddito consensu;) copula autem non fit per contractum matrimonij.

Est ergo difficultas, An consensus debeat ferri implicitè seu tacitè in illam, quia alij affirmant, & alij negant.

13 Circa hanc difficultatem, quæ potiùs est nominis quàm rei, negari non potest, dictum consensum debere aliquo modo ferri in copulam; quia ferri debet directè in mutuam corporum traditionem in ordine ad copulam, & in mutuam obligationem radicalem ad eamdem copulam, ac proinde aliquo modo debet ferri in copulam. Nihilominùs quia copula non est effectus dictæ traditionis & dictæ obligationis, in quas consensus debet directè ferri, sed tantùm est purum obiectum, aut extremum quod respiciunt; ideò, quamuis consensus debeat ferri directè in dictam dominij corporum traditionem, & in dictam obligationem, non fit quòd debeat ferri implicitè in copulam, sed tantùm connotatiuè, indirectè, & in obliquo: quia id quod non est effectus, sed tantùm purum obiectum, aut purum extremum, non implicatur & continetur in eo cuius est obiectum & extremum.

14 Ex quo fit, intentionem contrariam copulæ, id est, non vtendi matrimonio, non nocere valori contractus matrimonij, vt docent communiter Doctores; quia dicta intentio non est incompossibilis cum intentione tradendi dominium corporis ad dictum vsum, & se obligandi ad illum; quæ sufficit ad valorem contractus matrimonij: quia dicta traditio & obligatio est sufficiens materia substantialis contractus matrimonij, & effectus immediatus illius, ex quo semel posito, necessariò oriuntur reliqui effectus, si alij sunt.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm contractus Matrimonij possit fieri absque consensu contrahentium.

CONueniunt Doctores, contractum matrimonij nulla potentia, adhuc Dei, fieri posse absque mutuo contrahentium consensu; quia contractus iste, sicut quilibet alius, essentialiter coalescit ex dicto consensu, & ex pactione exteriori, sicut homo ex anima rationali & ex corpore.

Est tamen difficultas, An status ipse matrimonialis, qui transacto contractu permanet, possit fieri absque consensu contrahentium.

15 Et Primò est difficultas, An possit fieri à Republica humana. Ratio difficultatis pro parte affirmatiua, desumitur ex cap. *Is qui fidem.* 3. de Sponsalibus, vbi decernitur, sponsalia transire in matrimonium per copulam subsecutam; & ex cap. final. de Conditionibus appos. vbi decernitur, matrimonium sub conditione impossibili contractum, esse validum; & tamen in his duobus casibus sæpè deficit consensus contrahendi: ergo Respublica saltem Ecclesiastica potest absque coniugum consensu eos matrimonialiter coniungere.

Nihilominùs conueniunt Doctores, statum matrimonialem non posse absque consensu contrahentium fieri à Republica adhuc Ecclesiastica. Ita Sancius disput. 27. & Ægidius disp. 24. dub. 5. & meritò: quia Respublica tantùm habet potestatem supra res & corpora ciuium, quatenus publico bono expedit; bono autem publico non expedit, vt vir & femina contra eorum voluntatem matrimonialiter coniungantur; quia matrimonia ita facta sæpè haberent infelices exitus. Et sanè in Republica humana nondum agnita est dicta potestas, sed tantùm ad compellendum ad contrahendum voluntariè, quando est causa iusta ad id. *Sancius. Ægidius.*

16 In dictis autem capitibus pro parte affirmatiua adductis, non decernitur, matrimonia illa esse valida, adhuc deficiente coniugum consensu, sed tantùm dicitur, habenda esse vt valida; quia in eis casibus Ecclesia præsumit contrahentes matrimonialiter consensisse, & id ita vehementer præsumit, vt nullam admittat probationem in contrarium.

Secundò est difficultas, An possit fieri à Deo. Conueniunt Doctores, Deum posse feminæ tradere dominium corporis viri ad commixtionem carnalem, & econtrà viro dominium corporis feminæ ad eamdem, absque eorum consensu: quia Deus est omnium, etiam corporum, verus dominus, non minùs quàm ipsi contrahentes, imò est supremus & independens: ergo independenter ab eorum consensu potest dictum mutuum dominium tradere, quod ipsi possunt.

Est tamen difficultas, An etiam independenter à contrahentium consensu possit à Deo fieri vinculum ipsum matrimonij.

17 Sancius lib. 2. disputat. 26. Filliucius cap 3. & Ochagauia Tract. 2. quæst. 8. partem negatiuam tuentur, Primò, quia consensus coniugum est de essentia status & vinculi matrimonialis. Secundò, quia vinculum matrimonij est mutuum animorum vinculum; ergo nequit fieri absque mutuo animorum consensu. Tertiò, quia vinculum matrimonij est relatio quædam, consurgens ex mutuo coniugum consensu, tamquam ex fundamento; ergo nequit absque illo fieri à Deo, sicut neque paternitas in aliquo absque generatione ab eo prouenient. Quartò, quia status Religiosus nequit à Deo in aliquo fieri absque eius consensu libero, ergo neque status matrimonialis. *Sancius. Filliucius. Ochagau.*

Valentia verò disp. 10. quæst. 3. punct. 1. Henriquez 11. de Matrimonio c. 1. & Ægidius disp. 24. dub. 5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia vinculum matrimonij, vt diximus Difficul. 1. nihil aliud est, quàm mutua radicalis obligatio, ex aduerso correspondens mutuo dominio corporum, qua coniuges manent mutuò colligati seu obligati in ordine ad commixtionem carnalem. Deus autem, vt iam diximus, & admittunt aduersarij, vtpote omnium, etiam corporum dominus supremus & independens, potest independenter *Valentia. Henriquez. Ægidius.*

à coniugum consensu tradere & transferre mutuum dominium corporum eorum; ergo etiam vinculum ex aduerso correspondens dicto mutuo dominio translato; quia eo ipso, quòd vni traditur dominium corporis alterius, huic alteri necessariò concomitanter inest obligatio respectu illius cui traditum est dominium.

18 Ex quo deducimus, statum matrimonialem relictum, & permanentem transacto contractu matrimonij, non consistere in solo vinculo, sed coalescere ex vinculo ipso (consistente in dicta mutua obligatione) & ex dicto mutuo dominio.

Ad primam ergo rationem aduersariorum negamus, consensum esse de essentia status & vinculi matrimonialis, sed tantùm esse causam efficientem illius, quatuis sit de essentia contractus matrimonij.

Ad secundam respondemus, vinculum matrimonij dici vinculum animi, non quia essentialiter consistat in animorum vnione (aliàs vinculum non perseueraret inter coniuges animo dissidentes) aut quia necessariò & essentialiter dependeat ab animorum consensu; sed quia solet esse occasio mutui amoris.

Ad tertiam concedimus, vinculum matrimonij esse relationem (quamuis non intrinsecam, sed extrinsecam) consurgentem proximè ex mutuo coniugum consensu; posse tamen consurgere, & non minùs, ex sola voluntate & consensu Dei; qui etiam est dominus corporum contrahentium omnino independens ab ipsis.

19 Ad quartam concedimus, Deum non posse se solo absque consensu Religiosi in eo efficere Religiosum statum (vt modò est) consistentem in obligatione fidelitatis Religiosæ seu sacræ, ortæ ex voto; quia ex solo voto oriri potest, & votum nequit fieri absque consensu vouentis: potest tamen se solo efficere statum matrimonialem, absque cõiugum consensu; quia status iste consistit in obligatione iustitiæ ad commixtionem carnalem, & in dominio cui correspondet ea obligatio, quæ oriuntur ex consensu dominorum corporum, & quia Deus etiam est dominus corporum coniugum meliùs quàm ipsi, & ab ipsis independens, ideò ipse solus absque eorum consensu, seu independenter ab eo, potest dictum dominium tradere, & dictam obligationem inducere.

20 Addunt nonnulli ex his qui nobiscum sentiunt, Deum de facto primos parentes matrimonialiter coniunxisse absque eorum consensu, iuxta illud Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Id tamen credendum non est, vt aduertunt Sanctius & Ægidius, quia non expediebat, matrimonium primorum parentum, quod erat initium, & futurum erat norma aliorum quæ fiunt ex consensu coniugum, fieri absque illorum consensu: illud autem Matth. 19. generaliter de omni matrimonio dicitur, vt deducitur ex contextu; non quia Deus se solo efficiat vinculum matrimonij, sed quia Deus excitauit ad celebranda matrimonia, & eorum celebrationem approbauit & approbat.

Sancius. Ægidius.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm qui falsò existimat se esse inhabilẽ ad contractum Matrimonij, possit habere cõsensum sufficientem ad valorem illius.

21 SVpponimus (in quo nequit esse controuersia) eum, quia ita falsò existimat sibi esse aliquod impedimentum dirimens, ac proinde se esse inhabilem, vt habeat formidinẽ oppositæ partis, posse habere consensum sufficientem ad valorem contractus matrimonij; quia tunc potest habere consensum seu intentionem efficacem tradendi dominium sui corporis, & se obligandi sub conditione, *si sit habilis, & possit*; quia tunc concipit, fortasse se esse habilem, & posse; hæc autem intentio sufficiens est ad contractum matrimonij, quia est efficax, & sub conditione de præsenti vera & subsistente.

Difficultas tamen est, An is, qui firmiter absque formidine seu hæsitatione credit se esse inhabilem ad matrimonium, possit habere consensum sufficientem ad valorem illius.

Sancius l. 2. disp. 33. & Couarruuias 4. Decret. p. 2. c. 3. §. 7. partem affirmatiuã tuentur; quia ille talis potest habere intentionem seu consensum efficacẽ sub conditione, *si forte possim*, quæ sufficiens est; sicut etiam hæreticus, qui absque formidine existimat Baptismum non esse Sacramentum, potest validè baptizare; quia potest baptizare sub conditione, *si forte sit Sacramentum*.

Nauarrus verò c. 22. nu. 96. & Ægidius disp. 22. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia nemo potest serio & efficaciter intendere id, quod ab ij formidine aliqua credit esse impossibile: & non solùm non potest absolutè, sed neque sub conditione, *si forte possim*; quia non cõcipit fortè posse alias formidaret; ergo eius animus nequit in id seriò & efficaciter ferri, adhuc sub dicta illa conditione.

Hæreticus verò, quamuis omnino & absq; formidine existimet Baptismum non esse Sacramentum, potest validè baptizare, non quia possit sub dicta conditione, quia verè non potest; sed quia stante iudicio illo firmo, intendere potest efficere quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit, quidquid illud sit; quod sufficit ad valorem Baptismi, quia eo ipso confusè intendit efficere Sacramentum, quia in eo obiecto, nempe quod Christus instituit, aut quod Ecclesia facit, confusè, continetur efficere Sacramentum: qui verò omnino absq; formidine credit se non posse accipere Matrem, v.g. in vxorem, non potest his verbis, *Accipio te in meam*, intendere eam in vxorem accipere, non solùm expressè, sed neque confusè; quia nequit intendere aliud obiectum in quo istud continetur confusè.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm ad valorem contractus Matrimonij requiratur, quòd consensus actualis vtriusque sit simul tempore.

COnueniunt Doctores contra Panormitanum & Antonium de Butrio, ad valorẽ contractus matrimonij non requiri, quòd consensus actualis vtriusque contrahentis sit simul quasi continuus, vnus statim post alterum; quia parua distantia inter vtrumque non nocet simultati morali, quæ sufficit ad valorem huius contractus, qui est quoddam vnum morale.

Est tamen difficultas, An ad valorem huius contractus necessarium sit, quòd non sit magna distantia inter vtrumque consensum.

Sotus in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. Sancius l. 2. disp. 32. Couarruuias 4. Decret. 2. p. c. 4. Henriquez 11. de Matrimonio, c. 3. Basilius lib. 2. c. 16. & Bartholomæus Ledesma de Matrimonio, dub. 17. docent, ita requiri

requiri quòd non sit magna distantia inter consensum actualem vnius, & consensum actualem alterius; quia post magnam distantiam non remanet nec durat moraliter consensus prior; ac proinde ex priori consensu multum distante à posteriori, & ex posteriori, non potest actu fieri contractus matrimonij. qui ex consensu vtriusque essentialiter coalescit. Discrepant tamen isti Doctores in taxanda distantia, quæ valori huius contractus obstet: quia Sotus existimat, distantiam septennij obstare; Henriquez distantiam biennij, Ledesma distantiã vnius anni, Sancius verò taxationem distantiæ obstantis remittit arbitrio prudentis, attentis peculiaribus circumstantiis. Qui omnes supponunt, distantiam minorem ea quæ ab ipsis assignatur, non obstare valori matrimonij.

Sotus. Henriquez. Ledesma. Sancius.

25 Maior verò in 4. dist. 27. q. 1. Nauarrus cap. 22. n. 80. & Ægidius disp. 24. dub. 7. docent, nullam temporis distantiam inter consensum actualem vnius, & inter consensum actualem alterius, quãuis maximam, obstare valori contractus matrimonij, dum prior consensus permaneat saltem habitualiter, & meritò: quia consensus, quamuis solùm habitualiter permanens, sufficit ad effectum contractus matrimonij, nempe ad traditionem dominij corporis ad vsum coniugalem, & ad inductionem obligationis ad illum; ergo sufficit ad perficiendũ contractum ex quo oritur dictus effectus. Consequentia patet. Antecedens autem probatur, nempe quòd consensus tantùm habitualiter permanens sufficiat ad dictum effectum, quia effectus iste tantùm consistit in extrinseca relatione, siue reali siue rationis; hæc autem sufficienter potest consurgere ex consensu multò anteà emisso, posteà posito cõsensu alterius, sicut etiam ad applicãdum valorem Sacrificij pro aliquo, sufficit intentio seu cõsensus multò anteà præcedens, habitualiter tantùm perseuerans, vt diximus Tractatu de Sacramentis in

Maior. Nauarrus. Ægidius.

26 communi. Quamuis, vt in eo Tractatu diximus, ad efficiendum ipsum Sacrificium, & ad efficiendum quodcumque Sacramentum, sit necessaria intentio perseuerans saltem virtualiter in aliquo effectu, deriuato ex ea intentione, media electione perseuerante, procedente ex ipsa intentione. Ratio autẽ disparitatis inter intentionem effectionis Sacrificij & Sacramenti ex vna parte, & inter intentionẽ applicationis Sacrificij, & cõsensum seu intentionem matrimonialem ex altera, est, quia intentiones efficiendi Sacrificium, & efficiendi Sacramentũ, sunt factiuæ operationũ realium: v. g. intentio efficiendi Sacrificium, est intentio proferendi verba consecrationis, & intentio efficiendi Sacramentum, est intentio proferendi verba, & sæpè etiam efficiendi alteram actionem physicam, vt abluendi, aut vngendi: dictæ autẽ operationes reales nequeunt fieri ex intentione, nisi physicè existente, aut in se, aut in aliquo effectu deriuato ex illa modo suprà dicto: intentio verò applicandi valorem Sacrificij non est factiua alicuius actionis realis, quæ debeat

27 ex ipsa intentione procedere, sed tantùm est applicatiua valoris, quod fit sufficienter ex eo solùm, quòd celebrans velit fructum sui Sacrificij (tunc aut posteà ex alia intentione efficiendi) prodesse alicui: ad quod sufficit, quod præcesserit, & non sit reuocata. Intentio etiam seu consensus matrimonialis, non est factiua alicuius actionis realis, quæ debeat ex ipsa intentione procedere, sed tantùm est traditiua dominij corporis ad vsum coniugalem, & inductiua obligationis corporis ad illam, quæ consistunt in extrinseca relatione, seu respectu: ad quod, vt diximus, sufficit ipsa intentio tradendi dominium corporis ad vsum coniugalem, & ad eum se obligandi, quamuis præterita sit, & non maneat nisi habitualiter.

Sed quamuis ad contractum matrimonij sufficiat consensus præcedens habitualiter, ad conficiendum tamen Sacramentum matrimonij, seu vt dictus consensus & expressio illius fiant Sacramentum, requiritur (sicut ad efficienda alia Sacramenta) quòd consensus & eius expressio fiant 28 ex intentione efficiendi illud Sacramentum, quæ intentio requiritur esse saltem virtualiter, quando elicitur consensus, & exteriùs exprimitur, sicut intentio aliorum Sacramentorum: semel tamen elicito consensu, & facta exteriori expressione ex dicta intentione Sacramentali, posteà quando aduenit consensus alterius, & expressio illius ex intentione saltem virtuali efficiendi Sacramentum, quamuis multò posteà eliciatur consensus, & fiat expressio illius ex dicta intentione, non tantùm fiet contractus matrimonij, vt diximus, sed etiam fiet Sacramentum; quia fit ex intentione, siue actuali siue virtuali efficiendi Sacramentum, vt supponimus.

Addidimus, dum prior consensus permaneat saltem habitualiter; quia si aliquo modo saltem habitualiter non permaneat, sed omnino desinat esse, non potest ad contractum, qui posteà, aduenientе consensu alterius, perficiendus erat, pertinere. Desinit autem prior consensus permanere 29 omnino adhuc habitualiter, quando reuocatur, siue expressè, vt patet; siue implicitè, vt quãdo, postquam consentit in vnam personam, consentit in alteram: & etiam quando consensus in suo effectu fuit limitatus, siue expressè siue implicitè vsque ad aliquod tempus, desinit permanere adhuc habitualiter post tempus illud ad quod vsq; fuit limitatus. Quoties autem quis consentit, & non expressè in perpetuum, nec tempus aliquod determinatum suo consensui præscribit, censetur implicitè tempus aliquod limitatum suo consensui præscribere: quia nullus est qui velit perpetuò consensum alterius expectare, & quoad hoc suspẽsus manere. Quantum autem tempus censendum sit à quolibet fuisse præscriptum, prudentis arbitrio, attentis circumstantiis, pensandum est: quia aliquando longum, etiam vbi Tridentinum viget, vt quando quis per epistolam consentit in procul absentem; & aliquando breue, aut breuissimum, vt quando quis consentit in præsentem, à qua citò aut statim expectat consensum. Qui verò consentit 30 in eam quæ fictè cõsentit, non eo ipso, quòd ignoranter perseuerat in eo matrimonio, censetur perseuerare in priori consensu seu intentione contrahendi (quidquid dicant Sancius & Ægidius) quia ea perseuerantia non renouat dictam intentionem seu consensum, quia ea perseuerantia non intendit contrahere, quia credit contractum iam fuisse perfectum; ac proinde tantùm censendum est ab eo fuisse præscriptum tempus illud, quod, attentis aliis circumstantiis, censeretur ab eo præscriptum. Vnde si consentit in præsentem, censendum est breue aut breuissimum tempus suo consensui præscripsisse.

DIF-

DIFFICVLTAS IX.

Quomodo renouandus sit contractus Matrimonij, nullus ex defectu consensus veri, aut legitimi.

SVpponimus (in quo conueniunt Doctores) ad reualidandum contractum matrimonij, nullum ex defectu veri consensus, siue in vtroque contrahente, siue in vno tantùm, quia vterque, aut tantùm vnus, solis verbis fictè absque consensu contraxit, requiri, quòd ille cui defuit consensus, siue vterque, siue tantùm vnus, de nouo consentiat; quia contractus matrimonij nequit absque consensu vero vtriusque fieri. Imò etiam requiritur, quòd consensus de nouo elicitus, exteriùs exprimatur, non solùm quando vni tantùm defuit consensus, vt contra Sancium li. 2. disp. 32. aduertunt Ægidius disput. 24. dub. 10. & Basilius lib. 4. cap. 24. sed etiam quando defuit vtrique, vt docent Sancius & Basilius: quia expressio exterior antiqua exhibita, quando fuit fictio consensus, nequit esse expressio consensus posteà eliciti.

31 *Ægidius. Basilius. Sancius. Basilius.*

Supponimus Secundò, (in quo conueniunt Doctores) ad reualidandum contractum matrimonij nullum, quia consensus elicitus non fuit legitimus, & sufficiens, siue in vtroque siue tantùm in vno, vel ob metũ grauem in vtroq; vel tantùm in vno, vel ob aliud impedimentũ dirimẽs, requiri, quòd posteà, cessante causa nullitatis, ille cui defuit legitimus consensus, non solùm quãdo vni (in quo conueniunt Doctores) sed etiam quando vtrique, renouent consensum, etiam alter qui ignorat nullitatem. In quo contra nonnullos, existimantes, tunc non esse necessarium, quòd ignorans nullitatem renouet consensum, conueniunt Sancius & communiter Doctores, & meritò: quia antiquus consensus, etiam alterius ignorantis nullitatem, quamuis fuit verè elicitus, fuit tamen nullus & illegitimus: ergo quamuis posteà, quando cessat causa nullitatis, perseueret habitualiter, nequit legitimari & validari; quia non manet in se ipso, sed præteriuit. Imò etiam requiritur, quòd exterior expressio renouetur, non tantùm quando vni defuit consensus legitimus, vt contra Sancium aduertunt Ægidius & Basilius, sed etiam quando vtrique defuit, vt contra Vera-cruz in Append. ad Spec. art. 44. conc. 3. aduertunt Sancius, Ægidius & Basilius.

32 *Sancius.* *Ægidius. Basilius. Sancius. Ægidius. Basilius.*

His ergo suppositis, difficultas est, An ad reualidandum contractum matrimonij nullum, quia vni defuit consensus verus aut legitimus, sufficiat quòd iste renouet consensum, absque eo quòd alter, qui verè & legitimè consensit, iterùm de nouo consentiat.

Sancius lib. 2. disput. 32. Ægidius disput. 24. dub. 10. Henriquez lib. 11. cap. 10. & Nauarrus cap. 22. num. 80. & alij docent, sufficere, quòd ille, cui defuit consensus verus aut legitimus, de nouo consentiat, absque eo quòd alter iterùm de nouo consentiat; quia consensus illius, qui verè & legitimè consensit, perseuerat habitualiter; ergo accedente de nouo consensu illius qui fictè aut legitimè consensit, fiet nouiter contractus matrimonij; quia ad huius valorem sufficit, quòd posterior consensus adueniat, quando prior consensus perseuerat.

33 *Sancius. Ægidius. Henrique. Nauarrus.*

Bartholomæus Ledesma de Matrimonio dubio 19. Felinus in cap. *Ex parte Decani*, de Rescriptis, Paulus Comitolus lib. 1. Responsi. Moral. quæst. 120. & Basilius lib. 4. cap. 24. docent, & meritò, non sufficere, quòd ille, cui defuit consensus verus aut legitimus, de nouo consentiat, sed necessarium esse, quòd vterque de nouo consentiat. Et id esse necessarium, in quodam particulari casu, in quo vni defuit consensus verus, quia fictè consensit, respondit Clemens VIII. Rectori Romanæ Pœnitentiariæ nostræ Societatis, vt ex Paulo Comitolo refert Basilius. Ratio autem huius doctrinæ desumitur ex Difficultate præcedenti: quia scilicet consensus illius, qui verè & legitimè consensit, cessat omnino, adhuc habitualiter, permanere, statim ac alter fictè aut illegitimè consensit; quia qui verè & legitimè consensit, tantùm consensit, saltem implicitè, vsq; ad tempus, in quo alter fictè aut illegitimè consensit, & non ad vlterius & longius tempus; quia iam omnino superfluum iudicat, aut saltem, ex quo alter fictè aut illegitimè consensit, absque dubio, qui verè & legitimè consensit, desistit ab eo consensu, seu intentione, & voluntate contrahendi; quia credit contractum iam esse perfectum: ergo vt reualidetur de nouo contractus matrimonij, necessarium est vtrumque iterùm de nouo consentire, ac proinde etiam quòd vterque de nouo exteriùs exprimat consensum; quia nemo antiqua expressione expressit nouum consensum. Ex quo constat ad rationem aduersiorum.

Obseruandum est, vt optimè Sancius libro 1. disputat. 11. eum, qui fictè contraxit (& idem est de eo qui illegitimè scienter) tantùm teneri ad reparandum damnum ex dicta fictione secutum, & non ad verè contrahendum, nisi quando damnum est notabile, & non possit reparari nisi contrahendo.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm ad reualidandum contractum Matrimonij nullum, necessarium sit, eum qui iterùm est consensurus, esse aut fieri conscium nullitatis.

DIfficultas hæc procedit de eo contrahente, qui ad reualidandum matrimonium nullum, iterùm consensurus est, an scilicet possit sufficienter consentire, quando ignarus est nullitatis dicti matrimonij.

Caietanus Tom. 1. Opusc. tract. 12. quæstione 2. Sotus in 4. distinct. 28. quæst. 1. artic. 2. Petrus Ledesma, Angelus, & plures alij docent, omnino ignarum nullitatis, etiam absque formidine nullitatis, posse sufficienter consentire ad reualidandum contractum; ac proinde sufficere, vt qui conscius est nullitatis, inducat ignarum, vt maioris amoris causâ renouent consensum, id est, dicendo mutuò, *Ego te accipio in coniugem*, aut in signum consensus se amplexando: quia huic consensui nihil videtur deficere vt sit sufficiens, cùm sit consensus personæ habilis, quo consentit in traditionem corporis. Imò nonnulli ex Auctoribus huius opinionis addunt, contractum matrimonij dicto modo nullum, reualidari

copulâ affectu maritali habitâ, quamuis alter nullitatem ignoret; quia copula videtur sufficiens signum consensus coniugalis. Et eadem ratio currit, vt reualidetur copula dicto modo habita, etiamsi vterque ignoret nullitatem.

Nauarrus. Couarru. Henriquez. Basilius. Paul. Com.

Nauarrus verò cap. 22. num. 47. & 80. Couarruuias 4. Decretal. p. 2. cap. 4 nu. 5. Henriquez 11. de Matrimonio cap. 3. Basilius lib. 4. cap. 25. Paulus Comitolus lib. 1. Responsorum moralium, q. 120. & plures alij docent, omnino ignarum nullitatis, non posse sufficienter consentire ad reualidandum matrimonium nullum, ac proinde necessarium esse, fieri conscium nullitatis (quod respondit Clemens VIII. dicto Rectori Romanæ Pœnitentiariæ, in casu nullitatis matrimonij, ex defectu veri consensus in vno) & meritò; quia tunc non aliter reualidandus est contractus, quam efficiendo contractum de nouo quoad omnia, quia quoad nihil fuit validus, vel si tunc fuit aliquid

37 validum, iam non perseuerat. Ergo ad illum reualidandum, requiritur intentio tradendi dominium corporis de nouo, & de nouo se obligandi; quia absque hac intentione nequit validè fieri contractus. In eo autem qui caret notitia nullitatis, sed credit fuisse validum, nequit esse intentio de nouo tradendi dominium corporis, & se obligandi, adhuc sub conditione, *si forte contractus fuit nullus*, quia ille talis non concipit fortè fuisse nullum; imò conditionem hanc iudicat impossibilem: ergo ad reualidandum dictum contractum requisita est notitia aliqua nullitatis. Sufficit tamen notitia formidolosa, qua quis iudicet fortasse contractum fuisse nullum; quia hæc sufficit, vt sic formidolosè iudicans, intendat seriò tradere dominium sui corporis, & se obligare sub hac conditione, si fortè non est traditum, vel si fortè contractus fuit nullus; quæ conditio in nostro casu est vera & subsistens, & eam non iudicat impossibilem.

38 Et eadem proportione ad reualidanda sponsalia à principio nulla, defectu consensus, siue veri siue legitimi, necessaria est, in eo qui iterùm consensurus est, notitia aliqua, saltem formidolosa, nullitatis; quia est necessarius nouus consensus nouiter conferendi alteri ius in corpus proprium, qui nequit seriò haberi absque aliqua notitia nullitatis, imò etiam requiritur, quòd tunc signo aliquo exteriori exprimatur: ad quod non sufficit copula adhuc spe matrimonij habita; quia copulâ non est signum dicti consensus, imò neque consensus coniugalis, vt dicemus Difficultate XIV.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, consensui illius, qui caret omni notitia adhuc formidolosa nullitatis, deficere quod sit efficax, & seriò habitus tradendi de nouo dominium corporis, adhuc sub conditione; quia id iudicat impossibile, & tantùm potest habere consensum quo approbet & ratificet contractum præteritum, quo consensu nihil fit, quia contractus præteritus, qui eo approbatur, fuit nullus. Vnde necessarium est, quòd ignarus nullitatis moneatur, aut saltem reddatur suspectus nullitatis, vt sufficienter renouet consensum.

39 Addimus, quòd quamuis omnino ignarus nullitatis posset sufficienter consentire, consensus tamen non posset sufficienter exprimi copula ipsa; quia hæc non est signum sufficiens consensus coniugalis, vt dicemus Difficultate XIV.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm ad reualidandum contractum Matrimonij nullum, coram Parocho & aliis testibus celebratum, necessarium sit iterùm coram Parocho & aliis testibus contrahere.

COnueniunt Doctores, ad reualidandum matrimonium publicè & plenè probabile nullum, quamuis coram Parocho & aliis testibus celebratum, necessarium esse illud iterùm coram Parocho & aliis testibus celebrare; quia ex eo matrimonio, non reualidato coram dictis, possunt oriri incommoda, quæ Tridentinum suo decreto intendit impedire; quia coniuges, post reualidationem non factam coram Parocho & aliis testibus, poterunt se deserere, & cum aliis contrahere, absque eo quòd Ecclesia eis possit resistere; quia prior contractus fuit publicè nullus, & posterior, vtpote factus absque præsentia dictorum, non potest ab Ecclesia iudicari validus, ex defectu probationis requisitæ à Tridentino faciendæ, testimonio videlicet Parochi & aliorum testium. 40

Est ergo difficultas, An, quando prius matrimonium celebratum coram Parocho & aliis testibus, fuit nullum occultè, ob defectum consensus occultum, aut ob impedimentum aliquod occultum, necessarium sit ad reualidationem illius, quòd iterùm coram Parocho & aliis testibus celebretur.

Palacios in 4. distinct. 27. quæst. 1. Gutierrez lib. 1. Quæst. can. cap. 18. Bartholomæus Ledesma dub. 17. & Basilius lib. 5. cap. 6. partem affirmatiuam tuentur; quia post Tridentinum, vbi publicatum est, matrimonia absque præsentia Parochi & aliorum testium facta irritantur; ergo vt matrimonium, quod cessante impedimento de nouo contrahitur, validè contrahatur, seu reualidetur, necessarium est quòd fiat coram Parocho & aliis testibus.

Palacios. Gutierr. Bar. Ledes. Basilius.

Et confirmatur, quia in Diplomate cruciato conceditur facultas Commissario dispensandi, vt similia matrimonia possint de nouo occultè celebrari; & aliquando Pontifex dispensauit, & Clemens VIII. dispensauit in matrimonio illo particulari, relato Difficultate IX. ergo absque dispensatione nequit fieri sic. 41

Rebellus lib. 2. quæst. 9. Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 3. Sancius lib. 2. disp. 27. & Ægidius disp. 24. dub. 10. partem negatiuam tradunt, quam etiam tradit Nauarrus in Summa cap. 22. num. 7. (vbi refert Pium V. ita declarasse) & meritò: quia in Tridentino sess. 24. c. 1. de Reformat. matrim. vbi irritantur matrimonia facta absque præsentia Parochi & aliorum testium, tantùm intenduntur irritari, & tantùm irritatur (vt ex ipso deducitur) matrimonia clandestina, quæ antiquo Iure prohibita erant, & ex quibus oriri poterant incommoda, præsertim quòd post similia matrimonia cõtracta possint coniuges se deserere, imò & cum aliis contrahere, absque eo quòd Ecclesia possit illis resistere; sed antiquo Iure non erat prohibitum, matrimonium, in facie Ecclesiæ inualidè celebratum ob impedimentum occultum, iterùm clàm reua-

Rebellus. Henriquez. Sancius. Ægidius. Nauarrus. Trident.

42

reualidare: neque ex matrimonio absque Parocho & aliis testibus reualidato, quando anteà fuit coram illis contractum, oriri possunt incommoda prædicta, absque eo quòd Ecclesia possit resistere; quia Ecclesia resistere potest, & resistet, & non permittet coniuges se deserere, nec cum aliis contrahere; cùm nullitas prioris matrimonij coram Parocho & aliis testibus celebrati, nequeat plenè probari; quia defectus aut impedimentum, ob quod fuit nullum, est occultum, vt supponimus: ergo matrimonia, quamuis post Tridentinum, & vbi publicatum est, coram Parocho & aliis testibus inualidè celebrata ob defectum aliquem aut impedimentum occultum, validè iterùm celebrãtur absque noua præsentia Parochi & aliorum testium; quia præsentia antiqua in casu impedimenti aut defectus occulti sufficit ad impedienda dicta incommoda.

43 Vt ergo ad reualidandum matrimonium, anteà nullum, non sit necessarium iterùm coram Parocho & aliis testibus contrahere, non sufficit quòd defectus aut impedimentum sit non publicum, vt indicat Nauarrus, dum absolutè ait, matrimonium dictum non esse iterùm coram Parocho & aliis testibus celebrandum; nec sufficit, quòd defectus aut impedimentum, quamuis sit plenè probabile, non sit plenè probandum, aut quòd non sit periculum quòd plenè probabitur, vt docent Henriquez & Rebellus, sed quòd verè non sit plenè probabile: quia si est plenè probabile, per duos videlicet testes omni exceptione maiores, eo ipso ex posteriori matrimonio possunt oriri dicta incommoda, absque eo quòd Ecclesia possit resistere, ex defectu probationis à Tridentino requisitæ, faciendæ testimonio Parochi & aliorum testium.

Henriquez Rebellus.

44 Ad rationem ergo in oppositum constat, in Tridentino tantùm irritari matrimonia facta absque præsentia Parochi & aliorum testium, sufficiente ad impedienda dicta incommoda; ad hoc tamen sufficit præterita præsentia seu assistentia ad contractum præteritum, nullum ob defectum, qui non potest plenè probari. Et ad confirmationem, concesso Antecedenti, negamus consequentiam; quia in Bullis non rarò conceduntur aliqua non prohibita, neque irritata, & in eis à Pontificibus dispensatur, quando est difficultas aliqua an sint prohibita, aut irritata (vt verè est circa hanc rem) vt ita conscientiæ pacentur.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm ad essentiam & valorem contractus Matrimonij necessarium sit signum externum, expressiuum consensus interni.

45 CONueniunt Doctores, ad contractum matrimonij esse aliquo modo necessaria signa externa, exprimentia mutuum consensum, vt cõstat ex decreto Eugenij IV. habito in Concilio Florentino post vltimam sessionem, & etiam ratione; quia contractus ipse fit ab hominibus: vt autem homines contrahant, sunt aliquo modo necessaria signa externa, vt eis proferant suos consensus, qui sunt essentialiter requisiti ad naturam & valorem contractus. Est tamen difficultas, quomodo signa externa sint necessaria.

Maior in 4. distinct. 26. quæst. 1. docet, signa externa non esse necessaria ad essentiam & valorem contractus matrimonij: esse tamen conditionem necessariam ad hoc, quòd consensus mutuus contrahentium vtrique innotescat. Quod etiam satis indicat Ochagauia Tract. 2. quæst. 9. & probabile censet Vera-cruz 1. p. Speculi art. 3. & deduci videtur ex cap. *Cùm locum.* 14. de Sponsalibus, dum dicitur, *Matrimonium solo consensu contrahitur.* & ex cap. *Tuæ.* 25. eodem tit. dum dicitur, matrimonium in veritate contrahi per legitimum viri & mulieris consensum, sed sunt necessaria verba quantum ad Ecclesiam.

Sancius l. 2. disp. 3. Ægidius disp. 24. dub. 8. Basilius l. 2. c. 6. & cõmuniter Doctores docent, signa externa esse necessaria ad naturam & valorem contractus matrimonij, & absque illis non esse verum contractum, quamuis Deus reuelet mutuum consensum vtriusque eisdem: & meritò, quia est contractus humanus, seu pactio humana; homines autem pacisci non possunt solis consensibus internis absque signis externis; ergo tam signa externa quàm cõsensus pertinent ad essentiam contractus matrimonij, sicut anima interna & corpus externum ad essentiam hominis.

Ex quo etiam constat, signa externa essentialiter requiri ad contractum matrimonij in ratione Sacramenti, in quo Doctores conueniunt; quia contractus ipse institutus est à Christo Domino in Sacramentum, vt dicemus Difficultate xv. Quod etiam est verum in contractu matrimonij per procuratores celebrato, quia nequit essentialiter perfici absque verbis aut aliis signis procuratorum.

In duobus autem capitibus adductis pro aduersariis non condistinguitur consensus internus à signis externis, neque hæc ab essentia contractus excluduntur. Sed in cap. *Cùm locum.* condistinguitur consensus liber, à consensu qui per metum præstatur, & dicitur hunc non sufficere, benè timen priorem. Et in cap. *Tuæ.* condistinguitur consensus verbis expressus, ab illo qui nutibus exprimitur, & dicitur per quemlibet posse fieri matrimonium, quamuis verba sint necessaria, vt clarè constet Ecclesiæ.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm ad naturam & valorem contractus Matrimonij sufficiat quodlibet signum externum expressiuum consensus.

DIfficultas tantùm procedit in his qui loqui possunt; quia in mutis conueniunt Doctores, non esse necessaria verba, sed sufficere quæcumque alia signa, vt constat ex cap. *Cùm apud.* 23. & ex cap. *Tuæ.* 25. de Sponsalibus.

Circa difficultatem ergo Richardus in 4. distinct. 27. artic. 1. quæstio. 1. Bartolus L. *Nuptiæ* vnic. ff. De Regulis Iuris, & plures alij Iurisperiti, quos Sancius refert vbi infrà, docent, in his qui loqui possunt, verba esse necessaria ad valorem contractus matrimonij, non ex Iure naturali, neque diuino Christi, sed Ecclesiastico; quia id decernitur aut supponitur decretum in dicto c. *Tuæ,* dum dicitur, verba esse necessaria quantum ad Ecclesiam.

Valquez

Vasquez. Sancius. Ægidius. Basilius.

Vasquez disp. 3. cap. 7. Sancius lib. 2. disp. 31. Ægidius disp. 24. dub. 8. Basilius lib. 2. cap. 7. & communiter Theologi docent (& benè) ad valorem contractus matrimonij, etiam in potentibus loqui, non esse necessaria verba, sed sufficere quæcumque alia signa, aliàs sufficientia ad exprimendum consensum. Quod supponitur in Decreto Eugenij IV. §. *Septimum Sacramentum*, dum dicitur, causam sufficientem matrimonij (id est vinculi) regulariter esse mutuum consensum verbis

49 expressum. vbi particulâ illâ *regulariter* denotatur, illud posse etiam alijs signis effici: quo declaratur, & quasi limitatur, quoad matrimonium, regula illa generalis, qua anteà dictum fuerat, omnia Sacramenta perfici verbis vt forma, & rebus vt materia. Et ratione probatur, quia in primis verba non sunt necessaria Iure naturali, seu ex natura ipsius contractus; quia contrahentes ex natura rei possunt alijs signis pacisci de mutua corporum traditione, vt nutibus & scriptura, & intentionem seu consensum tradendi mutuum dominium corporum exprimere, vt patet; neque sunt necessaria ex Christi institutione, quia quamuis Christus eleuauerit contractum matrimonij ad esse Sacramenti, nihil tamen innouauit circa naturam illius: neque sunt necessaria ex Iure Ecclesiastico, quia nullum extat, verba præscribens; quia non in dicto cap. *Tuæ*, quia in eo tantùm significatur, verba esse necessaria, vt matrimonium clariùs constet Ecclesiæ; neque in alio loco.

50 Vnde neque verba sunt necessaria, vt contractus matrimonij sit Sacramentum, vt falsò affirmat Canus. Canus 8. de Locis, cap. 5. ad 3. quia Christus, ex cuius institutione valor Sacramentorum dependet, in nullo alio Sacramentum matrimonij instituit, quàm in contractu ipso valido; ac proinde cùm verba necessaria non sint ad valorem contractus, neque erunt ad valorem Sacramenti. quod Eugen. IV. etiam supponit Eugenius IV. in suo Decreto.

Ledesma. Henriquez. Sed an verba sint ex præcepto adhibenda, sub controuersia est, quia Petrus Ledesma quæst. 45. ar. 2. & Henriquez affirmant, ducti dicto cap. *Tuæ*, & alijs: in nullo tamen id præscribitur, & ideò Sancius, Basilius & Ægidius meritò negant. Fatemur, verba esse omnium clarissima, & ideò maximè conuenientia ad rem tanti momenti.

Sancius. Basilius. Ægidius.

Contractus ergo matrimonij validè contrahitur, non tantùm verbis, sed etiam scripturâ aut nutibus, imò etiam taciturnitate puellæ, imò etiam pueri, quando altero contrahente consensum exprimente, pater, vel mater, vel curam gerens puellæ & pueri respondet pro puella vel pro puero,

51 eius consensum exprimendo. Addit Rebellus l. 2. quæst. 10. sect. 1. etiam validè contrahi subarrhatione, id est traditione annuli, alteri qui iam consensit; quod verum existimamus, vbi fuerit in vsu.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm Sponsalia transeant in Matrimonium per copulam subsecutam.

SVpponimus, Iure antiquo ex copula habita post sponsalia, tamquam ex prudenti indicio, piè præsumi ab Ecclesia matrimonium, vt constat ex cap. *Veniens*, 15. & ex cap. *Is qui fidem*, 30. & ex cap. final. de Sponsalibus, quia Ecclesia præsumebat, sponsos iam contraxisse matrimonium, ne præsumeret illos ad non proprium coniugem accessisse (quod non præsumebat ex conatu ad copulam, vt constat ex dicto cap. finali, neque ex cohabitatione, neque ex osculis;) quod etiam nunc præsumitur ab Ecclesia, vbi Tridentinum non viget.

Addidimus, præsumi ab Ecclesia, quia sponsalia per copulam subsecutam non transibant in verum matrimonium, sed tantùm in præsumptum, non solùm quando copula fiebat animo fornicario, vt admittunt Doctores; sed etiam quando fiebat affectu coniugali, vt contra Sancium & Henriquez docent Bassolus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 3. & Basilius lib. 2. cap. 12. & deducitur ex dicto cap. *Is qui*, & ex dicto cap. fin. dum in eis, absque distinctione aliqua affectus, ex quo fieret copula, insinuatur transire in matrimonium præsumptum. Quod etiam constat ex eo, quòd copula, adhuc post sponsalia, non erat signum exprimens consensum sufficientem ad matrimonium; sed tantùm erat indicium pium & prudens contractus facti ante copulam ipsam, aliàs non fuisset factus nisi post copulam habitam; ac proinde copula illa non fuisset licita, neque talis potuisset ab Ecclesia præsumi; quia manifestè esset accessus ad nondum coniugem; ac proinde nec potuisset haberi affectu coniugali. Et quamuis tunc haberetur affectu seu intentione mutuæ traditionis de præsenti, sponsalia non transirent in verum matrimonium; quia quamuis tunc esset sufficiens consensus, non tamen esset sufficiens signum, quia copula non est signum sufficiens.

52 Bassolus. Basilius.

53 Hoc ergo supposito, difficultas est, An post Tridentinum, vbi viget, sponsalia per copulam subsecutam transeant in matrimonium, aut verum, aut præsumptum, iuxta varios modos dicendi circa hoc.

Circa hanc rem certum est, vbi Tridentinum viget, non transire, quando neque sponsalia neque copula fuerint habita coram Parocho & alijs testibus; quia absque eorum præsentia matrimonium neque validè contrahitur, neque præsumi potest ab Ecclesia, quæ iam ad valorem illius requirit prædictorum præsentiam. Et id etiam est certum, quando copula non fuisset habita coram illis, quamuis sponsalia fuissent coram eis habita, quia tunc non assisterent ei, quod habiturum erat rationem signi expressiui (si aliquod tunc fuisset) cui ex Tridentino necessarium est assistere; imò id etiam est certum, quando sponsalia non fuissent habita coram Parocho & alijs testibus, quamuis copula fuisset coram illis habita; quia tunc tantùm possent testificari de copula, & non de sponsalibus; ac proinde non possent testificari, sponsos sibi expressisse consensum, quamuis admittamus, copulam post sponsalia esse sufficiens signum; quia non esset tale, nisi suppositis sponsalibus, de quibus non possunt testificari vt testes oculati.

54 Est ergo difficultas, An sponsalia transeant in matrimonium, siue verum siue præsumptum, quando ipsa & copula habita sunt coram Parocho & alijs testibus.

Sancius. Henriq. Sancius lib. 3. disp. 40. & Henriquez lib. 11. c. 3. docent, transire in matrimonium; quia ex vna parte copula post sponsalia est sufficiens signum expressiuum consensus coniugalis, vt deduci videtur ex dictis capitibus, aliàs Ecclesia non posset ex ea copula matrimonium præsumere, & ex altera

parte, ipsa & sponsalia fiunt coram Parocho & testibus; ergo etiam post Tridentinum sponsalia transeunt in matrimonium, copula subsecuta, siue verum siue præsumptum.

Ægidius. Ægidius verò disp. 21. num. 21. & alij Doctores docent (& meritò) non transire in matrimonium adhuc præsumptum, quod declarauit Congregatio Cardinalium, vt habetur apud Rebellum n. 42. Et *Rebellus.*
55 in primis nō transire in verum matrimonium, constat: quia copula, adhuc præsuppositis sponsalibus, non erat neque est verum signum consensus, vt suprà dicebamus; sed tantùm erat prudens indicium contractus ante copulam, ipsam facti; ergo quamuis ipsa & copula fiant coram Parocho & alijs testibus, non transibunt in matrimonium; verum non ex defectu præsentiæ, sed ex defectu signi exterioris, absque quo nequit fieri contractus matrimonij. Quòd verò neque transeat in matrimonium præsumptum, probatur; quia post Tridentinum, vbi viget, ad valorem contractus matrimonij requiritur, quòd fiat coram Parocho & alijs testibus; copula autem, adhuc præsuppositis sponsalibus, non est indicium quòd contractus fuerit factus coram Parocho & alijs testibus, quia neq; erat antè Tridentinum, ergo Ecclesia ex illa, quamuis habita coram Parocho & alijs testibus, & post sponsalia etiam coram eisdem facta, non præsumet contractum matrimonij factum, vbi Tridentinum viget, quia eo ipso quòd requisiuit præsentiam Parochi & aliorum testium, & præcepit Parocho, vt nomina testium, & coniugum, diemque & locum celebrationis contractus scribat, & apud se custodiat, non vult matrimonium præsumi, nisi expressione consensus coram prædictis facta, & aliter potiùs præsumetur peccatum in copula.

56 Obseruandum est, sponsalia non transire in matrimonium ex eo, quòd iuramento confirmentur, adhuc vbi Tridentinum non viget: quia non transeunt Iure naturali, vt constat; quia iuramentum additum contractui, eum non mutat ex natura rei, quamuis illum confirmet superaddita obligatione religionis, orta ex ipso iuramento: neque transeunt Iure positiuo; quia non Iure antiquo habito in Can. *Si quis, diuinis.* 30. quæst. 5. vbi dicitur: *Si quis, diuinis tactis, iurauit mulieri legitimam se eam vxorem habiturum, sit illa legitima vxor.* quia in hoc Canone non significatur, illam ex tunc esse vxorem iurantis, sed iurantem teneri ad illam ducendam, vt particulâ illâ *sit* denotatur; nec Iure habito in cap. *Ex parte.* 9. de Sponsalibus, quia in eo tātùm agitur de verbis de futuro, æquiualentibus verbis de præsenti, ratione particulæ *ab eo tempore*, quibus non fiunt sponsalia, sed matrimonium: sponsalia ergo iuramēto stabilita, quamuis facta coram Parocho & alijs testibus, non transeunt in matrimonium, adhuc præsumptum, post Tridentinum, sicut neque ante illud.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm contractus Matrimonij baptizatorum in eorum absentia fiat validè per procuratores.

57 COnueniunt Doctores, contractum matrimonij non tantùm antiquitus potuisse validè in absentia per procuratores celebrari, vt constat ex cap. fin. de Procuratoribus, in 6. sed etiam modò post Tridentinum, etiam vbi viget, vt constat ex praxi Ecclesiæ, dummodò vbi viget celebretur per procuratores coram Parocho & alijs testibus; quia Tridentinum quoad hoc supra id, quod ante ipsum sufficiebat tantùm, requisiuit præsentiam Parochi & aliorum testium.

Vt verò contractus matrimonij per procuratores validè celebretur, tria in dicto cap. requiruntur. Primò, quòd procurator habeat specialē commissionem ad id. Secundò, quòd procurator id per se ipsum efficiat; quia nequit alterum substituere, nisi id expressè habeatur in commissione. Tertiò, quòd commissio non sit reuocata tempore quo celebratur contractus: quia si reuocata sit, quamuis solùm internè, etiamsi procurator reuocationem ignoret, nihil fit; quia si reuocata est, quamuis solùm internè, procurator nequit consentire nomine principalis; quia reuocauit commissionem. Potest tamen procurator solis verbis absque scriptura assignari; & non est necessarium, adhuc post Tridentinum, quòd procuratoris assignatio fiat coram Parocho & testibus; imò neque quòd eis ostendatur, quando fit contractus, dummodò contractus ipse coram ipsis per procuratores celebretur.

Et eodem modo, non tantùm antiquitus potuit contractus matrimonij per epistolam validè celebrari, vt patet ex L. *Mulierem.* ff. De ritu nuptiarum, in quo Doctores conueniunt, sed etiam modò post Tridentinum, vt contra vtrumque Leitmam & Manuelem Rodriguez docent Sanctus l. 2. disp. 12. Ægidius disp. 24. dub. 9. Henriquez, Molina, & Vega; quia per epistolam potest quis proprium consensum coram Parocho & alijs testibus exprimere, & ex tunc per eamdem alterius consensum, si verè consentiat, coram eisdem acceptare; quod sufficienter fiet his verbis scriptis, *Accipio te in meum coniugem*: sicut etiam eisdem verbis prolatis sufficienter fit, quamuis à priori contrahente (siue verbis scriptis siue voce prolatis) fiat traditio, & acceptatio sub conditione tacita, si scilicet tu etiam tradideris, & acceptes meam traditionem, & à posteriori vtraque fiat absolutè. Id autem quod dictum est de contractu matrimonij per epistolam celebrato, quòd scilicet sit validus, etiam ob eamdem rationem est verum de eo celebrato per nuntium.

Est tamen obseruandum, eum, cui mittitur epistola aut nuntius, exprimens cōsensum ipsius mittentis, etiam debere suum consensum & acceptationem traditionis sibi factæ à mittente exprimere ipsi mittenti, vel per alteram epistolā, vel per nuntium; quia illi facienda est expressio (quia cum eo contrahitur) siue in sua persona, siue alteri habenti commissionem ad id, vt solet habere nuntius: & tunc quando habet, quoad hoc nuntius, & quilibet alius assignatus, habet rationem procuratoris, quia ei nomine alterius exprimitur: imò etiam quoad expressionem exteriorem factam ab ipso nuntio, habet rationem procuratoris; quia nomine mittentis exteriùs exprimit consensum illius, quamuis non quoad consensum, quia non consentit nomine illius.

Celebratur autem contractus per epistolam eisdem verbis scriptis, quibus voce prolatis celebratur in præsentia: per nuntium verò celebratur referendo & exprimendo, vt nuntius est, nomine mittentis consensum ipsius, dicendo, v. g. *Petrus*

mittit

mittit me, vt suo nomine nuntiem tibi, ipsum te velle in vxorem. Vnde, quando fit medio nuntio, aut mediâ epistolâ, necessarius est in ipso mittente consensus, & non reuocatus; quia tunc nullus consentit nomine mittentis: at quando fit per procuratorem, qui quoad omnia est procurator, sufficit & requiritur, quòd procurator ipse nomine principalis, commissione ab ipso accepta, expresè consentiat pro illo, & consensum hunc exteriùs exprimat; quia principalis illi committit integrũ contractum, quoad consensum videlicet & quoad expressionem illius, quoad omnia se remittens voluntati illius. Vnde contractus matrimonij à procuratore his verbis, aut æquiualentibus, celebrandus est, *Ego nomine Petri* v.g. *contraho tecum matrimonium*, vel, *Nomine Petri te accipio in eius vxorem.*

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm Matrimonium baptizatorum sit propriè Sacramentũ gratiam conferens.

61 *Durandus.* CAtholici contra hæreticos, quibus fauere videtur Durandus in 4. dist. 26. quæst. 3. art. 2. conueniunt, matrimonium baptizatorum esse propriè Sacramentum gratiam conferens, à Christo *Eugen. IV. Trident.* Domino institutum; quod definiuit Eugenius IV. in suo Decreto fidei, & Tridentinum sess. 7. can. 1. & sess. 24. cap. 1. & can. 1. Quod antè significauerant non tantùm Gregorius, sed etiam Leo I. Chry- *Gregorius. Leo I. Chrysost. Ambros. Siric. Pap. Innoc. III. Bellarmin. Vasquez.* sostomus, Ambrosius, & Augustinus, Siricius Papa, & Innocentius III. Gregorio antiquiores, dum matrimonium appellant Sacramentum, & de eo vt de Sacramento tractant, quos referunt Bellarminus de Matrimonio cap. 3. & Vasquez disp. 2. Quod etiam constat ex perpetua traditione, cui Ecclesia innixa id definiuit. Quæ autem intentio necessaria sit in contrahentibus, vt efficiendo contractum matrimonij, eum efficiant Sacramentum, diximus Difficultate VIII.

62 *Vasquez. Ægidius.* Plura contra hanc veritatẽ obijciunt hæretici, quæ omittimus, quia facilia sunt, & videri possunt apud Vasquez vbi suprà, & apud Ægidium disp. 24. dub. 2.

Addidimus, matrimonium baptizatorum esse propriè Sacramentum, quia matrimonium non baptizatorum, quamuis fidelium, non est propriè Sacramentum, quia ante Baptismũ, vtpote ianuam reliquorum Sacramentorum, nullum potest recipi *Vasquez. Ægidius.* Sacramentũ; imò, vt optimè Vasquez disp. 5. n. 68. & Ægidius contra Sancium lib. 2. disp. 9. & contra alios, contractus celebratus ante Baptismum non fit posteà Sacramentum gratiam conferens, quamuis repetatur consensus, & eius exterior expressio:

63 quia quamuis hæc repetitio fiat, non fit de nouo contractus (in quo Sacramentum matrimonij consistit;) quia iam supponitur ante Baptismũ factus. Fatemur, vinculum matrimonij consummati fieri per Baptismum vtriusque coniugis omnino indissolubile, quia post Baptismum nulla causa, adhuc fidei, dissolui potest.

Vasquez. Ægidius. Obseruandum ergo est, vt aduertunt Vasquez & Ægidius, matrimonium sumptum pro contractu, & non pro vinculo, institutum esse in Sacramentum gratiam conferens; quia gratia non confertur ab ipso vinculo causato à contractu, quando fit ipse contractus; quia frustrà institueretur in Sacramentum aliquid permanens & perseuerans, quod postquam factum est, non confert gratiam; ac proinde solus contractus ipse institutus est in Sacramẽtum gratiam conferens. Fatemur, matrimonium sumptum pro vinculo relicto ex contractu, esse Sacramentũ latiori significatione; quia vt sic est signum rei sacræ; quia vt sic, ob indissolubilitatem, quam ex se habet, repræsentat vnionem indissolubilem Christi cum Ecclesia in incarnatione factam.

Vnde in matrimonio contractus ipse est Sacra- 64
mentum tantùm, gratia verò Sacramentalis est res Sacramenti tantùm, quia tantùm est effectus; vinculum verò ipsum est res & Sacramentum simul. est quidem res Sacramenti, quia est effectus ipsius contractus, cui conuenit ratio Sacramenti; & est Sacramentum (quamuis tantùm latè) quia ob sui indissolubilitatem significat coniunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm Matrimonium baptizatorum, per procuratores celebratum, sit propriè Sacramentum gratiam conferens.

BAssolis in 4. d. 27. q. 1. art. 1. Caietanus Opusc. de Matrimonio, q. 1. Canus 8. de Locis c. 5. & Victoria in Summa, num. 244. partem negatiuam tuentur (& idem est de matrimonio per epistolam aut per nuntium celebrato.) Probati autem potest, Primò, quia pœnitentia requirit præsentiam ad absoluendum; quia in eius forma dicitur, *Ego te absoluo*, sed etiam in matrimonio dicitur, *Ego te accipio in coniugem*: ergo etiam requirit præsentiam contrahentium. Secundò, quia effectio Sacramenti est actus personalis, vt in alijs Sacramentis patet; ergo matrimonium celebratum per alterum, non est propriè Sacramentũ. Tertiò, quia aliàs dormiens posset gratiam recipere, si ipso dormiente, & existente in gratia, fieret matrimonium à suo procuratore; imò etiam dormiens posset peccare, si ipso dormiente, & existente in peccato mortali, fieret à suo procuratore. 65 *Bassolis. Caietanus. Canus. Victoria.*

Vasquez verò disp. 3. c. 4. Sancius l. 2. disp. 11. 66
Ægidius disp. 24. dub. 2. & Basilius c. 10. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia Christus absque restrictione aliqua instituit matrimonium legitimum in Sacramentum, vt deducitur ex Florentino & Tridentino, dum absolutè & absque limitatione definiunt, matrimonium baptizatorum esse Sacramentum; matrimonium autem per procuratores celebratum est verum & legitimum, ergo est Sacramentum propriè. Et ob eamdem rationem, matrimonium per epistolam aut per nuntium celebratum, est propriè Sacramentum, quia scilicet est verum & legiumum matrimonium. *Vasquez. Sancius. Ægidius. Basilius.*

Ad primam ergo rationem aduersariorum concedimus Antecedens, & negamus Consequẽtiam, ob disparitatem inter dicta verba absolutionis, & inter dicta verba matrimonialia: quia verba illa absolutionis sunt determinatè requisita ex Christi institutione, & ad eorum veritatem requisita est præsentia; verba verò illa, *Ego te accipio in coniugem*, non sunt determinatè requsita, quia sufficiunt quæcumque verba, & quæcumque signa, quibus exprimatur cõsensus traditionis dominij corporis: & quia consensus & traditio esse possunt inter absentes, & etiam expressio consensus, siue per epistolam siue per verba nuntij vel procuratoris etiam consentientis commissione & nomine principalis, ideò contractus matrimonij, & consequenter Sa- 67

cramentum (quod in solo contractu valido fundatur) potest in absentia fieri, non verò absolutio Sacramentalis.

Ad secundam respondemus, actiones aliorum Sacramentorum ex institutione Christi esse personales, non verò actiones Sacramenti matrimonij; quia istud instituit in solo contractu, cuius actiones non sunt necessariò personales, saltem exterior expressio.

Ad tertiam respondemus, posse, & non esse inconueniens, illum dormientem recipere gratiam (vt etiam contingit, quando quis in infirmitate dormiens aut amens absoluitur, & extremè vngitur) obligari tamē sub mortali, vt sit in statu gratiæ eo tempore, quo prudenter iudicat celebrandum esse contractum, & peccare mortaliter (si non sit in gratia) vel tunc quando iuxta prudens iudicium ipsius celebrandū est, si sit in vigilia, aut si dormiat, non quando dormit, sed quando præuidens defectum gratiæ, & futurum somnum tempore contractus, dedit causam somno, iuxta doctrinam communem in Tractatu de Peccatis.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm Matrimonium inter baptizatum & non baptizatum, sit propriè Sacramentum gratiam conferens.

68 DIfficultas procedit ex suppositione, quòd inter baptizatum & non baptizatum possit validè fieri matrimonium, vt ex dispensatione fieri posse, dicemus Disput. XXIII.

Certum est, non esse Sacramentū ex parte coniugis non baptizati, quia iste ex defectu Baptismi est incapax aliorum Sacramentorum. Est ergo difficultas, An sit Sacramentum ex parte baptizati.

Rebellus. Sotus. Catherin. Rebellus lib. 3. q. 9. Sotus & Catherinus partem affirmatiuam tuentur; quia ex vna parte baptizatus est capax Sacramenti, & ex altera verū efficit contractum cum non baptizato; contractui autem verò baptizati conuenit ratio Sacramenti.

69 *Vasquez. Ægidius.* Vasquez verò disp. 2. n. 113. & Ægidius disp. 24. dub. 2. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Christus tantùm instituit in Sacramentum, integrum & perfectum contractum matrimonij, quia tantùm contractus integer est matrimonium, & tantùm in matrimonio illud instituit: in solo autem baptizato non est integer & perfectus contractus matrimonij, sed in vtroque coniuge. vnde in vtroque coniuge, quando vterque est baptizatus, est vnum tantùm Sacramentum, sicut & vnus tantùm integer contractus. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

DIFFICVLTAS XIX.

Vtrùm inter baptizatos possit celebrari Matrimonium, quod non sit propriè Sacramentum.

70 *Ledesma. Sancius. Ægidius.* PEtrus Ledesma quæst. 42. art. 1. dub. 7. Sancius lib. 2 disp. 10. & Ægidius disp. 24. dub. 2. docent, non posse inter baptizatos validè celebrari contractum matrimonij, qui non sit propriè Sacramentum: quia Christus inseparabiliter addidit contractui baptizatorum rationem Sacramenti, vt deduci videtur ex eo, quòd Eugenius IV. & Tridentinum absolutè & absque vlla limitatione dicunt, matrimonium baptizatorum esse Sacramentum; ac proinde nullum esse validum matrimonium, quod non fiat Sacramentum.

Vasquez verò 3. par. disp. 138. num. 63. Rebellus lib. 2. quæst. 5. & Basilius lib. 1. cap. 9. docent, posse inter baptizatos validè celebrari contractum matrimonij, qui non fiat Sacramentum, & meritò: quia absque fundamento dicitur, Christum ita inseparabiliter addidisse contractui baptizatorum rationem Sacramenti, vt deficiente ratione Sacramenti ex defectu intentionis efficiendi Sacramentum, vel aliter, instituerit contractum ipsum irritum euadere. Erit tamen sacrilegium contra reuerentiam Sacramento debitam, contractum absque ratione Sacramenti celebrare; quia id erit actionem Sacramentalem irritare.

Eugenius autem IV. & Tridentinum absolutā illa locutione tantùm significant, Christum omnem contractum matrimonij baptizatorum validum, absque aliqua exceptione, in Sacramentum instituisse; quod non tollit, posse non fieri Sacramentum, si desit intentio requisita: sicut contingere potest, quòd ablutio & prolatio verborum Baptismi, quas absque exceptione aliqua Christus in Sacramentum instituit, non fiant Sacramentum ex defectu intentionis requisitæ.

DIFFICVLTAS XX.

Vtrùm Matrimonium, ante legem gratiæ in lege naturæ & veteri, fuerit propriè Sacramentum gratiam conferens.

PEtrus Sotus de Instit. Sacerdot. lect. 2. de Matrimonio, Henricus VIII. Rex Angliæ, Rossensis, Castro, & Catherinus partem affirmatiuam tuentur, Primò, quia Deus Genes. 1. benedixit coniugio Adami, & in eo reliquis, dum dixit, *Crescite & multiplicamini*; benedictio autem Dei gratiam operatur. Secundò, quia ad Ephes. 5. matrimonium ab initio mundi dicitur Sacramentum.

Vasquez verò disp. 2. cap. 3. Ægidius disp. 24. dub. 2. Rebellus lib. 2. quæst. 3. & iam communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò; quod definitum videtur ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei, dum distinguit Sacramenta nouæ legis (inter quæ numerat Matrimonium) à Sacramentis veteribus, in eo, quòd illa conferant gratiam, vetera verò minimè: & Tridentinum sess. 24. decreto anteriori ad Canones, dum docet, matrimonium in lege Euangelica gratiam præstare veteribus connubijs; & can. 1. dum damnatur, qui dixerit matrimonium non esse Sacramentum à Christo institutum; quasi dicat, nouiter & primò. Quod etiam constare videtur ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam nonnulli ex Patribus scriptam reliquerunt, vt affirmat Vasquez cap. 4.

Ad prius ergo fundamentum aduersariorum respondemus, benedictionem illam fuisse ad corporalem multiplicationem, & non ad gratiam spiritualem; quia similis benedictio data fuit ceteris animantibus gratiæ incapacibus. Et ad posterius respondemus, matrimonium, etiam ab initio mundi

di dici à Paulo Sacramentum, non quia ex tunc gratiam conferat, & sit propriè Sactamentum; sed quia ob suiindissolubilitatem repræsentat coniunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, ex quo habet esse latè Sacramentum, quod etiam modò conuenit matrimonio gentilium.

DIFFICVLTAS XXI.

Quæ sit materia & quæ sit forma in Sacramento Matrimonij.

74 *Eugen. IV.* QVia Eugenius IV. in suo Decreto fidei, definiens, omnia Sacramenta nouæ legis tribus perfici, rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma, & persona ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, hæc tria in alijs Sacramentis assignauit, & non in Sacramento matrimonij; ideò Doctores de illis inquirunt.

Catherin. In primis Catherinus Opusculo de Matrimonio quæst 1. docet, materiam in Sacramento matrimonij esse signa externa, quibus contrahentes exprimunt suos consensus; & formam in quolibet matrimonio esse verbum illud Dei, sanctificans matrimonium, quamuis semel tantùm fuerit prolatum, quod habetur Genes. 2. & Matth. 19. *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adharebit vxori suæ.* Modus tamen iste dicendi communiter reijcitur, & meritò, quia ad nouum & distinctum Sacramentum, & ad nouam & distinctam materiam requiritur noua forma nouiter repetita; ergo verbum illud, quod in rigore fuit semel tantùm prolatum, & vnum numero, nequit esse forma pro pluribus & omnibus matrimonijs.

75 *Canus.* Secundò, Canus 8. de Locis, cap. 5. docet, materiam in Sacramento matrimonij esse actus contrahentium, nempe consensus & signa externa quibus exprimuntur, & formam esse verba illa Sacerdotis, *Ego vos coniungo.* Modus tamen iste dicendi non benè audit, & facilè reijcitur ex decreto Eugenij IV. dum loquens de Sacramento matrimonij, ait: *Causa efficiens matrimonij* (id est vinculi, orti ex ipso contractu eleuato ad Sacramentum) *regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, & nullam aliam causam assignat. Sentit ergo, consensum contrahentium, & eius exteriorem expressionem, & non verba Sacerdotis, perficere Sacramentum matrimonij. Quòd si verba Sacerdotis non perficiunt hoc Sacramentum, neque erunt forma illius; ac proinde neque actus contrahentium erunt materia.

76 *Richardus. Victoria.* Tertiò, Richardus in 4. dist. 26. art. 4. quæst. 2. & Victoria in Summa num. 245. docent, verba prioris contrahentis esse materiam, vtpote præsupposita & determinabilia per posteriora posterioris contrahentis; & verba huius, esse formam, vtpote determinantia verba prioris. Modus etiam iste dicendi non probatur; quia in hoc Sacramento semper est eadem materia & forma assignanda, quia semper est vnum & idem secundùm speciem; & tamen quando contrahentes simul tempore proferrent verba suorum consensuum expressiua, in Sacramento matrimonij sic facto non posset dicto modo materia & forma assignari: ergo neque quando vnus post alterum exprimit suum consensum. Aut saltem modus iste est insufficiens, quia pro casu dicto non assignat materiam & formam.

Quartò, Sancius l. 2. disp. 5. & Suarez in 3. par. Tom. 3. disp. 2. sect. 1. & Ægidius disp. 24. dub. 3. docent, verba, aut alia signa vtriusque contrahentis exprimentis mutuum consensum, aut quod idem est, mutuum consensum exteriùs expressum, esse materiam & formam, secundùm diuersam rationem. Esse videlicet materiam, quatenus significant mutuam corporum traditionem; & esse formam, quatenus significant mutuam corporũ acceptationem: quia vt significantia mutuã traditionem, determinantur per eadem vt significantia mutuam acceptationem, sicut acceptatio determinat & perficit traditionem; quia proprium est materiæ, determinari per formam; & formæ, determinare materiam. Modus iste dicendi etiam non probatur, 77 quia est contra Eugenium IV. in suo Decreto, dum ait, omnia Sacramenta perfici rebus vt materia, & verbis vt forma; quia nomine *rerum* intelligit propriè res, vt distinctas à verbis & ab alijs signis, & nomine *verborum* intelligit propriè verba prout distincta à rebus, imò & ab alijs signis: quia quando pro causa efficiente matrimonij assignauit consensum per verba expressum, addidit *regulariter*, quia aliquando exprimitur per nutus & scripturam; prædicti autem Doctores constituunt materiam in verbis, aut in alijs signis prout distinctis à rebus, & nõ in rebus prout destinctis à verbis & ab alijs signis. Secundò, quia essentia Sacramenti matrimonij pro materiali totali (pro quo vt sic in omnibus Sacramentis assignatur materia & forma) sita est à Christo in contractu ipso, in quo non est materia & forma vt ab his Doctoribus assignatur, sed vt postea assignabitur.

Quintò, Nauarrus cap. 22. n. 20. & Rebellus 78 *Nauarrus. Rebellus.* lib. 2. quæst. 4. sect. 3. docent, consensum internum vtriusque esse materiam, & signa externa quibus exprimitur, esse formam. Sed etiam modus iste non probatur, quia tota materia Sacramenti humani & sensibilis nequit esse insensibilis, qualis est consensus internus.

Sextò, Maior in 4. dist. 26. quæst. 1. docet econtrà, signa externa, exprimentia consensum, esse materiam; & consensum ipsum esse formam. Sed hic etiam modus non probatur, quia forma Sacramenti quoad totum suum esse, nequit esse insensibilis, vt est consensus. *Maior.*

Septimò ergo Vasquez disp. 2. cap. 5. & Basilius lib. 1. cap. 7. docent, materiam in hoc Sacramento matrimonij, esse corpora contrahentium; consensus verò, & eorum expressiones exteriores, esse formam, quod indicant Adrianus in 4. q. 1. de Matrimonio, & Couarruuias 2. part. cap. 1. §. vnic. & meritò; quia Sacramentum pro materiali adæquato, quod subest significationi Sacramentali gratiæ (pro quo in omnibus Sacramentis assignatur materia & forma) in nullo alio consistit, 79 quàm in contractu ipso matrimonij: in hoc autem corpora contrahentium, & ipsorum corporum traditiones & acceptationes, vtpote res circa quas versatur pactio ipsa matrimonij coalescens ex consensu & ex eius expressione, sunt materia: consensus verò, & eius expressio exterior, vtpote versantes circa corpora tamquam circa materiam remotam, & circa eorum traditionem & acceptationem tamquam circa materiam proximam, sunt forma; vt contingit in reliquis contractibus, in quibus res circa quas versantur, & de quibus fiunt, sunt materia circa quam; pactio verò ipsa, seu con-

Vasquez. Basilius. Adrianus. Couarru.

tractus ipse, est forma, quamuis in eo tantùm sensu, in quo aliquid dicitur forma, quia versatur circa materiam.

80 Vnde Sacramentum matrimonij pro materiali adæquato (cui ex institutione Christi inest significatio gratiæ) intrinsecè & essentialiter tantùm constat mutuo contrahentium consensu, & mutuis signis exterioribus, quibus consensus mutuus exprimitur. Quod Eugenius IV. significauit, dum non agnouit aliam causam, efficientem vinculi matrimonij, quàm mutuum consensum, & eius expressionem; quia vinculum ex contractu ipso, & ex materiali adæquato Sacramenti oritur: consensus autem ex vna parte, & signa exteriora ex altera, in contractu matrimonij (sicut in quocumque alio) non se habent sicut materia & forma, sed sicut significatum & signum; corpora ergo sunt obiectum indirectum, & materia remota, circa quam contractus matrimonij; traditio verò & acceptatio corporum non verbalis, sed realis, sunt obiectum directum, & materia proxima, & simul primarius & proximus effectus ipsius contractus; ac proinde tam corpora, quàm eorum traditio & acceptatio realis, sunt quid extrinsecum ipsi contractui matrimonij, & consequenter ipsi Sacramento matrimonij, adhuc sumpto pro materiali.

Neque hoc, quod dicimus, Sacramentum matrimonij non constare intrinsecè materia, est contra Eugenium IV. dicentem, omnia Sacramenta noua perfici rebus vt materia, & verbis vt forma; quia nomine materiæ, imò & formæ, non intelligit partes intrinsecas Sacramentis: vt constat in
81 Sacramento Eucharistiæ, in quo pro materia assignauit panem & vinum, & pro forma, verba consecrationis; & tamen non constat intrinsecè pane & vino, imò neque verbis consecrationis, sed tantùm speciebus Sacramentalibus, & ad summum etiam Corpore & Sanguine Christi, & ob id Eugenius abstinuit à verbo *constat*, quo aliquid intrinsecum denotatur, & vsus est verbo *perficitur*, quo etiam denotatur aliquid extrinsecum, vt causa efficiens; & sic addidit, Sacramenta etiam perfici personâ ministri, quam constat esse extrinsecam cuicumque Sacramento. Quomodo verò conditio de futuro contingenti, apposita contractui matrimonij, non obstet valori illius in ratione Sacramenti, dicimus Tractatu de Sacramentis in genere, Disputatione IV. Difficultate VI.

DIFFICVLTAS XXII.

Quis sit minister in Sacramento Matrimonij.

Catherin. CAtherinus Opusculo de Matrimonio q. 1. qui affirmauit, verbum illud Dei, *Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ*, esse formam in Sacramento matrimonij, consequenter affirmat, Deum esse mi-
Canus. nistrum in eo. Et Canus 8. de Locis, cap. 5. ad 3. qui affirmauit, verba Sacerdotis, nempe, *Ego vos coniungo*, esse formam Sacramenti matrimonij, consequenter affirmat Sacerdotem esse ministrum illius.

82 Nihilominùs reliqui Doctores contra Catherinum & Canum conueniunt, ministrum in Sacramento matrimonij esse ipsos contrahentes, & non Deum, neque Sacerdotem. Ita Sancius l. 2. disp. 6. & Ægidius disp. 24. dub. 3. & meritò: quia ipsi contrahentes sunt qui efficiunt contractum, & non Sacerdos, neque Deus speciali aliquo modo; ergo & Sacramentum ipsum, quod in solo contractu positum est. Sunt autem ambo vnus minister totalis, & duo partiales; quia sic concurrunt ad efficiendum contractum: sensus autem dictorum verborum Sacerdotis est, Ego vos declaro coniunctos, aut, Ego approbo vestram maritalem coniunctionem.

Et contrahentes non tantùm sunt ministri, quando per se ipsos immediatè efficiunt contractum matrimonij, sed etiam quando fit per procuratores, ipsi, & non procuratores, sunt ministri, vt aduertunt Vasquez disput. 3. num. 8. & Basilius libr. 1. cap. 10. quia etiam tunc ipsi sunt qui moraliter dicuntur contrahere: quia quamuis procuratores, & non ipsi, physicè eliciant consensus, & eos exprimant; quia tamen eos eliciunt & exprimunt virtute & commissione ipsorum principalium, & nomine eorum, & pro eis & non nomine proprio, neque pro se ipsis; ideò ipsi principales sunt, qui moraliter dicuntur absolutè contrahere, & non procuratores, nisi cum addito, nempe instrumentaliter, seu vt ministri instrumentales. Dicuntur autem ministri instrumentales, non solùm quia virtute & commissione principalium contrahunt, sed etiam quia pro ipsis principalibus contrahunt, eis accipientes alterum in coniugem, & non sibi. Vnde consensus, & eorum expressiones, vt fiunt à procuratoribus nomine principalium, & pro eis, & vt ad eos moraliter pertinent, dicuntur ad essentiam contractus & Sacramenti pertinere; ob quod principales, pro quibus & quorum commissione fit contractus, non tantùm sunt qui moraliter dicuntur efficere contractum & Sacramentum, sed etiam contractum & Sacramentum suscipere; quia ipsi non tantùm censentur moraliter consentire & verba proferre, sed etiam ea in se habere & suscipere, & non procuratores.

Ex quo fit, neque procuratores, neque Sacerdotem teneri esse in statu gratiæ, quando fit Sacramentum matrimonij; quia Sacerdos nullatenus illud efficit, neque suscipit; & procuratores non censentur illud efficere, neque suscipere: quia tamen ipsi principales illud efficiunt & suscipiunt, ideò tenentur esse in statu gratiæ, & quia illud efficiunt, & quia illud suscipiunt. Vnde peccant mortaliter, illud in mortali celebrantes, non solùm quia illud suscipiunt (in quo conueniunt Doctores) sed etiam quia illud efficiunt, vt contra Sancium disp. 6. docet Vasquez 3. par. disp. 136. num. 38. quia quamuis non sint ministri consecrati, sunt tamen verè ministri, & per se, ex institutione Christi; ac proinde illud in mortali efficiendo, irreuerenter tractant, & non leuiter, sed grauiter: imò censemus, eos tunc duplex peccatum mortale numero distinctum committere; quia quamuis illud efficere & suscipere in peccato mortali eodem modo specifico opponantur religioni, sunt tamen quasi duo actus diuersi, ac proinde duo peccata numero distincta.

Quòd si quando matrimonium per procuratores fit, ipsi coniuges sunt ministri, multò melius erunt, quando contrahunt per epistolas & per nuntios; quia tunc ipsi sunt qui physicè consentiunt,

tiunt, imò, qui per epistolas contrahunt, etiam exprimunt consensus: ac proinde quando fit per epistolas, consensus coniugum, & scripturæ quibus exprimuntur, pertinent ad essentiam contractus & Sacramenti; & quando per nuntios, consensus coniugum, & verba nuntij nomine coniugum prolata, etiam pertinent ad essentiam contractus & Sacramenti.

Et quamuis procurator & nuntius sint instrumenta, quibus principales contrahunt; quia tamen sunt instrumenta humana, & nō insensibilia, vt est scriptura, ideò procurator & nuntius in amentia aut in ebrietate non possunt validè celebrare matrimonium, quidquid dicant Vasquez & Basilius, quia vterque, vtpote instrumentum humanum, humano modo exercere debet officium suum. 86

DISPVTATIO IV.

De institutione & obligatione contractus Matrimonij.

DIFFICVLTAS I.

A quo fuerit institutus contractus Matrimonij.

1 DIFFICVLTAS non est de institutione contractus matrimonij in Sacramentum, quia huius Sacramenti institutio, sicut reliquorum nouæ Legis, absque dubio fuit à Christo Domino facta; sed est de institutione ipsius contractus vt contractus est, quo mutuum dominium corporum traditur, & est materiale adæquatum, cui ex Christi institutione inest significatio Sacramentalis gratiæ sanctificantis.

Conueniunt ergo communiter Doctores, contractum matrimonij fuisse à Deo institutum; quod
Bon. VIII. tradidit Bonifacius VIII. in cap. vnico de Voto & voti redemptione, & insinuatur Matth. 19. illis verbis: *Quod ergo Deus coniunxit, homo nō separet.*

2 Pro huius communis doctrinæ intelligentia obseruandum est, institutionē contractus matrimonij posse dupliciter sumi: vno modo, pro ordinatione vel quasi ordinatione, qua ordinetur vel quasi ordinetur, contractum matrimonij posse fieri; altero modo, pro prima executione, vel celebratione contractus matrimonij.

Hoc ergo supposito, vt optimè Vasquez disp. 1. cap. 2. institutio contractus matrimonij, sumpta priori modo, non fuit facta à Deo, neque ab hominibus, noua aliqua voluntate, aut ordinatione superaddita creationi naturæ humanæ; sed ex natura rei, seu ex natura ipsa humana, eius creatione supposita: quia supposita hominum creatione, est in ipsis facultas ad celebrandum contractum matrimonij, seu ad permutanda corpora ad prolis generationem, independenter à noua aliqua ordinatione Dei & hominum, superaddita creationi ipsorum, non minùs quàm ad permutandas quaslibet alias res. Institutio verò contractus matrimonij sumpta posteriori modo, nempe pro prima executione seu celebratione, verè fuit facta à primis parentibus liberè consentientibus, & non à Deo independenter ab eorum consensu, vt diximus Disputatione præcedenti, Difficultate IV.

3 Nihilominùs Deus verè dicitur contractum matrimonij instituisse institutione vtroque modo sumpta. Dicitur enim primo modo illū instituisse, quia Deus est auctor naturæ humanæ, cui eo ipso, secluſa quacumque alia superaddita ordinatione, inest facultas ad contrahendum matrimonium. Dicitur etiam posteriori modo instituisse contractum matrimonij, tum quia Deus peculiariter excitauit interiùs primos parentes ad executionem seu celebrationem contractus matrimonij, quę fuit prima; & forsan etiam exteriùs suasit ad id, vt deduci videtur ex eo, quòd, postquam Deus dicitur adduxisse Heuam ad Adam, statim subditur Adam in illa verba prorupisse: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* quibus Adam vel consensum præbuit ad matrimonium, vel iam factum supponebat, vt deducitur ex sequentibus verbis, *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* ex quo apparet, Deum ad hoc adduxisse Heuam ad Adam. Tum etiam, quia eorum contractum approbauit, ei benedicendo, Genesis 1. *Crescite & multiplicamini:* quæ verba, quamuis Genes. 1. referātur, credendum est ibi per anticipationē referri, & prolata fuisse à Deo postquam Adam Genes. 2. dixerat verba iam relata.

Deus ergo dicitur contractum matrimonij in- 4
stituisse, & quia est auctor naturæ humanæ, cui ex se conuenit facultas ad contrahendum matrimonium; & quia primos parentes interiùs excitauit, & forsan etiam exteriùs suasit ad primam celebrationem matrimonij, & quia ipsum matrimonium iam factum approbauit.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm contractus Matrimonij sit licitus & honestus.

COntra hæreticos, qui (vt refert Vasquez 5
disp. 1. cap. 3.) contractum matrimonij vt illicitum damnarunt, conueniunt Catholici, eum esse ex suo obiecto licitum & honestum, vt constat ex illo Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* & ex Paulo 1. ad Corinth. 7. *Qui matrimonio coniungit virginem suam, benè facit.* & paulò inferiùs: *Si nupserit virgo, non peccauit.* & 1. ad Timoth. 4. oppositum dicitur esse doctrina dæmoniorum, & ex perpetua Ecclesiæ traditione, quam plures ex Patribus expresserunt, quos refert Vasquez vbi suprà. Idem quoque definitum est *Vasquez.* contra hæreticos in Concilio Gangrensi can. 1. & *Concilium* in Bracarensi I. can. 11. Idem quoque ratio suadet; quia contractus matrimonij est medium aptum & ordinatum ad multiplicationem generis humani, modo rationi consono, mutua videlicet & perpetua corporum traditione. *Gangren. Bracarens.*

Quòd si obijcias Augustinum lib. de Nuptijs 6
cap. 11. & 12. vbi supponere videtur, matrimonium esse malum, dum ait, matrimonium excusari tribus bonis proprijs ipsius, nempe prole, fide, & Sacramento (id est perpetuitate seu indisso-

lubilitate, ratione cuius repræsentat vnionẽ Christi cum Ecclesia factam in incarnatione) quo supponere videtur, matrimonium esse malum; quia quod non est malum, non indiget excusatione. Respondemus, matrimonium, secundùm Augustinum, tribus dictis bonis excusari non à malitia seu culpa, sed ab specie seu apparentia mali, & quasi ab imprudentia; quia homo non ita cordatè contraheret matrimonium, cui sunt tot onera annexa, nisi matrimonium haberet prædicta bona, quibus onera illius compensarentur.

Plura alia obijciunt hæretici, quæ quia leuiora sunt, & facilè ex dicendis soluuntur, omittimus, eis tamen satisfacit S. Thomas quæst. 41. art. 3.

S. Thomas.

DIFFICVLTAS III.

Quo fine contrahendus sit contractus Matrimonij, vt licitè contrahatur.

7 NOn procedit difficultas de fine intendendo in vsu seu copula coniugali, quia de hoc agemus Disput. x. sed de fine intendendo in contrahendo matrimonium, vt licitè contrahatur.

Supponimus autem, duos esse fines proprios contractus matrimonij vt contractus est, nempe generationem prolis, & remedium concupiscentiæ, seu vitare fornicationem, in quos suâ naturâ ordinatur, in priorem absolutè & primariò, & in posteriorem secundariò & ex suppositione peccati Adami, ratione cuius est in nobis rebellio carnis: & præter hos duos fines posse à contrahentibus alios fines apponi ipsi contractui extraneos, vt pacem, diuitias, nobilitatem, & alia.

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, licitum esse, & absque peccato, contrahere matrimonium, intendendo adhuc principaliter seu primariò generationem prolis, quia contractus matrimonij in eam primariò & principaliter ordinatur; & etiam esse licitum contrahere matrimonium, intendendo secundariò & minùs principaliter remedium concupiscentiæ, habendo pro primario fine prolis generationem, quia in hoc remedium secundariò ordinatur.

8 Est tamen difficultas, Primò, An sit licitum contrahere matrimonium, intendendo solùm aut primariò & principaliter remedium concupiscentiæ, seu vitare fornicationem.

Conueniunt Doctores, non esse peccatum mortale ex hoc fine contrahere, quamuis solùm aut primariò & principaliter intendatur.

Est tamen difficultas, An sit peccatum veniale, ex hoc fine solo aut principaliter intento contrahere.

Pet. Sotus. Petrus Sotus Lect. 16. de Matrimonio docet, id esse veniale; quia aliqua videtur esse inordinatio, quamuis leuis, solùm aut primariò & principaliter ordinare matrimonium in id, in quod secundariò suâ naturâ ordinatur. Quod limitat Sancius lib. 2. disp. 29. vt tantùm sit verum, quando contrahentes secundùm communem spem possunt generare filios; quia quando non possunt, non est contra rationem, solùm aut principaliter intendere remedium concupiscentiæ.

9 Ægidius verò disp. 25. num. 17. & Basilius lib. 1. cap. 21. docent (& benè) id non esse peccatum, adhuc veniale: quod insinuat Paulus 1. ad Corinth. 7. dum nulla facta mentione generationis, & absque distinctione aliqua contrahentium, ait, *Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat.* Et ratione probatur, quia finis iste est licitus & honestus, imò & proprius huius contractus, quamuis in eum suâ naturâ secundariò ordinetur; ergo poterit licitè iste solus intendi, aut primariò seu principaliter, à contrahente matrimonium; quia nulla lex cogit, vt opus aliquod assumatur ob finem principalem: aliàs sterilis, quamuis iuuenis, non posset licitè contrahere matrimonium, quamuis graues carnis stimulos sentiat, quod est absurdum. Quòd si iuuenis sterilis potest licitè, ob vitandam fornicationem, principaliter, imò relicto fine generationis, matrimonium inire, poterit etiam qui est fecundus; quia quòd sterilis non possit generationem intendere, & fecundus possit, non sufficit vt sterilis, fine generationis relicto, possit licitè intendere principaliter vitare fornicationem, & non possit fecundus; quia contractus matrimonij in vtroq; naturâ suâ ordinatur ad eosdem fines, & eodem modo: ac proinde, si ratio exigeret, vt in assumptione alicuius operis eius finis principalis principaliter intenderetur, qui non posset illum principaliter intendere (vt non potest sterilis in assumptione contractus matrimonij) non posset licitè opus illud assumere, & sterilis non posset licitè contrahere matrimonium.

Secundò est difficultas, An sit licitum contrahere matrimonium ob alios fines contractui matrimonij extraneos, aliàs licitos & honestos, vt ob pacem, ob nobilitatem, & ob diuitias.

Doctores conuenire videntur, non esse illicitum, seu peccatum, adhuc veniale, contrahere, intendendo secundariò & minùs principaliter hos fines, quando primariò intenditur prolis generatio, aut vitare fornicationem, quando hoc primariò intenditur licitè; quia in sic contrahendo nulla apparet inordinatio, quia contractus matrimonij est verè vtilis ad eos fines, & aliàs sint liciti.

Est tamen difficultas, An sit illicitum, seu peccatum, contrahere matrimonium, expresè solùm intendendo aut principaliter eos fines.

Angelus v. *Matrimonium*, 2. num. 25. Couarruuias 4. Decretal. par. 2. cap. 1. Sancius lib. 1. disp. 29. num. 21. & Petrus Sotus vbi suprà, & alij docent id esse peccatum; quia aliqua videtur esse inordinatio in eo, quòd contractus iste solùm ordinetur aut principaliter in fines ipsi extraneos; imò Angelus & Couarruuias existimant id esse peccatum mortale, quia grauis irreuerentia irrogari videtur Sacramento, illud ordinando in finem extraneum.

Sotus verò in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. Basilius lib. 1. c. 21. & Ægidius vbi suprà, & plures alij docent, id non esse peccatum, & meritò; quia absque fundamento dicitur esse contra rationem, quòd assumens aliquod opus, relicto eius proprio fine, illud assumat & ordinet ad alium finẽ & effectum, quem possit communicare & habere dum sit licitus & honestus, quamuis minùs honestus quàm proprius, quia in hoc nulla apparet inordinatio: qui enim orationem, quæ est actus Religionis, quo Deum colimus, fundit, vt à Deo obtineat castitatem, quæ est minùs honesta quàm Religio, nihil inordinatum facit; quia verè ordinat ad id ad quod potest ordinari, & aliàs est licitum & honestum

aliàs

aliàs beatissima Virgo illicitè contraxisset matrimonium, quia illud neque in prolis generationem, neque in remedium concupiscentiæ contraxit, sed ad alios fines: & etiam senes, qui iam steriles sunt, & non patiuntur graues stimulos carnis, non possent licitè contrahere matrimonium; quia ob neutrum finem proprium ex dictis contrahere possunt.

12 Qui autem contrahit matrimonium ob fines ei extraneos, non ordinat illud vt Sacramentum in prædictos fines, sed vt contractum, in quo nullam irrogat iniuriam Sacramento; imò neque ei irrogabit, quamuis illud vt Sacramentum in illos ordinet, dum positiuè non excludat finem recipiendi gratiam (quem nullus excludit;) quia in hoc grauem ei irrogaret iniuriam, & mortale peccatum sacrilegij committeret.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm contractus Matrimonij sit & fuerit sub præcepto.

13 IN primis Catholici contra hæreticos conueniunt, post sufficientem mundi propagationem, & repletionem terræ, singulos non obligari quasi in actu secundo ad matrimonium, vt constat ex Christo Domino, qui Matth. 19. consuluit perpetuam continentiam; & ex Paulo, qui 1. ad Corinth. 7. consuluit virginitatem, & subdit, *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit; & qui non iungit, melius facit*; de quo legendus est Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 21.

Bellarmin.

Secundò conueniunt Doctores, in principio mundi, & in principio reparationis illius post diluuium, fuisse præceptum, quo singuli etiam in actu secundo obligabantur ad contrahendum matrimonium, vt mundus propagaretur: erat autem præceptum illud naturale, & non diuinum, vt contra Ægidium disp. 25. num. 7. & contra Ochagauiam docent communiter Doctores. Erat autem naturale, quia tunc non contrahere matrimonium, erat contra rationem; quia tunc ratio exigebat propagationem generis humani, quod absque matrimonio non poterat licitè propagari: & non erat diuinum, quia non constat, Deum id præcepisse; quia si aliquibus verbis, maximè illis Gen. 1. & 9. *Crescite & multiplicamini*; eis tamen non præcepit, quia non sunt verba præceptiua, quamuis eis insinuatum fuerit dictum præceptum naturale.

14 Est tamè difficultas, An dictum præceptum cessauerit, genere humano sufficienter multiplicato.

Scotus. Richardus. Bonauen.

Scotus in 4. dist. 26. quæst. 1. Richardus art. 3. q. 3. & Bonauentura art. 1. q. 3. affirmant, quia cessauit paucitas hominum, ob quam erat dictum præceptum. Sed S. Thomas in 4. disp. 26. quæst. 1. Sancius lib. 2. disp. 3. & Vasquez disp. 1. negant; quia dictum præceptum est naturale, quod, vtpote situm in ratione, seu natura rationali vt rationalis est, cessare non potest.

S. Thomas. Sancius. Vasquez.

Circa hanc tamen difficultatem, circa quam dicti Doctores forsan re ipsa non discrepant, existimamus, dictum præceptum non cessasse in actu primo, seu quoad vim obligandi, quod solùm vult S. Thomas & eius sequaces; cessasse tamen quoad eius obligationem, seu actum secundum obligandi, quod forsan solùm voluit Scotus & ei adhærentes.

15 Et in primis, non cessasse quoad eius vim obligandi pro suo tempore, nempe pro tempore necessitatis propagationis generis humani, probatur; quia in ratione, seu natura rationali vt est rationalis, est vis ad obligandum, quando sit paucitas hominũ, in quo consistit ratio dicti præcepti. Quod verò eius actus obligandi, seu obligatio in actu secundo cessauerit, constat; quia genere humano multiplicato, nullus in actu secundo tenetur ad cõtrahendum matrimonium, quia vis dicti præcepti tantùm est ad obligandum in actu secundo, quando sit necessitas propagationis.

Pro huius autem maiori intelligentia obseruandum est, hoc esse discrimen inter præcepta affirmatiua siue naturalia, siue positiua ex vna parte, & inter negatiua ex altera, quòd præceptum affirmatiuum regulariter potest esse, & eius vis ad obligandum perseuerare, cessante eius obligatione, seu actu secundo obligandi: præceptum verò negatiuum regulariter semper obligat in actu secundo, quamdiu ipsum & eius vis obligandi perseuerat, & id est quod communiter dicitur, præcepta negatiua obligare semper & pro semper. Obligant 16 quidem semper, quia semper habent vim obligandi; & obligant pro semper, quia semper obligant in actu secundo. Præcepta verò affirmatiua obligare semper, sed non pro semper; quia quamuis semper habeant vim obligandi, non tamen obligant semper in actu secundo: præceptum enim audiendi Missam, quod affirmatiuum est, semper, quamdiu non abrogatur, etiam in die non festo, habet vim obligandi, sed non obligat in actu secundo, nisi in die festo: præceptum verò non mentiendi, quod est negatiuum, semper habet vim obligandi, & etiam semper obligat in actu secundo, quia eo semper tenemur & obligamur. Addidimus *regulariter*, quia aliquod affirmatiuum etiam obligat pro semper, vt præceptum restituendi; & aliquod negatiuum non obligat pro semper, vt præceptum ieiunandi, seu non comedendi carnes, & plusquam semel in die.

Sed an, omnibus pereuntibus præter Religiosos, tenerentur isti in actu secundo ad contrahendum matrimonium, sub controuersia est; quia Sancius *Sancius.* & plures alij affirmant, quia in eo euentu esset necessitas propagationis generis humani: Vasquez *Vasquez.* verò & plures alij negant, quia tunc credendum esset finem mundi instare, in quo necessaria non erit hominum propagatio.

17 Nihilominùs in casu ficto respondemus sub distinctione; nempe partem negatiuam (quam tuetur Vasquez) esse veram, quando ex signis in Scriptura traditis prudentissimè conijceretur finis sæculi, in quo necessaria non erit hominum propagatio. Partem verò affirmatiuam esse veram, quando præter fictam hominum paucitatem non essent alia signa consummationis sæculi; quia paucitas illa absque alijs signis non sufficeret ad prudenter conijciendum finem sæculi.

DISPV-

DISPVTATIO V.

De Matrimonio clandestino.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Matrimonium clandestinum sit illicitum.

1 MATRIMONIVM dicitur simpliciter & absolutè clandestinum (id est clam seu occultè contractum) quod contrahitur absque testibus sufficientibus ad plenam probationem illius; quia eo ipso nequit Ecclesiæ constare de fectu testium sufficientium. Matrimonium verò quod coram testibus sufficientibus celebratur, sed absque præmissis denuntiationibus, non dicitur simpliciter clandestinum, quia potest Ecclesiæ constare: dicitur tamen clandestinum secundùm quid, quia est aliquo modo occultum, quia non est iuridicè denuntiatum, seu publicum. Hæc ergo difficultas procedit de clandestino priori modo, id est absque testibus sufficientibus (qui modò, vbi Tridentinum viget, sunt Parochus & alij duo) quia de clandestino posteriori modo posteà dicemus.

2 Circa præsentem ergo difficultatem conueniunt Doctores, matrimonium clandestinum, id est celebratum absque Parocho & alijs, esse illicitum, quia est prohibitum Iure Ecclesiastico Tridentini sess. 24. cap. 1. de Reformat. matrimon. imò antiquitus 30. q. 1. can. 1. & 2. in cap. fin. de Clandestina desponsatione, etiam erat prohibitum matrimonium clandestinum, id est factum absque testibus: imò in dicto can. 2. videtur prohibitum fieri absque præsentia Sacerdotis, vbi videtur esse sermo de Sacerdote proprio, id est proprio Parocho. Quòd si illicitum est, & peccatum, contrahere absque Parocho & alijs, vbi Tridentinum viget, & absq; testibus vbi non viget, erit peccatum mortale; quia id est quid graue, & non parui momenti.

Est tamen difficultas, An, secluso Iure positiuo, contrahere matrimonium clandestinè absque testibus, sit illicitum Iure naturali. Non addimus, absque Parocho, quia certum est, præsentiam illius non requiri Iure naturali.

3 *Sancius. Pet. Sotus. Vera-cruz.* Sancius ergo l. 3. disp. 3. Petrus Sotus, & Vera-cruz partem affirmatiuam tuentur; quia cõtrahere absque testibus est expositum periculo deferendi proprium coniugem, & transeundi ad alias nuptias, quod est maximè nociuum ipsis coniugibus, & proli, & paci Reipublicæ.

Ægidius. Dom. Sot. Caietanus. Ægidius verò disp. 27. dub. 1. Dominicus Sotus, & Caietanus partem negatiuam tradunt, & meritò: quia si contrahere matrimonium absque testibus, esset Iure naturali illicitum, maximè quia sic contrahentes exponuntur dicto periculo; sed regulariter non exponuntur, quia quamuis aliquando in aliquibus ob eorum peculiarem malitiam aut fragilitatem sit dictum periculum, non tamen in omnibus, neque semper, in malis & fragilibus: imò in his potest subueniri dicto periculo paulò post celebrationem matrimonij, illud publicando, & alijs vijs: ergo sic contrahere non est Iure naturali seu ex natura rei illicitum, cùm ex natura rei non sit ipsi dictum periculum annexum, quia hoc tantùm est aliquando, & non in omnibus, sed in aliquibus, & in his potest dicto periculo aliâ viâ obuiari.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Matrimonium clandestinum sit irritum, seu nullum.

PRocedit difficultas de matrimonio clandestino absque testibus facto; quia clandestinum absq; præmissis denuntiationibus factum, quamuis prohibitum sit à Tridentino, imò Iure antiquo prohibitum fuerit, absque aliqua denuntiatione præmissa fieri, non tamen est irritum, quia nullibi irritatur.

Circa hanc difficultatem certum est, matrimonium clandestinum, absque Parocho aut alio Sacerdote de Parochi aut Ordinarij licentia, & absque alijs testibus, saltem duobus, esse nullum & irritum post Tridentinum, vbi publicatum & receptum est; quia ab ipso sess. 24. cap. 1. de Reformatione matrimonij, irritatur, non requirendo nouam materiam, neque nouam formam, neque nouum ministrum ad Sacramentum matrimonij, quia Ecclesia nequit id efficere; sed irritando contractum ipsum ciuilem (cui, quando validus est ex Christi institutione, conuenit ratio Sacramenti) & personas inhabiles reddendo ad alias contrahendum.

Et ferè certum est, nullum matrimonium clandestinum, siue absque testibus, siue absque præmissis denuntiationibus, siue absque vtroque, fuisse irritum & inualidum ante Tridentinum, nec in primis Ecclesiæ temporibus (quidquid dicat Basilius lib. 5. cap. 3.) vt satis indicatur in principio dicti capitis, dum dicitur: *Quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.* quod etiam infrà supponit dum ait, Matrimonium clandestinum semper fuisse prohibitum ab Ecclesia, & hanc prohibitionem iam nõ prodesse; & dum posteà illud absque præsentia Parochi & aliorum testium factum irritat. Vnde modò matrimonium clandestinum etiam absque Parocho & alijs testibus non est irritum, vbi Tridentinum non viget. In can. autem 1. 30. quæst. 5. vbi matrimonia clandestina (id est absque testibus facta) appellantur stupra, & contubernia, & non legitima, sic appellantur quoad præsumptionẽ; quia Ecclesia non præsumit esse, aut fieri, quod ipsi occultatur, quando est cõtra legem ipsius, vt erat matrimonium clandestinum.

Est tamen difficultas, An matrimonium clandestinum absque Parocho & alijs testibus, quod post Tridentinum, vbi viget, est inualidum, saltem valeat vt sponsalia, & obliget ad contrahendum.

Ægidius disp. 21. dub. 4. & Henriquez l. 11. c. 3. partem affirmatiuã tuentur (imò addit Henriquez id declarasse Congregationem Cardinalium) quia, vt dicitur in cap. vnico de Desponsat. impuberum, in 6. matrimonium impuberum, quod est nullum, efficit obligationem sponsalitiam; quia actus, qui

non valet vt agitur, valet tamen vt potest. Ergo vbi matrimonium dicto modo clandestinum non valet post Tridentinum, vt matrimonium, valebit vt contractus sponsalitius.

Sancius. Gutierrez. Sancius verò lib. 1. disp. 20. & Gutierrez de Iuramento 1. par. cap. 51. partem negatiuam tradunt, & meritò; quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Rebellum num. 59. Ex quo deducitur, relationem Henriquez esse falsam, qui forsan deceptus fuit ex eo, quòd id declarauit de
7 matrimonio clandestino impuberum. Ratio autem est, quia dictum matrimonium clandestinum non obligat Iure naturali tamquam contractus sponsalitius; quia verba de præsenti, qualia sunt matrimonij, nullam continent promissionem futuri, adhuc implicitè, vt patet; neque Iure aliquo positiuo obligat tamquã contractus sponsalitius; quia nullum extat, nisi pro matrimonio impuberum etiam publico, & non pro matrimonio puberum, de quo loquimur. Quod etiam est verum, quamuis matrimonium puberum clandestinum sit iuratum; quia iuramentum tantùm cadit supra valorẽ proprium ipsius contractus ad illum confirmandum; ac proinde, quando cadit supra contractum nullum, non validat illud.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, ex matrimonio nullo impuberum, siue clandestino siue publico, oriri obligationem sponsalitiam ex sola dispositione Iuris positiui, vt constat ex dicto cap. vnico, quæ non extat pro matrimonio nul-
8 lo puberum. Et ad probationem negamus, in dicto cap. inferri, matrimonium impuberum nullum valere vt contractum sponsalitium, ex eo, quòd actus, qui non valet vt agitur, valeat vt potest; quasi ibi supponatur, verba de præsenti ex seipsis etiam valere ad obligationem sponsalitiam, quia in eo cap. absque illatione aliqua dicitur, matrimonium impuberum interpretatione Iuris esse sponsalia de futuro; sed in eo cap. ex eo quòd contractus matrimonij impuberum, qui non valuit vt agebatur, sed vt ex Iuris dispositione potuit, nempe vt sponsalitius, infertur, inducere impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex sponsalibus.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Matrimonium clandestinum absq; Parocho & alijs testibus post Tridentinum sit aliquando validum.

9 CONueniunt Doctores, matrimonium clandestinum absque Parocho & alijs testibus, validè celebrari in locis, in quibus Tridentinum non est publicatum, vt constat ex ipso sess. 24. c. 1. de Reform. matrim. imò etiam vbi non est receptum, quamuis sit publicatum, quia eo ipso eius leges receptæ non sunt: & etiam celebrari validè, quando Pontifex dispensat in dicta Parochi & aliorum testium assistentia, quia est supra Concilium: & etiam quando celebratur à non baptizatis, quamuis temporaliter subditis Ecclesiæ, & habitantibus vbi Tridentinum est receptum; quia leges merè Ecclesiasticæ (vt est prædicta Tridentini) tantùm comprehendunt eos qui sunt intra Ecclesiam, & ei spiritualiter subiecti.

Est tamen difficultas, Primò, an quando absq; graui incommodo, siue in articulo mortis, siue extra, nequit matrimonium omitti aut differri, & Parochus nequit haberi, inualidè absque eo celebretur. Nomine autem Parochi etiam comprehenditur eius Vicem-tenens.

Vera-cruz. Vera-cruz in Appendice ad Speculum, dub. 4. *Vega.* & Vega in Summa l. 3. casu 361. docent, in casu dicto validè fieri matrimonium absq; Parocho, dum fiat coram alijs testibus; quia lex positiua, præsertim humana, non obligat cum graui incommodo, vt constat in lege audiendi Missam, & in lege iciunandi, & in lege recitandi diuinum Officium: ergo etiam lex requirens assistentiã Parochi, non habet vim, quando imminet graue aliquod incõmodum.

Sancius verò lib. 3. disp. 17. Ægidius 27. dub. 1. 10
& Basilius l. 5. c. 6. docent, in casu dicto non fieri *Sancius. Ægidius.* validè matrimonium absque Parocho, quamuis *Basilius.* fiat coram multis alijs testibus, & merito: quia Tridentinum absolutè & absque limitatione irritat matrimonium absque Parocho celebratum, & reddit personas inhabiles ad sic contrahendum: ergo personæ nulla necessitate possunt fieri habiles; nec matrimonium validum absque assistentia Parochi; quia quamuis vrgens necessitas excuset ab obligatione legis præcipientis aut prohibentis, adhuc diuinæ, non tamen efficit habilem aliàs lege inhabilem, neque efficit validum, quod aliàs lege irritante est nullum, vt constat in lege irritante matrimonium inter consanguineos intra quartum gradum, quæ nulla necessitate absque dispensatione euanescit. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Addit Ægidius, matrimonium validè fieri in *Ægidius.* oppidis vbi nequit haberi Parochus, nec adiri in locis proximis: quod ait Clementem VIII. declarasse, quod nos, dicta declaratione secluſa, falsum existimamus, ob rationem dictam, eâ tamen suppositâ, verum. Addimus, si hæc declaratio facta est (vt credi potest Ægidio eam referenti) non fuisse puram declarationem, sed fuisse dispensationem in dicta lege Tridentini pro eo casu.

Secundò est difficultas, An quando contrahen- 11
tes inuincibiliter ignorant dictam legem irritantem Tridentini, validè contrahant absque Parocho & alijs testibus.

Non desunt (vt refert Ægidius vbi suprà) qui *Ægidius.* partem affirmatiuam tueantur; quia lex non obligat ignorantes inuincibiliter, quamuis irritatoria sit, si irritatio & inhabilitas imponatur vt pœna, vt imponi videtur in dicta lege Tridentini; quia eo ipso, quòd ignorantia inuincibilis excusat à culpa, etiam excusat à pœna, quæ tantùm infligitur ob culpam.

Sancius verò & Ægidius vbi suprà, & commu- *Sancius.* niter Doctores partem negatiuam tradunt, & me- *Ægidius.* ritò: quia quamuis ignorantia inuincibilis excusat à culpa actum contra legem præcipientem aut prohibentem, quia aufert scientiam requisitam ad voluntarium, absque quo nequit esse culpa; non tamen excusat actum contra legem irritantem à nullitate, quæ contrahitur ex defectu solemnitatis ad valorem actus requisitæ ex lege; quia ignorantia, quamuis inuincibilis, non supplet solemnitatem ex lege requisitam ad valorem actus.

Nullitas autem, quæ à Tridentino dicta lege in- 12
cluditur, non inducitur in pœnam; quia non inducitur ad puniendos contrahentes clandestinè, sed tantùm in odium matrimõnij clandestini, ne valeat absque dicta assistentia, ob inconuenientia quæ ex eo oriri possunt.

DIFFI-

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Christiani, incolæ locorum in quibus Tridentinum obligat, validè contrahant absque Parocho & alijs testibus in alijs locis in quibus non obligat.

13 COnueniunt Doctores, incolas locorum in quibus Tridentinum obligat, quando vadunt ad loca in quibus non obligat, validè in his contrahere matrimonium absque Parocho & alijs testibus, quando ad ea vadunt animo constituendi in eis domicilium; quia ex tunc censentur parochiani eorum locorum, & non illorum quæ deserunt.

Est tamen difficultas, An validè contrahant, quando ad ea vadunt per modum hospitij, aut transitus.

Henriq. Rodriguez. Vasquez. Henriquez 11. de Matrimonio cap. 3. & Rodriguez tom. 1. cap. 219. partem negatiuam tuentur, quam etiam tenuit Vasquez, quia prædicti iam sunt adstricti decreto Tridentini, vigente in sua parochia, & eo facti sunt inhabiles ad sic contrahendum.

14 *Sancius. Ægidius. Rebellus. Basilius.* Sancius verò libr. 3. disp. 18. Ægidius disp. 27. dub. 1. Rebellus lib. 2. quæst. 7. sect. 3. & Basilius lib. 5. cap. 9. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia contrahentes quoad contractus fortiuntur forum loci in quo contrahunt, & iuxta leges talis loci contracturi sunt, vt constat ex cap. vlt. de Foro compet. & ex L. *Si fundus.* ff. De euictionibus, & ex Iure seu ratione naturali, quæ dictat viuendum esse more loci in quo viuitur, præsertim quoad contractus: ergo qui contrahunt in locis vbi decretum Tridentini non viget, validè contrahunt absque Parocho & alijs testibus.

Et ob eamdem rationem incolæ loci, in quo decretum Tridentini non viget, inualidè contrahunt absque Parocho & alijs testibus in loco vbi viget.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quamuis dictæ personæ decreto Tridentini fuerint astrictæ, & factæ inhabiles, non tamen vniuersaliter, sed tantùm pro locis in quibus habebant domicilium quando receptum fuit; quia prædicta inhabilitas non fuit absolutè contracta, & quasi personalis, sed tantùm legalis ex lege inhabilitante, ac proinde cessat vbi & quando lex cessat.

Sancius. Rebellus. Ægidius. Addimus (vt contra non paucos docent Sancius, & Rebellus, & Ægidius) incolas loci in quo Tridentinum viget, validè contrahere absque Parocho & alijs testibus, in loco in quo non viget, quamuis contrahentes profecti fuerint ad illum

15 locum eo fine vt clandestinè contrahant; quia quamuis ad eum proficiscantur, vt non obligentur dicto decreto obligante in loco cuius sunt incolæ, non ob id obligantur in alio loco ad quem sunt profecti, nec id dicitur fieri in fraudem legis; quia ius habent eundi ad illum alium locum: qui autem vtitur iure suo, non facit fraudem.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Christiani in prouincijs infidelium, vbi non sunt parochiæ in quibus Tridentinum potuerit publicari, validè contrahant absque Parocho & alijs testibus.

NOn procedit difficultas de Christianis habitantibus in Prouincijs infidelium, & in eis natis in quibus Tridentinum non fuit publicatum, quia isti validè contrahunt absque Parocho & alijs testibus; quia decretum Tridentini in eis prouincijs non habet vim ex defectu publicationis ab ipso Tridentino requisitæ ad id: neque procedit de Christianis captiuis, & mercatoribus, & quibuscumque alijs habitantibus in dictis prouincijs, & natis in prouincijs Christianorum in quibus Tridentinum non est publicatum, nec viget; quia etiam isti validè contrahunt absque Parocho & testibus, quia Tridentinum non habet vim in suis prouincijs, neque in prouincijs infidelium in quibus habitant.

Difficultas tantùm procedit de Christianis habitantibus in prouincijs infidelium, & natis in prouincijs vbi Tridentinum viget.

Petrus Ledesma quæst. 45. art. 5. absolutè docet, dictos Christianos non contrahere validè absque Parocho & alijs testibus; quia non habent parochiam nisi in propria prouincia in qua nati sunt, & in ea decretum Tridentini obligat: & id approbat Henriquez lib. 11. cap. 3. quando dicti Christiani habitant in dictis prouincijs infidelium absque animo ibi permanendi; quia tunc retinent parochiam in propria prouincia, in qua decretum Tridentini obligat: id quoq; approbat Vera-cruz, & approbabat Vasquez, quando ante profectum dictorum Christianorum ad infideles, decretum Tridentini vigebat in sua prouincia & parochia.

Sancius verò lib. 3. disp. 18. Rebellus lib. 2. q. 7. sect. 3. Basilius lib. 5. cap. 9. absolutè docent, dictos Christianos validè contrahere absque Parocho & alijs testibus, quamuis sint in prouincijs infidelium absq; animo in eis permanendi, & quamuis profecti fuerint ad illas post receptionem decreti Tridentini in sua prouincia; & meritò: quia contrahentes quoad contractus fortiuntur forum loci in quo contrahunt, & tantùm legibus illius contracturi sunt, quamuis tantùm transeunter, & per modum hospitij sint in eo loco (vt diximus Difficultate præcedenti;) ergo prædicti validè contrahunt matrimonium absque Parocho & alijs testibus in dictis prouincijs infidelium; quia in eis non viget decretum Tridentini, quamuis etiam ante profectum viguerit in propria parochia, & hanc retineant.

DIFFICVLTAS VI.

Quis Parochus sit sufficiens vt assistat Matrimonio.

DIcitur quis aliquem habere in Parochum, quando in parochia illius habet domicilium, aut quasi domicilium. Dicitur autem quis habere domi-

domicilium in eo loco, in quo habitat animo ibi perpetuò permanendi, etiam quando incipit habitare: quasi domicilium verò, in eo loco in quo
19 habitat, animo permanendi per medietatem anni parum plus minúsve (vt scholastici in Vniuersitatibus, & mercatores in alienis oppidis) etiam quando incipit habitare. Vnde qui extra proprium domicilium minore tempore in alio loco habitat tamquam hospes, seu animo citò redeundi, non habet alium Parochum adhuc in ordine ad matrimonium, quàm Parochum sui domicilij aut quasi domicilij, vt contra Basilium lib. 5. cap. 17. & contra Sà v. *Parochus*. num. 2. (qui existimant, modicam siue breuem habitationem in parochia alicuius, quamuis solius recreationis causâ factam, sufficere vt quis in ordine ad matrimonium habeat illum vt Parochum) docent Sancius lib. 5. *Sancius. Menoch.* disp. 23. & Menochius Consilio 378.

Hoc ergo supposito, certum est, Parochum vtriusque contrahentis sufficientem esse, vt validè assistat matrimonio facto in sua propria parochia; quia assistentia huius Parochi omnino satisfit decreto Tridentini, quo requiritur assistentia proprij Parochi.

20 Est tamen difficultas, An quando quilibet contrahens pertinet ad diuersam parochiam, seu habet diuersum Parochum, sufficiat Parochus cuiuslibet.

Conueniunt Doctores, ad valorem matrimonij sufficere Parochum illius contrahentis, in cuius parochia celebratur; quia ex vna parte Tridentinum vnum tantùm exigit Parochum, & ex altera, si aliquis sufficit, maximè ille in cuius parochia matrimoniũ celebratur. Et id declarauit Congre- *Gre. XIII.* gatio Cardinaliũ, & approbauit Gregorius XIII.

Est tamen difficultas Primò, An sufficiat Parochus vnius contrahentis, quando matrimonium celebratur in parochia alterius.

Nauarrus. Salzedo. Basilius. Nauarrus lib. 4. Cons. in 1. edit. tit. de Sponsalibus, Cons. 52. Salzedo in Pract. cap. 73. in noua editione, & Basilius lib. 5. c. 16. partem negatiuam tuentur, quam videtur declarasse Congregatio Cardinalium, dum ait: *Quando matrimonium contrahitur inter virum & mulierem diuersarum parochiarum, sufficit Parochus viri in eius parochia, & Parochus mulieris in eius parochia.* quibus verbis supponi videtur, non sufficere Parochum vnius in parochia alterius. Et ratione probatur, quia Parochus in cuius parochia matrimonium celebratur, est magis proprius, quia est proprius vnius contrahentis, & respectu parochiæ; ergo ad eum potiori ratione pertinet assistere matrimonio celebrato in sua parochia, quàm ad alterum.

21 Sancius verò lib. 3. disp. 19. Henriquez 11. de *Sancius. Henriq. Ægidius.* Matrimonio c. 3. & Ægidius disp. 17. dub. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia assistentiâ dicti Parochi verè satisfit decreto Tridentini; quia assistit proprius Parochus, quamuis sit vnius tantùm, & in parochia alterius. Ex eo autem, quòd fiat in parochia alterius, tantùm fit, ad hunc alterũ potiori ratione pertinere assistere dicto matrimonio, quod non tollit sufficienter pertinere ad dictum Parochũ, cùm sit verè proprius Parochus. In declaratione autem Cardinalium pro aduersarijs adducta, tantùm affirmatur, sufficere Parochum contrahentis in cuius parochia celebratur; non tamen negatur, sufficere Parochum alterius.

Secundò est difficultas, An sufficiat assistentia Parochi vnius aut vtriusque contrahentis in neutrius parochia.

Nauarrus & Basilius partem negatiuam tuen- 22 tur, quia Tridentinum videtur requirere assistentiam Parochi vt est persona publica; Parochus autem extra suam parochiam & territorium non est persona publica, sed priuata, vt constat ex L. 3. De officio præsidis. *Nauarrus. Basilius.*

Sancius verò & Ægidius partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia assistentia Parochi, quamuis extra parochiam vtriusque contrahentis, satisfit decreto Tridentini; quia verè assistit proprius Parochus vnius vel vtriusque, ac proinde vt persona publica ad dictum effectum. In dicta verò L. 3. tantùm significatur, iudicem extra suum territorium non esse personam publicam quoad iurisdictionem contentiosam, qua constituitur iudex exterior, de quo ibi est sermo. *Sancius. Ægidius.*

Addimus, Parochum extra suam parochiam non solùm assistere validè, vt dictũ est, sed etiam licitè, vt contra Henriquez docent Sancius & Ægidius; quia hæc assistentia non est actus prtinens ad iurisdictionem contentiosam, imò neque ad voluntariam. Nihilominùs non poterit licitè in aliena parochia denuntiationes seu admonitiones facere, neque solemnem benedictionem, quia hęc exigunt externum strepitum, qui est superioribus in alieno territorio prohibitus. *Sancius. Ægidius.*

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Parochus, & qui de eius licentia assistit matrimonio, debeat esse Sacerdos.

CIrca prius Rodriguez Tom. 1. c. 219. Salzedo 23 in Pract. & Siluius docent, Parochum debere esse Sacerdotem, vt validè assistat matrimonio. Quod deduci videtur ex dicto decreto Tridẽtini, dum dicitur, *Qui aliter quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote*: quia particulâ *alio* denotari videtur, personam antecedentem esse similis qualitatis, ac est persona cui adiungitur. Et confirmatur, quia antiquissimo Ecclesiæ ritu nuptijs ex præcepto adhibendus erat Sacerdos, vt patet ex 30. q. 5. ergo Parochus, quem Tridentinum requirit, etiam debet esse Sacerdos. *Rodriguez. Salzedo. Siluius.*

Sancius verò lib. 3. disp. 20. Ægidius disp. 27. 24 dub. 2. Henriquez 11 de Matrimonio, cap. 3. & Basilius cap. 17. docent, Parochum nõ debere esse Sacerdotem, & meritò: quia Parocho non Sacerdote sufficienter satisfit decreto Tridentini, tantùm requirentis Parochum, quia particulâ *alius* non semper denotatur persona antecedentem esse similis qualitatis, vt constat ex illo Luc. 23. *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo.* *Sancius. Ægidius. Henriq. Basilius.*

Et quamuis antiquo Iure necessaria esset præsentia Sacerdotis, imò Parochi, vt licitè fieret matrimonium, non fit, etiam nunc necessariam esse præsentiam Parochi Sacerdotis ad valorem matrimonij; quia modò ad hunc non requiritur nisi Parochus (qui esse potest, quamuis non sit Sacerdos:) imò nec est necessaria, vt licitè fiat, vt contra Petrum Ledesmam docent Sancius & Basilius, *Sancius. Basilius.* quia decreto Tridentini, quod corrigit Ius illud antiquum, id non requiritur.

Circa posterius conueniunt Doctores, ad valo- 25 rem matrimonij necessarium esse, eum, qui ex Parochi aut Ordinarij licentia assistit matrimonio,

esse Sacerdotem, quia id expresè requirit Tridentinum, sed non esse necessarium, quòd sit approbatus ab Ordinario; quia id nullibi requiritur, sicut requiritur ad audiendas confessiones sæcularium.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Parochus excommunicatus validè assistat Matrimonio.

COnueniunt Doctores, post Concilium Constantiense Parochum excommunicatū non denuntiatum, nec excommunicatum ob notoriam percussionem Clerici (qui dicitur excommunicatus toleratus) validè assistere matrimonio, & validè conferre licentiā alteri Sacerdoti ad assistendum.

Est tamen difficultas de Parocho excommunicato aut denuntiato, aut ob notoriā percussionem Clerici, qui dicitur non toleratus. Primò, An validè assistat matrimonio.

26 Conueniunt communiter Doctores, Parochum excommunicatum, quamuis non toleratum, validè assistere matrimonio. Ita Sancius lib. 3. d. 2. Henriquez cap. 3. Ægidius disp. 27. dub. 2. & Basilius c. 17. quia assistere matrimonio non est actus iurisdictionis, aliàs assistentia coacta non sufficeret: imò neque est actus testis, quia assistere non est testificari; sed tantùm est actus, ratione cuius fit quis conscius, & potens testificari: ergo quamuis excommunicatus non toleratus nequeat actum iurisdictionis Ecclesiasticæ validè exercere, & quamuis non posset validè testificari, poterit tamen validè assistere matrimonio; quia excommunicatus, quamuis non toleratus, nullibi priuatur potestate assistendi.

Sancius. Henriq. Ægidius. Basilius.

Secundò est difficultas, An Parochus excommunicatus non toleratus validè licentiam conferat Sacerdoti, vt assistat matrimonio.

Petrus Ledesma q. 45. art. 9. punct. 3. dub. 4. & Ægidius vbi suprà, partem negatiuam tuentur; quia conferre licentiam ad assistendum matrimonio, est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, qua dictus excommunicatus priuatus est; quia est actus potestatis Parochi, & non Ordinis, vt patet, ac proinde est iurisdictionis.

Ledesma. Ægidius.

27 Sancius verò, Basilius, Henriquez vbi suprà, & Rebellus lib. 2. quæst. 8. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia collatio dictæ licentiæ non est actus iurisdictionis, quia non est institutio Iudicis, sed tantùm est quædam designatio spectatoris matrimonij, vt possit de eo testificari, facta ex ordinatione Tridentini, à quo Sacerdos, dicta designatione suppositā, accipit potestatem ad id, & non à Parocho; quia ea suppositā, Sacerdos qualificatur à Tridentino ad id, sicut & ipse Parochus, & non à Parocho. Vnde collatio dictæ licentiæ non est actus potestatis Parochi vt Parochus est, sed est actus auctoritatis à Tridentino annexæ officio Parochi.

Sancius. Basilius. Henriq. Rebellus.

Obseruandum est, Parochum excommunicatum, quamuis non toleratum, non tantùm validè (vt diximus) sed etiam licitè assistere matrimonio, & conferre licentiam ad id, vt contra Basilium aduertit Sancius, quia quamuis in his duobus communicet cum alijs, id tamen efficit ob vtilitatem, imò ob necessitatem contrahentium: quia absque eo, aut absque eius licentia nequeunt contrahere; vnde nec ipsi contrahentes peccant dum coram illo contrahunt. Si tamē Parochus ab Episcopo, aut ab alio competente Iudice prohibitus sit assistere matrimonio, aut licentiam conferre, si id efficiat, quamuis peccet, validè tamen efficiet; quia simplici prohibitione non priuatur dicta potestate, imò priuari nequit quamdiu manet Parochus (quamuis sit ad nutum amobilis) nisi à Papa, aut à Concilio generali; quia ab his accipit potestatem ad dicta absque subordinatione ad Episcopum, quoad eorum valorem: quando verò Parochus tantùm est prohibitus Sacramenta administrare, potest validè & licitè assistere matrimonio, & licentiam ad id conferre, quia neutrum est Sacramentum administrare.

Et nō solùm verus Parochus validè assistit matrimonio, & licentiam confert ad id, sed etiam qui verè non est Parochus, dum habeat titulum coloratum Parochi, id est, dum habeat titulum Parochi à legitimo Superiore, quem occultè amisit, aut à principio verè non accepit, ob occultum impedimentum, & dum communi errore credatur habere titulum; quia tunc Ecclesia ob commune bonum confert potestatem ad validè exercendum officium Parochi, vt generaliter contingit omnibus Iudicibus & Officialibus habentibus dictum titulum coloratum, & existente dicto errore, iuxta L. *Barbarius*. ff. De officio Prætoris.

DIFFICVLTAS IX.

Quis præter Parochum possit assistere Matrimonio, & licentiam assistendi concedere Sacerdoti.

COnueniunt Doctores, in primis, Romanum Pontificem posse in tota Ecclesia matrimonio assistere, & alteri licentiam ad id conferre, vt patet. Secundò, Episcopum in sua diœcesi non solùm posse licentiam conferre Sacerdoti vt assistat matrimonio (quia verè est Ordinarius in illa) sed etiam posse matrimonio assistere; quia est Parocho superior, aut Parochus superior. Tertiò, idem posse omnes habentes Episcopalem iurisdictionem, respectu eorum in quos eam habent, vt Abbates Ecclesiarū nulli Episcopo subiectarum, quia sunt ordinarij in eis. Quartò, idem posse Capitulū sede vacante, quia succedit Episcopo quoad iurisdictionem ordinariam, cui est annexa dicta facultas. Quintò, idem posse Legatum à latere Pontificis in prouincia suę legationis, quia est Ordinarius in ea, vt constat ex cap. 2. de Officio Legati, in 6. Tandem sextò, idem posse Cardinales in Ecclesijs sui tituli, quia sunt in eis ordinarij, imò etiam Parochi immediati.

Conueniunt Secundò, Archiepiscopum non posse assistere matrimonio subditorum sui Suffraganei, neque ad id licentiam concedere, quia non est Ordinarius illorum: posse tamen, dum actu visitat diœcesim Suffraganei, quia tunc habet iurisdictionem ordinariam; & etiam posse, quando nolente Suffraganeo aliquos maritaliter coniungi, ad ipsum super ea re appellatur, postquam eius sententia transierit in rem iudicatam, quia tunc ad ipsum deuoluitur iurisdictio ordinaria.

Est tamen difficultas, An Prouisor, seu Vicarius Generalis Episcopi, ex vi sui officij, absque superaddita & speciali commissione, possit matrimo-

nio

nio assistere, & ad id licentiam conferre sicut ipse Episcopus.

Pet. Ledes. Petrus Ledesma quæst. 45. art. 5. pun. 3. dub. 4. docet, non posse; quia Vicarius generalis ex suo officio nequit de causis matrimonialibus cognoscere, vt significari videtur in cap. *Accidentibus.* 12. de Excessibus Prælatorum, dum dicitur, dictam cognitionem ad dignitatem Episcopalem pertinere; ergo neque poterit matrimonio assistere, neque ad id licentiam conferre.

32 *Sancius. Ægidius. Basilius.* Sancius verò disp. 29. Ægidius disp. 27. dub. 2. Basilius lib. 5. cap. 11. & communiter Doctores docent, posse: quod etiam Congregatio Cardinalium declarauit, & meritò: quia, vt ex Tridentino sess. 24. cap. 1. de Reformatione matrimonij constat, Ordinarius potest matrimonio assistere, & ad id licentiam conferre; prouisor autem, seu Vicarius generalis Episcopi, est ordinarius, vt ostendit Sancius num. 3. & 5. & constat ex eo, quòd Vicarius Episcopi constituit vnum tribunal & vnam personam cum Episcopo, vt dicitur in cap. *Romana.* 3. de Appellat. in 6. quod etiã constat ex praxi approbandi ad audiendas confessiones sæcularium, quod à Tridentino commissum est Episcopo, & regulariter fit à Vicario. Et idem ob eamdem rationem dicendum est de Vicario generali eorum qui habent iurisdictionem Episcopalem.

33 Posse autem Vicarium generalem Episcopi ex vi sui officij de causis matrimonialibus cognoscere, praxis ostendit; quando autem in dicto cap. *Accedentibus.* dicitur, earum cognitionem ad Episcopum pertinere, non excluditur eius Vicarius generalis; quia vnam cum eo personam constituit, & vnum tribunal; præterquàm quòd assistere matrimonio, & ad id licentiam conferre, non est de causis matrimonialibus cognoscere.

Archipresbyter verò nequit assistere matrimonio, nisi suorum parochianorum, & non parochianorum Parochi sibi subditi, quia non est Parochus, neque ordinarius eorum.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Parochus non proprietarius ab Episcopo delegatus, & amobilis ad nutum illius, possit Matrimonio assistere, & ad id licentiam conferre.

34 CONueniunt Doctores, Parochum ab Episcopo aut ab eius Vicario delegatum, vel interim dum aliquis in proprietarium eligitur, vel quia Episcopus est immediatus Parochus, posse validè assistere matrimonio, aut quia est verus Parochus, aut quia in dicta delegatione continetur licentia ipsi facta ad assistendum matrimonio.

Sotus. Bar. Ledes. Est tamen difficultas, An etiam possit licentiam ad id conferre. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 3. & Bartholomæus Ledesma de Pœnitentia dub. 13. docent, non posse, quia prædictus est delegatus; qui autem est delegatus, nequit alterum subdelegare.

Sancius. Henriq. Sancius verò lib. 3. disp. 31. Henriquez & plures alij docent, posse: quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium, & meritò: quia ille est verè Parochus, quamuis delegatus, ergo potest ad id licentiam conferre, quia ex Tridentino sufficit licentia Parochi. Et idem ob eamdem rationem dicendum est de Vice-curato plenè delegato à Parocho proprietario, vt contra Basilium aduertit Sancius, quod verum credimus, non solùm in absentia, sed etiam in præsentia Parochi proprietarij; quia etiam in præsentia illius est verus & proprius Parochus, quamuis non proprietarius, sed delegatus & mercenarius. *Sancius.*

Quòd autem delegatus non possit iurisdictionem subdelegare, non obstat; quia eam licentiam concedere, non est subdelegare iurisdictionem, quia assistere matrimonio, ad quod conceditur, non est actus iurisdictionis; præsertim quòd delegatus, quamuis nequeat iurisdictionẽ ad omnem causam sibi delegatam subdelegare, potest tamen ad vnam vel ad alteram, ac proinde posset ad assistendum matrimonio, quamuis id esset iurisdictionem concedere. 35

DIFFICVLTAS XI.

Qualis licentia requiratur in Sacerdote, vt valide assistat Matrimonio.

PRimò est difficultas, An ad id requiratur licentia specialis. 36

Vera-cruz. Vera cruz in Appendice ad Speculum dub. 5. docet, requiri licentiam specialẽ; quia quæ speciali nota sunt digna, quando specialiter non notantur, videntur neglecta, vt patet ex L. *Item.* ff. De iniurijs; sed matrimonium est res grauissima & ardua, vt constat ex cap. fin. de Procuratoribus, in 6. & ex se patet; ergo est dignum speciali nota, ac proinde quando specialiter non conceditur, videtur omissum, & non concessum.

Sancius. Ægidius. Sancius verò disp. 35. & Ægidius disp. 27. dub. 3. docent, non requiri licentiam specialem, sed sufficere generalem, qua conceditur facultas ad exercendum officium Parochi: quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium, & meritò: quia assistendo ex ea licentia, satisfit Tridentino, requirenti licentiam ad assistendum; quia ea est vera licentia ad id, quamuis sub verbis generalibus collata; imò sufficit quòd licentia ad assistendum, siue specialis siue generalis, conferatur verbaliter, vt aduertit Sancius, quia licentia verbalis est vera licentia: cui non obstat declaratio Cardinalium, in qua dicitur sufficere licentiam generalem in scriptis datam; quia non dicitur requiri, sed sufficere. *Sancius.*

Ea verò, quæ speciali nota sunt digna, tunc censentur omissa, quando non conceduntur specialiter, aut modo æquiualente concessioni speciali: concessio autẽ facultatis generalis ad exercendum officium Parochi æquiualet licentiæ speciali ad assistendum matrimonio, quia hæc includitur in illa; concessio verò facultatis ad administrandum omnia Sacramenta, non æquiualet, nec sufficit (quamuis Congregatio Cardinalium doctrinam probabilem secuta, oppositum indicet) vt contra Basilium cap. 29. aduertunt Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 3. & Ægidius disp. 27. dub. 3. quia assistere matrimonio, non est Sacramentum matrimonij administrare; quia nec Sacerdos assistens, nec Parochus est minister, sed tantùm ipsi contrahentes. 37 *Henriq. Ægidius.*

Secundò est difficultas, An sufficiat ratihabitio.

Conueniunt communiter Doctores, non sufficere ratihabitionẽ futuram post assistentiam matrimonij, 38

trimonij, quamuis probabilissimè præsumptam.

Sancius. Basilius. Ægidius. Ita Sancius, Basilius & Ægidius vbi suprà, quia tunc assistitur absque licentia quæ actu sit; quia quando assistitur, nondum est ratihabitio, quia est futura. Neque huic obstat Regula illa decima Iuris, *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari*; quia ea Regula tantùm habet locũ, quando valor actus aut cõtractus pendet ex sola voluntate ratihabentis; ac proinde non habet locum in matrimonio, cuius valor non pendet ex sola voluntate Parochi conferentis licentiam, sed etiam ex consensu contrahentium, qui fuit nullus ex defectu licentiæ.

Supereſt ergo difficultas, An ſufficiat ratihabitio præſens (quæ dicitur *licentia tacita*) vt contingit quando Parochus videt Sacerdotem incipientem aſſiſtere, aut parari ad id, & non contradicit, cùm facilè poſſit.

39 *Henriq. Vera-cruz.* Henriquez 11. de Matrimonio cap. 3. & Veracruz docent, non ſufficere, ſed requiri expreſſam licentiam; quod etiam videtur declaraſſe Congregatio Cardinaliũ, dum ait, non ſufficere licentiam tacitam, quæ reſultat ex tolerantia. Sancius verò, *Sancius. Ægidius. Basilius.* Ægidius & Baſilius vbi ſuprà docent, ſufficere, & meritò: quia dicta licentia, quamuis tacita, eſt vera licentia, & non eſt purè interna, ſed externa, quia taciturnitas in eo caſu eſt ſignum externum ſufficiens voluntatis, qua Parochus vult Sacerdotem illum aſſiſtere.

Vnde Cardinales in dicta Declaratione, aut maximo rigore ad ſeruandam formam Tridentini, non ſunt contenti dicta licentia tacita, aut fortè loquuntur de licentia tacita futura.

Tertiò eſt difficultas, An ſufficiat licentia extorta per vim, aut metum, aut fraudem.

Non deſunt qui exiſtiment non ſufficere; quia quæcumque donatio non liberalis, eſt inualida. *Sancius. Ægidius.* Sancius verò diſp. 39. & Ægidius d. 27. n. 39. docent ſufficere, & meritò: quia illa licentia non eſt donatio alicuius rei, quæ fiat illius cui datur licentia (quia ſi talis eſſet, non poſſet eſſe valida defectu tituli, nempe liberalitatis) ſed eſt quædam conceſſio facultatis ad aſſiſtendum, quæ abſque fundamẽto negatur eſſe valida, quamuis concedatur ab incito, ſi hîc & nunc efficaciter concedatur.

DIFFICVLTAS XII.

Quis cenſeatur Parochus vagabundorum, & quomodo ſe debeat gerere circa eorum Matrimonium.

40 VAgabundi ſeu vagi dicuntur in Iure, qui nullum habent firmum domicilium, ſed vagantur, ac proinde nullum habent firmum & certum Parochum; quia fideles ex domicilio ſortiuntur Parochum, vt ſtatuitur in cap. vlt. de Parochijs.

Sancius. Henriq. Basilius. Circa prius ergo Sancius lib. 3. diſp. 25. Henriquez 11. de Matrimonio, cap. 3. & Baſilius lib. 5. cap. 14. docent, vagabundos nõ habere proprium Parochum, quia carent domicilio; & conſequenter quemlibet Parochũ poſſe eorum matrimonio aſſiſtere, & eorum confeſſiones audire; quia non eſt maior ratio vnius Parochi quàm alterius.

41 *Pet. Sotus. Ægidius.* Petrus Sotus lect. 5. de Confeſſ. & Ægidius diſp. 27. dub. 2. docent, Parochũ vagabundorum, vt eorum matrimonijs aſſiſtat, & eorum confeſſiones audiat, eſſe illum in cuius Parochia actu habitant & hoſpitantur, & meritò: quia iſtis aſſignandus eſt aliquis proprius Parochus, cui incumbat eorum cura, aliàs non fuiſſet illis ſufficienter prouiſum; nullus autem alius eis congruè aſſignari poteſt, niſi ille in cuius parochia actu habitant tempore quo contrahunt matrimonium, aut aliud Sacramentum recipiunt. Quod etiam praxis confirmat; quia nullus Parochus cenſetur obligatus ad conferendum Euchariſtiam & Extremam Vnctionem vagabundo ægrotanti, niſi ille in cuius parochia tunc vagabundus hoſpitatur & habitat.

Quamuis ergo vagi careant domicilio, non carent proprio Parocho (quamuis careant firmo) quia actualis habitatio eſt illis in locum domicilij, ſaltem ex interpretatiua & rationabili voluntate Summi Pontificis, quia conſonum eſt rationi, imò & Iuri poſitiuo, parochias aſſignari ex habitatione ſubditorum; ac proinde quando non habent firmam, ex actuali non firma. Ex quo conſtat ad rationem aduerſariorum.

Et quamuis contingat, in oppido aliquo eſſe parochiam aliquã ab Epiſcopo pro vagabundis deputatam, nihilominùs Parochus in cuius parochia actu habitat, eſt ſufficiens vt eorum matrimonio validè aſſiſtat; quia Iure Pontificio communi eſt proprius Parochus eorum, etiamſi illicitè aſſiſtat, quando aſſignatione aliùs Parochi, ab Epiſcopo facta ex rationabili cauſa, prohibeatur alijs aſſiſtere. Aſſignatus tamen ab Epiſcopo erit ſufficiens, vt licitè & validè aſſiſtat, non vt Parochus, ſed ex licentia generali Epiſcopi, quam eo ipſo quòd eum aſſignat vt Parochũ, ipſi confert ad id. Quando verò vagis aſſignatur parochia ſolùm, vt in ea ſatisfaciãt præcepto annuæ confeſſionis & Communionis, tunc Parochus iſtius parochiæ non erit ſufficiens vt eorum matrimonio aſſiſtat, quia tunc non eo ipſo ei conceditur licentia aſſiſtendi, ſed tantùm erit ſufficiens ad id Parochus, in cuius parochia actu habitant.

Circa poſterius obſeruandum eſt (in quo communiter conueniunt Doctores) Parochum, etiamſi validè aſſiſtat matrimonio vagorũ, illicitè tamen, quando aſſiſtit non facta priùs inquiſitione de eorum ſtatu & habilitate ad contrahendum, & re ad Ordinarium delata, & ab eo obtenta licentia tangendi illos matrimonio: quia ita præcipitur in Tridentino ſeſſ. 24. c. 7. de Reformat. matrimonij. Quod etiam eſt verum, quamuis vnus tantùm ex contrahentibus ſit vagus; tunc tamen eorum matrimoniũ poterit contrahi coram Parocho cuiuſlibet, ſiue alterius, iuxta ea quæ diximus Difficvlt.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm Sacerdos habens licentiam ad aſſiſtendum, eam tamen ignorans, validè aſſiſtat.

COnueniunt Doctores, Sacerdotem, cui conceſſa eſt licentia non petita nomine ſuo, ſed à Parocho, ſiue propria ſponte ſiue rogato ab alio, quamdiu eam ignorat, non poſſe validè aſſiſtere matrimonio; quia ſaltem tunc non habet licentiam acquiſitam, quia non habet eam acceptatam à ſe, nec ab alio nomine ſuo.

Eſt tamen difficultas, An quando Sacerdos habet licentiam nomine ſuo petitam à nuntio ad id miſſo ab ipſo Sacerdote, eam tamen ignorat,

rat, illi valeat ad validè assistendum matrimonio.

Sancius. Ægidius. Sancius disp. 36. & Ægidius 27. dub. 3. docent, dictam licentiam valere ad id, quia tunc Sacerdos verè habet licentiam acquisitam, vtpote acceptatam à nuntio misso nomine suo ad id. Et idē docet

Silvester. de priuilegio Siluester v. *Priuilegium.* quæsito 16.

Nos tamen existimamus, dictam licentiam non valere ad id (quod de priuilegio, habente vim

Vasquez. dispensationis legis, docet Vasquez 1. 2. disp. 159. c. 4.) quia credi non potest, Tridentinum & Parochum velle, vt licentia concessa valeat, & sit vera licentia, quousque is cui conceditur, possit eâ licitè assistere, quia ad id conceditur: qui autem ignorat licentiā esse sibi concessam, quamuis iam acquisitam acceptatione à nuntio facta, nequit li-

45 citè eâ assistere matrimonio. Sufficit tamen notitia licentiæ (sicut & dispensationis denuntiationum præmittendarum) habita ex testimonio alicuius fide digni, quando non est ratio aliqua suspicionis in oppositum: imò sufficit notitia habita ex testimonio contrahentium, quando sunt valdè fide digni; non verò quando contrahentes sunt Ordinario tantummodò fide digni; quia in his quæ pertinent ad forum externum, vt pertinent dicta licentia, & dicta dispensatio, est difficilè credendum partibus.

Obseruandum est, licentiam semel datam posse

Sancius. Ægidius. ad libitum reuocari. Addunt tamen Sancius & Ægidius, non censeri sufficienter reuocatam, quousque reuocatio intimetur ipsi habenti licentiam, siue per nuntium, siue per epistolam, & non sufficere, aliunde nosse reuocationem.

DIFFICVLTAS XIV.

Quot alij assistentes seu testes, & quales requirantur & sufficiant ad valorem Matrimonij.

46 CIrca prius certum est, ad valorem matrimonij, præter Parochum, vel alium Sacerdotem de licentia Parochi, requiri & sufficere duos alios assistentes, seu testes, coram quibus contrahatur, vt constat ex Tridentino sess. 24. cap. illo 1. Requiritur etiam, Parochum & alios duos simul assistere, vt possint esse contestes, id est vt possint testificari de matrimonio tamquam de vno & eodem contractu; aliàs per eos non posset plenè constare de matrimonio, quod Tridentinum intendit.

Circa posterius non desunt recentiores, qui existiment, ad valorem matrimonij requiri, quòd testes sint omni exceptione maiores, id est, quòd careant omni defectu, ob quem testes Iure repelli possunt à ferendo testimonium; quia, vt constat ex cap. 1. de Consanguinitate, & ex alijs Iuribus, ad causas matrimoniales requiruntur testes omni exceptione maiores; ergo etiam ad testificandum de contractu ipso facto.

47 *Sancius.* Sancius verò lib. 3. d. 41. & communiter Doctores docent, ad valorem matrimonij non requiri, quòd assistentes sint omni exceptione maiores; quia dicta maioritas, seu carentia dictorum defectuum, nullo Iure requiritur; quia non Iure Tridentini, cùm hoc nullam qualitatem in assistentibus requirat, nisi quòd vnus sit Parochus; non Iure aliquo antiquo peculiari circa matrimonium, quia quamuis in dicto cap. 1. de Consanguinit. & in alijs, dicta maioritas requiratur ad dissoluendum matrimonium, non tamen ad ei assistendum: neque Iure communi, quo generaliter dicta maioritas requiritur, quia hæc tantùm requiritur in alijs negotijs, & non in fauorabilibus, qualis est celebratio matrimonij. Ex quo constat, quamcumque personam vsu rationis præditam posse validè assistere matrimonio.

DIFFICVLTAS XV.

Qualis præsentia Parochi & aliorum testium requiratur & sufficiat ad valorem Matrimonij.

COnueniunt Doctores, ad valorem matri- 48
monij requiri in Parocho & in alijs testibus præsentiam moralem seu humanam, qua assistant aduertendo ad contractum; aliàs non possent de eo testificari; & sufficere, si percipiant contractum per interpretem, sicut etiam sufficit, quòd vnus contrahentium alteri per interpretem exprimat suum consensum.

Est tamen difficultas Primò, An in Parocho & alijs testibus sufficiat attentio virtualis, vt contingit, quando animo assistendi accesserunt aduertenter, tamen tempore, quo fit contractus, mentis euagatione distrahuntur.

Henriquez 2. de Matrim. c. 3. docet, sufficere *Henriq.* intentionem virtualē; quia etiam sufficit ad valorem aliorum Sacramentorū, & ad consecrationem.

Sancius verò l. 3. disp. 39. & plures alij docent, 49
non sufficere, sed requiri actualem, & meritò: quia *Sancius.* absque intentione seu aduertentia actuali non possunt testificari factum esse matrimonium; imò etiam in ipsis contrahentibus requiritur actualis, vt validè contrahant, quamuis in eis sufficiat virtualis aduertentia, & intentio efficiendi ipsum contractum verum Sacramentum (vt diximus Disput. 1. Diffic. 1x.) sicut etiā sufficit ad valorem aliorum Sacramentorum, & ad consecrationem.

Secundò est difficultas, An sufficiat assistere, quando contra suam voluntatem assistunt detenti & coacti. Ratio difficultatis pro parte negatiua est, quia assistentia coacta non videtur humana, seu hominis vt homo est, quia est contra voluntatem, & ad assistentiam humanam non tantùm videtur requiri aduertentia intellectus, sed etiam consensus voluntatis; quia homo vt homo non tantùm constat intellectu, sed etiam voluntate.

Nihilominùs Sancius vbi suprà, Basilius c. 21. & 50
communiter Doctores docent, assistentiā coactam *Sancius. Basilius.* seu violentam sufficere (quod etiam declarauit Congregatio Cardinaliū de Parocho, de quo poterat esse maior difficultas) & meritò: quia Tridētinum tantùm requirit præsentiā Parochi & testium sufficientem ad testificandū, matrimonium esse factum: assistentia autē seu præsentia, quamuis coacta, sufficit ad dictam testificationē, vt patet, quia potest esse cum actuali aduertentia, & in hoc tantùm sensu requiritur quòd præsentia sit humana, nempe quòd sit sufficiens ad testificandum, quod conuenit assistentiæ coactæ, & etiam assistentiæ dolo procuratæ: & ob eamdem rationem sufficit, assistere matrimonio à casu, vt contra Basilium (cui Congregatio Cardinalium fauet) docent Sancius vbi suprà, & Petrus Ledesma q. 45. art. 5. *Sancius.* punct. 3. dub. 2. quia scilicet à casu assistere, suffi- *Ledesma.* cit ad testificandum.

Addimus, vt cōmuniter Doctores, ad valorem matrimonij non requiri, quòd Parochus proferat

verba illa, *Ego vos coniungo*, neque alia; quia præsentia Parochi non est necessaria vt minister, sed vt testis; peccabit tamen Parochus contra præceptum Tridentini, si illa omittat; sed non mortaliter, quia est omissio rei leuis.

51 Sancius. Qui autem contrahunt coram Parocho coacto, peccant mortaliter, vt docent Sancius & plures alij; quia illi, vt ministro Ecclesiæ ab ipsa deputato ad authorizandum matrimonium, grauem irreuerentiam irrogant contra Religionẽ, aut contra dulíam sacram; & etiam peccant contra iustitiam, aut mortaliter aut venialiter pro quantitate violentiæ; & etiam contra hanc peccant, & eodem modo, contrahendo coram alijs testibus coactis, quamuis non contra Religionem, saltem grauiter. Nihilominùs quando esset grauis necessitas contrahendi, & absque iusta causa nollent assistere, possunt dolosa æquiuocatione vocari tam Parochus quàm alij, aut ad eos venire, non tamen vi cogi, quia priuati non possunt id efficere.

DIFFICVLTAS XVI.

Quibus pœnis puniantur contrahentes clandestinè absque testibus.

52 INter pœnas, quibus, vbi Tridentinum viget, puniuntur contrahentes absq; Parocho & alijs testibus, recenseri solet Primò, quòd sint inhabiles ad sic contrahendum, vt decernitur in Tridentino sess. 24. c. 1. id tamen non est pœna, sed effectus aut actus legis irritantis; quia post factũ contractum clandestinè, non relinquuntur inhabiles ad posteà validè contrahendũ, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, & deducitur ex ipso Tridentino, quod etiam Congregatio Cardinalium declarauit.

Secundò contrahentes absque Parocho & alijs testibus, vbi Tridentinum viget, puniendi sunt pœna graui arbitrio Ordinarij, vt statuit Tridentinum vbi suprà. & vbi Tridentinum non viget, contrahentes clandestinè absq; testibus, & forsan etiam absque proprio Sacerdote, sunt etiam puniendi pœna arbitraria, vt statuitur in cap. fin. de Clandestina desponsat. Et in eodem cap. sic contrahentes etiam puniuntur in eo, quòd eorum proles sit illegitima, quando contrahunt in gradu prohibito, quamuis ignoranter.

53 Tertiò, in aliquibus diœcesibus contrahentes absque Parocho & alijs testibus, excommunicantur ipso facto excommunicatione Synodali.

Quartò, contrahentes clandestinè, id est, absque testibus lege Ecclesiastica requisitis, Iure antiquo Castellæ L. final. tit. 3. par. 4. tradendi erant in perpetuam seruitutem propinquioribus consanguineis vxoris. Hæc tamen pœna iam non habet locum, quia mitior statuta est L. 41. Tauri, quæ habetur l. 5. Nouæ Recopilat. tit. 1. L. 1. nempe pœna priuationis omnium bonorum, & exilij ab his Regnis, & quòd possint à parentibus exheredari. de quibus legendus est Sancius lib. 3. disp. 47.

Sancius.

DIFFICVLTAS XVII.

Quibus pœnis puniatur Parochus, assistens Matrimonio clandestino absque alijs testibus.

54 IN primis in cap. fin. de Clandestina desponsat. Parochus, vel alius Sacerdos, assistens matrimonio clandestino sine alijs testibus, suspenditur triennio ab officio, sed non ipso facto, vt verbo illo *suspendatur*, respiciente actum futurum Iudicis, significatur.

Deinde in Tridentino sess. 24. c. 1. de Reformat. matrimonij, præcipitur, Parochum, vel alium Sacerdotem, assistentem matrimonio absque alijs testibus, & etiam alios testes absque Parocho vel alio Sacerdote assistentes, grauiter puniri arbitrio Ordinarij.

Est tamen difficultas, An post hoc decretum Tridentini, quo præcipitur Parochus vel alius Sacerdos assistens absque alijs testibus, grauiter puniri arbitrio Ordinarij, cessauerit supradicta pœna suspensionis triennalis ferendæ, statuta in dicto cap. fin.

Rodriguez Tom. 1. c. 221. & Salsedo in Practica cap. 73. docent, non cessasse, quod etiam supponit Ægidius dub. 10.

Et probari potest Primò, quia Tridentinum non derogat Iuri antiquo, imò fatetur se inhærere vestigijs Concilij Lateranensis, ex quo Ius illud desumptum est. Secundò, quia quando eidem delicto diuersæ pœnæ imponuntur, quamuis diuersis legibus, seruandæ sunt, præsertim si pœna, quæ imponitur posteriori lege, sit aliquo modo contenta in priori lege. Ergo quamuis lege Tridentini decernatur pœna arbitraria, etiam perseuerabit pœna illa suspensionis triennalis dicti cap. final. præsertim cùm in eo decernatur vltra suspensionem triennalem grauiùs puniendum, si qualitas delicti postulauerit.

Sancius verò lib. 3. disp. 48. & Matienzo lib. 5. Recopilationis, tit. 1. l. 1. docent, suspensionem illam triennalem cessasse, & meritò: quia rationi conforme est, vt quando lege noua imponitur mitior pœna, quàm erat imposita lege antiquiori, cesset antiqua, præsertim quando tempore legis nouæ delictum sit factum minùs pernicioſum Reipublicæ; ergo per pœnam arbitrariam impositam noua lege Tridentini, cessat antiqua suspensionis triennalis; quia illa arbitraria est mitior, & post decretum Tridentini matrimoniũ sic factum, vtpote nullum, est minùs pernicioſum Reipublicæ, quàm anteà quando validum manebat. Ex quo constat ad posteriorem rationem.

Ad priorem verò respondemus, decreto Tridentini fuisse derogatum Iuri illi antiquo quoad dictam pœnam, non expressè, sed implicitè, imponendo aliam mitiorem pro eodem delicto iam minùs pernicioſo. Vnde Tridentinum, quoad puniendum matrimonium dicto modo clandestinum, non inhæret vestigijs Concilij Lateranensis, neque id intendit, sed solùm quoad præmittendum denuntiationes, & quoad puniendum Parochum illas omittentem.

Obseruandum est, in Tridentino dicto c. 1. statui, vt Parochus, aut alius Sacerdos, adiuncto Regularis, qui ausus fuerit matrimonialiter coniungere aut benedicere alienos parochianos, absque licentia proprij, ipso Iure suspensus maneat, donec ab Ordinario Parochi, ad quem id pertinebat, absoluatur; ac proinde ob rationem supradictã corrigitur & cessat pœna excommunicationis contra Religioſos matrimonia solemnizantes, lata in Clementina 1. de Priuilegijs; quod declarauit Congregatio Cardinalium, cuius declaratio apertè fauet nostræ doctrinæ de cessatione suspensionis triennalis.

DIFFI-

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm denuntiationes sint necessariæ ad Matrimoniũ, & quomodo sint faciendæ.

57 DEnuntiationes sunt admonitiones quædam, quibus monentur Christiani, vt si aliquod impedimentum nouerint inter eos qui matrimonium contrahere intendunt, illud aperiant.

Circa prius ergo certum est, in Tridentino sess. 24. c. 1. sæpè repetito requiri, ante contractionem matrimonij fieri dictas monitiones ter à proprio Parocho tribus continuis diebus festiuis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia; & in cap. fin. de Clandestina desponsat. desumpto ex Concilio Lateranensi c. 51. requiri fieri saltem semel à Presbyteris in Ecclesia.

Est tamen difficultas, An dictæ denuntiationes, vbi Tridentinum viget, sint necessariæ ad valorem matrimonij, ita vt eis omissis inualidè fiat. Addimus, *vbi Tridentinum viget*; quia ante ipsum non fuerunt sic necessariæ, vt in ipso exprimitur.

58 Circa difficultatem ergo non desunt, qui existiment, vbi Tridentinum viget, esse necessarias ad valorem (quando non omittuntur ex dispensatione) quia Tridentinum vbi suprà decernit, Parochum assistere matrimonio, denuntiationibus præmissis; ergo absque eis non validè assistet, ac proinde matrimoniũ fiet inualidè, quia ad eius valorem requiritur valida assistentia Parochi.

Sanctius. Basilius. Sancius verò lib 3. de Matrimonio, dist. 5. Basilius lib. 5. c. 3. & communiter Doctores docent, non esse necessarias ad valorem, etiamsi absque dispensatione omittantur, & meritò: quia quamuis Tridentinum præcipiat Parocho, quòd denuntiationes efficiat, & quòd absque eis præcedentibus non assistat matrimonio, nisi earum dispensatione obtenta; non tamẽ irritat matrimonium aliter factum, sed tantùm quando fit absque Parocho & alijs testibus, vt ex contextu patet. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Quamuis ergo denuntiationes nõ sint necessariæ ad valorẽ matrimonij, prærequiruntur tamen ex præcepto, vt licitè fiat, & vt ei licitè assistatur.

Est tamen difficultas, An absque eis præmissis contrahere matrimonium, & ei assistere, sit illicitum mortaliter.

59 *Sotus.* Sotus in 4. dist. 28. q. 1. art. 2. ad 1. docet, tantùm esse veniale (nisi in ea diœcesi, in qua id sit prohibitum sub pœna excommunicationis;) quia Iure communi Tridentini & Lateranensis, denuntiationes non præcipiuntur graui pondere.

Sancius. Basilius. Sancius verò, Basilius, & communiter Doctores docent, esse mortale, & meritò: quia omissio earum est res grauis, imò præcepta vt grauis, seu graui pondere, ob incommoda grauia quæ sequi possunt, contrahendo absque eis præmissis. Addunt Sancius & alij contra Basilium, vnam ex tribus requisitis à Tridentino omittere, non esse peccatum mortale, quando moraliter est certum, nullum esse impedimentum, & meritò: quia tunc non videtur omissio magni momenti.

60 *Sancius.* Circa posterius (de quo legendus est Sancius disp. 6.) attento dicto decreto Tridentini, vbi viget, in primis dictæ denũtiationes efficiendæ sunt à proprio Parocho, vt in ipso decreto exprimitur; faciendæ autem sunt à Parocho, siue per se, siue per alium cui ipse committat, vt praxis ostendit. Secundò, vt ex dicto Decreto constat, faciendæ sunt tribus diebus continuis festiuis, quod intelligitur, quamuis inter eos medient aliqui dies feriales, imò sic meliùs satisfit intento dicti Decreti, detegendi videlicet impedimenta, & etiam sufficienter satisfit ipsis verbis: sufficiet etiam (quidquid alij dicant) fieri tribus diebus festiuis absq; interuallo ferialium; quia sic sufficienter satisfit verbis & intento dicti Decreti. Quando verò vna tantùm præmittenda est denuntiatio, expectandum est aliquo temporis spatio post ipsam factam, aliàs esset parum vtilis.

Tertiò, faciendæ sunt in Ecclesia, vt dicitur in dicto Decreto; & non in quacumque, sed in propria parochia, vt deducitur ex eo, quòd in dicto Decreto dicitur, faciendas esse à proprio Parocho contrahentium: & faciendæ sunt in parochijs vtriusque contrahentis, quando ad diuersas pertinent, nisi quando ob paruam distantiam parochiarum sufficiat in parochia vnius, siue viri siue feminæ, vt possint impedimenta manifestari: & quando contrahens pertinet ad duas parochias, sufficiet quòd fiant in qualibet earum, in qua sit sufficienter notus; potiori tamen ratione in parochia illius Parochi, coram quo contrahendum est matrimonium. Quòd si ad vnã tantùm parochiam 61
pertineat, & in ea non sit sufficienter notus, faciendæ sunt in ea parochia aliena, in qua sit sufficienter notus, faciendæ tamen sunt cura & diligentia Parochi ipsius contrahentis. Addunt nonnulli, denuntiationes posse fieri extra Ecclesiam, & in diebus non festiuis, vbi & quando magna populi pars conueniat, cui acquiescimus vbi id sit consuetudine introductum.

Quartò, denũtiationes faciendæ sunt antequam matrimonium contrahatur, nisi adsit prudens suspicio, quòd matrimonium malitiosè impedietur; quia tunc, vt ex dicto Decreto constat, vna tantùm sufficiet ante matrimonium, vel nulla erit necessaria, si ob vnam id timeatur; tunc tamen posteà ante illius consummationẽ faciendæ sunt denuntiationes; sufficiet tamen vna, vt declarauit Congregatio Cardinaliũ, quia ex vna parte pro eo 62
casu Tridentinum contentum erat vna denuntiatione ante contractum matrimonij facienda, & ex alia parte vna denuntiatione posteà facta satisfit verbis Tridentini, pro eo casu dicentis, *ante consummationem fiant denuntiationes*; quia hoc in plurali dictum, potest sufficienter intelligi pro omnibus matrimonijs sic celebratis, quamuis non pro quolibet matrimonio. Poterunt tamen tunc omnes omnino omitti, si Ordinarius id iudicet expedire, vt dicitur in dicto Decreto.

DIFFICVLTAS XIX.

Quis possit dispensare, vt denuntiationes postponãtur, vel vt omnino omittantur.

COnueniunt Doctores, Episcopum posse in prædicto dispensare; quia Tridentinum id remittit arbitrio Ordinarij, Episcopus autem est verè Ordinarius.

Est tamen difficultas Primò, An id etiam possit 63
Prouisor seu Vicarius generalis ex vi sui officij.

Henriq. Basilius. Gomez. Sancius. Henriquez lib. 11. cap. 5. Basilius cap. 3. & Antonius Gomez in Bulla Cruciatæ, c. 4. q. 4. negant, immeritò tamen, vt optimè Sancius lib. 3. disp. 7.

Ægidius. Riccius. Ægidius disp. 27. dub. 6. & Riccius in Praxi, decis. 259. quia etiam est ordinarius, & idem tribunal, & eadem persona cum Episcopo: vnde etiamsi admittamus id, quod refertur in declaratione Congregationis Cardinalium apud Rebellum num. 22. Papam dixisse quoad hoc, nomine ordinarij intelligi Episcopum, non est excludendus eius Vicarius generalis; quia est eadem persona cum Episcopo. Et id etiam posse quemlibet habentem iurisdictionem Episcopalem, nulli diœcesano subditũ, contra Basilium docent Sancius, Henriquez, Ægidius, & plures alij, & meritò: quia etiam isti verè sunt ordinarij, vt diximus Difficultate IX. & possunt comprehendi nomine Episcopi, cuius fit mentio in nuper dicta Declaratione, cùm habeant iurisdictionem Episcopalem annexam suæ dignitati, & Papam solùm voluisse excludere habentes Abbatias, aut alias dignitates in commendam, quibus annexa est iurisdictio Episcopalis, & non ipsos Abbates proprietarios, vt deducitur ex relata Declaratione. imò tunc Papa, si verè id dixit, nouiter eos exclusit, qui ante hanc suam verbalem decisionem non erant excluſi.

Sancius. Henriq. Ægidius.

64 Et non tantùm Episcopus, & alij habentes Episcopalem iurisdictionem, possunt delegare facultatem in eis dispensandi (vt contra non paucos docent Sancius & Ægidius) quia nullibi impediuntur, sed etiam Prouisor seu Vicarius generalis, vt ob eamdem rationem docet Sancius.

Sancius. Ægidius.

Addimus (vt optimè Sancius & Ægidius) quando contrahentes sunt diuersarũ diœcesium, Ordinarium vtriusque posse in denuntiationibus dispensare, & pro vtroque contrahente sufficere dispensationem vnius (quamuis in hoc dubiter Basilius) quia verè fiet ab Ordinario, quamuis sit vnius tantùm, quò satisfit decreto Concilij Tridentini, quod est verum, quamuis matrimonium fiat in diœcesi Ordinarij alterius; quia etiam satisfit dicto decreto, sicut ob eamdem rationem suprà diximus, contrahentes diuersarum parochiarum validè contrahere coram Parocho vnius, etiam in parochia alterius.

65 Secundò est difficultas, An quando est prudens suspcio, quòd matrimonium malitiosè impedietur, si ad matrimonium præsupponantur denuntiationes, possit Parochus dispensare, vt omnes, aut aliquæ ante matrimonium omittantur. Addimus primò, *quando est prudens suspicio, quòd matrimonium malitiosè impedietur*; quia in alijs casibus certũ, est non posse. Addimus Secundò, *vt omittantur ante matrimonium*; quia certum est, non posse dispensare, vt post factum matrimonium omittantur.

Vera-cruz. Circa difficultatem ergo, etiamsi Vera-cruz in Appendice ad Speculum dub. 1. & Candelabrum aureum 1. part. de Matrimonio n. 243. partem affirmatiuam tueantur; nihilominùs Sancius, Henriquez, Ægidius & Basilius partem negatiuam tradunt, & meritò: quia in dicto cap. vbi conceditur facultas dispensandi in denuntiationibus, tantùm conceditur Ordinario, & de Parocho nulla fit mentio, nisi vt assistat matrimonio.

Sancius. Henriq. Ægidius. Basilius.

DIFFICVLTAS XX.

Ob quas causas possit Ordinarius in denuntiationibus dispensare.

66 SVpponimus, absque iusta & rationabili causa non posse Ordinarium in denuntiationibus dispensare; quia in eis dispensare, committitur Ordinario à Tridentino sess. 24. c. 1. de Reformatione matrimonij, quando expedit; & quando non est causa aliqua rationabilis, non expedit; quia dispensatio est ruptio Iuris communis, quæ absque rationabili causa non expedit.

Hoc supposito, conueniunt Primò Doctores, suspicionem prudentem, quòd matrimonium malitiosè seu iniustè impedietur, si ante ipsum denuntiationes præmittantur, esse causam iustam & sufficientem ad dispensandum in eis, non vt omnino omittantur, sed vt omittantur ante matrimonium, & fiant post contractum matrimonium, sed ante consummationem, vel omnes tres, si ob vnam, quamuis solam, id timetur; vel vt omittantur duæ, si ob duas id timeatur; vel vt omittatur vna, si, quando fiant omnes tres, id timetur. Addimus nos (vt optimè Basilius c. 32.) esse sufficientem vt excuset ab illis præmittendis ante matrimonium, etiam absque dispensatione, vt posteà dicemus, etiam si tunc licentia Ordinarij (quæ latè *dispensatio* dici potest) sit sub consilio.

Conueniunt Secundò Doctores, esse etiam causas iustas ad dispensandum, vt omissæ ante matrimonium ob dictam suspicionem, omittantur etiam post matrimonium, & numquam fiant, vt supponitur in Tridentino vbi suprà.

Et præter causam dictæ suspicionis, etiam sunt aliæ causæ iustæ ad dispensandum, vt denuntiationes omittantur ante matrimonium, & fiant post illud contractum, imò etiam vt nec posteà fiant, sed omnino omittantur, adhuc quando non sunt omissæ ob dictam suspicionem, vt contra Zephalum consil. 421. docent Sancius lib. 3. disp. 9. Ægidius disp. 27. dub. 6. Basilius cap. 32. & communiter Doctores: quia quamuis in Tridentino tantùm sit expresè concessum Ordinario, quòd dispenset vt non fiant post matrimonium, quando ante illud sunt omissæ ob dictam suspicionem, eo tamẽ ipso quòd id expresè concessit, etiam interpretatiuè concessit quòd dispenset vt nec fiant posteà, quando ante matrimonium sunt omissæ ob alias causas; & ob alias causas etiam, quòd dispenset vt omittantur ante matrimonium, & postponantur, quod consuetudo & Congregatio Cardinalium interpretatæ sunt.

Ex causis ergo iustis, ob quas potest Ordinarius in denuntiationibus dispensare (in quarum iustitia & sufficientia conueniunt communiter Doctores) aliæ sunt iustæ, vt denuntiationes omittantur ante matrimonium, & fiant post illud contractum, sed ante consummationem, & aliæ vt omnino omittantur, adhuc post matrimonium contractum.

Secunda ergo causa iusta dispensandi, vt postponantur, quando non possunt præmitti absque periculo notabilis iacturæ animæ, aut rei temporalis, aut absque impedimento operis notabilis misericordiæ; vt quando duo concubinarij intendunt contrahere, & prudenter timetur esse carnaliter miscendos dum fiunt denuntiationes; & quando vir in articulo mortis vult concubinam ducere, vt legitimet filios ex ea habitos, vel vt eam non relinquat inhonoratam, quamuis ex ea non genuerit filios.

Tertia causa iusta dispensandi vt postponantur, est, quando tempus, quo nuptiæ solemnes celebrentur instat, & post factum matrimonium timetur ante tempus, in quo liceant, futura commis-

tio

tio carnalis, quæ ante benedictiones nuptiales seu nuptias solemnes est illicita, aut saltem non expediens. Addimus, ad id etiam sufficere, ne differatur contractio matrimonij vel consummatio, quamuis nullus sit timor, nec periculum.

Quarta causa iusta dispensandi in denuntiationibus, vt omnino omittantur etiam post factum matrimonium, est, quando non possunt fieri absque infamia contrahentium, vt quando sunt in concubinatu, & publicè censentur coniugati.

Quinta causa iusta dispẽsandi vt omnino omittantur, est, quando nequeunt fieri absque pudore contrahentium, vt quando sunt senes, & quando valdè senex contrahit cum valdè iuuene, & quando valdè nobilis cum ignobili.

70 Sexta causa iusta dispensandi vt omnino omittantur, est, quando contrahunt Magnates, & non repentè, & occultè; quia tunc absque denuntiationibus facilè constant impedimenta: & generaliter est causa iusta ad sic dispensandum cum quibuscumque, quando non est timor alicuius impedimenti.

Septima causa iusta dispensandi vt omnino omittantur, est, quando matrimonium priùs publicè contractum, postea constat esse nullũ, quamuis hoc publicè constet, quia tunc ad dispensandum sufficit prior fama, ex qua nullum resultauit impedimentum.

Octaua generaliter, ob quamcumque notabilem commoditatem contrahentium, siue spiritualem siue temporalem, potest iustè dispensari ab Ordinario in denuntiationibus aut præmittendis, aut omnino omittendis, vt commoditas exegerit.

71 Obseruandum est Primò, quòd quamuis in quolibet casu ex dictis possit Ordinarius supradicto modo dispensare, non tamen tenetur in quolibet, vt contra Siluestrum v. *Dispensatio.* quæst. 1. & contra Rosellam num. 4. & contra Armillam v. *Dispensare.* n. 14. docent Sancius l. 3. disp. 10. *Sancius. Ægidius. Basilius.* Ægidius disp. 27. dub. 6. Basilius cap. 32. & plures alij; qui quamuis non conueniunt in quibus casibus teneatur, & in quibus non teneatur, parum tamen dissentiunt inter se, & à nostra doctrina quam iam subijcimus.

Nos ergo existimamus, Ordinarium teneri partibus petentibus, quoties dispensatio proficit notabiliter aut bono communi, aut ipsis contrahentibus, siue spiritualiter siue temporaliter (vt contingit in casibus dictis, exceptis quinto, sexto & septimo, & dilatione matrimonij contenta in casu tertio) quia potestas dispensandi in Prælatis est in bonum commune, & in bonum suorum subditorum; & non teneri, quando dispensatio non proficit notabiliter, vt contingit in casibus quinto, sexto & septimo, & dicta dilatione matrimonij; quia ratio non exigit, vt Ius commune dispensatione rumpatur (quamuis possit) quando dispensatio non proficit notabiliter.

72 Addunt Sancius, Basilius, & alij, quoties Ordi- *Sancius. Basilius.* narius tenetur dispensare, & absq; ratione aliqua id denegat, aut non potest commodè adiri, posse matrimonium licitè contrahi, omissis denuntiationibus, absque dispensatione: quod nos non generaliter approbamus, etiamsi contrahere absque denuntiationibus proficiat notabiliter, sed tantùm quando denuntiatio, aut mora efficiendi denuntiationes, nocet notabiliter bono communi, vel ipsis contrahentibus, vt contingit in casibus primo, tertio & quarto, & in priori parte secundi casus, excepta dilatione matrimonij contenta in tertio casu in fine; aut quando impedit opus alicuius misericordiæ notabilis, vt contingit in posteriori parte secundi casus: quia præceptum non contrahendi absque denuntiationibus, tantùm est Ecclesiasticum, quod non obligat cum damno notabili, nec cum dicto impedimento; ac proinde in his casibus non est necessaria dispensatio, quamuis Ordinarius possit commodè adiri, & sit paratus dispensationem concedere; quia dispensatio non est necessaria vbi præcepti obligatio cessat, & ob id in Tridentino vbi suprà, in casu in quo est suspicio, quòd matrimonium iniustè impedietur, dicitur, quòd denuntiationes omittantur, nulla facta mentione dispensationis.

Obseruandum est Secundò, Ordinarium, vt 73 dispenser, teneri quantum possit informari de veritate causæ; & etiam an sit impedimentum aliquod; sed non est necessaria informatio iudicialis adhibitis testibus iuratis, & in forma iudicij, vt contra nõ paucos docent Sancius, Basilius, & alij; *Sancius.* sed sufficit informatio extraiudicialis, & in foro *Basilius.* conscientiæ; quia Tridentinum dispensationem in denuntiationibus committit prudentiæ & iudicio Ordinarij, quod est committi suo priuato iudicio, & conscientiæ.

Addimus, dispensationem, quando fit, faciendam esse gratis, vt generaliter decernitur in Tridentino sess. 25. cap. 18. de Reformatione.

DIFFICVLTAS XXI.

Vtrùm ex vi denuntiationum sit obligatio reuelandi impedimentum occultum.

SVpponimus (in quo conueniunt Doctorẽs) 74 quemlibet teneri deferre impedimentũ, quod plenè probari potest, quamuis ortum ex peccato infami, vt ex fornicatione cum consanguinea alterius contrahentis: quamuis, quando oritur ex peccato infami, non solùm omnino occulto, sed etiam plenè probabili, debeat impeditus priùs secundùm legẽ fraternæ correptionis admoneri, vt desistat à contrahendo matrimonio, etiamsi admonitio nequeat commodè fieri intra terminũ in denuntiationibus præfixũ, sed faciẽda sit post illum.

Est tamen difficultas, An sit obligatio deferendi impedimentum occultum, quod quis solus nouit, & ob id testibus probare non potest.

Supplementum Gabrielis in 4. d. 28. q. 2. art. 3. *Gabriel.* dub. pæn. & Basilius c. 34. docent, neminem tene- *Basilius.* ri: quod etiam tradit Maior d. 21. q. 2. quando im- *Maior.* pedimentum ortum fuit ex peccato occulto. Probari autem potest, quia nemo denuntiare tenetur, quod sufficienter probare non potest; absque testibus autem nequit sufficienter probare.

Sancius verò l. 3. disp. 13. Ægidius d. 27. dub. 7. 75 & cõmuniter Doctores docent, quemlibet teneri *Sancius. Ægidius.* denuntiare impedimentum occultum quod scit, quamuis solus sciat, & meritò: quia quilibet tenetur vitare peccatum mortale proximi, si commodè possit, præsertim quando id à superiore præcipitur; at quando est impedimentum, quamuis sit tantùm impediens, est peccatum mortale cum eo contrahere; & quando est dirimens, contrahentes etiam in perpetuo concubinatu viuunt, & sciens impedimentum, potest, illud denuntiando, vitare dictum peccatum mortale proximi, quamuis

quamuis ipse solus sciat, quia vnus solus, quamuis denuntiator, si deponat vt testis, & iuratus, sufficit ad id, quando agitur de euitando peccato, vt tunc agitur, & non de punitione, vt diximus Disp. 11. Difficult. xix. Ex quo constat ad rationem aduersariorum. Addidimus, *si commodè possit*; quia si non potest nisi cum considerabili incommodo, aut cum scandalo aliorum, non tenetur.

Id autem quod diximus, etiã est verum, quamuis quis sub secreto & iuratus sciuerit impedimentum occultum, & quamuis ortum ex peccato infamante, quia maior ratio habenda est salutis animæ proximi quàm seruandæ secretum & famam illius, neque potest iuramento obligari ad non denuntiandum, quod aliàs tenetur saltem ex vi præcepti superioris id præcipientis medijs denuntiationibus.

76 Et eodem modo tenetur denuntiare is qui audiuit impedimentũ à persona fide digna, hac non denuntiante, imò & à persona non fide digna, quando impedimentum non inducit infamiam; quia tunc ea denuntiatio non obest, & prodesse potest, quia inde desumi potest aliqua cognitio: non verò tenetur quando infamiam inducit, neque tenetur quando audiuit, & nõ meminit à quo, quamuis impedimentum non sit infame; neque tenetur quando audiuit à persona nihil certi sciente.

Et non solùm alij tenentur, sed etiam ipsi contrahentes interrogati, quamuis impedimentum sit infame, si nolunt à matrimonio desistere, vt docent Sancius disp. 14. & Ægidius vbi suprà, & Basilius, quia cùm tunc non procedatur ad puniendum, sed ad vitandum peccatum mortale, possunt ab Ordinario interrogari, quamuis nulla infamia præcedat, quia id est fauorabile ipsis contrahentibus: non tamen tenentur impedimentũ occultum manifestare, quando est dispensatum, quamuis occultè tantùm, & in foro conscientiæ; quia tunc impedimentum reputatur vt nullum, ac proinde interrogati negare possunt mentali restrictione; & ob eamdem rationem alij qui sciunt impedimentum occultum, si etiam sciant dispensationem quamuis occultam, non tenentur illud reuelare.

Sancius. Ægidius. Basilius.

77 Addimus contra Basilium cap. 35. Parochum, extra confessionem scientem impedimentum occultum, quamuis infame, non posse in matrimonio procedere, sed ob dictam rationem teneri impedimentum illud Ordinario, qui verè est iudex, denuntiare, quamuis ipse solus sciat, & etiam Ordinarium, quando extra confessionem nouit impedimentum occultum, quamuis infame, non posse dare licentiam ad contrahendum, quamuis ipse solus sciat, sed tenetur illud ad Nuntium, vel ad alium iudicem legitimum deferre, nisi quando Parochus & Ordinarius sciunt dispensationẽ occultam; quia tunc quando non sit denuntiatum, possunt dissimulare, quia reputatur vt nullum. Addidimus, *extra confessionem*; quia quãdo sciunt impedimentum ortum ex peccato, noto tantùm in confessione, non possunt illud denuntiare, quamuis, si commodè possint, priùs petita venia loquendi cum illo de auditis in confessione, quando crederetur profuturum, & ipsum non ægrè laturum eam veniam ab ipso peti, tenebuntur eum secretò monere vt à matrimonio desistat.

78 Obseruandum est, Parochum eo ipso, quòd coram eo opponitur impedimentum aliquod, non posse ad matrimonium procedere (etiamsi possit ad denuntiationes faciendas) sed teneri illud ad Ordinarium deferre, qui testimonio alicuius testis, quamuis singularis, matrimonium impediet: teneri quoque Parochum habere librum, & in eo scribere nomina coniugum, & testium, & locum, & tempus in quo celebratum est matrimonium, quia id præcipitur in Tridentino sess. 24. c. illo 1. & ad id tenetur sub mortali; quia non est parua considerationis ad euitandas lites & inconuenientia, quæ ex dictorum omissione oriri possunt.

DIFFICVLTAS XXII.

Vtrùm Matrimonium factum absque denuntiationibus illicitè omissis consecretur clandestinum quoad pœnas clandestini.

SAncius lib. 2. disp. 1. Ægidius disp. 27. dub. 2. & Basilius cap. 37. partem affirmatiuam tuentur; quia in cap. fin. de Clandestina desponsatione, & matrimonium absque denuntiatione in Ecclesia à Presbyteris facta, supponitur esse clandestinum, & ob illud imponuntur nonnullæ pœnæ: quod approbari videtur à Tridentino sess. 24. cap. illo 1. dum ait, se inhærere vestigijs Concilij Lateranensis, ex quo decretum dicti cap. fin. desumitur. imò Tridentinum cap. 5. superaddit contra contrahentes absque denuntiationibus in gradibus prohibitis, quamuis ignoranter, pro pœna diffidentiæ dispensationis in eis gradibus.

Palacios in 4. dist. 28. disp. 3. Petrus Ledesm q. 45. art. 5. & Molina Tom. 1. de Iustitia, tract. 2. d. 176. partem negatiuam tradunt, & meritò quia matrimonium corã sufficientibus testibus, quamuis absque præmissis denuntiationibus factum, non est simpliciter & absolutè clandestinum; quia verè fit publicè, & in facie Ecclesiæ, & ipsi potest plenè constare: ergo pœnæ (quæ potiùs sunt restringendæ) impositæ contra matrimonium clandestinum, ita absolutè nominatum, non sunt contra illud, sed tantùm contra matrimonium factum absque sufficientibus testibus, præsertim pœna impositæ à Tridentino sess. 24. cap. illo 1. quia expressè tantùm imponuntur contra matrimonium clandestinum absque testibus ab ipso requisitis.

Ad rationem ergo aduersariorum negamus, in dicto cap. fin. supponi, matrimonium, absque denuntiationibus celebratum, esse clandestinum, & ob illud imponi aliquas pœnas; quia tantùm supponitur esse clandestinum matrimonij, celebratum absque sufficientibus testibus, & ob istud imponuntur ibi pœnæ, non ob factum absque præmissis denuntiationibus; ac proinde Tridentinum, quamuis inhæreat vestigijs Lateranensis, non approbat matrimonium absque denuntiationibus esse clandestinum, quia id non supponitur in decreto dicti cap. fin. desumpto ex Concilio Lateranensi, imò Tridentinum non inhæret vestigijs Lateranensis nisi quoad præmittendas denuntiationes: & cap. illo 5. matrimonium absque denuntiationibus factum, quando absque eis scienter, & ue ignoranter fit in gradibus prohibitis, punit pœna diffidentiæ dispensationis in eis gradibus, quod est indicium, & non leue, quòd matrimonium absque illis celebratum non puniatur generalibus pœnis clandestini.

Hæc

Hac autem pœna diffidentiæ dispensationis imposita à Tridentino contra contrahentes, siue scienter siue ignoranter, in gradibus prohibitis, videtur cessasse pœna excommunicationis lata in Clementina vnica de Consanguinitate cõtra scienter contrahentes in gradibus consanguinitatis aut affinitatis prohibitis.

82 Et hæc pœna diffidentiæ dispensationis (vt aduertunt Sancius & Ægidius) hos habet effectus, *Sancius. Ægidius.* & quòd dispensatio sit irrita, si ea circumstantia non exprimatur, iuxta ea quæ dicemus Difficultate XXVI. & quòd habens priuilegium dispensandi in impedimentis, non possit in eo euentu, nisi *Sancius. Ægidius.* specialiter in priuilegio exprimatur. Addunt Sancius & Ægidius alium tertium effectum, nempe quòd Pontifex non possit licitè cum sic contrahentibus dispensare, absque maiori causa quàm aliàs esset sufficiens.

DIFFICVLTAS XXIII.

Vtrùm benedictiones nuptiales, vulgò Velationes, adhibendæ sint.

CONueniunt Primò Doctores, benedictiones nuptiales, quibus iam coniugati benedicuntur solemniter, non esse necessarias ad valorem matrimonij; quia ante ipsas, quando adhibentur, supponitur validum. In can. autem 1. 30. quæst. 5. quando coniugium, cui non accedunt benedictiones, dicitur non esse legitimum, tantùm significatur non esse secundùm totum decorem, & secundùm totam honestatem requisitam à lege seu Iure.

83 Conueniunt Secundò, benedictiones nuptiales esse necessarias ex præcepto, vt constat ex 30. q. 5. præsertim cap. 3. & ex consuetudine, qua in omnibus diœcesibus iam coniugati compelluntur ad eas recipiendas.

Est tamen difficultas, An sit peccatum mortale, eas omnino omittere, an tantùm veniale.

Ochagau. Ochagauia Tract. 5. q. 5. docet, esse mortale; quia sunt magni momenti, & valdè congruentes bono progressui matrimonij. Sancius verò lib. 1. *Sancius.* disp. 82. num. 6. docet esse tantùm veniale, & merito: quia tantùm sunt Sacramentale quoddam, quod non apparet magni momenti, neque valdè congruens progressui matrimonij.

Addimus, benedictiones istas nuptiales in Tridentino sess. 24. c. 10. prohibitas esse fieri ab Aduentu vsque in diem Epiphaniæ inclusiuè, & à Feria 4. Cinerum vsq; in Octauam Resurrectionis inclusiuè; in alijs verò temporibus, etiam in eis in quibus antiquitus prohibitæ erant, permitti fieri.

Sed an primæ tantùm nuptiæ sint solemniter benedicendæ (in quo conueniunt Doctores) an etiã secundæ, sub controuersia est apud illos, circa quam Sancius vbi suprà varias refert opiniones.

Nos tamen existimamus, Iure communi, quando adhuc vnus ex coniugatis, siue vir siue femina, 84 contrahit secundas nuptias, & in prioribus benedictionem accepit, nuptias illas secundas non esse benedicendas; quia benedictionibus personæ potiùs quàm nuptiæ benedictæ, non sunt iterùm benedicendæ. Nihilominùs circa hoc variæ sunt consuetudines in varijs diœcesibus; in qualibet tamen standum est propriæ consuetudini.

Obseruandum est, Regularem, vel sæcularem, 85 qui absque licentia Parochi vel Ordinarij benedixerit nuptijs sibi non subditorum, tamdiu manere suspensum, quamdiu Ordinario Parochi, ad quem pertinebat benedicere, videatur, vt decernitur in Tridentino cap. illo 1. & impositione huius pœnæ, cessare pœnam excommunicationis latam in Clementina 1. de Priuilegijs contra Religiosos matrimonia solemnizantes, vt diximus Difficultate XVII.

DISPVTATIO VI.

De Matrimonio coacto.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Matrimonium contractum ex metu iniusto, cadente in virum constantem, sit nullum.

1 SVPPONIMVS, metum ab extrinseco (id est à causa libera extrinseca, v. g. ab homine) incussum, de quo procedit difficultas, esse duplicé, vt constat ex cap. *Veniens.* 15. de Sponsalibus: vnum grauem absolutè, seu cadentem in virum constantem; & alterum leuem absolutè, seu cadentem in virum inconstantem. Quis verò sit vnus & alter, examinatur in Tractatu de Contractibus. Interim tamen metus grauis absolutè, seu cadens in virum constantem, est timor probabilis seu prudens, & magni mali, non magni comparatiuè, seu comparati ad sexum & ætatem, nec ad malum minus, id est, quod sit mali maioris eo malo, quod eligitur ad vitandum malum quod timetur, sed mali magni absolutè, & in se (siue maioris siue minoris malo electo) cuius prudenti timore vir, quamuis constans sit, non mirum cogatur ad eligendum aliquid quod necessarium est, vt malum illud, 2 quod timet, euitet, vt metus prudens mortis, aut magni cruciatus, aut grauis infamiæ, aut amissionis honorifici status, aut notabilis partis bonorum, aut impedimenti lucri notabilis, aut grauis & diuturnæ indignationis patris, aut superioris, aut alius à quo quis dependet in nõ paucis, quando ob eam indignationẽ prudenter timet graue aliquod malum, aut graué cumulú malorum, quamuis paruorũ; non verò grauis & diuturnæ indignationis prędictarum personarú seorsim, nec importunarum precú seorsim, quidquid dicat Basilius l. 4. c. 5. Metus verò leuis absolutè seu cadens in virum inconstantẽ, est metus mali, aut imprudẽs, quamuis magni mali, aut si prudens, quando est mali parui, seu leuis, quo solus timidus, & nõ fortis, nec constans cogitur ad aliquid faciendú, vt malú illud euitet.

Hoc

Hoc ergo supposito, conueniunt Primò Doctores, matrimonium factum ex metu leui, quamuis iniustè à causa libera incusso, etiam ad extorquendum, ipsum matrimonium non esse irritum, ex eo quod sic fiat, vt constat ex vsu Ecclesiæ, talia matrimonia vt valida approbantis, & meritò: quia nullo Iure irritum est; quia non positiuo, quia nullum extat, imò in pluribus Iuribus positiuis supponitur esse validum; neque Iure naturali, seu ex natura rei, vt ex dicendis constabit.

3 Conueniunt Secundò, matrimonium ex metu graui, quamuis iniusto, contractum, non esse irritum, quando metus non incutitur expresè & exteriùs ad extorquendum matrimonium; quia non Iure naturali, vt etiam constabit ex dicendis; neque Iure positiuo, adhuc Ecclesiastico; quia non constat esse aliquod pro matrimonio contracto ex eo metu. Et meritò Ecclesia non irritauit matrimonium contractum ex metu, quamuis graui & iniusto, quando non fuit ad id incussus; quia tunc contrahens non impellitur ad id ab alio, sed ex se ipso eligit matrimonium, quamuis vt euitet malum quod timet.

Est tamen difficultas, An matrimonium contractum ex metu iniusto, cadente in constantem virum, incusso expresè & exteriùs ad illud extorquendum, sit nullum.

4 *Cardinal.* Cardinalis in cap. 2. de His quæ vi. quæst. 1. docet, matrimonium sic factum non esse irritum, quamuis irritari possit, Primò, quia alij contractus, quando sic fiunt, non sunt irriti, sed irritandi; ergo etiam contractus matrimonij. Secundò, quia alia Sacramenta, vt Baptismus, Confirmatio, Ordo, & Extrema Vnctio, sic collata & susceptа sunt valida; ergo etiam Sacramentum matrimonij.

Sancius. Ægidius. Basilius. Sancius verò lib. 4. disp. 12. Ægidius disp. 28. dub. 1. Basilius l. 4. c. 14. & communiter Doctores docent, matrimonium sic factum esse nullum, & meritò: quia ita supponitur in cap. *Significauit.* 2. de Eo qui duxit in matrimonium, & in cap *Cùm locum.* 14. & in cap. *Veniens.* 15. & in cap. *Consultationi tuæ.* 28. de Sponsalibus.

Est autem nullum, non tantùm in foro exteriori, seu quoad præsumptionem, vt nonnulli dixerunt, sed etiam in foro interiori, seu re ipsa; quia in dictis capp. absolutè & absque vlla restrictione supponitur esse nullum, imò supponitur, eo matrimonio non obstante posse cum alia validè contrahi, & cum ea perseuerare; quod esset plus quàm falsum, si in foro interiori & reipsa non esset nullum. & id etiam est verum, quamuis metus fuerit incussus ab alio tertio, & non ab altero contrahente, vt supponitur in dicto cap. *Veniens.*

5 Ad primam ergo rationem concedimus, alios contractus ex dicto metu factos, non esse irritos, benè tamen matrimonij; quia iste, & non alij, Iure positiuo irritatur, & non absque congruentia; quia contractus matrimonij ex se est perpetuus, ac proinde est maximè conueniens, quòd fiat à contrahentibus ex se ipsis absque dicto metu. Et ad secundam concedimus Antecedens, & negamus Consequentiam; quia Ecclesia non irritauit alia Sacramenta (imò non potuit) & irritauit Sacramentum matrimonij ob congruentiam dictam, quod potuit efficere, irritando contractum, cui solùm, quando validus est, conuenit ratio Sacramenti ex Christi institutione.

DIFFICVLTAS II.

Quo Iure Matrimonium ex metu graui iniustè incusso ad illud extorquendum sit nullum.

CONueniunt Doctores, matrimonium ex dicto metu factum, non esse nullum Iure aliquo diuino, quia de eo Iure non constat. Est ergo difficultas, An sit nullum Iure naturali an positiuo humano Ecclesiastico, an vtroque.

Antoninus 3. par. tit. 1. c. 7. Couarruias 1. part. *decret.* cap. 3. §. 5. Rebellus 2. de Matrimonio, q. 11. sect. 1. Conc. & Basilius l. 4. c. 14. docent, matrimoniũ sic factum *Adde* esse nullum Iure naturali, & non Iure aliquo po- *Adde* sitiuo. Primò, quia matrimonium sic factum est inualidum, & non Iure diuino, vt patet; imò nec Ecclesiastico, quia dicta Iura Ecclesiastica, in quibus fit mentio nullitatis matrimonij sic facti, non irritant matrimonia sic facta, quia in eis est sermo de matrimonijs anteà contractis, quæ semel valida non possunt ab Ecclesia irritari, & in eis supponuntur anteà fuisse nulla, ac proinde non ipsis, sed Iure alio antiquiore, & non diuino, vt patet; ergo naturali. Et confirmatur; quia in dictis Iuribus nullitas eorum matrimoniorum non ostenditur ex Iure aliquo Ecclesiastico, quo fuerint irrita, sed ex eo, quòd in eis matrimonijs defuerit consensus: iste autem Iure naturali requiritur ad valorem matrimonij, ergo in eis Iuribus satis indicatur matrimonia sic facta esse nulla Iure naturali, & non Ecclesiastico.

Secundò, quia matrimonium ex sua natura est perpetuum & indissolubile, & sua natura ordinatum ad prolem amanter habendam, & honestè educandã, & ad conciliandum mutuum amorem, & ad mutua obsequia præstanda, & ad fidem inuicem seruandam: ergo ad matrimonium sua natura non sufficit voluntarium ex metu aut coactione; quia coactio repugnat perpetuitati, cùm nullum violentum possit esse perpetuum; & etiam repugnat fini matrimonij, cùm matrimonium coactè celebratum non sit aptum ad prædicta.

Durandus verò in 4. dist. 29. q. 2. Sancius lib. 4. *Durand.* disp. 14. Henriquez cap. 9. & Ægidius disp. 28. *Henriq. Ægid.* dub. 1. docent, matrimonium sic factum esse nul- *Durand.* lum, non Iure naturali, sed tantùm Iure positiuo *Sancius.* Ecclesiastico, & meritò: quia matrimonium sic factum non est irritum Iure naturali ratione iniustitiæ illatæ in incussione dicti metus, quia etiam in matrimonio facto ex metu leui iniustè incusso, est vera iniustitia, quamuis leuis, quæ in alijs contractibus etiam obligat ad restitutionem sicut grauis, & tamẽ matrimonium ex dicto metu leui non est nullum Iure naturali; ergo neque factum ex metu cadente in constantẽ virum. Neque est nullum Iure naturali ex defectu libertatis (quam metus impedit) quo matrimonium non est omnino voluntarium; quia etiam matrimonium ex metu leui iniusto, imò & ex iusto graui, incusso ad illud extorquendum, & ex graui iniusto non incusso ad id, non est omnino voluntarium; imò aliquando est minùs voluntarium, quàm factum ex dicto metu graui iniustè incusso ad id, & tamen matrimonium ex illis alijs metibus non est nullum Iure naturali; ergo neque matrimonium factum ex dicto metu, est nullum ex defectu libertatis.

Sotus. Couarr.

Ratio

Ratio autem à priori est, quia ad valorem omnium aliorum contractuum, & etiam ipsius matrimonij facti ex alijs prædictis metibus, sufficiunt,
9 ex natura rei, seu Iure naturali, duo, nempe titulus, & voluntarium simpliciter & absolutè, quæ in eis reperiuntur; sed hæc duo etiam reperiuntur in matrimonio facto ex metu graui iniustè incusso ad illud extorquendum, ergo etiam erit Iure naturali validum, quia absque sufficienti fundamento, aliud exigitur ad valorem illius. Antecedens pro Maiori constat. Minor autem probatur; quia dictus metus non adimit à matrimonio, facto ex ipso, titulum, qui est corpus alterius, quia eo matrimonio confertur corpus pro corpore; neque adimit voluntarium simpliciter & absolutè, quia hîc & nunc est efficaciter voluntarium, quamuis sit inuoluntarium secundùm quid, sicut matrimonium ex alijs prædictis metibus factum. Matrimonium ergo ex dicto metu factum, non est nullum Iure naturali, ac proinde est nullum Iure positiuo, & non diuino, vt patet, quia de eo non constat. Est ergo nullum Iure Ecclesiastico, non quia Iure scripto, quod modò habemus, de nouo irritetur, sed quia eo, quod modò habemus, quantum est ex ipso, irritatur verbis ex se irritantibus, & supponitur anteà irritatum Iure aliquo, & non nisi Ecclesiastico, vel anteà scripto, & iam perdito, vel viuæ vocis oraculo, aut alia via introducto.

10 Ad primàm ergo rationem aduersariorum constat, matrimonia dicto modo facta esse nulla Iure Ecclesiastico, quod nunc habemus in dictis capp. & alio eis antiquiori, & ideò in eis supponi esse nulla: quorum nullitas in eis Iuribus ostenditur, non quia deficiat consensus ad eorum valorem Iure naturali necessarius, sed quia deficit consensus conueniens & expediens, ob quod Iure Ecclesiastico fuit factus insufficiens. Et ad secundam concedimus Antecedens, & negamus Consequentiam; quia coactio, quæ non facit inuoluntarium simpliciter seu violentum, vt non facit coactio quæ reperitur in dicto matrimonio, non repugnat perpetuitati ipsius, neque eius dictis finibus, quamuis eis non sit satis expediens.

11 Ex dictis constat, matrimonium inter non baptizatos ex dicto metu celebratum, non esse nullum; quia non reperitur aliud Ius irritans matrimonia sic facta, nisi Ecclesiasticum, cui non baptizati non sunt subiecti.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Matrimonium ex metu iusto, cadente in virum constantem, incusso ad illud extorquendum, sit nullum.

Sotus. Couarruu. SOtus in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 3. Couarruuias 4 par. Decretalium 2. par. cap. 3. §. 4. & Glossa in cap. *Veniens.* 15. de Sponsalibus docent, matrimonium sic factum esse nullum. Quod deduci videtur ex dicto cap. *Veniens.* dum supponitur, matrimonium contractum cum filia cuiusdam, qui iuuenem cum ea repererat, esse nullum; quia eos coëgit contrahere, & tamen tunc metus fuit iustè incussus. Et ratione probatur; quia metus grauis, quamuis iustus, impedit plenam libertatem, non minùs quàm iniustus, ergo non minùs quàm iste irritat matrimonium.

Doctrinam hanc limitant Rebellus quæst. 11. 12
sect. 2. & nonnulli alij, vt tantùm sit vera, quando *Rebellus.*
quis cogitur absque occasione ab ipso data, ex se inducente ad eam coactionem; vt quando ei, qui commisit homicidium, incutitur metus mortis inferendæ iuridicè, nisi ducat aliquam, quia tunc verè cogitur ab extrinseco; quando verò cogitur ad matrimonium, occasione ab ipso data, inducente ad eam coactionem, matrimonium fit validum, vt quando quis aliquam corrupit, aut quando fidem sponsalium fregit; quia in hoc casu non tam dicitur compelli & cogi ab extrinseco, quàm ex se ipso contrahere; quia ex se ipso dedit occasionem inducentem ad eam coactionem.

Sancius verò lib. 4. disp. 13. Henriquez 11. de *Sancius. Henriquez Ledesma. Ægidius.*
Matrimonio cap. 9. Petrus Ledesma de Matrimonio, quæst. 47. art. 3. dub. 1. Ægidius disp. 28. dub. 1. docent, matrimonium sic factum, adhuc absque occasione ad id inducente data, esse validum, & meritò: quia tunc matrimonium non est inualidum Iure naturali, vt constat ex dictis Difficultate præcedenti; quia metus iste neque aufert sufficientem libertatem, neque titulum; neque est inualidum Iure Ecclesiastico, quia non constat eo irritari, nisi matrimonium factum ex metu graui iniusto, & ad id exteriùs incusso, vt significatur in Iuribus Difficultate 1. & 11. adduc- 13
tis, in quibus supponitur, matrimonium ex hoc metu factum esse irritum, & non absque congruentia; quia istud fit omnino ab extrinseco, & quod ex metu iusto non tam dicitur fieri ab extrinseco, quàm ab ipso qui cogitur, cùm ipse dederit causam, vt sibi licitè & iustè possit coactio inferri, quamuis causa non sit ex se inducens ad eam coactionem.

Vnde quando quis inuentus cum femina, cum ea coactus contrahit ex metu accusationis incussa, validè contrahit, quia contrahit ex metu iustè illato, inualidè tamen, si contrahit ex metu mortis incussò ad id; quia iste est grauis & iniustus, & talis fuit metus ex quo iuuenis ille, cuius fit mentio in dicto cap. *Veniens*, contraxit. Ex quo constat ad fundamentum aduersariorum, ex eo capite desumptum.

Ad rationem verò concedimus, metum grauem, 14
quamuis iustum, aliquo modo impedire libertatem, non minùs quàm iniustum; negamus tamen, ex iusto contractum, esse nullum, quamuis sit nullum contractum ex iniusto: quia ex hoc contractum non est nullum Iure naturali, quia, quamuis aliquo modo impediat libertatem, non tamen sufficientem ex natura rei, sed est nullum, quia Iure Ecclesiastico irritatur; contractum verò ex iusto, non irritatur.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm, quando Matrimonium fuit nullum ob iniustum metum, cuius alter contrahens fuit causa, iste alter teneatur postea contrahere, si velit qui fuit coactus.

CErtum est, eum, qui omnino liberè contra- 15
xit cum coacto ex metu irritante matrimonium, nõ teneri postea contrahere cum eo, quando

non fuit causa dicti metus; quia ex nullo cap. obligatur. Est ergo difficultas, An teneatur quando fuit causa aut occasio dicti metus.

Nauarrus. Henriquez Ægidius. Basilius. Nauarrus cap. 22. num. 51. Henriquez cap. 10. Ægidius disp. 28. num. 7. & Basilius lib. 4. cap. 17. affirmant. Quod deduci videtur ex cap. 1. de Eo qui duxit, dum in eo quidam, qui secundam deceperat, obligatur, mortua priori non separari à posteriori, si ipsa velit, ne deceptor ex dolo commodum reportet: ergo etiam in nostro casu, cogens nequit à contractu discedere. Et ratione probatur Primò, quia cogens intulit iniuriam coacto, quam resarcire tenetur, & nequit aliter quàm stando contractui, si coactus velit. Secundò, quia in alijs contractibus coactis cogens, v. g. ad venditionem, tenetur venditioni stare, si coactus venditor velit; ergo etiam in contractu matrimonij.

16 *Sancius. Ochagau.* Sancius verò lib. 4. disp. 15. & Ochagauia de Matrimonio, Tractatu 3. quæst. 30. negant, & meritò: quia non tenetur cogens in pœnam iniuriæ coactione illatæ, quia nullo Iure talis pœna statuta est; neque tenetur vt eam iniuriam resarciat, quia secluſis alijs damnis extrinsecis inde secutis, iniuria illa ratione sui non exigit recompensationem (aut saltem non exigit tantam) imò ex sua natura non est resarcibilis; neque tenetur ex eo quòd consensum præbuit, quia ex consensu præstito in contractu mutuo non manet quis obligatus, nisi quando alter etiam obligatur; in nostro autem casu coactus non obligatur, ergo neque qui ad matrimonium cogit, manet obligatus ad denuò contrahendum, nisi quando ex matrimonio coacto secutum est aliud damnum extrinsecum, quod nequit aliter resarciri, & est adeò graue, vt ob eius recompensationem non iudicetur rigidum ad tantum obligari.

In dicto verò cap. 1. pro aduersarijs adducto, tantùm continetur pœna deceptionis (nō coactionis) imò non incurrenda ipso facto ante Iudicis sententiam; pro coactione verò non est imposita similis pœna, saltem ipso facto incurrenda. Ad
17 primam autem rationem negamus, dictam iniuriam debere resarciri, quia non est resarcibilis, & quamuis esset & deberet, sed non tanta recompensatione. Et ad secundam concedimus, in alijs contractibus coactis, cogentem teneri illis stare, si coactus velit, quia sunt validi; non verò in contractu matrimonij, quia Iure Ecclesiastico fit nullus.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm peccet, qui contrahit Matrimonium ex metu illud irritante.

NOn procedit difficultas de eo, qui inuincibiliter ignorat matrimonium sic contractum esse nullum, quia iste non peccat, quia bona fide procedit; sed de eo, qui scientia aut vincibili ignorantia nullitatis contrahit.

18 Et Primò est difficultas de eo, qui consensu vero & non ficto contrahit. Non desunt qui doceant hunc peccare, & mortaliter, peccato sacrilegij, *Ledesma.* quod etiam indicat Petrus Ledesma q. 47. art. 3. in solut. ad 4. quia irritat Sacramentum, applicando formam materiæ incapaci valoris.

Sancius. Ægidius. Basilius. Sancius verò lib. 4. disp. 16. Ægidius disp. 28. dub. 3. & Basilius cap. 16. docet, eum non peccare, adhuc venialiter, & meritò: quia non irritat Sacramentum, quia non efficit id cui ex Christi institutione conuenit ratio Sacramenti, nempe contractum validum; ac proinde neque applicat veram formam Sacramenti neque veræ materiæ: ille autem irritaret Sacramentum, qui efficeret validum contractum, & eum non efficeret Sacramentum ex defectu intentionis, & consequenter peccaret peccato mortali sacrilegij, vt diximus Disputat. III. Difficultate XVII.

Secundò est difficultas de eo, qui ex metu irritante fictè solis verbis absque vero consensu contraxit.

Scotus in 4. dist. 29. q. vnica §. *Hìc dicitur*, & ibi Supplementum Gabrielis art. 2. docent, eum peccare mortaliter, quia sic fingens decipit alterum in re graui, quo ei grauem iniuriam irrogare videtur.

Sancius verò, Ægidius & Basilius vbi suprà docent, eum non peccare mortaliter, & meritò: quia nullam iniuriam irrogat alteri, eum decipiendo, tum quia, quamuis absque fictione contraheret, nihil magis efficeret, ac quando fictè loquitur, quia efficeret matrimonium nullum ob metum irritantem; tum etiam, quia ex iusta causa profert verba, quibus alter decipitur, ac proinde neque peccabit venialiter sic fingendo, si mentali restrictione vtatur, quia tunc ex iusta causa æquiuocat alterum.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Matrimonium ratione metus inualidum, fiat posteà validum, ob copulam subsecutam, aut ob iuramentum.

CIrca prius conueniunt Doctores, matrimonium ratione metus inualidum, posteà reualidari copulâ subsecutâ absque coactione, vt deducitur ex c. 2. de Eo qui duxit, & ex c. *Insuper* 4. Qui matrimonium accusare possunt; & etiam reualidari ex cohabitatione diuturna, id est, perseuerante vsque ad tempus in quo erat opportunitas fugiendi, vt constat ex c. *Ad id.* 21. de Sponsalibus: quod est verum, quamuis non interueniat copula, vt contra Innocentium docent communiter Doctores, quia in dicto cap. *Ad id.* supponitur, et sola cohabitatione reualidari.

Existimamus tamen, prædicta matrimonia reualidari non quoad veritatem, & re ipsa, & in foro conscientiæ, sed tantùm in foro exteriori, & quoad præsumptionem, non solùm quando copula non fuit habita ex affectu coniugali, id est, tamquam cum coniuge, & quando cohabitatio non perseuerat ex eo affectu (in quo conueniunt Doctores) sed etiam quando copula habetur ex affectu coniugali, aut quando ex eo perseuerat cohabitatio, vt deducitur ex dictis capp. & constat ratione: quia affectus ille coniugalis, ex quo supponimus copulam & cohabitationem procedere, non est consensus, seu intentio ineundi seu ratificandi matrimonium, & quamuis sit, non sufficit; quia copula non est signum exterius, seu expressio exterior consensus (& multò minùs cohabitatio) sed tantùm est pium & prudens indicium expressionis exterioris ante ea factæ, vt diximus Disputat. III. Difficultate XII.

Est tamen difficultas, An matrimonium antea nullum ob metum grauem, posteà reualidetur ob copulam simili metu extortā; & quoad hoc eadem

est difficultas de cohabitatione diuturna.

Paludan. Bar. Ledesm. Paludanus in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 4. Bartholomæus Ledesma dub. 23. & Angles 1. par. de Matrimonio, quæst. de Consensu coacto, art. 1. diff. 4. docent reualidari; quia metus, quo quis cogitur ad copulam, quando matrimonium præsupponitur nullum, quantumuis grauis, non est cadens in constantem virum; quia cogitur ad peccandum, ad quod constans non cogitur.

Sancius. Ægidius. Basilius. Sancius verò lib. 4. disp. 18. Ægidius disp. 28. dub. 4. & Basilius lib. 4. cap. 17. docent, non reualidari, & meritò: quia copula graui metu extorta, nequit esse sufficiens ad id, siue copula post matrimonium factum, quamuis nullum sit signum externum exprimens consensum coniugalem, vt volunt Sancius & Ægidius, quia signum consensus ex metu graui, vtpote pars contractus, est nullius
22 valoris; siue non sit signum, sed tantùm indicium matrimonij anteà validè facti, vt nos existimamus: quia copula extorta ex metu graui, seu magni mali, non est prudens indicium matrimonij anteà validè facti, quamuis sit quando non extorquetur ex metu magni mali.

Ad rationem verò aduersariorum respondemus, quòd quamuis non sit viri constantis peccato consentire, adhuc ex metu magni mali, ipse tamen metus, quo cogitur ad id, est cadens in constantem virum; quia ex se virum, quantumuis constantem, terret, & concutit, & pauere facit.

Circa posterius conueniunt Doctores, matrimonium ratione metus grauis inualidum, non validari iuramento, simili metu extorto, eo videlicet, quo contrahens iurat se ex animo contrahere, etiamsi addat se semper tale matrimonium ratum habiturum: imò communiter conueniunt, non validari simili iuramento voluntariè absque coactione adhibito, & meritò: quia iuramento, adhuc absque coactione adhibito, non validatur ex natura rei, seu Iure naturali, vt patet; nec Iure aliquo positiuo, quia nullum extat quo id disponatur.

23 Est tamen difficultas, An quando ex dicto metu contrahens, ex eodem promittit se semper tale matrimonium ratum habiturum, seu de nouo illud contracturum, aut aliquam aliam ducturum, & id iurat, ad id teneatur ratione iuramenti.

Sancius. Sancius disp. 21. & Couarruuias 2. par. cap. 3. negant; quia impletio dicti iuramenti, quamuis sit licita, est tamen contra commune bonum.

Henriquez. Ægidius. Henriquez verò cap. 9. & Ægidius affirmant, & meritò: quia omne iuramentum obligat quoties licitè impleri potest, vt dicitur in cap. *Debitores. 6.* & in cap. *Si verò. 8.* de Iureiurando; prædictum autem iuramentum licitè impleri potest, vt patet, nec impletio illius directè nocet Reipublicæ, quamuis ei non sit expediens, quod non sufficit vt non obliget; sicut etiam, quòd impletio iuramenti, facti latroni inuadenti, dandi ei pecunias, non sit expediens Reipublicæ, non sufficit vt non obliget; quod est verum, quamuis iuramentum etiam sit metu graui extortum.

24 Addimus, quòd quamuis prædictus iurans teneatur ratione iuramenti, non tamen tenetur semper ratione promissionis, quamuis etiam promittat, si coactè promittit, vt supponimus; quia ex vna parte promissio, aliàs nulla, non validatur iuramento, quia non validatur Iure naturali, vt patet; nec positiuo, quia non extat: & ex altera parte dicta promissio non semper obligat ratione sui, quia in primis non obligat ex fidelitate, quia fides coactè extorta non est necessariò seruanda; nec obligat ex iustitia, quando ipsi coactè promittenti non fit repromissio, quia tunc dictæ promissioni deficit titulus, quia nec fit pro aliquo, nec fit liberaliter, ac proinde poterit in eo iuramento dispensari; quia fiet absque præiudicio tertij, cùm dictus promissarius & iuratarius nullum acquisierit ius iustitiæ. Imò quamuis coactè promittenti fiat repromissio, si ipse non acceptet ius sibi repromissum, coacta promissio non obligat ex iustitia; quia tunc non fit pro aliquo: imò & post acceptatum, seu admissum ius (in quo casu coactè promittens manet obligatus ex iustitia) poterit deobligari cedendo iuri admisso, vt posse fieri diximus Disput. 1. Diffic. xv. 25 ac proinde Iure oblato non admisso à coactè promittente, aut post admissum renuntiato, poterit etiam in iuramento superaddito dictæ promissioni dispensari ob rationem dictam, quia scilicet fiet absque præiudicio tertij.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm Princeps Ecclesiasticus, & etiam sæcularis possit subditos ad Matrimonium cogere.

CErtum est Primò (in quo conueniunt Doctores) Principem Ecclesiasticum posse cogere baptizatos sibi spiritualiter subditos, & Principem sæcularem non baptizatos sibi temporaliter subditos, ad matrimonium contrahendum, quando id exigit bonum commune, aut alia causa ob quam ipsi subditi contrahere teneantur.

Secundò certum est, dominos temporales, & 26 Magistratus, qui suos subditos, vel quoscumque alios ad matrimonia cogunt, siue directè siue indirectè, puniri à Tridentino anathematis pœna, quam ipso facto incurrant, vt constat ex ipso sess. 24. c. 9. de Reform. matrimonij, quod intelligitur de coactione iniusta, vt patet, & mortaliter peccaminosa, vt etiam ex ipsa pœna patet; quamuis non sit cadens in virum constantem, & quamuis implicitè tantùm incussa, & non expressè ad id; quia puniuntur, etiamsi indirectè tantùm ad id cogant: eam tamen non incurrunt ex eo, quòd impediant matrimonium, quamuis iniustè, vt aduertit Hen- *Henriquez.* riquez cap. 6. quia tantùm puniuntur, qui cogunt ad matrimonium cum hac aut cum illa persona, & non qui impediunt.

Est tamen difficultas, An dicta pœna anathematis sit pœna excommunicationis maioris.

Vera-cruz in Appendice ad Speculum 1. par. *Vera-cruz.* art. 9. docet non esse pœnam excommunicationis maioris, sed maledictionis solemnis, Primò, quia anathema talem maledictionem videtur significare. Secundò, quia idem Tridentinum in eadem sess. cap. 6. vbi voluit raptorem pœna excommunicationis puniri, id expressit, dicens, *Sit ipso Iure excommunicatus.*

Sancius l. 4. disp. 22. Ægidius dub. 5. & Hen- 27 riquez docent, dictam pœnam esse excommunicationis maioris, & meritò: tum quia in ipso Iure nomine *anathematis* excommunicatio maior significatur, vt constat ex can. *Debent. 11.* quæst. 3. & ex can. final. 30. quæst. 4. tum etiam, quia in dicto decreto Tridentini dicitur, *sub anathematis* *Sancius. Ægidius. Henriq.*

pœna, quam ipso facto incurrant. maledictio autem solemnis nequit ipso facto incurri, quia ferenda est ab Ecclesia; vnde anathema non significat maledictionem solemnem, sed excommunicationem maiorem, & ad summum eam, cui, quando fertur ab homine, additur maledictio solemnis. Quòd verò Tridentinum dicto cap. 6. nomine excommunicationis excommunicet raptorem, non conuincit id non fieri nomine anathematis.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm parentes possint cogere seu compellere filios ad Matrimonium.

28 SVpponimus (in quo Doctores communiter conueniunt) parentes posse cogere filios ad matrimonium, quando filij aliàs promissione aut aliunde tenentur, quamuis coactione tantùm moderata, vt decet patrem; quando verò aliàs non tenentur, & nolunt statum matrimonij eligere, sed meliorem, vt cælibatus, aut Religionis, non posse à parentibus, adhuc paterna increpatione ad matrimonium cogi; quia contra rationem est, filium, qui est sui iuris ad eligendum statum, & vult meliorem eligere, cogi adhuc leuiter ad statum minorem. Ex suppositione tamen, quòd filius velit matrimonium contrahere, poterit à parentibus cogi, quamuis paternè tantùm & leuiter, ad matrimonium ipsi maximè expediens, & simili coactione retrahi à matrimonio ipsi indigno (quando filius ad id, quod intendit, non habet rationabilem causam) quia non est multum id concedere parentibus, quibus maximè incumbit prospicere bono filij, & cuius malum & bonum quodammodò est malum & bonum parentum; sed non poterit licitè cogi, adhuc leui coactione, ad matrimonium ordinariè expediens, neque retrahi à simili matrimonio (quando non adest aliqua rationabilis causa) ob omnimodam libertatem filij ad electionem status perpetui.

29

Est tamen difficultas, An parentes, qui coactione iniusta & graui, sufficiente ad mortale, compellunt filium ad matrimonium, incurrant pœnam illam anathematis, seu excommunicationem maiorem, latam à Tridentino sess. 24. cap. 9.

Lud. Lop. Albornoz. Ludouicus Lopez 1. par. Instruct. cap. 44. & Albornoz lib. 4. de Arte contractuum, tit. 1. affirmant; quia Tridentinum generaliter loquitur, dicens: *Præcipit sancta Synodus omnibus cuiuscumque gradus, dignitatis, & conditionis existant, sub anathematis pœna,* &c.

30 *Sancius. Ægidius.* Sancius lib. 4. disp. 22. Ægidius disp. 28. dub. 5. Henriquez cap. 6. & communiter Doctores negant, & meritò: quia Tridentinum vbi suprà tantùm loquitur de dominis temporalibus, & Magistratibus habentibus iurisdictionem in foro exteriori sæculari, vt constat ex prioribus verbis, in quibus tantùm loquitur de prædictis, & ex particula *quare* immediatè antecedente ad decretum in quo id præcipitur, quæ est causalis præcedentium, & ex posterioribus verbis, nempe *ne subditos suos cogant*: ac proinde illæ particulæ *omnibus cuiuscumque gradus,* &c. tantùm appellant suprà anteà dictos dominos & Magistratus.

Vnde Parochus non incurrit dictam excommunicationem, quia non habet iurisdictionem in foro externo, saltem sæculari; neque Episcopus qui non est dominus temporalis, quia non habet iurisdictionem in foro externo sæculari; imò neque Imperator, neque Rex, vt optimè Sancius & Henriquez, quamuis habeant dictam iurisdictionem, quia isti exprimi debent, vt exprimuntur in Tridentino sess. 22. cap. 11. de Reformatione, & in Bulla Cœnæ Domini.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm filius teneatur contrahere Matrimonium, quod pater promisit aut præcipit.

SVpponimus, consensum parentum non sufficere ad valorem matrimonij filij, vt definitur in can. *Sufficiat.* 27. quæst. 2. & in can. *Vbi non est.* 30. quæst. 2. de quo legendus est Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 19. & 20.

Est tamen difficultas, An filius teneatur ad contrahendum matrimonium quod pater promisit aut præcipit; & procedit ex suppositione, quòd filius non eligat meliorem statum: quia si eligat, non tenetur, vt patet, & ex suppositione quod matrimonium à patre promissum aut præceptum non sit filio indignum; quia si ei sit indignum, non potest à patre ad illud obligari.

Nauarrus ergo cap. 14. num. 15. Rebellus q. 14. sect. 2. & Bellarminus 1. de Matrimonio cap. 15. docent, filium teneri contrahere matrimonium quod parentes promiserunt, & volunt fieri. Et deduci videtur ex cap. 1. de Desponsat. impub. vbi dicitur: *Postquam filius ad perfectam ætatem peruenerit, omnino debet hoc implere.* ibi autem sermo est de sponsione contrahendi matrimonium facta à patre pro filio. Et ratione probatur; quia parentibus incumbit procurare liberis has aut illas nuptias, ergo liberi tenentur illis quoad hoc obedire.

Richardus verò in 4. dist. 29. art. 1. q. 4. Sancius lib. 4. disp. 23. & Ægidius disp. 28. dub. 5. docent, filium non teneri, & meritò: quia matrimonium est quasi quædam perpetua seruitus; ergo quilibet est liber & sui iuris, & à cuiuscumque alterius voluntate independens ad illud contrahendū & non contrahendum; quia durum esset, homines pro mera voluntate aliorum, quamuis parentum, contra propriam, ad perpetuam quasi seruitutem adigi & obligari. Et non tantùm quilibet est liber & independens à voluntate aliena ad contrahendum & non contrahendum, sed ex suppositione etiam, quòd eligat statum matrimonialem, est liber ad contrahendum hoc aut illud; quia adhuc ex suppositione quòd quis velit contrahere, & fieri quasi seruus, durum est, & contra rationem, pro sola voluntate alterius adigi & obligari ad hanc aut ad illam quasi seruitutem perpetuam; filius ergo, adhuc ex suppositione quòd velit matrimonium contrahere, nequit pro sola voluntate parentum obligari ad hoc aut ad illud matrimonium. Et confirmatur, quia coniugium exigit indissolubilem vitæ societatem mutuo amore conglutinatam; ergo ab eius natura alienum videtur, aliquem alterius voluntate obligari ad hoc aut ad illud, præsertim cùm rarò amemus ea in quæ aliorum imperio adigimur.

In dicto autem c. 1. illa particula *omnino debet à*

Glossa

Glossa. Glossa & communiter exponitur de debito honestatis non præcepti, seu obligationis. Et ad rationem respondemus, quòd quamuis parentibus incumbat prouidere nuptias filijs (quamuis non magis, quàm alium statum;) non tamen tenentur filij quoad illas parentibus obedire, neque quoad alios status, vt Religionis & cælibatus.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm filij possint licitè inire hoc aut illud Matrimonium, parentibus inuitis seu resistentibus.

34 SVpponimus, ad valorem matrimonij filiorum non esse necessarium consensum parentum, sed absque eo, imò contra eum posse validè fieri, vt definitur in cap. *Cùm virum.* 12. de Regularibus, & in Tridentino sess. 24. c. 1. de Reformat. matrim. De qua re legendus est Bellarminus l. 1. de Matrimonio à c. 19.

Bellarmin

Hoc ergo supposito, circa difficultatem Sotus in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 1. Rebellus q. 14. sect. 1. & Bellarminus docent, filios non posse licitè parentibus inuitis matrimonium contrahere: quia id videtur contra pietatem & reuerentiam parentibus debitam, cuius signum videtur esse, quòd parentes communiter offenduntur grauissimè.

Sotus. Rebellus. Bellarmin.

35 Sancius verò lib. 4. disp. 23. Ægidius disp. 28. dub. 5. & Vasquez disp. 4. num. 24. docent, filios id posse licitè, & meritò: quia quilibet, adhuc ex suppositione quòd velit contrahere, est liber quoad statum matrimonialem: quia durissimum esset, quoad illum, ob eius perpetuitatem & onera, pendere à voluntate alterius, quamuis patris; ergo filius liberè & licitè potest, non solùm non inire matrimonium quod pater vult, vt diximus Difficultate præcedenti, sed etiam contrahere quod sibi placuerit; ac proinde contrahendo contra voluntatem patris hoc aut illud matrimonium, nullam in eum irrogat impietatem & irreuerentiam; etsi aliquando, quando matrimonium fit contra eorum voluntatem, offendantur, non offenduntur tamquam iniuriati contra debitum pietatis, sed contra debitum honestatis seu decentiæ; quia decens est filium conformari voluntati patris. Quomodo verò parentes non possint exheredare libros, neque eis dotem negare, quia contrahunt matrimonium ipsis inuitis, contra Basilium lib. 2. cap. 1. & contra alios ostendunt Sancius à disp. 24. & Vasquez vbi suprà.

Sancius. Vasquez.

Addimus (vt optimè Sancius & Ægidius) 36
quòd quamuis non sit contra reuerentiam parentibus debitam, filios illis inuitis hoc aut illud matrimonium contrahere, eis tamen inconsultis, seu non certioribus factis, contrahere matrimonium aliquod, esse grauem defectum irreuerentiæ, & peccatum mortale; nisi quando filij timent, parentes iniustè impedituros matrimoniũ, aut quando adest alia rationabilis causa occultandi parentibus matrimonium.

Sancius. Ægidius.

DISPVTATIO VII.

De Matrimonio conditionato.

DIFFICVLTAS I.

Quod Matrimonium sit conditionatum.

1 SVPPONIMVS Primò, contractui matrimonij (sicut cuicumq; alij) posse conditionem apponi: est autem conditio illa, à cuius existentia valor contractus aut dispositionis dependet; quia fit dependenter ab illa, & explicatur particulâ *si*, & particulâ *dummodò*; vt quando dicitur, *Do tibi equum, si es cognatus meus*, aut *dummodò sis cognatus meus.*

Supponimus Secundò, conditiones, quæ contractui matrimonij & cuicumque alij apponi possunt, esse in duplici differentia. Alias esse necessarias contractui, & ipsi quasi intrinsecas, sine quibus contractus nequit validè fieri: & ex his quædam sunt ita necessariæ, vt illis deficientibus contrahentes nequeant conari ad perficiendum contractum; vt quando dicitur, *Volo te in vxorem, si viuis*, aut *si consentis*; quædam verò, quæ, quamuis necessariæ sint, non tamen ita, vt quamuis deficiant, nequeant contrahentes conari ad perficiendum contractum, saltem inualidè, vt quando dicitur, *Volo te in vxorem, si non es soror mea.* Et alias esse conditiones non necessarias contractui, & ei quasi extrinsecas, sine quibus contractus potest validè fieri; ex quibus quædam sunt impossibiles, quædam verò possibiles: & ex his possibilibus quædam sunt contingentes, quæ possunt euenire & non euenire; quædam verò necessariæ, quæ non possunt non euenire.

2

His suppositis, certum est, contractum matrimonij, cui apponitur conditio ei extrinseca, absq; cuius existentia seu subsistentia potest validè celebrari, esse conditionatum, vt quando dicitur, *Duco te in vxorem, si es nobilis*; quia appositione conditionis extrinsecæ potest aliquid noui intendi & effici, quod nequit effici eo contractu absque tali conditione celebrato, nempe quòd non valeat deficiente conditione, & valeret, si non apponeretur; ac proinde contractus, cui apponitur talis conditio, est conditionatus distinctus ab absoluto, & habens aliquem effectum, quem absolutus ab illa conditione non haberet.

Circa matrimonium verò, cui apponitur con- 3
ditio ipsi necessaria, & quasi intrinseca, distinguendum est (vt aduerut Ægidius disp. 29. du. 2.) *Ægidius.*
& dicendum, quòd matrimonium, cui apponitur conditio ita ipsi necessaria, vt absque existentia talis conditionis nequeant contrahentes conari ad contrahendum (vt quando dicitur, *Duco te in vxorem, si consenseris*, aut *si Deus permiserit*) non censetur conditionatum, sed absolutum, quia non magis refert apponere illam conditionẽ, ac illam tacere; quia illius appositione nequeunt contrahentes aliquid noui intendere, & consequenter est ita absolutum, ac est quando dicta conditio

non apponitur. Et quòd matrimonium, cui apponitur conditio ipsi necessaria, sed non ita, vt si deficiat & non existat, contrahentes nequeant conari perficere contractum, vt quando dicitur, *Volo te in vxorem, si non es soror mea*, verè sit & censeatur conditionatum; quia appositione talis conditionis potest aliquid noui intendi; quia illius appositio potest ad aliquid conducere, nempe vt non contrahatur matrimonium illicitè contra pietatem 4 consanguineis debitam, & vt non incurratur pœna diffidentiæ dispensationis imposita in Tridentino sess. 24. cap. 5. de Reformat. matrimonij, contra contrahentes scienter in gradibus prohibitis, & quando denuntiationes illicitè omittuntur, etiam contra ignoranter contrahentes in illis; qua pœna, vbi Tridentinum viget, videtur cessasse pœna excommunicationis lata in Clementina vnica de Consanguinitate contra scienter contrahentes in gradibus prohibitis, & vbi Tridentinũ non viget, ne contrahatur dicta pœna excommunicationis.

Obseruandum tamen est, quòd cùm contractus matrimonij nequeat validè fieri absque consensu seu intentione contrahentium, semper standum est intentioni seu consensui contrahentis sub conditione, qualiscumque illa sit, siue turpis siue impossibilis, ita vt conditione non existente, non fiat verè contractus, quamuis in foro exteriori aliquando pro qualitate conditionis oppositum præsumatur & iudicetur.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm conditiones appositæ Matrimonio illud suspendant vsque ad notitiam existentiæ ipsarum.

5 COnueniunt Doctores, existentiam seu subsistentiam conditionum, quæ apponuntur matrimonio, esse necessariam ad valorem illius; quia fit dependenter ab earum existentia. Est tamen difficultas, an etiam sit necessaria notitia existentiæ seu implerionis earum.

Ægidius. Ægidius disp. 29. dub. 1. docet, matrimonium factum sub conditione, quamuis de præsenti & præterito, non valere, quamuis conditio existat & impleta sit, sed suspendi vsque ad notitiam, saltem probabilem existentiæ conditionis appositæ, habitam à contrahentibus. Ratio illius est, quia ad contrahendum matrimonium necessaria sunt ver- 6 ba, quibus contrahentes sibi mutuò significent determinatè consensum; quia verbis, quibus æqualiter possunt significare consensum & dissensum, nequeunt matrimonium contrahere; sed quando existentia seu impletio conditionis appositæ ignota est contrahentibus, non significant suis verbis determinatè consensum: quia non magis significant consensum quàm dissensum; quia sub disiunctione significant vel consensum, si conditio existat, vel dissensum, si non existat; ex dictis enim verbis, quousque existentia conditionis sit nota, non magis colligitur consensus quàm dissensus; ergo verba, quibus contrahitur matrimonium sub conditione, non sufficiunt ad valorem, quousque positio seu existentia conditionis sit contrahentibus nota.

Sancius. Sancius verò lib. 5. disp. 7. docet, matrimonium sub conditione factum non suspendi vsque ad notitiam impletionis conditionis, sed statim ac conditio existit, esse validum & perfectum, & meritò: quia qui contrahit matrimonium sub conditione v.g. nobilitatis vxoris, contrahit, & consentit sub conditione existentiæ rei significatæ per conditionem, nempe nobilitatis, & non sub conditione notitiæ nobilitatis, & suum consensum alligat existentiæ nobilitatis, & non notitiæ illius, vt constat ex verbis quibus fit matrimonium, nempe, *Duco te in vxorem, si es nobilis*; ergo non suspenditur vsque ad notitiam.

Quòd autem existentia seu positio conditionis non sit contrahentibus nota, non tollit, verba, quibus contrahitur matrimonium sub conditione, significare ipsis contrahentibus determinatè consensum sub illa conditione, quamuis ignorent existentiam conditionis sub qua præbetur consensus; quia verba determinatè illum significant sub ea conditione, & ipsis contrahentibus; quia ipsis proferuntur, & ad eos diriguntur, & ipsi ex verbis sub conditione prolatis colligunt determinatè consensum sub conditione apposita, quamuis ignorando existentiam conditionis, ignorent contractum seu consensum absolutè valere; quia ignorant id sub quo consensus fuit præstitus; quia aliud est, ignorare, consensum absolutè valere ex eo quòd ignoretur existentia conditionis; & aliud est, ignorare, consensum fuisse sub conditione præstitum: contrahentes autem hoc non ignorant, quamuis prius illud ignorent.

Ex dictis constat, matrimonium contractum sub conditione de præsenti aut præterito, statim absolutè valere, aut esse omnino nullum: valet quidem absolutè, si conditio existat; & esse omnino nullum, si non existat.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Matrimonium contractum sub conditione de futuro, ob quam suspenditur vsque ad euentum conditionis, fiat validum euentu ipso absque noua consensu.

SOtus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 1. Henriques cap. 11. & Basilius lib. 3. cap. 14. docent, matrimonium contractũ sub dicta conditione de futuro, v.g. sub hac, *si pater tuus consenserit*, non fieri validum euentu ipso conditionis, absque noua consensu; sed absq; eo tantùm habere vim sponsalium. Quod deduci videtur ex cap. *Super eo* 5. de Conditionibus, dum dicitur, eum qui matrimonium contraxit cum femina sub conditione, *si pater illius consentiret*, non esse compellendum ad matrimonium ante euentum conditionis; quia ibi supponi videtur, impleta conditione compellendum fore ad contrahendum matrimonium, & proinde non esse perfectum solo euentu & impletione conditionis. Et ratione probatur, quia consensus de præsenti, sub conditione de futuro præstitus, non est in rigore de præsenti, vt significatur in dicto cap. sed est de futuro, vtpote alligatus euentui futuro; ergo non sufficit ad matrimonium, sed tantùm ad sponsalia.

Paludanus verò in 4. dist. 29. q. 2. art. 5. Sancius lib. 5. disp. 8. & Ægidius disp. 29. n. 11. docent, matrimonium contractum sub dicta conditione de

de futuro, perfici & purificari solo euentu conditionis absque nouo & superaddito consensu, & meritò: quia consensus per verba de præsenti præstitus, quamuis sub conditione de futuro & contingenti, est verè consensus de præsenti (quamuis inchoatus tantùm & imperfectus vsque ad euentum conditionis) quo contrahens ex tunc consentit, & vult alterum in coniugem sub conditione, id est, si ponatur conditio; ergo positione conditionis consensus ille perficitur, & à conditione absoluitur, ac proinde etiam contractus. Consequentia patet; quia consensus ille conditionatus habitualiter manet, vtpote non reuocatus, & iam positione conditionis ab ea absolutus & independens, imò manet moraliter præsens, vtpote elicitus dependenter ab euentu conditionis quem exspectat, & iam euentu ipso conditionis ab ea absolutus. Et confirmatur, quia consensus illius, 11
qui primò protulit verba, includit quasi intrinsecè hanc conditionem, *si tu etiam consenseris*; & tamen statim ac alter consentit, consensus & contractus fit perfectus & absolurus absque nouo consensu prioris: ergo etiam consensus in matrimonium sub conditione de futuro, etiam contingenti, fit absolutus & perfectus solo euentu conditionis.

In dicto autem cap. *Super eo.* pro aduersarijs adducto, tantùm dicitur, illum contrahentem non esse ante impletionem conditionis compellendum ad contrahendum (subintellige, absolutè, seu absque conditione;) ex eo tamen non infertur, neque in eo supponitur esse compellendũ, quando conditio est impleta; quia argumentum à contrario non est efficax, præsertim quando consequens, quod infertur, supponit alium statum, vt 12
contingit in præsenti casu, in quo consequens supponit impletionem conditionis. Et ad rationem respondemus, negando, consensum de præsenti sub conditione de futuro præstitum, non esse in rigore de præsenti (quamuis tantùm sit inchoatus) cùm verè exprimatur per verba de præsenti. Ex eo verò, quòd alligetur euentui conditionis futuro, tantùm fit, ante euentum non esse perfectum & absolutum: & id tantùm significatur in dicto cap. dum dicitur, talem consensum non esse habendum de præsenti, id est, non esse consensum de præsenti perfectum & absolutum.

Obseruandum est, consensum in matrimonium sub conditione de futuro, illud suspendente in futurum, si reuocetur ante euentum conditionis, non sufficere ad matrimonium; quia reuocatione desinit esse consensus, ac proinde non existit adhuc habitualiter, quando impletur conditio, vt illius impletione perfici possit, & à conditione absolui. Verum est, eam reuocationem esse iniustam contra obligationem iustitiæ expectandi impletionem conditionis, & ob hanc rationem consensum sub conditione de futuro in alios contra- 13
ctus, si reuocetur, non sufficere ex Iure naturali ad eorum valorem; sufficere tamen de facto ex Iure positiuo, quod ob iniustitiam reuocationis vult supplere defectum consensus ad illos requisiti; quod non fit, nec fieri potest in contractu matrimonij, quia potestas humana nequit supplere defectum consensus ad eum requisiti.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Matrimonium contractum inter inhabiles inhabilitate, in qua Papa potest dispensare, sub conditione, si Papa dispensauerit, perficiatur absque nouo consensu, facta dispensatione.

QVamuis Difficultate præcedenti dixerimus, matrimonium sub conditione de futuro absolutè valere, absque nouo consensu, sola impletione conditionis; Difficultas hæc adhuc habet locum ob peculiarem rationem contrahentium, & conditionis sub qua contrahunt.

Circa hanc ergo difficultatem Sotus dist. 29. 14
quæst. 2. art. 1. & Henriquez cap. 12. docent, matrimonium in casu dicto non perfici absque nouo *Sotus.* *Henriquez.*
consensu, quamuis dispensatio obtineatur. Primò, quia matrimonium absque consensu de præsenti absoluto, & inter personas habiles, nequit esse perfectum: in casu autem dicto numquam est consensus de præsenti absolutus, & inter personas habiles, quia tempore, quo consensus fuit elicitus, & erat de præsenti, personæ erant inhabiles; & quamuis tempore impletionis conditionis iam personæ erant habiles, tamen tunc non est consensus de præsenti, sed præteritus & antiquus; ergo. Secundò, quia dicta conditio, *si Papa dispenset*, pendet ex arbitrio Principis, ac proinde Iure censetur impossibilis, vt constat ex L. *Apud Iulianum.* §. fin. ff. De legatis; conditio autem impossibilis habetur pro non appositа, ac proinde contractus sub illa celebratus statim est absolutus: sed matrimonium absolutè factum, quando contrahentes sunt inhabiles, est nullum, & indiget nouo consensu tempore habilitatis; ergo matrimonium, sub dicta conditione contractum, est nullum, & indiget nouo consensu post obtentam dispensationem qua fiunt habiles.

Sancius verò lib. 5. disp. 8. & Ægidius disp. 19. 15
num. 33. docent, matrimonium in casu dicto per- *Sancius.*
fici obtenta dispensatione, absque nouo consen- *Ægidius.*
su, & meritò: quia in casu dicto reperitur consensus de præsenti absolutus, & inter personas habiles; ergo absque nouo consensu est sufficiens ad matrimonium. Consequentia patet. Antecedens autem probatur simul & declaratur; quia consensus ille conditionatus, vt sic, est de præsenti, & est inter personas habiles ad contrahendum sub dicta conditione, & aliàs perseuerat vsque ad impletionem conditionis, nempe dispensationis, qua ille consensus de præsenti fit absolutus, & contrahentes fiunt habiles ad consensum absolutum: ergo verè adest consensus de præsenti absolutus, & inter personas habiles. Ex quo constat ad priorem rationem aduersariorum. Et ad posteriorem respondemus, quòd quamuis dicta conditio pendeat ex arbitrio Principis, non est censenda impossibilis, quia dispensatio solet fieri; & id quod pendet à Principe, tunc tantùm censetur impossibile, quando non solet à Principe fieri, vt dicitur in dicta Lege.

DIFFICVLTAS V.

Quando conditio hæc de futuro, si patri placuerit, appositа Matrimonio, censeatur impleta, aut deficere, vt ex tunc Matrimonium absolutè valeat, aut omnino euanescat.

16 CIrca hanc difficultatem quod præcipuè controuertitur est, An quando pater primò dissentit, si tamen posteà consentiat, consensu isto posteriori impleatur dicta conditio, & perficiatur matrimonium.

Sotus. Sancius. Basilius. Sotus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 3. Sancius l. 5. disp. 7. & Basilius lib. 3. in fin. partem negatiuam tuentur, quia eo priori dissensu deficit conditio.

Nauarrus. Ledesma. Ægidius. Nauarrus verò cap. 22. num. 61. Petrus Ledesma quæst. 47. art. 5. dub. 7. & Ægidius disp. 29. dub. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia quamuis, verbis dictæ conditionis in rigore sumptis, eo priori dissensu deficiat conditio; nihilominùs, iuxta communem sensum & intentionem contrahentium, verba dictæ conditionis non sumuntur in rigore, sed morali quodam modo, ita vt sensus sit, Si à patre obtentus fuerit con-

17 sensus intra tempus aliquod, arbitrio prudentis, attentis circumstantijs, sicut quando contrahitur sub conditione, *si Papa dispensauerit*: ergo quamuis pater initio dissentiat, si posteà consentiat intra tempus, vsque ad quod, attentis circumstantijs arbitrio prudentis, intenderunt extendere consensum conditionatum, absolutè valet: quia tunc non deficit conditio, cùm intra tempus intentum obtineatur consensus patris; sicut etiam matrimonium, contractum sub conditione, *si Papa dispensauerit*, valet, quamuis Papa initio deneget dispensationem, si posteà intra tempus aliquod arbitrio prudentis illam concedat.

18 Et ob eamdem rationem existimamus, matrimonium, factum sub ea conditione, *si patri placuerit*, non valere, quamuis pater primò consentiat, si posteà intra tempus aliquod, saltem breue, dissentiat & repugnet; quia scilicet, iuxta communem intentionem contrahentium, extenditur consensus conditionatus vsque ad aliquod tempus, tantum aut tantum, attentis varijs circumstantijs; quia absque dubio sensus & intentio contrahentium est, ipsorum matrimonium valere, si pater intra aliquod tempus tandem acquiescat, & non repugnet, quod deficit si intra tempus illud maneat repugnans.

Sancius. Ægidius. Obseruandum tamen est (vt optimè Sancius & Ægidius) quòd quamuis dicta conditione, *si patri placuerit*, significetur in rigore positiuus consensus; nihilominùs, iuxta communem sensum contrahentium, ea conditione tantùm significatur non-repugnantia patris; quia ipsi dicta conditione non tam intendunt quòd pater positiuè faueat, quàm quòd non repugnet, & ægrè ferat. Vnde

Sancius. Ægidius. (vt optimè Sancius & Ægidius contra Basilium lib. 3. in fin.) si pater moriatur antè quàm rogatus sit an ipsi placeat, valet matrimonium, quia tunc repugnare nequit.

Quæ autem dicta sunt circa matrimonium sub ea conditione, *si patri placuerit*, dicta etiam putamus circa sponsalia sub ea conditione facta, ob easdem rationes.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm conditio necessaria de futuro, apposita Matrimonio, illud suspendat vs futurum.

CIrca hanc difficultatem conueniunt communiter Doctores, matrimonium factum sub conditione necessaria de futuro, v. g. *si Sol oriatur cras*, statim ac fit, ante euentum conditionis absolutè valere & perfici, quando cognoscitur vt necessaria. Ita Sancius lib. 5. disp. 2. Henriquez lib. 11. cap. 12. Rebellus lib. 2. quæst. 10. sect. 1. Ægidius disp. 29. num. 8. & Basilius lib. 3. cap. 1. Quia quamuis verbis dictæ conditionis in rigore significetur dependentia consensus ab euentu posteà futuro, & posset sic à contrahentibus intendi; tamen, iuxta communem sensum & intentionem contrahentium, id non intenditur appositione talis conditionis; quia cùm euentus illius sit necessariò contentus in causa necessaria, & cognoscatur vt talis, ita est certus, & ita moraliter censetur præsens, vt qui eam conditionem apponunt, non tam apponant ad suspendendum consensum, quàm ad significandam certitudinem consensus præsentis absoluti; ac proinde quando non constat appositam fuisse ad suspendendum consensum, matrimonium censendum est in vtroq; foro, tam interiori quàm exteriori, statim absolutè valere & perfici, & non solùm ex tunc obligare, sed etiam pro tunc, quidquid dicat Basilius.

Et idem dicendum est de conditione de futuro contingenti infallibili, seu certò futura cognita, vt tali, v. g. *si Antichristus venerit*; vt contra Adrianum & Couarruuiam & Basilium docent Sancius & Rebellus: quia contrahentibus non minùs constat, conditionem hanc certò futuram seu extituram, quàm conditionem necessariam; conditio autem necessaria ob certitudinem suæ existentiæ & futuritionis, non tam apponitur iuxta communem intentionem ad suspendendum consensum, quàm ad significandam certitudinem consensus de præsenti absoluti: ergo etiam conditio de futuro contingenti infallibilis cognita vt talis, ad id etiam apponitur iuxta communem contrahentium intentionem; ac proinde etiam dum non constat appositam esse matrimonio, ad illud suspendendum, iudicandum est statim absolutè valere. Si tamen matrimonio apponeretur hæc conditio, *si Antichristus venerit intra decem annos*, verè illud suspenderet vsque ad tempus additum; quia ratione temporis superadditi aduentui Antichristi conditio non est certa.

Addidimus, quando conditiones necessariæ & infallibiles cognoscuntur vt tales; quia quando non cognoscuntur, sed earum euentus incertus existimatur, matrimonium, sub qualiber earum celebratum, non valet absolutè vsque ad euentum earum; quia tunc apponuntur ad suspendendum consensum vsque ad dictum euentum.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm, vbi Tridentinum viget, ad valorem absolutum Matrimonij conditionati necessarium sit, conditionem coram Parocho & alijs testibus impleri.

22 DIfficultas hæc quoad matrimonium conditionatum conditione de futuro, non procedit iuxta opinionem asserentium, matrimonium sic contractum non purificari impletione conditionis, sed requiri nouum consensum; quia iuxta hanc opinionem sufficit, & necessarium est, nouum illum consensum exprimi coram Parocho & alijs testibus; quia tunc fit integrè matrimonium, & non anteà: sed tantùm procedit iuxta opinionem nostram, qua diximus, matrimonium conditionatum conditione de futuro purificari impletione conditionis absque nouo consensu.

23 Supponimus autem, secundùm nostram opinionem, sufficere contractum ipsum conditionatum, siue conditione de præsenti aut de præterito, siue conditione de futuro, & impletionem conditionis fieri coram Parocho & alijs testibus; quia eo ipso matrimonium perfectum & purificatum fit coram illis: & ad minus necessarium esse, contractum ipsum conditionatum coram illis fieri.

Est tamen difficultas, An etiam sit necessarium impletionem conditionis coram illis fieri.

Sancius. Circa quam Sancius lib. 5. disp. 8. partem negatiuam tuetur; quia, vt Parochus & alij testes validè assistant matrimonio, quod à Tridentino requiritur, non est necessarium ita assistere vt testari possint illud fuisse validè contractum; quia validè assistunt matrimonio eorum, quos nesciunt carere impedimento dirimente, & validè assistunt matrimonio facto per procuratorem, absque eo quòd coram eis fiat assignatio procuratoris, & absque eo quòd eis ostendatur assignatio illius, vt

24 diximus Disputatione 111. Difficultate xv. ergo non est necessarium, vt assistat impletioni conditionis sub qua matrimonium fuit celebratum; quia impletio conditionis tantùm est necessaria vt matrimonium anteà celebratum fiat absolutè validum. Et confirmatur, quia ita assistendo satisfit intentioni Tridentini, vitandi omnia incommoda; quia ita assistendo poterit constare, matrimonium fuisse contractum sub conditione, & ita neuter permittitur aliud contrahere, nisi constet conditionem non fuisse impletam.

Ægidius. Ægidius verò disp. 29. num. 15. partem affirmatiuam tradit, & meritò: quia ad valorem matrimonij, vbi Tridentinum viget, necessarium est, quòd Parochus & alij testes assistant matrimonio essentialiter perfecto, quoad exterius ipsum, & non sufficit matrimonio essentialiter tantùm inchoato; matrimonium autem absque impletione conditionis adhuc de præterito nõ est essentialiter perfectum quoad exterius, quia eâ perficitur, sed tantùm est inchoatum.

Ad rationem ergo respondemus, quòd quamuis necessarium non sit ita assistere matrimonio, vt possint testificari de valore illius, assistendo omnibus quoquomodò requisitis ad valorem; est tamen necessarium, assistere matrimonio essentialiter perfecto quoad exterius ipsum, in quo consistit essentia exterior matrimonij: & quia essentia exterior matrimonij conditionati perficitur essentialiter impletione conditionis; cùm exterior expressio consensus, in qua consistit, eum alligauerit impletioni conditionis; ideò necessarium est assistere impletioni conditionis, & non est necessarium assistere carentiæ impedimenti inter contrahentes, nec assignationi procuratoris, nec ostensioni talis assignationis; quia istæ non perficiunt essentialiter exteriorem expressionem consensus, quamuis sint requisitæ, vt exterior expressio consensus sit valida, & vt habeat effectum.

Et ad confirmationẽ negamus, assistendo matrimonio cõditionato satisfieri intentioni Tridentini, si non assistatur impletioni conditionis, qua essentialiter perficitur; quia, si non assistatur, vterque permitteretur contrahere aliud matrimonium: quia dum non constat conditionem fuisse impletam, neuter poterit impediri ab Ecclesia à contrahendo aliud; quia asserenti conditionem fuisse impletam, incumbit probatio. Et quamuis forsan non permittatur, dum non constet conditionem non fuisse impletam; tamen si de facto cum altera contrahat, Ecclesia pro hoc secundo contractu iudicabit, dum non constet conditionem primo contractui appositam fuisse impletam.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm conditio contra substantiam Matrimonij illud irritet.

COnditio contra substantiam matrimonij dicitur illa, quę est contra materiam proximam & substantialem, circa quam contractus essentialiter seu substantialiter proximè versatur, seu quæ est incompossibilis, & repugnans esse cum ea materia proxima; quia eo ipso talis conditio est contra essentiam & substantiam contractus matrimonij, qui essentialiter & substantialiter circa illam versatur. 26

Hoc supposito, certum est, matrimonium contractum sub conditione contra substantiam matrimonij, esse nullum & irritum, cùm fiat dependenter ab existentia conditionis incompossibilis cum ipso contractu, & cum eius materia proxima.

Est tamen difficultas, quæ conditiones sint contra substantiam matrimonij, & ob id irritent matrimonium sub eis contractum.

Circa quam certum est, matrimonium contractum sub conditione, non transferendi dominium corporum ad vsum coniugalem, neque se obligandi ad illum obligatione radicali, ex aduerso correspondente dicto dominio, esse matrimonium contractum sub conditione contra substantiam ipsius, & ob id esse nullum & irritum. Et in primis esse contractum sub conditione contra substantiam matrimonij, patet; quia ea conditio sub qua contrahitur, directè, & adæquatè & contradictoriè opponitur materiæ proximæ, circa quam matrimonium substantialiter versatur, nempe dictæ translationi dominij, & dictæ radicali obligationi, quę matrimonio substantialiter intẽduntur. Quòd verò sub ea contractũ, eo ipso sit nullum, probatur; quia contrahitur sub conditione incompossibili 27

cum

cum eo quod contractu ipso matrimonij intenditur effici, ac proinde appositione dictæ conditionis destruitur aut impeditur id quod contractu ipso construi & effici intenditur.

Superest ergo difficultas, An conditiones contra bona matrimonij sint contra substantiam matrimonij, & ob id matrimonium sub eis contractum sit nullum.

28 Circa quod conueniunt Doctores, conditiones contra bona matrimonij (vt contra prolem, vt quando dicitur, *Contraho tecum, si prolis generationem euites*; aut contra fidem, vt quando dicitur, *Contraho tecum, si te adulterandam tradas*; aut contra indissolubilitatem, vt quando dicitur, *Contraho tecum, donec inueniam aliam pulchriorem te*) esse contra substantiam matrimonij, & ob id matrimonium sub qualibet earum contractum, esse nullum. quod supponitur & decernitur à Gregorio IX. in cap. fin. de Conditionibus appositis, & in Lege 5. Castellæ, tit. 4. part. 4.

Et in primis conditionem contra indissolubilitatem matrimonij, vt quando dicitur, *Contraho tecum, donec inueniam aliam pulchriorem te*, esse contra substantiam matrimonij (& ob id matrimonium sub ea contractum esse nullum) probatur; quia qui eo modo, & eam conditionem apponendo contrahit, non tradit suum corpus, nec se obligat absolutè in perpetuum, sed tantùm ad tem-
29 pus, quod est contra materiam proximam, circa quam matrimonium essentialiter & proximè versatur, nempe contra perpetuam traditionem corporis, & contra perpetuam obligationem, quæ solùm, & non temporaria, effici potest contractu matrimonij.

Quòd verò matrimonium contractũ sub conditione euitandi prolem, & etiam contractum sub conditione non seruandi fidem, sit etiam nullum, & contractum sub conditione contra substantiam ipsius, quando dictæ conditiones non apponuntur ad suspendendum consensum, aut quod idem est, quando nõ sumuntur pro executione euitandi prolem, & pro executione non seruandi fidem, sed pro obligationibus vitandi prolem, & non seruandi fidem, vt communiter apponuntur quando apponuntur; qua ratione dictæ conditiones potiùs habent rationem pactionum & modorum, quàm conditionum, etiam constat; quia istæ duæ obligationes sunt incompossibiles cum dicta materia proxima substantiali matrimonij; quia obligatio ad euitandum prolem illicitè, seu medio illicito, sumendo potionem sterilitatis, & emittendo semen extra vas, & obligatio non seruandi fidem, non sunt compossibiles cum obligatione radicali ad vsum coniugalem ordinatum ad prolis generationem, & ad seruandam fidelitatem: hæc autem obligatio, sicut & dominium ei correspondens, est materia proxima, circa quam matrimonium essentialiter versatur, & quæ matrimonio valido omnino necessariò inducitur.

30 Addidimus, quando dictæ duæ conditiones sumuntur pro obligationibus ad executiones, & non pro executionibus ipsis; quia executiones, vt vitatio prolis, & adulteratio, siue præteritæ, siue præsentes, siue futuræ, non sunt incompossibiles cum dicta substantia matrimonij, vt patet, sed tantùm obligationes ad eas executiones, vt explicatum est.

Ex dictis constat, omnes prædictas conditiones matrimonio appositas, vt pactiones seu modos, illud irritare ex natura rei, seu Iure naturali; quia ex natura rei opponuntur dictæ substantiæ matrimonij. Ex quo fit, Pontificem in dicto cap. nihil noui statuere circa hoc, sed Ius ipsum naturale explicare; & etiam fit, matrimonium non baptizatorum sub aliqua ex illis contractum, etiam esse nullum, quia isti etiam comprehenduntur ipso Iure naturali.

Obseruandum est, quamlibet conditionem ex dictis, supradicto modo sumptam, matrimonium irritare, quamuis ab vno tantùm contrahentum apponatur, vt contra Antoninum & alios docent Sancius l. 5. disp. 13. & alij; quia valor matrimonij essentialiter pendet à consensu vtriusque in materiam substantialem illius, ac proinde si consensus vnius elicitur dependenter à conditione contra substantiam, seu materiam substantialem matrimonij, nihil fiet.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm conditio numquam se copulandi, seu numquam reddendi aut numquam petendi, irritet Matrimonium.

SAncius lib. 5. disp. 10. Sotus in 4. dist. 29. quæst. 2. art. 3. Couarruuias 2. par. de Matrimonio cap. 3. §. 1. & Henriquez lib. 11. cap. 4. partem affirmatiuam tuentur; quia conditio, *si prolem euites*, est contra substantiam matrimonij, & illud irritat, vt dicitur in cap. final. de Conditionibus; sed conditio numquam se copulandi, seu semper seruandi castitatem, est euitandi prolem, quia non se copulando, seu seruando castitatem, impeditur proles; ergo hæc conditio est contra substantiam matrimonij, & illud irritat. Et confirmatur, quia substantia matrimonij consistit in mutuo iure petendi, & in mutua obligatione reddendi: sed dicta conditio nequit consistere cum iure petendi, & cum obligatione reddendi, quia ex ea conditione oritur deobligatio reddendi, & primtio iuris ad petendum; imò etiam oriri potest positiua obligatio non petendi, & non reddendi, si ad etiam dicta conditione contrahentes intendant: ergo dicta conditio est contra substantiam matrimonij, & illud irritat.

Vasquez verò 3. part. disp. 125. cap. 6. Rebellus quæst. 10. sect. 3. Ægidius disp. 24. dub. 4. & plures alij partem negatiuam tradunt, & merito; quia dicta conditio non est contra materiam substantialem proximam matrimonij, sed est compossibilis cum illa; ergo non est contra substantiam matrimonij, neque illud irritat. Consequentia patet. Antecedens autem probatur; quia materia substantialis, circa quam contractus matrimonij proximè essentialiter versatur, consistit in mutuo dominio corporum, in ordine ad vsum coniugalem, & in mutua obligatione radicali ad eumdem: cum his autem non est incompossibilis prædicta conditio & pactio; quia quamuis ex hac conditione seu pactione obligatio radicalis ad reddendum impediatur, & etiam ius remotum, seu dominium ad petendum, imò ex ea oriri etiam possit positiua obligatio non petendi & non reddendi, hæc tamen non sunt incompossibilia cum dicto dominio, &

& cum dicta obligatione radicali; quia dominium istud potest esse & perseuerare, quamuis impeditum ad exeundum in actum, nempe in petitionem
34 debiti, aut quod idem est, potest esse & perseuerare cum priuatione iuris proximi ad petendum, & dicta obligatio radicalis ad reddendum potest esse & perseuerare, quamuis impedita ad exeundum in actum, nempe in redditionem debiti, aut quod idem est, potest esse & perseuerare cum priuatione obligationis proximæ ad reddendum. Imò dictum dominium potest esse & perseuerare cum positiua obligatione proxima non petendi, & dicta radicalis obligatio reddendi cum positiua obligatione proxima non reddendi, vt patet in iam coniugibus, qui post matrimonium factum pacis-
35 cuntur de non petendo & non reddendo, in quibus verè manet mutuum dominium, seu ius radicale, & mutua radicalis obligatio absque iure proximo ad petendum, & absque obligatione proxima ad reddendum, imò cum obligatione positiua non petendi, & non reddendi, si id etiam suo pacto intendant. Ergo dicta conditio, seu pactio, & modus non repugnat materiæ substantiali proximæ matrimonij consistenti in dicto mutuo dominio, & in dicta mutua obligatione radicali, quamuis repugnet expeditioni tam dicti dominij, quàm dictæ mutuæ obligationis radicalis ad vsum coniugalem, seu tam iuri proximo ad petendum, quàm obligationi proximæ ad reddendum, quæ quando pacto non impediuntur, oriuntur necessariò ex dicto dominio, & ex dicta obligatione radicali.

Hoc autem, quod dicimus, posse contingere in matrimonio, nempe dominiũ in corpora ad vsum coniugalem, & obligationem radicalem ad eumdem manere absque expeditione ad eum vsum, seu absque iure proximo ad petendum, & absque obligatione proxima ad reddendum, imò cum positiua obligatione ad non petendum & ad non reddendum, etiam potest contingere in alijs rebus; quia dominus qui alteri locaret omnem operam sui mãcipij, quamuis retineret dominium in mancipium, seu ius radicale in ordine ad operas illius,
36 & in ipso mancipio perseueraret obligatio radicalis; nihilominùs in domino maneret dominium impeditum, seu non maneret ius proximum, sed hoc esset in conductore absq; dominio, & in mancipio non esset obligatio proxima obediendi domino, sed conductori, quamuis in eo esset obligatio radicalis correspondens dominio domini: imò in domino posset manere obligatio positiua non occupandi mancipium, & in mancipio non obediendi illi, si de eo conuenirent dominus & conductor, aut mancipium & dominus.

Quòd si respondeas, quòd quamuis dicta conditio non repugnet dominio in corpora iam translato, repugnat tamen dominio transferendo, seu dominio in fieri, & in transferri, sicut impedimentum dirimens antecedens matrimonium, illud irritat, & quando matrimonio iam facto superuenit, non dissoluit illud. Contra responsionem est, quòd quamuis, quando est aliquis defectus in causa efficienti, à qua effectus tantùm pendet in fieri, & non in conseruari, impediat ne fiat effectus, & effectum iam positum non destruat; quia (vt supponimus) effectus tantùm dependet à causa in fieri, & non in conseruari, & ob id impedimentum dirimens, quia est defectus in causa efficiente, nempe in contrahentibus, eos inhabilitans ad matrimonium, & ab eis matrimonium tantùm dependet in fieri, & non in conseruari, irritat matrimonium efficiendum, & non dissoluit iam factum. At quando in aliquo est defectus repugnans essentiæ rei, si defectus ille repugnat es- 37
sentiæ in fieri, etiam repugnabit essentiæ in facto esse: & si non repugnat essentiæ in facto esse, non repugnabit essentiæ in fieri, cùm essentia rei eadem sit quando fit, & quando est in facto esse. Quia ergo prædicta conditio, si esset defectus, non esset defectus in causa efficiente, sed quia repugnaret essentiæ & substantiæ matrimonij, & ei non repugnat in facto esse, quia non est incompossibilis cum dicto dominio iam translato, & cum dicta obligatione radicali iam inducta, etiam non repugnabit translationi dominij, neque inductioni dictæ obligationis radicalis.

Ad rationem ergo aduersariorum respõdemus, conditionem illam, *Si prolem euites*, id est, si te obliges ad eam euitandam, tantùm esse contra substantiam matrimonij quando est ad euitandam prolem medio illicito, non verò ad eam euitandam licitè, non solùm negatiuè, vt in casu præsentis difficultatis, sed etiam positiuè medio licito, vt sanguinis missione tempore necessitatis; quia sola obligatio ad illicitè vitandam prolem est incompossibilis cum obligatione radicali, orta ex matrimonio: quia sicut licitè euitare prolem non 38
petendo, & alijs medijs licitis quamuis positiuis, & etiam non reddendo, quando licitè fieri potest, non est contra obligationem, ortam ex contractu matrimonij in ipso, qui euitat, & consequenter neque contra dominium ortum in altero; ita etiam priuatio iuris proximi ad petendum, & priuatio obligationis proximæ ad reddendum, imò positiua obligatio, siue iustitiæ, orta ex contractu superaddito contractui matrimonij, siue religionis, orta ex voto ad non petendum, & ad non reddendum, & ad alia media licita, quibus proles impeditur, non est incompossibilis cum obligatione radicali orta ex matrimonio: & sicut prolem vitare illicitè, est contra obligationem ortam ex matrimonio; ita etiam obligatio ad eam illicitè vitandam, est incompossibilis cum obligatione radicali orta ex matrimonio.

Vnde ad confirmationem negandum est, ex dicta conditione oriri aliquid incompossibile cum mutuo dominio ad petendum, & cum mutua obligatione ad reddendum, in quibus consistit materia substantialis proxima contractus matrimonij; quia ex illa conditione tantùm oritur priuatio iuris proximi ad petendum, & priuatio obligationis proximæ ad reddendum, & ad summum etiam positiua obligatio proxima ad non petendum, & ad non reddendum, quæ non sunt incompossibiles cum dicto dominio, quod est ius remotum ad petendum, & cum dicta obligatione radicali ad reddendum, vt explicatum est.

Quòd si positiua obligatio proxima non peten- 39
di & non reddendi, orta ex contractu seu conuentione, quamuis sit iustitiæ, non est incompossibilis cum dicto dominio, & obligatione radicali matrimonij; multò minùs erit positiua obligatio non petendi, & non reddendi orta ex voto; quia est obligatio diuersæ rationis, vtpote religionis, ab obligatione orta ex matrimonio, vtpote iustitiæ; ac proinde si matrimonium factum sub conditione,

&

& pacto non petendi & non reddendi, ex quo oritur obligatio iustitiæ non petendi & non reddendi, non est irritum, multò minùs erit irritum factum sub conditione, & pacto vouendi castitatem, ex quo oritur obligatio iustitiæ vouendi castitatem.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm conditio impossibilis habenda sit pro non adiecta.

40 CONueniunt Doctores, quòd quando contrahentes ita seriò apponunt conditionem impossibilem, vt nollent contrahere, nisi dependenter à subsistentia illius, vt quando dicitur, *Contraho tecum si cælum digito tetigisti, aut tetigeris*, tunc verè & in foro conscientiæ non contrahunt matrimonium; quia conditio illa, vtpote impossibilis, nequit subsistere, quia absque consensu contrahentium, qui tunc deficeret ex defectu subsistentiæ conditionis, quem Ecclesia non potest supplere, nequit contrahi; ac proinde tunc dicta conditio verè & in foro interiori conscientiæ habenda est pro adiecta seu apposita.

41 Est ergo difficultas, quomodo Pontifex in cap. fin. de Conditionibus appositis statuat, conditionem impossibilem adiectam matrimonio habendam esse pro non adiecta; quia ea reiecta, seu habita pro non adiecta, matrimonium manet validum, aut verè & re ipsa, quod Pontifex efficere nequit absque consensu contrahentium, qui verè deficit quando contrahitur sub conditione impossibili, aut manet validum quoad præsumptionem, quod non videtur posse Pontificem præsumere, vbi appositio conditionis impossibilis est signum in manifestum dissensus.

Omissis varijs expositionibus dicti decreti, quæ videri possunt apud Sancium lib. 5. disp. 3. existimamus, vt optimè Ægidius disp. 29. num. 42. decretum Pontificis intelligendum esse quoad forum exterius, & præsumptionem; quia quando oppositum non constat, præsumit conditionem impossibilem non fuisse seriò appositam, sed tantùm iocosè; ac proinde matrimonium fuisse validum præsumit; & id non præsumit absque congruentia: quia quando oppositum non constat, præsumit, contrahentes in re adeò graui & sancta nolle nugari, & suum actum irritum reddere. Hoc autem decretum locum habet, siue ignoretur à contrahentibus siue non, & siue conditio impossibilis apposita, sit impossibilis ex natura rei, siue ex Iure positiuo, & siue conditio sit de futuro, siue non: quia in omnibus his casibus eadem est congruentia, & ratio id præsumendi.

Sancius. Ægidius.

42 Vnde, quando aliunde non constat contrahentes seriò appossuisse conditionem impossibilem, reijcitur ab Ecclesia, & cogentur ab ipsa procedere vt coniuges, si alteruter ad ipsam recurrat; & tunc ipsi, vt in hoc licitè procedant, tenebûtur verè contrahere, quod non impediet Ecclesia: at quando ex aliqua prudenti coniectura constat, conditionem impossibilem fuisse seriò appositam, non reijcietur ab Ecclesia; id autem poterit prudenter conijci, si contrahentes, quando contrahunt, id exprimant, aut si inter ipsos sit magna disparitas.

Obseruandum est, quòd quamuis in dubio, an conditio impossibilis fuerit seriò apposita, præsumatur in foro exteriori fuisse iocosè appositam, nihilominùs in foro interiori conscientiæ procedendum est ac si fuerit seriò apposita, & ac si matrimonium fuerit nullum; & consequenter non poterunt vt coniuges procedere (ne se exponant periculo accedendi ad non coniugem) nisi priùs contrahant sub cõditione, nempe, si matrimonium sub conditione impossibili anteà celebratum, non fuit validum.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm conditio turpis habenda sit pro non adiecta.

DIfficultas procedit de conditione turpi, quæ non est contra substantiam matrimonij, v. g. *si furtum commiseris*; quia de conditione, quæ est contra substantiam matrimonij, iam vidimus habendam esse pro adiecta, & irritare matrimonium.

Circa difficultatem ergo conueniunt Doctores, quando contrahentes ita seriò apponunt matrimonio dictam conditionem turpem, vt contrahere nolint, nisi illa existat, tunc verè & in foro conscientiæ matrimonium ante euentum conditionis tantùm esse validum sub ea conditione, & illa non existente, omnino euanescere; quia absque consensu contrahentium, qui tunc eliceretur dependenter ab ea conditione, & quem Ecclesia in matrimonio supplere non potest, contrahi nequit aliter, quàm contrahentes intendunt, & consequenter in foro conscientiæ, & re ipsa dictam conditionem habendam esse pro adiecta.

Decretum autem Pontificis in cap. fin. de Conditionibus, quo decernitur, conditionem turpem, matrimonio adiectam, habendam esse pro non adiecta; ac proinde matrimonium ex tunc absolutè valere, etiam ante euentum cõditionis: imò quamuis non impleatur, tantùm intelligitur quoad forum externum, & quoad præsumptionem, sicut diximus de conditione impossibili, & de matrimonio sub ipsa contracto; quia quando oppositum non constat, præsumit Pontifex, conditionem turpem, in cuius implctione committendum est peccatum, non fuisse seriò sed iocosè appositam, & præsumat peccatum faciendum; ac proinde matrimonium, cui fuit apposita, fuisse absolutè validum.

Decretum autem hoc habet locum, quamuis ignoretur à contrahentibus, & non nisi quando conditio est de futuro; quia in huius tantùm impletione futurum est peccatum: at quando certiùs constat ex aliqua prudenti coniectura, conditionem turpem fuisse seriò appositam, tunc non reijcietur ab Ecclesia, & matrimonium sub ipsa contractum ante euentum conditionis, tantum erit validum sub conditione; & si conditio deficiat, omnino euanescet, quia tunc contra rationem oppositum præsumeret. Id autem poterit prudenter conijci, si contrahentes id exprimerent, quando contrahebant, aut si inter contrahentes est magna disparitas.

Obseruandum est Primò pro foro conscientiæ, quando dubium est, an conditio turpis fuerit seriò apposita (in quo casu Ecclesia præsumit matrimonium ab initio esse absolutè validum) contrahunt de nouo sub conditione, nempe si matrimoniũ anteà, sub conditione turpi celebratum, non

non fuit validum, ne se exponant periculo accedendi ad non coniugem.

46 Obseruandum est Secundò, conditionem illam, *si te virginem inuenero*, appositam matrimonio, esse turpem, ac proinde reiiciendam ab Ecclesia, & matrimonium sub ea contractum præsumendum esse absolutè validum, si inuentio facienda sit medio accessu, quia facienda est ante matrimonium absolutè validum: quia ante euentum inuentionis non est absolutè validum; nihilominùs non esse turpem, quando facienda est iudicio Medicorum, aut alio licito modo; ac proinde tunc non esse reiiciendam ab Ecclesia, & matrimonium sub ipsa contractum non esse præsumendum à principio absolutè validum.

DIFFICVLTAS XII.

Quam vim habeant sponsalia conditionata.

COnueniunt Doctores, contractum sponsalitium sub conditione de futuro contingenti fallibili, non habere vim impediendi valorem matrimonij, posteà cum altera persona facti, imò nec
47 eam vim habere contractum sponsalitium absolutum: quia contractus matrimonij, vtpote translatiuus dominij corporum, est multò efficacior contractu sponsalitio, quo tantùm confertur ius ad corpora, & non in corporibus. Quia tamen contractus sponsalitius dicto modo conditionatus inducit obligationem expectandi euentum conditionis, ideò qui post ipsum contrahit matrimonium cum altera persona, id illicitè facit; quia irrogat iniuriam seu iniustitiam sponsæ aut sponso sub conditione, quia facit contra ius illius, quod habet ad rem.

Sed quamuis contractus sponsalitius dicto modo conditionatus non habeat vim impediendi valorē contractus matrimonij posteà cum altera facti, habet tamen vim impediendi valorem alterius contractus sponsalitij sub conditione posteà facti cum altera persona, non solùm quando conditio huius posterioris non impletur, aut quādo impletur post impletionem conditionis prioris contractus (quod
48 est certissimum) sed etiam quando conditio posterioris priùs impletur, vt docent Sancius lib. 5. disput. 8. Ægidius disp. 29 dub. 1. Basilius lib. 3. c. 13. & cōmuniter Doctores: quia prior contractus conditionatus, etiam ante euentum suæ cōditionis, inducit obligationem absolutam expectandi euentum conditionis, quæ non est minor quàm obligatio absoluta contrahendi matrimonium (quam posterior contractus aliàs ex se est potens inducere, impleta sua conditione) quia vtraq; obligatio tantùm est promissoria, quia oritur ex contractu promissionum, non conferente dominium: & ob hanc rationem etiam habet vim impediendi valorem contractus sponsalitij absoluti posteà facti. Vnde à fortiori contractus sponsalitius sub conditione prior impedit valorem posterioris sub conditione, quando impletio conditionum vtriusque simul contingit.

Sancius. Ægidius. Basilius.

Addit Sancius, quòd prior contractus, quando conditio posterioris priùs aut simul impletur, præualeat contra posteriorem in ratione tantùm promissionis, non verò in ratione contractus; ac proinde quòd prior in ratione contractus destruatur, & consequenter, quòd ex priori non oriatur impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex contractu sponsalitio. Fallitur tamen Sancius, vt optimè Basilius: quia si prior contractus præualet, & obligat in ratione promissionis ex fidelitate, etiam præualet in ratione cōtractus sponsalitij ex iustitia: quia ipso priori contractu sponsalitio collatum est ius iustitiæ sub conditione, quod semel acceptata, nequit auferre ille qui contulit, quamuis per posteriorem contractum impleta conditione reuocet voluntatem incompossibilitate huius iam absoluti cum priori; sicut nec ius iustitiæ collatum contractu sponsalitio absoluto, & ab altero acceptatum, potest alio contractu simili auferri, quia contractus sponsalitius vnius tantùm voluntate non dissoluitur. Vnde ex dicto priori contractu sponsalitio conditionato, post impletionem conditionis, oritur impedimentum publicæ honestatis. *Basilius.*

Circa matrimonia verò dicto modo conditionata, 49
successiuè facta cū duabus (quæ in nostra opinione distincta sunt ab spōsalibus, quia in nostra opinione purificantur solo euentu conditionis absq; nouo consensu) est difficultas, quod eorum præualeat.

Supponimus, contractum illum matrimonij, siue priorem siue posteriorem, cuius conditio priùs impletur, præualere alteri, vt docent Sancius & Æ- *Sancius.*
gidius, quia ex vna parte contractus ille impletione *Ægidius.*
conditionis perficitur & purificatur, ac proinde, quantum est ex se, est sufficiens ad transferendum dominium absolutum corporum mamissibile, & adinducendam obligationem inextinguibilem, seu vinculum indissolubile, & ex altera parte, obligatio orta ex altero contractu, quamuis priore conditionato nondum absoluto, quia eius conditio nondum est impleta, non inhabilitat ad contrahendum cum altera persona.

Hoc supposito supereſt difficultas, quòd ma- 50
trimonium ex illis præualeat, quando conditio vtriusque simul impletur.

Tabiena v. *Matrimonium.* 2. q. 11. nu. 12. docet, *Tabiena.*
prius matrimoniū præualere; quiā potior & melior est conditio ipsius, ob ius acquisitū ante posterius.

Petrus Ledesma q. 47. a. 5. dub. 1. econtrà docet, *Petrus*
posterius matrimonium præualere; quia per con- *Ledesma.*
sensum in posterius, reuocatus fuit consensus in prius; consensus autem reuocatus, quamuis sufficiat ad contractum sponsalitium, non tamen ad matrimonium.

Sancius verò & Ægidius vbi suprà docent, tunc *Sancius.*
neutrum matrimonium valere, & meritò: quia *Ægidius.*
quando conditio vtriusque simul impletur, tunc consensus absolutè & perfectè fertur simul in vtrumque, quia vterque consensus euentu conditionis simultaneo simul perficitur & absoluitur; ergo neuter est sufficiens ad valorem alicuius matrimonij, sicut quando consensus à principio absolutus simul fertur in duas.

Ad rationem ergo Tabienæ respondemus, quòd quamuis conditio seu sors prioris contractus sit potior, vt obliget ad expectandum impletionem conditionis sibi appositæ, ita vt contra eam obligationem fiat, contrahendo cum altera, non tamen vt sufficiat ad valorem matrimonij; quia quamuis fuerit priùs sub conditione elicitus; non tamē fuit priùs perfectus & absolutus, sed simul cum altero.

Et ad rationem Petri Ledesmæ negamus, per po- 51
steriorem consensum sub cōditione, reuocari priorem sub conditione; quia posterior quoad suam substantiam non est incompossibilis cum priori; quia quis potest, in quantum possit, sub conditione consentire in secundam personam post consen-

sum sub conditione in primam, quamuis quoad valorem & efficaciam ad matrimonium absolutum sit incompossibilis cum priori, quando conditio vtriusque simul impletur, ob rationem dictam.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm conditio contra substantiam Matrimonij, sponsalibus apposita, irritet illa.

52 COnueniunt communiter Doctores, conditionem contra substantiam matrimonij sponsalibus appositam, ea irritare. Quod intelligitur (vt optimè Sancius lib. 5. disp. 14.) quando conditio immediatè cadit supra matrimonium ipsum, & non immediatè circa sponsalia, vt quando dicitur, *Promitto me contracturum tecum matrimonium, quod tantum duret vsquequò inueniam aliam pulchriorem te.* aut, *Promitto me contracturum tecum, sub conditione obligationis, qua tenearis procurare sterilitatem, vel adulterari.* quia qui promittit contrahere sic, non promittit contractum possibilem, ac proinde promissio seu sponsio est nulla.

Sancius.

53 Quando verò conditio contra substantiam matrimonij non cadit immediatè supra matrimonium, sed supra sponsalia, seu eis immediatè apponitur, non irritat illa; quia tunc promittitur matrimonium possibile & licitum, vt quando dicitur: *Promitto me contracturum tecum, si sterilitatem procuraueris, aut si fornicationem commiseris,* quæ sint ante matrimonium executioni mandanda; & consequenter conditione impleta, manet obligatio absoluta contrahendi matrimonium.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm conditiones impossibiles & turpes appositæ sponsalibus, habendæ sint pro non adiectis.

54 COnueniunt communiter Doctores, conditiones impossibiles & turpes sponsalibus appositas, habendas esse pro non adiectis; ac proinde sponsalia sub qualibet earum contracta, statim esse absolutè valida, ac si tales conditiones non fuissent illis appositæ. Id autem intelligitur, quando dictæ conditiones cadunt immediatè supra matrimonium ipsum; quia ex cap. fin. de Conditionibus appositis, dictæ conditiones tantùm reiiciuntur à matrimonio, & non ab sponsalibus; & iudicandum est de matrimonio sub qualibet earum contracto, ac si non fuissent appositæ, quod Difficult. x. & xi. diximus esse verum, non quoad veritatem & forum interius, sed tantùm quoad præsumptionem in foro externo, quando non constat, dictas conditiones seriò fuisse appositas: & erit verum in præsenti casu, quando promissio fiat de matrimonio contrahendo sub conditione impossibili aut turpi ipsi matrimonio apponenda, & non constat promitti matrimonium sub conditione impossibili aut turpi contrahendum, ipsi matrimonio seriò apponenda.

At quando dictæ conditiones cadunt immediatè supra sponsalia, & ipsis immediatè apponuntur, vt quando dicitur, *Contraham tecum matrimonium, si mecum fornicationem commiseris,* aut, *si cælum digito tetigeris,* habendæ sunt pro adiectis, & iudicandum est de talibus sponsalibus, vt verè contractis sub illis, non solùm quoad veritatem, sed etiam quoad præsumptionem, vt contra Sanchez docet Rebellus quæst. 10. sect. 5 quia in dicto cap. final. vbi de conditionibus impossibili & turpi dicitur, habendas esse pro non adiectis, tantùm est sermo de eis quando immediatè apponuntur matrimonio, quod non est extendendu ad sponsalia, sicut neq; dispositio Tridentini irritans matrimonia clandestina extenditur ad sponsalia.

Vnde sponsalia contracta sub conditione impossibili, immediatè afficiente illa, statim sunt nulla quoad veritatem, & quoad præsumptionem, ex defectu possibilitatis impletionis conditionis, quia impleri non potest; & sponsalia contracta sub conditione turpi, ea impleta, fiunt absolutè valida, & ante impletionem conditionis sunt valida sub conditione, etiamsi non sit obligatio absoluta expectandi conditionem, vtpote turpem.

Obseruandum est, sponsalia contracta sub conditione, *si Papa dispensauerit*, esse valida conditionatè, quando Papa solet in eo impedimento dispensare, vt contra Sotum aduertit Sancius disput. 5. quia tunc ea conditio, quamuis pendens ex arbitrio Principis, censenda est possibilis; cùm dispensatio in eo impedimento fieri soleat ab illo, vt diximus Difficult. iv.

Sed quando conditio, *si patri placuerit*, apposita sponsalibus censeatur impleta, aut iam desicere, vt ex tunc sponsalia incipiant absolutè valere, aut omnino euanescant, constat ex dictis Difficult. v. de eadem conditione matrimonio apposita.

DIFFICVLTAS XV.

Quid operentur tempus, demonstratio, causa, & modus, quando apponuntur Matrimonio & sponsalibus.

SVpponimus, contractui matrimonij & sponsalitio (sicut cuicumque alij) non solùm posse apponi conditionem, sed etiam tempus, demonstrationem, causam, & modum.

Hoc ergo supposito circa tempus matrimonio appositum, vt quando dicitur, *Accipio te in meum in crastinum*, conueniunt communiter Doctores, suspendere matrimonium vsque ad illud tempus, & eo tempore accedente, ex tunc valere absque nouo consensu (nisi interim consensus fuerit reuocatus) quia tempus ad id apponitur, vt vsque ad illud suspendatur id cui apponitur, & vt ex eo incipiat valere; quia sensus est, Ex nunc volo & consentio, vt cras incipias esse mea.

Circa demonstrationem matrimonio additam, vt quando dicitur, *Contraho tecum, qua es dives*, & circa causam, vt quando dicitur, *Contraho tecum, quia es dives*, conueniunt Doctores, non irritare matrimonium, quamuis sint falsæ, quia ex defectu earum formaliter neque deficit materia substantialis ad matrimonium; quia quatenus demonstratio & causa non necessariò significant aliquid inclusum in materia substantiali matrimonij: neque deficit consensus; quia iste non elicitur dependenter ab illis, quia non sunt conditiones, sed tantùm significant iudicium & existimationem circa materiam & circa causam motiuam. Addidimus, *ex defectu earum formaliter*, quia quando demonstratione demonstratur materia substantialis, & deficit, vt quando dicitur, *Contraho tecum, qua es Rachel*, & non est nisi Lia; & quando causa significatur conditio,

ditio, seu fors & status ad valorem matrimonij necessarius, & deficit, vt quando dicitur, *Contraho tecum quia es libera*, & non est libera, sed serua, tunc quamuis matrimonium sit irritum, non tamen fit irritum quia formaliter appositæ sint demonstratio & causa, & deficiant, sed quia deficit materia essentialiter requisita, & status essentialiter requisitus; quia quamuis non apponerentur dicta demonstratio & causa, etiam esset nullum matrimonium.

59 Addimus demonstrationem, & causam contra substantiam matrimonij appositas matrimonio nõ irritare illud, si deficiant, vt quando dicitur, *Contraho tecum, quæ obligaris ad adulterandum.* &, *Contraho tecum, quia obligaris ad adulterandum*; quia consensus iste matrimonialis, quamuis ei addantur demonstratio & causa, non elicitur dependenter ab illis, cùm non sint conditiones; ac proinde quamuis deficiant, non deficit consensus matrimonialis sufficiens. Quòd si verè adsint, & persistant, non fiet validè matrimonium, non quia cõsensus eliciatur dependenter ab eis, sed quia in altero, vt supponitur, est simul & concomitanter intentio se obligandi ad aliquid contra obligationem substantialem matrimonij, qua intentione persistente, impedietur dicta obligatio substantialis in eo altero. Vnde demonstratio & causa contra substantiam matrimonij, habendæ sunt pro adiectis, vt dicto modo impediant valorem matrimonij; reliquæ verò, etiam possibiles & honestæ, non sunt habendæ pro adiectis, quia impertinentes sunt ad valorem & ad vitium matrimonij.

60 Circa modum matrimonio appositum, vt quando dicitur, *Duco te vt mihi seruias*, conueniunt Doctores, non suspendere matrimonium; quia eo modo tantùm significatur aliquid faciendum post matrimonium iam absolutè & perfectè factum.

Est tamen difficultas, An quando modus appositus matrimonio est contra substantiam illius, irritet matrimonium, sicut conditio, vt quando dicitur, *Duco te vt obligeris ad adulterandum.*

Sancius. Aegidius. Sancius lib. 5. disp. 19. & Ægidius disp. 29. in fine, partem affirmatiuam tuentur; quia dicto modo appositio, intenditur in altero obligatio contraria obligationi substantiali matrimonij in eodem; ergo non minùs irritat matrimonium, quàm conditio contra substantiam matrimonij.

Sotus. Petrus Ledesma. Sotus verò in 4. dist. 29. q. 2. ar. 1. & Petrus Ledesma qu. 47. art. 5. dub. 3. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia consensus in matrimonium, cui additur modus, non elicitur dependenter à modo ipso, cùm non sit conditio; ergo non elicitur dependenter ab aliquo contra substantiam matrimonij.

Ex eo autem, quòd apponens dictum modum, intendat in altero obligationem contrariam obligationi substantiali matrimonij, orituræ in eo altero, non impediet in illo oriri hanc substantialem obligationem, vt patet; neque inualidabit consensum sui, quia non elicit illum dependenter ab eo modo, cùm non sit conditio, sed modus. Et quamuis in altero futura sit intentio se obligandi ad contrarium substantiæ matrimonij, non frustrabit alteram intentionem se obligandi obligatione substantiali matrimonij; quia hæc obligatio præsupponitur iam ad eam intentionem obligationis ad oppositum substantiæ matrimonij, & consequenter etiam obligatio substantialis matrimonij, quæ ex ea intentione necessariò oritur, sicut intentio contractus & eius obligatio præsupponuntur ad intentionem obligationis modo ipso significatæ; quia intentio & obligatio modalis annectuntur & superadduntur contractui cui apponitur modus, præsertim quòd dicta intentio obligationis ad oppositum substantiæ matrimonij potest non esse in altero, adhuc absque præiudicio valoris consensus ipsius, & consensus apponentis modum; quia neuter elicitur dependenter ab eo modo, cùm non sit conditio. Ex quo fit, quemcumque modum, siue honestum siue turpem, siue possibilem siue impossibilem, siue contra substantiam matrimonij siue non contra substantiam, haberi pro non adiecto, quod attinet ad valorẽ aut ad vitium matrimonij. 61

Ex dictis circa tempus, demonstrationem, causam, & modum appositia matrimonio, facilè constat, quomodo philosophandum sit circa illa appositia sponsalibus, attendendo ad naturam sponsalium. Est tamen aduertendum, quòd quamuis ex defectu demonstrationis, aut causæ, aut modi, sponsalia possint aliquando dissolui, vt quando defectus ignoratur, & est adeò notabilis, vt si promittens illum sciret, prudenter retraheretur ab sponsione, iuxta ea quæ diximus Disputatione 11. de Sponsalibus, nihilominùs non redduntur dissolubilia ex defectu prædictorum formaliter, id est, quia sint appositia, & deficiant; quia quamuis non apponerentur sponsalibus, si tamen verè & re ipsa deficerent, fierent sponsalia dissolubilia. 62

DISPVTATIO VIII.

De indissolubilitate Matrimonij.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Matrimonium sit indissolubile.

1 NON desunt Gentiles, imò & hæretici, qui existiment, matrimonium pro coniugum arbitrio, absque alia causa, dissolui posse; & qui de facto, relictis prioribus coniugibus, cum aliis contrahant, & non absque apparenti ratione, quia *omnis res* (vt dicitur in cap. 1. de Regulis Iuris) *per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur*: sed matrimonium fit solo coniugum consensu, ergo solo ipsorum potest, sicut quicumque alius contractus, dissolui.

Conueniunt nihilominùs Doctores, matrimonium, etiam non baptizatorum, esse indissolubile & perpetuum, quod generaliter de omni matrimonio tradit Tridentinum sess. 14. in principio, de Reformatione matrimonij, & satis significat Gregorius IX. in cap. fin. de Conditionibus appositis, dum ait, conditionem repugnantem perpetuitati matrimonij, esse contra substantiam illius, & deducitur ex Genes. 2. dum generaliter dicitur: *Quãobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit*

Tridentin. Greg. IX.

rebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. & ex Matth. 19. dum de matrimonio dicitur: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* & ex Marci 10. & Lucæ 16. dum omnis qui dimittit vxorem, & aliam ducit, dicitur mœchari; & maximè ex illo ad Rom. 7. *Mulier viuente viro alligata est legi*; quod non solùm conuenit matrimonio copulâ ipsâ consummato, sed etiam matrimonio tantùm rato, vt constabit ex dicendis, & deducitur ex dictis locis, dum in eis, excepto illo Matth. 19. generaliter est sermo de matrimonio, absque discrimine inter consummatum & tantùm ratum.

2 Ad rationem autem apparentem in oppositum respondemus, prædictum Antecedens, & Regulam *Omnis res*, &c. non habere locum in contractu matrimonij, ob eius peculiarem naturam, vt ex dicendis constabit.

DIFFICVLTAS II.

Quo Iure Matrimonium sit indissolubile.

3 SVpponimus, matrimonium consummatum, à tempore Christi Domini Iure diuino ipsius Christi esse indissolubile, seu dissolui non posse, non solùm licitè, vt constat ex illis verbis Christi Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*; & clariùs ex illis verbis Pauli 1. ad Cor. 7. *His qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere:* sed etiam esse indissolubile, seu non posse dissolui validè, vt dictis verbis vtriusque loci significatur.

Est tamen difficultas, An matrimonium, tam ratum quàm consummatum, sit ex sua natura, seu ex Iure naturali ipsius indissolubile omni modo, licitè videlicet & validè.

Medina. Sancius. Aegidius. Michaël Medina lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, c. 89. Sancius lib. 2. disp. 13. Ægidius disp. 26. dub. 2. & plures alij Theologi & Iurisperiti docent, matrimonium, adhuc consummatum, non esse indissolubile Iure naturali, seu ex natura rei: quod deduci videtur ex S. Augustino lib. de Bono coniugali, cap. 7. 15. 18. & 24. dum ostendit, matrimonium esse indissolubile, quia est Sacramentum, id est, quia significat coniunctionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, media incarnatione; matrimonium autem ex sua natura non habet hanc significationem. Et ratione probari potest à simili, quia quicumque alius contractus ex sua natura est dissolubilis, ergo etiam contractus matrimonij.

4 Prædicti tamen Doctores non conueniunt in explicando, vnde matrimonio conueniat indissolubilitas; quia nonnulli existimant, indissolubilitatem matrimonij, adhuc tantùm rati, conuenire ipsi ex institutione diuina in principio mundi facta, cui Medina tribuit dictam indissolubilitatem tantùm vsque ad tempus legis Moysis, in quo existimat, Deum eam abrogasse, concedendo repudium; & postea tempore legis gratiæ Christum renouasse indissolubilitatem matrimonij consummati, & Ecclesiam indissolubilitatem matrimonij rati.

Vasquez. Bellarmin. Rebellus. Basilius. Vasquez verò de Matrimonio disput. 2. cap. 7. Bellarminus 1. de Matrimonio, cap. 12. Rebellus q. 15. sect. 1. Basilius lib. 1. cap. 13. & communiter Scholastici in 4. dist. 33. docent, & meritò, matrimonium, etiam tantùm ratum, Iure naturali, seu ex natura sua esse indissolubile. Quod deduci videtur ex illo Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* vbi, vt definit Tridentinum sess. 24. in principio, de Reformat. matrim. significatur inseparabilitas coniugum, seu indissolubilitas coniugij, quod verba ipsa præseferunt: sed matrimonium tunc non habebat indissolubilitatem ex aliqua libera Dei institutione, quia non constat Deum tunc id instituisse; ergo illam habet ex sua natura, seu ex suo Iure naturali. In prædictis autem verbis etiam traditur indissolubilitas matrimonij tantùm rati; quia antequam dicatur, *& erunt duo in carne vna*, quo matrimonium consummatur, significatur indissolubilitas matrimonij aliis antecedentibus verbis, nempe, *Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.*

Idem quoque efficaciter deducitur ex decreto Pontificis in cap. fin. de Conditionibus, dum dicitur, conditionem repugnantem perpetuitati matrimonij (intellige contrahendi, ac proinde etiam tantùm rati) esse contra substantiam illius: sentit ergo Pontifex, matrimonium, etiam tantùm ratum, esse ex sua natura & substantia perpetuum & indissolubile.

Et ratione probatur Primò ab absurdo; quia aliàs, cessante positiua institutione (ob quam matrimonium de facto est indissolubile, & quod non celebratur in perpetuum, sit inualidù) fornicatio simplex non esset illicita, aut saltem posset non esse; quia fornicator, quantum est ex se, confert aut saltem conferre potest feminæ, & econtrà, facultatem & dominium in suum corpus ad copulam ad tempus quo copula durat; ac proinde accessus esset, aut posset esse, ad suam, ad eam videlicet quæ pro eo breui tempore esset aut posset esse sua; ergo fornicatio simplex non esset aut posset nõ esse illicita.

Secundò à priori probatur, quia contractus matrimonij per se & ex sua natura ordinatur ad propagandam prolem, & ad eam benè & debitè educandam seu instituendam: sed dissolubilitas matrimonij ex se est contra propagationem prolis, & contra eius bonam educationem, vt patet, etiamsi aliquando per accidens non noceret, vt si dissolueretur, postquam matrimonio superuenit sterilitas, & post perfectam prolis educationem; ergo dissolubilitas est contra naturam matrimonij ad illas ex se & sua natura ordinati, ac proinde matrimonium suâ naturâ est indissolubile & perpetuum; & aliter factũ, non solùm est illicitum, sed etiam inualidũ.

S. Augustinus autem pro aduersariis abductus, non dixit, matrimonium esse indissolubile, quia repræsentat seu significat vnionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, sed deduxit esse indissibile, ex eo quòd repræsentet illam; id tamen non deduxit à priori, sed à posteriori; quia ideò illam repræsentat, quia est indissolubile: quia si non esset, non assumeretur congruenter ad illam repræsentandam; quia res, in qua non est aliqua aptitudo & proportio ad aliquid significandum, non assumitur, seu non instituitur ad id.

Vnde matrimonium Gentilium, vtpote ex sua natura indissolubile, congruenter etiam fuit assumptum ad significandam vnionem Christi cum Ecclesia, quod latis significatur in c. *Gaudemus* 8. de Diuortiis, dum matrimonium infidelium dicitur Sacramentum: quod non negauit Augustinus, dum lib. de Bono coniugali, c. 18. & 24. affirmat, solùm in populo Dei, & in eius Ecclesia matrimonium esse Sacramentum, id est, significare vnionem esse Sacramentum, id est, significare vnionem indissolubilem Christi cum Ecclesia (vbi nomine

8 mine populi Dei non tantùm Christianum, sed etiam antiquum fidelium intelligit:) quod ex eo solùm affirmauit, quia apud Gentiles, etiam sapientes, vinculum matrimonij erat solubile non verè & iure, sed existimatione & facto; in populo verò Dei erat insolubile non solùm verè & iure, sed etiam existimatione & facto.

Ad rationem verò desumptam à simili ex aliis contractibus, qui suâ naturâ solubiles sunt, Respondemus, disparem esse rationem inter eos ex vna parte, & inter contractum matrimonij ex altera, ob peculiarem naturam matrimonij, qua ordinatur ad propagationem prolis, & ad eius debitâ institutionem, quibus solubilitas per se repugnat.

Constat ergo, matrimonium, etiam tantùm ratum, esse indissolubile Iure naturali, & consummatum etiam Iure diuino: non tamen constat, matrimonium etiam tantùm ratum esse tale Iure humano, quia non constat id fuisse Iure humano, adhuc Ecclesiastico institutum, quamuis in Iure humano supponatur matrimonium esse tale.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Pontifex dissoluere possit Matrimonium baptizatorum.

9 COnueniunt Doctores, matrimonium consummatum baptizatorum non posse ab Ecclesia nec à Pontifice dissolui; quia ex vna parte est indissolubile Iure diuino & naturali, & ex altera neque in Ecclesia neque in Pontifice agnoscitur peculiaris aliqua facultas ad id concessa, absque qua nequit dissoluere, quod Iure diuino & naturali est indissolubile.

Est tamẽ difficultas, an possit dissoluere matrimonium ratum nondum consummatum baptizatorũ.

Scotus. Paludan. Sotus. Basilius. Couarr.

Scotus in 4. dist. 31. q. 1. Paludanus dist. 27. q. 1. ar. 2. Sotus q. 1. ar. 4. Basilius lib. 9. c. 3. & Couarruias 4. Decret. p. 2. c. 7. §. 4. n. 14. partem negatiuam tuẽtur, quæ deduci videtur ex illo Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* ergo nullus homo, quantumuis summus Pontifex, potest matrimonium, quamuis nondum consummatum, dissoluere. Et ratione probari potest Primò, quia matrimonium, etiam nondum consummatum, est Sacramentum significans vnionem Christi cum Ecclesia; ergo sicut vnio Christi cum Ecclesia nequit dissolui, neque Pontifex poterit dissoluere matrimonium, quamuis tantùm ratum.

10 Secundò, quia matrimonium, quamuis tantùm ratum, est suâ naturâ seu Iure naturali, & etiam Iure diuino indissolubile, ergo Pontifex nequit illud dissoluere.

Tertiò, quia Pontifex nequit dissoluere matrimonium consummatum baptizatorum, ergo neque ratum; quia vtrumque habet eamdem naturam & essentiam.

Quartò, quia aliàs Princeps gentilis posset dissoluere matrimonia rata suorum subditorum, quia non habet minorem auctoritatem circa contractus ciuiles & profanos suorum, qualis est contractus matrimonij eorum, quàm Pontifex circa contractum matrimonij sacrum baptizatorum; quia Princeps gentilis etiam habet supremam auctoritatem in suos.

11 *Caietan. Nauarrus. Henriquez. Sancius. Antonin.*

Caietanus Tom. 1. opusc. tractat. 24. Nauarrus cap. 22. n. 21. Henriquez lib. 11. c. 8. Sancius lib. 2. disp. 14. & Antoninus 3. par. tit. 1. c. 2. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia dissolutio matrimonij rati sæpè expedit bono fidelium, & aliàs fieri potest absque magno inconuenienti; ergo credi potest, Pontificem peculiarem potestatem accepisse à Christo ad id. Quod non leuiter confirmat, Primò, id sæpissimè fecisse Pontifices, vt affirmant Caietanus & Henriquez, & Antoninus affirmat se vidisse dissolutionem matrimonij rati, factam & à Martino V. & ab Eugenio IV. & Nauarrus affirmat, se obtinuisse plures dissolutiones factas à Paulo III. & à Pio IV. Quod etiam confirmatur Secundò, quia matrimonium ratum dissoluitur per professionem solemnem in Religione, vt constat ex capp. 2. & 7. & 14. de Conuersione coniugatorum, & ex Tridentino sess. 24. can. 6. & tamen non dissoluitur Iure naturali professionis, neq; Iure diuino, vt dicemus Diffic. IV. ergo iure Pontificis; potest ergo Pontifex dissoluere matrimonium ratum baptizatorum. *Caietan. Henriq. Antonin.*

Addimus tamen, dissolutionem matrimonij rati baptizatorum non fieri à Pontifice auctoritate generali superioris humani, sed vt gerente vicẽ Dei, peculiari & extraordinaria potestate superaddita potestati ordinariæ, qua non posset separare *quod Deus coniunxit.* Et quia Pontifex id non efficit potestate ordinaria superioris humani, sed extraordinaria, credimus, vt optimè Sancius & plures alij, dissolutionem matrimonij rati absque rationabili causa factam, non solùm esse illicitam, qualis etiam esset, si potestate ordinaria fieret absque causa, sed etiam esse inualidam; quia credendum non est, eam potestatem extraordinariam accepisse Pontificem ad id validè faciendum pro solo suo arbitrio absque causa. 12

Testimonium autem Matth. 19. adductum pro aduersariis, tantùm intelligitur de matrimonio cõsummato, vt constat ex contextu, & ait Alexander III. in c. 7. de Conuersione coniugatorum. Et ad primam rationem respondemus, matrimonium ratum defectu commixtionis corporum, qua coniuges fiunt vna caro, non significare vnionẽ Christi cum Ecclesia factam media incarnatione, quam consummatum significat; ratione tamen coniunctionis animorum pertinentis ad ipsum matrimonium ratum, quod quodammodò est indissolubile, nempe à Pontifice potestate ordinaria, & quodammodò est dissolubile, nempe potestate extraordinaria Pontificis, congruenter fuisse assumptum ad significandam vnionem Christi cum Ecclesia media charitate factam, quæ est indissolubilis quoad Ecclesiam semper sanctam, & dissolubilis quoad membra particularia. 13

Ad secundam respondemus, quòd quamuis obligatio radicalis orta ex matrimonio correspõdens dominio orto in altero coniuge (in qua vinculum consistit) nequeat suâ naturâ seu suo Iure naturali extingui & dissolui ab ipsis coniugibus, neque à Pontifice potestate ordinaria generali; potest tamen ab ipso dicta potestate extraordinaria.

Ad tertiam respondemus, quòd quamuis eadẽ sit natura matrimonij rati & consummati; quia tamen consummatum addit supra ratum commixtionem carnalem coniugum, ratione cuius eius dissolutio nequit regulariter fieri absque inconuenienti, ideò non accepit à Deo peculiarem potestatem ad dissolutionem eius, quamuis acceperit ad dissolutionem tantùm rati.

Ad quartam respondemus, Principem gentilem 14

non posse dissoluere matrimonium, adhuc tantùm ratum, suorum subditorum: quia non habet potestatem peculiarem ad id à Deo, sed tantùm habet ordinariam superioris humani, quia neque Pontifex potest.

DIFFICVLTAS IV.

Quo Iure Matrimonium ratum baptizatorum dissoluatur per professionem solemnem in Religione.

SVpponimus (in quo conueniunt Doctores) matrimonium ratum baptizatorum non dissolui per susceptionem Ordinis sacri (vt definitur in Extrauag. *Antiquæ*, de Voto) quia nullo Iure id conuenit Ordini sacro, adhuc Episcopatus; & verè
15 dissolui per professionem solemnem ab altero coniuge in Religione factam, vt constat ex cap. 2. & 7. & 14. de Conuersione coniugatorum: quod etiam definitur in Tridentino sess. 24. can. 6. ac proinde semel facta professione, posse alterum ad alias nuptias transire; non tamen dissolui matrimonium iam consummatum, quia de huius dissolutione nullatenus constat. Quòd si matrimonium ratum professione vnius dissoluitur, multò meliùs fiet professione vtriusque, quidquid nonnulli dicant.

Hoc ergo supposito, est difficultas, quo Iure matrimonium ratum baptizatorum dissoluatur per professionem solemnem in Religione.

Durandus. Paludan. Couarr. Durandus in 4. dist. 27. quæst. 2. Paludanus quæst. 3. art 4. & Couarruuias 2. part. c. 7. § 4. docent dissolui naturâ ipsâ, seu Iure naturali professionis solemnis. Primò, quia professio solemnis est mors ciuilis, aut spiritualis: ergo suâ naturâ est sufficiens ad dissoluendum matrimonium ratum, quod ante consummationem tãtùm est vinculum spirituale animorum. Secundò, quia vnicuique Iure naturali licet, transeundo ad perfectiorem statum, priorem relinquere, sed coniux profitendo solemniter in Religione transit ad statum perfectiorem, ergo profitendo solemniter dissoluit priorem statum coniugij.

16 *Sotus. Sancius. Basilius.* Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. Sancius lib. 2. disp. 19. & Basilius lib. 9. cap. 5. docent, dissolui Iure diuino, quod deduci videtur ex c. 7. de Conuersione coniugatorũ, dum Alexander III. ait, dissolutionem matrimonij per professionem, deduci ex sacri Eloquij interpretatione, & ex cap. 14. dum Pontifex ait, Sanctos ex reuelatione diuina à matrimonio rato transiisse ad perfectiorem statum. Et ratione potest probari, quia professio solemnis non dissoluit suâ naturâ matrimonium adhuc ratum, vt statim dicemus, neque Iure Ecclesiastico, quia nullum tale reperitur scriptum, quo hoc de nouo statuatur, quãuis in aliquibus canonibus id professione fieri supponatur: ergo id efficit Iure diuino.

17 *Michaël Medina. Lessius. Aegidius.* Michaël Medina lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, c. 86. Lessius cap. 41. dub. 8. & Ægidius disp. 26. dub. 3. docent, dissolui solo Iure Ecclesiastico, & meritò: quia matrimonium ratum non dissoluitur naturâ ipsâ, seu Iure naturali professionis, neque Iure diuino; ergo solo Iure Ecclesiastico. Consequentia patet, Antecedens autem probatur. Et in primis, non dissoluitur naturâ ipsâ professionis; quia traditio, qua quis professione traditur Deo & Religioni, non est suâ naturâ incompossibilis cum vinculo matrimonij, vt patet in eo, qui post matrimonium consummatum, ex licentia alterius coniugis profitetur solemniter, in quo post professionem perseuerat vinculum. Quod etiam ratione declaratur; quia professio solemnis in primis nõ est incompossibilis cum vinculo matrimonij ratione traditionis, qua professus se tradit Deo; quia si ratione alicuius, maximè ratione illius quæ fit voto solemni castitatis: sed non ratione huius, quia Religiosus eo voto non aliter traditur Deo, quã obligando se ex virtute Religionis ad seruandam castitatem, sicut voto simplici; hæc autem obligatio non est incompossibilis cum vinculo seu obligatione radicali iustitiæ ad reddendum alteri debitum, vt patet: quia habens votum simplex castitatis, validè contrahit matrimonium, & tamen in eo est & perseuerat obligatio Religionis ad seruandam castitatem: obligatio enim Religionis & iustitiæ sunt diuersæ rationis, ac proinde non sunt incompossibiles, quamuis circa obiecta incompossibilia versentur. Deinde, professio solemnis non est incompossibilis cum vinculo matrimonij adhuc consummati ratione traditionis, qua Religiosus se tradit Religioni, quia per eam tantùm se tradit Religioni vt obediat Superioribus, & ab eis dirigatur quoad obseruantiam Religiosam, ac proinde si obligatio Religionis, etiam quoad castitatem, non est incompossibilis cum vinculo matrimonij, neque traditio Religionis facta erit, præsertim quòd Religiosus tantùm traditur Religioni ad prædicta ex virtute Religionis, & non ex iustitia; & non vt mancipium, sed vt filius & subditus. Et quamuis admittatur, tradi ex iustitia, & quasi ex pacto, vt possit dirigi & compelli, non obest vinculo seu obligationi iustitiæ matrimonij reddendi debitum, quia horum actus aut obiecta optimè compatiuntur; quia reddendo non efficeret contra admissam obligationem iustitiæ, vt possit dirigi & compelli. Accedit, quod quamuis professio solemnis suâ naturâ esset incompossibilis cum vinculo matrimonij, potius hoc vinculum, vtpote antecedens, impediret valorem professionis, quàm dissolueretur per eam superuenientem; quia per contractum matrimonij coniux est iam ex iustitia factus alterius, ac proinde nõ posset posteà alteri professione validè confert.

Deinde matrimonium ratum non dissoluitur per professionem Iure diuino, quia ab Ascensione Christi Domini nullum est nouum Ius diuinum, & tamen solemnitas votorum introducta est & inuenta ab Ecclesia, vt constat ex cap. vnico de Voto, in 6. & Extrau. *Ascendente Domino*, edita à Gregorio XIII. & absque dubio introducta non multò post Ascensionem Christi; ergo professio solemnis non dissoluit matrimonium ratum Iure diuino; quia credi nequit, Christum concessisse dictam vim solemnitati votorum nondum inuentæ & introductæ.

Quòd si matrimonium ratum non dissoluitur per professionem solemnem Iure naturali ipsius, neque Iure diuino, restat vt per eam dissoluatur Iure Ecclesiastico extraordinaria potestate latæ, nõ quod modò habeamus scriptum, sed quod olim fuerit scriptum, & posteà perditum, aut quod tantùm fuerit viua voce traditum; modò tamen in dictis capp. Iuris supponitur olim fuisse traditum, ex quo constat ad rationem pro Soto, Sancio & Basilio. In cap. autem illo 7. pro ipsis adducto, non habetur,

habetur, dissolutionem matrimonij deduci ex sacri Eloquij interpretatione; sed tantùm habetur id quod Christus Matth. 5. & 19. dixit, nempe non esse dimittendam vxorem nisi ob fornicationem, intelligi de matrimonio consummato, quod ipsis non fauet; & in cap. 14. tantùm habetur, nonnullos Sanctos ex diuina reuelatione, quæ est supra omnem legem, coniuges deseruisse ante consummationem matrimonij, quod ipsis non fauet, imò potiùs aduersatur; quia ibi supponitur, eos aliquos Sanctos id fecisse non lege aliqua diuina communi, sed peculiari reuelatione & inspiratione ipsis & pro ipsis facta.

21 Ad priorem verò rationem pro Durando & Paludano respondemus, concedendo Antecedens, & negando Consequentiam: quia quamuis professio solemnis sit mors ciuilis, aut spiritualis, sed in eo tantùm sensu, quòd per eam quis obligatur ad desertionem vitæ mundanæ; hoc tamen genus mortis non est incompossibile cum vinculo matrimonij, vt patet. Et ad posteriorem negamus, vnicuique licere Iure naturali ad perfectiorem statum transire, quando Iure iustitiæ tenetur alio statu: aliàs mancipio liceret domino inuito Religionem profiteri; & etiam liceret coniugi post matrimonium consummatum, altero inuito.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Matrimonium ratum baptizatorum dissoluatur per tria vota Societatis post biennium emissa.

22 BAsilius lib. 9. c. 6. partem affirmatiuam tuetur, quia professioni solemni conuenit efficacitas dissoluendi matrimonium ratum baptizatorum, ex eo solùm, quòd constituit statum Religiosum, quia antiquitus ante introductionem solemnitatis professionis per statum Religiosum, qui tunc votis simplicibus non solemnibus constituebatur, etiam dissoluebatur matrimonium ratum; sed tria vota in nostra Societate post biennium emissa etiam constituunt statum Religiosum, vt constat ex Extrauag. Gregorij XIII. quæ incipit, *Ascendente Domino*, quam Gregorius XIV. confirmauit: ergo etiam per dicta tria vota dissoluitur.

Basilius.

Vasquez. Sancius. Henriquez. Vasquez verò 1. 2. disp. 165. cap. 10. Sancius libro 2. disp. 18. & Henriquez lib. 11. cap. 8. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia status Religiosus id non habet suo Iure naturali, nec diuino (vt de professione solemni, quæ non minùs constituit statum Religiosum, quàm vota simplicia, diximus Diffic. IV.) nec Iure Ecclesiastico seu Canonico, quia ex eo tantùm constat id conuenire professioni solemni, cùm in Tridentino sess. 24. can. 6. id tantùm tribuatur professioni solemni. Et quamuis

23 in cap. 2. & 7. & 14. de Conuersione coniugat. id attribuatur statui Religioso, absque expressa mentione professionis solemnis, eo tamen ipso id tribuitur professioni solemni, quia status Religiosus à sui initio ante nostram Societatem tantùm habebat votis solemnibus, votis videlicet absolutè perpetuis, & ex parte vouentis, & ex parte admittentis illa, & emissis sub vno capite, habente iurisdictionem ad compellendum vouentem ad eorum obseruantiam: quia vsus trium votorum, quæ post biennium emittuntur in nostra Societate, quibus vouentes fiunt Religiosi, & tantùm sunt simplicia, & non solemnia, quia non sunt absolutè perpetua ex parte admittentis illa, quia ex rationabili causa potest sic vouentes à Societate dimittere, quo cessant dicta vota, est in Ecclesia nouiter introductus, vt Vasquez c. 9. expendit ex dicta Extrauag. Gregorij XIII. ergo absque Iure & fundamento dicitur, per tria vota nostræ Societatis post biennium emissa, dissolui matrimonium ratum.

Id, quod dicimus de tribus votis emissis post biennium, etiam est verum de eisdem post longa tempora emissis à Coadiutoribus, etiam spiritualibus, ob eamdem rationem, quia scilicet non sunt solemnia, quia non sunt absolutè perpetua ex parte admittentis illa. 24

Ad rationem ergo constat, professionem solemnem dissoluere matrimonium ratum, quia est professio solemnis, & non præcisè, quia constituit statum Religiosum, qui verè non fuit in Ecclesia ante introductionem solemnitatis votorum, & quem non suscepit, nec professus est S. Alexius, sed tantùm continentiam, ad quam fuit peculiariter à Deo vocatus, relicta vxore ante consummationem, sed non dissoluto vinculo matrimonij. Vnde ex illis quibusdam Sanctis, qui in cap. 2. de Conuersione coniugat. significantur vocati de nuptiis ad Monasteria, seu ad statum Religiosum, non fuit Alexius.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm per vota Ordinum militarium dissoluatur Matrimonium ratum.

25 COnueniunt Doctores, per vota Clericorum, & Monialium Ordinis militaris in claustro viuentium, dissolui matrimonium non consummatum, quia sunt solemnia, & absoluta. Ita Sotus in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4. & Sancius lib. 2. disput. 18. *Sotus. Sancius.*

Est tamen difficultas, An per vota Equitum militantium non viuentium in claustro, dissoluatur.

Sotus vbi suprà, & Sarmiento lib. de Redditibus Ecclesiasticis, part. 4. cap. 1. quoad omnes dictos Equites docent, non dissolui, quod nos verum existimamus quoad vota & professionem Equitum Calatrauæ, & Alcantaræ, & S. Iacobi, quamuis sint verè Religiosi; quia matrimonium anteà factum est compatibile cum eorum votis, quia tantùm vouent castitatem coniugalem. Quoad 26 Equites verò S. Ioannis id falsum existimamus, vt contra prædictos docent Sancius vbi suprà, Azor lib. 13. cap. 6, quæst. 4. & Basilius lib. 9. cap. 7. quia professio horum est solemnis, & in ea vouent castitatem absolutam, absque restrictione. Ab illis tamen excipit Basilius Clericos S. Iacobi viuentes extra claustrum, vt eorum professio dissoluat matrimonium ratum, sed absque sufficienti fundamento, imò & contra rationem; quia eadem est Clericorum & non Clericorum professio. *Sotus. Sarmen.*

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm per vota Mantellatorum & Mantellatarum dissoluatur Matrimonium ratum.

27 SVpponimus, per vota Mantellatarum S. Francisci & S. Dominici (quas Beatas seu Tertiarias vocant) quæ collegialiter viuunt sub regimi-

ne prælati ex vi suæ Regulæ approbatæ, sub qua emittunt vota illa, dissolui matrimonium non consummatum. Ita Sancius lib. 2. disp. 18. & Basilius lib. 9. c. 8. quia earum vota absoluta, & absque restrictione sunt professio solemnis, vt respondit Paulus III. consultus à Patribus Dominicanis; quia nihil deficit illis, vt sint solemnia, seu professio solemnis, iuxta ea quæ diximus Diffic. v.

Sancius. Basilius.

Et idem ob eamdem rationem dicendum est, vt aduertit & expendit Basilius de votis Mantellatarum S. Augustini, quæ collegialiter viuunt sub regimine Prælati ex vi suæ Regulæ, quòd per earum vota dissoluatur matrimonium ratum, etiam si id neget Rodriguez Tom. 3. q. 72.

28 Circa vota verò Mantellatarum & Mantellatorum S. Dominici, S. Francisci tertij Ordinis, & S. Augustini non viuentium collegialiter, sed in propriis domibus, quamuis communiter negetur, eorum vota dissoluere matrimonium ratum, Basilius tamen id affirmat de votis viuentium sub arbitrio & regimine Prælati, quamuis in propriis domibus; quod mihi non displicet, quia eo ipso eorum vota sunt professio solemnis.

DIFFICVLTAS VIII.

Quantum temporis concedatur coniugibus ad ingrediendam Religionem ante consummationem Matrimonij.

29 CONueniunt Doctores, ex cap. 7. de Conuersione coniugat. concedi coniugibus ab Ecclesia duos menses, numerandos à die contractus matrimonij, vt intra eos non teneantur consummare, quamuis alter petat, & vt possint Religionem ingredi; & eis completis statim teneri aut consummare matrimonium si alter petat, aut Religionem ingredi. Ita Sancius lib. 2 disput. 24. & Basilius lib. 9. cap. 9. qui addunt, iudicem, causâ cognitâ, posse restringere aut prorogare dictum tempus duorum mensium Iure ipso taxatum, vt constat ex dicto cap. 7.

Sancius. Basilius.

Hoc ergo supposito, difficultas est Primò, An coniux, qui non cogitat ingredi Religionem, possit duobus primis mensibus non reddere alteri petenti.

Sancius. Basilius.

Sancius & Basilius partem affirmatiuam tuentur; quia in dicto cap. conceditur tempus illud bimestre, non tantùm ad deliberandum de ingressu Religionis, sed etiam vt coniuges fiant sibi inuicem chariores, desiderio se inuicem cognoscendi.

Angelus.

Angelus verò v. *Debitum*, num. 14. & Ægidius disp. 26. dub. 4. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia ex vna parte statim ac fit contractus matrimonij, traditur dominium corporis alteri; & ex altera parte in dicto cap. 7. tantùm conceditur dictum tempus cogitanti & volenti ingredi Religionem, vt ingrediatur, & non vt coniuges sibi inuicem fiant chariores, vt constat ex contextu: ergo qui non cogitat ingredi Religionem, statim ac fit contractus, tenetur reddere alteri petenti.

Secundò est difficultas, An transacto bimestri, possit quilibet coniux ingredi Religionem, si matrimonium nondum sit consummatum.

30 *Sancius. Aegidius. Basilius.*

Sancius, Ægidius, Basilius, & alij conueniunt, quemlibet posse Religionem ingredi, quamuis plures anni elapsi sint à matrimonio inito, dum consummatum non sit, quamuis alter nolit, & petat, & quamuis anteà interuenerit iniusta debiti negatio, si quando petit, statim (intellige moraliter) ad Religionem tendat; quia in dicto cap. absolutè conceditur facultas ingrediendi Religionem ante consummatum matrimonium, & duo menses tantùm assignatur, vt intra eos nequeant cogi ad consummandum, & vt eis transactis possint cogi vel ad consummandum, vel ad Religionè ingrediendum, & non vt posteà nequeant ingredi. Vnde quamuis transierit bimestre ante consummationem, volenti ingredi Religionem irrogabitur iniuria, si vi comprimatur ad consummationem (quidquid dicat Basilius) quando statim, ac ab ipso petitur debitum, vult Religionem ingredi; quia ei licet ingredi statim.

Tertiò est difficultas, An dictum bimestre præscriptum sit ad profitendum, ita vt non sufficiat Religionem ingredi, sed necessarium sit eo completo statim profiteri, aut consummare matrimonium, si alter petat.

Nauarrus c. 16. n. 27. docet, coniugem eo tempore completo statim teneri aut profiteri, aut consummare altero petente, & non sufficere si Religionem ingrediatur; quia in eo cap. 7. obligatur coniux ad Religionem transire, aut ad coniugem redire: per transire autem ad Religionem, intelligi videtur profiteri; quia in cap. 14 eodem tit. supponitur, transitu ad Religionem dissolui matrimonium, & tamen non dissoluitur ingressu, sed professione.

Sancius verò, Ægidius & Basilius docent, dictum coniugem eo bimestri completo non teneri profiteri, sed satisfacere ingrediendo Religionem, & tempore solito profitendo, & meritè, quia ex vna parte non tantùm profiteri est transire ad Religionem, sed etiam ingredi est transire, quibus inchoatiuè; & ex altera parte congruum est, quòd in eo cap. 7. transire ad Religionem sumatur pro ingressu, ne decreto huius destruatur ius antiquius c. *Ad Apostolicam.* 16. de Regularibus, concedens annum probationis ante professionè; quod non inconuenit, nec est mirum, quamuis in c. 14. sumatur pro professione (vt ex contextu patet) cùm transire ad Religionem possit pro vno & pro altero sumi, & dicta cap. sint diuersorum Pontificum, septimum Alexandri III. & decimumquartum Innocentij III.

DIFFICVLTAS IX.

Quando Matrimonium censeatur consummatum, ita vt nequeat professione dissolui, & cessare faciat licentiam ingrediendi Religionem.

CONueniunt Doctores (quamuis Basilius c. 10. dubitet) quòd vt matrimonium sit consummatum (quod eo ipso nequit professione dissolui, & cessare facit licentiam ingrediendi Religionem, vt supponitur in c. 14. de Conuers. coniug.) sufficit, quòd semen prolificum viri receptum sit intra vas femineum, etiam si vas penetratum non fuerit; quia hoc sufficit ad generationem, ad quam commixtio carnalis & matrimonium ordinantur, sicut etiam sufficit ad contrahendam affinitatem, quia eo coniuges fiunt vna caro inchoatiuè, id est, principium vnius carnis, seu prolis, de quo infrà & latiùs dicemus Disput. XX.

Sufficit

Sufficit autem prædicta commixtio carnalis, quamuis obtenta fuerit per iniustam coactionem, quia etiam sic obtenta est sufficiens ad generationem. Nihilominùs, vt contra Basilium & alios optimè Paludanus in 4. dist. 27. qu. 3. art. 2. & Sancius lib. 2. disp. 2. poterit persona intra dictos duos menses iniustè coacta Religionem ingredi; quia sic sibi satisfaciet quoad oblationem iuris ingrediendi sibi concessi ab Ecclesia, & cogens non poterit aliud matrimonium inire, quamdiu coacta viuat, quia dictum matrimonium, vtpote consummatum, non dissoluetur per professionem. Et idem credimus, quando persona post bimestre volebat, quando ab ipsa petebatur debitum, statim ingredi, & fuit iniustè coacta, vt sibi satisfaciat quoad oblationem dicti iuris.

Paludan. Sancius.

Addimus, ad consummationem matrimonij non sufficere, quòd dicta commixtio fiat ante contractum matrimonium (in quo conueniunt Doctores, vno aut altero excepto,) quia anteà facta non poterit matrimonium, vtpote nondum inchoatum, consummare seu perficere.

34 Est tamen difficultas, An ad consummandum matrimonium sufficiat vasis feminei penetratio, absque dicta seminis prolifici receptione.

Medina. Petrus Ledesma.

Medina lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, c. 76. & Petrus Ledesma quæst. 61. artic. 1. partem affirmatiuam tuentur; quia in dicto c. 14. supponitur, matrimonium consummari carnali copula; & in c. 7. carnali cognitione, & in cap. 2. commixtione carnali: penetratio autem vasis, adhuc absque intromissione seminis, est carnalis copula, & cognitio, & commixtio; ergo sufficit ad consummationem matrimonij, quod eo ipso nequeat professione dissolui, & cessare faciat licentiam ingrediendi Religionem.

35 Sancius verò lib. 2. disp. 21. Ægidius, Basilius, & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia sola vasis penetratio non est commixtio perfecta & sufficiens ad generationem, ergo non perficit seu consummat matrimonium, ad generationem ordinatum. Accedit, quòd in dicto cap. 2. supponitur, quòd commixtio carnalis, cuius defectu matrimonium non consummatur, & potest quis ad Religionem transire, debet esse sufficiens, vt per eam coniuges fiant vna caro, quæ nequeunt fieri, deficiente seminis prolifici emissione intra vas, vt dicemus Disp. xx. imò in ea etiam dicemus, ad id quòd coniuges fiant vna caro, & matrimonium consummetur, necessariam esse seminum viri & feminæ commixtionem, quamuis quoad hoc Basilius renuat.

Sanctus. Aegidius. Basilius.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Matrimonium infidelium, etiam consummatum, dissolui possit per conuersionem alterius ad fidem.

36 CONueniunt Doctores, coniugem non baptizatum, posteà tamen conuersum, id est, baptizatum, posse deserere coniugem non baptizatum, ad huc post consummationem matrimonij, & nouum matrimonium inire, quando non baptizatus non vult cohabitare cum iam baptizato, aut si vult, cum contumelia tamen Creatoris, vel vt ipsum baptizatum pertrahat ad peccatum mortale, vt definitur in cap. *Quanto.* 7. & in cap. *Gaudemus.* 8. de Diuortiis. & in hoc sensu Ecclesia intelligit illud Pauli 1. ad Corinth. 7. *Quod si infidelis discedit, discedat* (subintellige, conuersus) *non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi; in pace autem vocauit nos Dominus.*

Vnde in his verbis Pauli continetur peculiaris 37 concessio Domini ad dissoluendum matrimonium, etiam consummatum, in fauorem Baptismi; quia in Ecclesia non agnoscitur potestas dissoluendi matrimonium consummatum, adhuc non baptizatorum, ac proinde verba illa priora Pauli, *Ceteris ego dico, non Dominus*, tantùm referuntur ad verba immediatè sequentia, in quibus continetur consilium, quod præbet baptizatis, non dimittendi coniuges infideles, consentientes cohabitare pacificè; & non referuntur ad illa maximè distantia, *quod si infidelis discedit, discedat.* Id autem concessit Christus in fauorem Baptismi, ne conuersio seu susceptio Baptismi esset onerosa baptizato; quia aliàs cogeretur aut cælibem vitam transigere, aut molestè & periculosè cohabitare.

Ex dictis autem verbis, *si discedit, discedat*, optimè deducit Ecclesia, conuersum, seu iam baptizatum posse dissoluere matrimonium, non solùm quando infidelis physicè discedit, nolendo cohabitare, sed etiam quando discedit moraliter, cohabitando videlicet cum contumelia Creatoris, aut cum intentione pertrahendi conuersum ad peccatum mortale; quia ita procedendo cogit alterum, vt ipsum deserat.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm iam conuersus possit dissoluere Matrimonium, & aliud inire, quando infidelis non vult conuerti, quamuis velit cohabitare pacificè.

38 BEllarminus 1. de Matrimonio, cap. 12. & Ægidius disput. 26. dubit. 5. partem affirmatiuam tuentur, Primò, quia id, quod ait Paulus 1. ad Corinth. 7. nempe, quòd baptizatus non dimittat coniugem non baptizatum volentem cohabitare pacificè (id est, absque contumelia Creatoris, & absque animo pertrahendi alterum ad peccatum mortale) tantùm est consilium, & nō præceptum, vt patet ex contextu, & docet Augustinus 1. de Adulterinis coniugiis c. 13. & 18. ergo coniux iam baptizatus potest dimittere nō baptizatum, quamuis volentem pacificè cohabitare. dimissio autem, de qua ibi loquitur Paulus, est absoluta quoad vinculum, sicut & discessio, quando posteà ait, *si infidelis discedit, discedat:* ergo in dicto casu potest dissoluere matrimonium, & aliud inire. Secundò, quia infidelem non conuerti, seu non baptizari, est contumelia Creatoris; ergo quamuis velit cohabitare, si non vult conuerti, non vult cohabitare absque contumelia Creatoris, ergo conuersus poterit matrimonium cum eo contractum dissoluere, & aliud inire.

Bellarmin. Aegidius. *Augustin.*

Sancius verò lib. 7. disp. 74 & communiter Do- 39 ctores partem negatiuam tradunt, & meritò; quia facultas, concessa iam baptizato ad dissoluendum dictum matrimonium, deducitur ab Ecclesia in c. *Quanto.* 7. & in c. *Gaudemus.* 8. de Diuortiis, ex illis verbis Pauli, *si discedit, discedat*; & solùm deducitur in duobus casibus, nempe aut quando infidelis nō vult cohabitare, quia tunc discedit physicè;

sicè; aut quando vult cohabitare, sed cum contumelia Creatoris, vel vt pertrahat alterum ad peccatum mortale, quia etiam tunc discedit moraliter, cùm tunc baptizatus cogatur ad non cohabitandum cum infideli: & quicumque alius casus expressè excluditur in dicto cap. *Gaudemus.* & implicitè in dicto cap. *Quanto*; ergo absque fundamento dicitur, imò contra decretum c. *Gaudemus*, esse etiam dictam facultatem in illo alio casu, quando videlicet infidelis non vult baptizari, si velit pacificè cohabitare; quia tunc vult cohabitare, vt supponimus, & absque contumelia Creatoris, & absque intentione pertrahendi alterum ad peccatum mortale, quia non se conuertendo non afficit contumelia Creatorem. Nec intendit pertrahere, neque pertrahit alterum ad peccatú mortale; aliàs Paulus non consuleret baptizato, vt non dimitteret coniugem infidelem, etiam non volentem se conuertere, quando pacificè vult cohabitare, vt verè consulit in eodem cap. infidelis enim siue dominus siue coniux, qui cohabitat cum seruo aut cum coniuge iam conuerso, potest cohabitare, nihil dicendo neque efficiendo contra honorem Christi & fidei, & non intendendo suis verbis neque factis alterum pertrahere ad peccatum mortale, neque de facto pertrahendo. Et sanè in dictis duobus capp. Iuris supponitur, infidelem non volentem se conuertere, posse cohabitare cum baptizato, absque contumelia Creatoris, & absque intentione pertrahendi, & absque pertractione ad peccatum mortale, dum dicitur, conuersum ad fidem posse discedere, seu dissoluere matrimonium, quando infidelis non vult cohabitare cum conuerso; aut si vult, sed non absque dictis contumelia & intentione pertrahendi, & pertractione ad peccatum mortale. Ex quo constat ad posterius fundamentum aduersariorum.

40

41 Ad prius verò desumptum ex Paulo 1. ad Corint. 7. fatemur, quod admonet, nempe coniugem baptizatum non dimittere non baptizatum, consentientem pacificè cohabitare, non esse præceptum (quidquid dicat Basilius lib. 9. cap. 4.) sed tantùm esse consilium, ac proinde licitum esse illum dimittere; quia quod non est contra præceptum, quamuis sit contra consilium, non est illicitum: id tamen intelligit Paulus de dimissione quoad torum & quoad cohabitationem, non quoad vinculú, vt supponit Augustinus capite illo 18. in fine, ac proinde posterior discessio, de qua posteà loquitur Paulus, est quoad vinculum, vt matrimonium dissolui possit; non verò prior desertio, seu dimissio. Quod non leuiter deducitur ex eo, quòd Paulus, reddens rationem posterioris discessionis, ait, *non enim seruituti* (id est vinculo) *subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*, supponens in hoc posteriori casu, quando scilicet infidelis discedit, siue physicè siue moraliter, conuersum non manere subiectum; & etiam ex eo, quòd Ecclesia dictam facultatem dissoluendi matrimonium deducit tantùm ex illis verbis, *si discedit, discedat*, &c. & non ex eo, quòd conuersum non dimittere infidelem, sit consilium.

Augustin.

42

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm existente prohibitione cohabitandi cum infideli, possit conuersus dissoluere Matrimonium, & aliud inire, quamuis infidelis velit pacificè cohabitare, si non vult conuerti.

SAncius lib. 7. disp. 74. Henriquez lib. 11. c. 8. Rebellus lib. 3. quæst. 10. sect. 2. & Basilius lib. 9. cap. 4. nu. 22. partem affirmatiuam tuentur. Primò, quia quando adest prohibitio cohabitandi cum coniuge infideli non volente se conuertere, cogit conuersum vt cum eo non cohabiter; quia tunc conuersus nequit cum eo cohabitare, ac proinde infidelis moraliter discedit à conuerso, licet quando non vult cohabitare, nisi cum contumelia Creatoris, aut pertrahendo ad mortale. Secundò, quia tunc infidelis cohabitando cum conuerso, pertrahit ipsum ad peccatum mortale, quia pertrahit vt secum cohabitet, quod existente dicta prohibitione est ipsi conuerso mortaliter illicitum, & addunt Sancius & Henriquez, de facto esse dictam prohibitionem, & consequenter existimant, conuersum de facto posse dissoluere matrimonium, & aliud inire.

S. Thomas in 4 dist. 9. qu. vnica, art. 5. Paludanus ar. 2. Toletus in Summa c. 7. Valentia disp. 10. qu. 1. puncto 7. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia Christus non dedit conuerso facultatem dissoluendi matrimonium, quando infidelis cohabitat cum conuerso perseuerans in sua infidelitate, sed tantùm quando non vult cohabitare cum ipso conuerso, aut quando cohabitat afficiendo Creatorem contumelia, aut pertrahendo conuersum ad mortale; & non præcisè quia cohabitat in sua infidelitate perseuerans: quia cohabitatio hæc, perseuerando in infidelitate, non sufficit, vt conuersus possit dissoluere matrimonium; aliàs posset præcisè ex eo quòd infidelis perseueret in infidelitate, siue cohabiter siue non cohabitet, quod falsum est; quia Paulus, ex quo deducitur dicta concessio Christi, supponit, infidelem posse permanere infidelem, & non eo ipso discedere discessione sufficiente, vt conuersus possit dissoluere matrimonium. Et Ecclesia ex Paulo in c. *Quanto*, & in cap. *Gaudemus.* supponit, posse infidelem, permanendo talem, cohabitare cum conuerso, absque eo quòd iste possit dissoluere matrimonium. Discessio ergo moralis ex parte infidelis, consistens in contumelia Creatoris, aut in prouocatione ad mortale, sufficiens ad dissolutionem matrimonij, non est contumelia aut prouocatio orta immediatè & præcisè ex cohabitatione, permanendo in infidelitate, vt contingit in casu præsentis Difficultatis, sed ex alio actu distincto, & superaddito ipsi cohabitationi, & eam præsupponente. Ex quo constat ad vtramque rationem aduersariorum. Coactio autem, qua conuersus in casu dictæ prohibitionis Ecclesiæ cogeretur vitam cælibem transire, non tam esset ab infideli, quàm ab Ecclesia cohabitationem prohibente; imò tantùm esset per accidens, sicut esset, eam prohibitionem esse; in coactione autem contingens, aut per accidens, ad id nullum est inconueniens, vt dicitur in cap. *Quanto.*

Addimus (vt aduertit Rebellus lib. 3. q. 10. sect. 1. & in-

Aegidius. & insinuat Ægidius disp. 20. dub. 5.) non esse de facto prohibitionem aliquã, qua conuersus prohibeatur cohabitare cum infideli nolente baptizari, si velit pacificè cohabitare; quia non est prohibitio introducta per consuetudinem, imò potiùs oppositum audimus seruari in India & in Iaponia; neq; est scripto aliquo tradita, quia in can. *Iudæi.* 28. q. 1. desumpto ex Concilio Toletano IV. c. 62. in quo solo prohibitio scripta reperitur, tantùm decernitur, 46 Iudæos, habentes vxores Christianas, separandos esse ab illis, nisi ab Episcopo admoniti conuertantur: in hoc tamen decreto non prohibetur cohabitatio cuiuscumque conuersi, sed tantùm vxoris, quia facilius potest peruerti à viro, quàm econtrà; & non cum quocumque infideli, sed tantùm cum Iudæis, ob eorum peculiarem obstinationem: imò non præcipitur vxori, quòd à marito Iudæo statim discedat, sed tantùm postquam Episcopus monuerit, & Iudæus baptizari nolit, quod arbitrium aut sententiam Iudicis requirit. Adde, dictum Concilium Toletanum, ex quo desumptus est dictus canon, fuisse particulare, ac proinde non obligans nisi pro suo districtu.

DIFFICVLTAS XIII.

Quando dissoluatur Matrimonium conuersi cum infideli nolente cohabitare, aut non nisi cum contumelia Creatoris, aut pertrahendo ad mortale.

47 RIchardus in 4. dist. 39. ar. 2. q. 2. Panormitanus in cap. *Quanto.* de Diuortiis, nu. 6. & 7. Angelus v. *Matrimonium.* 3. nu. 3. & Rodriguez Tom. 1. c. 250. docent, dictum matrimonium dissolui statim, ac licitum est conuerso aliud inire, antequam illud ineat; ac proinde statim ac infidelis non vult cohabitare, aut si non vult, nisi cum contumelia Creatoris, aut pertrahendo ad mortale. Quod significari videtur in can. *Si infidelis.* 28. quæst. 2. dum dicitur, contumeliam Creatoris soluere ius matrimonij; & deduci videtur ex verbis Pauli, *Si discedit, discedat; non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi.* Si ergo conuersus, quando alter discedit, siue physicè siue moraliter, non est subiectus seruituti (id est vinculo, 48 quia nulla alia potest esse seruitus) liber est à seruitute, seu vinculo; ac proinde discessione infidelis vinculum statim dissoluitur. Et ratione probatur, quia posterius matrimonium nequit validè contrahi perseuerante priore, ergo antequam posterius contrahatur, præsupponitur dissolutum prius.

Richardus. Panormit. Angelus. Rodriguez.

Sancius. Aegidius. Rebellus. Basilius.

Sancius verò lib. 7. disp. 75 Ægidius disput. 26. n. 63. Rebellus lib. 3. q. 10. sect. 2. & Basilius lib. 9. cap. 4. docent, dictum matrimonium non dissolui statim, ac licitum est conuerso aliud inire, sed quando posterius contrahitur, ita vt contractio posterioris sit distractio seu dissolutio prioris, & meritò: quia in cap. *Gaudemus.* 8. de Diuortiis, conuersus ad fidem compellitur recipere alterum coniugem, si, antequam ineat matrimonium, conuertatur infidelis; ergo prius matrimonium non dissoluitur antequam posterius contrahatur.

Ad primum ergo aduersariorum, desumptum ex dicto can. respondemus, contumeliam Creatoris soluere matrimonium in eo sensu, quòd eo perseuerante, non impediatur conuersus aliud contrahere; & in eodem sensu dicitur à Paulo, conuersum non esse subiectum, quia scilicet liberè 49 potest aliud matrimoniũ contrahere. Ex quo constat ad secundum ex Paulo desumptum. Et ad rationem respondemus, concedendo, non posse contrahi posterius matrimonium, priori perseuerante, post ipsum; imò nec in eo instanti, in quo posterius perficitur; posse tamen, quamuis prius perseueret exclusiuè vsque ad instans in quo posterius perficitur: in quo sit verum dicere, Nunc matrimonium posterius est perfectum, & immediatè anteà non erat; & nunc non est matrimonium prius, & immediatè anteà erat.

Obseruandum est Primò (in quo Doctores communiter conueniunt) conuersum non posse licitè transire ad aliud matrimonium, nisi ei moraliter constet esse causam, ob quam possit dissoluere matrimonium, aut eam esse, prudentissimè præsumat; potest autem sic præsumi, quando infidelis inueniri non potest à fideli. Si tamen causa præsumpta verè & re ipsa non subsistat, matrimonium re ipsa erit nullum; vt quando præsumitur infidelem nolle cohabitare, & tamen re ipsa vult, tunc matrimonium re ipsa erit nullum, nisi facta sit dispensatio auctoritate Summi Pontificis ad secundum matrimonium.

Obseruandum est Secundò (in quo etiam Doctores conueniunt) infidelem relictum non posse validè contrahere nouum matrimonium, quousque prius matrimonium dissolutum sit; hoc tamen dissoluto, posse non solùm validè, vt patet, sed etiam licitè; quia nullo Iure prohibetur. 50

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm Matrimonium conuersi, cum infideli contractum ante Baptismum, dissoluatur per solemnem professionem in Religione.

DIfficultas hæc non habet locum in opinione 51 eorum, qui dicunt, dictum matrimonium dissolui statim, ac licitum est conuerso ad aliud transire, sed tantùm in nostra, iuxta quam diximus, non dissolui quousque conuersus transeat ad aliud matrimonium. Est ergo difficultas, An sicut dissoluitur per nouum matrimonium conuersi, ita etiam dissoluatur per professionem solemnem eius. Et non est difficultas, quando matrimonium non est consummatum; quia tunc absque dubio dissoluitur non minùs, quàm matrimonium ratum celebratum post Baptismum; sed tantùm est, quando matrimonium est consummatum.

Sancius. Henriquez.

Sancius ergo lib. 7. disp. 77. Henriquez lib. 11. c. 8. & communiter Doctores partem affirmatiuam tuentur; quia dictum matrimonium contractum ante Baptismum, quamuis consummatum, dissoluitur per nouum matrimonium ratum conuersi; sed hoc dissoluitur per professionem solemnem, vt diximus Difficultat. 1v. ergo etiam illud, quamuis cõsummatum sit. Consequentia patet ex L. *De accessionibus.* ff. De diuersis temporaneis præscriptionib. *Si vinco vincentem te, à fortiori vincam te.*

Aegidius. Abulensis.

Ægidius verò disp. 26. dub. 5. Abulensis 1. Regum 8. q. 68. & alij partem negatiuam tradunt, & meritò: quia vis seu efficacitas, quam professio solemnis habet ad dissoluendum matrimonium ratum baptizatorum, tantùm prouenit ex Iure Ecclesiastico,

52 clesiastico, vt diximus Diffic. IV. & ex auctoritate Ecclesiæ, quamuis extraordinaria, & peculiariter à Christo concessa: sed in Ecclesia non agnoscitur facultas ad dissoluendum matrimonium consummatum, vt omnes admittunt, ergo in professione solemni non est vis ad dissoluendum matrimonium consummatum conuersi. Accedit, quòd ratio, ob quam dicta efficacitas concessa fuit à Christo matrimonio rato conuersi, ad dissoluendum matrimonium antiquum ante Baptismum, quamuis consummatum, non currit in professione solemni; quia efficacitas illa fuit concessa dicto matrimonio rato, ne conuersio esset onerosa conuersio, quæ verè esset, si cogeretur aut vitam cælibem transigere, aut cum infideli molestè cohabitare: hæc autem ratio cessat, quando conuersus profitetur solemniter; quia tunc perseuerantia vinculi antiqui non est onerosa ipsi, vtpote eligenti statum continentiæ, & dissolutio illius non esset ipsi vtilis, sed tantùm infideli.

Ad fundamentum ergo aduersariorum respondemus, regulam illam, *Si vinco vincentem te, a fortiori vincam te*, non semper habere locum in his quæ constant ex Iure positiuo, nisi quando eadem ratio in vtroque militat, & quando vtrumque ex eodem Iure constat. In præsenti autem casu neque currit eadem ratio, vt nuper dicebamus, neque vtraque dissolutio fit ex eodem Iure; quia dissolutio matrimonij antiqui iam consummati conuersi fit Iure diuino Christi per matrimonium notum ratum; dissolutio verò matrimonij rati per professionem, fit tantùm Iure Ecclesiastico.

53 Obseruandum est, dictum matrimonium multò minùs dissolui sacris Ordinibus, vt contra nonnullos docent Sancius & Ægidius, quia oppositum nulli sufficienti fundamento innititur: nihilominùs conuersus, quando legitimè & licitè est professus, aut Sacris initiatus, quia infidelis noluit cohabitare cum illo, aut non nisi cum contumelia Creatoris, aut pertrahendo ad mortale, non est restituendus infideli relicto, quamuis conuersio post professionem aut sacram ordinationem; secùs tamen si priùs conuersus nondum est professus, quamuis ingressus sit Religionem, vt contra Abulensem docet Sancius: imò existimamus tunc restituendum esse infideli volenti pacificè cohabitare, quamuis non conuertatur.

Sancius. Aegidius.

Sancius.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm in lege veteri per libellum repudij dissoluebatur Matrimonium quoad vinculum.

54 SVpponimus in lege veteri Deut. 24. statutam fuisse legem repudij his verbis: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in vxorem; quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino.*

Est ergo difficultas, An per libellum repudij in ea lege dissolueretur matrimonium quoad vinculum.

Magister in 4. dist. 33. & ibidem Bonauentura & Sotus, & Couarruuias 2. parte c. 7. §. 4. docent, quòd non dissoluebatur quoad vinculum, sed tantùm quoad torum & cohabitationem, quod etiam senserunt Glossa in c. 24. Deut. Augustinus, Origenes, & alij Patres. Id autem expressisse videtur Christus Dominus Matth. 19. dum dixit: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras*. vbi satis exprimitur, Deum non concessisse, sed tantùm permisisse dimissionem vxoris; ac proinde matrimonium non dissoluebatur quoad vinculum, quia absque Dei concessione dissolui non poterat. Quòd etiam deducitur ex dictis verbis Deuteronomij, quibus dicitur, vxorem repudiatam, quæ alterum marito duxerit, isto mortuo, aut etiam repudiante, non posse à primo marito recipi, quia polluta erat, & abominabilis facta coram Domino: sed ex nullo alio videtur facta abominabilis coram Domino, nisi quia nupsit secundo viro, qui eam cognouit; ergo prius matrimonium non dissoluebatur, quia si dissolueretur, non fieret abominabilis coram Domino ob celebrationem secundi, & ob vsum illius. 55 *Magister. Bonauentura. Sotus. Couarr. Glossa. Augustinus. Origenes.*

Sancius verò lib. 10. disp. 1. Bellarminus 1. de Matrimonio, c. 17. Ægidius disp. 26. dub. 1. & Basilius lib. 7. c. 50. docent, quòd per libellum repudij matrimonium dissoluebatur quoad vinculum; quod etiam sensit Chrysostomus Homil. 24. in Matthæum, & satis efficaciter deducitur ex dictis verbis Deuter. 24. quia in eis apertè supponitur, vxorem repudiatam validè nubere alteri, ac proinde prius matrimonium fuisse dissolutum. Et sanè si prius non dissolueretur, posterius fieret inualidè & illicitè, & vsus illius etiam esset illicitus: credi autem non potest id fuisse illicitum; quia non defuisset aliquis ex Prophetis qui id reprehendisset, & tamen nullibi legitur reprehensum. 56 *Bellar. Basil. Chrys.*

Ad prius ergo fundamentum aduersariorum, desumptum ex illo Matth. 19. respondemus, verbo *permisit* non significari rigorosam permissionem, sed veram concessionem & relaxationem obligationis naturalis iustitiæ alteri coniugi, sed illis factam ob eorum duritiem, & facilitatem ad dimittendas vxores. Et ad posterius, desumptum ex illo Deut. 24. respondemus, repudiatam, quæ alterum ducebat, dici pollutam & abominabilem coram Domino, non quia alterum ducebat, sed quia publicè, & consequenter coram Domino, fuit iudicata talis à priori marito, & ob id non permittebatur iterùm ab eo recipi.

Obseruandum tamen est, dictam legem & concessionem repudij & dissolutionis matrimonij ludæis factam, cessasse non tantùm morte ipsa Christi, qua omnes leges positiuæ diuinæ generaliter cessarunt, sed etiam cessasse specialiter viuente Christo: quia reuocata fuit ab ipso Matth. 19. vt ex contextu constat, & definitum est in c. *Gaudemus*. 8. de Diuortiis. 57

DIS-

DISPVTATIO IX.

De vnitate Matrimonij.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm pluralitas coniugum simul, sit illicita & nulla.

1 CONVENIVNT Primò Doctores Catholici contra hæreticos, matrimoniũ esse necessariò vnius cum vna, seu, vnum non posse, priori vxore viuente, aliam ducere, neq; econtrà, vt definitur in cap. *Gaudemus*. 8. de Diuortijs, & deducitur ex illo Geneſis 2. *Et erunt duo in carne vna*; vbi supponitur, coniuges non posse esse plures quàm duos: ex quo Christus Dominus Matth. 19. probat, esse adulterum eum, qui dimissa vxore ducit aliam; & tamen non esset adulter, si viuente priori, etiam posterior fieret vxor illius. Ex quo constat, vnum non posse, non solùm licitè, sed neque validè, viuente priori, aliam ducere; quia si validè illam duxisset, non esset adulter ad eam accedendo, vtpote ad propriam.

2 Conueniunt Secundò Doctores, hanc polygamiam seu pluralitatem coniugum simul (id est, vnum coniugem simul habere plures coniuges) esse illicitam & irritam Iure diuino Christi Matthæi 19.

Est tamen difficultas, An etiam sit illicita & inualida Iure naturali.

Conueniunt Doctores, pluralitatem maritorum simul cum vna vxore, esse etiam Iure naturali illicitam, & nullam; quia hæc pluralitas est contra finem primarium contractus matrimonij, nempe contra prolis generationem; quia, vt experientiâ constat, pluralitas virorum generationi nocet: & etiam est contra bonam educationem prolis; quia nullus virorum, quibus eadem vxor esset communis, sufficienter prospiceret educationi filiorum, quia nullus proprium filium agnosceret.

Est ergo difficultas, An pluralitas vxorum simul, etiam sit Iure naturali illicita & irrita.

Abulensis. Durandus. Palacios. Caietanus. Vera-cruz. August. Abulensis 1. Reg. 8. quæst. 25. Durandus in 4. dist. 33. quæst. 1. Palacios disp. 1. Caietanus c. 16. in Geneſim, & Vera-cruz 2. par. Speculi, art. 15. partem negatiuam tuentur, quam tradidisse videtur Augustinus 16. de Ciuitate Dei, cap. 38. dum ait, pluralitatem vxorum nulla lege fuisse prohibitam. Et ratione probatur, quia si esset contra Ius naturale, maximè, quia ducere secundam est contra Ius primæ; ergo saltem secunda cedente iuri suo, siue quando fit contractus, siue posteà, posset vir Iure naturali validè & licitè aliã ducere.

3 *Sancius. Couarru. Bellarmin. Henriquez.* Sancius verò lib. 7. d. 80. Couarruuias 4. Decretalium 2. par. cap. 7. §. 3. Bellarminus lib. 1. de Matrimonio cap. 11. & Henriquez lib. 12. cap. 6. partem affirmatiuam meritò tradunt, quæ definita videtur in cap. *Gaudemus*. 8. de Diuort. dum dicitur, *nulli vmquam licuisse habere plures vxores simul, nisi cui fuit ex diuina reuelatione concessum*. in quibus verbis supponitur, id fuisse Iure naturali illicitum, & non solo Iure positiuo; quia ante istud fuisset licitum. Quòd si Iure naturali est illicitum, eodem Iure contractus cum posterioribus erit irritus; quia si esset validus, licitum esset post semel factum contractum, quamuis illicitè factum, omnes simul habere; quia contractu valido, quamuis illicito, acquisitum esset dominium in illis. Quod etiam confirmatur ex eo, quòd in dicto cap. subditur, nempe Patriarchas excusari ab adulterio, ob diuinam concessionem: at si absque diuina concessione possent validè, quamuis illicitè, aliam ducere, etiam possent absque adulterio eam cognoscere, quia esset propria.

Et ratione probatur; quia matrimonium per se 4
& ex sua natura ordinatur non tantùm ad prolis generationem & educationem vt ad finem primarium, sed etiam ad pacificam societatem & gubernationem, & ad communicationem operum quæ ad vitam sunt necessaria tamquam ad finẽ secundarium; quia, vt Aristoteles ait 8. Ethic. cap. 12. vir & vxor coniunguntur non solùm ad procreandum vt cetera animalia, sed etiam ad cohabitandum pacificè, & ad pacificè simul regendam familiam, officia domestica partiendo; quia alia munia viro, alia vxori conueniunt: sed pluralitas vxorum, quamuis aliquando per accidens non sit contra pacificam cohabitationem, & pacificam gubernationem domus, ex se tamẽ est contra illam; quia quæliber vxor quoad id quod ad vxorem attinet, potest prætendere domum regere & gubernare, quo diuisio & rixæ inducerentur. Quod autem quælibet id possit prætendere, constat; quia vxor quamuis 5
sit subdita viro, sed non nisi vt socia & collateralis, ac proinde etiam est domina in domo, habens in ea auctoritatem & principatum, qui in ipsa vxore necessariò oritur ex matrimonio, & nequit à viro pro libito auferri, & cui ipsa non potest cedere, vtpote qui necessariò oritur ex natura ipsius contractus, sicut nequit cedere iuri radicali, seu dominio in corpore mariti. Ergo pluralitas vxorum simul est contra naturam contractus matrimonij, vtpote suâ naturâ ordinati ad dictos fines, quamuis secundariò; ac proinde contractus matrimonij ita necessariò est vnius cum vna, vt factus cum pluribus non solùm sit illicitus, sed etiam nullus. Et etiam ob hanc rationem desumptam ex dictis finibus secundarijs, pluralitas maritorum simul cum vna nõ solùm est illicita, sed etiam nulla; quia est magis contra pacificam cohabitationem & gubernationem domus, quàm pluralitas vxorum cum vno marito, ob superioritatem maritorum, non recognoscentium superiorem in domo.

Augustinus ergo pro aduersarijs adductus, tan- 6
tùm loquitur ex suppositione diuinæ concessionis; quia hac suppositâ, pluralitas vxorum non est contra Ius aliquod, adhuc naturale, sicut non est contra Ius naturale, accipere ex diuina concessione bona aliàs alterius. Et ad rationem respondemus, accipere secundam, esse contra Ius naturale, quia est contra ius radicale seu remotum primæ, cui nequit ipsa cedere, neque quando fit contractus,

si velit contractum fieri; quia non potest non oriri ex matrimonio, vtpote primarius & immediatus effectus, sicut dominium in corpore mariti, neque potest posteà illi cedere, sicut neque dicto dominio.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm pluralitas coniugum simul, aliquando fuerit valida & licita.

7 CONueniunt Doctores, polygamiam, seu pluralitatem vxorum simul, fuisse validam & licitam antiquis Patriarchis ex diuina concessione, vt supponitur Deuter. 21. dum dicitur: *Si habuerit homo vxores duas*, &c. & id dicitur in cap. *Gaudemus.* Quòd autem posteriores vxores aliquando in Scriptura vocentur concubinæ, non obest; quia etiam vocantur vxores, Genes. 16. & 25. imò vnica vxor Leuitæ dicitur concubina, Iudic. 19. Communiter autem in Scriptura dicuntur concubinæ, vxores, quæ tantùm assumebantur ad generationem, & non ad domus administrationem.

Quòd verò id ex se fuit contra Ius naturale, non obstat quin id Deus concedere possit; quia ipsius concessione desinit esse contra Ius naturale, quia desinit esse contra ius vxoris; cùm Deus, vt supremus Dominus corporum, possit viro concedere facultatem, vt validè & absque iniustitia in vxorem, etiam tradat suum corpus alijs vxoribus, & vt tradat gubernationem domus ei cui sibi placuerit, sicut etiam concessione diuina facta alicui vt alterum occidat, aut vt eius bona accipiat, occisio illius, & eius bonorum acceptio desinit esse contra Ius naturale, & iniusta; quia Deus est supremus Dominus bonorum, & vitæ omnium.

8 Vbi autem, & quando, & quibus facta fuerit dicta diuina concessio, non constat; creditur tamen facta primis Patriarchis populi Dei, pro ipsis, & pro toto populo Dei; quia in toto eo vsitata erat pluralitas vxorum simul, vt patet ex Deut. 21. & à nullo Propheta reprehensa.

Hæc autem consuetudo, exemplo populi fidelis, extensa fuit ad reliquas Gentes, sed non diuina concessio, vt aduertit Sancius lib. 7. disp. 80. quia Deus soli populo suo, ex quo Messias venturus erat, id concessit, vt tunc exiguus multiplicaretur sicut arena maris; & consequenter pluralitas vxorum in Gentibus erat nulla, & ex obiecto illicita, quamuis communiter à culpa excusarentur ob ignorantiam, & bonam fidem.

9 Dicta tamen concessio, populo fideli facta, reuocata fuit à Christo Domino Matth. 5. & 19. reducente matrimonium ad suam primam & naturalem institutionem, quando dixit, eum, qui dimissa vxore aliam ducit, mœchari, & esse adulterum. Vnde nulli, quamtumuis baptizato, licet habere plures vxores simul, vt contra Lutherum definit Tridentinum sess. 24. can. 2. addens id esse *Trident.* *Bellarmin.* Iure diuino prohibitum, de quo legendus est Bellarminus 1. de Matrimonio cap. 10.

Sed quamuis pluralitas maritorum simul cum vna vxore numquam fuerit valida, neque licita, quia est Iure naturali illicita & nulla, & ad eam Deus numquam concessit facultatem; potuit tamen diuina concessione fieri valida & licita, vt contra Bellarminum docent Sancius vbi suprà, & Ægidius disp. 26. num. 29. quia Deus, vt supremus Dominus corporum omnium, potuit concedere vxori facultatem, vt validè & absque iniustitia in maritum, etiam tradat dominium sui corporis alijs, & vt ab eis accipiat dominium corporum ipsorum, & vt reliqua necessaria ad complementum vinculi efficiat.

Et quamuis Deus potuerit & possit concedere facultatem ad pluralitatem vxorum cum vno marito, & ad pluralitatem maritorum cum vna vxore, ob suum dominium supremum in omnia; Pontifex tamen ad neutram potest concedere facultatem, quia vtraque est Iure naturali illicita & nulla, in quo nequit dispensare, nisi potestate extraordinaria à Deo peculiariter concessa, quam non constat esse in Pontifice.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm pluralitas coniugum successiuè sit valida & licita.

CONueniunt Catholici contra hæreticos, pluralitatem coniugum successiuè esse validam & licitam. Ita Bellarminus 1. de Matrimonio c. [illegible] Sancius lib. 7. disp. 81. & Ægidius 26. num. 1 & [illegible] id tradit Ambrosius lib. de Viduis, Hieronymus Epist. 11. Augustinus lib. de Bono viduitatis, c. 11. & Chrysostomus Homil. 20. in Epist. ad Ephesios. Quod expressit Paulus ad Roman. 7. & 1. ad Corinth. 7. Et constat ex Ecclesiæ consuetudine, imò & omnium Gentium, & definitur in Concilio Florentino in Instructione Armenorum. Et ratione constat, quia morte vnius coniugis dissolvitur vinculum & obligatio in superstite, quia iam non est cui sit obligatus; ergo poterit, vtpote iam liber ab obligatione, contrahere cum altero, quia ex priori matrimonio nullum relinquitur impedimentum, vt patet.

Quòd si aliquando denegatur benedictio secundis nuptijs, nempe quando saltem alteri fuit aliquando concessa, fit, non quia sint inualidæ aut illicitæ, sed ne benedictio repetitione vilescat. Est in Concilio Laodiceno can. 1. imponitur poenitentia ijs qui ad secundas nuptias transeunt, non est quia sint illicitæ, quia ibi dicuntur licitæ; sed ob eorum præsumptam intemperantiã, quia transeuntes ad illas, censentur incontinentes. Et si ob polygamiam statuitur irregularitas, non est quia sit illicita, sed quia secũdo matrimonio deficit perfecta ratio Sacramenti, non Sacramenti propriè gratiam conferentis, quia hæc non deficit illi; sed Sacramenti impropriè, id est significationis coniunctionis vnius Christi cum vna Ecclesia. A quibus autem hæc irregularitas incurratur, dicimus in Tractatu de Irregularitate, Disputatione 11. Difficultate XIII.

DISPV-

DISPVTATIO X.

De vsu & debito coniugali.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm vsus seu actus coniugalis sit licitus.

1 PRÆTER hæreticos, qui (vt refert Bellarminus 1. de Matrimonio cap. 1.) dixerunt, vsum coniugalem esse illicitum, etiam fuerunt Catholici, qui (vt refert Bonauentura in 4. dist. 31. ar. 2. q. 1.) docuerùt, in omni copula coniugali ad minus esse culpam venialem, ducti auctoritate quorumdam Patrũ, dicentium, in ea esse immunditiem quamdam. quod etiam significatur Apocalyps. 14. dum de viris virginibus dicitur, *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.*

Bellarmin. *Bonauent.*

2 Veritas tamen Catholica est, copulam coniugalem ex se esse licitam: quod apertè constat ex eo, quòd Deus Gen. 1. primis parentibus commendauit vsum coniugalem illis verbis, *Crescite, & multiplicamini*; & ex eo, quòd ad Hebr. 7. torus coniugatorum dicitur à Paulo *immaculatus*. Id quoque ab absurdo constat, quia aliàs matrimonium esset illicitum, vtpote ordinatum ad vsum illicitum. Et tandem à priori probatur, quia ex vna parte actus coniugalis est vsus corporis coniugis, cuius quis habet dominium & potestatem in ordine ad talem vsum; & ex altera parte actus coniugalis suâ naturâ ordinatur ad procreandam prolem in cultum Dei, & ad conseruandam speciem hominum, ad quod ratio ipsa inclinat; ergo ex se seu ex suo obiecto est licitus.

Vnde quamuis in actu seu vsu coniugali semper reperiatur immundities quædam naturalis, quatenus sit membris pudendis, & fœdo motu, de qua Patres loquuntur, & quæ in dicto testimonio Apocalyps. significatur; non tamen reperitur immundities moralis, seu culpa, de qua procedit difficultas.

DIFFICVLTAS II.

Quo fine exercendus sit vsus coniugalis, vt licitè fiat.

3 COnueniunt Doctores, vsum coniugalem, factum ob prolis generationem, aut ob vitandam incontinentiam, quam in altero coniuge videt alter esse in periculo, licitum esse, quia isti sunt fines proprij & immediati ipsius vsus coniugalis; & ad vitandam propriam incontinentiam, non esse illicitum mortaliter.

Est tamen difficultas, An in vsu coniugali, facto ad vitandam propriam incontinentiam, sit culpa venialis.

Magister. Magister in 4. dist. 31. (quem non pauci Scholastici & Summistæ sequuntur) docet, in eo esse culpam venialem; quia qui vtitur actu coniugali ob dictum finem, non intendit proprium finem ipsius actus, quia non intendit prolis generationem, vt patet; neque bonum fidei, quia ad hoc tantùm pertinet reddere debitum petenti, & abstinere ab actu carnali cum alio. Id autem Sancius lib. 9. disp. 9. & alij limitant, vt tantùm sit verum, quando ille potest alijs medijs incontinentiam in se ipso vitare; quia qui potest alijs, videtur inordinatè vti actu rationem absorbente. *Sancius.*

4 Durandus verò in 4. dist. 31. quæst. 4. Nauarrus in Summa cap. 16. num. 32. Rebellus lib. 3. quæst. 19. sect. 1. Ægidius disp. 34. num. 6. & Basilius lib. 10. cap. 8. absolutè docent, in eo nullam esse culpam, nec venialem, & meritò: quia id supponit Paulus 1. ad Corinth. 7. dum ait: *Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat*, & dum subdit iterùm: *Reuertimini in id ipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Eo verò, quod subdit, *Hoc secundùm indulgentiam dico, non secundùm imperium*, quo significat se id dicere secundùm permissionem, non significat, in eo actu coniugali ad propriam incontinentiam vitandam esse culpam, aliàs non suaderet ad illum; sed significat esse minorem perfectionem quàm in abstinentia à copula: sicut quando subdens, *& si nupserit virgo, non peccabit, ego autem vobis parco*, non significat reperiri culpam in nuptijs, cùm immediatè antea dixerit, non reperiri peccatum, sed in eis esse minorem perfectionem quàm in cælibatu. *Durandus. Nauarrus. Rebellus. Ægidius. Basilius.*

5 Et ratione constat, quia vsus coniugalis, supposito peccato seu lapsu naturæ humanæ, ordinatur suâ naturâ in remedium concupiscentiæ propriæ (vt ex se patet, & significat Paulus vbi suprà) quamuis minùs principaliter quàm in prolis generationem: ergo in vsu coniugali ob eum finem facto nulla est inordinatio, quia vsus coniugalis, quamuis aliqualiter rationem absorbens, ex se tamen & ex suo obiecto est licitus, & suâ naturâ ordinatur in eum finem qui est licitus, & nulla est lex quæ cogat vt in vsu rei principaliorem finem intendamus; aliàs in præsenti materia vsus coniugalis ad vitandam incontinentiam, in altero coniuge existente in periculo illius, non esset licitus, & sterilis non posset vti matrimonio, quia nequit prolis generationem intendere; imò non posset alteri petenti reddere, quia alter non posset petere, cùm nequeat ex ipso sterili prolis generationem intendere.

6 Addimus Primò (vt contra Magistrum & alios docent Almaynus in 4. dist. 31. quæst. vnica, Maior ibid. concl. 4. Ægidius & Basilius vbi suprà, & Henriquez lib. 11. cap. 15.) vsum coniugalem ob sanitatem corporalem, & ob quemlibet alium finem honestum, quamuis ipsi vsui extrinsecum, esse licitum, relicto adhuc omni fine proprio; quia nulla est, neque ostendi potest inordinatio in eo, quòd quis, relicto proprio fine operis, id assumat ad alium finem honestum, ad quem habet proportionem. Imò, vt optimè Basilius, erit licitus, etiamsi quis ob paupertatem, aut ob alium licitum finem, inefficaciter desideret non sequi prolem, quia bonitas aut malitia affectus inefficacis voluntatis ex motiuo pensatur. *Almayn. Maior. Ægidius. Basilius. Henriq.*

Almayn. Basilius. Maior. Addimus Secundò, vt optimè Almaynus & Basilius vbi suprà, & Maior concl. 7. actum coniugalem exercitum solùm ob capiendam delectationem carnalem (ipsi actui annexam, vt auidiùs appetatur ob conseruationem speciei) esse immunem à culpa adhuc veniali; & hoc non carere probabilitate, docet Vera-cruz 3. par. Speculi art. 16. concl. 2. quia dicta delectatio seu voluptas verè est licita, sicut & actus ipse. Nihilominùs non carebit culpa veniali, si fiat ob capiendam nimiam delectationem, seu ex desiderio nimiæ delectationis, vt significat Augustinus de Bono coniugali, cap. 6. dum ait: *Coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiæ vero faciendæ venialem habet culpam.*

Vera-cruz.

7

DIFFICVLTAS III.

Quo tempore actus coniugalis sit illicitus.

8 PRimò est difficultas, An actus coniugalis ante benedictiones nuptiales sit illicitus.

Paludan. Sotus. Richardus. Antonin. Henriq. Paludanus & Sotus in 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2. Richardus art. 2. quæst. 3. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 16. & Henriquez lib. 11. cap. 5. docent esse illicitum; ex quibus nonnulli existimant tantùm esse venialem, & alij esse mortalem; & ex his vltimis alij id tantùm attribuunt primo actui, alij verò tantùm actui petendi, & non actui reddendi.

Sancius. Nauarrus. Vera-cruz. Ochagau. Basilius. Sancius verò lib. 3. disp. 12. Nauarrus cap. 22. num. 83. Vera-cruz in Appendice ad Speculum dub. 11. Ochagauia tract. 3. quæst. 5. & Basilius lib. 10. cap. 4. docent, non esse illicitum, & meritò: quia quamuis Tridentinum sess. 24. de Matrimonio cap. 1. suadeat & hortetur ne habeatur ante dictas benedictiones, nullibi tamen prohibetur.

Secundò est difficultas, An actus coniugalis in diebus festis sit illicitus.

Magister. Durandus. Magister in 4. dist. 32. & Durandus quæst. 1. affirmant esse illicitum; quod docere videntur nonnulli Patres, relati 33. quæst. 4. Et ratione probatur; quia diebus festis vacandù est Deo, ergo contra rationem est vacare Veneri, quo mens à diuinis abstrahitur: quod non pauci etiam extendunt ad diem Communionis, & ad diem ieiunij, & ad diem Supplicationum solemnium, vt in quolibet sit illicitus: & ex his Doctoribus quidam existimant esse mortalem, alij verò non nisi venialem.

9 *Bonauent. Scotus. Richardus. Sancius. Ægidius. Basilius.* Bonauentura, Scotus & Richardus in 4. dist. 32. Sancius lib. 9. d. 12. Ægidius disp. 34. dub. 9. & Basilius lib. 10. cap. 9. docent, non esse illicitum in diebus festis, quantumuis solemnissimis, & multò minùs in diebus ieiunij & Supplicationum, & meritò: quia actus coniugalis ratione sui nullo peculiari Iure prohibetur in dictis diebus, neque impedit fieri id quod in eis fieri præcipitur, vt patet; ergo in dictis diebus non est illicitus, quamuis in eis nonnihil habeat indecentiæ. Quod solum insinuant Patres, dum dicunt, in eis diebus abstinendum esse ab eo actu, & non licere: quod etiam est verum in die Communionis, tam ante eam, quàm post eam, quamuis etiam nonnihil habeat indecentiæ.

Tertiò est difficultas, An actus coniugalis tempore fluxus feminei sit illicitus.

Conueniunt Doctores, non esse illicitum, quando fluxus est innaturalis & perpetuus; aliàs coniuges rarissimè possent vti iure suo, quod esset durissimum; & quando est necessarius ad vitandum diffidium inter ipsos coniuges, aut ad vitandum periculum incontinentiæ, vel in se vel in altero. Cui non obstat, quòd eo tempore proles aliquando concipiatur monstruosa; quia præterquam quòd rarissimè concipitur talis, melius est proli talem concipi, quàm absolutè non concipi.

Est tamen difficultas, An sit illicitus tempore fluxus naturalis menstrui, & quando non est necessarius ad vitandum dictum diffidium & periculum.

Bonauentura, Scotus, Sotus in 4. dist. 32. Henriquez 11. de Matrimonio d. 15. & Basilius cap. 14. docent esse illicitū; ex quibus nonnulli existimant esse mortalem, quia proli concipiendæ imminet periculum grauis mali, quia facilè poterit concipi monstruosa aut leprosa; alij verò, esse tantùm venialem, ex eo quòd sit superfluus, quia tunc femina sit inepta, aut ferè inepta conceptioni.

Glossa verò in can. *Si causa*, v. *Conceptui*, 32. q. 4. Castro de Lege pœnali lib. 1. & vlt. & alij docent, non esse illicitum (quod probabile existimat Sancius lib. 9. disp. 21.) & meritò: quia actus coniugalis eo tempore neque est illicitus ratione periculi infectionis prolis; vel quia non est, vel quia est exiguissimum; & quia quamuis sit, & magnum, & magni mali, in eo tamen nulla fit iniuria proli; quia melius est ei sic nasci, quàm non nasci: neque est illicitus ex eo quòd sit superfluus ad conceptionem; quia quamuis hoc obsterit, vt fiat ob prolis generationem, non tamen vt fiat ob alios plures fines honestos, vt patet.

Quartò est difficultas, An actus coniugalis sit illicitus tempore prægnationis.

Conueniunt Doctores, esse illicitum, & mortaliter, quando est probabile periculum aborsus prolis iam formatę; id tamen accidere, rarissimum est, vt experientiâ constat; ac proinde ex hac parte, quando ob aliquam aliam peculiarem rationem id prudenter non timetur, actus coniugalis non erit mortalis.

Addidimus, *prolis iam formatæ*; quia ante formationem, tempore quo materia incipit coagulari seu formari, quamuis sit probabile periculum dissipationis materiæ, non ob hoc erit mortaliter illicitus, vt contra Tabienam docet Sancius d. 21. quia dissipatio hæc non videtur tanti momenti, vt ob eius periculum actus coniugalis sit mortalis eis qui habent ius ad ipsum actum; erit tamen illicitus venialiter, quia in ea dissipatione (ac proinde in probabili periculo illius) aliqua inordinatio cernitur: id tamen accidere, etiam est rarissimum, vt experientiâ constat, & non mirum, quia (vt testis est Auicenna) matrix statim post conceptionem ita clauditur, vt difficillimū sit aperiri, ac proinde etiam ex hac parte, quando ob aliam peculiarem rationem id non timetur prudenter, actus coniugalis non erit illicitus adhuc venialiter.

Est ergo difficultas, An actus coniugalis, cessante dicto periculo aborsus, & dissipationis materiæ, ex eo præcisè quòd habeatur tempore prægnationis, sit illicitus.

Conueniunt Doctores, non esse illicitum mortaliter; quia quamuis tunc semen frustretur fine generationis, id tamen non sufficit ad culpā mortalem, cùm non proueniat ex defectu aliquo in concubitu, sed per accidens ratione prægnationis.

Est

Est tamen difficultas, An sit illicitus venialiter.

13 *Paludan. Vterque Sotus. Basilius. Sancius. Ægidius. Henriq.*

Paludanus in 4. dist. 32. quæst. 1. art. 3. vterque Sotus & Basilius cap. 14. affirmant, & quia id Patres reprehendunt, & quia semen frustratur fine generationis, ad quem ordinatur. Sancius verò disp. 22. Ægidius disp. 34. num. 78. & Henriquez lib. 11. can. 15. negant, & meritò: quia ex nullo capite ostendi potest esse aliquo modo illicitum: quia quòd effusio seminis frustretur generationis fine, non refert vt sit illicita, cùm ex vna parte fiat debito modo, & ex altera possit ad alios fines honestos deseruire. Et quamuis Patres id reprehendant, non sufficit; quia non constat id reprehendere tamquam illicitum, & possint solùm reprehendere tamquam minùs perfectum.

Sancius. Henriquez.

Addidimus contra nonnullos (vt optimè Sancius, Henriquez & Ægidius vbi suprà) actum coniugalem tempore purgationis post partum non esse mortalé; imò (vt contra Ochagauiam tract. 5. quæst. 3. & contra Basilium docent prædicti) non esse venialem: quia in eo actu tunc habito nulla apparet inordinatio.

Sancius. Ochagau. Basilius.

Idem quoque docent Sancius, Ochagauia & Basilius de actu coniugali habito tempore, quo proles nata lactatur, nempe non solùm non esse mortalem (vt nonnulli absque fundamento affirmarunt esse) cùm nullum immineat periculum proli quæ lactatur, neque fœtui qui concipitur, vt experientiâ constat; sed neque esse venialem (vt nonnulli affirmarunt esse) quia nulla in eo ostendi potest inordinatio.

Quintò difficultas est, An actus coniugalis tempore amentiæ sit illicitus.

14 *Sancius. Ægidius.*

Sancius disp. 23. Ægidius disp. 34. num. 79. & communiter Doctores docent, quando ambo coniuges sunt amentes, actum coniugalem ex suo obiecto esse mortalem, saltem ob periculum malæ educationis prolis (quamuis ex defectu deliberationis à culpa excusentur) & ob id separandi sunt ne carnaliter coniungantur; & etiam esse mortalem, quando vxor est furiosa, & non est sterilis (quamuis vir sit sanæ mentis) ob periculum suffocationis prolis; non verò esse mortalem, imò neque venialem, si vxor sit sterilis, aut si non sit furiosa, quamuis sit amens, si non sit omnino mente capta; quia tunc non est periculum suffocationis, neque malæ educationis prolis, & aliunde non est vnde reddatur illicitus; & ob eamdem rationem non esse illicitum, quando maritus est omnino amens, imò & furiosus, si vxor sit sanæ mentis. Sed an coniux sanæ mentis teneatur amenti petenti reddere, dicemus Difficultate XI.

15

DIFFICVLTAS IV.

In quo loco actus coniugalis fiat illicitus.

COnueniunt Doctores, actum coniugalem habitum in loco publico, seu coram alijs, esse mortaliter illicitum (quod est verum, adhuc secluso scandalo;) quia id ob turpitudinem actus, adhuc secluso scandalo, grauiter dissonat rationi.

Paludan. Antonin. Toletus.

Circa locum sacrum aut benedictum, Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 8. art. 4. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 20. & Toletus lib. 5. cap. 8. absolutè docent, actum coniugalem in dicto loco habitum esse illicitum, & sacrilegium; quia est prohibitus intuitu loci sacri, vt supponitur in cap. vnico de Consecratione Ecclesiæ, in 6. & in cap. final. de Consecratione Ecclesiæ: quod limitant Sancius lib. 9. disp. 15. Suarez Tom. 1. de Religione lib. 3. cap. 8. & Ægidius disp. 34. dub. 9. vt tantùm sit illicitus, quando non est necessarius ad vitandum periculum incontinentiæ; non verò quando ad id est necessarius, vt continget, quando habetur à coniugibus diu (id est, per vnum mensem) conclusis intra corpus Ecclesiæ, & non possunt ad turrim aut ad cubicula ei adhærentia exire.

Sancius. Suarez. Ægidius.

Glossa verò in can. *Ecclesiis*, de Consecratione d. 1. Hugo, Laurentius & Gandulphus ibid. Henriquez in cap. fin. de Consecratione Ecclesiæ, n. 3. Rosella v. *Consecratio*. 1. num. 9. & Basilius l. 10. cap. 10. absolutè docent (& non absque probabilitate) actum coniugalem in loco sacro, aut benedicto, non esse illicitum nec sacrilegium; quia in eo loco non est illicitus Iure naturali, nec diuino, vt patet; nec Iure Ecclesiastico, quia nullibi prohibetur, nec supponitur prohibitus, quia si alicubi, maximè in dicto cap. fin. de Consecratione Ecclesiæ, dum dicitur: *Si Ecclesia cuiuscumque fuerit femine aut sanguinis effusione polluta*, &c. In eo autem non constat esse sermonem de effusione coniugali seminis; quia ad veritatem dictorum verborum illius sufficit effusio seminis non coniugalis, illicita contra castitatem, cuiuscumque sit, siue feminæ siue viri, siue Clerici siue non clerici: imò id indicatur in eo capitulo, dum dicitur, *si fuerit polluta*; quia dum aliàs non constat actum coniugalem in Ecclesia esse prohibitum intuitu reuerentiæ Ecclesiæ, non est dicendum eo pollui Ecclesiam, sicut nec polluitur sanguinis effusione aliàs licita.

16 *Glossa. Hugo. Laurent. Gandulph. Henriq. Rosella. Basilius.*

17

Ecclesia ergo non polluitur actu coniugali, sed tantùm non coniugali contra castitatem illicito (& idem est de effusione seminis) & non occulto, sed publico (id est, qui confessione rei in iudicio, aut euidentiâ facti, deuenerit in multorum notitiam) vt contra Paludanum, Antoninum, Rebellum, Sancium & Suarez docent Vasquez 1. 2. disp. 98. num. 6. Toletus lib. 5. cap. 8. Azor lib. 10. cap. 26. quæst. 13. & Basilius vbi suprà: polluitur autem dicto actu facto tantùm intra corpus Ecclesiæ, & non facto in turri, nec in cubiculis corpori Ecclesiæ adhærentibus, nec in cellulis, seu tribunis, ex quibus Principes, qui domos Ecclesiæ coniunctas habent, audiunt Sacrum, nec in Sacristia, de quo legendus est Basilius.

Vasquez. Toletus. Azor. Basilius.

Basilius.

DIFFICVLTAS V.

Quomodo, aut quo situ actus coniugalis fiat illicitus.

COnueniunt Doctores, actum coniugalem variato modo, aut situ naturali, vt quando femina non est succuba, & vir non est incubus, esse illicitum, quando id fit absque aliqua necessitate, quia in dicta variatione verè apparet inordinatio. Et esse mortalem, quando est probabile periculum effusionis seminis extra legitimum vas, ne prodigatur semen à natura in generationem ordinatum.

18

Est tamen difficultas, An cessante dicto periculo, & non existente aliqua necessitate ob quam fiat variatio, verè sit mortalis.

19 *Paludan.*

Paludanus in 4. dist. 31. quæst. 3. art. 2. Præposi-

Pra. Rubr. Monaldus. Henriq. tus Rubric. de Sponsalibus num. 13. Monaldus de Matrimonio tit. de Bonis matrim. & Henriquez cap. *Inquisitioni.* de Sententia excom. num. 12. docent, esse mortalem (quod nonnulli alij specialiter docent, quando fit modo præpostero more brutorum) quia quando variatur modus aut situs naturalis, tunc actus coniugalis est contra naturam, vtpote contra modum à natura præscriptum, in quo videtur esse grauis inordinatio.

Sancius. Henriq. Ægidius. Toletus. Sancius verò lib. 9. disp. 16. Henriquez lib. 11. cap. 16. Ægidius disp. 34. dub. 9. & Toletus lib. 7. cap. 20. docent, variationem modi naturalis non esse mortalem, quocumque modo fiat, siue à latere, siue sedendo, siue stando, siue præposterè, siue viro succumbente, & meritò: quia nulla variatio modi naturalis obstat generationi; ergo nulla est censenda grauiter inordinata. Antecedens autem probatur, quia variatio, quæ non impedit infusionem seminis intra vas, non obstat generationi, quia non obstat aduentui seminis ad matricem, quia semen ad eam non venit per descensum, sed per attractionem factam virtute naturali matricis, vt docet Aristoteles 2. de Generat. animal. cap. 4. nulla autem variatio modi naturalis impedit immissionem seminis intra vas.

20 Ex eo autem quòd actus coniugalis fiat variato modo naturali, non est contra naturam quoad substantiam, cùm fiat intra legitimum vas, sed tantùm est contra naturam quoad modum, & taliter vt non impediatur generatio, in quo nõ cernitur grauis inordinatio, sed tantùm leuis, à qua (vt *Sancius. Toletus.* optimè Sancius & Toletus) facilè excusabit ægritudo, aut dispositio corporis, aut alia rationabilis causa difficilè admittens modum naturalem.

Basilius. Addit Basilius lib. 10. cap. 11. non esse peccatum mortale, etiamsi ex eo quòd varietur modus naturalis, elabatur aliqua pars seminis, dum retineatur alia.

Circa eamdem circumstantiam modi conueniunt Doctores, vxorem, quæ in actu ipso iam seminauit, si seminationem viri non expectet, peccare mortaliter peccato contra naturam, quia tunc prodigit suum semen ad generationem ordinatum; & si id efficiat contra voluntatem mariti, etiam peccat alio peccato mortali iniustitiæ contra
21 ius mariti. Et ob easdem rationes, si, postquam vxor seminauit, maritus desistat à seminando, peccat peccato mortali contra naturam, frustrando semen femineum, & si id efficiat contra voluntatem vxoris, etiam peccabit peccato mortali iniustitiæ contra ius vxoris.

Addimus, maritum, qui iam in actu ipso seminauit, si non expectet seminationem vxoris, peccare mortaliter contra naturam, vt contra Sancium lib. 5. disp. 17. & contra Basilium lib. 10. c. 11.
Ochagau. docet Ochagauia tract. 5. quæst. 3. quia ad generationem etiam requiritur seminatio feminæ, & ob eamdem rationem femina tunc nequit desistere quousque seminet. Quòd si neuter coniux in actu ipso seminauit, possunt absque peccato contra naturam ab ipso actu seu copula desistere, nullam exspectando seminationem; quia copula absq; seminatione est tantùm quidam tactus, qui licitus est coniugibus; & etiam possunt ex consensu vtriusque absque peccato iniustitiæ, vt optimè Sancius
Sancius. Filliucius. disp. 19. & Filliucius tract. 10. cap. 9.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm actus coniugalis fiat illicitus, quando cognatio spiritualis superuenit Matrimonio iam contracto.

TVnc cognatio spiritualis superuenit matrimonio iam contracto, quando vnus coniux, post matrimonium contractum, prolem alterius coniugis, siue ex priori coniuge iam mortuo, siue communem, & ex se habitam, baptizat, aut tamquam patrinus tenet in Baptismo, vel in Confirmatione, in quo mortaliter peccat, si id sciens, vel ex ignorantia vincibili absque necessitate efficiat; quia est res grauis, & prohibita 30. quæst. 1. ferè per totam.

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, quando Baptismus fit absque culpa, vel quia fit ignoranter inuincibiliter, vel quia fit in casu necessitatis, quando scilicet vrget necessitas, & non est alius qui id possit facere, tunc cognationem spiritualem, ex eo prouenientem, nullo modo impedire actum coniugalem, vt satis insinuatur in can. *Ad limina.* 30. quæst. 1. & quando fit culpabiliter ab vno coniuge, non impediri alterum innocentem à petendo, & ipsi petenti debitum esse reddendum. Quod est verum, etiam in coniuge tenente vt patrino, non solùm quando ignoranter inuincibiliter tenet, sed etiam quando tenet in necessitate, vt contra Henriquez & contra Basilium docent communiter Doctores; quia quando fit in necessitate, fit absque culpa, etiam si tenens non sit necessaria necessitate salutis, sicut est Baptismus.

Est tamen difficultas, An quando cognatio spiritualis, siue ab vno siue ab vtroque culpabiliter contrahitur, siue baptizando, siue tenendo, tunc nocens, siue vterque, siue vnus, impediatur à petendo.

Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 15. Sancius lib. 7. disp. 26. Henriquez lib. 11. cap. 15. & communiter Doctores partem affirmatiuam tuentur, quæ expressa est in can. 1. & 2. 30. quæst. 1. imò & quando inculpabiliter contrahitur. Et deduci videtur primò ex can. *Nosse.* 30. quæst. 1. dum dicitur coniuges non esse separandos, si leuatio de sacro Fonte non fuerit facta vtriusque consensu; ergo si vtriusque consensu fiat, separandi sunt, & non ad aliud, nisi vt neuter petat: & etiam si vnius tantùm consensu fiat, ille priuatur iure petendi. Secundò deduci videtur ex can. *Ad limina.* 30. quæst. 1. dum dicitur, eum qui filium in necessitate baptizauerat, non esse à coniuge separandum, quia id laudabiliter fecit; ergo qui id culpabiliter fecerit, separandus est toro, vedelicet vt non petat.

Durandus in 4. dist. 42. quæst. 1. art. 3. Ægidius disp. 34. dub. 8. Glossa in cap. *Si vir.* 2. de Cognatione spirituali, & Raconis tit. 2. de Sacramento Baptismi p. 2. art. 4. partem negatiuam tradunt, quod etiam sentit Suarez 3. par. quæst. 67. art. 8. §. pænult. & meritò: quia dicta priuatio seu prohibitio petendi, in nullo Iure, perseuerante in sua viridi obligatione continetur: quia quamuis id contineatur in can. 1. & 2. 30. quæst. 1. etiam quando cognatio inculpabiliter contrahitur (si in eis est fermode cogna-

cognatione superueniente matrimonio, vt impediatur actus coniugalis, vt nos existimamus contra Basilium cap. 6. credentem, in eis tantùm esse sermonem de cognatione antecedente matrimonium, & eius valorem impediente) hi tamen canones correcti sunt quoad separationem à toro per can. 4. & 5. 30. quæst. 1. & per alios eiusdem quæst. & per cap. *Si vir.* 2. de Cognatione spirituali, vt statim dicemus: & non solùm id in nullo Iure perseuerante continetur, sed nec ex aliquo Iure sufficienter deducitur, vt constabit ex expositione canonum qui pro aduersarijs adducuntur.

25 Imò coniuges, siue ambos, siue vnum, quamuis cognationem spiritualem culpabiliter contrahentes, nullo modo priuari actu coniugali, deducitur in primis ex can. *De eo.* 30. quæst. 1. dum dicitur: *Si autem coniuges legitimi vnus aut ambo ex industria fecerint, vt filium suum de fonte susceperint: si innupti* (id est, continentes) *permanere voluerint, bonum est; sin autem, grauis pœnitentia infidiatori iniungatur, & simul maneant.* Vbi supponitur, quòd quamuis ambo, & de industria id fecerint, possint simul permanere, id est, in eadem domo & toro cohabitare. Deinde idem etiam deducitur ex cap. *Si vir.* 2. de Cognatione spirituali, dum dicitur: *Siue ex ignorantia, siue ex malitia id fecerint, non sunt ab inuicem separandi: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur; si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari.*

26 Vnde in hoc cap. *Si vir.* & in dicto can. *De eo.* dicti canones 1. & 2. corriguntur, non quoad contractionem cognationis, sed quoad separationem à toro; quia in eo cap. *Si vir.* & in eo can. *De eo.* statuitur, non impediri ab vsu coniugali, qui ex malitia contrahunt cognationem spiritualem: quo etiam comprehenduntur, qui scienter absq; fraude eam contrahunt; quia ex fraude eam contrahere, est maius & peius, quàm scienter absque fraude. Et etiam statuitur, non impediri eos, qui eam contrahunt ex ignorantia: quo etiam comprehenduntur, qui ex ignorantia vincibili eam contrahunt; quia ignorantia vincibilis etiam est simpliciter ignorantia, & aliquo modo excusat factum ex ipsa.

Addimus, ex can. *Nosse.* adducto pro aduersarijs, etiam deduci efficaciter, quòd quando vnius solius culpa, & non amborum superueniat cognatio spiritualis, neuter impediatur; quia dicitur quòd quando leuatio non fuit facta vtriusque consensu, non sunt separandi (subintellige quoad torum.) Ex eo autem quod in eo dicatur, quòd si leuatio non fuit facta vtriusque consensu, non sunt separandi, non potest efficaciter deduci, quòd quando fuit vtriusque consensu, separandi sint.

27 Et ex eo quod in can. *Ad limina.* adducto pro aduersarijs, dicatur, quòd qui in necessitate baptizauit filium suum, non sit à coniuge separandus, quia id laudabiliter fecit, non deducitur efficaciter, quòd quando id fecit culpabiliter, separandus sit à toro; aliàs non solùm non posset petere, sed nec reddere innocenti. Ex hoc ergo can. *Ad limina.* & ex illo can. *Nosse.* non deducitur efficaciter, quod aduersarij intendunt; quia ad summum id posset deduci à contrario sensu: deductio autem à contrario sensu, in Iure est inefficax (præsertim ad deducendam pœnam, quæ potius est restringenda:) quia Pontifices sæpè sua responsa limitant, aut eorum rationem aliquam afferunt, non quia, deficiente ea limitatione aut ratione, responsa ipsorum non teneant, & oppositum sit dicendum; sed sua responsa limitant, vt præcisè ad interrogata respondeant, & rationem aliquam afferunt, vt ostendant sua responsa esse certa.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm actus coniugalis fiat illicitus, quando Matrimonio superuenit affinitas.

COnueniunt Doctores, maritum incestuosum cum consanguinea vxoris, non posse ab vxore petere, vt constat ex cap. 1. de eo qui cognouit consanguineam; teneri tamen reddere petenti, vt constat ex cap. 6. & 10. & 11. eodem titulo. Cui non obstat can. *Qui dormierit.* 27. quæst. 2. dum dicitur, *incestuoso non licere reddere*; quia sensus est, vxori non licere reddere incestuoso, vtpote non potenti petere, ita vt supra particulam *incestuoso* immediatè cadat particula *reddere*, & non particula *licere*. Et idem est, si vxor cognoscat consanguineum mariti, vt non possit petere, & teneatur reddere, vt ostendit Sancius lib. 9. d. 27. Præ- *Sancius.* dicta autem doctrina procedit, quando incestus fit scienter & absque vi, vt constat ex dictis cap. 1. & 6. 28

Id verò quod addunt Sancius & Basilius cap. 7. *Sancius. Basilius.* nempe, coniugem consentientem incestui, etiam priuari iure petendi, falsum est, vt aduertit Ocha- *Ochagan.* gauia tract. 5. quæst. 5. quia id nullo Iure statuitur; & argumentum à contrario sensu, ex quo id inferunt, inefficax est saltem ad inferendam pœnam.

Est tamen difficultas, in quoto gradu consan- 29 guinitatis sufficiat, quòd sit persona consanguinea coniugis cognita ab altero coniuge, vt iste alter priuetur iure petendi. Procedit autem post Tridentinum, à quo affinitas dirimens matrimonium contrahendum, orta ex copula fornicaria, fuit restricta vsque ad secundum gradum, quæ iure antiquo sufficiebat ad id vsque ad quartum.

Angles in Floribus 1. par. de Matrimonio q. 14. *Angles.* de Impedimento affinitatis art. 1. & Paulus Co- *Paul. Com.* mit. lib. 1. Responsa. moral. quæst. 138. docent, incestum habitum cum persona consanguinea coniugis, etiam in quarto gradu, sufficere vt incestuosus priuetur iure petendi; quia Tridentinum affinitatem, ortam ex copula fornicaria, restrinxit ad primum & secundum gradum, ad eum tantùm effectum, vt non impediat neque dirimat matrimonium, vt Pius V. declarauit; non autem, *Pius V.* vt non impediat petitionem debiti; quia hæc distincta est à matrimonio, & huius tantùm fit mentio in Tridentino, & non petitionis debiti.

Sancius verò, Henriquez lib. 11. cap. 15. Basilius 30 lib. 7. cap. 33. & communiter Doctores docent, *Sancius.* affinitatem incestu contractam vsq; ad secundum *Henriq.* tantùm gradum, impedire petitionè debiti, quod *Basilius.* etiam declarauit Congregatio Cardinaliũ, & meritò: quia affinitas non impedit neq; dirimit matrimonium, nisi ob copulam ad quam ordinatur, quia est indecens inter affines: ergo eo ipso, quòd dicta affinitas restricta est, vt non impediat neque dirimat matrimonium, nisi in primo & secundo gradu, etiam censetur restricta vt non impediat

petitionem copulæ, nisi in eisdem gradibus. Et ob id Disputatione xx. Difficultate v. dicemus, fornicationem cum affini ex copula illicita non esse incestuosam à tertio gradu.

Vnde, quamuis petere debitum, sit distinctum à contractu matrimonij; eo tamen ipso quòd affinitas non obstat contractui, neque obstat petitioni debiti, ob rationem dictam.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm actus coniugalis fiat illicitus voto castitatis emisso.

31 COnueniunt communiter Doctores contra paucos quosdam, eum, qui post votum simplex castitatis matrimonium contraxit, & etiam eum, qui post matrimonium contractum, nondum consummatum, emisit votum simplex, non posse petere; quia est omnino liber ad non petendum, & in quantum potest tenetur ad seruandum votum; & ob eamdem rationem etiam tenetur non reddere tempore, quo ante consummationem matrimonij est liber ad non reddendum: eo tamen tempore transacto, aut matrimonio iam consummato, teneri ad reddendum alteri petenti, quamuis hic alter conscius voti cum eo contraxerit; quia ex vna parte hic alter per contractum, quamuis ab ipso illicitè contra religionem factum, verè acquisiuit dominium corporis illius qui castitatem vouit, & ex altera petendo non facit contra votum alterius: qui autem votum castitatis emisit, poterit petere quando alter sit in periculo incontinentiæ iniuriosæ ei qui emisit votum, quia cum tanta iniuria sui non tenetur seruare votum. Cui accedit, quòd ex virtute castitatis tenetur secundariò eam incontinentiam impedire.

32 Est tamen difficultas, An qui post votum castitatis contraxit matrimonium, teneatur ante consummationem ingredi Religionem, quando necessarium sit ad non violandum votum, vt quando alter non vult seruare castitatem.

Richardus. Nauarrus. Pet. Sotus. Azor. Richardus in 4. dist. 38. art. 7. quæst. 1. Nauarrus cap. 22. num. 73. Petrus Sotus lect. 5. de Matrimonio & Azor lib. 11. cap. 21. quæst. 2. partem affirmatiuam tuentur; quia ille tenetur, in quantum potest, seruare votum castitatis emissum, & si Religionem non ingrediatur, tenebitur ad reddendum alteri coniugi, quo violabit votum castitatis.

Sotus. Sancius. Henriq. Ægidius. Basilius. Ioa. XXII. Sotus verò in 4. dist. 38. Sancius lib. 9. disp. 34. Henriquez lib. 12. c. 2. Ægidius disp. 34. dub. 5. & Basilius partem negatiuam tradunt, cui maximè fauet Ioannes XXII. in Extrauag. *Antiquæ*, de Voto, dum decernit, initiatum sacris (qui eo ipso emittit votum castitatis, imò solemne) etiamsi initietur post matrimonium ante consummationem, non teneri ingredi Religionem, & meritò: quia est nimis durum, ad eam partem voti castitatis seruandam, nempe ad non reddendum, imò ad totum votum seruandum obligari, ad assumendum medium ita arduum & difficile, & multò difficilius tota re voto promissa, etiamsi quando
33 contrahit memor voti aduerrat, non esse aliud medium ad voti impletionem, nisi Religionem ingredi; sicut etiam esset durum, eum, qui vouit breuem peregrinationem, obligari ad illius impletionem, si post votū is qui vouit, quamuis memor voti, translatus fuisset in remotissimas Prouincias. Et ob prædictam rationem, qui post votum suscipiendi Ordines sacros, contraxit matrimonium, non tenetur ante consummationem Religionem ingredi (vt contra Azor docent Sotus & Sancius) nec qui post matrimonium ante eius consummationem vouit suscipere ordines sacros, nec qui post matrimonium ante eius consummationem vouit castitatem. Qui tamen post matrimonium ante eius consummationem vouit suscipere Ordines sacros, & qui post matrimonium ante eius consummationem vouit castitatem, tenentur ingredi Religionem, si, quando vouent, aduertant se non posse aliter implere votum: quia, qui tunc id aduertit, implicitè vouet exequi quod vouet, adhuc illo medio.

Addunt Sotus lib. 7. de Iustitia quæst. 3. art. 1. Sancius disp. 36. Ægidius & plures alij, contra Paludanum & Petrum Sotum, etiam eum, qui post matrimonium consummatum vouit castitatem (quamuis sine consensu alterius coniugis, ob quod tenetur alteri petenti reddere) non posse petere. quod videtur definitum in cap. *Quidam*. & in cap. *Placet*. 12. de Conuersione coniugat. & meritò: quia ille, etiam post matrimonium consummatum, est liber ad non petendum, quia non petendo non præiudicat alteri.

Obseruandum est Primò, quòd quamuis votum suscipiendi Ordines, facto ante matrimonium, reddatur illicitus contractus matrimonij postea factus, si fiat animo non ingrediendi Religionem, non tamen redditur illicitus actus coniugalis primus, nec petendi; quia qui post tale votum contraxit, non tenetur Religionem ingredi, cui posset obstare actus primus, quo consummatur matrimonium: & ob eamdem rationem, dicto voto facto post matrimonium ante eius consummationem non reddi illicitum actum coniugalem primum, nisi quando vouens tunc aduerrebat non posse dictum votum implere, nisi ingrediendo Religionem.

Obseruandum est Secundò, voto ingrediendi Religionem reddi ipsi vouenti illicitum primum actum coniugalem, quo consummatur matrimonium (nisi sit moralis certitudo, quòd alter coniux annuet vouenti cooperando ad necessaria, vt vouens possit votum implere;) quia eo primo actu coniugali, quo matrimonium consummatur, vouens redditur impotens ad ingrediendum Religionem, nisi altero coniuge annuente, & ad necessaria cooperante; reliquos verò actus post primum non esse illicitos, quia nullo modo sunt contra dictum votum.

Obseruandum est Tertiò, voto non contrahendi matrimonium reddi illicitum ipsum contractum matrimonij, non tamen reddi illicitum actum coniugalem, nec primum, quo consummatur matrimonium, vt contra nonnullos aduertit Sancius; quia consummare matrimonium, & non est contrahere, sed præsupponit illud: & ideò, qui iurauit contrahere matrimonium, illud integrè implet, quamuis non consummet matrimonium.

DIFFI-

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm dubium de valore Matrimonij reddat actum coniugalem illicitum.

SVpponimus, coniugem certum de nullitate matrimonij, non solùm non posse petere, sed neque reddere (in quo contra Magistrum in 4. dist. 33. asserentem, eum non posse petere, posse tamen, imò & teneri reddere, conueniunt Doctores, & expressè definitum est in cap. *Inquisitio.* 44. de Sentent. excom.) quia tunc commixtio carnalis esset fornicatio, quæ nullo honestari potest.

37 Quod etiam contra nonnullos verum existimamus, quando coniux est moraliter seu probabiliter certus, absque eo quòd oppositæ partis sit probabilitas: quia qui à tribus fide dignis audiret, se esse consanguineum suæ vxoris in quarto gradu, & oppositæ partis nullam haberet probabilitatem, non posset petere, neque reddere; & tamen non haberet maiorem certitudinem, quàm probabilem: imò quando pro qualibet parte contradictionis (nempe pro valore & pro nullitate matrimonij) est probabilis opinio, posse coniugem amplecti opinionem quam voluerit, siue pro valore, vt possit petere, & teneatur reddere; siue pro nullitate, vt nequeat petere, neque reddere (vt generaliter diximus Tractatu de Conscientia) quia quamlibet amplectendo prudenter procedet.

Est tamen difficultas, An coniux non certus, adhuc probabiliter, de nullitate matrimonij, dubius tamen de nullitate aut valore illius, possit vti matrimonio petendo & reddendo. Et procedit, quando est dubius ex credulitate discreta seu probabili, seu ex fundamento prudenti, discreto & probabili ad dubitandum dubio puro, quo anceps manet, neutri parti contradictionis adhuc probabiliter assentiendo: quia dubius ex leui credulitate aut fundamento, potest, eo dubio ad consilium Pastoris aut aliter deposito, petere & reddere.

Circa difficultatem ergo conueniunt Doctores, coniugem dubium de valore sui matrimonij, si mala fide illud contraxit, non posse debitum petere, vt definitur in cap. *Dominus.* 2. de Secundis nuptijs; quia ei, qui mala fide contraxit, non fauet possessio; & quamuis bona fide contraxerit, non posse petere ante prudentem diligentiam ad inueniendam veritatem.

38 Est tamen difficultas, An possit petere, quando bona fide contraxit, & prudentem diligentiam adhibuit; & an in vtroque casu possit & teneatur reddere.

Adrianus. Adrianus in 4. q. 2. de Sponsalibus, & Quodlibeto 2. punct. 2. ad. 2. docet, coniugem dubium de valore matrimonij (intellige etiam bona fide facti, & etiam dubium post prudentem diligentiam) non solùm non posse petere, sed neque reddere: quia tam petendo quàm reddendo se exponit temerariè periculo faciendi contra castitatem. Cap. autem *Dominus*, cuius ipse mentionem facit, vbi dicitur reddendum esse alteri petenti, exponit quoad forum tantùm exterius.

39 *Sotus. Sancius. Ægidius. Lorca.* Sotus in 4. dist. 37. quæst. 1. artic. vltim. Sancius lib. 2. disp. 41. Ægidius disp. 34. dub. 10. & Lorca 1. 2. disp. 38. docent, coniugem dubium de valore matrimonij bona fide facti, post sufficientem diligentiam in dubio persistentem, non tantùm teneri reddere, sed etiam posse petere; quia possessione matrimonij bona fide capta, contractu ipso bona fide facto, ita ius coniugis in corpore alterius perficitur & fortificatur, vt possit eo vti ac si non esset dubium, sicut in quacumque alia materia iustitiæ. Dicta autem duo capp. (nempe *Dominus* & *Inquisitioni*, in quibus dicitur, coniugem dubium non posse petere) exponuntur à Soto & à Lorca de eo qui mala fide contraxit, cui non fauet possessio, vtpote malæ fidei, & ideò eum non posse petere, quamuis teneatur reddere alteri qui bona fide contraxit.

Couarruuias verò 2. par. de Matrimonio cap. 7. §. 2. Rebellus lib. 2. quæst. 16. sect. 2. Basilius lib. 10. cap. 15. Vasquez 1. 2. d. 66. cap. 4. Montesinus d. 39. q. 4. absolutè docent, coniugē dubium teneri reddere alteri bona fide petenti, & non posse ab eo petere, siue dubius & mala fide contraxerit, vt definitur in dicto cap. *Dominus.* siue bona, & absque dubio, vt significatur in dicto cap. *Inquisitione*; dum in eo id definitur absolutè, & absque vlla limitatione, etiam in dubio, tam ante sufficientem diligentiam, quàm posteà. *Couarruu. Rebellus. Basilius. Vasquez. Montesin.*

Esse autem in dictis capp. sermonē in foro interiori conscientiæ, patet: quia in cap. *Inquisitioni.* 40 Innocentius loquitur de dubio quod pulsat conscientiā, & de dubio quod remittit examinandum proprio Pastori: & in eodem cap. respondet, quid dubitans facere teneatur, non quid Iudices debeant decernere. In cap. *Dominus.* loquitur Lucius III. ad captiuos Christianos, habitantes inter Sarracenos, pro pace conscientiæ, & non ad Iudices; & in eo respondet, quid ipsi dubitantes facere teneantur. Quòd verò id definiatur, siue dubius contraxerit mala fide siue bona, constat, quia in cap. *Dominus.* id definitur de eo qui dubius & mala fide contraxit: & in cap. *Inquisitioni.* id definitur absque vlla limitatione & distinctione. Et quòd id definiatur, quamuis perseueret dubium post sufficientem diligentiam, constat ex ipsis duobus capp. præsertim ex cap. *Inquisitioni.*

Ratio autem nostræ conclusionis est, quia in dubijs tutior pars est eligenda: sed coniugi dubio 41 (siue bona siue mala fide contraxerit, & siue sit dubius ante sufficientem diligentiam, siue etiam posteà) tutius est non petere, quia petendo se exponit temerariè periculo peccandi contra castitatem; & eidem coniugi tutius est reddere petenti bona fide, quàm non reddere; quia non reddendo se exponit periculo iniustitiæ contra ius coniugis petentis, & reddendo tantùm se exponit periculo fornicationis contra castitatem, quæ est minus peccatum quàm dictum iniustitiæ, vt docet S. Thomas 2. 2. quæst. 58. art. 12. quia *S. Tho* hoc opponitur meliori virtuti, nempe iustitiæ, & non minùs obliganti quàm castitas, cui opponitur fornicatio: ergo coniux in dicto dubio non potest petere, tenetur tamen reddere. Ex quo constat ad rationem Adriani.

Tenetur autem dictus coniux reddere, quamuis dubius sit de valore matrimonij, ex eo, quòd dubitet an prior coniux viuat, vt constat ex cap. *Dominus*, quia etiam tunc est tutius reddere: quia reddendo, tantùm se exponit periculo fornicationis, & non iniustitiæ contra priorem coniugem, quamuis fortè viuat; quia periculum iniustitiæ cōtra eum extinguitur possessione posterioris coniugis,

coniugis, quia eâ ius posterioris fit fortius, & eâdem extinguitur periculũ incestus contra consanguineum, quando est dubius de valore matrimonij; quia dubitat an sit impedimentum consanguinitatis, si irreuerentia facta consanguineo
42 accessu ad ipsum est strictè contra iustitiam. Et quamuis dictum periculum non extinguatur possessione posterioris, si non sit contra iustitiam strictè, sed tantùm contra pietatem, partem potestatiuam iustitiæ, etiam tenetur reddere; quia sola iniustitia non reddendi, est maius peccatum quàm fornicatio incestuosa, habens duplicem malitiam,
Montesin. Vasquez. vt docet Montesinus num. 31.

Addimus (vt optimè Vasquez num. 28.) etiam teneri reddere, quamuis sit dubius de valore matrimonij, quia dubitat an contraxerit cum mancipio, ignorata seruitute: quia ex vna parte non reddendo, se exponit periculo iniustitiæ contra mancipium; & ex altera, reddendo, nullum patitur detrimentum, quo excusari possit à reddendo; quia ex eo, quòd accedat ad mancipium affectu maritali, vt tenetur accedere, non reualidat matrimonium præcedens, quia non accedit intendendo de nouo contrahere, si forte fuit nullum, quod erat necessarium ad reualidationem, sed tantùm accedit vt soluat debitum, si fortè debeat, ne se exponat periculo iniustitiæ.

43 Addidimus in conclusione, coniugem dubium teneri reddere alteri bona fide seu absque dubio petenti, quia si alter etiam sit dubius, quamuis absque dubio & bona fide contraxerit, non est ei reddendum, etiam post sufficientem diligentiam, ne reddens ei cooperetur ad peccatum fornicationis; quia etiam ille alter tunc, vtpote dubius, nequit licitè petere, ob periculum fornicationis, quod non extinguit possessio; cùm hæc tantùm faueat, efficiendo ius iustitiæ possidentis melius & fortius, ac proinde tantùm extinguat periculum contra iustitiam, non contra alias virtutes: ob quod in alijs materijs iustitiæ distinctis à præsenti, possessio etiam fauet ad vsum; quia in eis non est nisi periculum iniustitiæ, in præsenti verò materia matrimonij non fauet absolutè quoad vsum, quia in hoc vsu est etiam periculum contra castitatem, sed tantùm fauet ne fiat expoliatio dominij in corpore alterius. Ex quo constat ad rationẽ Scoti & aliorum.

44 Obseruandum est (vt optimè Ægidius n. 101.)
Ægidius. dictum coniugem dubium, si speret posse veritatem inuenire, teneri illam inquirere antequam sit occasio in qua alter petat, ne se exponat periculo
Vasquez. reddendi: imò (vt optimè Vasquez num. 33.) quando alter petit ante sufficientem inquisitionem factam à coniuge dubio, iste dubius tenetur ei reuelare dubitationem (si credat reuelationem profuturam, & non nocituram) vt interim, dum inquiritur veritas, non petat; quòd si, quamuis admonitus, petat, ei reddendum est, dum non constet admonitione mansisse dubium.

Id autem, quod diximus, coniugem dubium non posse petere singulariter, deficit, quando dubium valoris matrimonij oritur ex dubio impedimenti impotentiæ: quia tunc potest petere, vt ad-
Vasquez. Montesin. Lorca. Basilius. uertunt Vasquez, Montesinus, Lorca & Basilius, & supponitur in cap. *Laudabilem.* 5. de Frigidis; quia in dubio impotentiæ vnusquisque habet ius ad inquirendum de impotentia; diligentia autem ad inquirendum an sit impotentia, est ipsa experientia, & vsus coniugalis: & ideò dubitantibus, quamuis ambobus, conceditur in dicto cap. triennium, vt in eo possint matrimonio vti quousque veritatem inueniant.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm tactus turpes inter coniuges sint liciti.

COnueniunt Doctores, tactus turpes in coniugibus esse illicitos, imò mortales, quando est periculum effusionis seminis extra vas, siue quo vrgenti necessitate fiant. Ita Sancius lib. 9. disp. 45. Ægidius disp. 34. dub. vlt. Rebellus lib. 3. q. 19. Vasquez 1. 2. disp. 115. cap. 2. eo tamen periculo cessante, quamuis sint in partibus inhonestis, esse licitos, quando fiunt ob copulam coniugalem, in quam suapte natura ordinantur: quia licitum est iuuare naturam ad actum rationi consonum medijs suâ naturâ ordinatis ad illum; quod (vt aduertunt Sancius & Ægidius) etiam est verum, quando fiunt ob quemlibet alium finem honestum, vt ad sedandam tentationem carnis, aut ad ostendendum amorem erga alterum coniugem.

Dissentiunt tamen Doctores, an, quando dicti tactus in coniugibus fiunt tantùm ob capiendam libidinem, seu voluptatem veneream in ipsis reperta, sint mortales: supponunt enim, ad minus esse veniales, & etiam voluptatem ipsam. Vtrumque tamen est difficile, quando voluptas non est nimia.

Antoninus ergo 3. par. tract. 1. cap. 20. Siluester v. *Debitum.* quæst. 9. & Margarita Confess. Præcepto, casu 7. docent, esse mortales, quia sunt actus libidinosi seu venerei, & non referuntur ad copulam coniugalẽ, in quam sua natura ordinatur.

Sancius verò, Vasquez, Rebellus & Ægidius docent, non esse mortales, & meritò: quia libido in dictis tactibus reperta, non quæritur omino extra matrimonium, sed in ipso, quia quæritur in tactibus suâ naturâ ordinatis ad copulam coniugalem; ac proinde sicut matrimonium excusat libidinem quæsitam in copula, saltem à mortali; ita etiam excusabit saltem à mortali libidinem in dictis tactibus quæsitam, vtpote coniugalem.

Quod etiam Sancius existimat verum, quamuis in eis sit probabile periculum alterationis in membris pudendis, imò & destillationis (quæ est effusio cuiusdam humoris aquei similis semini;) quia dicta alteratio & destillatio oriuntur naturaliter ex tactibus licitis, aut non mortalibus. Imò idem Sancius & etiam Ochagauia tract. 5. quæst. 11. excusant à mortali tactum, quo coniux etiam in abstentia alterius tangit libidinosè sua membra pudenda, quamuis commouenda & alteranda, quando non est probabile periculum effusionis seminis futuræ extra vas; quia etiam illi tactus suâ naturâ ordinantur ad actum coniugalem, quamuis actu non referantur ad illum.

Delectatio quoque libidinosa seu venerea in coniugatis, extra copulam habita de copula, aut præterita aut futura cogitata vt præsenti, non est mortalis, etiam in absentia coniugis, quando non est probabile periculum pollutionis, vt contra Nauarrum & alios docent Sancius, Vasquez, Ægidius, & communiter Doctores, quia est coniugalis, vtpote habita constante matrimonio, & de actu coniugali, quod Vasquez & Sancius existimant. Verùm, etiamsi sit periculum commotionis &

& alterationis in membris pudendis, quia tunc alteratio oritur naturaliter ex delectatione licita, aut non mortali; & addit Sancius id esse verum, quamuis sit periculum destillationis. *Sancius.*

48 In sponsis verò de futuro non tantùm delectatio libidinosa de actu coniugali futuro considerato vt præsenti, est mortalis (vt contra nonnullos diximus in Tractatu de Peccatis) sed etiam tactus libidinosi, quamuis tantùm fiant ob voluptatem in ipsis repertam, sunt mortales (vt contra Sancium disp. 46. Toletum, Valentiam, P. Sà, & Nauarrum docent Rebellus l. 3. q. 19. & plures alij) quia ex vna parte grauiter opponuntur castitati, & ex altera nondum est matrimonium, quo possint excusari, quia sponsalibus excusari non possunt; quia sponsalia, quamuis sint inchoatio quædam matrimonij, & prædicti tactus tantùm sint inchoatio quædam copulæ coniugalis, non sufficiunt ad eos excusandos: quia inchoatio contractus non sufficit ad excusandum vsum rei de qua est contractus, quamuis solùm inchoatum & imperfectum; quia quousque contractus est perfectus, non traditur dominium rei: qui autem nondum est dominus rei, nullatenus, adhuc imperfectè, potest ea vti, vtpote adhuc aliena, quamuis iam sibi promissa. *Rebellus.*

DIFFICVLTAS XI.

Quomodo coniuges obligentur ad actum seu vsum coniugalem.

49 CONueniunt Primò Doctores, coniugem per se non teneri petere debitum coniugale, quia nemo tenetur vti iure suo. Addimus, *per se*; quia per accidens aliquando tenetur, tunc scilicet, quando prudenter credit imminere alteri periculum incontinentiæ, quod petendo possit auertere, vt docent Sancius l. 9. disp. 2. & Ægidius disp. 34. dub. 2. ad id tamen non tenetur ex iustitia erga alterum, vt contra Petrum de Ledesma docent Sancius & Ægidius, quia matrimonio non obligatur ad cogendum alterum vt vtatur matrimonio; tenetur verò ex castitate non primariò, sed secundariò, quia hæc (sicut quæcumque alia virtus) obligat ad impediendum in alijs peccatum contra illam: & etiam ob eamdem rationem tenetur secundariò ex iustitia erga se ipsum, quando actus incontinentiæ, quem timet in altero, est contra iustitiam erga se ipsum. Et ob dictam rationem existimamus, correctionem fraternam esse actum illius virtutis, contra quam futurum est peccatum, quod correctione ipsa impedire conamur. *Sancius. Ægidius.*

50 Conueniunt Secundò, coniugem teneri reddere debitum alteri coniugi petenti tamquam debitum, siue expressè siue interpretatiuè petat (quod intellige, si moderatè petat, & nisi petens precibus alterius aut aliter à petendo desistat) quod exprimit Paulus 1. ad Corinthios 7. *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro.* Et ratione constat, quia coniux habet ius seu potestatem in corpore alterius, & econtrà, in ordine ad vsum coniugalem, vt etiam exprimit Paulus vbi suprà, & constat ex natura ipsa contractus matrimonij: ergo in vtroque est obligatio reddendi alteri exigenti, quia iuri in vno correspondet obligatio in altero.

51 Addidimus Primò, *alteri petenti tamquam debitum*, quia si sic non petat, sed tantùm beneuolè & amicè, vt res aliàs debitas solemus ab amicis petere, non animo obligandi, tunc non est obligatio reddendi, vt aduertit Rebellus lib. 2. quæst. 16. sect. 1. Addidimus Secundò, *alteri petenti siue expressè siue interpretatiuè*, quia verè petenti tamquam debitum, quamuis tantùm interpretatiuè (vt aliquibus signis) reddendum est necessariò, præsertim feminæ, vt docent communiter Doctores. Quod addimus, quia viro non exigenti expressè, regulariter non est obligatio reddendi; quia viros, qui volunt sibi debitum reddi, regulariter non pudet expressè exigere. Addidimus Tertiò, *si moderatè petat*, quia, vt aduertit Ægidius, ex matrimonio non oritur obligatio ad importunam & immoderatam redditionem. *Rebellus.*

Tenetur autem coniux alteri copulam exigenti reddere sub mortali, quia copula est res grauis; erit tamen solùm veniale, quando non sæpè, sed vna aut altera vice negatur, & quando negatur exigenti remissè, & quando non tam negatur redditio, quàm pro paruo tempore differtur; vt quando exigenti manè redditur nocte, & quando exigenti nocte redditur manè.

52 Ex dictis deducimus, coniuges teneri ad mutuam cohabitationem, & neutrum posse ab altero inuito diu absque necessitate abesse, v. g. longè peregrinando; quia id est, se pro longo tempore impotentem constituere ad reddendum debitum, quod absque necessitate efficere, est contra ius alterius. Et ob eamdem rationem vir nequit, vxore inuita, adhuc pœnitentijs se efficere notabiliter impotentem ad reddendum, quod Sancius disp. 3. & Basilius extendunt ad ieiunia quæ sunt sub præcepto; quia obligatio iustitiæ, qua vir tenetur, præferenda sit dicto præcepto. *Sancius. Basilius.*

Addimus (vt optimè Sancius, Caietanus v. *Ieiunium*. Armilla num. 4. Nauarrus cap. 21. num. 16. Ledesma par. 2. Quarti, quæst. 16. art. 2. dub. 7. Sà v. *Ieiunium*. num. 9.) vxorem excusari à ieiunio Ecclesiastico, si ieiunando redditur ita pallida aut deformis, vt ob id non satis placeat viro, & ab eo minùs ametur quàm par sit: quia defectus amoris viri erga vxorem, vtpote valdè necessarij ad pacificè traducendam vitam, est feminæ damnum non leue, cum quo non tenetur ad obseruationem huius præcepti Ecclesiastici. *Sancius. Caietanus. Armilla. Nauarrus. Ledesma. Sà*

DIFFICVLTAS XII.

Quibus excusetur coniux à redditione debiti.

53 CONueniunt Primò Doctores, coniugem excusari ab obligatione reddendi, quando ipsi ex redditione imminet probabile periculum damni notabilis in salute corporali. Ita Sancius lib. 9. d. 24. & Ægidius disp. 34. dub. 3. quia rectus ordo naturæ exigit, vt priùs consulatur incolumitati proprij individui, quàm generationi prolis. Quod verum est, etiamsi exigenti immineat periculum incontinentiæ, vt contra nonnullos aduertunt Sancius & Ægidius, quia cum tanto detrimento non tenetur vitare peccatum alterius. Id quoque verum est, quamuis dictum periculum damni corporalis immineat ex morbo alterius valdè diuturno & perpetuo, vt ex lepra, aut ex morbo Gallico, *Sancius. Ægidius. Sancius. Ægidius.*

Sancius. Ægidius. Gallico, vt contra non paucos docent Sancius & Ægidius, quia quamuis licitè possit reddere, non tamen ad id obligatur cum tanto detrimento, nisi quando ante matrimonium præcedit morbus, & cognoscitur à sano, quia tunc eo ipso quòd contrahit matrimonium, censetur obligari ad reddendum, non obstante eo periculo. Et in hoc casu est

54 verum, quod dicitur in cap. 2. de Coniugio leprosorum, nempe sanum teneri ad reddendum coniugi leproso; & etiam quando lepra aduenit aut cognoscitur post matrimonium, quando ex redditione non imminet sano infectio, vt sæpè potest contingere, quòd non immineat ex vno aut ex altero coitu.

Conueniunt Secundò Doctores, coniugem non excusari ab obligatione reddendi, ex eo quòd plures filij nascantur. Ita Sancius disp. 29. & Ægi-
Sancius. Ægidius. dius vbi suprà; quia cùm matrimonium ordinetur ad multiplicationem prolis, absurdum est, ab eius obligatione excusari ne proles multiplicetur; excusabitur tamen saltem à mortali, quando non existente periculo incontinentiæ in altero, parentes non sufficiunt ad tot filios alendos, vt contra Rebellum lib. 2. quæst. 16. sect. 1. & Ægidium vbi
Sancius. suprà, docent Sancius & alij; quia mirum non est, incommoditatem magnam alendi filios eximere ab obligatione reddendi debitum; sicut etiam incommoditas magna restituendi, eximit ab obligatione restituendi.

55 Est tamen difficultas, An coniux excusetur à reddendo ratione amentiæ coniugis exigentis, etiam quando ei potest licitè reddi, iuxta ea quæ diximus Difficultate 111.

Nauarrus. Vera-cruz. Nauarrus cap. 26. num. 27. & Vera-cruz 1. par. Speculi art. 41. docent, non excusari: quia coniux, adhuc amens, retinet dominium in corpore alte-
Sancius. Ægidius. rius. Sancius verò lib. 9. disp. 22. & Ægidius disp. 34. dub. 9. docent, excusari, & meritò: quia quamuis amens retineat dominium, dominio tamen & luri naturali matrimonij tantùm correspondet obligatio reddendi ei qui exigit vt homo est (quia exigenti dormienti non est reddendum) amens autem non exigit vt homo. Erit tamen obligatio, si ex defectu redditionis accessurus sit ad aliam, aut se polluturus sit; quia ratio exigit, vt valdè egenti debito, sibi reddatur, quamuis non petat vt homo, quia non potest.

Quomodo verò coniux adulterio alterius excusetur à reddendo, imò aliquando impediatur, dicemus Disputatione XI.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm coniugi illicitè petenti possit reddi.

SVpponimus, quando exigenti est actus coniugalis licitus, ei esse reddendum; in quo nulla est difficultas, sed tantùm quando ei est illicitus.

Circa quam conueniunt Doctores, quando actus coniugalis, qui exigitur, est illicitus exigenti ratione alicuius circumstantiæ, se tenentis immediatè ex parte ipsius actus, vt quando exigitur cum periculo aborsus, tunc sic illicitè exigenti, id est exigenti actum illicitum, non posse licitè reddi; quia tunc actus coniugalis, qui exigitur, est absolutè & ratione sui illicitus; ac proinde illicitus exigenti & alteri, & ideò iste alter nequit reddere, sicut neque alter exigere.

Est tamen difficultas, An quando actus coniugalis est illicitus exigenti ratione alicuius circumstantiæ ipsius exigentis, vt ratione finis mali ab ipso intenti, aut ratione voti castitatis ab ipso emissi, possit ipsi reddi.

Sancius lib. 9. disp. 6. & Ægidius disp. 34. dub. 4. docent, tunc ei reddi posse; quia tunc actus tantùm est illicitus exigenti, non alteri reddenti; ergo poterit à reddente licitè exerceri. Alij verò contrà docent, non posse licitè reddi; quia tunc reddens cooperatur peccato exigentis.

Nos tamen (vt optimè Basilius lib. 9. cap. 3. exist.) existimamus, quando exigens illicitè, exigit illicitè ratione alicuius quod iam, quando illicitè exigitur, non subest libertati exigentis, vt se possit ab eo liberare, vt quando exigit illicitè quia antea emisit votum, aut quia anteà contraxit affinitatem cum coniuge, quia cognouit personam consanguineam coniugis, sic illicitè exigenti nō posse licitè reddi; quia id esset cooperari actui, qui iam exigenti non potest non esse peccatum: illicitè verò exigenti ratione alicuius, quod, quando exigitur, subest libertati exigentis, vt ratione finis intenti, aut defectu finis qui debuit apponi, posse licitè reddi; quia id non est cooperari intentioni finis, aut defectui intentionis debitæ, sed actui, quem exigens adhuc post petitionem potest efficere bonum; & alter reddendo non inducit ipsum scandalizat actiuè, sed exigens scandalizatur passiuè; ob quod non sunt dimittenda quæ aliàs sunt sub præcepto, qualis est redditio debiti coniugalis.

DISPV-

DISPVTATIO XI.

De Diuortio.

1 DE Diuortio, sumpto pro dissolutione matrimonij quoad vinculum, quod repudium appellatur, diximus Disputat. VIII. In præsenti verò Disputatione agimus de diuortio sumpto pro separatione coniugum quoad torum & cohabitationem, vinculo ipso perseuerante.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm vnus coniux ob adulterium alterius possit ab eo separari quoad vinculum.

2 ERror fuit quorumdam Græcorum (in quo etiam sunt hæretici nostri temporis, & in quo etiam nonnulli Catholici fuerunt) coniugem ob adulterium alterius posse matrimonium quoad vinculum dissoluere, & aliud inire. Quod supponere videtur Christus Matth. 19. dum ait: *Quicumque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* vbi supponere videtur, ob adulterium posse vxorē dimitti, & aliam duci; quia particula *nisi* est exceptiua, & exceptiuè sumitur, qua, aliis causis exclusis vt insufficientibus ad id, admittitur fornicatio vt sufficiens. Quòd autem exceptiuè sumatur, satis deducitur ex Matth. 5. vbi similis sententia habetur cum exceptione fornicationis, his verbis: *Qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.*

Veritas tamen Catholica est, coniugem ob adulterium alterius non posse ab eo quoad vinculum separari. Ita definitur ab Alexandro III. in c. *Ex parte.* 9. de Sponsalibus, & in Concilio Florentino in Instructione Armenorum, & in Tridentino sess. 24. can. 7. quod etiam Ecclesia perpetuò sen-
Bellarmin. sit ac tenuit, vt ostendit Bellarminus 1. de Matrimon. c. 16. & deducitur ex Paulo 1. ad Cor. 7. dum ait: *Præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere. quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* vbi (vt aduertit Augustinus 1. de Adulterinis coniugiis, à cap. 1.) Paulus in prioribus verbis, quando ait, *vxorem à*
3 *viro non discedere,* loquitur de discessione absque iusta causa, quam Christus Matth. 19. dixit esse fornicationem, & non aliam; in posterioribus verò, quando ait, *quòd si discesserit,* loquitur de discessione iusta ob fornicationem, aliàs non daret optionem vxori, vt post discessionem vel maneret innupta, vel viro suo reconciliaretur; sed potiùs iuxta dictum Domini præceptum cogeret, vt ad virum iniustè relictum rediret: ergo si vxor à viro adultero discedens debet esse innupta, matrimonium non dissoluitur per adulterium.

Quod etiam ratione probatur: quia ex vna parte matrimonium ex sua natura est indissolubile, & ex altera concessio diuina Deut. 24. qua à Iudæis dissolui poterat libello repudij, iam cessauit, non solùm quia morte Christi generaliter tota lex diuina positiua cessauit, sed etiam quia specialiter concessio illa fuit à Christo in totum reuocata Matth. 19. vt definitum est in cap. *Gaudemus.* 8. de Diuortiis, & constat ex contextu. Et quamuis in Pontifice sit specialis & extraordinaria facultas, ex commissione Christi, ad dissoluenda matrimonia rata baptizatorum ex rationabili causa; de facto tamen non decreuit ea per adulterium dissolui, neque expediebat; ergo absque fundamento, & contra naturam matrimonij dicitur, posse de facto ob adulterium dissolui.

In eo autem testimonio Matth. 19. *Quicumque* 4
dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur, ab aduersariis adducto, quamuis particula *nisi* exceptiuè sumatur, non supponitur, posse dissolui matrimonium ob adulterium; quia particula *nisi* tantùm refertur & cadit supra verba præcedentia, in quibus tantùm est sermo de dimissione quoad torum & cohabitationem: nempe *quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationē*; & significatur non posse iustè fieri in perpetuum, nisi ob fornicationem; & ideò qui absque causa fornicationis dimittit vxorem in perpetuum, dicitur mœchari, id est, facere vxorem mœchari, vt dicitur Matth. 5. quia ea dimissione est vxori occasio adulterandi, quod marito imputatur, quia iniustè dimittit eam in perpetuum. Nihilominùs Pha- 5
risæis interrogantibus de dimissione quoad vinculum, respondet negatiuè posterioribus verbis eiusdem testimonij: quia dimissio quoad vinculum includit dimissionem quoad torum & cohabitationem, & potestatem ineundi aliud matrimonium; & Christus Dominus vnum ab alio seiungens, priùs concessit ex causa fornicationis, & posterius, nempe potestatem ineundi aliud, negauit absolutè, & absque limitatione, ita vt sensus sit: quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & quia eam in perpetuum dimittit iniustè, quo ei præbet occasionem adulterandi, & quia aliam ducit consummatè.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm ob adulterium possit fieri Diuortium quoad torum & cohabitationem.

COnueniunt Doctores, maritum ob adulte- 6
rium vxoris posse eam dimittere à suo toro & cohabitatione, vt constat ex Matth. 5. & 19. & ex cap. *Significasti.* 4. & ex cap. *Ex litteris.* 5. & ex cap. *Gaudemus.* 8. de Diuortiis. Hæc autem facultas & licentia dimittendi vxorem ob adulterium, conuenit ei Iure naturali seu ex natura matrimonij, supposito adulterio (vt contra Castro 2. de Lege pœnali, cap. 4. dicentem, ei tantùm conuenire Iure diuino positiuo, aduertunt Sancius li- *Sancius.*
bro 10. disp. 3. Henriquez lib. 11. cap. 18. Ægi- *Henriq.*
dius disp. 35. dub. 1. & Basilius lib. 9. c. 16.) quia *Aegidius.*
frangenti fidem, vt frangit adulter, non est seruanda fides. *Basilius.*

Et ob hanc rationem etiam vxor potest separari à marito adultero, vt contra Caietanum super c. 19. Matthæi docent reliqui Doctores, & expressisse videtur Paulus 1. ad Cor. 7. dum ait: *His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere* (subintellige, absque iusta causa) *quòd si discesserit* (subintellige, ex

causa iusta) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* vbi supponit Paulus, vxorem posse iustè à marito discedere, cùm non cogat vxorem, quæ à marito discessit, ad eum redire, imò ei optionem concedat aut redeundi, aut continenter viuendi. Quòd si potest ob causam aliquam iustam discedere, absque dubio poterit ob adulterium, quo ipsi frangitur fides matrimonij: vxor enim & maritus pares sunt quoad obligationem seruandi fidem.

7 Et ob eamdem rationem coniux potest ab altero discedere, quoad torum & cohabitationem, ob sodomiam aut bestialitatem (vt contra Abulensem & Palacios docent Sancius lib. 10. disp. 4. & communiter Doctores) quia per sodomiam aut bestialitatem non minùs frangitur fides coniugi, quàm per copulam naturalem. *Sancius.*

Per tactus verò impudicos nequit coniux ab altero separari, vt contra nonnullos docent Sancius, Ægidius & Basilius, quia durum est, vt ob iniuriam & infidelitatem imperfectam & incompletam (qualis fit per tactus) sic iniuriatus, censeatur exemptus à multò maiori debito, quale est cohabitandi & reddendi perfectam copulam, sed ad summum, à simili debito quoad tactus, quibus iniuriatus est. *Sancius. Aegidius. Basilius.*

8 Et ob hanc rationem, vt Sancius aduertit nu. 3. copula siue naturalis siue sodomitica, absque seminis intromissione, non videtur sufficiens ad diuortium; quia absque ea non est completa iniuria; benè tamen immissio seminis intra vas, etiam absque copula, si absque ea fieri possit; quia esset iniuria completa, vtpote sufficiens ad consummandum matrimonium, & vt coniuges fiant vna caro. *Sancius.*

DIFFICVLTAS III.

In quibus casibus adulterium non sufficiat ad Diuortium.

9 COnueniunt Primò Doctores, adulterium non sufficere ad diuortium, quando ab vtroque coniuge commissum est, vt constat ex c. *Significasti.* 4. de Diuortiis, quia iniuria vni facta, compensatur iniuriâ ab eo alteri factâ, & econtrà, quoad auferendum ius discedendi. Quòd verò vnus vnum tantùm si commiserit, & alter plura, non sufficit, vt qui vnum tantùm commisit, possit diuertere ab altero (vt contra quosdam recentiores aduertunt Sancius lib. 10. disp. 6. & Ægidius disp. 35. nu. 12.) siue qui plura commisit, ea commiserit post alterum, siue ante illum: quia pares sunt quoad hoc, quod est esse infideles, & dedisse causam sufficientem ad diuortium; ac proinde causa & infidelitas vnius, etiam qui pluries adulterauit, compensatur causa & infidelitate alterius, etiam qui semel tantùm. Et ob eamdem rationem, quòd vnus secretò adulterauerit, & alter publicè, non sufficit, vt qui secretò, possit à publico adultero diuertere; quia æquales sunt quoad hoc, quod est esse fidei fractores, & dedisse causam sufficientem diuortij. *Sancius. Aegidius.*

10 Quòd autem vnus sit emendatus, & alter persistat in adulterando, non sufficit vt emendatus possit diuertere ab eo altero (vt contra Antonium & Paludanum docent Petrus Ledesma q. 62. art. 1. dub. 2. & Basilius lib. 9. cap. 17.) quia emendatio non extinguit iniuriam alteri illatam, ac proinde manet dignus vt ei numquam seruetur fides. Quod etiam est verum (vt contra Sancium & Ægidium aduertit Basilius) quamuis emendatus admoneat, seu inducat alterum ad emendationem & ad reconciliationem; quia ea inuitatione non extinguitur iniuria inuitato illata; quia ea inuitatio seu inductio non est satisfactio pro illa. *Petrus Ledesma. Basilius.*

Obseruandum tamen est Primò (in quo conueniunt Doctores) quòd si post adulterium vtrumque, aut vnius tantùm, ipsi reconcilientur, quicumque ex illis, qui post reconciliationem adulterer, potest ab altero dimitti; quia adulterium post reconciliationem commissum nequit dictâ præteritâ iniuriâ, vtpote per reconciliationem remissâ, compensari.

Obseruandum est Secundò, quòd si innocens post factum diuortium adulteret, tenetur alterum iterùm admittere, vt contra Sancium disp. 9. Rebellum lib. 2. quæst. 18. docent Antoninus 3. part. tit. 1. c. 11. & Ægidius dub. 2. quia iniuria sibi facta sufficienter compensatur per adulterium posteà à se commissum contra alterum; quod verum est, quamuis diuortium factum fuerit sententiâ Iudicis, & quæ transierit in rem iudicatam; quia etiam post sententiam innocens adulterando infert iniuriam coniugi dimisso, qua iniuria ipsi innocenti facta à dimisso compensatur, & consequenter ius anteà innocentis persistendi absque altero cessat; innocens enim sententiâ illâ non acquisiuit ius adulterandi, sed declaratum fuit quòd habebat ius diuertendi ab adultero.

Secundò conueniunt Doctores, adulterium vxoris non sufficere ad diuortium, quando à viro prostituitur ad id, vt constat ex c. *Discretionem.* 5. de Eo qui cognouit consanguineam, quod verum est, quamuis vxor non coacta, sed consentiens prostituatur à marito, vt contra Richardum & Astensem docent Sancius, Aegidius, Basilius, & cõmuniter Doctores, & deducitur ex dicto c. *Discretionem*, dum additur, *præsertim inuitam*; quia eo addito supponitur, id etiam esse verum, quando non prostituitur inuita: ideò autem, quando maritus est causa fornicationis vxoris, aut in eam consentit, nequit ab vxore diuertere, non quia tunc vxor non inferat iniuriam marito (quia verè ei, quamuis consentienti, infert, quia coniux nequit cedere iuri quod habet vt alter nõ fornicetur, quia ius hoc non habet absolutè, sicut habet in aliis materiis, sed in fauorem generationis, cui potissimùm nocet fornicatio cum alio) sed quia æquum non est, vt obiiciat vxori adulterium factum consentiente ipsius, & vt ob id debitum neget. Censetur autem consentire, quoties potens prohibere non prohibet, si non habeat iustam causam ad non prohibendum; non tamen censetur consentire, aut esse causa adulterij vxoris, quamuis ei occasionem remotam tribuat, negando videlicet debitum, aut ei necessaria, aut eam à domo eiiciendo, si non efficiat ex intentione quòd adulteret, vt deducitur ex c. *Significasti.* 4. de Diuortiis, & docent communiter Doctores. Et ob dictam rationem vxor, quæ maritum inducit ad adulterium, & in id consentit, nequit ab eo diuertere; quia scilicet æquum non est, vt tunc obiiciat adulterium marito, & ob id ei debitum neget.

Tertiò conueniunt Doctores, coniugem non posse ab altero coniuge adultero separari, quando adulter verè excusatur à culpa adulterij, vt quando adulter bona fide credens coniugem obisse, fornicatur; aut quando bona fide accedit ad alterum,

num, existimans esse proprium, & quando omnino coactè opprimitur ab alieno: quia tunc nullam formalem iniuriam infert, neq; committit formale adulterium. Addidimus in vltimo casu, *omnino coactè*; quia si nō omnino coactè opprimatur, quamuis cogatur metu graui, potest à coniuge dimitti, vt contra Siluestrum, Rosellam & Armillam docent Sancius disp. 5. Ægidius & Rebellus, quia nullo metu excusatur à culpa adulterij.

Sancius. Aegidius. Rebellus.

Quartò conueniunt Doctores, coniugem non posse ob adulterium discedere ab adultero, quando ei remisit iniuriam, quia remissione cedit iuri suo discedendi, quæ fieri potest aut expressè, vt quando expressè affirmat se remittere; aut tacitè, vt quando coniux conscius adulterij, liberè accedit ad adulterum: quia tunc accessus videtur sufficiens signum externum remissionis. Quòd si accedat ignarus adulterij, aut non omnino liberè, sed causâ redimendæ alicuius vexationis, non censetur remittere, quia tunc accessus non est sufficiens signum remissionis.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm maritus teneatur dimittere vxorem adulterantem, & persistentem in adulterando.

14 SVpponimus, maritum non teneri deserere vxorem adulteram iam emendatam: quærimus tamen, An teneatur, quando non est emendata, sed in adulterando persistit.

Non pauci neque indocti existimant, ad id teneri (imò ad id teneri sub mortali, exprimunt Petrus Ledesma q. 62. ar. 2. concl. 2. & Ouandus in 4. distinct. 35. q. vnic.) quod exprimi videtur in c. *Si vir.* 3. de Adulteriis. dum dicitur: *Si vir sciens vxorem suam deliquisse, & in fornicatione permanere, cum ea viuat, reus erit, & peccati particeps.* & deduci videtur ex illo Prouerb. 18. *Qui autem tenet adulteram, stultus est, & insipiens.*

Petrus Ledesma. Ouandus.

15 Sancius verò lib. 10. disp. 13. & Ægidius disp. 35. dub. 3. docent, maritum non teneri (nisi forsan rarissimè) quamuis vxor persistat in publicè adulterando, & meritò: quia non tenetur ratione adulterij, quia id potest ei remittere, vt dicitur in c. *Quæ admodum.* 25. de Iureiurando; neque ratione correctionis fraternæ, quia huic obligationi satisfaciet, eam admonendo, & moderatè prout potest puniendo: quia vxorem dimittere, est medium viro nimis incommodum, ad quod ratione correctionis non tenetur; quia sic tenebitur cælebs viuere, & solus domum regere, & eius infamia manifestior fiet; imò id vxori est periculosius, quia vxor, quæ sæpè reprehensa & punita non emendatur, liberiùs viuet, si dimittatur: neque tenetur ratione vitandi scandali, quòd erit suspicandi ipsum conniuere & patrocinari adulterio vxoris, si cum ipsa inhonestè viuente cohabitet, quia ad id vitandum non tenetur cum dicto incommodo, cùm ad id sufficiat quòd ita reprehendat, puniat, & custodiat, vt id intelligāt vicini. vnde quod dicitur in dicto c. *Si vir.* & Prou. 18. tantùm intelligitur, quādo vir pacificè & quietè cohabitat cum dicta vxore.

Sancius. Aegidius.

16 Addidimus, non teneri, nisi forsan rarissimè: quia quando dimissio sit apta ad emendationem absque inconueniente, aut ad vitandam dictam suspicionem, & marito non sit valdè incommoda, & non sit aliud medium sufficiens ad emendationem, & ad suspicionem vitandam (quæ rarissimè coniungentur) tenetur eam dimittere.

Ex dictis constat, vxorem multò minùs teneri ad dimittendum maritum adulterum in adulterando persistentem, quia neque ratione adulterij, vt patet; neque ratione correctionis fraternæ, quia ea dimissio est maximè incommoda vxori, imò non est apta ad emendationem mariti; neque ratione vitandi suspicionem consensus vxoris, quia rarò præsumitur vxorem consentire, & quando id præsumatur, facilè poterit huic præsumptioni aliis mediis occurrere.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Diuortium fieri possit ob alias causas ab adulterio distinctas.

RAtio difficultatis pro parte negatiua desumitur ex Christo Matth. 5. & 19. dicente, non posse vxorem dimitti nisi ob fornicationem. 17

Nihilominùs Catholici contra hæreticos conueniunt, coniugem posse ob alias causas ab altero quoad torum & cohabitationem separari (ita definitur in Tridentino sess. 24. can. 8. & constat ex cap. *Ex transmissa.* 8. & ex c. *Literis.* 13. de Restitutione spoliatorum) sed non in perpetuum, vt fieri potest ob fornicationem, quod Christus docuit Matth. 5. & 19. sed tantùm ad tempus, dum causæ ipsæ durauerint.

Est ergo difficultas, Ob quas alias causas fieri possit dicta separatio.

Conueniunt Doctores, coniugem posse separari ab altero, quando nequit cohabitare cum illo sine graui animæ periculo: imò communiter conueniunt, posse ab eo separari, quando nequit cohabitare cum eo absque graui corporis periculo. Ita Sancius lib. 10. disp. 15. & Aegidius dist. 35. dub. 4. Quod deducitur ex dictis capp. & ratione constat, quia ratio non exigit, vt cum tanto detrimento obligationi cohabitandi satis fiat, ac proinde Iure naturali separari licet. Vnde cessante dicto periculo, recurrendum est ad cohabitationem, quia ob illud tantùm excusabatur coniux à cohabitatione.

Sancius. Aegidius.

Ex quo constat Primò, coniugem posse separari ab altero, quando ab eo prouocatur ad peccandum mortaliter, & admonitus non desistit à prouocando, in quo Doctores conueniunt. 18

Secundò constat, coniugem posse separari ab altero qui labitur in hæresim, aut in apostasiam, dum non reducitur; in quo etiam Doctores conueniunt, & constat ex cap. *De illa.* 6. de Diuortiis, quia semper ex cohabitatione cum eo perseuerante in hæresi, aut in apostasia, est periculum aliquod infectionis, nisi quis magna cura procedat, ad quam non tenetur, vt non separetur ab eo.

Tertiò constat coniugem posse ab altero separari, quando ob sæuitiam illius timet ab eo graue aliquod malum, quod virum constantem terreat: in quo Doctores conueniunt, & deducitur ex cap. *Ex transmissa.* & ex c. *Literas.* quod est verum, quamuis coniux timens dederit occasionem graui malo quod timet; quia coniux, adhuc vir, nequit iustè alteri tantum malum inferre, etiam ob grauissimam culpam.

Quartò constat, coniugem posse ab altero separari, quando ob eius furiam timet graue aliquod malum, in quo etiam Doctores conueniunt. Et idem est, quando ob morbum contagiosum illius 19

timet infectionem, vt aduertunt Sancius & Ægidius.

Quintò constat, coniugem posse ab altero, quando veneficus est, separari, vt aduertunt Sancius & Ægidius, quia venefici sæpè etiam coniunctissimis grauiter nocent, vtpote qui dæmonis consilio aguntur.

Obseruandum tamen est (vt aduertunt communiter Doctores) in nullo casu ex dictis posse per se fieri separationem in perpetuum, sed tantùm quamdiu durat dictum periculum (quod potest in perpetuum durare) quia tantùm ob periculum excusatur coniux à cohabitatione cum altero, ac proinde eo periculo cessante, reuerti debet ad cohabitationem.

20 In hæresi tamen dispositione peculiari cap. *De illa.* decernitur, vt innocens, iudicio Ecclesiæ separatus ab hæretico ob hæresim, non teneatur postea admittere hæreticum, quamuis iam emendatum. Cui non obstat, quòd Matth. 5. & 19. dicitur, coniugem non posse dimitti (subintellige, in perpetuum) nisi ob fornicationem; quia ibi tantùm agitur de dimissione, quæ Iure naturali, attentâ naturâ matrimonij, fieri potest, quia eâ attentâ, nequit in perpetuum fieri, nisi ob fornicationem, qua fides matrimonij violatur; id tamè non tollit quin à Iudice possit, ob hæresim, in huius pœnam, tribui alteri licentia in perpetuum dimittendi hæreticum.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm ad Diuortium necessaria sit Iudicis auctoritas.

21 NOn pauci, neque indocti docent (& benè) ad dimissionem coniugis quoad torum & cohabitationem, vt licitè fiat, non esse necessariam Iudicis auctoritatem (adhuc ratione sæuitiæ, quidquid dicat Basilius cap. 23. nu. 7.) quando est moralis certitudo causæ sufficientis, nisi fortè, quando aliquando sit necessaria ad vitandum scandalum, quod ex dimissione oriri possit. Ita Sancius lib. 10. disp. 12. Henriquez lib. 11. c. 17. Rebellus lib. 2. q. 17. & Ægidius disp. 35. nu. 2. Quod deducitur ex Can. *Dixit Dominus.* 32. q. 2. dum dicitur: *Vbicumque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur vxor.* Vbi *liberè* idem est, quod, absque alicuius licentia, aut sententia. Quod etiam supponit Christus Matth. 19. dum absolutè supponit, licitam esse dimissionem vxoris ob fornicationem. Et ratione constat, quia ex vna parte dimissio quoad torum & cohabitationem, nullo Iure positiuo prohibetur fieri absque licentia Iudicis, quamuis in cap. *Porro.* 3. de Diuortiis, prohibita sit fieri quoad vinculum absque iudicio Ecclesiæ, quamuis impedimentum sit notorium; & ex altera parte dimittens vtitur iure suo, absque perturbatione Reipublicæ.

Basilius.

Sancius. Henriquez. Rebellus. Aegidius.

22 Ex dictis constat, ob adulterium, quod publicè est notorium, posse diuortium licitè fieri propria auctoritate, cùm tunc non sit scandalum; quia constat non fieri absque causa sufficienti; imò etiam ob adulterium secretum, dum occurratur scãdalo, vt fiet, si vir migret in Prouinciam, vbi matrimonium ignoratur: quia Iudicis auctoritas tantùm est necessaria ad vitandum scandalum, quando absque ea non vitatur. quia tamen negatio debiti fieri potest absque scandalo, ideò quando moraliter constat de causa sufficiente, quamuis occulta, fieri potest priuata auctoritate. In foro tamen externo seu iudiciali non permittitur dimissio auctoritate priuatâ facta, sed vxor si dimissa sit, & restitutionem petat, fiet restitutio, nisi quando adulterium est notorium, vt constat ex cap. *Significasti.* 4. de Diuortiis, & non quando non est notorius, quamuis statim offeratur probatio parata, vt optimè Couarruuias 4. Decret. 2. p. c. 7. §. 5. Nihilominùs, vt aduertunt Sancius & Ægidius, coniux moraliter certus de adulterio alterius coniugis, non tenetur obedire Iudici, adhuc sub excommunicatione præcipienti redditionem debiti; quia tunc præceptum fundatur in falsa præsumptione in casu singulari: imò neque præcipienti cohabitationem, si absque scandalo possit non obedire, vt contingeret, si se contulerit ad longinqua.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm coniux adulter possit ab altero coniuge innocente exigere debitum, & compellere ad cohabitationem.

COnueniunt Doctores, non posse, nec per libidicem, nec priuatim, quando innocens est moraliter certus de adulterio; quia cùm ipsi fides violata, non tenetur ad reddendum, nec ad cohabitandum.

Est tamen difficultas, An possit, quando innocens non est moraliter certus.

Sancius & Ægidius existimant posse, quia priuatio iuris petendi & cohabitandi, est pœna, quæ absque auctoritate Iudicis aut coniugis innocentis infligi nequit; innocens autem, quamdiu non est moraliter certus, nequit illam infligere.

Rebellus verò vbi suprà, & Caietanus existimant non posse, & meritò: quia priuatio iuris proximi petendi & cohabitandi, non est pœna, sed est effectus violationis fidei fractæ in adulterio; quia violanti fidem non est debita fides, ac proinde eo ipso quòd est adulterium, quamuis non sit notitia illius, neque sit inflictio aliqua in pœnam, non est obligatio in innocente reddendi neque cohabitandi: ergo iniquè ab eo exigetur vt debitum, & ad id compelletur.

Et ob eamdem rationem, qui patitur, aut habet aliquam aliam causam ex supradictis sufficientem, vt alter non reddat aut non cohabitet cum ipso, vt quando ex redditione debiti aut ex cohabitatione imminet alteri graue periculum animæ aut corporis, non potest alterum cogere ad id, quamuis iste alter ignoret illam causam, quia scilicet priuatio dicti iuris proximi non est pœna, sed effectus, seu quasi effectus dictæ causæ sufficientis.

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm coniuges post Diuortium possint Religionem ingredi, aut omnimodam castitatem vouere.

COnueniunt Doctores, coniugem innocentem post diuortium iustè factum ob adulterium, posse in foro conscientiæ, adhuc altero inuito, non solùm omnimodam castitatem vouere, sed etiam Sacris initiari, & Religionem ingredi; quia tunc innocens ita est in perpetuum solutus ab altero

tero quoad torum & cohabitationem, ac si alter esset mortuus; imò tunc alter non tenetur ingredi Religionem, vt deducitur ex cap. 15. & 16. de Conuersione coniugatorum. Quòd si innocens ante professionem fornicetur, reuerti debet ad alterum coniugem; quia ex vna parte iniuria, quam alter intulit innocenti, ipsius innocentis fornicatione compensatur, & ex altera innocens nondum habet statum incompossibilem cum statu maritali.

26 Addimus, adulterum, etiam post diuortium, non tantùm absque Iudice factum, non posse innocente inuito ad Religionem, aut ad sacros Ordines transire, in quo Doctores conueniunt, sed etiam post diuortium à Iudice factum, vt contra Nauarrum & alios docent Sancius lib. 10. disput. 10. & Ægidius dub. 5. quia dicta separatio, etiam quando fit à Iudice, fit in fauorem innocentis, cui per adulterium illata est iniuria, & deobligatus est à reddendo debito, & à cohabitãdo, non verò in fauorem nocentis, quia iste non deobligatur; ac proinde quoties innocens velit, alter est ad ipsum reuocandus. Quod intelligimus verum, quando innocens non vult, nocentem mutare statum, quia non sit certus, quòd ipse non mutabit animum; quia si certus & fixus sit, poterit nocens ad statum incompossibilem transire, quia tunc innocens non esset rationabiliter inuitus.

Nauarrus. Sancius. Ægidius.

27 Et idem dicendum est, quando coniuges iudicio Ecclesiæ sunt ob hæresim separati, quod scilicet innocens possit inuito hæretico, quamuis iam emendato, transire ad statum matrimonio incompossibilem, ob rationem dictam; quia scilicet innocens est in perpetuum solutus à toro & cohabitatione cum illo, & quòd hæreticus non possit, nisi in supradicto casu, ob eamdem omnino rationẽ.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm coniuges possint mutuo consensu diuortium facere.

28 CErtum est, coniuges ex mutuo consensu posse toro separari, aut ad tempus, aut in perpetuum (nisi eis ex separatione periculum incontinentiæ immineat, & ei aliter non occurrant) quia nullo Iure obligantur ad id; imò & posse continentiam vouere, quamuis neuter Religionem ingrediatur. Nihilominùs ob periculum incontinentiæ, quod ex mutua cohabitatione eis potest immineré, non expedit id vouere, nisi post maturam deliberationem, & experientiam longam, qua experti sint, posse absque notabili periculo ita viuere.

Est ergo difficultas, An etiam possint à toro & cohabitatione separari.

Circa quam conueniunt Doctores, neutrum 29
posse Religionem ingredi, nisi vterque ingrediatur, vt exprimitur in cap. *Cum sis.* 4. & in c. *Vxoratus.* 8. de Conuersione coniugatorum, vbi excipitur, posse marium ingredi non ingrediente vxore, quando vxor est senex, & non suspecta de incontinentia, si castitatem voueat: nullibi tamen excipitur, posse vxorem ingredi non ingrediente marito, quamuis prouectæ ætatis, & potentis manere in sæculo absque periculo; & ideò Basilius absque fundamento excipit, quòd id possit vxor in casu dicto.

Permittitur autem coniugibus, vt voueant castitatem manentes in sæculo, & non permittitur, quòd vnus ingrediatur Religionem, altero non ingrediente, nisi in casu dicto; quia quamuis in priori casu sit maius periculum accedendi, quàm si vnus esset Religiosus, tunc tamen si adsit periculum incontinentiæ, dispensatio in voto est facilis, & non in professione Religiosi. 30

Vt tamen vir possit ad sacros Ordines promoueri, sufficit, vt contra Sancium lib. 7. disp. 39. & *Sancius.*
contra Ægidium docent Nauarrus & P. Sà, si ab vxore, castitatem in sæculo vouente, absoluatur à debito tori & cohabitationis; quia in c. *Coniugatus.* 8. de Conuersione coniugat. id tantùm requiritur. Quòd verò in can. *Episcopus.* dist. 77. dicatur requiri promissionem Religionis, non obstat; quia præterquàm quòd hic canon est Concilij Agathensis, quod non fuit generale, nomine Religionis non incongruè intelligitur castitas, vt exponit Glossa.

Addimus, coniuges, saluo scandalo, & incontinentiæ periculo, posse ex mutuo consensu quoad torum & cohabitationem separatos viuere, vt nonnullos sanctos coniuges vixisse refertur; quia ad neutrum tenentur iure aliquo, naturali aut positiuo.

DISPVTATIO XII.

De impedimentis in communi.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm sit potestas humana ad inducenda impedimenta Matrimonio.

1 IMPEDIMENTVM ad matrimonium est duplex, vnum impediens tantùm, & alterum dirimens. Impediens tantùm dicitur, quo efficitur, vt matrimonium illicitè contrahatur, sed non inualidè: impedimentum verò dirimens dicitur, quo efficitur, vt matrimonium inualidè contrahatur.

Supponimus ergo, in quo nulla est difficultas, esse potestatem humanam ad statuenda impedimenta tantùm impedientia, id est, ad prohibendum fieri matrimonium, non minùs quàm ad prohibendam celebrationem aliorum contractuum, & administrationem & susceptionem aliorum Sacramentorum.

Est tamen difficultas, an sit potestas humana ad 2
statuenda impedimenta dirimentia, seu irritantia matrimonia contrahenda. Ratio difficultatis pro parte negatiua est Primò, quòd contractus matrimonij est de Iure naturali, ergo nequit humano Iure inualidari. Secundò, quòd non est potestas humana ad mutandas essentias Sacramentorum; ergo neque ad statuenda impedimenta inualidantia matrimonium; quia eo efficeretur, vt id quod ante tale impedimentum est Sacramentum, iam post inductionem illius non sit Sacramentum.

Nihilominùs Catholici conueniunt, esse po-

testatem humanam ad id, quod definitum est in
Trident. Tridentino sess. 24. can. 3. & 4. & constat ex praxi & vsu Ecclesiæ. Quod potest ratione declarari; quia matrimonium ex ea parte, qua est contractus, potest humana potestate irritari non minùs, quàm reliqui contractus, statuendo vt matrimonium ab his aut ab illis personis, vel hoc aut illo modo factum sit nullum. Ex eo verò, quòd à Christo sit institutum & eleuatum in Sacramentum, non fit, non posse humana potestate irritari; quia ex eo tantùm fit, contractum, qui aliàs esset validus, non esse validum; & qui aliàs esset totalis materia Sacramenti seu essentia Sacramenti pro materiali, 3
non sit materia seu essentia Sacramenti: quod non est, materiam Sacramenti, aut eius essentiam pro materiali mutari; quia materia seu essentia Sacramenti est ipse contractus validus, & non contractus nullus, quæ non mutatur, quia etiam post statutum impedimentum contractus, qui est validus, est totalis materia Sacramenti, & qui non est validus, non est materia Sacramenti; mutaretur autem, si efficeretur, quòd contractus inualidus esset materia Sacramenti, & quòd validus non esset materia illius. Ex quo constat ad posteriorem rationem difficultatis.

Ad priorem verò respondemus, quòd quamuis contractus matrimonij sit de Iure naturali in eo sensu, nempe quòd ex natura rei in quolibet sit ius & facultas contrahendi matrimonium, non tamen in eo, nempe quòd ex natura rei nequeat non esse validus. Dicitur autem esse de Iure naturali concedente, aut saltem assistente & permittente, vt fiat, sed non obligante & necessitante ad id.

DIFFICVLTAS II.

In quibus sit facultas statuendi impedimenta Matrimonij.

4 COnueniunt Catholici, potestatem statuendi impedimẽta, tam impedientia tantùm, quàm
Trident. dirimentia, esse in Ecclesia, vt constat ex Tridentino sess. 24. can. 3. & 4. & ex praxi & vsu Ecclesiæ; & eam potestatem in Ecclesia tantùm extendi ad matrimonia baptizatorum, quia tantùm in eos habet iurisdictionem. Conueniunt quoque, eam esse non tantùm in Concilio generali, quod Ecclesiam vniuersalem repræsentat, sed etiam in Summo Pontifice, vtpote totius Ecclesiæ capite, vt patet ex multis Conciliorum generalium & Pontificum decretis, quibus non pauca impedimenta introducta sunt.

Est tamen difficultas Primò, An dicta potestas etiam sit in Episcopo respectu suorum subditorum.

Circa quam conueniunt Doctores, de facto saltem non esse in illo expeditam, quia antiqua Ecclesiæ consuetudine id reseruatum est Concilio generali, & Summo Pontifici.

Est ergo difficultas, An sit in eo ex vi sui muneris, quamuis consuetudine sit impedita.

Suarez tom. 5. dist. 7. sect. 4. & Ægidius disp. 30. num. 8. negant, quia Episcopus ex vi suæ ordinationis nullam habet iurisdictionem; quia quam habet, accipit à Summo Pontifice.

Sancius. Couarr. Sancius verò lib. 7. disp. 1. Couarruuias 4. Decret. 2. part. cap. 6. §. 1. & Basilius lib. 6. cap. 1. affirmant, & meritò: quia Episcopus ex vi sui officij est plenè & perfectè Pastor & princeps in sua diœcesi, quamuis subordinatus Pontifici, ergo habet plenam potestatem condendi in sua diœcesi quascumque leges, & statuendi quidquid saluti spirituali suorum subditorum expediat, & consequenter statuendi impedimenta matrimonij: vnde Episcopus dictam potestatem non accipit à Summo Pontifice, sed ex vi suæ ordinationis, & consequenter à Christo, quamuis subordinatam Summo Pontifici, ob quod potest à Summo Pontifice in partem aut in totum impediri.

Secundò est difficultas, An dicta potestas sit in Principe sæculari.

Conueniunt Doctores, de facto in Principe sæculari, baptizato saltem, non esse dictam potestatem expeditam, & id significatur in c. *Per tuam*, 4. de Ordine cogn. dum dicitur, causas natalium (ac proinde matrimoniales) ad forum Ecclesiasticum pertinere.

Est tamen difficultas, An dicta potestas sit in Principe sæculari baptizato ex vi suæ iurisdictionis & officij, quamuis de facto sit ab Ecclesia illi impedita.

Sancius lib. 7. disp. 3. Henriquez lib. 12. cap. 1. & Ægidius disp. 30. dub. 1. partem affirmatiuam tuentur; quia contractus matrimonij est ciuilis & sæcularis sicut reliqui, ergo est subditus potestati sæculari, seu ciuili, non minùs quàm reliqui.

Sotus verò in 4. dist. 42. quæst. 2. art. 2. Couarruuias vbi suprà, & Basilius lib. 6. cap. 2. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia contractus matrimonij in baptizatis ex institutione Christi desinit esse ciuilis & sæcularis, vtpote factus sacer & Sacramentum, ergo desinit esse subditus potestati ciuili seu sæculari, quam solam habet Princeps sæcularis.

Vnde Princeps sæcularis, quamuis baptizatus, non potest statuere impedimenta matrimonio baptizatorum; potest tamen matrimonio non baptizatorum, quia matrimonium horum non est sacrum.

Tertiò est difficultas, An quæcumque prohibitio matrimonij sit impedimentum dirimens. Hæc tamen difficultas est generalis circa omnes leges irritatorias, quæ disputatur in Tract. de Legibus, & de qua disputat Vasquez 1. 2 disput. 164. cui loco exactam eius disputationem remittimus: interim tamen dicimus, circa matrimonium nihil esse peculiare, sed in hac & in quauis alia materia considerandam esse verba legis; quia si in eis non contineatur decretum aliquod irritans, seu annullans, sed tantùm simplex aliqua prohibitio, tunc hæc non censebitur in materia matrimonij impedimentum dirimens, sed tantùm impediens.

Quartò est difficultas, An consuetudine possint introduci & auferri impedimenta matrimonij: quæ etiam est generalis, & generaliter etiam disputatur in Tract. de Legibus, & de ea disputat Vasquez 1. 2 disp. 177. cui loco exactam eius disputationem remittimus: interim tamen dicimus, nulla consuetudine nisi cognita & approbata, saltem tacitè, à superiore potente dicta impedimenta statuere, induci posse impedimentum aliquod; quia nulla prohibitio neque irritatio fieri potest, nisi ab habente iurisdictionem. Et etiam nulla consuetudine posse auferri dicta impedimenta, nisi cognita sit & approbata, saltem tacitè, à superiore potente illa auferre seu abrogare, nisi aliquando

quando per accidens, quando scilicet lex prohibens aut irritans, oppositа consuetudine redditur inutilis, aut impossibilis secundùm patriæ consuetudinem, quia in hoc casu dicta consuetudine per accidens cessat, etiam non approbante, imò inuito Pontifice aut Principe: quia sicut lex, vt validè feratur, debet esse vtilis bono communi, & modo dicto possibilis; ita etiam vt validè perseuerer, debet vtilis & possibilis perseuerare.

DIFFICVLTAS III.

Quot sint impedimenta Matrimonij, & quomodo obligent.

9 CIrca prius, duo genera impedimentorum communiter à Doctoribus assignantur: quædam, quæ reddunt matrimonium subsequens inualidum, ob quod Dirimentia dicuntur; alia verò, quæ matrimonium reddunt illicitum, sed non inualidum, ob quod dicuntur *impedientia* tantùm. Impedimenta dirimentia sunt quatuordecim, ex quibus duodecim sunt, aut Iure naturali, aut Iure Ecclesiastico antiquo introducta, & alia duo Iure nouo Tridentini, quæ omnia sequentibus versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, disparitas, vis, Ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptáve sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Impedimenta verò impedientia tantùm, quæ aut Iure naturali aut Ecclesiastico antiquo introducta erant, & anteà erant in vsu, duodecim enumerantur, de quibus posteà dicemus.

10 Circa posterius, quomodo videlicet impedimenta obligent (loquimur autem modò de dirimentibus) conueniunt Doctores esse peccatum mortale, contrahere matrimonium cum impedimento dirimente, quia id est quid graue, & impedimento ipso prohibitum.

Est tamen difficultas, An tunc duplex committatur peccatum mortale.

Non desunt grauissimi Doctores, qui affirmant *Ægidius.* duplex committi (in quod etiam inclinat Ægidius disp. 30. num. 18.) quia præter peccatum inobedientiæ contra Ius naturale aut Ecclesiasticum, quo impedimentum fuerit introductum, etiam reperitur peccatum sacrilegij irritationis Sacramenti contra religionem.

11 Sancius verò lib. 7. disp. 5. docet, tunc non reperiri peccatum sacrilegij, seu irritationis Sacramenti, sed tantùm vnum peccatum contra prohibitionem in impedimento inclusam, & meritò: quia tunc non irritatur Sacramentum matrimonij, quia tunc non efficitur id cui ex institutione Christi conuenit ratio Sacramenti, nempe contractus validus: ergo tunc tantùm peccatur contra prohibitionem, aut naturalem, aut positiuam in impedimento inclusam; quia impedimento dirimente non tantùm dirimitur matrimonium, sed etiam prohibetur.

Peccatum autem, quod tunc committitur, non est inobedientiæ specialis contra virtutem obedientiæ, quia nullum impedimentum dirimens prohibet, vt obediatur superiori in non contrahendo; sed est contra alias virtutes, & non semper contra eamdem; ac proinde non semper est idem secundùm speciem, sed est distinctum pro diuersitate virtutis, intuitu cuius impedimentum dirimens prohibet matrimonium. Quia quando est 12
cognatio, aut affinitas, aut iustitia publicæ honestatis, est vnum simplex peccatum incestus absque malitia fornicationis; quia tunc impedimentum prohibet, intuitu pietatis & reuerentiæ, matrimonium ordinatum ad copulam. Et quando impedimentum est disparitas cultus, est peccatum sacrilegij; quia tunc prohibet intuitu decoris & honoris nostræ Religionis. Et etiam est peccatum sacrilegij, quando impedimentum est votum castitatis, aut Ordo, vt patet. Et est peccatum mollitiei contra naturam, quando impedimentum est impotentia; quia hæc prohibet intuitu castitatis, vt reprimentis motus contra naturam. Et est peccatum iniustitiæ, quando impedimentum est conditio seruitutis ignorata, aut vis, seu metus, aut raptus, aut error personæ; & quando sunt hæc impedimenta, contra quæ peccatur peccato iniustitiæ, peccatum est in altero, nempe in contrahente cum ignorante seruitutem, aut cum persona coacta, aut cum rapta, aut cum errante personam. Et etiam est peccatum contra iustitiam, quando impedimentum est ligamen, seu priùs matrimonium perseuerans; quia tunc corpus, quod est prioris coniugis viuentis, traditur alteri, aut intenditur tradi. Et est peccatum contra iustitiam 13
vindicatiuam, quando impedimentum est crimen; quia crimen prohibet matrimonium, in pœnam seu punitionem ipsius. Et quando impedimentum est defectus præsentiæ Parochi & testium, est peccatum iniustitiæ contra coniugem qui esset; quia prohibet intuitu periculi deserendi coniugem si esset, & contrahendi cum altero.

Obseruandum tamen est, copulam inter eos, inter quos est aliquod impedimentum dirimens, non semper habere peculiarem malitiam distinctam à malitia fornicationis contra castitatem, nisi quando impedimento prohibetur matrimonium intuitu peculiaris motiui, quod in ipsa copula reperitur, vt quando copula est inter habentes impedimentum aut cognationis, aut affinitatis, aut iustitiæ publicæ honestatis, aut disparitatis cultus. Quia his personis magis est indecens copula, quam contractus, & intuitu dictæ indecentiæ eis prohibetur contractus, aut nisi quando ipsa copula ex se, supposito impedimento, habet pecu- 14
liarem oppositionem ad aliam virtutem, vt contingit in copula coniugati, seu ligati vinculo matrimonij, & etiam Religiosi & Sacris initiati, & etiam impotentis, & consanguinei in primo gradu lineæ rectæ. Quando verò copula inter impeditos non habet ex se peculiarem oppositionem ad aliam virtutem, neque impedimento prohibetur matrimonium intuitu motiui, quod in ipsa copula reperiatur, tunc non habet nisi malitiam fornicationis contra castitatem, vt copula inter eos, inter quos est impedimentum erroris personæ, aut impedimentum conditionis, aut criminis, aut coactionis.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm metus grauis excuſet à culpa contrahentem cum impedimento dirimente.

15 COnueniunt communiter Doctores, impedi-
tum, quamuis impedimento ſolo Iure Eccleſiaſtico introducto, contrahentem cum animo conſummandi, non excuſari à mortali ob metum grauem; quia metus iſte non aufert dictum impedimentum, vt eſt dirimens, ac proinde matrimonium eſt nullum, & qui intendit illud conſummare, intendit ad non ſuam accedere, quod nullo metu excuſari poteſt à culpa mortali.

Eſt tamen difficultas, An dictus metus excuſet ſic impeditum contrahentem abſque animo conſummandi.

Caietan. Valentia. Caietanus 1.2. q.96.art.1. & Valentia 1.2. diſput.7.punct.6.§.4.docent, ſic impeditum non excuſari à culpa mortali, quamuis impedimentum ſolo Iure Eccleſiaſtico dirimat, quia metus non efficit, quod impedimentum dirimens, quamuis ſolo iure Eccleſiaſtico introductum, non dirimat: ergo non efficit quin contractus ille ſit contra legem irritantem, ac proinde quin ſit malus & peccatum.

16 *Sancius. Aegidius.* Sancius verò lib.7.diſp.5. & Ægidius diſp.30. num.19. docent, metum grauem excuſare à culpa contrahentem cum impedimento dirimente, quamuis Iure naturali dirimat, quia tunc non fit validè matrimonium, ſed tantùm intentatur, quod dicto metu ſufficienter excuſari videtur.

Nos tamẽ ſub diſtinctione reſpondemus, nempe, contrahentem metu graui, quando impedimentum eſt ſolo Iure Eccleſiaſtico dirimens, vt dirimit iuſtitia publicæ honeſtatis, & diſparitas cultus, & ipſe metus grauis iniuſtè incuſſus ad extorquendum matrimonium, excuſari à culpa: non verò, quando impedimentum dirimit Iure naturali, vt dirimit impotentia, & etiam conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, quod inſinuat Val. Vaſquez 1.2. diſp.161. num.17. Ratio prioris partis eſt, quia tunc contrahere, tantùm eſt contra legem Eccleſiaſticam prohibentem; cuius obſeruantio in hac materia eſt minoris momenti, quàm grave malum quod timetur; ob quod, eo timore exiſtente, lex illa ceſſat obligare vt prohibens, quamuis non vt irritans. Ex quo conſtat ad rationem pro Caietano & Valentia adductam. Ratio poſterioris partis eſt, quia tunc contrahere, eſt contra Ius naturale prohibens, contra quod perſeuerans, vt in præſenti perſeuerat, nihil fieri poteſt, neque intentari, quocumque malo imminente; peccatum autem, quod ſic contrahendo committitur, non ſemper eſt eiuſdem ſpeciei, vt conſtat ex dictis Diffic. 111.

DISPVTATIO XIII.

De Errore.

INcipimus iam diſputare de impedimentis dirimentibus in particulari.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Error perſonæ Iure naturali dirimat Matrimonium contrahendum.

1 CONVENIVNT Doctores, errorem perſonæ cum qua contrahitur (vt contigit Iacob ducenti Liam, quam exiſtimabat eſſe Rachel) dirimere ſeu irritare matrimonium, ſiue error det cauſam contractui matrimonij, quia ſcilicet non fieret, ſi non eſſet error; ſiue non det, quia ſcilicet etiam fieret contractus, quamuis non eſſet error. Imò conueniunt contra *Gloſſa.* Gloſſam 29.q.1. in Summa, v. *Quod autem*, dirimere Iure naturali, quia ſiue error det cauſam contractui, ſiue non det, aufert conſenſum in materiam ſubſtantialem contractus matrimonij; quia in hoc contractu perſonæ ſunt materia ſubſtantialis, conſenſus autem in materiam ſubſtantialem contractus ex natura ſeu Iure naturali ipſius contractus eſt neceſſarius ad valorem illius.

2 Error autem perſonæ dirimit matrimonium, quamuis ſit vincibilis: quia iſte quamuis ſufficiat ad peccandum, non tamen ad validè contrahendum; quia ad peccandum ſufficit ſe exponere periculo faciendi contra præceptum, cui periculo ſe exponit, qui cum errore aut ignorantia vincibili peccati operatur; ad validè autem contrahendum eum aliqua, verbi gratia cum Maria, non ſufficit ſe exponere periculo contrahendi cum illa, ſed requiritur voluntas vera contrahendi cum ea; quæ voluntas non conſtat cum errore illius perſonæ, quamuis vincibili, niſi errans habeat voluntatem contrahendi cum perſona ſibi propoſita, quæcumq; illa ſit, quod rariſſimè aut numquam contingit in contractu matrimonij, ſemper tamen in adminiſtratione aliorum Sacramentorum; quia qui adminiſtrat alia Sacramenta, v.g. Confirmationem aut Pœnitentiam, verè intendit perſonæ ſibi præſenti & propoſitæ adminiſtrare, quæcumque illa ſit.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Error qualitatis perſonæ dirimat Matrimonium contrahendum.

COnueniunt Doctores, errorem qualitatis, vt nobilitatis aut diuitiarum, dirimere Iure naturali matrimonium in duobus caſibus. Primò, quando matrimonium fit dependenter ab ea qualitate tamquam à conditione; quia cùm tunc deficiat conditio ſub qua fit contractus, etiam deficit ipſe. Secundò, quando qualitas refunditur in perſonam, id eſt, quando ex errore qualitatis erratur circa perſonam, vt quando femina contrahit cum infante, exiſtimans ſe contrahere cum Principe; & quando qualitas non refunditur in perſonam, nec matrimonium fit dependenter à qualitate tamquam à conditione, in vno caſu non dirimere, quando ſcilicet error qualitatis non dat cauſam contractui matrimonij, quia ſcilicet aliàs fieret, quamuis non erraretur circa qualitatem perſonæ.

Eſt

Est tamen difficultas, An dirimat quando dat causam contractui.

4 Medina de Restitut. q. 33. & Præpositiuus c. vlt. de Coniugio leprosorum, docent dirimere. quod deduci videtur ex Aristotele 3. Ethic. cap. 3. dum ait, errorem cuiuscumque circumstantiæ tollere voluntarium; ad valorem autem cuiuscumq; contractus requiritur voluntarium. Et ratione probatur, quia quando est error qualitatis personæ, nequit esse perfectus consensus in personam, qui requiritur ad valorem matrimonij. Secundò, quia qui elargitur eleemosynam alicui non pauperi, existimans esse pauperem, inualidè elargitur, ita vt recipiens teneatur ad restitutionem; ergo qui tradit corpus alicui, v.g. non diuiti, existimans esse diuitem, inualidè tradit.

Medina. Præpositiu. Aristotel.

Sancius. Aegidius.

Sancius verò lib. 7. disp. 18. Ægidius disp. 31. dub. 1. & communiter Doctores docent, non dirimere, & meritò: quia error qualitatis personæ non impedit perfectum & simpliciter voluntarium, & consensum circa personam ipsam, quæ est materia substantialis matrimonij, etiamsi quando error qualitatis est causa contractus matrimonij, efficiat inuoluntarium secundùm quid, cum quo optimè stat voluntarium simpliciter, quod sufficit ad valorem contractus matrimonij. Ex quo constat ad priorem rationem aduersariorum.

Et ad posteriorem respondemus, concedendo 5
Antecedens, & negando Consequentiam, ob disparitatem; quia tunc in elargitione eleemosynæ deficit titulus, nempe paupertas, ac proinde deficit valor elargitionis eleemosynæ; in traditione verò corporis in matrimonio, quamuis deficiat qualitas, non deficit titulus; quia traditio corporis non fit pro qualitate, sed pro corpore aut pro persona.

Aristoteles autem vbi suprà tantùm loquitur de circumstantiis pertinentibus ad substantiam actionis, vt ostendit Vasquez 1. 2. disp. 30. *Vasquez.*

Id autem, quod diximus, nempe errorem qualitatis non dirimere matrimonium, etiamsi det causam contractui, est verum, quidquid Basilius dicat lib. 4. cap. 21. etiamsi errans contrahat, expressè motus à qualitate circa quam errat, quia ex eo, 6
quòd expressè moueatur à qualitate illa, & ita vt si non erraret circa illam, non contraheret, non contrahit dependenter ab illa qualitate tamquam à conditione, sed tantùm motus ab illa tamquam à causa finali.

DISPVTATIO XIV.

De Conditione seruitutis.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo Conditio seruitutis dirimat Matrimonium contrahendum.

1 CERTVM est, seruitutem sumptam pro statu mancipij, quæ nomine conditionis significatur, non dirimere matrimonium Iure naturali, vt constat ex cap. 1. & 2. & 4. de Coniugio seruorum; quia seruitus non est defectus substantialis personæ, quæ est materia substantialis matrimonij, sicut ingenuitas, seu libertas non est substantia personæ, sed qualitas. Secundò certum est, errorem, aut ignorantiam seruitutis dirimere matrimonium serui cum libera ignara seruitutis, & econtrà seruæ cum libero ignaro seruitutis, vt constat ex dictis capp. 2. & 4 & ad id sufficere errorem aut ignorantiam, quamuis vincibilem, vt supponit Ægidius disput. 31. num. 26. cùm error iste & ignorantia sint absolutè error & ignorantia, imò errorem affectatum & ignorantiam affectatam, etiam sufficere, quia iste error & ista ignorantia sint absolutè error & ignorantia.

Aegidius.

Est tamen difficultas, An error seruitutis, seu ignorantia in persona libera, dirimat matrimonium Iure naturali, an tantùm Ecclesiastico.

2 Palacios in 4. dist. 3. q. vnica, Siluester v. *Matrimonium.* 6. q. 1. & Angles 1. p. de Matrimonio q. 10. docent dirimere Iure naturali, quòd deduci videtur ex eo, quòd in nullo canone prædictum matrimonium irritetur, sed tantùm supponatur esse nullum. Et ratione probatur, quia corpus mancipij est impeditum ad vsum coniugalem, cùm iste pendeat ex voluntate domini; ergo quando defectus iste tacetur & ignoratur, contractus matrimonij est Iure naturali nullus; sicut venditio rei, cuius vsus pendet ex voluntate alterius, est nulla, quando tacetur & ignoratur dictus defectus: quia venditio fit vt transferatur in emptorem dominium rei non impeditæ quoad vsum.

Palacios. Siluester. Angles.

Sancius verò lib. 7. disp. 19. Ægidius vbi suprà, *Sancius.*
& communiter Doctores docent, non dirimere *Aegidius.*
Iure naturali, sed tantùm Ecclesiastico, & meritò: quia seruitus non est defectus substantialis personæ, sed qualitatis; ergo error, aut ignorantia illius non aufert consensum perfectum, & simpliciter circa materiam substantialem matrimonij; ac proinde non dirimit illud ex natura rei, sed tantùm Iure Ecclesiastico habito in dictis capitibus.

Quòd autem seruitus ignorata, nullo Iure scripto, quod nunc habeamus, dirimat matrimonium, 3
sed id in omnibus supponatur, tantùm conuincit dictam seruitutem ignoratam dirimere Iure non scripto, sed viua voce tradito, aut consuetudine introducto, aut Iure aliquando scripto, cuius scriptura periit.

Ad rationem respondemus, ad valorem matrimonij ex natura rei sufficere, traditionem corporis, quantum est ex se, expediri ad vsum, quamuis aliena voluntate possit impediri; aliàs etiam seruitus cognita dirimeret; præsertim quòd dominus non potest in totum impedire seruum ab vsu matrimonij, nisi quantum ratio patitur. Quòd autem dictus defectus ignoretur, non obstat ex natura rei valori matrimonij, sicut nec defectus rei venditæ iam dictus obstat valori venditionis, quamuis forsan obstet iustitiæ, vt scilicet venditio sit licita & iusta.

DIF-

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm, quando persona conditionis seruilis contrahit sciente domino, & non contradicente, cum persona libera seruitutis ignara, consequatur libertatem.

4 SVpponimus Iure ciuili communi habito in Authentica *Ad hoc.* C. de Latina libertate, & in Authentica De nuptiis collat. 4. & Iure Castellæ L. 1. titul. 5. & L. 5. tit. 22. par. 4. quando dominus tradit mancipium, siue masculum siue feminam, alicui libero, ignaro seruitutis, in coniugem, tamquam liberum, statim mancipium consequi libertatem. Quærimus tamen, an etiam eam consequatur, quando non traditur dicto modo à domino, sed ipsum mancipium contrahit cum libero ignaro seruitutis, domino ipso sciente, & non contradicente.

Conueniunt Communiter Doctores, Iure ciuili communi statim consequi libertatem, quando dominus scit, & ex studio, id est dolosè tacet; Iure verò Castellæ, quando non contradicit, vt expressum est in dictis Legibus.

5 Iure tamen naturali in nullo casu ex tribus dictis consequitur libertatem; quia dominus neque dicta taciturnitate, neque non contradictione censetur donare mancipium libertati, imò neque dicta positiua traditione mancipij tamquam liberi in coniugem; quamuis in hoc vltimo casu dominus Iure naturali teneatur donare libertati saltem pro vita coniugis liberi (si iste exigat) in recompensationem iniustitiæ ipsi factæ dicta dolosa traditione.

Vnde vbi dicta Iura positiua locum non habent, mancipium nullam consequitur libertatem; quia Iure naturali illam non consequitur; ac proinde extra Prouincias imperio subiectas, in quibus ius commune ciuile vim habet, & extra nostra regna, in quibus tantum Lex Castellæ vim habet, mancipium in nullo casu ex tribus dictis libertatem consequitur.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm in casu, in quo mancipium contrahens cum libero, seruitutis ignaro, consequitur libertatem, Matrimonium validè fiat.

6 *Sancius. Henriq.* SAncius lib. 7. disp. 20. & Henriquez lib. 11. c. 10. affirmant; quod etiam traditur in dicta Authentic. De nuptiis. Et ratione probatur; quia quamuis perseueret seruitus ignorata, quando matrimonium fit, ea tamen seruitus nullius considerationis est, vt possit matrimonium irritare; quia ita est ac si non esset, quia statim ac perficitur, matrimonium finitur.

Couarr. Gregorius Lopez. Couarruuias verò 4. Decret. 2. p. c. 3 §. 7. & Gregorius Lopez Leg. 1. Castellæ tit. 5. par. 4. negant, quod etiam traditur in dicta L. Castellæ, & merito: quia Iure canonico seruitus ignorata absque vlla limitatione dirimit matrimonium. sed quando matrimonium celebratur, adest dicta seruitus; ergo verè dirimit matrimonium.

7 Vnde Ius ciuile in dicta Authentica non habet locum quoad hoc in Prouinciis adhuc imperio subiectis, in matrimoniis baptizatorum, quia non habet vim contra Ius canonicum, quo absolutè in baptizatis irritatur dictum matrimonium. Quòd autem seruitus illa statim post factum aut attentatum matrimonium cesset, non sufficit vt validè fiat, quia verè est seruitus quando matrimonium fit, & non est paruæ considerationis quòd adsit, cùm efficiat personam maximè vilem non minùs, imò magis quàm seruitus præcedens, quamuis hæc Iure canonico non dirimat matrimonium.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm mancipium contrahens Matrimonium cum domino, aut cum domina, statim consequatur libertatem.

1 ETiamsi Iure Castellæ L. 1. tit. 13. p. 4. ancilla eo ipso, quod ducitur à domino, fiat libera, non tamen Iure communi ciuili, vt contra Siluestrum & alios docent Sancius lib. 7. d. 20. Couarruuias & Henriquez, quia nullus textus reperitur in quo id exprimatur, neque ex quo deducatur.

Est tamen difficultas, An ex vi matrimonij, seu Iure naturali ipsius matrimonij, mancipium contrahens cum domino aut cum domina, eo ipso consequatur libertatem.

Sancius, Couarruuias & Henriquez partem negatiuam supponunt, quam exprimit Ochagunia Tract. 3. q. 49. & deduci videtur ex eo, quòd Agar verè fuit vxor Abrahæ, & tamen Genes. 16. & 21. & ad Galat. 4. dicitur ancilla; & ex eo quòd Aristoteles refert 1. Politic. c. 1. nempe quòd apud aliquas nationes vxores habebantur tamquam ancillæ: ergo matrimonium mancipij cum domino aut domina, vi & efficacitate sua naturali non excludit seruitutem.

Vasquez verò 3. par. disp. 80. c. 8. Basilius lib. 7. n. c. 44. & Gregorius Lopez, partem affirmatiuam tradunt, quod etiam dicitur in dicta L. 1. Castellæ, & meritò: quia status matrimonij pugnat cum statu seruitutis, quia coniux ex vi matrimonij fit alteri socius, & eius nomine & honore gaudens, & acquirit ius vt fiat vna caro cum altero coniuge; quæ omnia non compatiuntur cum statu seruili: status ergo matrimonij vi & efficacitate sua naturali excludit seruitutem.

Agar autem non dicebatur ancilla, quia post matrimonium mansisset talis; sed quia fuit antea, & posteà non fuit assumpta ad domus gubernationem, sed mansit ministrans. Quòd verò apud aliquas gentes, vxores haberentur vt ancillæ, non obstat, quia gentes illæ, vt ipse Aristoteles refert, erant barbaræ.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm mancipium possit contrahere Matrimonium inuito domino.

12 RAtio difficultatis pro parte negatiua desumitur Primò ex Concilio Cabilonensi, relato cap. vlt. 29. quæst. 2. vbi dicitur, coniugia seruorum non esse dissoluenda, vbi consunctio fuit legalis, & per voluntatem dominorum, quo denotari videtur, non esse valida quando fiunt contra voluntatem dominorum. Secundò desumitur ex Basilio can. suo 40. vbi id clarè supponit.

Nihilominùs Doctores conueniunt, mancipia non solùm validè, sed etiam licitè posse inuitis dominis

dominis matrimonia contrahere, quod manifestè supponitur in cap. 1. de Coniugio seruorum. Et in primis, quòd possent validè contrahere, probatur; quia mancipium non est inhabile ad contrahendum contra voluntatem domini, quia non Iure aliquo positiuo, quia nullum extat; neque naturali, quia traditio mancipij ad obsequia humano modo præstanda domino non est incompossibilis cum traditione corporis mancipij ad prolis generationem. Deinde quòd possint licitè, patet; quia id non est prohibitum Iure positiuo, vt patet; neq; naturali, quia contractus matrimonij, & eius vsus temporibus opportunis non impedit obsequia, domino humano modo præstanda. Vnde domini nequeunt licitè matrimonia mancipiorum impedire, vt supponitur in dicto cap. 1.

11 Ad rationem ergo difficultatis respondemus, Patres Concilij Cabilonensis, & Basilium locutos fuisse iuxta Ius antiquum positiuum, quo eo tempore (vt Henriquez refert lib. 11. c. 10.) matrimonia mancipiorum contra voluntatem domini erant irrita. Addimus tamen, in Concilio Cabilonensi tantùm dici non esse dissoluenda, quando voluntate domini contracta sunt, ex quo non necessariò infertur, esse dissoluenda quando contracta sunt contra voluntatem domini; & in canone illo Basilij, in Græco non contineri nullitatem eorum matrimoniorum, sed exaggerationem quamdam, vt ex nostro Turriano refert Sancius disp. 21. num. 10.

Henriquez.

Sancius.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm mancipium teneatur potiùs satisfacere domino, quàm coniugi.

12 CIrca hanc rem non parum variant Doctores, quia alij affirmant, præferendum esse dominum; alij præferendum esse coniugem; alij verò eum esse præferendum, cui maius damnum imineat ex eo quod ei non satisfiat, & quando vtriq; æquale damnum imminet, satisfaciẽdum esse domino, quando ipse non annuit matrimonio; coniugi verò, quando ex licentia domini factum fuit.

13 Nos tamen existimamus, quòd si matrimonium fuit prius initum, quàm seruitus contracta, potiùs esse satisfaciendum coniugi rationabiliter petenti, attenta seruitute; at si seruitus fuit priùs contracta quàm matrimonium initum, potiùs satisfaciendum esse domino rationabiliter præcipienti, attento coniugio, vt significatur in cap. 1. de Coniugio seruorum, dum dicitur dominis exhibenda esse debita & consueta seruitia à mancipio, quantumuis matrimonium contrahat. Ratio vtriusque partis est, quia qui prior est tẽpore, potior est Iure, quia iuri iam acquisito nullus præiudicare potest.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm dominus possit vendere mancipium coniugatum ad partes remotas.

DIfficultas tantùm procedit, quando ob venditionem ad partes remotas impediendus est vsus coniugalis ex eo, quòd coniux mancipij impeditus sit mancipium venditum comitari; quia quando comitari potest, certum est vendi posse ad partes remotas. 14

Circa difficultatem ergo variant Doctores: quia alij absolutè docent, dominum posse; alij absolutè docent, non posse; alij verò, posse, quando mancipium contraxit absque voluntate domini; & non posse, quando ex eius licentia contraxit.

Nos tamen existimamus, quòd si matrimonium mancipij fuit priùs factum quàm seruitus contracta, dominus non possit vendere ad partes remotas, quando impediendus est vsus matrimonij, quia tunc coniux mancipij potior est iure quàm dominus; at si seruitus fuit prior, dominus (quamuis Iure Castellæ L. 1. tit. 5. p. 4. non possit) tamen Iure naturali potest, quamuis vsus matrimonij sit impediendus, quando absque notabili incommodo nequit non vendere ad partes remotas; quia si absque eo possit, ratio exigit vt mancipium & eius coniux non impediantur à iure vtendi matrimonio; quia dominus, supposito matrimonio mancipij, ad quod celebrandum habuit ius, tenetur ad id attendere quantum commodè possit: dominus enim mancipium coniugatum nequit tantum occupare, quantum possit non coniugatum. 15

Quomodo verò post matrimonium factum possit maritus se vendere in mancipium, inuita vxore (quamuis nequeat in Prouinciis subiectis Legibus Castellæ) & non possit vxor inuito marito, docet Sancius lib. 7. à disp. 22. & benè, quidquid dicat Basilius lib. 7. cap. 44.

DISPVTATIO XV.

De Voto.

DIFFICVLTAS VNICA.

Quomodo Votum solemne castitatis dirimat Matrimonium.

1 SVPPONIMVS Primò, votum simplex castitatis non dirimere matrimonium cõtrahendum (vt constat ex cap. vnico de Voto, in 6. & ex c. *Consuluit.* 4. & ex c. *Rursus.* 6. Qui Clerici, vel vouentes) excepto voto simplici castitatis, cum aliis duobus votis simplicibus post biennium nouitiatus in nostra Societate emissis, quod cum eis illud dirimit Iure Ecclesiastico, habito in Bulla *Ascendente Domino* edita à Gregorio XIII. Secundò supponimus, votum solemne castitatis in Religione emissum dirimere matrimonium Iure Ecclesiastico, vt constat ex dicto cap. vnico, & ex Tridentino sess. 24. can. 9. & non dirimere Iure diuino, quia de hoc Iure nullatenus constat.

Est tamen difficultas, An dictum votum sua naturali vi & efficacitate, seu suo Iure naturali dirimat matrimonium.

Durandus in 4. dist. 28. qu. 1. Dominicus Sotus 7. de Iustitia qu. 2. ar. 5. Petrus Sotus lect. 5. de Matrimonio, & Couarruuias 2. par. Epitome capitis 7. §. 4 partem affirmatiuam tuentur, quia per votum solemne castitatis in Religione quis tradit se Deo, & ius quod habet ad nuptias; in quo distingui 2

Durandus. *Dominic.* *Sotus.* *Petrus Sotus.* *Couarruu.*

stingui videtur à voto simplici castitatis, quod tantùm continet promissionem, & non traditionem; ergo qui solemniter vouit castitatem, nequit ex natura ipsius voti solemnis castitatis validè tradi alteri vt coniugi, seu ad vsum oppositum castitati.

Scotus. Sancius. Aegidius. Vasquez. Scotus verò in 4.dist.38.quæst.vnica, Sancius lib.7.disp.26. Ægidius disp.31. dub.6. & Vasquez 1.2. disp.165. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia voto solemni castitatis quis non aliter se ipsum, & ius quod habet ad nuptias, tradit Deo, quàm se ex virtute Religionis, & non iustitiæ, obligando ad seruandam castitatem, sicut 3 voto simplici: ergo potest validè se ipsum alteri ex iustitia in matrimonium tradere ad vsum contra castitatem, sicut post votum simplex castitatis. Antecedens patet, & Consequentia probatur: quia traditio seu obligatio ex Religione Deo, & tradi-

tio seu obligatio alteri vt coniugi, ex iustitia optimè compatiuntur; quia sunt diuersæ rationis, & disparatæ: & id constat in eo, qui post matrimonium consummatum ex licentia alterius coniugis, vouet solemniter castitatem in Religione, in quo simul sunt dictæ traditiones seu obligationes. Vnde votum solemne castitatis non differt à simplici, quia vno vouens tradatur Deo, & altero non; sed votum dicitur solemne ex eo solùm, quòd fiat sub certa regula approbata sub Superiore, cui vouens se in perpetuum tradit, & à quo in perpetuum acceptatur. de quo Vasquez latiùs vbi supra cap.8. *Vasq.*

Obseruandum est, Religiosos & Moniales matrimonium contrahentes, & eos qui cum Monialibus contrahunt, incurrere ipso facto excommunicationem latam in Clementina vnica de Consanguinitate. 4

DISPVTATIO XVI.

De Ordine.

DIFFICVLTAS I.

Quomodo Ordo sacer dirimat Matrimonium contrahendum.

1 SVPPONIMVS, primam tonsuram, & quatuor minores Ordines, non dirimere matrimonium, imò neq; impedire; quia non suâ naturâ, seu suo Iure naturali, vt patet, neque Iure aliquo positiuo, quia nullum extat: Ordinem verò sacrum, etiam Subdiaconatus, dirimere ex Iure Ecclesiastico matrimonium contrahendum, vt constat ex cap.1. & 2. Qui Clerici vel vouentes, & ex cap. vnico, de Voto, in 6. & ex Tridentino sess.24.can.9. Quod Ordo sacer efficit non tantùm ratione voti solemnis castitatis, seu Iuris Ecclesiastici annexi ipsi voto solemni castitatis, vt dicitur in dicto cap.vnico, sed etiam ratione sui, seu ratione Iuris Ecclesiastici sibi annexi, vt contra Bellarminum & Basilium cap.27. docent Scotus in 4.dist.37. & Rebellus lib.3.quæst.12. quia in dictis capp.1.&2. id absolutè tribuitur Ordini sacro, nulla facta mentione voti: & id non leuiter significatur in dicto can.9.Tridentini. *Scotus. Rebellus.*

Est tamen difficultas, An Ordo sacer etiam Iure naturali & diuino dirimat matrimonium.

2 Circa quam, paucis quibusdam Doctoribus exceptis, reliqui communiter docent, Ordinem sacrum ratione voti solemnis sibi annexi non dirimere matrimonium Iure naturali; & meritò, ob eamdem omnino rationem, ob quam Disputatione & Difficultate præcedenti diximus, votum solemne castitatis in Religione emissum, non dirimere Iure naturali matrimonium: nec Ordinem sacrum ratione dicti voti sibi annexi dirimere Iure diuino positiuo, quia de eo Iure nullatenus constat.

Imò Ordo ipse sacer (quamuis à Christo institutus) ratione sui, dicto voto secluso, non dirimit matrimonium Iure diuino positiuo, quia de eo non constat; neque Iure naturali, quia Ordo sacer suâ naturâ non est incompossibilis cum traditione, qua quis alteri tribuit dominium sui 3 corporis ad vsum coniugalem, vt patet. Ordo ergo sacer tam ratione sui quàm ratione voti sibi annexi, tantùm dirimit matrimonium Iure Ecclesiastico, vt optimè aduertunt Rebellus lib.3. quæst.4. Vasquez 3.par.dist.249. cap.2. & plures alij. *Rebellus. Vasquez.*

Obseruandum est, Clericos in Sacris, qui matrimonium contrahunt, incurrere ipso facto excommunicationem latam in Clementina vnica de Consanguinitate.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Ordo sacer ante vsum rationis susceptus dirimat Matrimonium.

SAncius lib.7. disp.30. Vasquez 3.p. disp.246. num.25. Henriquez lib.12. cap.5. & Ægidius de Sacramento Ordinis disput.20. docent, Ordinem sacrum susceptum ante vsum rationis non dirimere matrimonium, imò neque prohibere; quia non ratione sui, seu Iuris Ecclesiastici ipsi annexi (quia credi non potest, Ecclesiam velle in eo statu initiatum suo iure comprehendi) neque ratione voti castitatis Ordini annexi, quia votum nequit esse absque vsu rationis. Quod etiam docent de Ordine sacro susceptо per vim, seu metum grauem iniustum. Quod Vasquez & alij extendunt ad Ordinem sacrum, susceptum cum ignorantia iuris & voti Ordini annexorum. *Sancius. Ægidius. Henriquez. Vasquez. Rebellus.*

Paludanus verò in 4. dist.37. quæst.1. artic.1. Antoninus 3.p. tit.1.c.8. Ledesma 2.par.4.q.55. art.4. & Rebellus lib.3.quæst.12.docent, Ordinem sacrum susceptum ante vsum rationis dirimere matrimonium, & meritò, non ratione voti annexi, quia absque vsu rationis nequit votum fieri, adhuc implicitè; sed ratione sui, seu ratione Iuris Ecclesiastici ipsi Ordini annexi: quia Ius Ecclesiasticum dirimens matrimonium est absolutè annexum Ordini sacro, non minùs quàm Iura Ecclesiastica sunt annexa Baptismo: ergo sicut Iura Ecclesiastica comprehendunt baptizatum ante vsum rationis, ita etiam Ius Ecclesiasticum dirimens matrimonium annexum Ordini sacro comprehendit Sacris initiatum ante vsum rationis. *Paludanus. Antoninus. Ledesma. Rebellus.*

Et idem ob eamdem rationem dicendum est, vt optimè

vt optimè dicti Doctores, de Ordine sacro, metu quantumuis grauissimo, voluntariè susceptо; imò etiam credimus, tunc non tantùm dirimere ratione iuris ipsi annexi, sed etiam ratione voti solemnis castitatis ipsi annexi. Et ob eamdem rationem idem est dicendum de Ordine sacro cum ignorantia, quamuis inuincibili dicti iuris & dicti voti
Sancius. susceptо, vt contra Vasquez docet Sanciusdisp. 27. quamuis tunc non ratione voti, quando Ordo susciptur cum ignorantia inuincibili annexionis voti, quia sic ignorans voti annexionem, id non efficit adhuc implicitè.

Et multò meliùs Ordo sacer ante pubertatem 6
post vsum rationis susceptus dirimit matrimonium, vt contra Sancium docet Ægidius, & tunc *Ægidius.*
non tantùm ratione Iuris Ecclesiastici ipsi Ordini annexi, sed etiam ratione dicti voti, quia votum istud, quamuis solemne, validè fieri potest ante decimum sextum annum, etiamsi ante eum professio solemnis in Religione sit nulla, ob peculiarem dispositionem Iuris circa professionem, quæ non est circa dictum votum, quamuis solemne.

DISPVTATIO XVII.

De Cognatione naturali, seu ex sanguine, quæ dicitur consanguinitas.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Consanguinitas, & quomodo eius gradus computentur.

1 CIRCA prius, consanguinitas (quæ dicitur quasi sanguinis vnitas) definitur, quòd sit *propinquitas duarum personarum per carnalem propagationẽ contracta, quarum ambæ ex eadem descendunt, vel vna ex altera.* Vnde consanguinitas est quædã mutua relatio seu habitudo coniunctionis in sanguine, requirens pro cõditione natiuitatem.

Distinguitur autem consanguinitas per gradus & lineas. *Gradus est habitudo coniunctionis vnius consanguinei ad alterum*, ac proinde requirit duo extrema, vnum tamquam subiectum, & alterum tamquam terminum. Linea verò est *plurium habitudinum coniunctionis consanguineorum ordinata*
2 *collectio.* Linea autem est duplex, vna recta, altera transuersalis seu collateralis. Recta est *collectio habitudinum eorum consanguineorum, quorũ vnus ab alio originatur.* Transuersalis verò est *collectio habitudinum ab eodem stipite descendentium, quorum nullus originatur ab alio.* Recta autem est duplex, per solam nostram rationem duplicata: vna est ascendentium, quæ est *collectio habitudinum prout considerantur ab stipite versus descendentes:* altera descendentium, quæ est *collectio habitudinum prout inuerso ordine considerantur à descendentibus versus stipitem.*

Circa posterius, ad dignoscendos seu numerandos gradus, triplex regula à Doctoribus traditur. Prima est: *In linea recta tot gradibus vnus alteri coniungitur, & ab eo distat, quot generationibus vnus descendit ab altero.* Vnde filius est in primo gradu cum patre, quia ab eo vna generatione descendit; & nepos est in secundo cum auo, quia ab eo descendit duabus generationibus, vna, qua suus pater immediatè descendit ab illo, & altera, qua ipse immediatè descendit à patre suo, medio quo descendit à suo auo.

3 Secunda regula habita in can. *Ad sedem.* & in can. *Parentelæ.* 35. q. 5. est: *In linea transuersali æquali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot quilibet coniungitur suo communi stipiti proximo, & ab eo distat*; quia tantùm ratione illius coniunguntur, & in ordine ad illum distant. Vnde duo fratres inter se sunt in primo gradu; quia in eo gradu sunt cum suo communi stipite proximo, medio quo inter se coniunguntur, & in ordine ad quem distant.

Tertia regula habita in cap. fin. de Consanguinitate est: *In linea transuersali inæquali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot is, qui remotior est a communi stipite proximo, ei coniungitur. & ab eo distat*; quia solùm coniunguntur ratione communis stipitis proximi; ac proinde nequeunt magis inter se coniungi, quàm remotior illi coniungitur. Vnde patruus & consobrinus sunt in secundo gradu; quia consobrinus est in secundo cum proximo stipite amborum.

Obseruandum est, in prima regula, conuenire 4
Ius ciuile cum canonico, non verò in secunda, neque in tertia; quia Ius ciuile numerat omnes gradus qui reperiuntur in duabus personis, quæ transuersaliter comparantur. Vnde Iure ciuili duo fratres sunt in secundo gradu; quia in quolibet est vnus gradus respectu proximi stipitis, vtrique communis; & patruus & sobrinus in tertio, & duo filij duorum fratrum in quarto.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Consanguinitas dirimat Matrimonium Iure aliquo positiuo.

CONueniunt Doctores, consanguinitatem 5
nullo Iure diuino dirimere matrimonium; quia non Iure aliquo Euangelico, quia nullum circa hoc exstat; neque Iure aliquo veteri, quia quamuis in veteri lege Leuitic. 18. consanguinitas in aliquot gradibus dirimeret matrimonium, etiam in primo lineæ rectæ, in quo etiam dirimit iure naturali; tota tamen lex vetus, vt positiua, cessauit morte Christi; dirimere tamen Iure Ecclesiastico, vt constat ex capp. statim citandis.

Obseruandum est, quòd quamuis consanguinitas olim dirimeret vsque ad septimum gradum inclusiuè, vt constat ex can. *Ad sedem.* 35. quæst. 5. iam tamen non dirimit nisi vsque ad quartum gradum, inclusiuè tamen, vt constat ex cap. *Non debet.* 8. de Consanguinitate.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat Matrimonium Iure naturali.

6 CONueniunt Doctores, consanguinitatem in primo gradu lineæ rectæ Iure naturali dirimere matrimoniũ, quia vsus coniugalis, ad quem matrimonio confertur ius iustitiæ, nequit ex sua natura, & ex suo obiecto, & semper, & in communi casu non esse inhonestus in dictis consanguineis, nempe in filio & in matre, & in patre & in filia; cùm nequeat non esse contra reuerentiam suapte natura debitam ascendentibus; ergo nequit conferri ius iustitiæ ad eum actum, vtpote semper ex obiecto inhonestum, & rationi dissonum, ac proinde consanguinei in dicto gradu sunt inhabiles ad matrimonium, quo prædictum ius confertur: sunt autem inhabiles inhabilitate orta ex natura dictæ consanguinitatis, ac proinde Iure naturali.

Est tamen difficultas, An consanguinitas in dicto primo gradu dirimat matrimonium in casu extremę necessitatis propagandi genus humanum, vt si in mundo tantòm supereſſent mater & filius, aut pater & filia.

7 *Sancius. Henriq. Basilius.* Sancius lib. 7. disp. 51. Henriquez lib. 12. c. 9. & Basilius cap. 31. negant; quia damnum priuatum irreuerentiæ, quæ fit ascendenti copula & matrimonio ad eam ordinato, debet cedere damno communi interitus vniuersi.

Caietanus. Ledesma. Ægidius. Caietanus verò 2. 2. q. 154. art. 9. Petrus Ledesma q. 54. art. 3. diffic. 1. & Ægidius disp. 32. n. 14. affirmant, & meritò: quia etiam in casu dicto irrogatur irreuerentia ascendenti copula & matrimonio oppositò pietati, aut obseruantiæ, cui priuatus cedere aut acquiescere nequit, cùm sit opposita pietati aut obseruantiæ, & nõ instítiæ, cuius damno potest ex rationabili causa cedere & acquiescere. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Ex concessione tamen Dei, qui potest debitum reuerentiæ erga ascendentes extinguere, aut aliter coniunctionẽ inter dictos consanguineos honestare, poterit inter eos matrimoniũ validè contrahi.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Consanguinitas in omnibus alijs vlterioribus gradibus lineæ rectæ, præter primum, dirimat Matrimonium Iure naturali.

8 *Sancius. Sotus. Valentia. Couarru. Lud. Lopez. Angelus. Rosella.* SAncius lib. 7. disp. 51. Sotus in 4. d. 40. q vnic. art. 1. Valentia d. 10. quæst. 5. punct. 3. Couarruuias 4. Decretal. 2. part. cap. 6. §. 6. Ludouicus Lopez 2. par. Instructorij cap. 49. Angelus & Rosella docent, consanguinitatem non dirimere matrimonium Iure naturali in omnibus alijs gradibus vsque ad Adam; aut quia consanguinitas, quæ est quædam sanguinis participatio, tandem euanescit, aut quia in accessu carnali inter coniunctos in remotioribus gradibus, non sit irreuerentia saltem sufficiens ad dirimendũ matrimonium. Doctores tamẽ isti non conueniunt in assignando gradum, vltra quem consanguinitas non dirimat: Quia Sancius existimat, non dirimere vltra primum gradum; Sotus & Valentia, non dirimere vltra secundum; Angelus & Rosella, non dirimere vltra quartum; Ludouicus Lopez, vltra septimum; Couarruuias verò, non dirimere vltra vigesimum.

Scotus verò in 4. dist. 40. quæst. vnic. art. 2. Bellarminus 1. de Matrimonio c. 28. Ægidius dist. 31. dub. 1. Basilius l. 7. c. 31. & Vasquez 1. 2. disp. 222. docent, consanguinitatem suo Iure naturali dirimere matrimonium in quocumque gradu lineæ rectæ, etiam vsque ad Adam, & meritò: quia cuicumque ascendenti, etiam remotissimo, debita est Iure naturali reuerentia, vtpote principio naturali, & per se; quilibet autem ascendens, quantumuis mediatus & remotus, est principium per se descendentis; quia mediatus ea ratione, est principium sui descendentis remoti, qua est sui proximi descendentis, quia medio proximo descendente est principium aliorum; in copula autem carnali ob eius turpitudinem fit irreuerentia principio naturali, & naturaliter superiori, & inæquali.

Vnde, vt aduertit Ægidius num. 18. in linea recta non tam attenditur participatio sanguinis (vt ab attenditur in transuersa) quàm ratio principij, quæ ratione sui exigit reuerentiam à principiato, ac proinde in copula cum ascendente, quamuis remotissimo, etiamsi consanguinitas seu participatio sanguinis euanuerit, semper reperitur irreuerentia, & sufficiens ad dirimendum matrimonium ordinatum ad illam.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Consanguinitas in linea transuersali Iure naturali dirimat Matrimonium.

CONueniunt Doctores, consanguinitatem in secũdo & vlterioribus gradibus lineæ transuersæ non dirimere matrimonium Iure naturali, quod supponit Innocentius III. in cap. *Gaudemus.* de Diuortijs, dum ait, Infideles ad fidem conuersos, qui anteà in secundo & in vlterioribus gradibus contraxerant, non esse separandos: quo supponit, eos validè contraxisse. Et sanè inter eos in linea transuersa nulla est superioritas naturalis & à secundo gradu non est tanta sanguinis coniunctio, vt in eorum carnali coniunctione fiat irreuerentia, quamuis posset esse aliqua indecentia, præsertim in secundo.

Est tamen difficultas, An consanguinitas in primo gradu lineæ transuersæ dirimat matrimonium Iure naturali, vt inter fratrem & sororem.

Abulensis Leuit. 18. q. 5. Sotus in 4. dist. 40. quæst. vnica, art. 4. Sancius lib. 7. disp. 52. & Vasquez 1. 2. dist. 112. partem affirmatiuam tuentur, quibus fauere videtur Innocentius III. vbi supra, dum ait, conuersos ad fidem, qui anteà in secundo & in vlterioribus gradibus contraxerant, non esse separandos; quo videtur supponere, separandos esse, qui in primo gradu contraxerant, ac proinde eorum matrimonium fuisse nullum, & Iure naturali, quia ante Baptismum non tenebantur iure Ecclesiastico. Et ratione probatur; quia in copula

copula inter fratrem & sororem est mutua irreuerentia ob tantam sanguinis coniunctionem, ergo contractus matrimonij ad copulam ordinatus, nequit esse validus inter illos.

12 Scotus verò in 4. dist. 40. Caietanus 2. 2. q. 154. art. 9. Ægidius d. 32. num. 19. & Basilius cap. 32. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia nullo sufficienti fundamento ostendi potest, ex natura rei, seu Iure naturali deberi reuerentiam consanguineis, qui non sunt ascendentes, & naturaliter superiores: ergo absque sufficienti fundamento dicitur, in copula inter ipsos irreuerentiã reperiri ex natura rei, & eorum matrimonium ad eam ordinatum, esse ex natura rei nullum, imò & esse illicitum, quamuis ob tantam sanguinis coniunctionem in primo gradu indecentia manifesta repe-

Scotus. Caietanus. Ægidius. Basilius.

riatur in copula inter eos, & in matrimonio ad eam ordinatum: ob quod ferè ab omnibus gentibus fuit Iure positiuo vetitum. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Innocentius autem III. vbi suprà tantùm definiuit id quod certum erat circa id quod sibi fuit propositum, an scilicet coniuges consanguinei in secundo & vlterioribus gradibus conuersi ad fidem essent separandi: circa consanguineos verò in primo, quia sibi non fuit propositum, nihil definiuit.

Ex dictis constat, ex quatuor gradibus consanguinitatis olim prohibitis Leuit. 18. duobus lineæ rectæ, & duobus transuersæ, duo tantùm lineæ rectæ, qui erant primus & secundus, dirimere matrimonium Iure naturali.

DISPVTATIO XVIII.

De Cognatione spirituali.

DIFFICVLTAS I.

Quid & quotuplex sit Cognatio spiritualis.

1 COGNATIO spiritualis est *propinquitas quædam inter aliquos ex Baptismo & ex Confirmatione prouenientes*, vt deducitur ex cap. finali de Cognatione spirituali, in 6. quæ Iure adhuc antiquo tantùm erat triplex, nempe paternitas, compaternitas, & confraternitas. Paternitas, vt inter baptizantem & baptizatum, & inter confirmantem & confirmatum, & inter patrinos ex vna parte, inter quos numquam fuit nec est cognatio aliqua; & confirmatum & baptizatum ex altera. Compaternitas, vt inter parentes carnales baptizati & confirmati ex vna parte, & baptizantem & confirmantem, & patrinos ex altera; imò compaternitas viri suscipientis de sacro Fonte cum patre carnali baptizati Iure antiquo etiam transfundebatur in vxorem anteà cognitam. Confraternitas, vt inter baptizatum & confirmatum ex vna parte, & inter filios carnales baptizantis & confirmantis, & patrini ex altera, vt constat ex cap. 1. de Cognat. spirituali, in 6. & ex cap. *Martinus*. 1. & ex cap. *Veniens*. 7. de Cognat. spirituali, & ex can. *De eo*. 30. quæst. 1.

Trident. Iure tamen nouo Tridentini sess. 24. can. 2. de Reformatione matrimonij, cognatio spiritualis restricta est, dum dicitur: *Sancta Synodus statuit, vt vnus tantum, siue vir siue mulier, & ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos & baptizatum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur.* Et infrà: *Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem,*

2 *ac tenentem non egrediatur.* Vnde Iure Tridentini confraternitas spiritualis est omnino extincta, & compaternitas inter patrinos ex vna parte, & baptizantem & confirmantẽ ex altera, & transfusio cognationis mariti patrini Baptismi in vxorem.

Obseruandum est Primò, omnes dictas cognationes spirituales, etiam quæ perseuerant post Tridentinum, Iure tantùm Ecclesiastico introductas esse; nihilominùs inter baptizantẽ & baptizatum, & inter confirmantem & confirmatũ, præter cognationem paternitatis & filiationis, Iure Ecclesiastico inductam ex eo præcisè quòd quis baptizet, quamuis non iustificet, & ex eo precisè quòd quis confirmet, quamuis non iustificet, etiam esse inter eos alteram paternitatem & filiationem spiritualem, quando medio Baptismo & Confirmatione fit iustificatio, ortam ex Iure diuino naturali; qua suppositã, diuina institutione Baptismi per modum generationis seu conceptionis in vtero Ecclesiæ, & supposita diuina institutione Confirmationis per modum natiuitatis quasi ex vtero Ecclesiæ, vt foris exponatur ex eorum natura, quando iustificant, oritur relatio paternitatis & filiationis spiritualis, non verò ex natura aliorum Sacramentorum, quamuis conferant gratiam, & efficiant filium; quia illam non conferunt per modum generationis, neque natiuitatis, neque ex illis ex eo præcisè quòd administrentur, oritur Iure aliquo positiuo; quia nullum extat. imò in cap. finali de Cognat. spirituali, in 6. dicitur à Boni- *Bon. VIII.*
facio VIII. ex nullo alio Sacramento cognationem spiritualem oriri.

3 Addunt nihilominùs Sancius lib. 7. disp. 55. & *Sancius. Ægidius.*
Ægidius disp. 32. dub. 2. fornicationem Confessarij cum femina quæ ei ordinariè cõfitetur, etiam continere malitiam mortalem sacrilegij, quia est peculiariter prohibita intuitu reuerentiæ Sacramento Pœnitentiæ debitæ, in can. *Omnes*. & in can. *Siquis Sacerdos*. & in can. *Non debet*. 30. quæst. 1. Emanuel verò Sà v. *Confessio*. num. 25. & Basilius lib. 7. cap. 38. docent, dictam fornicationem non continere nouam aliquam malitiam supra malitiam luxuriæ contra castitatem, & non absque probabilitate, vt ait Ledesma de Matri- 4
monio, quæst. 36. artic. 2. quia si aliquam aliam superadderet, vt antiquitus superaddebat, maximè incestus spiritualis, ratione cognationis spiritualis filiationis & paternitatis contractæ inter Confessarium & feminam pœnitentem, vt significatur in dictis tribus canonibus adductis, & non sacrilegij ratione reuerentiæ Sacramenti Pœnitentiæ: hæc tamen cognatio, si anteà contrahe-

batur, iam non contrahitur, quia abolita est vel contraria consuetudine, vel ad minus dicta Constitutione Bonifacij VIII. in cap. fin. de Cognatione spirituali, in 6.

Addimus tamen, peccatum luxuriæ cum femina pœnitente commissum in ipsa confessione (id est, post signum Crucis, & ante absolutionem perfectam) illam sollicitantis, addere malitiam sacrilegij contra reuerentiam Sacramenti Pœnitentiæ; quia prohibitum est intuitu reuerentiæ illius.

5 Obseruandum est Secundò, quamcumq; cognationem spiritualem ex assignatis à Tridentino, dirimere matrimonium contrahendum Iure Ecclesiastico, habito in Iuribus ad principium Difficultatis citatis, & nullam, adhuc illam paternitatis quæ oritur ex Iure diuino naturali, dirimere, imò neque impedire Iure naturali, vt patet. Cognationem verò, quæ aduenit matrimonio iam contracto, non impedire petitionem debiti, diximus Disputat. x. Difficultate vi.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm non baptizatus contrahat cognationem spiritualem.

6 COnueniunt communiter Doctores, non baptizatum, quamuis baptizet, & sit patrinus, non contrahere cognationem spiritualem dirimentem matrimonium. (Ita Sancius l. 7. dub. 60. Ægidius cap. 32. num. 25.) quia nulla cognatio spiritualis dirimit matrimonium nisi Lege Ecclesiastica, cui nullus, antequam sit baptizatus, subditur; imò nulla cognatio spiritualis contrahitur nisi Iure Ecclesiastico, excepta illa paternitatis & filiationis, orta ex administratione Baptismi & Confirmationis quando iustificant, & consequenter non baptizatus nullam contrahet nisi paternitatis quando baptizat, & Baptismo iustificat. Imò baptizatus non confirmatus, qui est patrinus in Confirmatione, nullam contrahit cognationem spiritualem, vt contra Paludanum & Rebellum docent Sancius, Ægidius & Basilius cap. 37. vt deducitur ex can. *In Baptismate.* de Consecratione, d. 4. dum in eo satis denotatur, non baptizatum non posse validè esse patrinum in Baptismo, neq; non confirmatum in Confirmatione, ac proinde ex eo actu, vtpote nullo, non contrahitur cognatio.

Sancius. *Ægidius.* *Basilius.*

7 Vnde, quia non baptizatus, qui tenuit aut suscepit in Baptismo filium Mariæ baptizatæ, nullam contrahit cognationem spiritualem cum filio Mariæ, neque cum ipsa Maria, ideò neque filius Mariæ, neque ipsa Maria cum illo non baptizato, quia dicta cognatio est mutua. Et quamuis posteà ille baptizetur, non consurget cognatio, vt contra Siluestrum & Toletum docent Sancius & Ægidius; quia tunc nullum est fundamentū ex quo possit resurgere, ac proinde ille posteà baptizatus poterit contrahere cum Maria. Nihilominùs si baptizatus teneat aut suscipiat in Baptismo filium Mariæ non baptizatæ, si posteà Maria baptizetur, consurget in ea cognatio compaternitatis, ac proinde non poterit contrahere cu eo qui eius filium tenuit aut suscepit, vt contra Sancium docent Ægidius & Henriquez, quia ex cognatione tunc orta inter dictum patrinū & filium Mariæ, posteà in Maria, quando fit capax, oritur cognatio compaternitatis; quia hæc non oritur immediatè ex Baptismo, sed mediante relatione paternitatis patrini, quando parens filij est, aut fit capax dictæ compaternitatis.

Sancius. *Ægidius.* *Ægidius. Henriq.*

Cognatio tamen paternitatis, quæ Iure diuino naturali oritur in non baptizato baptizante filium Mariæ, & eum iustificante, non dirimit matrimonium, etiam quando ille baptizans baptizatur; quia cognatio paternitatis quæ dirimit matrimonium, non est quæ oritur ex diuino Iure naturali, ex eo quòd quis baptizet & iustificet, sed illa quæ oritur ex Iure Ecclesiastico, ex eo præcisè quòd quis baptizet, quamuis non iustificet; & hæc non oritur in baptizante, quando ipse non est baptizatus, quia tantùm oritur ex Iure Ecclesiastico, cui non baptizatus non est subiectus.

Obseruandum est, quemcumque baptizatum aut confirmatum, quantumuis hæreticum, quamcumque cognationem contrahere, etiam introductas ex Iure Ecclesiastico, quia etiam hæreticus est subiectus Iuri Ecclesiastico, & validè exercet munus patrini, & administrantis dicta Sacramenta.

DIFFICVLTAS III.

Quis actus requiratur in patrinis, vt contrahant cognationem spiritualem.

COnueniunt Doctores, ad contrahendam cognationem spiritualem requiri in patrinis actum tenendi baptizatum aut confirmatum, dum baptizatur aut confirmatur, vel actum suscipiendi baptizatū de manibus baptizantis, vbi baptizatus tenet infantem; quia Iura, quibus dicta cognatio inducitur, vtuntur dictis aut æquiualentibus verbis, nempe, *suscipit, accipit, tenet, leuat,* vt constat ex quinq; primis canonibus, 30. q. 1. & ex Tridentino sess. 24. c. 2. & ex alijs iuribus; & etiā vtuntur verbo *tangit,* quod intelligitur de tactu suscipiendi aut tenendi, aut alio æquiualente, præcipuè de tactu, quo adultus tactus, quamuis non subleuatus, dicitur teneri, & quod efficere tenetur patrinus adulti ex vi sui officij: quòd si id non efficiat, non solùm non satisfacit suo muneri, sed neque contrahit dictam cognationem, etiamsi assistat quasi se offerens, aut in suam curā suscipiens adultum, vt contra Sotum & Sà docet Sancius disp. 56. Et multò minùs eam contrahet matrina, quando ipsa non tenet neque suscipit immediatè de manu baptizantis, quamuis suscipiat de manu patrini.

Præter actum autem tenendi, vel suscipiendi, vel æquiualentem, non requiritur responsio pro puero, dum fit catechismus, ad contrahendam dictam cognationem, vt contra nonnullos docet Sancius lib. 7. disp. 56. Basilius lib. 7. cap. 33. & communiter Doctores: quia in Iuribus, quibus inducitur dicta cognatio ex Baptismo & ex Confirmatione, nulla requiritur responsio; imò in ipso Baptismo & Confirmatione nulla est interrogatio neque responsio, sed tantùm in catechismo (qui regulariter comitatur Baptismū) in quo patrinus ex vi sui officij profitetur fidem propatuulo, non autem in Baptismo: non est autem necessarium, quòd in catechismo sit idem patrinus, etiamsi, quando catechismus comitatur Baptismum, idem sit in vtroque. Ex catechismo tamen, secluso Baptismo, non oritur cognatio matrimo-

niam

nium dirimens, imò, post Tridentinum, neque impediens, vt dicemus Disput. xv. Difficult. 1.

Præter actum tamen externum tenendi aut suscipiendi, etiam requiritur intentio libera eum actum efficiendi, vt docet Sancius disp. 58. quia non contrahitur dicta cognatio, nisi ob actum exteriorem humanum, qui absque dicta intentione non est talis: imò requiritur intentio efficiendi eum actum vt patrinus, vt aduertit Basilius; sed non requiritur intentio contrahendi eam cognationem, quia non contrahitur immediatè ex voluntate, sed ex Iure Ecclesiastico immediatè annexo dicto actui exteriori humano: imò neque requiritur intentio efficiendi actum illum vt cærimonialem, seu vt cærimoniam ab Ecclesia institutam (etiamsi regulariter fiat sic saltem confusè) vt contra Sancium & Ægidium docent Lopez 2. Parte Instructorij cap. 51. & Gallego de Cognatione spirituali c. 14. quia ad cognationem contrahendam nihil aliud requiritur in Iure, ex quo introducta est, quàm actus ille exterior physicus liberè factus à patrino vt patrino. Nihilominùs qui baptizat absque intentione efficiendi Baptismum vt cærimoniam à Christo institutam, saltem confusè, intendendo videlicet efficere quod Ecclesia facit, non contrahit dictam cognationem, quia non validè baptizat ex defectu intentionis à Christo requisitæ: patrinus autem absque dicta intentione validè exercet officium patrini, quia dicta intentio non requiritur ad id.

Basilius.

12 *Lopez. Gallego.*

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm quando plures quàm vnus & vna tenent aut suscipiunt baptizatum, omnes contrahant cognationem spiritualem.

13 QVamuis Iure antiquo, can. *Non plures.* de Consecratione, dist. 4. & cap. fin. de Cognatione spirituali, in 6. prohibitum fuerit, plures patrinos in Baptismo & Confirmatione adhiberi, & fuerit decretum, quòd si, ea prohibitione non obstante, plures essent patrini, omnes dictam cognationem spiritualem contraherent: iam tamen Iure nouo Tridentini sess. 24. c. 2. permittitur, quòd in Baptismo possint duo, vnus & vna tenere aut suscipere in Baptismo; vbi additur, eos esse designandos ab eis, ad quos designatio spectet, & quòd ab alijs vltra designatos, quamuis efficiant actus patrini, nõ contrahatur cognatio spiritualis. Quod verò docet Sancius lib. 7. disp. 56. n. 9. nempe id quod addidit Tridentinum, & restrinxit circa patrinos in Baptismo, etiam extendi ad patrinos in Confirmatione, absq; fundamento dicitur; ac proinde Ius antiquum quoad patrinos in Confirmatione in suo robore manet.

Trident.

Sancius.

14 Designatio autem patrinorum spectat ad parentes, aut ad alios quibus incumbat cura baptizandi, vt innuitur in Tridentino; in eorum verò defectu pertinet ad baptizantem, quia ei incumbit quòd Baptismus legitimè celebretur, quod non fieret absque patrino.

Ex dictis constat, designare & admittere in Baptismo plures quàm vnum & vnam, esse peccatum, vtpote contra prohibitionem antiquam & Tridentini, & esse mortale, vt contra Sancium docent Rodriguez & Vega; & non esse peccatum, adhuc veniale, maritum & vxorem designari & admitti patrinos alienæ sobolis, vt contra Suarez & Gallego docent Sancius & alij, quia id nullibi prohibitum est, vt fatetur Vrbanus II. in can. fin. 30. quæst. 4.

Rodriguez, Vega.

Sancius.

His suppositis, Primò est difficultas, An quando, non obstante statuto antiquo & Tridentini, plures quàm duo, quorum nullus sit designatus, tenent aut suscipiunt in Baptismo, aut si tantùm duo, ambo tamen aut sunt mares, aut sunt fœminæ, omnes contrahant cognationem spiritualem.

Sancius lib. 9. d. 57. & Ægidius d. 32. num. 29. docent, nullum eorum contrahere cognationem spiritualem, siue simul siue successiuè teneant aut suscipiant, quia deficiente designatione nullus eorum est verè patrinus, quia Tridentinum eam requirit ad officium patrini: & hac ratione (si efficax est) quamuis vnus tantùm teneat aut suscipiat, quando non est designatus, non erit verè patrinus, neque cognationem contrahet, quod Ægidius supponit esse verum.

Sancius. Ægidius.

15

Henriquez verò l. 12. c. 11. & Rebellus l. 3. q. 6. docent, omnes illos cognationem contrahere, siue simul siue successiuè teneant aut suscipiant, & meritò; quia, vt quis sit validè patrinus, non requiritur à Tridentino designatio (id enim nullo verbo indicatur) sed tantùm statuit, quòd Parochus non admittat in patrinum nisi designatum ab illis ad quos id spectat, *& quod si alij præter designatos teneant aut suscipiant, non contrahant cognationem.* Pro eo autem casu, in quo nullus sit designatus, nihil statuit. Ergo in hoc casu standum est Iuri antiquo cap. fin. de Cognatione spirituali, in 6. iuxta quod omnes tenentes contrahunt illam; quia à Iure antiquo non est recedendum, nisi quoad correcta aut excepta in nouo.

Henriquez. Rebellus.

16

Secundò est difficultas, An quando plures, quàm à Tridentino permittuntur, designantur, & verè tenent aut suscipiunt, contrahant omnes cognationem spiritualem. Procedit autem, quando omnes simul incipiunt tenere aut suscipere.

Suarez 3. p. q. 67. art. 8. docet, tunc nullum contrahere cognationem: quia tunc nullus obit munus patrini modo statuto à Tridentino, nempe totaliter; aut si partialiter, sociando tantùm alium diuersi sexus. Sancius verò, Ægidius & Basilius c. 30. docent, tunc omnes cõtrahere cognationem, & meritò; quia quamuis Tridentinum statuat & præcipiat, vt non designetur nisi vnus, aut ad summum vnus & vna, non tamen irritat designationem plurium duobus. Et quamuis irritaret, non obstaret ad contrahendum cognationem; quia, vt iam diximus, defectus designationis non obest ad validè obeundum munus patrini: imò neque ad contrahendam cognationem, nisi quando vltra designatos alij non designati etiam tangunt (id est tenent aut suscipiunt) vt ex Tridentino constat.

Suarez.

Ægidius. Basilius.

Et in casu dicto, quando scilicet plures quàm vnus, aut quàm vnus & vna, designati tenent aut suscipiunt, non solùm vnus, aut vnus & vna, qui priùs incipiunt tenere aut suscipere, contrahunt cognationem (in quo Doctores conueniunt) sed etiam illi, qui post vnum, aut post vnum & vnam, incipiunt tenere aut suscipere, quidquid Basilius dicat: quia tunc etiam illi qui posteriùs incipiunt, sunt verè designati & admissi, & exercent actum patrini, non minùs quàm qui priùs inceperunt.

17

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm qui per procuratorem seu substitutum exercet munus patrini, contrahat cognationem spiritualem.

Sancius. Henriq. SAncius lib. 7. d. 59. & Henriquez lib. 11. negant, Primò, quia Iura, quibus dicta cognatio inducitur, requirunt ad id tactum patrini, quem non habet qui per procuratorem tenet aut suscipit. Secundò, quia qui tribuit commissionem ad baptizandum, non contrahit cognationem ex Baptismo facto à suo commissario; ergo.

Rebellus. Ægidius. Basilius. Rebellus verò lib. 3. q. 6. Ægidius d. 32. num. 4. & Basilius c. 39. affirmant, & meritò: quia qui per procuratorem exercet munus patrini, per eum tenendo aut suscipiendo, verè & validè exercet illud, vt generaliter constat ex eo, quòd quilibet potest per alium, quod potest per se ipsum, quando Iure aliquo non cauetur, vt nō cauetur in præsenti materia. Ex quo constat ad priorem rationem aduersariorum. Et ad posteriorem, concedendo Antecedens, negamus Consequentiam, ob manifestum discrimen; quia qui baptizat ex licentia seu ex commissione alterius, non baptizat nomine illius, eum repræsentans, & vt eius procurator, neque dicitur per illum baptizare, sed tantùm vt minister Christi & Sacramenti, quamuis ex licentia alterius.

18

Sancius. Henriquez. Ægidius. Basilius. Addimus, vt contra Sotum & Toletum docent Sancius, Henriquez, Ægidius & Basilius, ipsum procuratorem non contrahere dictam cognationem; quia quamuis ipse immediatè teneat, non tamen suo nomine, sed alieno, & ita ipse non dicitur patrinus; secùs qui baptizat ex licentia seu commissione alterius, quia iste non baptizat nomine committentis, sed proprio, tamquam verus minister ad id à Christo designatus, ac proinde iste illam contrahit.

19

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm ex Baptismo non solemni priuatim facto oriatur cognatio spiritualis, tam in patrino quàm in baptizante.

Nauarrus. Ægidius. CIrca prius Nauarrus cap. 22. num. 40. Ægidius d. 32. num. 59. & Basilius c. 40. docent, patrinum etiam in Baptismo priuatim facto (vt quando ob necessitatem domi fit) contrahere cognationem, quia tunc patrinus verè tenet aut suscipit.

Sotus verò in 4. dist. 42. quæst. 1. artic. 2. Sancius lib. 7. dub. 62. & Suarez 3. part. quæst. 67. art. 8. dub. vltim. docent, patrinum in Baptismo priuato non contrahere cognationem, & meritò: quia tentio & susceptio baptizati in Baptismo instituta est ab Ecclesia vt cærimonia in solemni Baptismo, vt ad eius solemnitatem iuuet; ergo quando Baptismus non est solemnis, tentio aut susceptio (quæ tunc non est necessaria) si fit, non est cærimonialis, neque fit eo modo quo cærimonialis est, quia non fit vt est instituta ab Ecclesia in Baptismo, videlicet solemni, ob eius solemnitatem; ergo ex eo actu non oritur cognatio, quia hæc tantùm oritur ex eo vt cærimoniali, & vt instituto ab Ecclesia, quamuis non fiat ex ea intentione, & de eo vt sic loquuntur Iura inducentia cognationem ex illo.

Addimus, vt optimè Sancius contra Suarez id esse verum, etiamsi qui in Baptismo priuato tenet, intendat exercere munus patrini; quia ea intentione non fit actum illum esse cærimoniale, & fieri vt cærimonialem, quia non fit eo modo quo institutus est ab Ecclesia.

Circa posterius conueniunt communiter Doctores, baptizantem, etiam priuatim, quamuis laicum, & in extrema necessitate, contrahere dictam cognationem. Ita Sancius disp. 62. quia Iura, quibus dicta cognatio inducitur, absolutè loquuntur de baptizante, nullum excipiendo, quamuis in cap. fin. de Cognatione spirituali, in narratione facti fiat mentio de baptizante qui fuit Sacerdos. Fatemur, in can. *Ad limina.* 30. quæst. 1. excipi parentes in necessitate proprium filium baptizantes, non quantum ad non dirimendum matrimonium subsequens (ac proinde pater, qui proprium filium ex concubina baptizat in necessitate, nequit cum illa validè contrahere) sed tantùm excipiuntur, ne ob actum misericordiæ præceptum priuentur iure petendi, quo in can. 1. & 2. 30. quæst. 1. antiquitus priuabantur; eo tamen iam non priuari parentes, quamuis absque necessitate, & absque ignorantia proprium filium baptizent, diximus Disputatione x. Difficultate vi.

DISPVTATIO XIX.

De Cognatione legali.

DIFFICVLTAS I.

Quid & quotuplex sit Cognatio legalis.

1

ADoptio (ex qua oritur cognatio legalis) *est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, vel deinceps, legitima assumptio.* Dicitur *extraneæ personæ*, id est, personæ quæ non originatur naturaliter ab adoptante. Dicitur *legitima assumptio*, id est, secundùm leges. Dicitur *in filium, vel nepotem, vel deinceps*, quia adoptio secundùm leges non fit in patrem, aut in fratrem, & ideò adoptio dicitur imitari naturam, secundùm quam pater generat filium, ob quod etiam dicitur generatio legalis.

Adoptio autem est duplex, vna Perfecta, quæ *arrogatio* dicitur, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis, & fit heres illius necessarius, etiam ex testamento, & tantùm fit auctoritate supremi Principis: altera est Imperfecta, seu simplex, quæ nomen adoptionis retinet, qua adoptatus non transit in potestatem adoptantis, quia per eam assumitur in filium ille, qui est sub potestate sui patris carnalis, & non est heres necessarius

tius ex testamento, sed tantùm ab intestato, & fieri potest auctoritate magistratus inferioris Principe.

2 Hoc ergo supposito, circa prius, cognatio legalis est *propinquitas ex adoptione proueniens.*

Circa posterius, triplex est species cognationis legalis, alia in linea recta inter adoptantem & adoptatum, cuius fit mentio in Iure Cæsareo & Castellæ; alia in linea transuersa seu laterali, inter adoptatum & filios carnales adoptantis, cuius fit mentio in Iure Cæsareo & Canonico; alia quasi affinitas inter adoptantem & vxorem adoptati, & econtrà inter adoptatum & vxorem adoptantis, cuius mentio fit in Iure Cæsareo & Castellæ, de quo videri potest Sancius lib. 7. d. 63. *Sancius.*

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Cognatio legalis dirimat Matrimonium.

3 CONueniunt Doctores, cognationem legalem, ortam ex adoptione, dirimere matrimonium, non Iure naturali, vt patet, sed positiuo Ecclesiastico, vt constat ex can. *Ita diligere.* & ex can. *Per adoptionem.* 30. quæst. 3. & ex cap. vnico de Cognatione legali, approbantibus leges Cæsareas, quibus dicta cognatio dirimens fuit primò introducta.

Est tamen difficultas Primò, An cognatio, orta ex adoptione imperfecta, dirimat matrimonium. *Sancius. Henriq. Ægidius.* Sancius lib. 7. disp. 63. Henriquez lib. 12. c. 12. Ægidius d. 32. num. 34. & Ochagauia quæst. 58. negant; quia cùm matrimonium sit res fauorabilis, Iura illud dirimentia ob adoptionem restringi debent ad perfectam. Imò addit Ochagauia, non impedire matrimonium. *Ochagau.*

Toletus. Rebellus. Basilius. Toletus verò lib. 7. cap. 4. Rebellus lib. 3. quæst. 7. & Basilius cap. 41. affirmant, & meritò: quia Iura, quibus ex adoptione inducitur cognatio legalis dirimens matrimonium, loquuntur de adoptione absolutè, & absque distinctione aliqua; adoptio autem imperfecta, quamuis sit imperfecta, est tamen absolutè, & verè, & propriè adoptio; vnde dicta Iura non sunt restringenda ad cognationem legalem ex adoptione perfecta.

4 Secundò est difficultas, An cognatio legalis secundùm omnes tres suas species dirimat matrimonium.

Conueniunt Doctores, cognationem legalem in linea recta dirimere matrimonium, vt constat ex can. *Ita diligere.* Idem quoque, paucis quibusdam exceptis, docent reliqui Doctores de secunda specie, nempe de cognatione legali in linea transuersali, & etiam de tertia specie, nempe de affinitate legali, quòd scilicet etiam dirimat matrimonium, vt constat ex cap. vnico de Cognatione legali, & ex can. *Per adoptionem.* 30. quæst. 3. vbi approbatur impedimentum cognationis legalis, quasi in communi, & specialiter secunda species: & non obstat, quòd Iure scripto Canonico tertia species non sit specialiter approbata; quia sufficit quòd sit approbata sub cognatione legali, quasi in communi; præsertim quòd omnes tres species approbatæ sunt consuetudine scita à Romanis Pontificibus, vt aduertit Sancius num. 17. *Sancius.*

Obseruandum est, cognationem legalem aduenientem matrimonio iam contracto, non impedire petitionem debiti, vt aduertunt Sancius & Basilius, quia id nullo Iure cauetur. 5 *Sancius. Basilius.*

DIFFICVLTAS III.

In quoto gradu, & quousque cognatio legalis duret, & dirimat Matrimonium.

CIrca prius conueniunt Primò Doctores, affinitatem legalem, quæ est tertia species, tantùm dirimere matrimonium adoptantis cum vxore adoptati, & econtrà matrimonium adoptati cum vxore adoptantis, quia istæ tantùm personæ Iure exprimuntur, & redduntur inhabiles. 6

Conueniunt Secundò, cognationem legalem in linea transuersa, quæ est secunda species, dirimere matrimonium personæ adoptatæ cum filijs, aut filiabus carnalibus adoptantis; quia personæ istæ Iure ipso dirimente assignantur.

Est tamen difficultas, An inter adoptatum & adoptatam ab eodem adoptante sit cognatio legalis dirimens matrimonium.

Petrus Ledesma quæst. 57. art. 3. & Ochagauia quæst. 58. affirmant, sed absque Iure aliquo, & ideò Sancius disp. 63. Henriquez, Rebellus & Basilius meritò negant. *Ledesma. Ochagau. Sancius. Henriq. Basilius.*

Conueniunt Tertiò Doctores, cognationem legalem in linea recta, quæ est prima species, dirimere matrimonium inter adoptantem & adoptatum, quia personæ istæ Iure ipso dirimente exprimuntur.

Est tamen difficultas, An dirimat etiam inter aliquas alias personas. 7

Antonin. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 13. docet, contrahi, & dirimere inter adoptantem ex vna parte, & inter adoptatum eiusque descendentes in infinitum, ex altera. Nauarrus cap. 22. num. 45. Toletus & Basilius docent, contrahi, & dirimere inter adoptantem ex vna parte, & inter adoptatum eiusque descendentes vsque ad quartum gradum, ex altera. Henriquez lib. 12. cap. 12. inter adoptantem ex vna parte, & inter adoptatum eiusque filios ex altera. *Nauarrus. Toletus. Basilius. Henriq.*

Sancius. Sancius verò disp. 63. num. 34. docet contrahi, & dirimere inter adoptantem ex vna parte, & inter adoptatum eiusq; descendentes qui erant sub potestate adoptati, quando fuit adoptatus, ex altera, & meritò: quia dicta cognatio contrahitur & dirimit inter adoptantem & adoptatum, vt Iure ipso exprimitur; adoptatâ autem aliquâ personâ, etiâ censentur adoptari omnes personæ quæ erant sub potestate illius quando illa adoptabatur, vt exprimitur in L. *Si pater familias.* ff. De adoptionibus. Quòd verò non protrahatur ad alios descendentes personæ adoptatæ, constat; quia Iure, quo dicta cognatio inducitur, nulla alia persona exprimitur, nisi adoptans & adoptata, & nulla persona descendens censetur adoptata, nisi quæ erat sub potestate personæ adoptatæ quando adoptabatur. 8

Circa posterius conueniunt Primò Doctores, primam speciem lineæ rectæ, & tertiam affinitatis legalis, semel contractas, semper & in perpetuum durare, & dirimere matrimonium, etiamsi adoptio legitimè cesset, vt constat ex L. *Quin*

etiam. & ex L. *Adoptiuus.* ff. De ritu nuptiarum, quæ approbatæ sunt Iure canonico tam consuetudine introducto, quàm scripto in can. 1. 30. quæst. 3.

9 Conueniunt Secundò, cognationem legalem in linea transuersa, quæ est secunda species, tamdiu tantùm durare, & consequenter etiam dirimere, quamdiu durat adoptio, & quamdiu filij siue carnales siue adoptiui sunt sub potestate adoptantis, vt constat ex cap. vnic. de Cognatione legali, & ex dicto can. *Per adoptionem.* Vnde vt frater carnalis ducat sororem adoptiuam, sufficit aut quòd adoptio cesset, aut quòd alteruter emancipetur, quo desinit esse sub potestate adoptantis.

DISPVTATIO XX.

De Affinitate.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Affinitas, & quid ad eam requiratur.

1 CIRCA prius, affinitas (quæ dicitur, quasi finium consanguinitatis vnitas, seu sanguinum confinium) *est personarum propinquitas, ex copula carnali proueniens, omni carens parentela* (id est, non egens coniunctione consanguinitatis vt contrahatur, quamuis possit esse cum illa;) ex eo enim, quòd vir & femina mediâ copulâ fiant vna caro & vnus sanguis, consanguinei vnius fiunt propinqui & affines alteri, & econtrà, & non ipse vir & ipsa femina qui fuerunt carnaliter commixti, qui potiùs sunt stipes seu truncus, vnde sumitur initium affinitatis.

Vnde quolibet mortuo, in eius consanguineis perseuerat affinitas cum altero superstite; quia quamuis tunc deficiat persona quæ fuit origo & principium affinitatis, non tamen deficit subiectum affinitatis originatæ seu inductæ, & terminus illius.

2 Quia ergo affinitas oritur ex coniunctione seu commixtione carnali in consanguineis vnius cum altero, cum quo fuit carnaliter coniunctus, ideò ex numero graduum consanguinitatis, & ex eius lineis computandi sunt gradus affinitatis, & assignandæ sunt lineæ illius. Vnde ex copula Petri, qui est filius Pauli, cum Maria, oritur in Paulo patre affinitas in primo gradu lineæ rectæ cum Maria, nempe soceri cum nuru; & ex copula Petri fratris Pauli, cum Maria, oritur in Paulo fratre affinitas in primo gradu lineæ transuersæ cum Maria, nempe leuiri cum glore.

Circa posterius conueniunt Doctores contra Michaëlem Medinam lib. 5. de Sacrorum hominum continentia, cap. 76. copulam absque seminis intromissione non sufficere ad affinitatem; quia affinitas ex eo solùm oritur, quòd sanguis viri (id est semen, quod honestiori nomine dicitur sanguis, quia proximè fit ex sanguine) & sanguis menstruus feminæ, aut eius semen, commisceantur intra matricem ipsius feminæ, vt tradit Benedictus in can. *Lex diuina.* 23. quæst. 2. quia absq; ea commixtione vir & femina non fiunt vna caro & vnus sanguis, ac proinde consanguinei vnius non fiunt affines alteri.

Benedictus.

3 Addimus Primò (in quo etiam conueniunt Doctores) ad affinitatem non sufficere quamcumque sanguinum commixtionem, sed requiri eam quæ ex se sit sufficiens ad generationem seu formationem vnius carnis & prolis, nisi sterilitas aut aliquid aliud obstet, quia absque ea commixtione qui aliter commiscentur, non fiunt vna caro & vnus sanguis; quia fieri vnam carnem seu vnum sanguinem, est fieri principium ex se sufficiens vnius carnis & prolis. Et sanè si ad affinitatem non esset necessaria commixtio generationi apta, non esset ad illam necessaria commixtio seminis viri cum semine, aut cum menstruo feminæ. Vnde ad affinitatem requisita est immissio seminis prolifici viri, & non sufficit seminis eunuchorum, quia hæc inepta est generationi; neque sufficit immissio seminis prolifici sodomiticè facta, quia non est apta ad generationem, vtpote non facta intra matricem feminæ. Ita tamen dicta commixtio requisita est ad affinitatem, vt etiam sufficiat absque copula, seu visis feminei penetratione, quomodocumque contingat absque copula, quamuis à casu & coacte, & arte adhuc dæmonis (in quo contra Basilium lib. 7. cap. 33. Doctores communiter conueniunt) quia ea, quomodocumque fiat, quamuis absque copula, sufficit vt sic commixti fiant vna caro & vnus sanguis, etiamsi, qui nequit aliter commisceri nisi à casu vel arte dæmonis, non sit habilis ad matrimonium, vt dicemus Disputatione XXII. Difficultate III. quia hic est moraliter impotens. Dicitur tamen affinitas, quòd sit propinquitas ex copula carnali prouenens, quia dicta sanguinum commixtio, ex qua proximè prouenit, fit regulariter mediâ copulâ.

Addimus Secundò (vt contra Sancium d. 64. & contra Basilium docent Innocentius in cap. *Fraternitatis.* de Eo qui cognouit consanguineam, & Ludouicus Lopez 2. part. Instructionis cap. 50.) non sufficere seminationem viri in matricem feminæ in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus, sed etiam requiri seminationem feminæ, vt indicatur in can. *Lex diuina.* dum in eo requiritur sanguinis (id est seminis) commixtio: quia Galenus & Auicenna docent, quòd etiam seminatio feminæ est necessaria ad generationem, & sanè semen feminæ non videtur ad aliud à natura institutum.

Ex dictis constat, ex matrimonio rato non consummato non oriri affinitatem, quod declarauit Pius V. in Breui, quod incipit, *Ad Romanam.*

DIFFI-

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm ex dicta copula seu commixtione Iure naturali oriatur Affinitas.

SVpponimus, ex quacumque copula perfecta commixtione carnali, adhuc fornicaria, oriri affinitatem Iure positiuo Ecclesiastico, vt patet ex cap. *Non debet.* 8. de Consanguinitate & affinitate, & ex cap. *Discretionem.* 6. de Eo qui cognouit consanguineam, & ex alijs Iuribus. Est tamen difficultas, An etiam oriatur naturaliter seu Iure naturali.

6 Conueniunt Doctores, ex dicta copula, quando coniugalis est, oriri naturaliter affinitatem, secluso Iure positiuo: quia per illã coniuges fiunt vna caro & sanguis, ratione cuius quilibet coniux naturaliter & necessariò fit affinis consanguineis alterius coniugis, vtpote accedens ad eorum sanguinem.

Est tamen difficultas, An etiam oriatur naturaliter ex dicta copula, quando fornicaria est.

Sancius. Henriq. Sancius lib. 7. disp. 65. & Henriquez lib. 12. cap. 1. negant, quod videtur significari in L. *Non facilè. § Sciendum est.* ff. De gradibus affinitatis, dum dicitur, neque cognationem neque affinitatem esse posse, nisi nuptiæ non interdictæ sint, ex quibus affinitas coniungitur. Quod etiam ratione probatur Primò, quia nulla sunt nomina, quibus nominemus sic affines ex fornicatione. Secundò, quia affinitas tantùm oritur ex copula quæ nata est causare amicitiam, qualis non est copula fornicaria.

7 *Ioan And. Ægidius.* Ioannes Andreas in cap. 1. de Conuersione infidelium, & Ægidius disp. 32. num. 49. affirmant, & meritò: quia etiam per dictam copulam fornicariã vir & femina fiunt vna caro & vnus sanguis, non minùs quàm per coniugalem, vt ex se patet, & tradit Paul. 1. ad Corinth. 6. cùm ait: *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur. Erunt*, inquit, *duo in carne vna*: ergo quilibet ex illis naturaliter, & necessariò manet affinis consanguineis alterius, vtpote accedens ad eorum sanguinem.

In L. autem *Non facilè.* dum dicitur, ex nuptijs interdictis, id est incestuosis, non contrahi affinitatem, sermo est non absolutè, sed quoad successionem, & alios effectus ciuiles. Ad priorem verò rationem negamus Antecedens, quia eisdem nominibus vocantur affines facti ex fornicatione, quibus facti ex copula coniugali, quamuis ab eis abstineamus, quia affinitas ex copula fornicaria probro ducitur. Et ad posteriorem respondemus, affinitatem sufficienter oriri ex natura copulæ, per quam vir & femina fiunt vna caro, ob rationem dictam, siue illa sit nata causare amicitiam, siue non, præsertim quòd copula fornicaria ex se nata est causare amicitiam inter eos qui eam habuerunt, cùm eos faciat vnam carnem, ac proinde etiam inter consanguineos vnius partis, & inter alteram partem, quamuis per accidens ratione opprobrij consanguinei vnius partis, præsertim feminæ, odio habeant alteram partem.

8

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Affinitas in linea transuersa Iure naturali dirimat Matrimonium.

SVpponimus, affinitatem in secundo & in vlterioribus gradibus lineæ transuersæ Iure naturali non dirimere matrimoniũ contrahendum, imò neque impedire; quia neque id efficit consanguinitas, quæ est strictior propinquitas. Quærimus tamen, An affinitas in primo gradu lineæ transuersæ illud dirimat Iure naturali, vt affinitas cum vxore fratris. 9

Paludan. Antonin. Paludanus in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 5. Antoninus 3. par. tit. 1. cap. 11. & 14. & alij, præsertim hæretici nostri temporis, partem affirmatiuam tuentur, vt defendant Henricum VIII. Angliæ Regem, qui Catharinam filiam Ferdinandi, & Elisabetham vxorem fratris sui Arthuri, quam ex dispensatione Iulij II. duxerat, repudiauit, & ea viuente duxit Annam Bolenam: quod deduci videtur ex Matth. 14. & Marc. 6. vbi Ioannes Baptista reprehendit Herodem, quia duxerat vxorem Philippi fratris sui, & tamen Herodes, vtpote gentilis, non tenebatur lege diuina Leuitici 18. *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis*, sed tantùm Iure & lege naturali. Et ratione probatur, quia matrimonium inter fratrem & sororem est Iure naturali nullum; sed vxor fratris reputatur soror, quia per actum coniugalem effecta est vna caro & sanguis cum fratre, ergo.

10 *S. Thomas. Caietanus. Sancius. Basilius.* S. Thomas verò 2. 2. quæst. 154. art. 9. ad 3. & ibidem Caietanus, Sancius lib. 7. disp. 66. Basilius l. 7. c. 34. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: imò & necessariò tenenda est. Quod Primò constat ex factis Pontificum: quia Pontifices in eo primo gradu dispensarunt, vt Innocentius III. cum Liuonensibus, vt constat ex cap. fin. de Diuortijs, Alexander VI. cum Emanuele Rege Lusitaniæ, & Iulius II. cum dicto Henrico VIII. cuius dispensationẽ Clemens VII. approbauit. Pontifices autem nequeunt in Iure naturali dispensare. Secundò idẽ constat ex Scriptura: quia Iacob vir sanctissimus Genes. 29. ante prohibitionem diuinam Leuit. 18. Liam & Rachelem sorores duxit, & Deuter. 25. frater iubebatur ducere vxorem fratris sui defuncti absque liberis. Tertiò constat ex exemplo consanguinitatis, quæ quamuis sit strictior affinitate, non dirimit matrimonium Iure naturali in eo gradu, vt iam diximus. Quartò, quia nulla inter affines lineæ transuersæ reperitur superioritas aut quasi superioritas ex natura rei, ac proinde dicta affinitas non dirimit matrimonium ex natura rei, imò neque impedit; quia si dirimeret aut impediret, esset, quia commixtio carnalis, ad quam matrimonium ordinatur, non posset absque irreuerentia fieri.

11 Ad fundamentum verò aduersariorum, ex reprehensione Baptistæ desumptum respondemus, eum reprehendisse Herodem, aut quia duxit vxorem fratris sui viuentis, vt testantur Iosephus 12. Antiquitat. cap. 9. Nicephorus, & alij: aut si defuncti (vt credit Chrysostomus Homil. 44. in Matth.) non tamen absque liberis; quia reliquerat puellam saltatricem, quod prohibitum erat veteri lege Leuit. 18. qua Herodes, quamuis gentilis, tenebatur, quia erat filius Iudæi. *Iosephus. Nicephor. Chrysost.*

Ad

Ad rationem verò constat, matrimonium inter fratrem & sororem non esse Iure naturali nullum, imò neque illicitum, saltem grauiter; & quamuis istud esset nullum aut illicitum, non conuinceret, etiam esse nullum inter affines in eodem gradu, neque illicitum; quia affinitas minor est consanguinitate.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat Matrimonium Iure naturali.

12 *Sotus. Couarru. Ægidius.* SOtus in 4. dist. 4. quæst. 1. art. 3. Couarruuias 4. Decretal. 2. par. cap. 6. & Ægidius disp. 32. dub. 4. partem affirmatiuam tuentur; quia copula carnalis, ad quam matrimonium suâ naturâ ordinatur, nequit, ex natura rei, fieri absque irreuerentia inter affines in dicto gradu; ergo matrimonium inter eos nequit validè fieri, quia nequit conferri ius iustitiæ (quale confertur per matrimonium) ad id quod ex obiecto & intrinsecè est malum. Antecedens verò probatur, quia vxor, v.g. patris, ex coniunctione carnali ad patrem, fit vna caro cum ipso patre; ergo in accessu filij ad vxorem patris, vtpote carnem patris, nequit non esse irreuerentia ex natura rei. quam irreuerentiam significare videtur Paul. 1. ad Corinth. 5. dum ait: *Auditur inter vos fornicatio, & talis, qualis neque inter gentes, ita vt vxorem patris sui quis habeat.*

13 Quod nonnulli extendunt ad affines lineæ rectæ in quocumque gradu sine fine, sicut nos diximus de consanguineis, quia ferè eadem reuerentia debita sit affinibus ac consanguineis.

Caietanus. Sancius. Henriquez. Basilius. Caietanus verò 2. 2. quæst. 154. art. 9. Sancius lib. 7. disp. 66. Henriquez lib. 12. cap. 1. & 9. & Basilius lib. 7. cap. 34. partem negatiuam tradunt, & meritò; quia inter dictos affines nulla reperitur superioritas, contra cuius reuerentiam sit vsus matrimonij; quia superioritas tantùm est in eo qui est principium naturale alterius, & non in eo qui est affinis; quamuis fiat vna caro cum principio naturali, quia propriè non fit vna caro cum illo, sed tantùm quia fiunt principium vnius carnis: ac proinde quamuis in accessu filij ad vxorem patris iam defuncti sit ex natura rei aliqua indecentia, sed non irreuerentia, aut impietas; benè tamen in accessu ad vxorem patris viuentis, non ipsi nouercæ facta, sed patri, & maxima, quia ei fit maxima iniuria adulterij. Et de hac loquitur Paulus vbi suprà. Id quoque non leuiter confirmatur ex eo, quòd Pontifices nõ rarò pro foro conscientiæ dispensant in dicta affinitate, orta ex copula fornicaria, & tamen est eiusdem rationis cum ea quæ oritur ex copula coniugali; quia fornicarij eodem modo fiunt vna caro per copulam, ac coniuges.

14 Addimus, matrimonium inter dictos affines non solùm non esse irritum ex natura rei, sed neque illicitum; quia nulla in vsu illius reperitur irreuerentia, etiamsi non desit aliqua indecentia.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Affinitas dirimat Matrimonium Iure aliquo positiuo.

COnueniunt Doctores, affinitatem non dirimere matrimonium Iure aliquo positiuo diuino, quia non Euangelico, vt patet; neque veteri, quia quamuis veteri lege Leuit. 18. affinitas in aliquot gradibus dirimebat, iam tamen tota lex vetus purè diuina (qualis erat dicta) cessauit morte Christi: dirimere tamen Iure positiuo Ecclesiastico, vt constat ex pluribus Iuribus quæ statim citabimus.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis Iure antiquiori Ecclesiastico esset triplex genus affinitatis dirimens matrimonium, vt constat ex tit. de Eo qui cognouit consanguineam vxoris, & ex can. *Porro*, & ex can. *De propinqui*, 35. quæst. 3. iam tamen Iure nouiori, affinitas tantùm inter personam carnaliter cognitam, & consanguineos personæ cognoscentis, & econtrà inter personam cognoscentem, & consanguineos personæ carnaliter cognitæ, dirimit matrimonium, & non inter consanguineos vnius, & consanguineos alterius, neque inter aliquos alios, vt constat ex cap. *Non debet*. 8. de Consanguinitate & affinitate.

Et quamuis Iure antiquiori dicta affinitas cum consanguineis alterutrius carnaliter commixti dirimeret matrimonium, sicut cum proprijs, vsque ad septimum gradum inclusiuè vtriusque lineæ, vt constat ex can. *Nullum*. & ex can. *Æquitatem*. 33. quæst. 3. Iure tamen nouiori restricta fuit vsq; ad quartum gradum, vt constat ex dicto cap. *Non debet*. Et quamuis in Iure illo antiquiori, quo affinitas extendebatur vsque ad septimum gradum, & in nouiori, quo fuit vsque ad quartum restricta, sit tantùm sermo de affinitate orta ex copula coniugali; quia tamen Iure habito in cap. *Dissirmenem*. 6. de Eo qui cognouit consanguineam, ex copula fornicaria oritur affinitas dirimens matrimonium, sicut ex coniugali; ideò communi Doctorum applausu receptum fuit, affinitatem ex copula fornicaria in eisdem gradibus dirimere, in quibus dirimit orta ex coniugali, quod Iure consuetudine introducto, fuit obtentum, & supponit Tridentinum sess. 24. cap. 4. de Reformat. matrimon. Nihilominùs Tridentinum hîc affinitatem ex fornicatione ortam restrinxit vsque ad secundum gradum, vt iam in vlteriori non tantùm non dirimat, sed neque impediat, vt Pius V. in sua Breui *Ad Romanam* declarauit. In eo autem c. 4. Tridentini per fornicationem intelligi non tantùm simplicem, sed omnẽ non coniugalem etiam adulterij, & sacrilegij, & incestus, & raptus, conueniunt Doctores; quia Tridentinum tantùm condistinxit affinitatem ortam ex fornicatione ab affinitate, quæ oritur ex vsu matrimonij.

Addimus (vt optimè Sancius lib. d. 7. 67. 5. v. *Luxuria*, & plures alij) fornicationem habitam cum eũ affini ex fornicatione in tertio & quarto gradu non esse incestum; quia fornicatio cum affine in eis gradibus non habet specialem malitiam inuerentiæ, seu incestus Iure naturali, vt patet ex dictis; neque Iure Ecclesiastico, quia Ius Ecclesiasticum, prohibens dictam copulam intuitu reuerentiæ conferendæ affinibus, cessauit, cessante proh-

prohibitione matrimonij, quod tantùm prohibeatur ob indecentiam copulæ inter illos.

Ex dictis constat, non baptizatos validè contrahere matrimonium cum quauis sibi affini: quia
18 quamuis ante Baptismum contrahatur affinitas, quia naturaliter oritur, tamen ante Baptismum non dirimit; quia Ius Ecclesiasticum, quo solo affinitas dirimit matrimonium, non ligat ante Baptismum; inualidè tamen contrahere post Baptismum in gradibus prohibitis, quamuis affinitas contracta sit ante Baptismũ, quia dicti affines iam post Baptismum tenentur Iure Ecclesiastico dirimente matrimonium. Affinitatem autem, adhuc in secundo gradu, superuenientem matrimonio iam contracto impedire petitionem debiti, diximus Disputatione x. Difficultate VII.

DISPVTATIO XXI.

De Iustitia publicæ honestatis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm ex sponsalibus oriatur Iustitia publicæ honestatis dirimens Matrimonium.

1 IVSTITIA publicæ honestatis est propinquitas quædam Iure Ecclesiastico introducta, orta ex sponsalibus inter sponsum ex vna parte, & consanguineos sponsæ ex altera, & econtrà; aut orta ex matrimonio rato inter maritum & consanguineos vxoris, & econtrà. Dicitur autem *iustitia publicæ honestatis*, quia iustũ seu æquum est, vt ob publicam honestatem seu decentiam non contrahatur matrimonium inter dictas personas.

Conueniunt ergo Doctores, ex sponsalibus oriri iustitiam publicæ honestatis dirimentem matrimonium inter sponsum ex vna parte, & consan-
2 guineos sponsæ ex altera, & econtrà, & non oriri ex Iure naturali, seu ex natura rei, vt patet, sed ex Iure Ecclesiastico, vt constat ex can. *Si quis.* 27. quæst. 2. & ex c. *Literas.* 4. de Desponsat. impub. & ex c. *Inuenis.* 3. & ex cap. *Ad audientiam.* 4. & ex c. *Sponsam.* 8. de Sponsalibus. & ex c. vnico de Sponsalibus in 6. & in Tridentino sess. 24. c. 3. *Trident.*

Hoc impedimentum, attento Iure antiquo ante Tridentinum, oriebatur ex sponsalibus absolutis (siue à principio, siue post impletam conditionem) quamtumuis inualidis, dummodò non essent inualida ex defectu consensus, & non oriebatur ex sponsalibus incertis, sed ex certis (id est, cum certa & determinata persona) vt exprimitur in dicto cap. vnico: & eodem Iure antiquo attento, dirimebat vsque ad quartum gradum consanguinitatis, non quia in Iuribus, quibus fuit introductum, assignetur gradus vsque ad quem dirimat, sed quia in illis dicitur dirimere inter sponsum & consanguineos sponsæ, & econtrà, & consanguinitas in Iure extendebatur vsque ad quartum gradum, vt constat ex cap. *Non debet.* 8. de Consanguinitate.

3 Iam tamen Iure nouo Tridentini vbi suprà, impedimentum hoc oriens ex dictis sponsalibus restrictum est, vt non extendatur vltra priorem gradum, & vt non oriatur ex sponsalibus quacumque causa nullis.

Est tamẽ difficultas Primò, An oriatur ex sponsalibus ore tenus factis absque consensu interiori. *Sancius. Henriq. Basilius.*

Sancius lib. 7. d. 68. Henriquez lib. 12. cap. 10. & Basilius lib. 7. cap. 36. docent, oriri, quando defectus consensus non constat exteriùs, aut quia tunc sponsalia sunt valida vel ratione sui, vel saltem ratione consensus debiti, ex eo scilicet, quòd tunc debet exhiberi consensus; aut quia quamuis sint nulla, apparent tamen exteriùs valida, ob quod tunc erit publicum scandalum, & publica indecentia in contrahendo matrimonium, ob quæ vitanda, introductũ fuit dictum impedimentum.

Rebellus verò lib. 3. quæst. 14. Petrus Ledesma q. 55. art. 4. & Vera-cruz in Appendice ad Speculum fol. 76. docent, ex dictis sponsalibus non oriri, & meritò: quia, vt diximus Disp. 1. Diffic. XI. dicta sponsalia, quamuis sint valida ad obligandum ex fidelitate, non tamen ad obligandum ex iustitia, quia non sufficiunt ad conferendum ius iustitiæ sponsis in alterutrum, ratione cuius vnus 4 pertineat ad alterum quasi proprius, ex quo solo prouenit quòd sit indecens, consanguineos vnius contrahere cum altero, & econtrà, ob quod Ecclesia introduxit hoc impedimentum; ergo ex dictis sponsalibus, vtpote nullis ad obligandum ex iustitia, non oritur hoc impedimentum; quia quamuis tunc exteriùs appareat esse indecentiam in contrahendo, non tamen est verè indecentia, ob quam solam introductum est. Vnde quamuis tunc possit esse scandalum in contrahendo, quamdiu de defectu consensus non constat, & ob id quamdiu durat scandalum, sit illicitum contrahere; si tamen de facto fiat, validè fiet. *Rebellus. Ledesma. Vera-cruz.*

Et ob dictam rationem, ex sponsalibus verè nullis nullitate occulta, quamuis ipsa sint publica, non oritur hoc impedimentum, vt contra Sancium docet Ægidius disp. 32. dub. 5. *Ægidius.*

Secundò est difficultas, An ex sponsalibus validis, mutuo tamen consensu dissolutis, oriatur hoc impedimentum.

Sancius & Piasecius in Praxi Episcopali par. 2. 5 cap. 4. docent oriri, quia oritur ex sponsalibus morte alterius dissolutis, ergo etiam ex dissolutis mutuo cõsensu. Rebellus verò & Basilius docent, non oriri, & meritò: quia sponsalia, quæ mutuo consensu dissoluuntur, euanescunt immediatè & ratione sui, & sponsis viuentibus vnus desinit ad alterum pertinere, & econtrà, non verò quæ morte alterius dissoluuntur; quia ista mediatè tantùm, & ex defectu subiecti, & ipsis viuentibus semper vnus pertinuit ad alterum, & econtrà; ac proinde ex istis, vtpote perpetuis & semper validis, oritur hoc impedimentum, & non ex illis. Quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Rebellum in Append. ad 4. lib. num. 99. Et ob eamdem rationem nõ oritur ex sponsalibus dissolutis, quia vnus ob causam sufficientem resiliuit. *Rebellus. Basilius. Rebellus.*

Impedi-

Impedimentum ergo iustitiæ publicæ honestatis, quod ex sponsalibus oritur, tantùm oritur ex sponsalibus cum determinata persona, & ex absolutis, siue à principio, siue postea impleta conditione, & tantùm ex validis, & non ex nullis, siue
6 ex defectu consensus, siue ob aliquod impedimentum, quamuis occultum; siue quia sunt dissoluta, siue mutuo consensu, siue quia alter resiliuit.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm ex Matrimonio rato oriatur Iustitia publicæ honestatis dirimens Matrimonium.

SVpponimus, ex matrimonio rato nõ consummato, ex quo non oritur affinitas (vt diximus Disputat. xx. Difficultate 1.) oriri iustitiam publicæ honestatis, dirimentem matrimonium, vt
Pius V. declarauit Pius V. in Breui, quod incipit, *Ad Romanam.* & constat ex can. 14. & 15. 27. quæst. 2. & ex cap. *Iuuenis.* 3. de Sponsalibus, & ex cap. *Duo.* 52. de Desponsat. impub.

7 Quia verò iustitia publicæ honestatis ex matrimonio rato orta (quæ aliquando dicitur affinitas) non est restricta à Tridentino, sed tantùm quæ
Pius V. oritur ex sponsalibus, vt declarauit Pius V. in dicto Breui, & constat ex contextu Tridentini, ideò iustitia orta ex matrimonio rato dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum, sicut Iure antiquo ante Tridentinum dirimebat; oriturque ex matrimonio nullo (nisi quando est nullum ex defectu consensus) sicut etiam oriebatur antiquo Iure non scripto; quia solùm erat scriptum pro sponsalibus nullis, sed consuetudine introducto, desumpta ab exemplo sponsalium. Vnde ex matrimonio clandestino, etiam vbi Tridentinum viget, oritur, vt contra Sancium lib. 7. disp. 70. docent Ægidius disp. 32. dub. 5. & Basilius cap. 7. quia non est nullum ex defectu consensus. Eodem eamdem rationem etiam oritur ex matrimonio nullo ex defectu ætatis, sed non oritur ex matrimonio facto ex metu, aut ex errore personæ, aut in furia; quia est nullum ex defectu consensus.

Est tamen difficultas, An oriatur ex matrimonio rato conditionato.

Circa quam, quidquid nonnulli dicant, dicendum est (vt optimè Sancius, Henriquez & Basilius) ex matrimonio conditionato, conditione de futuro suspendente consensum, non oriri ante implerionem conditionis; quia ante eam neque habet vim matrimonij absoluti, neq; sponsalium absolutorum; iustitia autem publicæ honestatis non oritur nisi ex sponsalibus dicto modo absolutis, ac proinde neque ex matrimonio, nisi absoluto, etiam consuetudine desumpta ab exemplo sponsalium: oriri verò ex matrimonio conditionato post impletionem conditionis, vel quia tunc habet veram rationem matrimonij perfecti & absoluti, vt nos diximus Disputatione VII. Difficultate III. & iuxta hanc opinionem nostram dirimet vsque ad quartum gradum; vel quia habet rationem sponsalium, vt alij opinati sunt, & iuxta horum opinionem tantùm dirimet in primo gradu.

DISPVTATIO XXII.
De Impotentia.

DIFFICVLTAS I.

Quotuplex sit Impotentia.

1 CONVENIVNT Doctores, quòd sicut potentia est quintuplex, alia ad penetrationem vasis feminei, & non ad effusionem veri seminis; alia est econtrà ad effusionem veri seminis, non ad penetrationem vasis; alia ad penetrationem vasis, & ad effusionem veri seminis, sed non intra vas, quod aliquando contingit ob nimium calorem, ratione cuius semen statim ante penetrationem vasis spargitur, & vertitur; alia ad omnia prædicta, nempe ad penetrationem vasis, & ad veri seminis emissionem, & intra vas femineum, sed non ad generationem, quia semen aliàs verum, ratione alicuius accidentis est infecundum, quæ dicitur potentia coeundi; alia tandem est potentia ad generationem: ita etiam impotentia est quintuplex, alia est
2 ad penetrationem vasis, quæ esse potest in eo, in quo est potentia ad veri seminis emissionem; alia est impotentia ad effusionem veri seminis, quæ esse potest in eo, in quo est potentia ad penetrationem vasis; alia est impotentia ad emissionem seminis intra vas, quæ esse potest in eo, in quo est potentia ad penetrationem vasis, & ad seminis emissionem, & quælibet impotentia ex dictis dicitur impotentia coëundi, quia potentia ad coëundum est potentia ad hæc omnia, nempe ad penetrationem vasis, & ad emissionem veri seminis, & intra vas; alia tandem est impotentia ad solam generationem, ob solam infecunditatem seminis, quamuis veri, & dicitur sterilitas.

Deinde quælibet impotentia ex dictis vna est perpetua, & altera temporalis. Deinde quælibet ex his, tam videlicet temporalis quàm perpetua, vna est absoluta, quæ in se & absque respectu ad has aut ad illas personas est impotentia, ac proinde est impotentia respectu omnium personarum, altera est respectiua, quæ tantùm est impotentia respectu vnius aut alterius personæ, sed non respectu omnium. Tandem quælibet impotentia ex dictis, tam videlicet temporalis quàm perpetua, & tam respectiua quàm absoluta, alia est naturalis, quæ prouenit ex defectu alicuius naturaliter requisiti; alia est artificialis, quæ prouenire solet ex arte, seu ex maleficio dæmonis.

DIFFICVLTAS II.

Quando Impotentia censenda sit perpetua, & quando temporalis.

CONueniunt Doctores, eam impotentiam, siue absolutam siue respectiuam, siue naturalem siue artificialem, tam ex parte viri quàm ex parte

parte feminæ, censeri perpetuum, cuius defectus nequit suppleri, aut cuius impedimentum nequit auferri humana industria absque miraculo, aut absq; corporali periculo (vt constat ex c. *Fraternitatis.6.* de Frigidis & maleficiatis) aut absque peccato; quia id tantùm possumus quod Iure seu licitè possumus.

4 Nomine autem *periculi corporalis* non intelligitur mors ipsa, ita vt impedimentum, quod absq; morte tolli potest, non censeatur perpetuum, vt nonnulli Iurisperiti immeritò affirmant (quia quamuis quod absque morte tolli potest, non sit physicè perpetuum, potest tamen esse moraliter tale) sed intelligitur periculum mortis, vt aduertunt Sancius lib.7. disp.93. & Ægidius disp.31. dub.7. & non leuiter deducitur ex dicto cap. *Fraternitatis*, & meritò: quia quamuis quod absque morte auferri potest, non sit physicè perpetuum, si tamen non possit absque periculo mortis, est moraliter perpetuum; quia periculum mortis moraliter æquiualet morti. Et non intelligitur periculum grauis morbi, adhuc perpetui (vt Henriquez & alij immeritò affirmant) quia periculum grauis morbi, quamuis perpetui, non æquiualet morti physicæ. Quod verò auferri non potest absque graui & perpetuo morbo, censetur perpetuum; quia iste moraliter æquiualet morti physicæ, non minùs, imò magis, quàm periculum mortis; quia ad vitandum talem morbum potest rationabiliter appeti periculum mortis, imò etiam mors ipsa.

Sancius. *Aegidius.* *Henriquez.*

5 Ea ergo impotentia censetur temporalis, cuius defectus suppleri potest, aut cuius impedimentum auferri potest humana industria absque miraculo, & absque dicto periculo corporali, & absque peccato.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Impotentia naturalis coëundi, seu ad penetrationem vasis, dirimat Matrimonium contrahendum.

6 COnueniunt Doctores (quod vsus Ecclesiæ probat) impotentiam ad solam generationem (quæ dicitur sterilitas) quamuis absolutam & perpetuam, & naturalem, non inhabilitare ad matrimonium; quia steriles aliàs potentes ad verè seminandum intra vas femineum, nullo Iure inhabiles sunt ad matrimonium; quia non Iure positiuo, quia nullum extat; neque naturali, quia verè sunt potentes ad exercendum actum coniugalem, ratione cuius, quantum est ex parte ipsius, coniuges fiunt vna caro, id est, principium vnius carnis, seu prolis, etiamsi ob aliquod accidens non sit futura generatio. Vnde senes, dum potentes sunt ad sic seminandum, quamuis non nisi adiuti arte medicinæ, habiles sunt ad matrimonium; quia eorum semen ex sua natura est sufficiens ad generationem, quamuis ob eius debilitatem non sit futura generatio.

Difficultas ergo est, an impotentia naturalis ad coëundum, id est ad penetrationem vasis (quæ eo ipso est per se impotentia ad seminandum intra vas) dirimat matrimonium contrahendum.

7 Circa quam conueniunt Primò Doctores, impotentiam ad coëundum, quando tantùm est temporalis, quamuis sit naturalis & absoluta, non dirimere matrimonium, vt supponitur in cap. *Fraternitatis.6.* de Frigidis, & meritò: quia non dirimit Iure positiuo, quia nullam extat; neque Iure naturali, quia qui tantùm est impotens ad tempus, potest ex natura rei ex tunc tradere dominium sui corporis ad vsum coniugalem posteà possibilem, & ad eum posteà soluendum obligari. Quod est verum, quamuis dicta impotentia ignoretur ab altero contrahente, in quo (vno aut altero oppositum insinuante) conueniunt Doctores; quia nec in casu talis ignorantiæ dirimit Iure aliquo.

Conueniunt Secundò, dictam impotentiam naturalem, quando est perpetua & absoluta, dirimere matrimonium, saltem contrahendum, in ordine ad generationem, vt constat, ex 33.qu.1. per totam, & ex toto Tit. de Frigidis & maleficiatis, & definitum videtur à Sixto V. in Motu proprio, edito anno 1587. cuius verba referunt Sancius lib.7.d.92. & Basilius lib.7.c.68. Et ratione constat; quia sic impotens est materia inepta, vt obligari possit ad actum coniugalem, ratione cuius coniuges fiant vna caro; ergo & ad contractum matrimonij, ex quo per se oritur obligatio ad dictum actum.

Sixtus V. *Sancius.* *Basilius.*

8 Id autem, quod dicimus, nempe impotentiam ad penetrationem vasis dirimere matrimonium, est verum, quamuis sit potentia ad seminandum extra vas, imò in ore vasis; tùm quia hæc seminatio per se non sufficit vt per eam coniuges fiant vna caro (id est principium vnius carnis) etiamsi fortè & per accidens aliquando sufficiat, si fortè aliquando virtute naturali matricis intromittitur pars aliqua seminis sufficiens ad generationem, & consequenter ad affinitatem; tum etiam, quia potentia ad sic seminandum est impotentia moralis ad seminandum, quia talis seminatio nequit fieri absque peccato.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Impotentia naturalis coëundi perpetua, & naturalis, dirimat Matrimonium in ordine ad castè conuiuendum.

9 PAludanus in 4.dist.34.2. Antoninus 3.p.tit.1. ca.22. & Basilius lib.7. c.56. docent, dictam impotentiam non dirimere matrimonium contrahendum in ordine ad naturalem vitæ & officiorum in diuerso sexu societatem, sed contrahendum in ordine ad generationem, & deducitur ex cap. *Consolationi.4* & ex c. *Laudabilem.5.* de Frigidis, dum in his supponitur, posse inter impotentes celebrari matrimonium in ordine ad viuendum vt fratres; quod etiam supponit Sixtus V. in suo Motu proprio. Et ratione probatur: quia ad matrimonium non videtur necessaria mutua corporum traditio ad coitum, sed sufficit ad dictam societatem, quia matrimonium suâ naturâ non tantùm ordinatur ad prolis generationem, sed etiam ad eam societatē: ergo quamuis impotentia ad coitum inhabiliter ad matrimoniū contrahendum ad prolis generationem, non verò ad dictam societatem.

Paludan. *Antonin.* *Basilius.* *Sixtus V.*

10 Bonauentura verò in 4 d.34.ar.2.qu.1. Richardus eadem dist. & Sotus q.1. ar.2. Sancius lib.7. disp.97. & Vasquez 3.p.d.125.c.7. docent (& meritò) dictam impotentiam dirimere omnino matrimonium contrahendum, adhuc in ordine ad dictam societatem: quod definitum videtur à Sixto V. in dicto Motu proprio, dum absque vlla distinctione matrimonij ad hunc aut ad illum vsum, absolutè ait, impotentes esse ineptos ad contrahendum matrimonium.

Bonauent. *Richardus.* *Sotus.* *Sancius.* *Vasquez.* *Sixtus V.*

Et id non leuiter deducitur ex dictis capp. *Consolationi.* & *Laudabilem*, dum in eis, absque vlla limitatione aut distinctione matrimonij ad hunc aut ad illum vsum, absolutè dicitur, quando est impotentia ad coitum, feminam non posse haberi vt vxorem, sed tantùm vt sororem; & dum in c. *Laudabilem*, & in aliis eiusdem Tit. supponitur, potentem, qui matrimonium contraxit (id est, contrahere attentauit) cum impotente, posse aliud matrimonium contrahere.

Et ratione probatur Primò ab absurdo, quia ex oppositò sequeretur Primò, inter patrem & filiam posse Iure naturali contrahi matrimonium, quia
11 sunt personæ aptæ ad dictam societatem. Et Secundò sequeretur, coniugem in dicto matrimonio accedendo ad vxorem, peccare peccato simplicis fornicationis; quia accederet ad non suam in ordine ad copulam; imò & alterum, accedendo ad eam, non committere adulterium contra maritum, quia non accederet ad eam quatenus vxorem illius. Et tandem Tertiò sequeretur, matrimonium ex se non esse perpetuum, quia tantùm est tale ob bonum prolis, vt diximus Disp. VIII. Difficult. II. quæ omnia absurda videntur.

Deinde à priori probatur, quia ex vi contractus matrimonij traditur dominium seu potestas corporis alteri, & econtrà, vt constat ex Paul. 1. ad Corinth. 7. & ex communi consensu; sed per traditionem dominij seu potestatis ad dictam societatem, non traditur dominium corporum, sed tantùm per traditionem dominij seu potestatis ad commixtionem carnalem; quia per hanc solam commixtionem coniuges dicuntur vti corporibus, & non ex eo quòd simul viuant, & sibi inuicem obsequantur: ergo nullum est verum matrimonium, nisi quod contrahitur in ordine ad copulam: sed dicta impotentia ad copulam dirimit matrimonium contrahendum in ordine ad generationem, ergo absolutè & omnino dirimit, cùm nequeat validè contrahi, nisi in ordine ad illam.

12 Ad fundamentum ergo aduersariorum, desumptum ex illis capp. & ex Motu proprio Sixti V. respondemus, in eis tantùm supponi, ab impotentibus contrahi matrimonium, non validè, sed quoad attentationem, etiamsi permitterentur non separari qui erant coniuncti, si vellent castè viuere, imò & de nouo coniungi contractu quodam societatis ad vitæ & munerum societatem in diuerso sexu, & modò permittantur, exceptis eunuchis, qui iam dicto Motu proprio non permittuntur coniungi; & qui ante eum contraxerant, permissi sunt non separari, exceptis illis qui conuicti fuerint simul dormiisse.

Et ad rationem respondemus, quòd quamuis matrimonium ordinetur ad vitæ & munerum societatem, quia tamen etiam, & primariò, ordinatur ad prolis generationem, ideò ab impotentibus ad coitum, vtpote per se ineptis ad prolis generationem, nequit validè fieri.

13 Quod verò à nonnullis dicitur, in nulla matrimonij definitione fieri mentionem coniunctionis in ordine ad coitum, sed tantùm in ordine ad vitæ & munerum societatem, falsum est, quia nulla est in qua saltem implicitè non fiat mentio illius, saltem in definitione approbata ab Alexandro III. in cap. *Illud quoque.* 11. de Præsumptionibus, nomine coniunctionis maris & feminæ.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Impotentia naturalis ad seminandum dirimat Matrimonium, quando est potentia ad copulam seu penetrationem vasis.

GLossa in can. *Hi qui.* 32. qu. 7. Hugolinus de Matrimonio c. 19. & alij docent, eam impotentiam, quando est potentia ad penetrationem vasis, non inhabilitare ad matrimonium, quia non Iure Ecclesiastico, quia eo tantùm inhabilitat impotentia ad coëundum, vt constat ex ipso Iure, quæ idem videtur ac impotentia ad penetrationem vasis; neque inhabilitat Iure naturali, quia potentia ad penetrandum vas (quamuis deficiat ad seminandum intra vas) sufficit ad sedandam concupiscentiam propriam, & alterius; ergo Iure naturali sufficit ad matrimonium, quòd etiam sua natura ordinatur in remedium concupiscentiæ.

Sancius verò lib. 7. disp. 92. Ægidius disp. 31. dub. 7. & communiter Doctores docent, impotentiam ad seminandum, quamuis sit potentia ad penetrandum vas, inhabilitare ad matrimonium, & meritò, quod significari videtur in cap. 1. de Frigidis & maleficiatis, dum feminæ, quia non potuit effici mater à viro quem accepit, conceditur licentia vt nubat alteri. & in c. 5. eodem Tit. & 33. q. 1. can. 2. dum supponitur, ad valorem matrimonij requiri in coniugibus potentiam ad commixtionem carnalem, per quam fiant vna caro: sed ex eo solùm, quòd vir nequeat seminare, quamuis possit penetrare vas, non potest femina fieri mater per se ex defectu veri seminis, neque contrahentes possunt fieri vna caro, id est, principium vnius carnis; ergo impotentia ad seminandum inhabilitat ad matrimonium, quamuis adsit potentia ad penetrationem vasis.

Quod etiam efficaciter deducitur ex dicto Motu Sixti V. & ex declaratione Nuntij Hispaniarum virtute dicti Motus facta, dum eunuchi, vtroque teste carentes, declarantur esse & fuisse inhabiles ad matrimonium, eò quòd nequeant verum semen emittere, quamuis possint virgam erigere, & vas femineum penetrare.

Et ratione probatur, quia ad matrimonium requiritur corpus aptum, vt fiat vna caro cum corpore alterius, vt supponitur in dicto cap. 5. de Frigidis, & in dicto can. 2. 33. quæst. 1. & deducitur ex illo Gen. 2. *Et erunt duo in carne vna.* & etiam requiritur quòd sit aptum ad reddendum debitum coniugale, vt significatur in cap. 2. de Frigidis; sed qui est impotens ad verè seminandum, non est aptus vt fiat vna caro cum altero, quia copula absque seminatione non efficit duo esse carnem vnam, seu principium vnius carnis, vt patet; neque sufficit ad satisfaciendum debito coniugali, quia coniugi non satisfit copula ex se insufficiente ad generationem. Et sanè si potentia ad copulam, est necessaria ad valorem matrimonij, erit etiam necessaria potentia ad seminandum, imò ad seminandum intra vas, quia copula absq; tali seminatione est omnino vacua & inutilis, etiamsi adsit seminatio in ore vasis; ergo ea est per se insufficiens vt coniuges fiant vna caro, & ad satisfaciendū debito coniugali; non erit tamen intrin-

tilis si adsit intromissio partis seminis sufficientis ad generationem, quamuis non totius.

Ad fundamentum autem aduersariorum respondemus, impotentiam ad seminandum, imò ad seminandum intra vas, inhabilitare ad matrimonium, quamuis adsit potentia ad penetrationem vasis, non solùm Iure Ecclesiastico; quia in eo, nomine *copulæ* & *coitus* intelligitur perfecta & per se sufficiens ad generationem; sed etiam Iure naturali, quia corpus absque potentia ad seminandum, & intra vas, non est apta materia ad matrimonium, imò neq; sufficiens ad sedandam concupiscentiã.

Ex dictis constat Primò, spadones, seu eunuchos vtroq; teste priuatos, siue quia eis sunt auulsi, seu concussi, seu attriti, esse inhabiles ad matrimonium: quia quamuis possint vas penetrare, & humorem aqueum similem semini emittere, sunt tamen impotentes ad perfectam copulam, qua possint fieri vna caro cum feminis, quia carent vero semine, ad cuius formationem sunt necessarij testes; & dictos eunuchos esse & fuisse inhabiles Iure Ecclesiastico & Iure naturali ad matrimonium contrahendum, etiam cum scientibus dictum defectum, constat ex dicto Motu Sixti V. & ex dicta Declaratione Nuntij: imò ab ipso Nuntio auctoritate Pontificis facti sunt inhabiles ad coniunctiones cum feminis tamquam cum sororibus, quæ permittuntur aliis impotentibus, & etiam illis qui habent testiculos; quamuis eis sit interrupta vena, aut via, qua spiritus, ex quibus semen efformatur, communicantur testiculis. 17 *Sixtus V.*

Constat Secundò, senes ita exhaustos, vt adhuc arte medicinæ adiuti, nequeant coire seminando intra vas, esse inhabiles ad matrimonium, vt contra Nauarrum & alios docent Sancius & communiter Doctores. Infirmi verò, existentes in articulo mortis, quamuis iam non possint coire, habiles sunt ad matrimonium, vt docent communiter Doctores & vsus Ecclesiæ probat; quia eorum impotentia non censetur perpetua: quia quamuis duret vsque ad mortem, id contingit per accidens ex defectu subiecti; quia si subiectum non moreretur, tandem potentia fieret expedita.

Addimus contra Sancium, feminam impotentem ad seminandum esse inhabilem ad matrimonium; quia, vt diximus Disput. xx. Diffic. 1. seminatio feminæ necessaria est ad generationem; impotentiam tamen feminæ ad pariendum, sine vitæ periculo, non inhabilitare ad matrimonium, vt docent Sancius, & communiter Doctores; quia potentia ad pariendum non est necessaria ad generationem seu conceptionem: feminam verò sic impotentem illicitè nubere ob dictum periculum, nisi graues tentationes carnis patiatur. 18 *Sancius.*

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm Impotentia naturalis respectiua dirimat Matrimonium contrahendum.

19 SVpponimus, Impotentiam naturalem respectiuam perpetuam (si aliqua talis inueniatur) dirimere matrimonium contrahendum cum ea persona, respectu cuius est impotentia, vt efficaciter deducitur ex cap. *Fraternitatis.* 6. de Frigidis, quod de impotentia respectiua perpetua, prouenente ex maleficio, expressè admittitur in can. fin. 33. qu. 1. Quòd si impotentia respectiua, ab extrinseco proueniens, id efficit, multò meliùs efficiet impotentia respectiua naturalis intrinseca, si perpetua sit. Et ratione constat; quia naturaliter impotens respectiuè, est impotens, vt pro tempore impotentiæ fiat vna caro cum ea persona, respectu cuius est impotens. ergo si impotentia naturalis respectiua sit perpetua, efficit impotentem semper ineptum ad id, ac proinde vt contrahat matrimonium. quòd si validè fiat, nequit non inducere obligationem ad id.

Tota ergo difficultas est, An impotentia aliqua naturalis respectiua possit esse perpetua.

Bonauentura in 4 dist. 34. art. 3. quæst. 2. & Petrus de Ledesma quæst. 58. artic. 2. dub. 5. docent, nullam posse esse perpetuam: quod deduci videtur ex can. 2. 33. qu. 1. dum dicitur: *Nam si huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conueniet?* Et ex cap. *Laudabilem.* 5. de Frigidis, dum dicitur, virum separatũ à femina, qui triennio cohabitationis transacto iurauit non potuisse illam cognoscere, si aliam cognoscat, cogendum esse ad priorem feminam redire, & tamquam reum periurij puniendum. Quod non fieret, si posset esse impotentia aliqua naturalis respectiua cum priori femina, quæ esset perpetua, & dirimens matrimonium. Et ratione probatur, quia apertione artificiosa sigilli licita, & absque vitæ periculo, fieri potest quòd impotens ad congrediendum cum vna, quia est arcta, fiat potens ad congrediendum cum ea. 20 *Bonauent. Ledesma.*

Paludanus verò in 4. dist. 34. q. 2. Sancius lib. 7. disp. 93. Henriquez lib. 12. c. 7. Basilius c. 61. docent (& meritò) posse esse impotentiam aliquam naturalem respectiuam perpetuam, quod deducitur ex cap. *Fraternitatis*, dum quodam matrimonio viri cum femina dissoluto, quia eam, quia erat arcta, non potuit cognoscere, & ipsa postea alteri nupta, ab hoc altero fuit corrupta, definitur restituendam esse priori viro; quia posterior, à quo fuit corrupta, non erat dissimilis priori, coniecturâ sumptâ, quòd sicut posterior, qui erat priori similis, nempe quoad ætatem, robur & instrumẽtum, potuit illam cognoscere, ita potuisset etiam prior; quia in hoc cap. supponitur non fore restituendam, si prior vir esset debilior, & posteriori dissimilis; ac proinde posse esse impotentiam naturalem respectiuam perpetuam, & dirimentem matrimonium. Quod etiam non leuiter confirmatur ex his, quæ Pontifex ad finem dicti cap. supponit, si rectè expendantur, vt Basilius expendit. *Paludan. Sancius. Henriq. Basilius.* 21 *Basilius.*

Et ratione constat, quia contingere potest, quòd vir sit ita debilis, & mulier ita arctà, aut membrum viri sit ita grossum, & os vasis feminei ita angustũ, quod femina nullâ humanâ industriâ possit, absq; vitæ periculo, ei viro proportionari, vt ab eo cognoscatur, & quòd sit proportionata alteri, aut possit proportionari absq; dicto periculo, vt possit ab eo cognosci; quod negari non potest: ergo negandum non est, posse esse impotentiam aliquam naturalem respectiuam, quæ sit perpetua, ac proinde dirimens matrimonium. Ex quo constat ad rationem aduersariorum. 22

In can. autem 2. 33. q. 1. vbi dicitur: *Si huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conueniet?* tantùm est sermo de impedimento prouenient ex naturali frigiditate, quod non est respectiuum, sed absolutum; & de eodem est sermo in c. *Laudabilem*, vt patet ex initio ipsius.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm coniux naturaliter impotens, cui licitè & absque periculo vitæ potest humano aliquo remedio subueniri, teneatur pati tale remedium, altero id exigente.

23 DIfficultas hæc communiter disputatur de femina, quæ nisi patiatur artificiosam sigilli apertionem ferro aut ligno, nequit à marito carnaliter cognosci. Procedit autem in duplici casu. Prior est, quando defectus est in ipsa, ob extraordinariam arctitudinem. Posterior est, quando defectus est in viro ob extraordinariam debilitatem.

Circa difficultatem in vtroque casu supponimus (in quo contra Basilium lib.7.cap.62.conueniunt Doctores) id etiam in virgine esse licitum; quia nulla apparet turpitudo in eo, quòd naturâ arte iuuetur ad actum honestum, qualis est coniugalis, ac proinde, si aliàs possit fieri absque periculo vitæ, vt sæpè fieri potest, dictam impotentiam non censeri perpetuam, nec dirimere matrimonium.

24 Circa difficultatem ergo in priori casu conueniunt reliqui Doctores, feminam teneri, si possit fieri absque graui incommodo, vt absque graui infirmitate, & absque graui dolore.

Dissentiunt tamen, An quando fieri non potest absq; graui incommodo, teneatur. Nonnulli apud Sancium vbi infrà docent non teneri, si nequeat fieri absque graui dolore. Alij verò econtrà docent, teneri, quamuis nequeat fieri absque graui infirmitate. Sancius autem lib.7 disp.93.& Henriquez lib.12.c.7. docent teneri, quamuis futurus sit grauis dolor, non verò si futura sit grauis aliqua infirmitas; & meritò. Ratio prioris est, quia cùm defectus sit in ipsa femina, non est censendum durum, obligari ad grauem dolorem citò transiturum, ne alterum in perpetuum priuet debito. Ratio posterioris est, quia durum videtur, feminam obligari ad solutionem debiti cum tanto detrimento.

Sancius. Henriq.

Ochagaui.

Circa difficultatem in posteriori casu Ochagauia Tractat. 3. quæst.69. docet, feminam teneri, quamuis cum graui detrimento, & iactura non periculosa; quia id videtur exigere ius viri in corpore feminæ: Sancius verò docet teneri, quando non sit futura grauis infirmitas.

Sanctius.

Petrus Ledesma.

Petrus autem Ledesma quæst.58. art.1. docet, non teneri, & meritò: quia feminæ nullus est defectus vt reddat, sed tantùm viro: ergo ipsi tantùm, & non feminæ, incumbit vti remedio, quo defectus ipsius suppleatur; feminæ verò sufficit offerre debitum modo ordinario, præsertim quòd feminam, præcipuè virginem, artificio corrumpi, horreat quodammodò natura, & honestas ipsa difficillimè patiatur.

25

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm Impotentia ex maleficio dirimat Matrimonium contrahendum.

SVpponimus, posse aliquem arte dæmonis per maleficium fieri impotentem ad cõmixtionem carnalem, seu ab ea impediri multis modis, qui videri possunt apud Delrium lib.3. Disquisit. magic.1.p.quæstiunc.4. sect.8. hæc autem impotentia, sicut naturalis, potest esse alia temporalis, & alia perpetua, & alia respectiua, & alia absoluta; potest autem variis signis dignosci, de quibus Sanctius lib 7.disp.64.

Hoc ergo supposito, Almaynus in 4. dist.34. Glossa in can.fin.33. quæst.1. & in cap. *Fraternitatis.*6.de Frigidis, & Innocentius in c. *Laudabilem.*5. eodem titulo docent, nullam impotentiam ex maleficio prouenientem dirimere matrimonium contrahendum. Quod deduci videtur ex cap. *Ex literis.*3.de Frigidis, dum dicitur, *Sortitam illud mulier à natura contraxit, viro aliam accipiendi liberam tribuas facultatem.* Vbi supponi videtur, quòd quando impotentia non prouenit à natura, non dirimit matrimonium. Et ratione probatur, quia nulla impotentia ex maleficio prouenies est perpetua; quia nullum est maleficium quod auferri non possit per ipsum maleficum: ergo nulla impotentia ex maleficio prouenies dirimit matrimonium.

Sancius verò lib.7. disp.94. Ægidius disp.31. dub.7. Basilius cap.65. & communiter Doctores docent (& meritò) impotentiam ex maleficio posse dirimere matrimonium. Quod eximitur in can.fin.33.qu.1. quod quamuis sit cuiusdam Archiepiscopi, & non Romani Pontificis, quoad hoc tamen vsu totius Ecclesiæ receptum est. Quod etiam non leuiter deducitur ex c. *Laudabilem.*5. de Frigidis.

Et ratione constat, quia quæcumque impotentia, quando perpetua est, dirimit matrimonium, vt constat ex toto titulo de Frigidis; sed ex maleficio potest prouenire impotentia perpetua, ergo. Consequentia patet, & etiam Antecedens pro Maiori. Minor autem probatur: quia ex maleficio effici potest tanta frigiditas, quanta est naturalis, ex qua prouenit impotentia naturalis absoluta & perpetua. Et etiam potest quis ex maleficio ita impediri, vt nequeat coire, & etiam quòd post coitum nequeat semen emittere; & aliàs maleficium, ex quo prouenit hoc impedimentum, aliquando nequit auferri, nisi alio maleficio, ac proinde nequit absque peccato, ob quod impedimentum censetur perpetuum; aut si potuit absque maleficio, & peccato, auctor tamen maleficij mortuus est, & nullus alius est, qui sciat dissolutionem maleficij; ac proinde iam humana industria auferri non possit. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

In cap.autem *Ex literis.* ab aduersariis adducto, tantùm continetur argumentum à contrario sensu, quod non est efficax, præsertim quando oppositum continetur in Iure: in eo autem continetur, posse esse impotentiam ex maleficio perpetuam, & dirimentem matrimonium, vt constat ex dictis.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm Impotentia perpetua dirimat Matrimonium etiam Iure naturali.

SVpponimus, impotentiam perpetuam, siue naturalem siue ex maleficio, siue absolutam siue respectiuam Iure Ecclesiastico dirimere matrimo-

trimonium contrahendum, vt constat ex 33. q. 1. & ex tit. de Frigidis & maleficiatis. Quærimus tamen, an etiam dirimat Iure naturali.

Paludan. Antonin. Medina. Paludanus in 4. dist. 30. qu. 1. art. 2. Antoninus 3. p. tit. 1. c. 15. & Michaël de Medina lib. 5. de Cælibatu c. 54. docent, non dirimere Iure naturali, quod deduci videtur ex cap. 2. de Frigidis, dum dicitur: *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus coniugio; sic qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur:* sed matrimonia puerorum seu impuberum, non Iure naturali, sed tantùm Ecclesiastico irritantur, ergo etiam matrimonia impotentium.

29 Et ratione probatur, quia ad essentiam matrimonij non requiritur copula, sed sufficit mutua corporum viri & feminæ traditio: sed impotentia tantùm impedit copulam, & non mutuam corporum traditionem; ergo impotentes sunt ex natura rei, seu Iure naturali apti & habiles ad contrahendum matrimonium. Et confirmatur, quia impotentia, matrimonio iam facto superueniens, non dissoluit illud, ergo potentia non est essentialiter requisita ad matrimonium; quia si esset, impotentia superueniens illud dissolueret, sicut dissoluit conuersio feminæ in virum superueniens, quia diuersitas sexus est essentialiter requisita ad id.

Sancius. Henrique. Aegidius. Sancius verò lib. 7. disp. 98. Henriquez lib. 12. cap. 7. & Ægidius disp. 31. dub. 7. docent, impotentiam perpetuam, etiam Iure naturali, dirimere matrimonium contrahendum. Quod, quoad impotentiam ortam ex frigiditate, dicitur in dicto *Sixtus V.* Motu proprio Sixti V. quòd si hæc Iure naturali dirimit, etiam quæcumque alia eodem dirimet, quia omnium eadem est ratio. Et ratione probatur, quia qui ex natura rei, siue physicè siue moraliter, siue intrinsecè siue extrinsecè est perpetuò 30 impotens, est ex natura rei perpetuò ineptus, vt alteri tradat dominium sui corporis, & contrahat obligationem ad commixtionem carnalem; quia nemo potest ad id, quod sibi semper est impossibile, obligari; ergo ex natura rei, seu Iure naturali est inhabilis ad contrahendum matrimonium.

In cap. autem illo 2. de Frigidis, adducto ab aduersariis, matrimonia puerorum & impuberum ex vna parte, & impotentium ex altera, tantùm comparantur quoad nullitatem, non verò quoad Ius ex quo nullitas oritur.

Ad rationem verò respondemus, quòd quamuis ad matrimonium non requiratur copula, requiritur tamen traditio dominij ad illam, & contractio obligationis ad illam, quæ nequeunt fieri ab eo qui est perpetuò impotens ad copulam.

31 Et ad confirmationem concedimus, impotentiam superuenientem matrimonio non dissoluere illud, benè tamen conuersionem feminæ in virum; quia quamuis corpus absque impotentia ad copulam requiratur ad essentiam matrimonij in fieri, seu ad tradendum dominium in copulam, non tamen ad essentiam matrimonij in facto esse, seu ad conseruationem illius; diuersitas verò sexus requiritur ad essentiam matrimonij etiam in facto esse. Ratio discriminis est, quia per matrimonium tantùm traditur, & post iam factum tantùm conseruatur dominium corporis vnius tamquã vxoris, & alterius tamquam mariti, quod nequit primò fieri, neque posteà conseruari absque diuersitate sexus. Dictum verò dominium, semel acquisitum, potest benè conseruari absque potentia ad copulam, dum perseueret diuersitas sexus; quia quamuis superueniat impotentia, potest in diuersitate sexus manere dominium, & obligatio ad copulam, si fortè impedimentum miraculosè auferatur, quamuis nequeat in principio tradi; quia plus requiritur ad inceptionem rei, quàm ad eius conseruationem.

Vnde impotentia, superueniens matrimonio, 32 non dissoluit illud, non solùm quando iam est consummatum (in quo Doctores omnes conueniunt:) sed etiam quando non est consummatum, vt contra Gratianum, & nonnullos alios Iurisperitos, docent Sancius disp. 102. & communiter *Sancius.* Doctores; quod exprimi videtur in can. *Hi qui.* 32. quæst. 7. dum generaliter dicitur, ob nullam impotentiam superuenientem, matrimonium cassare. Gregorius verò III. in can. *Quod proposuisti.* 32. *Gregorius* qu. 7. & Alexander III. in cap. *Ex literis.* de Fri- III. gidis, vbi concedunt licentiam migrandi ad aliud *Alex. III.* matrimonium ob impotentiam, non est ob impotentiam superuenientem matrimonio, sed ob antecedentem ad ipsum.

Obseruandum est, non tantùm impotentiam 33 ignoratam ab altero dirimere matrimonium, sed etiam cognitam, vt contra Paludanum in 4. dist. 30. qu. 1. ar. 2. docent Sancius disp. 97. & Ægidius vbi *Sancius.* suprà: quod constat ex tit. de Frigidis, vbi absque *Aegidius.* limitatione aut distinctione aliqua impotentiæ ignoratæ aut cognitæ dicitur, impotentiam dirimere matrimonium, & ex dicto Motu proprio Sixti V. dum in eo supponitur, matrimonia eunu- *Sixtus V.* chorum esse & fuisse nulla, siue contracta fuerint cum scientibus siue cum ignorantibus eorum impotentiam. Et sanè impotentia, quamuis cognita, efficit ipsum impotentem materiam ineptam matrimonio.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm hermaphroditus possit Matrimonium inire.

HErmaphroditus dicitur, qui vtrumque sexum habet, virilem videlicet & femineum. Conueniunt autem Doctores Primò, hermaphroditum posse licitè & validè contrahere matrimonium iuxta sexum in eo præualentem, seu eminentem, ita vt is in quo præualet sexus virilis, possit tamquam vir cum femina contrahere, & is in quo femineus, possit tamquam femina contrahere cum viro. Ita Sancius lib. 7. disput. 106. *Sancius.* & Ægidius disp. 31. dubit. 7. quia iuxta sexum *Aegidius.* eminentem habet potentiam ad perfectam copulam; imò, vt constat ex L. *Quæritur.* ff. De statu hominum, iuxta sexum eminentem magis censetur vir aut femina.

Conueniunt Secundò, quòd quando in hermaphrodito vterque sexus est æqualis, possit iuxta 34 sexum quem elegerit contrahere matrimonium; quia ex vna parte etiam tunc iuxta quemlibet habet potentiam ad perfectam copulam, & ex altera ei Iure naturali, non impedito per Ius aliquod positiuum, datur optio eligendi sexum ad matrimonium. Nihilominùs expediet eum non admittere ad matrimonium, nisi coram Iudice Ecclesiastico priùs protestetur, imò & iuret, se numquam vsurum altero sexu, argumento canon. 15. *Presbyteros.* 16. quæst. 1. Quod si factus

viduus de facto contraxerit iuxta alterum sexum, validè contrahet, in quo etiam conueniunt Doctores: quia etiam iuxta eum habet potentiam ad perfectam copulam, & nullo Iure contractus ille irritatur; & forsan etiam licitè contrahet, saltem absque mortali, si non fecerit dictum iuramentum; quia iuramento secluso nulla in hoc appareret inordinatio, saltem grauis. Censetur autem hermaphroditus habere sexum æqualem, non solùm quando iudicatur à peritis, sed etiam quando post prudens examen manet dubium, & non constat in eo aliquem eminere.

35 *Basilius.* Addimus contra Sancium (vt optimè Basilius cap. 65.) hermaphroditum posse validè contrahere iuxta sexum minùs prævalentem, quando iuxta talem sexum est potentia ad perfectam copulam, vt esse potest; quia Iure naturali non est inhabilis, cùm verè sit potens iuxta eum sexum, vt supponimus, neque Iure aliquo positiuo, quia nullum extat. Quod autem, vt dicitur in dicta L. *Quæritur.* magis censeatur vir quàm femina, quando prævalet sexus virilis, non obstat, quia etiam tunc est sufficienter femina; & quamuis magis censeatur femina quàm vir, quando prævalet sexus femineus, etiam non obstat, quia etiam tunc est sufficienter vir.

DIFFICVLTAS XI.

Quantum tempus experientiæ requiratur ad declarationem nullitatis matrimonij ob impotentiam perpetuam.

36 SVpponimus, pro foro conscientiæ, quando certò constat impotentiam esse perpetuam, aut quando constat ferè certò (id est, quando est probabile, esse perpetuam, absque probabilitate oppositi) ex tunc coniuges non posse se maritaliter tractare, quamuis ad id per censuras compellantur; quia ex tunc est certum, aut ferè certum, matrimonium esse nullum, & quando est probabile, impotentiam non esse perpetuam, quamuis oppositum etiam sit probabile, ex tunc posse se maritaliter tractare; quia tunc prudenter iudicatur, matrimonium esse validum: quando verò non est certum, neque ferè certum, impotentiam esse perpetuam, & non est probabile non esse perpetuam, sed est dubium an sit vel non sit perpetua, posse coniuges in matrimonio, & in eius vsu pro tempore aliquo perseuerare; quia in dicto dubio habent ius inquirendi, an impotentia sit perpetua, &
37 nequit aliter inquiri, quàm experiendo an possint carnaliter commiscери; ad quod experiendum requiritur tempus aliquod, quod Ecclesia in c. *Laudabilem.* 5. & in cap. fin. de Frigidis, prudenter extendit ad triennium; quia id videtur necessarium, & sufficiens ad veritatem inueniendam; ac proinde vltra triennium nequeunt coniuges se maritaliter tractare, quando eo transacto non constat saltem probabiliter impotentiam non esse perpetuam.

Hoc ergo supposito, difficultas est, An dictum triennium requisitum sit pro foro exteriori, seu iudiciali, vt declarari possit matrimonium nullum.

Conueniunt Primò Doctores, quando certò aut ferè certò constat impotentiam esse perpetuã, quia sunt signa euidentia, aut ferè euidentia perpetuitatis impotentiæ, tunc statim absque expectatione alicuius temporis, matrimonium declarandum esse nullum; quia tempus tantùm requiritur, vt dubium experientiâ superetur: in dicto autem casu nullum est dubium, saltem moraliter. Id verò quod addunt Sancius disp. 107. & Basilius c. 66. nempe quando non certò, sed tantùm ferè certò constat, tunc esse necessarium iuramentum ipsorum coniugum fatentium impotentiam, & iuramentum propinquorum, aut (si hi deficiant) vicinorum asserentium, posse coniugibus credi, dicitur absque fundamento: quia dicta iuramenta nullo Iure requiruntur; quia non positiuo, quia illi tantùm requiruntur in casu dubio; neque Iure naturali, quia cùm in casu dicto perpetuitas sit moraliter & humano modo certa, frustrà requiritur maior probatio.

Secundò conueniunt Doctores, quando neque certò neq; ferè certò constat Iudici, impotentiam esse perpetuam, quia non sunt signa euidentia, neque ferè euidentia perpetuitatis, sed est dubium, quia signa perpetuitatis sunt dubia, & vterque non fatetur impotentiam, quia alter negat; tunc necessarium esse triennium experientiæ ad iudicem declarationem nullitatis matrimonij, vt constat ex cap. *Laudabilem.* Sed quid ampliùs tunc requiratur ad dictam declarationem, disputat Sancius disp. 109.

Est tamen difficultas, An in casu dicti dubij, quando vterque fatetur impotentiam, necessarium sit triennium experientiæ ad dictam declarationem.

Angelus v. *Matrimonium.* 3. Impedimento 16. Rosella v. *Diuortium.* num. 1. & Silueste quæst. 18. num. 21. docent, tunc non esse necessarium triennium, sed sufficere tempus arbitrarium quod deduci videtur ex cap. 1. de Frigidis, vbi intra breuius tempus conceditur separatio, quod saltem est verum, quando vterque fatetur impotentiam; & etiam ex cap. *Laudabilem,* in quo videtur requiri triennium, solùm quando vnus coniux affirmat, & alter negat. Quod etiam ratione videtur probari, quia post experientiam alicuius temporis confessio vtriusque videtur sufficiens probatio.

Sancius verò lib. 7. disp. 108. Antoninus 3. part. tit. 1. cap. 12. & Basilius cap. 66. docent, etiã quando vterque fatetur impotentiam, necessarium esse triennium ad dictam declarationem; quod non leuiter deducitur ex cap. *Laudabilem,* dum in eo absolutè requiritur experientia triennij, quando non constat de frigiditate, id est, de perpetuitate impotentiæ, etiam quando vterque fatetur impotentiam; imò etiam requiritur iuramentum vtriusque, quo iurent impotentiam, & quatuordecim propinquorum, aut vicinorum, propinquis deficientibus, quo iurent, quòd possit coniugibus credi; & quando alter negat, præter dictum triennium, & præter dicta iuramenta etiam requiritur vera probatio per testes, qui audierint ab ipsis coniugibus, non posse fieri vnam carnem, nisi hac probatio per aspectum corporis.

Et ratione probatur, quia quando est dubium perpetuitatis, confessio & iuramentum vtriusque, quòd adsit impotentia, non aufert necessitatem experientiæ triennalis; quia quamuis vterque fateatur impotentiam, potest adhuc dubitari an sit perpetua: ergo præter dictam confessionem, & iuramentum impotentiæ, necessaria est experientia trien-

triennalis ad inquirendam perpetuitatem impotentiæ.

In dicto autem cap. 1. de Frigidis (quod non est certæ auctoritatis apud omnes) solùm conceditur separatio intra tempus breuius triennio, quando ante triennium verè probatur frigiditas (id est, impotentiam esse perpetuam) vt etiam exprimitur in cap. *Laudabilem*, in quo absolutè requiritur in dubio perpetuitatis; id verò quod super requiritur, quando altera pars negat, non est triennium, sed supra ipsum dicta illa probatio per testes.

41 Triennium autem hoc cohabitationis in toro ad faciendam dictam experientiam, taxatum ab Ecclesia, non est computandum à tempore ante conatum ad copulam, in quo Doctores conueniunt; quia ante eum nequit inchoari experientia, sed à die conatus, & non à tempore præfixo à Iudice post pœnitentiam actam à coniugibus, vt nõnulli Iurisperiti immeritò dixere; quia in c. *Laudabilem*. expresè dicitur, computandum esse à die celebrationis coniugij, id est, à die intentatæ copulæ; quia eo die intentari solet, & ab eodem die computandum est, etiam in matrimonio pueri quatuordecim annorum, & puellæ duodecim, quando etiam agitur de impedimento impotentiæ, & non à decimooctauo anno in puero, & à decimoquarto in puella (vt immeritò docet Sancius:) quia triennium eodem modo, absque distinctione aliqua horum aut illorum, supponitur sufficere pro experientia. Est autem necessarium, quòd triennium sit continuum (vt supponitur in cap. fin. de Frigidis) non mathematicè, sed moraliter, *Sancius.* iuxta communem cursum, vt docent Sancius, & communiter Doctores: quòd si attento communi rerum cursu sit magna aliqua interpolatio, supplenda est post triennium.

42 Obseruandum tamen est, quòd quamuis impotentia fuerit iudicata perpetua siue ante siue post triennium, & ob id matrimonium fuerit declaratum nullum à Iudice; si tamen posteà naturaliter sine miraculo, & sine vitæ periculo, & sine peccato cesset impotentia, quo constabit non fuisse perpetuam, contrahentes sunt iterùm coniungendi; quia matrimonium verè non fuit nullum, quamuis vnus ex illis sit iam Sacris initiatus: imò si matrimonium fuit consummatum, quamuis iam sit Religiosus professus. Quod addimus, quia si non fuit consummatum, verè professione ipsa fuit dissolutum; professus autem, & Sacris initiatus ad coniugem redeuntes, quamuis reddere teneantur, prohibiti sunt petere, voto aut obligatione castitatis intuitu Religionis imposita.

43 Id autem quod diximus, nempe in dubio perpetuitatis impotentiæ requiri triennium pro foro exteriori, etiam intelligimus verum, quamuis pro perpetuitate impotentiæ sit probabilis opinio, si pro non perpetuitate etiam sit opinio probabilis; quia in tanta contingentia physica non perpetuitatis impotentiæ, quanta tunc erit, æquum est vt experientia inquiratur veritas, & ante inquisitionem matrimonium non declaretur à Iudice nullum.

DIFFICVLTAS XII.

An Impotentia temporalis ex defectu ætatis dirimat Matrimonium, an defectus ipse ætatis.

CONueniunt Doctores, impotentiam temporalem, ex defectu ætatis prouenientem, non dirimere matrimonium contrahendum; ipsum tamen defectum ætatis non attingentis annum duodecimum in puella, & decimumquartum in puero, dirimere matrimonium Iure Ecclesiastico, vt constat ex cap. *Puberes*. 3. & ex cap. *Continebatur*. 6. & ex cap. *Attestationes*. 10. & ex cap. *Ex literis*. 11. de Desponsatione impuberum; & non dirimere Iure naturali, si aliàs sit sufficiens vsus rationis; quia ex natura rei apti sunt obligari ex tunc ad actum coniugalem posteà possibilem.

Defectus tamen ætatis, quando malitia ætatem 44
supplet, nullo Iure, adhuc Ecclesiastico, dirimit matrimonium, vt constat ex cap. *Continebatur*. & ex cap. *De illis*. 9. & ex cap. fin. de Desponsat. impub. Nomine autem *malitiæ* intelligitur non tantùm vsus rationis, sed etiam perfecta potentia coëundi, vt constat ex capp. *Continebatur*. & *De illis*; quia si solus vsus rationis suppleret ætatem, frustrà fuisset facta ea dispositio & præscriptio ætatis; quia ex vna parte, quando esset vsus rationis ante dictam ætatem, valeret matrimonium, & ex altera, quando non est vsus rationis, adhuc post dictam ætatem, non valet; quia vsus rationis Iure naturali requiritur ad valorem matrimonij, & cuiuscumque alterius contractus.

Est tamen difficultas Primò, an ad valorem matrimonij requiratur dicta ætas mathematicè completa, an sufficiat moraliter; vt quando alicui tantùm deficiunt quindecim dies plus minúsve; procedit autem quando malitia non supplet ætatem.

Rebellus lib. 3. quæst. 16. sect. 2. Vera-cruz, & 45
alij docent, non requiri dictam ætatem esse ma- *Rebellus.*
thematicè completam, sed sufficere moraliter mo- *Vera-cruz.*
do dicto; quia quod parum distat, nihil distare videtur. Sancius verò lib. 7. disp. 104. Basilius lib. 7. *Sancius.*
c. 65. & alij docent, requiri dictam ætatem esse ma- *Basilius.*
thematicè completam, & meritò: quia Iure præscribitur seu taxatur, ac proinde debet in indiuisibili consistere, sicut pretium iure præscriptum in indiuisibili consistit. Vnde Regula illa, *Quod parum distat*, &c. non habet locum in taxatis à Iure.

Id verò quod addit Sancius, nempe sufficere, vltimum diem, quo dicti anni præscripti complentur, esse inchoatum, falsum est, vt optimè Basi- *Basilius.*
lius, quia quousque sit completus, dicta ætas non est mathematicè completa, neque in indiuisibili consistens.

Secundò est difficultas, Quanto tempore ante dictam ætatem malitia eam suppleat.

Supponimus (in quo contra nonnullos conueniunt communiter Doctores) non quocumque tempore ante eam ætatem malitiam (id est discretionem & potentiam perfectè coëundi) supplere ætatem, sed tantùm tempore proximo dictæ ætati seu pubertati, vt constat ex dictis capp. *Continebatur*, & *De illis*. 9.

Dissentiunt tamen dicti Doctores in assignan- 46
do tempus proximum dictæ ætati. Non desunt

qui dicant, tempus proximum dictæ ætati esse, quod ab ea non distat ampliùs quàm per sex menses. Et alij, qui in pueris dicunt esse tempus excedens annum decimum & dimidium, & in puellis nonum & dimidium. Sancius verò id relinquit arbitrio Iudicis, vt illud assignet, quia nihil videtur Iure præscriptum. *Sancius.*

Nos tamen existimamus, tempus dictæ ætati proximum, à quo malitia ætatem ipsam suppleat, esse, cui non deficit plus quàm vnus integer annus, vt exprimitur in cap. *Continebatur*. Vnde puella, quæ habet vndecim annos completos, & puer qui habet tredecim, sunt proximi pubertati, vt, quando malitia suppleat ætatem, possint matrimonium contrahere.

Obseruandum est, contrahere ante ætatem in qua matrimonium possit validè fieri, esse illicitum, seu peccatum; quia est prohibitum in cap. *Vbi non.* 2. de Desponsat. impub. imò esse mortale, vt contra Sancium lib. 1. disp. 17. docent Rebellus lib. 4. quæst. 5. Ægidius disp. 21. dub. num. 54. & Basilius, quia est quid graue. Intelligitur autem in dicto cap. à prohibitione, vt Basilius non sit illicitum, imò etiam vt sit validum, quando fit ex vrgentissima causa, vt ob bonum pacis, & fit ex tolerantia (id est, ex licentia) Ordinarij, vt aduertit Sancius lib. 2. disput. 40. & Basilius.

DISPVTATIO XXIII.

De Crimine.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm machinatio in mortem coniugis dirimat Matrimonium postea cum altero contrahendum.

1 CONVENIVNT Doctores, machinationem in mortem coniugis siue proprij, siue alieni, dirimere matrimonium contrahendum inter coniugem superstitem, & inter alterum, quando ab aliquo ex ipsis duobus facta est machinatio, vt constat ex can. *Si quis viuente.* 31. quæst. 1. & ex cap. 1. de Conuersione infidelium, quamuis vnus, inter quos est contrahendum, machinatus fuerit ante Baptismum, vt constat ex dicto cap. 1. Et non tantùm machinatio in mortem vxoris dirimit matrimonium, in quo conueniunt Doctores, sed etiam machinatio in mortem mariti, vt contra Victoriam & Ledesmam docent Sancius, Ægidius, Basilius vbi suprà, & communiter Doctores; quia quamuis in aliquibus Iuribus tantùm fiat mentio machinationis in mortem vxoris, in duobus tamen prædictis fit mentio machinationis in mortem mariti. *Sancius. Ægidius. Basilius.*

2 Est tamen necessarium, vt machinatio in mortem coniugis dirimat matrimonium, quòd sortiatur effectum mortis, in quo Doctores conueniunt, & constat ex dictis duobus Iuribus. Quòd verò in aliis Iuribus non exprimatur, in quibus fit mentio impedimenti machinationis, non obstat, tum quia ista alia Iura explicanda sunt per duo dicta, in quibus id exprimitur; cùm etiam, quia Iura imponentia pœnam crimini, intelligenda sunt de crimine completo, quando aliud non constat. Vt tamen machinatio in mortem effectiuè secutam dirimat matrimonium cum superstite, sufficit quòd fiat consilio aut mandato, in quo etiã Doctores conueniunt, & constat ex dicto can. *Si quis viuente*, & ex c. 1. & ex c. 6. de Eo qui duxit in matrimonium. Sed non sufficit ratihabitio machinationis & mortis, in quo etiam Doctores conueniunt; quia in omni Iure requiritur machinatio: ratihabitio autem neque est machinatio physica, vt patet; neque moralis medio consilio, aut mandato; quia ratihabitio non æquiparatur mandato, nisi in his quæ à sola nostra voluntate dependent vt rata sint, aut quando Iure exprimitur, vt contingit in ratihabitione qua quis ratam habet occisionem violentam Clerici.

Est tamen difficultas Primò, An vt dicta machinatio in mortem re ipsa secutam, dirimat matrimonium contrahendum, necessarium sit, quòd fiat animo contrahendi illud.

Caietanus in Summa, v. *Matrimonium.* cap. 1. Cai. Impedimento 5. & Petrus Sotus docent, eam intentionem non esse necessariam, vt dicta machinatio dirimat matrimonium, quia ea intentio nullo Iure requiritur ad effectum dirimendi.

Sancius verò lib. 7. disp. 78. & Ægidius disp. 31. dub. 5. & Basilius lib. 7. c. 45. docent, eam intentionem esse ad id necessariam, & meritò: quia quamuis in Iure non exprimatur, insinuatur tamen in cap. *Super hoc.* 3. de Eo qui duxit in matrimonium, & in cap. 1. de Conuersione infidel. dum dicitur, *malitiosè fuerint machinati*, imò etiam in can. *Si quis viuente*, dum dicitur, *occidisse notetur*, quod satis verisimile efficit finis appositionis huius pœnæ & impedimenti, qui fuit, ne quis desiderio matrimonij occidat proprium vel alienum coniugem; imò, vt optimè Basilius, iuxta doctrinam, quam tradit Vasquez 1. 2. disp. 160. necessarium est, eam intentionem exteriùs indicari, quia aliter nequit puniri ab Ecclesia, à qua sola introducta est dicta pœna.

Secundò est difficultas, An machinatio in mortem re ipsa secutam, & facta ex dicta intentione, dirimat matrimonium, quando non interuenit adulterium.

Antoninus 3. p. tit. 1. c. 5. & Vera-cruz 1. p. Speculi, art. 35. docent non esse necessarium adulterium quamuis vnus solus suprà dicto modo machinatus fuerit in mortem coniugis.

Monaldus in Summa, tractat. de Matrimonio, vbi de impedimento criminis, & Ochagauia tract. 3. quæst 61. docent, necessarium esse adulterium ad id, quamuis vterque, nempe vnus coniux, & alter cum quo contrahendum est matrimonium, machinatus fuerit in mortem alterius coniugis.

Sancius verò, & Basilius vbi suprà, & Toletus lib. 7. c. 6. respondent sub distinctione (& bene) tunc videlicet etiam requiri adulterium, quando vnus tantùm, siue coniux siue alter machinatus est in mortem, vt constat ex dicto cap. 6. de Eo qui duxit, in quo cum machinatione facta ab vno requiritur

ritur adulterium, quamuis non sufficiat, nisi adulterium ab vtroque scienter committatur; tum verò non requiri adulterium, quando vterque machinatus est in mortem, vt constat ex dicto cap. 1. de Conuersione infidel. in quo, nulla mentione facta adulterij, dicitur, matrimonium inter vxores occisorum à Sarracenis, & inter ipsos Sarracenos, etiam ad fidem conuersos, non valere, quia vxores occisorum cum ipsis Sarracenis malitiosè machinatæ fuerunt in mortem suorum maritorum.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm adulterium absque machinatione mortis dirimat Matrimonium inter adulteros.

6 CONueniunt Doctores, adulterium, etiam absque machinatione in mortem coniugis, dirimere matrimonium contrahendum inter ipsos adulteros, si adulterium coniungatur aut cum matrimonio de præsenti inito inter ipsos adulteros, adhuc altero coniuge superstite, aut cum promissione matrimonij contrahendi cum adultero complice facta ante mortem coniugis, vt constat ex can. *Relatum.* 31. qu. 1. & ex capp. 1. 6. 7. & vlt. de Eo qui duxit in matrimonium: quod est verum, siue adulterium fiat ante dictum matrimonium, aut ante dictam promissionem, siue post, vt constat ex dicto cap. vlt. dum adulterium fiat ante mortem illius coniugis, quo superstite facta fuit promissio, aut initum seu attentatum matrimonium, & non posteà in alio matrimonio.

Circa adulterium requisitum ad hoc impedimentum, conueniunt Doctores, requiri verum & formale adulterium: ad quod necessarium est, quòd vterque habeat notitiam proprij matrimonij, aut matrimonij alterius adulteri, vt constat ex dictis capp. 1. & 7. in quibus, quia femina ignorauit matrimonium alterius, ob quod non peccauit peccato formali adulterij, dicitur, non incurrisse dictum impedimentum. Existimamus autem contra Sancium lib. 7. d. 79. ad hoc impedimentum sufficere, quando vterque adulter est coniugatus, nosse proprium coniugium, quamuis ignoret alterius; quia in hoc casu vterque verè peccat peccato adulterij. In dictis autem capp. 1. & 7. dicitur, feminam ignaram matrimonij viri non incurrisse dictum impedimentum, quia femina non erat coniugata, vt ibi supponitur.

7 Ab hoc autem impedimento & pœna non excusat ignorantia vincibilis; quia non excusat à culpa adulterij, quod verum est, quamuis ignorantia sit crassa, vt contra Sancium vbi suprà, & Rebellum lib. 3. qu. 8. docent communiter Doctores, quia hæc, vtpote vincibilis, non excusat à culpa adulterij, ob quam hoc impedimentum statuitur. Ad illud tamen incurrendum non sufficiunt tactus, imò neque conatus ad copulam; quia nullo eorum committitur adulterium saltem perfectum; imò, vt aduertit Basilius, non sufficit copula absque seminis intromissione; quia absque hac adulterium non est perfectum; pœna autem imposita alicui crimini, absolutè tantùm imponitur crimini perfecto. *Basilius.*

Circa matrimonium de præsenti initum, seu intentatum inter adulteros, ratione cuius adulterium inter ipsos dirimit matrimonium inter eosdem contrahendum, aduertunt Sancius & Ægidius, sufficere matrimonium clandestinum. Id tamen nos difficile existimamus, quia quòd adulterium cum matrimonio inter adulteros inito dirimat matrimonium, est pœna, quæ restringenda est. Cui 8
accedit Primò, quòd in Iure ad hoc impedimentum tantùm, fit mentio matrimonij, quod ad sui valorem non habet alium defectum, quàm alterum coniugem viuere. Secundò, quòd solum matrimonium, quod aliàs non viuente coniuge esset validum, regulariter præbet occasionem occidendi coniugem, quod Ecclesia apponendo dictum impedimentum vitare contendit.

Circa promissionem matrimonij contrahendi post mortem coniugis, ob quam adulterium dirimit matrimonium inter ipsos adulteros contrahendum, est difficultas Primò, An ad id sufficiat promissio oretenus facta, quando apparet seriò & ex animo facta, quæ communiter dicitur ficta.

Sancius vbi suprà, & Ægidius disp. 31. nu. 57. docent sufficere; quia etiam promissio ficta præbet occasionem insidiandi vitæ alterius coniugis. *Sancius.* *Ægidius.*

Henriquez verò lib. 12. cap. 14. & Rebellus vbi suprà docent, non sufficere, & meritò: quia quòd adulterium cum promissione matrimonij contrahendi cum complice illud dirimat, est pœna, quæ, quia potiùs est restringenda, sicut non incurritur nisi quando adulterium est perfectum, ita nec quando promissio non est perfecta, & aliàs sufficiens ad obligandum ex iustitia, & sub mortali, qualis non 9
est promissio oretenus facta, quamuis sit valida & sufficiens ad obligandum ex fidelitate, & sub veniali, & ad præbendam dictam occasionem coniugi decepto. Secundò est difficultas, An ad id necessaria sit promissio mutua. Henriquez vbi suprà, & Hugolinus de Sacramentis, vbi de Matrimonio, c. 19. affirmant: quia mutua promissio necessaria est ad sponsalia, quæ ad dictum impedimentum requiri videntur. Sancius verò & Rebellus negant, & meritò, quia in cap. 6. de Eo qui duxit, vbi fit mentio dicti impedimenti, supponitur, sufficere promissionem vnius, & in aliis Iuribus, in quibus fit mentio eiusdem impedimenti, tantùm fit mentio adulterij cum promissione, seu cum fide data, quæ verè reperitur, quamuis non sit vtrimque facta, sed ab vno, dum ab altero sit acceptata; quia quæ non acceptatur, non sufficit, in quo Doctores conueniunt; quia absque acceptatione, quamuis sit fidei oblatio, non tamen fidei datio: quia nulli datur, quod à nullo accipitur. Ad acceptationem autem in hoc casu sufficit taciturnitas alterius, vt contra Sancium docent Rebellus, Ægidius & Basilius: quia in his, quæ fauorabilia iudicantur ab eo cui offeruntur, & vt talia ei offeruntur, quamuis re ipsa non sint fauorabilia, qui tacet consentire videtur. *Henriquez.* *Hugolinus.* *Sancius.* *Rebellus.* *Rebellus.* *Ægidius.* *Basilius.*

Addimus Primò, vt significat Ægidius disp. 31. n. 59. ad dictum impedimentum necessariam esse promissionem absolutam ab omni conditione distincta à morte coniugis: siue quæ à principio fuerit absolutè facta, siue quæ facta fuerit absoluta conditionis euentu sub qua fuit facta; quia in Iure ad id absolutè & simpliciter requiritur promissio, qualis non est conditionata ante conditionis euentum; & quia ad id promissio (sicut adulterium, & sicut matrimonium de præsenti) debet esse ante mortem alterius coniugis; ideò quando fuit à 10 *Ægidius.*

princi-

principio conditionata, necessarium est conditionem impleri ante mortem illius.

Addimus Secundò, non sufficere ad id, quòd Maria v.g. coniugata committat adulterium cum Petro soluto, sub fide à Petro dictæ Mariæ data, quòd eius marito mortuo contrahet cum ea femina, quam Franciscus v. g. designauerit, quamuis Maria certò credat, quòd ipsa sit designanda à Francisco; quia tunc non datur fides contrahendi cum Maria, quia absque fractione dictæ promissionis potest Petrus contrahere cum alia femina, si aliam Franciscus designet.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm raptus dirimat Matrimonium.

11 RAptus, qui est *violenta puellæ extractio de domo patris*, Iure ciuili in L. vnica De raptu, dirimit matrimonium inter raptorem & raptam: quod approbatum videtur Iure Canonico antiquo in can. *Placuit*. 36. q. 2. Iure tamen Canonico nouiori in cap. fin. de Raptoribus correctum est, dum statuitur, matrimonium inter raptorem & raptam valere, si rapta consentiat liberè; Iure verò nouissimo Tridentini sess. 24. c. 6. de Reformatione matrim. irritatur matrimonium inter raptorem & raptam, quamdiu rapta est in potestate raptoris; non verò si sit separata à potestate raptoris, & in loco tuto ac libero constituta.

Trident.

12 Circa hoc tamen decretum Tridentini difficultas est Primò, An raptus, quo femina rapit virum, dirimat matrimonium.

Henriq. Rodriguez. Vega. Sancius, Aegidius. Basilius. Rebellus.

Henriquez lib. 12. c. 4. Rodriguez & Vega affirmant, immeritò tamen, vt optimè Sancius lib. 7. d. 13. Ægidius d. 30. dub. 4. Basilius & Rebellus, quia dictum decretum Tridentini, quod tantùm est factum contra raptorem, non contra raptricem, vtpote odiosum & pœnale, non est extendendum ad raptricem, præsertim cùm sit maior ratio ad fauendum feminis ne cogantur, quàm viris.

Secundò est difficultas, An raptus, quo femina inuitis parentibus, ipsa tamen consentiente, rapitur, dirimat matrimonium.

Henriquez. Sà. Sancius. Aegidius.

Henriquez vbi suprà, & Sà v. *Matrimonium.* affirmant, quia est verè raptus. Sancius verò & Ægidius negant, & meritò: quia Tridentinum in dicto Decreto tantùm loquitur de raptu quo læditur libertas ad matrimonium, quia huic tantùm læsioni occurrere intendit; dicto autem raptu, quamuis vero, non læditur libertas ad matrimonium, quia non fit inuita femina, cuius tantùm libertas, & non parentum, conducit ad matrimonium.

Tertiò est difficultas, An raptus propriæ sponsæ ipsa inuita dirimat matrimonium.

Henriquez negat, immeritò tamen, vt optimè Sancius & Sà, quia Tridentinum indifferenter loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur; in hoc autem casu verè læditur.

Quartò est difficultas, An raptus non factus causa contrahendi matrimonium cum rapta, sed causa libidinis, dirimat matrimonium.

P. Sà vbi suprà, & Ochagauia Tract. 3. quæst. affirmant, Primò, quia Tridentinum absolutè & absque vlla limitatione loquitur da raptu. Secundò, quia raptus, etiam non factus causa contrahendi matrimonium, lædit libertatem feminæ ad illud. Tertiò, quia Tridentinum ibi punit raptores & fautores, quamuis Clericos, & tamen Clerici non rapiunt ad contrahendum matrimonium, ergo.

Sancius verò & Ægidius negant, & meritò: quia Tridentinum dicto impedimento & reliquis pœnis tantùm intendit punire eum qui lædit libertatem ad matrimonium, vt sic puniendo impediat dictam læsionem: qui autem feminam rapuit non ad contrahendum matrimonium, non violauit libertatem ad illud, neque ad illud coegit; ergo nullam pœnam à Tridentino assignatam adhuc dicti impedimenti incurrit. Ex quo constat ad Secundam rationem aduersariorum, & quòd Tridentinum tantùm loquatur de raptu intentione contrahendi matrimonium facto, vt ex eius intentione deducitur, & ex eo quòd in dicto cap. incipit agere de matrimonio contrahendo inter raptorem & raptam. Ad tertiam respondent posset, ibi tantùm puniri Clericos fautores, non raptores; sed adde, Clericos posse esse etiam raptores intentione contrahendi matrimonium, quando non sunt in Sacris, imò & quando sunt, si non de Iure, saltem de facto; quia Clerici in Sacris aliquando de facto contrahunt, quamuis inualidè, sicut coniugati.

Obseruandum est, raptores, & fautores raptus dirimentis matrimonium, excommunicari ipso Iure à Tridentino, ac proinde statim absque alia declaratione excommunicatos manere, etiamsi posteà ducant raptam; pœnam verò infamiæ, & incapacitatis ad dignitates, & obligationem dotandi raptam, siue eam ducant siue non, & priuationem gradus clericalis, quando raptor aut fautor est Clericus, non incurri ante sententiam Iudicis, vt docent Sancius & Ægidius, iuxta communem doctrinam de legibus pœnalibus: imò non sunt imponendæ à Iudice, si eam validè dimittat, excepta pœna dotandi eam.

DISPVTATIO XXIV.

De Disparitate cultus.

DIFFICVLTAS I.

Quo Iure Matrimonium personæ baptizatæ cùm non baptizata sit nullum.

1 CONVENIVNT Doctores, matrimonium personæ baptizatæ cum non baptizata, quamuis catechumena, esse nullum: & non esse nullum Iure naturali, quia disparitas in Baptismo nullam ex natura rei habet incompossibilitatem cum matrimonio, quod constat exemplo S. Clothildis, quæ nupta fuit Clodouæo non baptizato. Quòd verò dictæ personæ aliquando non conueniant ad benè educandum prolem, non sufficit vt matrimonium inter eas sit ex natura rei nullum: quia quando id contingit, prouenit per accidens ex malitia personæ non baptizatæ (aliàs etiam esset nullum inter personas ambas non baptizatas & infideles, quia istæ potiùs conuenient ad malam educationem prolis) erit tamen illicitum ex natura rei, quando sit probabile periculum malæ educationis prolis, aut desertionis fidei in personam fideli.

Est tamen difficultas, an disparitas in Baptismo dirimat matrimonium Iure diuino positiuo.

2 *Viguerius Vasquez* Viguerius in Summa cap. 16. §. 7. & Vasquez disput. 2. num. 20. affirmant: quia eo ipso quòd Christus matrimonium personæ baptizatæ instituit in Sacramentum, irritauit matrimonium illius cum persona non baptizata; quia tale matrimonium, adhuc ex parte personæ baptizatæ, nequit esse Sacramentum, quia ratio Sacramenti tantùm conuenit toti matrimonio, quod in vtroque contrahente reperitur, & non in vno solo.

3 *Sancius. Aegidius.* Sancius verò lib. 7. disp. 71. Ægidius disp. 32. dub. 3. & communiter Doctores negant: quia de eo Iure diuino non constat, imò generaliter in lege gratiæ nullum Ius diuinum purè positiuum agnoscitur, nisi receptionis Sacramentorum, & forsan etiam fidei; ac proinde neque Iure diuino dictum matrimonium erit prohibitum.

Ad rationem ergo respondemus, Christum non instituisse in Sacramentum matrimonium personæ baptizatæ adhuc, vt partem Sacramenti, nisi quando etiam est cum altera baptizata, & quamuis instituisset, non eo ipso irritasset matrimonium illius cum persona non baptizata, quamuis non posset fieri Sacramentum; quia etiam matrimonium inter baptizatos potest validè fieri, quamuis non fiat Sacramentum, vt diximus Disp. 111. Difficult. xv111. Hoc tamen matrimonium inter baptizatos non efficere Sacramentum, est illicitum Iure diuino naturali, quia supposita diuina institutione, est ex natura rei contra Religionem, efficere tale matrimonium, & illud non efficere Sacramentum.

Disparitas ergo in Baptismo, solo Iure Ecclesiastico dirimit matrimonium (in quo Doctores communiter conueniunt) non scripto, quia nullum extat, sed introducto, aut viuæ vocis oraculo, aut antiquissimo Ecclesiæ vsu, vnde Pontifex in eo dispensare potest.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Matrimonium personæ baptizatæ fidelis cum baptizata infideli sit nullum.

RAtio difficultatis pro parte affirmatiua desumitur ex VI. Synodo can. 72. dum matrimonium inter personam Catholicam & hæreticam dicitur irritum, & esse dissoluendum. 4

Conueniunt tamen communiter Doctores matrimonium inter dictas personas esse validum. Ita Sancius lib. 6. disp. 72. & Ægidius disp. 31. dub. 3. & id supponitur in c. *Decreuit.* 14. de Hæreticis, in 6. Et ratione constat, quia id nullo Iure irritatur, quia non Ecclesiastico scripto, quia nullum extat; dictus autem can. 72. in quo irritum dicitur, nullius est auctoritatis, quia non fuit editus à VI. Synodo, sed post ipsam dissolutam cum multis aliis canonibus, quos Trullanos vocant, editus fuit à nonnullis Episcopis: neque id irritatur Iure aliquo Ecclesiastico, quod consuetudine sit introductum aut esse constet, quia non fuit Ecclesiæ in vsu, sed potiùs oppositum. *Sancius. Aegidius.*

Addimus tamen, matrimonium inter dictas personas esse prohibitum Iure Ecclesiastico, vt patet ex Concilio Chalcedonensi can. 13. & ex communi consuetudine Ecclesiæ, id habentis vt illicitum: & non esse prohibitum alio Iure, quia non diuino, quia de eo non constat; neque naturali, quia id non est contra rationem, secluso probabili periculo peruersionis personæ Catholicæ, & malæ educationis prolis, cui verè potest obuiari. Vnde Pontifex in dicta prohibitione dispensare potest, vt inter dictas personas possit licitè contrahi matrimonium. 5 *Concilium Chalcedon.*

Quòd autem persona hæretica peccet peccato sacrilegij, indignè recipiendo Sacramentum matrimonij, non obstat, vt persona Catholica licitè contrahat cum illa, quamuis cooperetur contractui qui à persona hæretica fit sacrilegè; quia, vt fit à persona Catholica, licitè fit, & posset à persona hæretica, se disponendo ad gratiam, vt potest, & sua malitia non vult.

Excipit tamen Sancius à dicta prohibitione matrimonium Catholicorum palàm habitantium & tractantium cum hæreticis, vt secluso periculo peruersionis, & malæ educationis possit licitè fieri, & meritò: quia in Prouinciis illis ita est consuetudine receptum, & in eis prohibitio antiqua cessauit. 6 *Sancius.*

De Vi & Ligamine, & defectu Parochi & testium, quæ supersunt ex impedimentis dirimentibus, iam egimus suprà; de Vi Disp. v1. vbi egimus de matrimonio coacto; de Ligamine Disp. 1x. vbi egimus de polygamia; de defectu Parochi & testium, Disp. v. vbi egimus de matrimonio clandestino.

DISPV-

DISPVTATIO XXV.

De Impedimentis tantùm impedientibus.

DIFFICVLTAS I.

Quot, & quæ sint impedimenta tantùm impedientia Matrimonium.

1 SVPPONIMVS, impedimenta Iure naturali & antiquo Ecclesiastico tantùm impedientia matrimonium, id est, quibus illicitum est aut erat contrahere matrimonium (quamuis validè) fuisse duodecim, quæ sequentibus versibus continentur:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, iungito votum,
Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut Monialem
Accipiat: prohibent hæc coniugium sociandum.

Primum ergo impedimentum impediens ne licitè contrahatur matrimonium, quamuis validè, est *Ecclesiæ vetitum*, id est prohibitio Iudicis, ex iusta causa prohibentis aliquibus matrimonium ad tempus, vt quando dubitatur de impedimento inter eos, donec liquidò constet. Obligat autem sub mortali, vtpote prohibitio rei grauis. Eam autem prohibitionem posse fieri à Parocho, aduertunt Antoninus 3. part. tit. 1. c. 16. Sancius lib. 3. disp. 16. & Basilius lib. 6. c. 7. Ex cap. fin. de Clandestina desponsatione, extraiudicialiter tamen. *Antonin. Sancius. Basilius.*

2 Secundum est *Tempus feriatum*, id est prohibitio Iuris, qua pro certis temporibus Iure ipso prohibetur matrimonium solemniter celebrari. Et quamuis Iure antiquo id pro pluribus temporibus prohiberetur; iam tamen Iure nouo Tridentini sess. 24. c. 10. tantùm prohibetur ab Aduentu vsq; ad diem Epiphaniæ, & à die Cinerum vsque ad Octauam Resurrectionis inclusiuè: prohibetur autem tam antiquo quàm nouo Iure Tridentini, non matrimonium contrahere, sed solemnitas cõsistens in benedictionibus nuptialibus, & in traductione sponsæ in domum sponsi comitatu solẽni, seu splendido conuiuio, & aliis lætitiæ signis, vt, paucis quibusdam exceptis, docent communiter Doctores, & indicat Tridentinum dum ait: *Antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones sancta Synodus obseruari præcipit.* *Trident.*

3 Iam verò non nisi benedictiones nuptiales prohibitæ videntur pro dictis temporibus, & non traductio sponsæ conuiuio, & reliquis lætitiæ signis comitata; quia huius prohibitio opposita consuetudine tolerata cessasse videtur. Prohibitio autem benedictionum nuptialium, quæ perseuerat, obligat sub mortali, vt docent communiter Doctores, & deducitur ex Tridentino, & constat ex grauitate rei prohibitæ. Quod verò à nonnullis dicitur, pro dictis temporibus etiam prohiberi actum coniugalem, absque fundamento dicitur. *Trident.*

Tertium est *Catechismus*, quo quis pro baptizando aut pro iam baptizato respondet Sacerdoti interroganti, an credat, & an renuntiet diabolo, quibus non teneat baptizatum, vt constat ex cap. 2. de Cognatione spirituali, in 6. Hoc tamen impedimentum iam videtur à Tridentino sess. 24. cap. 2. sublatum, vt contra Bartholomæum Ledesmum & Ochagauiam aduertunt Sancius disp. 10. Ægidius disp. 30. dub. 3. & Basilius lib. 6. cap. 11. dum. 4. in Baptismo tantùm vult contrahi cognationem spiritualem inter baptizatum eiusque parentes ex vna parte, & inter baptizantem & eius patrinos ex altera, omni alia cognatione sublatâ. Ex catechismo autem si impedimentum aliquod oriebatur, tantùm erat cognationis spiritualis, quamuis imperfectæ.

Quartum est, *Sponsalia*, quia hæc inita cum vna impediunt Iure naturali ne licitè contrahatur matrimonium cum altera; quia id est contra fidelitatem, & regulariter etiam contra iustitiam: impediunt autem sub mortali, quando etiam obligant ex iustitia, vt patet ex grauitate rei, & ex rigore obligationis virtutis iustitiæ.

Quintum est *Votum* simplex Religionis, aut castitatis, aut cælibatus; quia hoc suâ naturâ seu suo Iure naturali impedit, & sub mortali, ne fiat matrimonium; quia tunc contrahere, est contra fidem Deo datam in re graui, quamuis votum Religionis & castitatis tantùm impediant contrahere cum animo consummandi; quia contrahere absque eo animo, non est contra dictum votum, quin post matrimonium ratum impleri possit, imò votum Religionis ex licentia coniugis etiam post consummatum.

Sextum est *Incestus* cum persona consanguinea coniugis in primo aut in secundo gradu, & etiam cum matre & filia, neutra vxore incestuosi.

Septimum est *raptus* alienæ sponsæ, etiam ipsa consentiente. Octauum est *vxoricidium*. Nonum est suscipere in Baptismo aut in Confirmatione prolem ex propria vxore, quando fit ex malitia, id est, ex intentione negandi debitum vxori. Decimum est, *Occisio iniusta Presbyteri*. Vndecimum est, *publica pœnitentia*, dum agitur. Duodecimum est contrahere matrimonium cum *Moniali*.

In his septem vltimis impedimentis, nempe in sex dictis criminibus, & in publica pœnitentia non ampliùs immoramur, quia iam desuetudine cessarunt, vt testantur Nauarrus cap. 22. nu. 75. Sancius lib 7. disp. 17. Ægidius disp 30. dubit. 3. & Basilius lib. 6. c. 14.

Ex dictis constat, iam nullum impedimentum tantùm impediens Iure positiuo statutum perseuerare; quia iam tantùm impediunt sponsalia & votum, quæ suo Iure naturali tantùm impediunt; prohibitio autem Iudicis tantùm impedit quando apponitur à Iudice.

DISPV-

DISPVTATIO XXVI.

De dispensatione Impedimentorum Matrimonij.

1 CIRCA hanc disputationem supponimus Primò, dispensationem non esse interpretationem, qua iudicatur, ius aut votum hîc & nunc non obligare ob aliquam causam, aliàs quilibet doctus in Iure & in voto posset dispensare; sed esse relaxationem, seu absolutionem Iuris aut voti: & quamuis dispensatio iuris facta absque rationabili causa sit illicita (quamuis forsan non nisi venialiter) est tamen valida; quia conseruatio Iuris pendet à voluntate illius qui illud tulit, ac proinde si nolit quòd perseueret respectu alicuius personæ, non perseuerabit.

Secundò supponimus, potestatem dispensandi alicui commissam, seu delegatam à Principe, esse amplè interpretandam, quia ea commissio est fauor Principis; dispensationem verò factam, siue à Principe, siue à delegato, esse strictè interpretandam, quia est odiosa, vtpote discessio à Iure communi, & causa discordantiæ intra membra eiusdem corporis mystici. Vtraque pars constat ex Regula 15. de Reg. Iuris, in 6. dum dicitur, *Odia restringi, fauores conuenit ampliari.* Vtraque tamen dicta pars variè ab alijs limitatur: de quo legendi sunt Sancius lib. 8. disp. 1. & 2. & Ægidius disp. 33. dub. 3.

2

Sancius. Ægidius.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Pontifex dispensare possit in Impedimentis Matrimonij.

CIrca impedimenta tantùm impedientia conueniunt Doctores, Pontificem dispensare posse in illis quæ solo Iure Ecclesiastico impediunt (si aliqua talia perseuerant) vt patet, & etiam in voto, quamuis ex natura rei seu Iure naturali impediat: id tamen potest commissione extraordinaria Christi, superaddita officio Summi Pastoris & legislatoris Ecclesiastici, quæ Ioann. 21. illis verbis, *Pasce oues meas*, agnoscitur Pontifici concessa ad remittendum nomine Dei obligationem ortam ex voto ipsi Deo facto; & quia hæc superaddita est Pontifici, non absolutè, & in destructionem, sed tantùm in ædificationem, ideò voti dispensatio absque rationabili causa spirituali cedente in ædificationem erit inualida.

3 Addimus, Pontificem etiam dispensare posse in sponsalibus initis cum vna, quæ suo Iure naturali impediunt contrahere cum altera: quia, vt diximus Disput. VIII. Diffic. III. dispensare potest in matrimonio rato, ac proinde à fortiori etiam in sponsalibus, extraordinaria tamen & superaddita Christi cõmissione: quod etiam ob dictam rationem non efficiet validè, nisi ex rationabili causa spirituali cedente in ædificationem, vt si timeatur priorem sponsam futuram sponso occasionem peccandi, aut si ex matrimonio cum posteriori speretur pax publica.

4 Circa impedimenta dirimentia etiam conueniunt Doctores, Pontificem posse in impedimẽtis solo Iure Ecclesiastico dispensare, vt patet; non tamen posse in impedimẽtis Iure naturali dirimentibus, in quo Doctores cõmuniter conueniunt: quia Pontifex id non potest auctoritate ordinaria Superioris purè humani, vt patet; neque extraordinaria aliqua, & superaddita Dei commissione, quia non constat eam à Christo accepisse. Vnde non potest dispensare in impedimento impotentiæ perpetuæ, neque in impedimento ligaminis, neque in impedimento consanguinitatis in linea recta adhuc in remotissimo gradu, quia hæc tria dirimunt Iure naturali; neque in impedimento erroris, quia iste dirimit ex defectu consensus, quem Pontifex supplere non potest, benè tamen in impedimento consanguinitatis in linea transuersali in quocumque gradu, & in impedimento cognationis spiritualis, & legalis, & etiam affinitatis in quacumque linea, & in quocumque gradu, & in impedimento solemnis voti castitatis, & in impedimento Ordinis sacri, & in omnibus alijs dirimentibus, quia omnia alia, præter quatuor primò dicta, dirimunt solo Iure Ecclesiastico.

Addimus contra Sancium lib. 8. disp. 7. vt optimè Molina disp. 624. & Ægidius disp. 33. dub. 4. Pontificem non posse dispensare in radice matrimonij quoad effectus sæculares, sed solùm quoad Ecclesiasticos, id est, prolem illegitimam, quæ talis est, quia concepta ex matrimonio nullo ob impedimentum Iure Ecclesiastico dirimens, non posse habilitare ad ea officia sæcularia, ad quæ illegitimus est inhabilis Iure ciuili; quia non potest auferre dictam inhabilitatem, non tollendo illegitimationem; & hanc nequit tollere, quia nequit tollere radicem illius; quia nequit efficere, matrimonium non fuisse nullum: posse tamen habilitare ad officia Ecclesiastica, quia quamuis nequeat auferre illegitimationem, ex qua oritur inhabilitas ad illa; potest tamen inhabilitatem ipsam immediatè & in se ipsa tollere, quia Iure Ecclesiastico oritur ex illegitimatione, in qua etiam Pontifex dispensare potest.

Molina. Ægidius.

5

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Episcopus dispensare possit in Impedimentis Matrimonij.

CIrca impedimenta dirimentia conueniunt Doctores, Episcopum non posse ordinariè in impedimentis dirimentibus dispensare, quia introducta sunt aut Iure naturali, aut à Pontifice, aut à Concilio Generali, quibus Episcopus inferior est.

6 Addidimus *ordinariè*, quia pro foro conscientiæ posse aliquando, ex tacita Pontificis concessione, in his quæ Iure naturali non dirimunt, docent Sancius l. 2. disp. 40. Ægidius disp. 33. dub. 3. Basilius lib. 8. cap. 13. Vasquez 1. 2. disp. 178. c. 2. & iam communiter Doctores; tunc scilicet, quando matrimonium est bona fide saltem vnius contractum,

Sancius. Ægidius. Basilius. Vasquez.

tractum, & publicè, & impedimentum est occultum, & separatio coniugum nequit fieri absq; magna famæ iactura, aut scandalo, aut alio magno inconueniente, & nequit ad Pontificem iri, neque ad alium habentem priuilegium dispensandi, aut si adiri potest, dispensatio tamen differri nequit absque probabili periculo peccandi; quod iam videtur certum, postquam Pontifici constat id fieri ab Episcopis in dictis casibus pro foro conscientiæ; quia id sua taciturnitate approbare præsumitur. Id quoque posse Episcopum, etiam ante contractum matrimonium in casu necessitatis, si non patet aditus ad Superiorem, vt quando quis est morti proximus, & vult legitimare filios, vel restaurare honorem concubinæ, vel pro bono pacis, docent Sancius & Basilius. Id tamen, quod potest Episcopus, non potest Vicarius Episcopi, nisi ex peculiari commissione Episcopi, vt aduertunt Sancius, Ægidius & Basilius.

7

Sancius. *Ægidius.* *Basilius.*

Id quoque in casu dictæ necessitatis potest Legatus à latere in sua Prouincia, quia in ea eamdem habet potestatem, quam Episcopus in suo Episcopatu, quamuis non maiorem, vt aduertit Ægidius vbi suprà, & Henriquez lib. 12. cap. 3.

Ægidius. *Henriq.*

Commissarius quoque Bullæ Cruciatæ potest pro foro conscientiæ dispensare cum his qui bona fide, saltem alterius, inualidè contraxerunt ob affinitatem occultam, ortam ex fornicatione, etiam in primo gradu, vt iterùm validè contrahant, admonito tamen ignaro impedimenti, quòd prius matrimonium fuit nullum, quamuis non sit necessarium ei manifestare causam nullitatis. Id autem Commissarius potest, quamuis Pontifex sit præsens; quia hoc illi conceditur absque aliqua limitatione: de quo legi possunt Sancius lib. 3. d. 6. & Basilius.

8

Sancius. *Basilius.*

Addunt tamen Glossa, Cardinalis Hostiensis, Henriquez & Alexander in cap. *Quia circa.* de Consanguinitate, Episcopum post matrimonium contractum, dispensatione impedimenti subreptitiè obtenta, posse dispensare in eo impedimento, confirmando dispensationem Pontificis; & id probabile censet Basilius.

Glossa. *Card Host.* *Henriq.* *Alexand.*

Id verò quod addunt Valentia disp. 10. q. 5. punct. 5. & Basilius, nempe, Episcopum posse dispensare in impedimentis dirimentibus superuenientibus matrimonio iam contracto, impedientibus petitionem debiti, vt possit licitè peti, absque sufficienti fundamento dicitur; id tamè quoad affinitatè potest pro foro conscientiæ Commissarius Bullæ Cruciatæ, & etiam possunt Patres nostræ Societatis quibus id fuerit commissum à Prouinciali, & alij Religiosi Mendicantes, qui nobiscum communicant in priulegijs.

Valentia. *Basilius.*

Circa impedimenta tantùm impedientia conueniunt Doctores, Episcopum non posse dispensare in voto absoluto castitatis perpetuæ, neque in voto Religionis; quia sunt Pontifici reseruata, vt consuetudo ostendit; potest tamen in voto cælibatus, seu non contrahendi matrimonium, vt contra Nauarrum & Valentiam docent Sancius & Ægidius, quia votum hoc non est castitatis simpliciter, seu totalis; & etiam potest in voto suscipiendi Ordinem sacrum, quia non est castitatis, quamuis admittatur esse annexum Ordini sacro; & etiam in voto coniugis non petendi debitum, quia etiã votum hoc non est castitatis simpliciter.

9

Sancius. *Ægidius.*

Henriq. *Valentia.*

Id verò quod addunt Henriquez & Valentia, nempe, Episcopum dispensare posse cum his qui post votum castitatis simpliciter contraxerunt matrimonium, vt possint licitè petere, falsum existimamus; quia id esset dispensare in aliquo substantiali voti castitatis simpliciter, quo etiam post matrimonium tenentur, quamuis teneantur reddere dum matrimonium perseuerat, id tamen ex priuilegio Pontificis possunt Patres nostræ Societatis quibus Prouincialis commiserit.

Addimus, vt optimè Henriquez, Episcopum non posse dispensare in sponsalibus, quamuis sit ratio nabilis causa; quia nullo fundamento potest facultas hæc Episcopo attribui, quia per sponsalia aequiritur ius iustitiæ ad corpus alterius, quod Episcopus nulla causa auferre potest.

DIFFICVLTAS III.

Quæ sint iustæ causæ ad dispensandum in Impedimentis Matrimonij.

SVpponimus Primò, dispensationem in impedimentis Iure tantùm humano introductis, factam absque causa ab eo qui habet potestatem ordinariam dispensandi, esse validam, quamuis illicitam; dispensationem verò voti & sponsalium, quæ fit potestate extraordinaria, & superaddita à Christo Domino, non solùm esse illicitam, sed etiam nullam; sicut etiam dispensationem in impedimentis, quamuis Iure tantùm humano introductis, factam sine causa ab eo qui tantùm habet potestatem delegatam ad id.

Supponimus Secundò, vt dispensatio sit licita aut valida (quando, vt sit valida, requiritur causa) non requiri causam quæ sufficiat ad eximendum ab ipso Iure, aut à voto; aliàs dispensatio non esset ablatio Iuris aut voti, sed interpretatio cessationis; sed tantùm requiri causam, quæ sufficiat vt quis rationabiliter eximatur per ipsum Superiorem. Quæ autem causa ad hoc sufficiat, iudicio prudentis discernendum est: grauior tamen requiritur ad dispensationem arctioris impedimenti, vt ex se patet. Et, ceteris paribus, facilius dispensandum est cum Magnatibus & Potentibus, quàm cum alijs; quia Ecclesiæ expedit eos habere propitios & fauentes.

His ergo suppositis, ad legitimam dispensationem impedimentorum dirimentium Iure tantùm Ecclesiastico introductorum, tres causæ communiter assignantur à Doctoribus, quarum quælibet est sufficiens ad illam. Prima est exinctio aut impeditio grauis litis aut discordiæ. Secunda est, quando quis absque graui incommodo nequit inuenire nuptias sibi dignas, nisi cum cognata, aut cum ea inter quam & inter ipsum est impedimentum cuius petitur dispensatio, vt quando quis nequit illam in proprio oppido inuenire. Tertia est defectus dotis competentis, cuius defectu femina nequit inuenire maritum sibi dignum, nisi eum inter quem & ipsam est impedimentum. Et idem est si vir defectu substantiæ nequeat inuenire vxorem sibi dignam, nisi eam inter quam & ipsum est impedimentum.

Præter has tamen tres etiam sunt plures aliæ, quæ etiam sufficiunt, vt aduertunt Sancius lib. 8. disp. 19. Henriquez l. 12. c. 3. & Ægidius disp. 33. dub. 5. Prima est conseruatio familiæ illustris in-

tra eumdem sanguinem; quia id non parum expe-

dit

dit bono publico. Secundò est conseruatio amplissimarum diuitiarum intra eamdem familiam, ne causâ dotis distrahantur ad aliam, quia id etiam expedit bono publico. Tertia est excellentia meritorum erga Ecclesiam, siue petentis dispensationem, siue eius in cuius gratiâ petitur; quia æquum est, vt qui de Ecclesia sunt benè meriti, eius benignitatem experiantur. Quarta est magna pecuniæ quantitas ad opera pia, præsertim quando impedimentum non est adeò arctum. Possunt quoque esse aliæ plures, quæ sufficiant, quæ iudicio prudentis discernendæ sunt.

13 Addimus Primò, aliquando plures causas aggregatas sufficere, quarum singulæ non sufficiunt. Addimus Secundò, facilius posse dispensari in impedimento post matrimonii bona fide saltem vnius publicè celebratũ, imò tunc regulariter sufficere, fuisse contractum; quia ex separatione contrahentium grauia incommoda regulariter oriuntur, præsertim quando matrimonium fuit consummatũ, & maximè, quando iam fuit proles genita.

Ad validè autem dispensandum in votis quibus matrimonium impeditur, seu prohibetur, necessaria etiam est rationabilis causa iudicio prudentis discernenda, qualis est spes publicæ pacis, aut quòd materia voti sit facta periculosa vouenti, siue ob occasiones moraliter inenitabiles, siue ob scrupulos, siue ob fragilitatem, aut quòd sit dubium, an fuerit validè promissa Deo, vel an fuerit satis maturè promissa: & etiam ad validè dispensandum in sponsalibus, vt possit contrahi cum altera, est necessaria causa arbitrio prudentis discernenda, qualis est si timeatur, priorem sponsam futuram esse occasionẽ peccandi sponso, aut si ex matrimonio cum altera speretur publica pax, aut extinctio vel impeditio grauium discordiarum.

14 Obseruandum est, vt optimè Sancius lib. 8. disp. 30. & Basilius lib. 8. cap. 20. si causa motiua (qua Pontifex motus fuit ad committendum Ordinario dispensationem) existat, quando commissio ipsa fit à Papa, valere commissionem, etiam si, quando mittitur ad curiam Romanam pro commissione, non existat; & non valere, quando non existit causa eo tempore, quo fit commissio à Papa, quamuis antè, quando mittebatur, existeret: quia concessio commissionis innititur existentiæ causæ motiuæ. Deficiente tamen causa motiua ante dispensationem factam ab Ordinario ex commissione Papæ, dispensationem postea ab Ordinario factam esse nullam; quia cùm iam non possit licitè fieri ab Ordinario, quia fieret absque causa, non est mens Pontificis vt fiat, imò, vt docent Sancius vbi suprà, & Ægidius disp. 33. n. 94. contra P. Sà v. *Gratia*. n. 6. & contra Basilium, dispensationem, deficiente causa motiua post ipsam dispensationem factam ab Ordinario, antequam matrimonium fiat, reddi nullam; quia deficiente causa motiua, nequit dispensatio perseuerare licita, ac proinde mens Pontificis est quod non valeat: sicut etiam deficiente causa motiua, ob quam fuit facta dispensatio ad comedendum carnes, adhuc tantùm pro vno die, cessat dispensatio; perseuerat tamen dispensatio, vt aduertunt dicti Doctores, quamuis causa motiua minuatur, & ita vt ante dispensationem non esset sufficiens, dum magna ex parte maneat: quia minor causa sufficit, vt gratia semel concessa perseueret, quàm vt de nouo concedatur.

Sancius. Basilius.

15 *Sancius. Ægidius.*

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm dispensatio, in cuius petitione exprimitur falsum, aut reticetur verum, sit nulla.

SVpponimus, duplicem esse causam conducentem ad concessionẽ dispensationis, vnam motiuam, seu finalem principalem; alteram impulsiuam, seu finalẽ minùs principalem. Motiua (quæ etiam absolutè dicitur *finalis*, quia est principalis) est illa, quæ expressa ita de facto mouet ad concedendam dispensationẽ (siue sola, siue simul cum alijs) vt si illa non exprimeretur, non concederetur dispensatio, vel saltem non concederetur nisi cum aliquibus limitationibus. Impulsiua verò est illa, quæ non mouet ad concessionem dispensationis, id est, non conducit vt concedatur, sed tantùm impellit, id est, tantùm conducit vt facilius concedatur; seu quòd idem est, non conducit ad substantiã concessionis, sed tantùm ad modum; & consequenter ex eo quòd causa impulsiua non exprimatur, non negabitur dispensatio. Et eadẽ proportione qua sunt & distinguuntur causa motiua & impulsiua ad concessionem, etiam sunt & distinguuntur ad negationem dispensationis; quia illa est causa motiua seu finalis ad negationem dispensationis, quę si exprimatur, mouebit ad negationem dispensationis (siue ipsa sola, siue simul cum alijs) impulsiua verò est, quæ quamuis exprimatur, non mouebit ad negandum dispensationem, sed tantùm ad facilius negandum. 16

Hoc ergo supposito, conueniunt Primò Doctores, quando in petitione tacetur aliquid verum, quod Iure præcipitur exprimi, etiamsi tale verum tantùm pertineat ad causam impulsiuam, efficere dispensationem nullam. Ita Sancius lib. 8. disp. 21. & Couarruuias lib. 1. Variarum, cap. 20. Et efficaciter deducitur ex cap. *Si motu proprio*. 23. de Præbendis, in 6. Et ratione constat, quia tunc conceditur dispensatio dependenter ab expressione illius veri tamquam à conditione. Addidimus, *in petitione*, quia id tantùm est verum, quando dispensatio fit ad petitionem partis, & non quando fit motu proprio Pontificis, vt patet ex dicto cap. 17

Sancius. *Couarru.*

Conueniunt Secundò, quando in petitione exprimitur aliquid falsum, aut tacetur aliquod verum, quod pertineat ad causam motiuam concessionis, aut negationis dispensationis, efficere dispensationem nullam, etiamsi quod tacetur Iure non præcipiatur exprimi; quia tunc error aut ignorantia dat causam concessioni, ac proinde concessio est subreptitia seu obreptitia (est enim subreptio idem ac error dans causam concessioni) & consequenter est nulla, vt constat ex cap. fin. de Filijs Presbyterorum, in 6. quia dispensatio sit dependenter tamquam à conditione ab existentia motiui, quod exprimitur, aut à non existentia motiui ad negandum, quamuis non cuiuscumque motiui, sed tantùm motiui quasi substantialis & intrinseci, & per se ad rationabilem & prudentem concessionem aut negationem, quale ad concessionem dispensationis impedimenti est spes publicæ pacis, & non motiui, quod per accidens se habet ad rationabilem concessionem aut negationem dispensationis, quale est amicitia aut inimicitia petentis dispensationem cum ipso dispensante. 18

Est tamen difficultas, An taciturnitas veri, aut expressio falsi pertinentium ad causam impulsiuam efficiat dispensationem nullam, quando verum, quod tacetur, non præcipitur exprimi.

Angelus v. *Rescriptum.* n. 3. Tabiena q. 3. n. 4. Abbas, & alij in cap. *Ex parte.* 14. de Conuers. coniugat. partem affirmatiuam tuentur. Et in primis, taciturnitatem veri pertinentis ad causam impulsiuam ad negandam dispensationem, efficere dispensationem nullam, deduci videtur ex dicto cap. *Si motu proprio.* & ex cap. *Si proponente.* 42. de Rescriptis, dum in eis concessio præbendæ dicitur nulla, quoties eam impetrans tacuit se habere aliud beneficium, quantumuis paruum; & tamen quamuis possessio beneficij parui exprimeretur, nõ auerteret Pontificem à concessione præ-
19 bendæ. Quod verò expressio falsi pertinentis ad causam impulsiuam ad concedendam dispensationem, efficiat eam nullam, deduci videtur ex eo, quòd in omnibus dispensationibus & rescriptis saltem tacitè ineat hæc conditio: *Si petitio veritate nitatur*, vt constat ex cap. 2. de Rescriptis.

Sancius. Couarru. Sancius verò & Couarruuias vbi suprà, partem negatiuam tradunt, & meritò: quia tunc error aut ignorantia non est in causa vt fiat dispensatio; quia quamuis verum illud non taceretur, & quamuis falsum illud non exprimeretur, etiam fieret dispensatio, cùm non pertineat ad causam motiuam, vt supponimus, sed ad impulsiuam: ergo tunc dispensatio non est subreptitia, ac proinde neque nul-
20 la. Quod etiam est verum; quamuis taciturnitas veri, aut expressio falsi, fiat ex malitia & fraude, nisi in rescriptis iustitiæ ad lites terminandas, quia in his in pœnam fraudis & malitiæ, qui tacuit verum, aut expressit falsum, quamuis pertinens ad causam impulsiuam, priuatur beneficio rescripti in totum, dispositione seu Iure positiuo cap. *Super literis.* 20. de Rescriptis, quamuis non ante
Sancius. sententiam Iudicis, vt aduertit Sancius num. 74.

Ad fundamentum aduersariorum pro priori parte desumptum ex duobus illis capp. respondemus, ex taciturnitate beneficij, quamuis modici, quod non retraheret Pontificem à concessione alterius, annullari concessionem, quia Iure ipso præcipitur exprimi, quod nobis non aduersatur. Et ad eorum fundamentũ pro posteriori parte respondemus, conditionem illam, *Si petitio veritate nitatur*, inesse rescriptis, quando veritas pertinet ad causam motiuam.

Quæ autem causa sit motiua, & per se, cuius expressio aut taciturnitas efficit dispensationem
21 nullam; quæ verò non sit motiua, sed tantùm impulsiua, aut si est motiua, sed non per se, & quasi substantialis, sed per accidens, cuius expressio aut taciturnitas non efficit dispensationem nullam, arbitrio prudentis discernendum est, aut ex qualitate causæ, aut ex consuetudine superioris in dispensando, aut ex alijs circumstantijs. Quòd si prudenter seu probabiliter discerni nequeat an causa sit motiua, & id maneat sub puro dubio, dispensatio censenda est nulla, vt contra Sancium & Couarruuiam docent Molina disp. 173. & Ægidius disp. 33. num. 93. quia impedimento certo non sufficit dispensatio incerti seu dubij valoris; in hoc enim dubio tutior pars, ea videlicet in qua nequeat esse peccatum, eligenda est.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm taciturnitas copulæ habitæ inter consanguineos aut affines, irritet dispensationem consanguinitatis aut affinitatis.

COnueniunt Doctores, copulam habitam inter consanguineos aut affines post dispensationem expeditam ab Ordinario, cui fuit à Pontifice commissa, non irritare dispensationem iam expeditam, vt patet; quod etiam Congregatio Cardinalium declarauit: imò copulam illam nulla egere dispensatione, adhuc Episcopi, non pauci contra nonnullos docent (& meritò) siue quia copula post dispensationem factam non est incestus, vt quibusdam placuit, siue quia, quamuis sit, iam tamen desuetudine desiuit esse impedimentum.

Est tamen difficultas, An taciturnitas copulæ habitæ ante concessionem, seu commissionem Papæ, irritet dispensationem consanguinitatis aut affinitatis.

Sancius lib. 8. disp. 25. Ægidius disp. 33. n. 85. & plures alij docent irritare, quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium apud Rebellum num. 122. & 149. Et probari potest Primò ex stylo Curiæ, qui obtinuit, vt incestus exprimatur in petitione. Secundò, quia copula illa expressa efficit, vt dispensatio concedatur cum quibusdam limitationibus, nempe addita pœnitentia contrahentibus, & maiori compensatione pecuniæ; & quòd eo matrimonio per mortem dissoluto superstes non contrahat aliud: ergo taciturnitas copulæ, vtpote pertinentis ad causam motiuam, efficit dispensationem nullam. Quod nonnulli etiam extendunt ad taciturnitatem copulæ habitæ inter cognatos cognatione spirituali, quod etiam Congregatio Cardinalium declarauit apud Rebellum num. 149.

Rodriguez Tomo 1. cap. 238. Vega Tomo 2. cap. 34. casu 97. Zauallos in Quæst. practicis quæst. 737. Basilius lib. 8. cap. 17. §. 6. Salcedo, Bernardus Diaz & Quandus docent, non irritare, & non absque probabilitate; quia incestus neque est impedimentum, quod ratione sui egeat dispensatione, vt patet; neque Iure præcipitur exprimi, quia non præcipitur Iure scripto, vt patet, neque Iure introducto consuetudine, seu stylo Curiæ, cùm non semper exprimatur ex consilio virorum Doctorum, quamuis aliquando ex consilio aliorum exprimatur: & quando exprimitur, non est causa motiua ad negandam dispensationem consanguinitatis aut affinitatis. Et quamuis sit causa ad concedendam dispensationem cum supradictis additamentis, non tamen pertinet ad causam motiuam, quia illa non adduntur pro dispensatione consanguinitatis aut affinitatis, sed in pœnam copulæ expressæ. Congregatio verò Cardinalium in contrarium adducta, secuta est partem probabilem & tutiorem, sed forsan non probabiliorem.

Quòd si taciturnitas copulæ habitæ ante commissionem Papæ, non dirimit dispensationé consanguinitatis, neque affinitatis, multò minùs dirimet seu irritabit taciturnitas copulæ habitæ post com-

commissionem Papæ ante expeditionem dispensationis ab Ordinario: & si taciturnitas copulæ inter consanguineos & affines non irritat dispensationem, multò minùs irritabit taciturnitas copulæ inter cognatos spiritualiter.

Vnde quando in dispensatione non apponitur clausula illa, *dummodo copula non interuenerit*, dispensatio erit valida, quamuis copula taceatur; & contrahentes, quamuis ab Ordinario interrogentur, & sub iuramento, de copula habita, possunt sub æquiuocatione negare, quamuis copulæ adsit infamia, aut semiplena probatio; quia tunc non interrogat iuridicè, quia interrogat de re non pertinente ad dispensationem sibi commissam.

25 Quando verò clausula illa, *dummodo copula non interuenerit*, apponitur, & commissio Papæ facta est pro foro exteriori, quando copula Ordinario non plenè constat, quamuis sit infamia, aut semiplena probatio copulæ, & quamuis contrahentes interrogati negent illicitè (quia existente infamia, aut semiplena probatione, tenentur fateri) dispensatio ab Ordinario facta erit valida: quia quando Ordinario non constat plenè, non dicitur interuenisse copula modo sufficienti; quia cùm commissio facta fuerit Ordinario in foro exteriori, seu iudiciali, etiã clausula illa intelligenda est in eodem foro. Quòd si Ordinario copula plenè constet, & dispenset, dispẽsatio erit nulla, quia clausula illa est conditionalis, qua cõmissio ei limitatur, vt dispenset iuridicè dependenter à veritate iuridicè constante; ac proinde quando ei plenè cõstat copulam interuenisse, nequit validè dispensare. Et ob easdem rationes, quando in petitione exprimitur copula, & in commissione Papæ additur clausula illa, *dummodo copula illa habita non sit spe facilioris dispensationis*, dispensatio facta ab Ordinario erit nulla, si ipsi iuridicè constet ea spe fuisse habitam; erit tamen valida, si ei non plenè constet, quamuis verè fuerit sic habita. 26

Quando verò commissio Papæ fit pro foro conscientiæ, vt quando committitur discreto viro, & in ea ponitur, aut clausula illa, *dummodò copula non fuerit*, aut illa, *dummodo copula habita non sit spe facilioris dispensationis*, tunc dispensatio erit nulla in priori casu, si copula fuit verè habita, quamuis sit omnino occulta, & non constet commissario; & in posteriori, quando copula verè fuit habita dicta spe; quia tunc commissio fit commissario, vt dispenset dependenter à veritate non habitæ copulæ, aut non habitæ dicta spe tamquam à conditione, dummodò spes sit exteriùs significata, & non tantùm interiùs concepta, quia spes interiùs tantùm concepta non subest humanæ potestati.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm quando sunt plura impedimenta ad valorem dispensationis, requiratur omnium eorum expressio.

27 COnueniunt Doctores, plura impedimenta diuersæ rationis, & non connexa, v. g. consanguinitatem & affinitatem, esse necessariò in petitione ad dispensationem exprimenda; quia ex vna parte quodlibet impedimentum eget dispensatione, ac proinde quodlibet est Pontifici in petitione exprimendum; & ex altera parte, cùm non sint connexa, vnum non exprimitur expressione alterius. Plura verò impedimenta connexa, quamuis diuersæ rationis, v. g. iustitiam publicæ honestatis ortam ex matrimonio rato, & affinitatem ortam ex consummatione eiusdem matrimonij non esse necessariò in petitione exprimenda, sed sufficere exprimi illud quod supponit aliud, ac proinde in casu assignato sufficere exprimi affinitatem: quia hac expressa etiam exprimitur iustitia publicæ honestatis.

Est tamen difficultas Primò, An plura impedimenta non connexa, quando sunt eiusdem speciei & rationis, vt quando quis est consanguineus alteri ex duplici parte, sint necessariò exprimenda, vt dispensatio sit valida.

Henriquez lib. 12. cap. 10. partem negatiuam tuetur, loquens tam de affinitate quàm de consanguinitate, & Petrus Ledesma in Summa, vbi de Matrimonio, cap. 27. Rodriguez & Vega loquentes de affinitate; quia tunc ob vnitatem subiecti affinitas, quamuis ex duplici parte proueniens, est tantùm vna, & etiam consanguinitas, quamuis ex duplici parte, est tantùm vna. 28 *Henriq. Ledesma. Rodriguez. Vega.*

Sancius verò lib. 8. d. 24. Ægidius d. 33. dub. 6. & Basilius lib. 8. cap. 17. §. 5. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia tunc aut impedimenta sunt plura numero distincta totaliter, cùm sint relationes respicientes diuersa extrinseca; aut si est tantùm vnum impedimentum, tamen est habens plures gradus, quorum quilibet auferri potest alio remanente, sicut etiam vnus potest introduci absque alio; ac proinde non eo ipso, quòd est dispensatio vnius gradus, est dispensatio aliorum. *Sanctus. Ægidius. Basilius.*

Secundò est difficultas, An quando plura impedimenta sunt necessariò exprimenda, necessarium sit exprimi simul in vna petitione, vt simul dispensentur, an sufficiat separatim in diuersis.

Sancius lib. 8. disp. 23. & Ochagauia quæst. 10. docent, necessarium esse omnia illa exprimi simul in eadem petitione; quia quodlibet impedimentum fortiùs ligat, quando est coniunctum cum alijs, ac quando est absque illis; ac proinde non eo ipso, quòd Pontifex dispensat in aliquo impedimento existente in persona nullum aliud habente, dispensat in eo existente in persona illud habente coniunctum cum alio. 29 *Sancius. Ochagauia.*

Henriquez lib. 12. cap. 3. & Sà v. *Dispensatio.* n. 16. docent, non esse necessarium omnia simul exprimi in vna petitione, sed sufficere vno tacito, posteà dispensando exprimere alterum, quia id non requiritur Iure aliquo: quia non posituo, vt patet; neque naturali, quia vnum potest auferri non ablato altero; ergo si pro dispensatione omnium sit sufficiens causa, poterit dispensatio separatim peti. *Henriq. Sà.*

Nos tamen sub distinctione respondemus, nempe quando plura impedimenta sunt adeò diuersæ rationis, & disparata, vt quamuis coniungantur, nullum augeat indecentiam alterius ad matrimonium contrahendum, qualia sunt affinitas & votum, posse separatim peti dispensationem, quia tunc nullum fit strictius ex coniunctione cum altero: quando verò sunt eiusdem rationis, ratione cuius sunt impedimenta siue eiusdẽ rationis specificæ, vt duæ consanguinitates, quæ conueniunt in eo quòd sint coniunctio naturalis, ratione cuius sunt impedimenta; siue eiusdẽ rationis genericæ, 30

vt affinitas & cognatio (quæcumque illa sit) quæ conueniunt in eo, quòd sint propinquitas, ratione cuius sunt impedimenta; tunc necessarium esse simul exprimi in vna petitione, quia tunc quodlibet fit strictius ex coniunctione cum altero (sicut quando in eodem subiecto sunt duo gradus caloris, quilibet est fortior ex coniunctione cum altero, & non quando quilibet est in diuerso subiecto) ac proinde quodlibet difficiliùs soluitur, & dispensatur, & maiorem requirit causam. Vnde quòd hæc posteriora impedimenta simul exprimantur, requiritur Iure naturali, seu ex natura coniunctionis eorum: quia quamuis etiam tunc possit vnum
31 absque altero auferri, tamen difficilius, non tantùm subiectiuè, seu ex parte Pontificis, sed etiam obiectiuè, seu ex parte impedimentorum, ob quod fieri potest, vt causa, quæ sufficit ad dispensandum in vno, quando est absque altero, non sufficiat, quando est cum illo, quamuis iam dispensato.

DIFFICVLTAS VII.

Quomodo explicandi sint gradus cognationis in petitione, vt dispensatio valida sit.

COnueniunt Doctores, ad valorem dispensationis impedimenti consanguinitatis, aut affinitatis, aut iustitiæ publicæ honestatis ex matrimonio rato, necessarium esse exprimi in quoto gradu sint, qui intendunt contrahere, & cuius lineæ: quia quodlibet impedimentum ex dictis strictius est in gradu propinquiori, & in linea recta, & maiorem requirit causam; & ad obtinendam dispensationem cuiu slibet impedimenti ex dictis Iure communi sufficere exprimi remotiorem gradum eorum qui inæqualiter distant à communi stipite proximo, quia verè tantùm sunt in eo gradu.

32 Nihilominùs Iure peculiari Pij V. in Motu
Pius V. proprio, qui incipit, *Sanctissimus*, ad valorem dispensationis consanguinitatis & affinitatis requiritur, vt quando propinquior stipiti proximo distat in primo gradu, etiam iste primus exprimatur, & non sufficiat expressio remotioris: quando verò propinquior distat in secundo, aut in tertio, & non exprimitur iste gradus, sed tantùm tertius, aut quartus magis distantis, requiruntur à Pio V. post obtentam dispensationem litteræ Pontificiæ declaratoriæ super propinquiori gradu non expresso in petitione, non ad valorem dispensationis (quia quamuis non dentur, erit valida) sed ad vitandum scandalum, quod solet in vulgo oriri, existimante duos inæqualiter distantes, v.g. alterum in secundo, & alterum in quarto, esse magis propinquos, quàm si vterque distaret in quarto.

Vnde, vt aduertunt Sancius l. 8. disp. 24. n. 31. Filliucius part. 2. cap. 10. & Basilius cap. 17. §. 4. quando non timetur scandalum, potest licitè contrahi matrimonium absque dictis literis.

Obseruandum tamen est (in quo Doctores conueniunt) quando in petitione est error in gradu, vt quando exprimitur maior pro minori, v.g. tertius pro quarto, dispensationem esse validam, quia minor continetur in maiori, & qui dispensat in maiori, eo ipso dispensat in minori: quod intelligitur, quando maior & minor sunt eiusdem speciei, vt consanguinitatis aut affinitatis; quia quando sunt diuersæ speciei, dispensatio est nulla, vt si exprimatur secundus consanguinitatis pro tertio affinitatis; quia tunc minor tacitus non continetur in maiori expresso. Sicut quando est error in impedimento diuersæ speciei, quamuis exprimatur illud quod est maius, vt quando exprimitur consanguinitas pro affinitate, dispensatio est nulla, quia tunc vnum non continetur in altero, nec econtrà.

Circa cessationem dispensationis, de quo disputant Sancius lib. 8. à disp. 17. & Basilius lib. 8. cap. 18. obseruandum est, in quo conueniunt Doctores, commissionem Papæ factam Ordinario ad executionem dispensationis in impedimentis matrimonij, non expirare morte Papæ qui commissionem concessit, quando res non est integra, id est, quando iam commissarius cœpit vti iuridicè commissione: imò etiam quando res est integra, id est, quando nondum incepit, vt contra Nauarrum & Sayrum docent Sancius l. 8. disp. 28. n. 87. Henriquez l. 12. c. 2. & Suarez de Censuris disp. 41. sect. 2. Imò quamuis cõmissio fuerit tantùm viua voce concessa, quamuis ante mortẽ Papæ non fuerint literæ expeditæ, valet pro foro conscientiæ, vt non pauci docent, quamuis non pro foro iudiciali, quousq; literæ expediantur nomine successoris. Nihilominùs postquam literæ expeditæ sunt nomine successoris, valet commissio à puncto concessionis. Et hæc de Sacramento & contractu Matrimonij sint satis.

TRACTA-

TRACTATVS DE CENSVRIS IN COMMVNI.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit Censura.

1 VT à nomine ipso exordiamur, Censura sumitur Primò generaliter pro omni iudicio de re aliqua, præsertim quo notatur ea quæ in ea re possunt laudari vel vituperari. Secundò (quia apud Romanos constituti erant Censores, qui mores populi corrigebant) sumitur specialiter pro iudicio, seu sententia correctiua, aut pro pœna ipsa imposita per eam sententiam, ex quo vox *censura* Ecclesiæ translatione sumitur. Tertiò, pro pœna correctiua, seu medicinali, imposita iurisdictione Ecclesiastica, quæ pœna aliquando nomine sententiæ, qua imponitur, significatur; quia sola ipsa sententia absque coactione aliqua Iudicis infligitur; & quia dicta pœna sola auctoritate Ecclesiastica imponitur, dicitur *censura Ecclesiastica.*

Ad rem ergo accedendo, Censura in communi definitur, quòd sit *pœna medicinalis bono spirituali priuans.* quibus verbis, aut æquiualentibus, communiter à Doctoribus definitur. Est autem definitio hæc sufficiens; quia omni & soli censuræ conuenit; quia conuenit excommunicationi, suspensioni, & interdicto, & ipsis solis, quibus & solis conuenit esse censuram, vt dicemus Difficultate 11.

2 Et in primis Censura dicitur *pœna*, quia infligitur ob culpam, in eius punitionem; & dicitur *medicinalis*, vt significatur in c. 1 de Sententia excommunicationis, in 6. quia, vt ibi etiam indicatur, inflictione censuræ contumax punitur medicinaliter, ita eius emendationem intendendo, vt hac posita censura, ex sui institutione exigat auferri. Dicitur *bono spirituali priuans*, quia verè ita est, etiam quando excommunicatio priuat conuictu seu consortio communi; quia tantùm priuat conuictu cum baptizatis, quia sunt membra Ecclesiæ. Pœna ergo imposita in foro interiori pœnitentiæ, quamuis sit priuans aliquo bono spirituali, non est censura; quia non est medicinalis dicto modo, quia non exigit auferri, posita emendatione pœnitentis.

Obseruandum tamen est, censuram sumptam pro sententia, aut iudicio quo pœna ipsa infligitur, definiri dicta definitione descriptiuè, quia definitur per suum effectum; sumptam verò pro malo ipso inflicto, quod est effectus ipsius sententiæ, aut iudicij, definiri quidditatiuè.

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex sit Censura.

COnueniunt Doctores ad minus esse triplicem censurã, nempe excommunicationem, suspensionem, & interdictum (quas enumerauit Innocentius III. in c. *Quærenti.* 2. de Verbor. significat. & meritò: quia cuilibet conuenit definitio censuræ in cõmuni; quia cuilibet conuenit quòd sit pœna dicto modo medicinalis, bono spirituali priuans; & quælibet est distincta censura ab alia, quia quælibet priuat diuersis bonis, & diuerso modo. 3 *Innoc.* III.

Et in primis, *diuersis bonis*: quia excommunicatio priuat omnibus bonis, quibus suspensio, & interdictum, & etiam alijs, excepto vsu beneficij, quo aliquando priuat suspensio, & nõ excommunicatio, neque interdictum: suspensio verò priuat aliquibus, quibus etiam interdictum, & nõ omnibus; & etiam priuat alijs, vt in suis locis dicemus.

Deinde priuant *diuerso modo*, ex quo differentia, quasi essentialis, seu specifica inter ipsas desumitur; quia excommunicatio (etiam minor) priuat bonis, vt pertinent ad communicationẽ communẽ fidelium inter se; suspensio verò priuat bonis, quatenus sunt vsus potestatis clericalis; interdictum autẽ priuat illis, vt sunt quædã bona secundùm se, & participabilia à quolibet, & non vt sunt vsus potestatis clericalis, quibus vt sic priuat suspensio; nec vt sunt cõmunia fidelibus inter se, seu vni cũ alijs, quibus vt sic priuat excommunicatio. 4

Est tamen difficultas, An præter tres dictas censuras sint aliæ. Sotus in 4. d. 22. q. 3. art. 1. & Medina 1. 2. q. 96 art. 4. ad 1. docent, non solùm dictas tres, sed etiam irregularitatem, contractam ex delicto, esse veram censuram, quia est verè pœna; & Sotus addit, etiam cessationẽ à diuinis esse censuram, quia est pœna; imò sunt qui quinque prædictis etiam addant depositionem, & degradationem, ac proinde quòd sint septem censuræ. *Sotus. Medina.*

Nauarrus verò c. 27. n. 1. Sayrus lib. 1. c. 1. Ægidius disp. 17. dub. 1. & communiter Doctores docent, excommunicationem tantùm, & suspensionem, & interdictũ esse censuras. Quod expressisse videtur Innocentius III. in c. *Quærenti.* 2. de Verborum significe. dum interrogatus quid per censuram Ecclesiasticã debeat intelligi in litteris Pontificijs (& idem est in quibuscumque alijs) respondet, intelligi excommunicationem, suspensionẽ, & interdictũ, qui eo ipso, quòd non enumeret aliam, sentit tantùm esse illas tres; alioquin generaliter interrogatus, non satisfeciſſet, si esset alia censura. *Nauarrus. Sayrus. Ægidius. Innoc.* III.

5 Et ratione probatur, & declaratur; quia definitio censuræ non conuenit nisi prædictis tribus, & non alijs. Et in primis non conuenit irregularitati, adhuc ei quæ contrahitur ex delicto; quia adhuc hæc non est pœna, quia non fertur in punitionem, sed ad euitandam indecentiam, quæ esset in eo, quòd persona, quæ tale commisit crimen, suscipiat Ordines, aut susceptos exerceat: & quamuis esset pœna, non esset censura, quia non esset pœna medicinalis supradicto modo, quia fertur quasi auferendo potestatem absque spe recuperationis, ob quod non dicitur vinculum seu ligamen potestatis, quod solutione seu absolutione tollitur; sed est quasi impotentia, quæ non tollitur absolutione, sed tantùm dispensatione legis, quæ ex se efficit impotentiam illam perpetuam: censura verò est vinculum, quo vincitur seu ligatur potestas cum spe recuperationis, ac proinde solubile potiùs quàm dispensabile.

6 Deinde non conuenit cessationi à diuinis; quia hæc non est pœna, quia non imponitur in punitionem, sed tantùm assumitur in signum mœroris, ob enormem iniuriam factam Ecclesiæ, & per modum defensionis, vt cogat lædentem desistere ab iniuria, vt significatur in c. 1. de Sententia excommunicationis.

Nec conuenit depositioni; quia hæc non est pœna, quia non fertur in punitionem peccati, adhuc quando fertur ob peccatum, sed etiam ad vitandum nocumentum, quod esse posset, si non deponeretur persona quæ tale crimen commisit: & quamuis esset pœna, non esset censura; quia non esset medicinalis, quia fertur quasi auferendo potestatem absque spe recuperationis.

7 Nec conuenit degradationi (quæ supra depositionem tantùm addit solemnitatem quamdam, & priuationem Clericalis priuilegij) quia degradatio non est pœna, quia non fertur in punitionem, sed ad euitandam ignominiam, quæ euenisset statui Ecclesiastico, si Clericus tradatur brachio sæculari, non adhibitis ea cærimonia & priuatione: & quamuis esset pœna, non esset censura, quia non esset medicinalis, quia fertur in perpetuum absque spe recuperationis.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm in Ecclesia sit potestas ferendi Censuras.

NOn defuerunt hæretici, qui specialiter negauerint Ecclesiæ potestatem ferendi excommunicationem: nec qui generaliter ei negauerint potestatem ferendi censuras; quia excommunicatio, & quæcumque alia censura consistit in priuatione bonorum spiritualium, quibus à nulla creatura possit quis priuari nisi à se ipso.

Veritas tamen Catholica est, in Ecclesia esse potestatē ferendi censuras: quæ exprimitur in Concilio Constantiensi sect. 8. & 15. & constat ex vsu & praxi Ecclesiæ, quæ à temporibus Apostolorum tulit censuras (præsertim excommunicationem, in qua poterat esse maior difficultas) vt patet ex Canonibus Apostolorum, & ex Concilijs generalibus, & ex innumeris Pontificum decretis.

8 Et id efficaciter deducitur ex Matthæi cap. 16. vbi Christus promisit Petro potestatem ligandi & soluendi, & Matth. 18. vbi eamdem potestatem promittit Apostolis etiam in foro exteriori, vt deducitur ex antecedentibus verbis Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Hæc autem potestas de facto concessa est Petro Ioan. 21. *Pasce oues meas*, & Apostolis cap. 20. *Sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos*, ad gubernandam scilicet Ecclesiam: ergo in Ecclesia est potestas pascendi & gubernandi membra illius (id est baptizatos) in foro exteriori; ac proinde in eodem foro priuandi baptizatos, ipsi rebelles & inobedientes, bonis spiritualibus, quæ subsunt ipsius dispositioni & administrationi, vt sunt suffragia communia Ecclesiæ, vsus Ordinum & beneficiorum, & commercium cum baptizatis; ac proinde ferendi censuras, quæ consistunt in priuationibus dictorum bonorum, quamuis solus Deus possit priuare bonis spiritualibus meritò internis, vt sunt gratia, virtutes, & dona, & quis possit sua tantùm culpa illis priuari à Deo.

Et quamuis potestas ferendi censuras conueniat Ecclesiæ immediatè à Christo, vt constat ex dictis testimonijs; nihilominùs, quidquid nonnulli dicant, censurarum institutio non fuit facta immediatè à Christo, sed tantùm ab Ecclesia, quæ pro arbitrio suo eas instituit & ordinauit; quamuis Christus Matth. 18. verbis illis, *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, generaliter admonuerit, vt inobedientes & rebelles Ecclesiæ caueantur, & cautè cum illis tractetur, sicut cautè tractatur cum Ethnicis & publicanis, nihil specialiter instituens nec ordinans; quia id reliquit suæ Ecclesiæ, quæ censuras, vt nunc sunt, instituit, & eas, quādo expedit, pro suo arbitrio fer-

DIFFICVLTAS IV.

Qui possint ferre Censuras.

SVpponimus, censuras, vt nunc sunt in Ecclesia, fuisse institutas à summis Pontificibus; quia sunt ritus quidam generales toti Ecclesiæ, qui tantùm possunt institui ab illis qui toti Ecclesiæ præsunt, & totam eam gubernant.

Hoc ergo supposito, difficultas est, in quibus sit potestas ferendi censuras à summis Pontificibus institutas.

Circa quam conueniunt Doctores, in illis omnibus & solis esse potestatem ferendi censuras, in quibus est potestas Ecclesiastica in foro externo, siue ordinaria, siue delegata: illa autem dicitur ordinaria, quæ conuenit ex vi muneris instituti ex Iure ordinario siue diuino siue humano; delegata verò, seu commissa, quæ non conuenit ex munere dicto modo instituto, sed tantùm ex commissione, & arbitrio Iudicis ordinarij.

Vnde in Papa, & in alijs Episcopis habentibus subditos (quamuis non consecratis, sed tantùm confirmatis) inuenitur potestas ordinaria ferendi censuras; quia ex proprio munere instituto ex Iure ordinario diuino habent exteriorem iurisdictionem Ecclesiasticam; & in Archiepiscopis respectu suorum Diœcesanorum (non verò respectu Diœcesanorum Episcopi sibi suffraganei, nisi in quibusdam casibus relatis à Siluestro v. *Archiepiscopus.*) & in Concilio Prouinciali ad eas ferēdas medio statuto: & etiā inuenitur in Legato à latere Sedis Apostolicæ; quia in sua Prouincia est Ordinarius, & habet iurisdictionem Episcopalē exteriorē ex vi sui muneris instituti ex Iure ordinario Ecclesiastico, vt constat ex c. 2. de Officio Legati, in 6.

In

In Vicario quoque seu Prouisore Episcopi inuenitur, quia idé est tribunal Vicarij & Episcopi, vt constat ex c. 2. de Consuetudine, & ex cap. *Romana*. 3. de Appellat. in 6. Reperitur etiam in Capitulo Cathedrali sede vacante, quia succedit Episcopo in iurisdictione Episcopali, vt deducitur ex cap. vnico de Maioritate, in 6. Et etiam reperitur in Vicario ipsius Capituli, vt deducitur ex Tridentino sess. 24. cap. 16. de Reformatione. *Trident.*

12 Reperitur quoque in Prælatis non Episcopis à iurisdictione Episcopali exemptis, & gaudentibus iurisdictione Episcopali perpetua: & etiam in Cardinalibus in suis Ecclesijs, quia in Cardinalibus reperitur iurisdictio Episcopalis perpetua in suos parochianos. Inuenitur etiam in Superioribus Religionum, adhuc Conuentualibus, seu immediatis, v. g. in Guardianis; quia Superiores Religionum, adhuc immediati, ex priuilegio Pontificio ordinario constituti sunt iudices & pastores in foro exteriori; quamuis in aliquibus Religionibus id sit prohibitum Superioribus immediatis peculiari prohibitione ipsarum.

Inuenitur etiam in Concilio Generali, & in Prouinciali, & in Synodo Diœcesana; &, vt diximus, etiam in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, sede vacante, & in Congregationibus seu Capitulis Religionum.

Tandem reperitur in multis Archidiaconis, & etiam in Archipresbyteris siue speciali institutione ordinaria, siue consuetudine habente vim Iuris ordinarij. Eam verò nullatenus esse in Parochis, adhuc ad excommunicandū, docent communiter Doctores, quia ex vi sui muneris non conuenit eis iurisdictio exterior, de quo nonnihil dicemus Tractatu de Excommunicatione, Disput. XII. Diffic. I.

13 In illis autem omnibus & solis inuenitur potestas delegata seu commissa ad ferendum censuras, quibus, aliàs capacibus, fuerit delegata seu commissa ab habente potestatem ordinariam; quia iste potest eam aliàs capacibus delegare, vt patet ex cap. *Cum Episcopus*. 7. de Officio Ordinarij, in 6. Addidimus, *aliàs capacibus*; quia potestas ferendi censuras non potest licitè nec validè Iure ordinario delegari, nisi viro, & non feminæ, vt deducitur ex cap. *Dilecta*. 12. de Maioritate & obedientia; & non nisi Clerico, vt patet ex can. *In nona*. 16. quæst. 7. & non Clerico coniugato, vt deducitur ex cap. *Sane*. 2. de Clericis coniugatis.

Quia tamen merè laicus, & femina, & Clericus coniugatus & non baptizatus sunt incapaces prædictæ potestatis ex solo Iure Ecclesiastico, in quo Papa dispensare potest; ideò quilibet Ordinarius ex Papæ dispensatione potest suam iurisdictionem delegare, non solùm non Clerico, & multò meliùs Clerico coniugato, in quo Doctores conueniunt; sed etiam viro non baptizato, vt contra Suarez docet Sayrus l. 1. c. 5. imò & feminæ, vt cõtra Auilam 1. p. dub. 6. & contra Ægidium disp. 13. dub. 4. docent Sayrus & Filliucius tract. 11. c. 2. quæsito 8. *Sayrus. Filliucius.*

14 Ita tamen potestas delegata ferendi censuras, & generaliter iudicandi in foro exteriori, dependet à potestate delegantis, vt quando potestas delegantis deficit vel morte, vel translatione, aut impeditur excommunicatione, aut aliter, etiam deficiat aut impediatur potestas delegata, quando res est integra (id est, quando res seu causa nondum est inchoata) vt constat ex cap. *Relatum*. 19. & ex cap. *Gratum*. 20. & ex cap. *Licet*. 30. & ex cap. vlt. de Officio delegati; & vt aduertit Auila ex alijs 2. par. disp. 1. cap. 3. dub. 3. delegatus, cui reuocata est iurisdictio, validè fert censuras, & iudicat quousque ad eum perueniat reuocatio; vt deducitur ex cap. *Vt debitus honor*. 59. de Appellationibus, & ex cap. *Auditis*. 8. & ex cap. *Mandato*. 13. de Procuratoribus. *Auila.*

Obseruandum est, potestatem ferendi censuras 15
siue ordinariam, siue delegatam, nec licitè neque validè exerceri ab excommunicato, neque à suspenso non toleratis, in quo Doctores conueniunt; quia sunt priuati vsu iurisdictionis, quantum possunt ab Ecclesia excommunicatum, aut suspensum toleratum, etiam inualidè illam exercere, etiam quando pronocatur à fidelibus (& consequenter nec licitè:) quia excommunicatus, aut suspensus toleratus non obligat suo præcepto, aut quasi præcepto; cùm licitum sit subditis non communicare cum illo, saltem in actibus iurisdictionis, quibus est priuatus: ac proinde nec ligat suis censuris, quia incursio censuræ supponit inobedientiam, quæ non reperitur, quamuis non impleatur præceptum excommunicati, aut suspensi etiam tolerati, de quo latiùs Tractatu de Excommunicatione Disputat. VII. Difficult. II. & Tractatu de Suspensione, Diffic. VII. & Tractatu de Interdicto Difficult. IV.

Addimus, quòd quamuis excommunicatus, aut 16
suspensus non toleratus, nequeat, adhuc validè, suam iurisdictionem delegare, quia id est actus iurisdictionis, cuius vsu est omnino priuatus: potest tamen validè, quando est toleratus (etiam quando id facit illicitè, vt quando ipse se ingerit ad id) quia eo ipso, quòd Ecclesia eum tolerat in fauorem fidelium, reliquit illum sufficientem, vt possit validos efficere actus (exceptis præceptis ob rationem dictam) sub conditione tamen, si ab ipsis fidelibus, cum quibus communicat, ad eos actus acceptentur; de quo latiùs locis suprà citatis.

DIFFICVLTAS V.

Quibus modis possit ferri Censura.

COnueniunt Doctores Primò, censurá posse duobus modis ferri: vno modo Iure, seu lege perpetua, præcipiente aliquid sub censura incurrenda, statim ac violatur ius; & hæc dicitur *censura à Iure*, quia ipso solo Iure perseuerante, quamuis legislator, & simul lator censuræ deficiat, verè fertur, & incurritur: altero modo fertur censura, vel præcepto transitorio, præcipiente aliquid sub censura incurrenda statim, ac violatur præceptum; vel nouâ sententiâ superadditâ ipsi Iuri aut præcepto, pro transgressione Iuris aut 17
præcepti, quando nec Iure nec præcepto fertur ipso facto, sed ad summum imponitur commonitoriè; & censura posteriori modo lata, siue medio præcepto transitorio, siue sententiâ nouâ superadditâ Iuri aut præcepto transitorio, dicitur *ab homine*, quia ab ipso perseuerante in officio infligitur, & non ipso deficiente, etiamsi lata sit medio præcepto.

Ad ferendam autem censuram priori modo, nempe à Iure, requiritur potestas ad ferenda Iura seu statuta perpetua, quæ reperitur in Romano Pontifice, & in alijs inferioribus Episcopis, & in omnibus alijs qui iurisdictionem Episcopalem participant, & etiam in Legato à latere Sedis Apostolo-

postolicæ, in Concilijs quoque generalibus, & in Prouincialibus, & in Synodo Diœcesana, & in Congregationibus seu Capitulis generalibus Religionum, & in Visitatoribus diœcesum & Religionum dum visitant. Ad ferendas verò censuras posteriori modo, nempe ab homine, sufficit potestas exterior Ecclesiastica, siue ordinaria siue delegata, qualis reperitur in Vicario seu Prouisore Episcopi, & in Archipresbytero, & in alijs; quia ad id sufficit posse ferre præceptũ, aut sententiam, & censura punire, quod potest quicumque qui habet potestatem exteriorem Ecclesiasticam.

18 Quia tamen Ius ex se est perpetuum, ideò, quamuis legislator deficiat, manet Ius efficax ad infligendam censuram ipsi Iuri annexam: & quia præceptum non est perpetuum, sed cessat cessante officio personæ præcipientis, siue morte siue desertione officij, ideò etiam cessante officio, deficit præceptum esse efficax ad infligendam censuram ipsi præcepto annexam. Quia verò sententia superaddita Iuri aut præcepto, secum trahit executionem, ideò statim ac ipsa fertur, infligit censuram, quæ non cessat cessatione officij ferentis sententiam, sed absolutione, aut aliter; sicut etiam censura incursa ob violationem Iuris aut præcepti non cessat reuocatione Iuris, nec cessatione præcepti, sed absolutione, aut aliter.

19 Conueniunt Secundò Doctores, censuram posse duobus alijs modis ferri, nempe specialiter & generaliter, vt deducitur ex cap. *Romana.* 5. de Sententia excommunicationis, in 6. specialiter, quando fertur contra personas determinatas, nominatim expressas nomine proprio, aut nomine officij, aut aliter (siue mediâ sententiâ superaddita Iuri aut præcepto, siue medio præcepto:) imò etiam quando fertur contra communitatem aliquam determinatam & expressam, quamuis tunc censura dicatur generalis: tunc dicitur ferri generaliter, quando fertur non contra determinatas personas, aut communitates nominatim expressas, sed contra personas aut communitates indeterminatas, & sub vaga quadam ratione (siue medio Iure aut præcepto, siue mediâ sententiâ superadditâ) etiamsi censura incursa à particulari persona, vt particularis est, dicatur specialis.

Conueniunt Tertiò Doctores, censuram dupliciter imponi, Iure, aut præcepto; seu annecti Iuri aut præcepto, nempe ferendam & latam. Illa est ferenda, seu sententiæ ferendæ, quæ non fertur seu infligitur ipso Iure, nec præcepto; quia Ius aut præceptum illam tantùm comminatur; & ideò transgressor Iuris aut præcepti illa non ligatur ex vi Iuris nec præcepti, sed tantùm ex vi sententiæ superadditæ à Iudice, si superaddatur. Illa verò censura est lata seu latæ sententiæ, quæ actu fertur & infligitur ipso Iure aut præcepto, statim ac quis violat Ius aut præceptum cui est annexa, & dicitur *lata*, aut *latæ sententiæ*, quia ante violationem lata est sub conditione futuræ violationis; & dicitur etiam *ipso facto*, quia ipsa violatione nullo alio spectato incurritur; & quando est annexa Iuri, etiam dicitur *ipso Iure*, seu *à Jure*, quia ipso solo Iure perseuerante infligitur, quamuis deficiat legislator. Incurritur autẽ ipso facto ante sententiam declaratoriam criminis, quia est pœna priuatiua, quę ex vna parte fit integrè ipso Iure aut præcepto, ablque cooperatione aliqua criminosi, consistens in prohibitione, aut in habilitate, aut in vtraque, pro diuersitate censuræ, & ex alia parte non est pœna intolerabilis.

Tunc autem imponitur seu annectitur Iuri aut præcepto censura lata, quoties imponitur verbis significantibus censuram actu infligi, seu incurri statim post transgressionem, absq; noua & superaddita sententia, vt quando imponitur verbis comminantibus censuram, aut alijs, addito tamen aliquo ex illis tribus verbis, nempe, vel *latæ sententiæ*, vel *ipso facto*, vel *ipso Jure*, quando annectitur Iuri: & etiam quando imponitur Verbis censuræ præsentis Indicatiui, vt quando dicitur, *excommunicamus, suspendimus, interdicimus*. Imò etiam quando fertur Verbis præsentis Imperatiui, aut Optatiui, quibus non committitur, aut quasi imperatur alteri executio seu inflictio censuræ, vt quando dicitur, *incidat*, aut *incurrat excommunicationem*: & etiam (quidquid dicat Nauarrus cap. 27. n. 12.) quando imponitur Verbo substantiuo præsentis Imperatiui, aut Optatiui, aut futuri Indicatiui, addito tamen Participio præteriti, vt quando dicitur, *sit excommunicatus*, aut *erit excommunicatus*: imò etiam quando imponitur alijs Verbis de futuro, quibus idem significatur, vt quando dicitur, *incidet*, aut *incurret excommunicationem*.

Tunc imponitur aut annectitur Iuri aut præcepto censura ferenda, seu sententia ferẽda, quando imponitur verbis, quibus nõ significatur statim incurri aut infligi post transgressionem, absq; superaddita Iudicis sententia; vt quando imponitur solis verbis comminatorijs, non addito verbo *latæ sententiæ*, nec *ipso facto*, nec *ipso Iure*, nec alio æquiualente, vt quando tantùm dicitur, *sub pœna excommunicationis*, & quando imponitur verbis censuræ de futuro, vt quando dicitur, *excommunicabimus, suspendemus*, & quando imponitur Verbis præsentis Imperatiui, aut Optatiui, quibus quasi imperatur & committitur alteri executio seu inflictio censuræ, vt quando dicitur, *excommunicetur, suspendatur*.

Addimus, vt optimè Attila 2. p. cap. 2. dub. 2. & Ægidius disp. 13. n. 22. quòd quando verba retinquunt dubium, an contineant censuram latam, prædicandum est non continere illam, sed tantùm ferendam; quia odia sunt restringenda.

DIFFICVLTAS VI.

Quæ requirantur in ferente Censuras ad eas validè ferendas.

PRimò ad validè ferendas censuras requiritur potestas seu iurisdictio ad eas ferendas, vt patet, & quòd nõ sit impedita, aut per legitimam appellationem, antequam censura incurratur, ex c. *à Iudice.* 10. de Appellationibus, in 6. aut per legitimam recusationem, etiam antequam censura incurratur; aut per excommunicationem, aut per suspensionem, siue ipsius ferentis censuras ex can. *Audiuimus.* 24. q. 1. siue illius à quo dependet potestas ferendi censuras, vt per excommunicationem aut suspensionem delegantis iurisdictionem, quando ferens censuras est delegatus, si res non sit incepta, aut per excommunicationem, aut suspensionem Episcopi; quando Vicarius seu Prouisor illas fert ex cap. 1. de Officio Vicarij, in 6.

Secundò requiritur ad validè ferẽdas censuras, quòd eas ferens ferat, aduertens & intendens eas infligere; quia si non aduertat quid agat, non fert

fert illas validè, quia non agit vt homo: imò requiritur, quòd aduertat plena aduertentia, aliàs sufficiente ad mortale; quia absque ea pronuntiatio censuræ non erit simpliciter humana; & si non ferat censuras intendens eas infligere, non fert illas validè: quia intentio est, quæ dat valorem actionibus humanis, ex cap. *cum voluntate.* 54. de Sententia excommunicationis; & præter dictam aduertentiam & intentionem requiritur etiam expressio exterior dictæ intentionis, verbis, aut scripturâ, aut nutibus facta, aliàs non erit sensibilis & humana, & quòd ea sufficienter exprimatur latio censuræ huius aut illius.

24 Quòd autem censura feratur metu graui, seu cadente in virum constantem, non obstat valori
Ægidius. censuræ, vt contra nonnullos docent Ægidius disp. 13 dub. 5. & communiter Doctores, quia censura sic lata nullo Iure irritatur: quia in primis non Iure naturali, quia quamuis eo metu fiat, est simpliciter voluntaria; deinde non Iure aliquo positiuo, quia nullum est quo irritetur, etiamsi absolutio à censura, quamuis fauorabilis ipsi absoluendo, irritetur, in cap. vnico, de Ijs quæ vi metusve causâ fiunt, in 6. quia ad hanc irritandam fuit maior ratio, quàm ad irritandam lationem censuræ; quia crebriùs contingit absolutionem fieri metu, quàm lationem censuræ, præsertim quòd nullitas absolutionis metu extortæ est fauor potestatis Ecclesiasticæ, quæ maximè infirmaretur, si absolutio sic extorta maneat valida, non verò si latio censuræ aliàs iusta; & magis prospiciendum est fauori potestatis Ecclesiasticæ, quàm delinquentis indigni fauore.

25 Tertiò ad validè ferendas censuras requiritur, quòd eas ferens, adhuc in suos subditos, sit intra suum territorium, seu intra locum suæ iurisdictionis, vt patet ex Clementina vnica, de Foro competenti; quia iurisdictio contentiosa, qualis est ad ferendas censuras, exercetur pro tribunali, in quo nequit quis extra suum territorium sedere. vnde Episcopus existens extra suum territorium, non potest validè ferre censuras, adhuc in suos subditos. In ea tamen Clementina conceditur Episcopis vi expulsis à suo Episcopatu, vt in loco ei viciniori suam iurisdictionem exerceant, petita (quamuis non obtenta) licentia ab Episcopo loci.

Quartò requiritur, quòd ferens censuras, eas ferat contra alterum, & non contra seipsum, vt constat ex can. 2. 4. q. 4. quia censura, vtpote pœna, tantùm potest ferri ex vi coactiua in subditum, & nemo est sibi neque suæ legi subditus, quoad vim coactiuam: ac proinde Iudex prohibens aliquid sub censura, eam non incurrit, quamuis quoad vim directiuam teneatur sua prohibitione cui annexuit censuram: imò requititur, quòd eam non ferat in propria causa, nisi vt violentiam sibi factam repellat, seu per modum defensionis, vt constat ex cap. *Delicto.* 6. de Sententia excommunicationis, in 6.

DIFFICVLTAS VII.

Qui possint ligari Censuris.

26 COnueniunt Doctores, eos omnes & solos posse censuris ligari, qui alicui superiori Ecclesiastico, habenti iurisdictionem in foro exteriori, subditi sunt. Quia sicut ferre censuras, est actus omnis & solius dicti superioris; ita etiam censuris ligari, est omnis & solius subditi dicto superiori, vt deducitur ex cap. *A nobis.* 21. de Sententia excommunicationis, & ex cap. *Cùm inferior.* 16. de Maioritate & obedientia.

Vnde creaturæ irrationales, vt locustæ, non possunt censuris ligari, quia non sunt subditæ alicui superiori Ecclesiastico; quamuis ab Ecclesia institutæ sint quædam imprecationes, quibus à Deo postulat destructionem quarumdam, quæ fructus terræ deuastant: nec angeli adhuc mali, quia non sunt subditi alicui superiori Ecclesiastico: nec homines non baptizati, quamuis sint Ca- 27
techumeni, quia adhuc isti non sunt subditi Ecclesiæ, quia nondum ad eam pertinent, quia nondum receperunt Baptismum, qui est ianua ad Ecclesiam: nec Papa, quia nulli superiori Ecclesiastico in foro exteriori subditus est.

Imò nec defuncti possunt censuris ligari, vt contra nonnullos Theologos & Iuristas docent communiter Doctores, quia scilicet non sunt subditi Ecclesiæ militanti, quia ei non est concessa potestas ligandi directè, nisi eos qui super terram sunt: & ideò qui viuens non incurrit censuram, nequit eam post mortem incurrere; ac proinde qui viuus mandat occidi Clericũ, qui post mortem ipsius mandantis occiditur, non incurrit excommunicationem, quam incurreret si viueret. Imò defunctus, qui censura ligatus moritur, non perseuerat propriè & directè ligatus, quia iam in se ipso non est capax censuræ. Nihilominùs in 28
alijs fidelibus viuentibus manet ex voluntate Ecclesiæ obligatio, quæ in eis esset si censura ligatus viueret, quousque defunctus absoluatur; & consequenter per absolutionem non absoluitur directè & in se ipso; & quia non est in se ipso ligatus, & quia non habet superiorem à quo possit in se ipso absolui: absoluitur tamen indirectè quoad alios fideles, vt possint eum sepelire in loco sacro, & pro eo suffragia offerre: sicut etiam quando post mortem censurâ ligatur, vt aliquando fieri in Ecclesia, dicitur in c. *A nobis.* 28. de Sententia excommunicat. tantùm ligatur indirectè, & quoad alios, vt nequeant eum sepelire in loco sacro, nec pro eo suffragia offerre. Et hoc tantùm modo in nonnullis Concilijs aliqui hæretici sunt post mortem anathematizati, si anathematizatio in eis sumitur pro excommunicatione: & fortè non sumitur pro ea, sed pro execratione & detestatione, vel pro declaratione qua declarantur fuisse in vita excommunicati.

Nihilominùs corpora defunctorũ possunt comburi, aut aliter malè tractari; quia sunt res quædam externæ, & super terram, de quibus, sicut de alijs rebus externis ipsius defuncti, Respublica tam sæcularis quàm Ecclesiastica potest disponere, vt expedierit ad bonum commune, neque potestate seu iurisdictione in ea corpora tamquam in subditos, sed tantùm tamquam in res pertinentes ad Rempublicam.

Nec idem potest à se ipso censuris ligari; quia 29
non est sibi ipsi subditus, saltem quoad vim coactiuam, vt diximus Difficultate præcedenti.

Nec pueri ante vsum rationis, nec perpetuò amentes, qui ante vsum rationis in amentiam inciderunt, possunt ligari censurâ prærequirente propriam culpam, quia sunt culpæ incapaces; benè tamen, quidquid alij negent, possunt ligari censurâ

surâ non prærequirente propriam culpam, vt interdicto personali, sed non quoad effectus in prohibitione consistentes, quia sunt incapaces prohibitionis; sed quoad alios quorum sunt capaces, vt quoad priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ, ex qua priuatione redundat in alios fideles prohibitio eos sepeliendi in loco sacro.

Pueri tamen impuberes, ratione vtentes, possunt simpliciter ligari quacumque censura à Iure lata, vt constat ex cap. 1. & ex vltimo de Sententia excommunicationis; & meritò: quia ex vna parte possunt peccare adhuc mortaliter, & ex altera nullo Iure censura contra eos lata irritatur. Imò, vt contra Hugolinum cap. 17. §. 3. num. 5. & contra Abbatem docent Suarez disp. 5. sect. 2. & Ægidius disp. 13. dub. 6. possunt validè ligari censuris ab homine, quia ex vna parte possunt peccare adhuc mortaliter, & ex altera nullo Iure censura contra eos lata irritatur, imò nec prohibetur contra eos ferri; ac proinde, vt indicat Ægidius, id potest licitè fieri à superiore. Quòd verò non percipiant ordinem iudiciarium, non obstat, vt ligentur censuris generaliter latis; quia tunc non est necessarium ad incursionem, quòd interueniat cum illis ordo iudiciarius; imò nec obstat, vt ligentur censuris specialiter latis contra illos, quia instrui possunt de ordine iudiciario: sicut etiam possunt ligari alij puberes ordinem iudiciarium ignorantes, quia etiam possunt instrui; imò & quamuis non possent, cùm possint medio procuratore se defendere. Quòd si impuberes ratione vtentes possunt censuris ligari, etiam de facto ligantur quando in eis est causa sufficiens, vt cõtra Vasquez de Pœnitentia quæst. 90. art. 2. dub. 4. supponunt Alterius lib. 3. disp. 10. c. 4. & Ægidius, & quoad censuram Iure latam supponitur in cap. 1. & vlt. de Sententia excommunicationis.

Suarez. *Ægidius.* *Alterius.* *Ægidius.*

Idem quod diximus de pueris ante vsum rationis, & de perpetuò amentibus ante illum, etiam est verum in perpetuò amentibus, qui post vsum rationis in amentiam inciderunt, excepto quòd isti possunt ligari censuris, & de facto ligantur, quando ante amentiam dederunt causam sufficientem; sed non ligantur quoad effectus in prohibitione consistentes, quia iam sunt incapaces prohibitionis, sed quoad alios, quorum sunt capaces. Qui verò incidit in amentiam tantùm temporaneam, potest ligari censuris etiam quoad effectus in prohibitione consistentes (si aliàs sit aut fuerit causa sufficiens) quia sicut habitualiter & quasi in actu primo retinet vsum rationis, quamuis pro eo tempore impeditum, ita etiam est capax prohibitionis in actu primo, etiamsi ab obligatione in actu secundo pro eo tempore excusetur ob dictum defectum.

30

31

DIFFICVLTAS VIII.

Vtrùm existens in alieno Episcopatu, possit ligari censuris à suo Episcopo.

32 CONueniunt Doctores, existentẽ extra suum Episcopatum in alieno, non ligari censuris annexis statuto perpetuo, seu constitutioni perpetuæ sui Episcopatus, vt constat ex cap. 2. de Constitutionibus, in 6. vbi redditur ratio huius, *quia* scilicet *extra territorium Ius dicenti non paretur impunè*: quibus verbis supponitur, Episcopum non habere iurisdictionem ad dicendum Ius extra suum territorium, quia dicitur, existentem extra suum Episcopatum non obedire suo Episcopo, non fieri dignum pœna. Et idem est quando quis existit in loco exempto à iurisdictione sui Episcopi, quamuis intra suum Episcopatum, vt contra Archidiaconum & contra alios docent communiter Doctores, & deducitur ex cap. *Cùm Episcopus.* 7. de Officio Ordinarij, & ex cap. 1. de Priuilegijs, in 6. & meritò: quia locus ille est formaliter extra territorium sui Episcopi, cùm sit extra iurisdictionem illius. Nomine autem loci exempti, quoad hunc effectum, intelligitur locus exemptus ratione sui, vt sunt Abbatiæ aliquæ, & Prioratus aliqui, & non intelliguntur Monasteria Religiosorum, vt contra Henriquez & Aullam docent Suarez disp. 5. sect. 4. & Ægidius disp. 13. dub. 7. quia locus Monasterij non est exemptus, sed tantùm Religiosi ipsi, qui non ratione loci, sed ratione sui sunt subditi suis Prælatis Religiosis, sicut filij parentibus, & vxor marito, & ideò vbique terrarum possunt à suis Superioribus ligari censuris, siue annexis statuto perpetuo, siue præcepto, vt aduertit Ægidius num. 64. Quod intelligimus de censuris annexis statuto totius Religionis, & præcepto Generalis: quoad Prouincialem verò & Superiores immediatos domorum, standum est legibus & consuetudinibus Religionum.

Est tamen difficultas, An subditus Episcopi existens in alieno Episcopatu, possit ligari censuris annexis præcepto, siue generali siue speciali sui Episcopi.

Suarez disp. 5. sect. 5. & Sayrus lib. 1. cap. 7. partem affirmatiuam tuentur, quia præceptum, & censura ei annexa, non tam respiciunt territorium seu locum iurisdictionis, quàm personas subditas, ac proinde obligat suos subditos, & censura ei annexa eos ligat vbicumque sint.

Henriquez verò lib. 13. cap. 26. & Ægidius disp. 13. num. 61. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia iurisdictio Episcopi non extenditur vltra suum territorium, vt satis significat Pontifex in dicto c. 2. dum reddens rationem, ob quam qui extra territorium Episcopi furantur, non ligentur statuto Episcopi excommunicantis *furem*, ait, *quia extra territorium Ius dicenti non paretur impunè*, vbi per Ius dicere non intelligit ferre statutum seu legem, quia ferè idem esset, non posse ferre statutum, quia nõ potest illud ferre; sed idem est ac vti iurisdictione; ac proinde Episcopus tantùm habet iurisdictionem in personas ratione territorij, quando in eo habent domicilium, aut quasi domicilium.

Addimus tamen (in quo Doctores conueniunt) subditum existentem in alieno Episcopatu, posse ligari censuris à suo Episcopo ratione delicti commissi in proprio Episcopatu, vt si habens animarum non resideat, quia est absens, & existens in alieno Episcopatu, quia tunc omittit residentiæ fit in proprio Episcopatu: aut si quis furtum fecit in proprio Episcopatu, & in alieno existens non satisfacit, quia ratione delicti committur quis forum, vt dicitur in cap. vlt. de Foro competenti. Vnde in dictis casibus existens in alieno Episcopatu, incurret censuram annexam statuto aut præcepto, siue generali, siue speciali notificato (siue ante egressum à suo Episcopatu, siue post, ex

ex consensu Episcopi loci in quo est, qui requisitus consentire debet, quia alter Episcopus habet ius ratione delicti) quia ex vna parte statuto aut præcepto notificato, censura, quæ ei annectitur, executioni mandatur absque actu aliquo iudiciali faciendo in alieno territorio, quia in eo inualidè fieret absque consensu Episcopi illius territorij, quamuis iniustè negato; & ex altera parte ratione delicti commissi in proprio Episcopatu, manet in alieno territorio subditus suo Episcopo.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm existens in alieno Episcopatu, possit ligari Censuris ab Episcopo Episcopatus in quo est.

36 CONueniunt Primò Doctores, existentem in alieno Episcopatu, animo semper manendi in eo, obligari statutis illius Episcopatus, & præceptis illius Episcopi, & ligari censuris eis annexis, quia ex tunc acquirit domicilium, & fit incola illius loci: & idem est, vt non pauci contra nonnullos docent, quando est in eo Episcopatu animo ibi manendi ad medietatem anni plus minúsve, quia eo acquirit quasi domicilium.

Conueniunt Secundò, existentem in alieno Episcopatu absque dicto animo tamquam hospitem & alienigenam (de quo procedit difficultas) posse ratione delicti in eo Episcopatu commissi, ante publicationem præcepti generalis, & ante intimationem specialem, ligari censura annexa ipsi præcepto, siue generali Episcopi Episcopatus in quo est, ei notificato in eo Episcopatu, siue generaliter, si est generale, siue specialiter, si est speciale; vt si commisit furtum, vt satisfaciat: quia ratione delicti sortitur quis forum quoad illud delictum, vt dicitur in cap. vlt. de Foro competenti. Addidimus, *ei notificato in eo Episcopatu*, quia, vt contra nonnullos aduertunt Auila 2. part. cap. 3. *Auila.* disput. 2. dub. 3. & Ægidius disp. 13. num. 59. si *Aegidius.* ante notificationem præcepti egreditur ab eo Episcopatu, non ligatur censura, tali præcepto siue generali siue speciali annexa, nisi post egressum ei notificetur ex consensu Episcopi proprij, aut alterius in cuius territorio sit, qui requisitus consentire tenetur; quia Episcopus loci habet ius ad id ratione delicti.

37 Est tamen difficultas Primò, An alienigena existens in alieno Episcopatu, ligetur censurâ generaliter latâ annexâ dicto seu præcepto generali Episcopi Episcopatus in quo est lata, non in satisfactionem delicti anteà commissi.

Glossa. Glossa in cap. *A nobis.* 21. de Sententia excommunicationis, partem affirmatiuam tuetur: quia ratione violationis edicti fit subditus ei Episcopo.

Aegidius. Ægidius verò disput. 13. nu. 58. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & absque dubio traditur in dicto cap. *A nobis.* & merito: quia ille, quamuis sit in eo Episcopatu, non est subditus ei Episcopo, vt supponitur in dicto c. *A nobis*, quia non acquisiuit domicilium, nec quasi domicilium in eo, ratione cuius quis ad parochiam & ad Episcopatum pertinet: ergo non ob-
38 ligatur eius præcepto generali, nec ligatur censurâ ei annexâ. & ob hanc rationem etiam non ligatur censurâ specialiter annexâ præcepto speciali, sicut nec obligatur ipso præcepto, quia scilicet non est ei subditus.

Ad rationem autem Glossæ negamus, alienigenam ratione violationis præcepti generalis aut specialis Episcopi, non continentis materiam aliàs Iure naturali aut diuino prohibitam, fieri subditum ipsi; quia tali violatione non delinquit, quia nondum est ei subditus, vt eius præcepto obedire teneatur. Et quamuis fiat, quando præceptum Episcopi continet materiam aliàs Iure naturali aut diuino prohibitam, quia violatione illius fit delinquens contra præceptum naturale aut diuinum, fit tamen solùm subditus ipsa violatione, vt ipsi Episcopo post violationem præcipienti, siue generaliter siue specialiter, pro violatione obediat, & vt ligetur censurâ annexâ præcepto satisfaciendi, si non satisfaciat.

Secundò est difficultas, An alienigena ligetur censuris annexis statuto perpetuo Episcopatus in quo est.

Filliucius Tract. 11. c. 5. in fine, partem affirma- *Filliucius.* tiuam tuetur, quia statutum perpetuum respicit territorium, & personas ratione territorij.

Ægidius verò vbi suprà partem negatiuam tra- 39 dit, & meritò: quia nemo obligatur statuto, ac *Aegidius.* proinde nec censura ei annexa ligatur, nisi ratione domicilij, aut quasi domicilij fiat incola illius Episcopatus aut Reipublicæ, vbi est statutum illud: quia statutum ita respicit territorium, & personas ratione illius, vt non respiciat omnes qui in eo sunt, sed tantùm eos qui ad illud pertinent, & sunt incolæ illius.

Obseruandum est, in quo Doctores conueniunt, statuto anteà facto, & censurâ ei annexâ, etiam comprehendi eos qui post factum statutum fiunt subditi; quia obligatio statuti etiam durat eo tempore quo iam sunt subditi: imò addimus, vt contra Sayrum & Auilam aduertunt Suarez dis- *Suarez.* put. 5. sect. 5. & Ægidius num. 59. edicto seu præ- *Aegidius.* cepto generali, & censura ei annexa, comprehendi eos qui post publicatum edictum fiunt subditi supradicto modo, quia etiam post publicationem edicti durat eius obligatio, & impositio pœnæ, aliàs tunc non comprehenderet eos qui erant subditi tempore publicationis.

Vagi verò, seu vagabundi, ligari possunt censu- 40 ris, ab Episcopo loci in quo actu habitant, & non ab alio Episcopo, quia sunt subditi Episcopo illius, & ei soli, quia actualis habitatio in his est loco domicilij, quia non habent alium modum domicilij; quod eis conuenit Iure non scripto, sed vsu & praxi introducto.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm Censura possit validè ferri ob peccatum tantùm veniale.

SVpponimus, in quo Doctores conueniunt, censuram strictè sumptam non posse ferri validè (& consequenter nec incurri) nisi ob peccatum seu culpam, quia censura est pœna quæ necessariò respicit culpam.

Est tamen difficultas, An ferri possit & incurri ob peccatum tantùm veniale.

Circa quam conueniunt Doctores Primò, ex- communicationem maiorem non posse, nisi ob peccatum mortale, vt dicitur in can. *Nemo Epi-* 41 *scoporum.* 11. quæst. 3. quia est pœna grauissima,

& consequenter peccato veniali, vtpote leui, maior, inæqualis, & iniusta, ac proinde nulla, quando ob peccatum tantùm veniale fertur. Vnde non potest validè ferri nec incurri ob non parendum Superiori in re leui. Imò vt contra Glossam in cap. *Duo.* 96. docent communiter Doctores, nec ob non comparendum coram Iudice in re leui; quia nec in non parendo Superiori in re leui, nec in non comparendo coram illo in re leui, potest esse nisi tantùm peccatum veniale, seu leue.

42 Conueniunt Secundò, excommunicationem minorem posse ferri & incurri ob peccatum tantùm veniale, quia omnibus persatis est pœna leuis; quia quamuis ex obiecto sit graue malum, ob maximam tamen facilitatem qua auferri potest, est leue: quia auferri potest à Confessario ordinario, imò à quolibet simplici Sacerdote. Vnde id intelligitur de excommunicatione minori, vt nunc fertur, quæ tantùm fertur à Iure, quam potest Confessarius peccati venialis auferre: & etiam potest intelligi de excommunicatione minori, si feratur generaliter ab homine, quia etiam potest à Confessario peccati venialis auferri. Non tamen est verum de excommunicatione minori, si specialiter feratur ab homine, quia hæc tantùm potest à Iudice in foro exteriori auferri; ac proinde tunc esset grauis pœna, quia est graue malum ex obiecto, & esset difficile ablatu.

43 Est ergo punctum difficultatis, an suspensio & interdictum integrè & plenè, vt communiter feruntur, possint validè ferri (& consequenter incurri) ob peccatum tantùm veniale. Addidimus, *integrè & plenè, vt communiter feruntur*; quia si tantùm sint ab vna actione, & ad breue tempus, vt ferri possunt pro arbitrio Iudicis (quamuis tunc non erunt censuræ) possunt, vtpote pœnæ leues, ferri & incurri ob peccatum tantùm veniale.

Caietan. Nauarrus. Henriquez. Auila. Caietanus v. *Præcepti transgressio*, Nauarrus cap 27. num. 165. Henriquez & Auila, absolutè & absque vlla limitatione docent, posse ferri & incurri ob peccatum tantùm veniale, quia etiam excommunicatio minor potest, & tamen est maior pœna quàm suspensio & interdictum, adhuc plenè & integrè lata.

Suarez. Aegidius. Vasquez. Suarez verò disp. 4. sect. 4. Ægidius disp. 13. dub. 8. & Vasquez 1. 2. disput. 158. docent non posse, & meritò (excepto interdicto particulari personali puro, lato à Iure, vel generaliter ab homine, & non reseruato) quia suspensio & interdictum plenè lata, sunt ex obiecto grauia mala, & (excepto dicto interdicto) non possunt facilè auferri, sicut aufertur excommunicatio minor (ex quo habent, quòd sint maior pœna quàm excommunicatio minor) quamuis non reseruentur, non possunt auferri à Confessario
44 ordinario (sicut potest auferri excommunicatio minor) vt de suspensione dicemus in suo Tractatu Difficultate x. & de Interdicto Difficult. xvi. Excepimus interdictum personale particulare purum (id est, non adiunctum locali) latum à Iure, vel generaliter ab homine, & non reseruatum, vt possint ob peccatum tantùm veniale ferri & incurri, vt dicemus in suo Tractatu Difficult. xiii. quia ex alia parte istud (sicut & alia) non est intensiuè maior, imò est minor priuatio quàm excommunicatio minor, & ex alia ita facilè potest auferri, ac excommunicatio minor, quia potest à Confessario ordinario auferri, vt dicemus in eo Tractatu Difficult. 16. & statim expendemus; & ex alia non est adiunctum interdicto locali, quod non potest nisi ob graue peccatum ferri, vt dicemus in eo Tractatu Diffic. xvii. Quòd autem nulla suspensio, & nullum interdictum, nisi dictum, possint auferri à Confessario ordinario, probatur: quia illa censura, & ea solo potest à Confessario ordinario auferri, cuius absolutio non reseruatur, & potest Sacramentaliter fieri (quia isto solo modo potest ordinarius Confessarius censuram auferre) & cuius absolutio prærequiritur ad absolutionem à peccatis, vt Confessarius non impediatur ista censura à suo officio, & cuius absolutione non perturbatur tribunal ferentis censuram; vt contingit, quando persona ligata censura est iudicialiter incognita; quia censura lata fuit à Iure, vel generaliter ab homine. Nulla autem suspensio impedit absolutionem à peccatis, quia dari potest suspenso, manenti suspenso, nec interdictum personale speciale mixtum, seu adiunctum generali, sicut nec istud generale locale ex concessione Pontificis in cap. *Almaneter.* 24. de Sententia excommunicationis, in 6. Et quamuis locale speciale, & generale personale, verè impediant absolutionem à peccatis, nihilominùs non possunt auferri à Confessario ordinario, quia ablatio eorum requirit iurisdictionem exteriorem, & etiam ablatio interdicti generalis localis; quia nequeunt auferri Sacramentaliter, quia nec locus, siue specialis siue generalis, nec communitas possunt Sacramentaliter absolui.

Vnde quod dicitur in cap. *Nuper.* 39. de Sententia excommunicat. nempe excommunicationem latam à Iure, quando non reseruatur, posse ab ordinario & à proprio Sacerdote auferri, est verum generaliter, in excommunicatione lata à Iure, de quo ibi est sermo, & etiá in excommunicatione lata generaliter ab homine non reseruata: quia excommunicatio impedit absolutionem à peccatis, & absolutione ab excommunicatione, tam lata à Iure quàm lata generaliter ab homine, non turbatur tribunal ferentis illam, quia persona excommunicata non est iudicialiter cognita, ac proinde ab Ordinario fieri potest tam in foro exteriori quàm in Sacramentali, si aliàs est Confessarius, quia in vtroque habet iurisdictionem, & à proprio Parocho Sacerdote in foro tantùm Sacramentali, quia tantùm in hoc habet iurisdictionem. Et idem, ob eamdem rationem Pontifex, est in aliis censuris; quia id docet Pontifex non definiendo, sed declarando intentionem excommunicantis, & non reseruantis excommunicationem, vt patet ex contextu. Et eadem est intentio inferente alias censuras, & eas non reseruante, proportione tamen accommoda, ita vt censuræ, quæ exigunt ad sui absolutionem iurisdictionem exteriorem, vt sunt suspensio ob rationem dictam, & interdictum personale generale, & vtrumq; locale & personale speciale, adiunctum locali siue generali siue speciali, tantùm possunt auferri ab Ordinario iurisdictione exteriori; & quæ possunt Sacramentaliter auferri, & absque turbatione tribunalis ferentis, vt sunt interdictum personale speciale purum latum à Iure, vel generaliter ab homine, possunt etiam auferri à proprio Parocho Sacerdote, quia potest Sacramentaliter absoluere, & ob hanc rationem etiam à Confessario ordinario.

Nulla

Nulla ergo suspensio potest validè ferri ob peccatum tantùm veniale, non solùm specialiter ab homine, sed nec à Iure, nec generaliter ab homine; quia nulla potest facilè auferri, quia nulla potest à Confessario ordinario auferri, & nullum interdictum potest validè ferri specialiter ab homine ob peccatum tantùm veniale: quia eo ipso non potest facilè auferri, quia non à Confessario ordinario in foro Sacramentali, sed tantùm à Iudice ipso in foro exteriori; sicut etiam excommunicatio minor, si feratur specialiter ab homine, non potest ob peccatum tantùm veniale ferri validè, ob eamdem rationem.

48 Ex dictis deducitur, eum, qui in violatione statuti aut præcepti, cui annexa est censura aliqua, excusatur à peccato prærequisito ad lationem validam & ad incursionem illius, siue mortali siue veniali, pro diuersitate censurarum, quocumque modo excusetur, siue defectu aduertentiæ, siue vi aut metu, siue graui aliqua necessitate, siue alia via, non incurrere eam censuram.

DIFFICVLTAS XI.

Vtrùm Censura possit ferri ob peccatum purè internum.

Adrianus. Medina. Corduba. ADrianus Quodlibet. 8. qu. 1. lit. G. Medina C. de Pœnitentia, tract. de Oratione qu. 15. & Corduba lib. 4. Quæstionum Theolog. qu 13. docent, ferri posse censuram ob peccatum purè internum. Et ratione probatur; quia potestas Ecclesiæ est spiritualis, ergo potest præcipere & prohibere actus purè internos & spirituales, & inobedientes præcepto, aut prohibitioni, censuris punire. Et confirmatur variis exemplis; quia in Clement. 1. de Hæreticis, excommunicantur Inquisitores, qui in causa fidei, odio vel amore aliquid omittunt: & in Clementina 1 de Statu Monachorum, excommunicatur Monachus Benedictinus,

49 qui absque licentia Prælati se confert ad Curiam Regiam animo accusandi illum: & in can. *Si quis.* d. 30. desumpto ex Concilio Gangrensi cap. 18.

Concilium Gangrense. anathematizantur, qui in die Dominica ieiunant in contemptum eiusdem diei: & in pluribus Canonibus Conciliorum anathematizantur, qui crediderint contra id quod in ipsis decernitur.

Suarez verò disp. 4. sect. 2. Ægidius disp. 13. dub 8. Vasquez 1. 2. disp. 160. & communiter Doctores docent (& meritò) non posse adhuc validè ferri censuram ob peccatum merè internum, quod non exeat in actum exteriorem sensibilem. Quod deducitur ex c. *Tua nos.* 34. & ex cap. *Sicut tuos.* 33. de Simonia, & ex can. *Erubescant.* 32. Et ratione probatur, quia homo nequit actus purè internos cognoscere; ergo quamuis sit superior, nequit de illis iudicare, nec eos præcipere nec prohibere; ac proinde nec eos, nec eorum omissiones, censuris nec alia pœna punire. Cum hoc tamen

50 benè stat, quòd prohibito actu exteriori, etiam indirectè & per accidens, maneat prohibitus actus interior efficax voluntatis; quia est causa actus exterioris prohibiti; & prohibito seu facto illicito actu exteriori, nequit non esse illicitum, ad illum conari: nihilominùs pœna imposita pro opere exteriori, non incurritur ob affectum efficacem illius, si non fiat opus ipsum; quia pœna non deriuatur secundariò ex actu exteriori in affectum efficacem, sicut deriuatur culpa seu malitia.

Potest tamen Ecclesia non ordinaria potestate suprema legislatoris humani, sed extraordinaria & speciali Christi commissione, gerens vicem Christi, à peccatis purè internis absoluere, & in votis purè internis dispensare.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, quòd quamuis potestas Ecclesiastica etiam quoad forum contentiosum sit spiritualis, id est, circa ea quæ conducunt animæ ad vitam æternam; quia tamen resident, & concessa est hominibus modo generali & ordinario, qui verè sunt sensibiles, & dependentes à sensibus cognoscentes & iudicantes; ideò talis potestas directè non se extendit, nisi ad ea quæ sensibus percipi possunt.

Ad confirmationem desumptam ex dictis exemplis respondemus, vt optimè Vasquez, nullum *Vasquez.* actum interiorem contentum in illis præcipi, neque prohiberi, nec puniri ab Ecclesia, nisi verbo aut alio signo exteriùs indicetur, quamuis coniungatur cum exteriori actu; ac proinde Inquisitores 51 non incurrere excommunicationem, quamuis ex odio vel amore non procedant in causa fidei, nisi signo aliquo exteriori indicent omissionem procedendi prouenire ex odio vel ex amore, nec Monachum Benedictinum, quamuis ad iat Curiam animo accusandi Superiorem, nisi exteriùs indicet adire eo animo; nec eos, qui in contemptum diei Dominicæ ea die ieiunant, nisi indicent exteriùs id fieri in contemptum; nec eos, qui interiùs discredunt, nisi exteriùs indicent animum hæreticum, imò non sufficit postea fateri se interiùs discredidisse, nec adiisse Curiam eo animo, nec non processisse in causa fidei ex odio aut ex amore; quia id non est discredere, nec adire Curiam eo animo, nec non procedere in causa fidei ex odio aut ex amore.

DIFFICVLTAS XII.

Vtrùm Censura possit ferri ob peccatum exterius, absque inobedientia respectu Ecclesiæ.

SVpponimus, Iudices Papa inferiores non pos- 52 se licitè ferre censuram ob peccatum exterius præteritum, factum absque inobedientia seu contumacia respectu Ecclesiæ, seu ministrorum Ecclesiæ, id est, quando non præcessit aliqua iuridica monitio, seu iussio, aut prohibitio, qua monuerint opus illud peccati non esse faciendum: quia ferre censuram, non præsupposita dicta monitione, prohibitum est Iure canonico in cap. *Romana.* 5. & in cap. *Constitutionem.* 9. de Sentent. excommunic. in 6. & in cap. *Reprehensibilis.* 26. de Appellationibus, & in aliis capitibus Iuris.

Est tamen difficultas, An censura possit à dictis Iudicibus validè ferri absque dicta inobedientia, id est, ob peccatum quod non sit contra Ius aut præceptum Ecclesiasticum, quamuis sit contra Ius naturale, aut diuinum, aut humanum sæculare.

Caietanus 2. 2. quæst. 69. art. 2. Almaynus de 53 Potestate Ecclesiastica cap. 10. & Corduba lib 2. *Caietan. Almayn. Corduba.* quæst. 27. ad 2. docent, excommunicationem maiorem (ac proinde maiori ratione suspensionem & interdictum) posse validè ferri, etiam à Iudicibus inferioribus, ob peccatum exterius, absque dicta inobedientia.

Quod variis exemplis & canonibus probatur, in quibus dicitur lata censura, nulla facta mentione monitionis: eis tamen id non probatur efficaciter; quia quamuis in eis non fiat mentio dictæ monitionis, non tamen significatur, nec supponitur non fuisse factam.

Ratione tamen probatur, quia peccatum exterius, quamuis non sit contra præceptum Ecclesiasticum, potest esse dignum censura, & potest ab Ecclesia puniri in bonum animæ illius qui peccat; & ex alia parte censura ex eo, quòd feratur absque inobedientia respectu Ecclesiæ, non irritatur Iure aliquo: ergo ferri potest validè ob peccatum exterius, quod non sit contra præceptum Ecclesiæ.

54 *Suarez. Auila. Aegidius. Vasquez.* Suarez verò disp. 4. sect. 5. Auila 2.p. c.5. disput.1.dub.10. Ægidius disp.13.dub.8. Vasquez de Excommunic.dub.12. & communiter Doctores docent, censuram non posse validè ferri à Iudicibus (ac proinde nec incurri) nisi ob peccatum exterius inobedientiæ seu contumaciæ respectu Ecclesiæ, & meritò: quia excommunicatio (imò etiam suspensio & interdictum, vt sunt censuræ) instituta est ab Ecclesia in pœnam contra sibi contumaces seu inobedientes; quia eam instituit excitata & admonita à Christo illis verbis Matth. 18. *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* & ob id ad eam infligendam, præcipitur Iure canonico fieri admonitionem, imò trinam, aut vnam pro tribus, ad imitationem trinæ admonitionis, quam Christus vbi suprà præscripsit fieri peccatori, quamuis vnam tantùm præscripserit fieri ab Ecclesia, & alias duas à proximo. Ergo contra institutionem & naturam excommunicationis, & aliarum censurarum est, ferri ob peccatum quod non sit inobedientiæ seu contumaciæ respectu Ecclesiæ; ac proinde aliter lata erit nulla & inualida, non Iure Ecclesiastico puro superadditò naturæ censuræ, sed Iure Ecclesiastico naturali, id est Iure suæ naturæ quam habet ex Ecclesiæ institutione. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

55 *Suarez. Auila. Aegidius. Couarr. Vasquez.* Id verò quod addunt Suarez, Auila & Ægidius, nempe ad valorem censuræ prærequiri contumaciam respectu Ecclesiæ comminantis sub censura, falsum est, vt indicant Couarruuias 1.p. §. 9. & 10. & Vasquez dubit. 16. ad finem; quia absque fundamento aliquo talis comminatio requiritur, imò contra rationem: quia quamuis ea comminatio non fiat ab Ecclesia, qui ei non obedit, verè dicitur contumax in Ecclesiam, & eam non audire, quod sufficit vt censurâ puniatur. Quod non leuiter confirmatur ex eo, quòd in c. *Vt animarum.* 2. de Constitutionibus, in 6. vt quid fauorabile & priuilegium statuitur, non incurri censuram annexam statuto Ordinariorum, ab eo qui eam probabiliter ignorat: quo supponitur, quòd incurreretur, si id non statueretur; & quòd incurratur censura Iure communi lata; ac proinde, quòd inobedientia respectu Ecclesiæ comminantis sub censura, non prærequiratur ad valorem censuræ, quia qui omnino aut probabiliter ignorat censuram, non est sic inobediens Ecclesiæ.

56 Addidimus, non posse censuram validè ferri absque inobedientia respectu Ecclesiæ, à Iudicibus Papa inferioribus; quia contra non paucos existimamus, posse etiam excommunicationem validè ferri à Papa absque dicta inobedientia: quia potestas Papæ ad ferendas validè censuras non est limitata ad eas dicto tantùm modo ferendas, quia non est limitata per ipsius institutionem, per quam inferioribus limitatur, vt patet, quia sibi nequit eam auferre nec limitare; nec limitata est à Christo illis verbis, *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, quia Christus illis verbis nec limitauit Ecclesiæ facultatem ad censuras eo tantùm modo instituendas & ferendas, nec eas eo tantùm modo instituit, quia eas verè non instituit. Nihilominùs Papa illicitè feret censuram absque dicta inobedientia, quando ad secum dispensandum in sua institutione non sit rationabilis causa; quia Papa suo Iure tenetur quoad vim directiuam.

DIFFICVLTAS XIII.

Vtrùm quando Censura fertur ob aliquod peccatum, tantùm feratur ob illud completum in suo genere.

COnueniunt Doctores, censuram latam ob aliquod peccatum, tantùm ferri & incurri ob illud in suo genere completum, vt verbis sonat. ita Suarez disp.4. sect.3. Auila 2. par. cap.5. disp.3. dub.5. & Ægidius disp.13. n.75. quod non leuiter deducitur ex cap. *Perpetuo sanctionis.* 7. de Elect.in 6. Et ratione probatur, quia impositio pœnæ est odiosa, ergo est strictè interpretanda. 57

Vnde qui conatur percutere Clericum, si verè non percutit, vel quia errauit, vel quia impeditus fuit, vel aliter, non incurrit excommunicationem canonis *Si quis suadente:* & qui percutit aliquem, si non sequatur mors, non incurrit censuram, si lata sit ob homicidium quousque mors sequatur: & si non sequitur, quamuis miraculosè impediatur, numquam incurret; quia quamuis ante mortem actio ex parte delinquentis sit perfecta, non tamen est perfecta vt significatur nomine *homicidium*, quod significat actionem delinquentis vt coniunctam cum morte: & qui scribit ad aliquem, non incurrit censuram latam ob scribendum ad illum, quousque ad illum perueniat scriptura: & qui profert hæresim absque assensu hæretico interiori, non incurrit excommunicationem latam contra hæreticos, quia non est perfectè hæreticus.

Et ob eamdem rationem, qui consulit, aut mandat opus cui est annexa censura, hanc non incurrit, quamuis ex consilio aut mandato fiat opus (nisi illa sit etiam extensa ad consulentes aut mandates) quia qui consulit, aut mandat opus, non efficit illud in rigore. Imò addimus, quòd quando censura fertur ob consilium aut mandatum, non incurritur, si non sequitur opus: & quamuis sequatur, non incurritur ante opus secutum, quando censura principaliter fertur tantùm propter opus, vt fertur excommunicatio contra mandantes percussi onem Clerici: at quando censura etiam fertur principaliter ob consilium aut mandatum, statim incurritur ante secutum opus: & quamuis num quam sequatur, vt fertur excommunicatio in c.1. de Homicidio, in 6. contra eos, qui mandant aliquem occidi per assassinos (quæ excommunicatio iam non habet locum, 58

cum, quia iam non sunt assassini) & vt fertur in Clementina de Pœnis cap. 1. contra Religiosos Mendicantes, qui in concionibus docent aliquid animo retrahendi populum à solutione decimarum; subintellige tamen animo exteriùs expresso, iuxta ea quæ diximus Diffic. XI.

Obseruandum est, censuram latam ob consilium aut mandatum non principaliter, sed tantùm accessoriè (qua ratione censenda est ferri, quoties non constat etiam ferri principaliter) quæ non incurritur, nisi secuto effectu, aliquando non incurri, quamuis sequatur effectus: tunc videlicet, quando efficiens effectum non efficit illum, 60
motus consilio aut mandato, sed eodem modo efficit illum, ac si non fuisset consultus nec mandatus; quod contingit, quando consilium aut mandatum vel non fuit à principio efficax, vel si fuit, desiuit esse efficax ante effectum secutum. Est tamen discrimen inter consilium & mandatum quantum ad desitionem efficacis, quòd mandatum eo ipso quòd reuocatur, & reuocatio fit nota mandatario, desinit esse efficax, quia in mandato agitur res mandantis, & in eius gratiam, & vt ei placeatur; ac proinde cognita opposita voluntate mandantis, etiam mandatum desinit mouere, seu esse efficax: in consilio verò non agitur res consulentis, nec in eius gratiam; ac proinde non eo ipso quòd reuocatur, quamuis reuocatio fiat nota consulto, desinit mouere, & esse efficax. Sed an reuocatio, seu pœnitentia, quantum est ex se efficax consilij aut mandati, impediat incursionem censuræ, dicemus Diffic. XV.

DIFFICVLTAS XIV.

Vtrùm Censura lata contra facientes, etiam comprehendat consulentes & mandantes.

61 COnueniunt Doctores, vno aut altero excepto, censurâ latâ contra facientes aliquod opus, v.g. percussionem Clerici, non comprehendi consulentes, quando in latione censuræ id non significatur; quia consulens non dicitur absolutè & simpliciter facere opus: qui enim consulit percussionem Clerici, quamuis sit causa moralis percussionis, quæ fit ex vi talis consilij, non tamen dicitur percutere.

Est tamen difficultas, An comprehendantur mandantes, seu commendantes, & committentes alteri opus ob quod fertur censura.

Siluester. Rosella. Siluester *Excommunicatio.* 9 nu. 79. & *Excommunicat.* 10. quæst. 4. & Rosella *Excommunicatio.* 1. casu 43. n. vlt. partem affirmatiuam tuentur, quæ deduci videtur ex c. *Mulieres.* de Sententia excommun. in 6. dum dicitur, eos quorum auctoritate aut mandato alij iniiciunt manus violentas in
62 Clericos, esse excommunicatos excommunicatione lata ab Innocentio II. in can. *Si quis suadente diabolo.* 17. q. 4. reseruata Sedi Apostolicæ: hæc autem excommunicatio in eo canone tantùm fertur contra eos, qui manus violentas in Clericos iniciunt; ergo censura lata contra facientes, etiam comprehendit mandantes. Et ratione insinuata in eodem cap. probatur; quia qui aliquid mandat efficere absolutè, etiam simpliciter dicitur illud efficere. Iudex enim, qui mandat seu committit executori quòd aliquem suspendat, absolutè dicitur illum suspendere; ergo censura lata contra facientes aliquid, etiam comprehendit mandantes, quia etiam isti verè & absolutè dicuntur illud efficere.

Nauarrus verò cap. 27. nu. 51. Ægidius disp. 14. *Nauarrus. Aegidius.* n. 188. & communiter Doctores partem negatiuã tradunt, & meritò: quia lex pœnalis, vtpote odiosa, strictè est accipienda secundùm propriam & rigorosam significationem verborum: qui autem mandat seu committit aliquid efficere, id non efficit propriè & in rigore, quia mandare & efficere sunt in rigore distinctæ actiones, quamuis mandans opus aliquando dicatur absolutè & simpliciter illud efficere, tunc videlicet quando id solet effici per alios, vt ædificare, suspendere, sepelire mortuum, & alia. Ex quo constat ad rationem pro aduersariis adductam. Quod non leuiter confirmatur ex eo, quòd in non paucis Iuribus, quibus fertur censura contra facientes aliquid, etiam additur contra mandantes, vt constat ex cap. vltimo de pœnis, in 6. & ex Clementina 1. eodem tit. & ex multis excommunicationibus Bullæ Cœnæ Domini. 63

Vnde excommunicatio, quæ in dicto cap. *Mulieres.* dicitur aut supponitur incurri ob mandatum percussionis Clerici, non est ex vi dicti Canonis, *Si quis suadente.* in quo tantùm fertur excommunicatio contra percutientes Clericum, sed ex vi dicti cap. *Mulieres*, in quo excommunicatio illa lata in eo canone extenditur ad mandantes, ad quam extensionem faciendam motus fuit Pontifex ratione pro aduersariis adducta; quia scilicet ille dicitur committere delictum, cuius auctoritate & mandato committitur, quæ ratio non sufficeret ad illam excommunicationem incurrendam, nisi Pontifex ea motus faceret dictam extensionem: sicut etiam in c. *Quantæ.* 47. de Sententia excommunic. extenditur excommunicatio dicti canonis ad non impedientes percussionem Clerici, cùm possint, ad quam extensionem mouetur Pontifex, quia illi consentiunt (& consequenter etiam extenditur ad consulentes, & auxilium præbentes, quia etiam consentiunt) consentientes autem pari pœna plectendi sunt ac facientes. Quæ ratio non sufficeret ad illam excommunicationem incurrendam, nisi etiam ea motus Pontifex talem extensionem faceret. 64

Ægidius tamen excipit casum, nempe quando lex esset ferè frustratoria, si non comprehenderet mandantes, vt esset lex prohibens sepelire excommunicatum defunctum, si sola persona, quæ suis manibus sepelit, incurrat excommunicationem, & non id mandantes. Id tamen absque sufficienti fundamento excipit, vt in eo casu non habeat locum nostra doctrina supradicta, ob quam in c. *Si ciuitas.* 17. de Sententia excommunicationis, in 6. necessarium fuit, vt interdictum, quo ciuitas interdicitur, etiam comprehenderet suburbia, quòd Pontifex illud extenderet ad suburbia, quamuis esset ferè frustratorium si illa non cõprehenderet.

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm quando Censura extenditur ad mandantes & consulentes, eam incurrant, si ante opus secutum reuocent mandatum aut consilium.

DIfficultas hæc tantùm habet locum, & procedit de censura lata ob opus, & exten- 65

sa ad mandatum & consilium; lata principaliter ob opus tantùm, & quæ ob id non incurritur ante opus secutum.

Conueniunt Doctores, reuocationem, seu resipiscentiam à mandato vel consilio, peruenientem ad notitiam mandatarij vel consulti, qua mandatum vel consilium desinit mouere, seu esse efficax (quod semper efficit reuocatio mandati nota mandatario, & non semper reuocatio consilij, quamuis nota consulto) impedire incursionem censuræ; quia tunc nec mandans nec consulens est causa operis, ob quod solum principaliter lata est censura.

66 Est tamen difficultas, an quando mandatum aut consilium post reuocationem seu pœnitentiam mansit efficax, seu mouens, vel quia reuocatio non peruenit ad notitiam, vel aliter, tunc reuocatio seu pœnitentia impediat incursum censuræ; & non procedit, quando reuocatio seu pœnitentia non est efficax quantum est ex se, id est, quando non est talis, vt mandans aut consulens, quantum in se est, pro temporis opportunitate non curet impedire efficaciam, seu motionem, seu influxum sui mandati aut consilij, si commodè potest notificando reuocationem, & si necessarium sit, aliter impediendo ne eueniat opus: quia quando reuocatio non est sic efficax, non impedit incursum censuræ; quia tunc mandans aut consulens non tantùm est causa moralis operis, sed etiam permanet inobediens, saltem habitualiter, superiori prohibenti mandatum aut consilium; quia non retractat illud efficaciter quantum est ex se: sed procedit difficultas, quando reuocatio seu pœnitentia est efficax quantum est ex se, & tamen non impedit influxum mandati aut consilij in opus, quia mandans aut consulens nequit, saltem commodè, quamuis id procurauerit, an scilicet tunc reuocatio habita ante incursum censuræ illum impediat.

Egidius. Circa hanc ergo difficultatem Ægidius disp. 14. dub. 15. & plures alij partem negatiuam tuentur; quia etiam tunc mandans aut consulens verè fuit contumax seu inobediens Ecclesiæ, quæ prohibuit mandatum aut consilium, & sub censura lata, & ex mandato aut consilio verè fuit factum opus.

Innocent. Tabiena. Auila. Innocentius verò in cap. *Mulieres.* 6. de Sententia excommunicationis, Tabiena v. *Excommunicatio.* 5. casu 1. num. 35. & Auila part. 2. disp. 3. dub. 7. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia per dictam reuocationem seu resipiscentiam ex se efficacem, cessat, imò destruitur inobedientia habitualiter perseuerans. Ecclesia autem, supposita institutione censuratum, vel non potest validè, vel non intendit ligare censurâ eum, qui ante incursionem iam non est inobediens adhuc habitualiter, sed pœnitens efficaciter, sicut etiam debet absoluere à censura incursa eum, quem efficaciter, quantum est ex se, pœnitet inobedientiæ factæ.

68 Et ob hanc rationem censura, quando Iure aliquo aut præcepto fertur contra scribentes ad aliquas personas, v.g. ad Moniales, non incurritur, quando, antequam epistola perueniat ad personam ad quam mittitur, scribens resipiscit modo dicto; quia hæc censura non incurritur antequam scriptura perueniat ad personam, & dicta inobedientia cessat antequam perueniat, & incursa sit censura. Vnde qui scribit ad excommunicatum, si, antequam scriptura perueniat ad excommunicatum, ita resipiscit, vt, si commodè posset, impediret peruentum scripturæ, non incurrit excommunicationem minorem Iure latam ob communicationem cum excommunicato; & qui propinat venenum Clerico, si ante mortem Clerici omnino efficaciter resipiscat, non incurrit excommunicationem latam in can. *Si quis suadente diabolo.*

Et ob eamdem dictam rationem credimus, eum quem, antequam Iudex ferat censuram pro transgressione sui præcepti, monitione sufficiente præmissa, pœnitet efficaciter inobedientiæ factæ, ita vt si post pœnitentiam possit, obediat (v. g. soluat creditori) & si non possit obedire, sit obedire paratus, non incurrere censuram, quamuis latam à Iudice contra eum, siue absentem siue præsentem.

Obseruandum tamen est, dictam reuocationem, seu pœnitentiam consilij aut mandati, aut inchoationis operis, non impedire obligationem satisfaciendi damno illato medio consilio aut mandato, aut media inchoatione operis, verè influente in damnum illud: nec impedire irregularitatem annexam ei consilio aut mandato, aut operi cuius facta fuit inchoatio (& idem est de quicumque alia pœna aut pœnalitate, quæ non sit censura) quia ex vna parte præcessit causa sufficiens ad incurrendam irregularitatem, nempe delictum semel commissum medio consilio aut mandato, aut media inchoatione illius; & ex altera irregularitas, cùm non sit censura, non requirit perseuerantiam inobedientiæ vsque ad incursionem illius.

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm Censura ferri possit pro peccatis futuris.

CEnsura fertur pro peccatis futuris, quando annectitur Iuri aut præcepto, quo præcipitur vt in posterum fiat aliquid, aut quo prohibetur ne in posterum fiat aliquid sub hac aut illa censura ipso facto incurrenda, quod est ferri pro peccatis futuris, sub conditione, si fiant, siue subintellecta, quando sic fertur, *qui furatus fuerit sit excommunicatus*; siue expressa, vt quando dicitur, *si quis furatus fuerit sit excommunicatus.*

Hoc ergo supposito, conueniunt Primò Doctores, censuram validè & licitè ferri Iure seu lege, aut quod idem est, validè & licitè annecti Iuri seu legi pro peccatis futuris, quod non paucis canonibus & statutis Ecclesiasticis factum est, & meritò, quia latio censuræ medio Iure pro peccatis futuris nullo Iure cauetur.

Conueniunt Secundò, censuram posse validè ferri ab homine, seu à Iudice, tam generaliter quàm specialiter pro peccatis futuris, quia id nullo Iure irritatur.

Est tamen difficultas, An possit licitè ferri ab homine seu Iudice pro peccatis futuris.

Nonnulli Canonistæ docent, non posse licitè ferri, qui ducuntur c. *Romana.* 5. de Sentent. excommunicat. in 6. vbi Innocentius IV. ait: *Cauant ne sententias excommunicationis, siue specialiter siue generaliter, pro culpis futuris proferre præsumant.* vbi verbum *caueant* videtur prohibitionis.

Couarruuias tamen 1. par. §. 10. Vasquez de Excommunic. dub. 12. & Suarez disp. 3. sect. 4. de

communiter Doctores docent, id posse licitè fieri, quod Iudices regulariter faciunt. Et in cap. *A nobis.* 21. de Sententia excommunic. & in Trident. sess. 25. cap. 3. de Reformatione, supponitur licitè fieri: imò etiam in dicto cap. *Romana*, in quo verbum illud *caueant*, quo prohibendum erat, si in eo fuisset prohibitum, aut non continet prohibitionem, sed simplicem admonitionem ne id fiat, aut si continet prohibitionem, id non prohibetur simpliciter & absolutè, sed tantùm quando non est
72 rationabilis causa ad id: quia in eo capite tantùm cauetur, ne feratur censura à Iudicibus pro peccatis futuris omnino (nempe, *qui tale fecerit sit excommunicatus*,) nisi quando peccatum seu culpa præcedit, id est, nisi quando peccata similia ei, ob quod vitandum fertur censura, fuerint commissa, & ne feratur pro peccatis iam commissis exigentibus satisfactionē, vt fiat satisfactio; nempe, *Qui tale furtum fecit, sit excommunicatus, nisi intra tale tempus satisfecerit*, nisi quando mora præcessit, id est, nisi debita satisfactio iam sit in mora, aut nisi pro quolibet modo ex his duobus ferendi censuras sit alia rationabilis causa, præter assignatam pro quolibet, vt attentè legenti constabit.

Trident.

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm committens peccatum, cui annexa est Censura, committat duplex peccatum.

73 HEnriquez lib. 5. de Sacramen. cap. 7. docet, committentem peccatum cui annexa est cēsura, committere duplex peccatum; alterum contra eam virtutem, contra quam aliàs est, secluſa censura; alterum inobedientiæ, contra obedientiam: v. g. committentem furtum cui annexa est censura, duplex committere peccatum, alterum iniustitiæ, & alterum inobedientiæ.

Henriquez.

Corduba verò in Summa, quæstione 11. & Auila 2. parte, cap. 5. disputatione 1. dub. 11. docent, non committere nisi vnum peccatum contra eam virtutem contra quam aliàs est, secluſa censura, vt in exemplo furti, tantùm committere peccatum iniustitiæ, & meritò; quia ex vna parte non est speciale aliquod præceptum non incurrendi censuram, & ex altera ad eam incurrendam non est necessarius actus inobedientiæ specialis, ortus ex affectu expresso non se subiiciendi superiori, quia sufficit actus inobedientiæ generalis
74 contra præceptum superioris, ortus ex motiuo vtilis aut delectabilis, vel ex alio quàm non se subijciendi superiori; obedientia autem generalis non est virtus distincta ab ea contra quam est actus ille (v. g. furti) ob quem incurritur censura.

Corduba. Auila.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm Censura possit ferri absque præuia monitione canonica.

75 SVpponimus, ad ferendam censuram medio Iure aut præcepto siue generali siue speciali pro peccatis seu transgressionibus futuris, sub conditione *si fiant*, siue expressa siue subintellecta, nullo iure prærequiri aliam monitionem, quàm lationem Iuris aut præcepti, & eorum promulgationem, eis annectendo censuram ipso facto incurrendam. Et satis congruenter nulla alia monitio Iure prærequiritur; quia ipsum Ius aut præceptum, cui censura annectitur, non tantùm semel aut iterùm, sed continuè admonet sub censura iam lata sub conditione dicta. Quòd autem ad ferendam censuram medio præcepto tam speciali quàm generali (in quo est maior difficultas, quàm medio Iure) nulla alia monitio, quàm dicta prærequiratur, satis indicatur in cap. *Romana.* 5. de Sententia excommunicationis, in 6. in quo quamuis sermo sit de pronuntiatione excommunicationis ab homine, tam generaliter quàm specialiter, & tam pro peccatis præteritis vel præsentibus, quàm pro futuris: nihilominùs ad pronuntiandam excommunicationem pro peccatis præteritis vel præsentibus, quæ fertur ab homine, noua sententia post commissum peccatum prærequiritur, quòd præcesserit monitio canonica ante peccatum. Ad pronuntiationem verò excommunicationis, tam generaliter quàm specialiter pro futuris, nulla fit mentio admonitionis distinctæ ab ipso præcepto cui excommunicatio annectitur: quod etiam indicatur in c. *Reprehensibilis.* 26. 76
de Appellationibus, dum dicitur: *Vt nec Prælati proferant sententiam suspensionis vel excommunicationis, non præmissa canonica admonitione, nisi talis sit culpa, quæ ipso suo genere inducat pœnam suspensionis, vel excommunicationis*, id est, annexa sit Iuri aut præcepto ipso facto incurrenda, vbi supponitur, posse incurri suspensionem aut excommunicationem annexam Iuri aut præcepto, nulla canonica monitione præmissa.

Vnde praxis Iudicum, qui, dum censuras ferunt tam generaliter quàm specialiter medio præcepto pro peccatis omnino aut aliquo modo futuris, admonent addendo, *trina canonica monitione præmissa*, non est necessaria, quamuis sit optima.

Admonitio ergo canonica tantùm prærequiritur, & præmittenda est, vt feratur censura ab homine, tam generaliter quàm specialiter, media noua sententia, post peccatum iam omnino commissum: pro ipso est autem generaliter prærequisita, etiam quando censura fertur à Prælato spoliato suâ Ecclesiâ, ad defensionem sui iuris, vt contra nonnullos aduertunt Couarruuias parte 1. §. 9 & Vasquez dub. 10. quia absque fundamento fit hæc exceptio, sicut etiam aliæ: prærequiritur autem pro ferenda excommunicatione à Iudice in dicto cap. *Romana*, & in cap. *Sacro.* 48. de Sententia excommunicationis; & pro excommunicatione & suspensione in dicto cap. *Reprehensibilis*; vbi nomine suspensionis potest etiam intelligi interdictum, quod nomine suspensionis significatur cap. 1. de Sententia excommunicationis, in 6. & pro interdicto sub nomine interdicti supponitur in cap. *Ex parte.* 22. de Verborum significatione, & indicatur in cap. *Statutum.* 13. de Sententia excommunicat. in 6.

Couarr. *Vasquez.*

77

Et quòd ita canonica monitio etiam prærequiritur, vt Iudex ferat nouam censuram ob delictum iam factum, cui aliàs Iure aut præcepto est annexa similis censura ipso facto incurrenda, vt contra nonnullos aduertit Vasquez dub. 12. quia nullibi, adhuc in cap. *Reprehensibilis.* 26. de Appellationibus, sit exceptio pro hoc casu; quia in eo cap. dum prohibetur proferri sententia censuræ non præcedente canonica monitione, addendo hanc

Vasquez.

78 exceptionem, nempe nisi talis sit culpa, quæ ipso suo genere censuram inducat; (quo significat, in casu, in quo censura feratur ipso Iure aut præcepto, non esse necessariam præuiam canonicam admonitionem, vt Iudex pronuntiet sententiam censuræ) non est sermo de noua numero censura pro eodem peccato, superaddita censuræ latæ ipso Iure aut præcepto (quia ad quid noua numero censura?) sed tantùm est sermo de sententia declaratiua censuræ ipso Iure aut præcepto latæ, quia ad hanc declarationem faciendam non prærequiritur canonica admonitio. Vnde in eo cap. *proferre sententiam censuræ* sumitur, prout comprehendit sententiam declaratiuam & latiuam: nihilominùs ad hanc sententiam declaratiuam prærequiritur citatio, vt constet de crimine, & absque ea aduertit
Couarr. Couarruuias sententiam esse nullam.

79 Et non solùm prærequiritur canonica monitio, vt Iudex ferat nouam numero censuram ob commissum peccatum, cui Iure aut præcepto est annexa similis censura ipso facto incurrenda, sed etiam, quidquid dicat Auila 2. par. cap. 5. disp. 1. dub. 5. prærequiritur, vt ferat censuram, quam Ius comminatur, & non imponit ipso facto; quia tunc ea censura verè fertur ab homine, & pro peccato omnino præterito, & nullibi fit exceptio pro hoc casu. Et idem ob eamdem rationem existimamus, vt Iudex ferat censuram, quam ipse aut alius comminatur, siue generaliter siue specialiter, dum in præcepto seu admonitione comminante non contineatur trina monitio, vel vna pro tribus. Habet autem locum monitio ad ferendam censuram pro peccato iam omnino commisso, quando, antequam censura imponatur à Iudice, commissum est peccatum contra Ius aut præceptum aliquod, siue naturale siue positiuum, cui non est annexa censura saltem ipso facto; quia tunc, vt à Iudice pro peccato illo feratur censura, necessarium est, quòd ante commissum peccatum præcesserit monitio (imò sub comminatione censuræ) siue generaliter siue specialiter facta.

Est tamen discrimen inter excommunicationem ex vna parte, & inter suspensionem & interdictum ex altera, quòd excommunicatio non agnoscitur instituta, nisi vt censura (ac proinde semper ad
80 eam prærequiritur monitio;) suspensio verò & interdictum, quamuis instituta sint vt censuræ, & consequenter etiam ad ea, vt sic, prærequiratur monitio, nihilominùs etiam agnoscuntur ferri, & aliquando feruntur, non vt censuræ, sed in puram pœnam, seu vindictam, qua ratione suspensio fertur in c. *Tam literis.* 33. de Testibus & attestationibus, & in cap. *Cùm in cunctis.* 7. de Electione; & interdictum fertur ea ratione in cap. 1. de Sentent. excommunicat. in 6. (quamuis sub nomine suspensionis) & in cap. *Sacro.* 48 de Sentent. excommunicat. quia in vtroque fertur ad tempus determinatum, ante quod non exigit auferri, quamuis posita sit emendatio, & tunc ad eorum lationem non prærequiritur admonitio. Est tamen aduertendum, quòd quando suspensio & interdictum feruntur vt censuræ, possunt licitè & validè ferri ob causam minùs grauem, ac quando feruntur in
81 puram pœnam, quia quando feruntur vt censuræ, exigunt auferri, posita emendatione; non verò quando feruntur in puram pœnam; quia tunc tantùm auferuntur mediâ gratiâ & dispensatione, quæ nequit licitè fieri, nisi existente rationabili causa: ob quod contingere potest, quòd suspensio, & interdictum ferantur licitè & validè, quando feruntur vt censuræ, quæ illicitè & invalidè ferrentur, si ferantur in puram pœnam; quia sic lata, essent pœna maior, seu excedens culpam; & lata vt censuræ, non excederent illam.

DIFFICVLTAS XIX.

Qualis debeat esse monitio canonica prærequisita ad lationem censuræ à Iudice.

CAnonica monitio, prærequisita vt Iudex ferat censuram, quæ facienda est ab ipso, in primis debet esse iussio, cuius nomine comprehenditur præceptum, tam negatiuum quàm affirmatiuum; quia Iure canonico prærequiritur monitio, vt censura non feratur nisi contra inobedientes Ecclesiæ (imò ipsi censuram ferenti, aut eius antecessori) qui non erunt ei inobedientes, nisi monitio sit præceptiua. Secundò debet esse iuridica, id est, non priuatim facta, sed ordine iuris, & nomine Iudicis, & ipsi reo, nisi malitiosè abscondatur: quia tunc sufficit, quòd fiat in domo propria rei, vel in alio loco, vnde præsumatur quòd ad eius notitiam peruenier, dummodò tandem perueniat, aliàs non erit inobediens ipsi Iudici. Tertiò debet esse trina, vel vna pro tribus, proarbitrio Iudicis, & cum competentibus aliquorum dierum interuallis, nisi necessitas postulet temporum interualla moderari. Ita disponitur in cap. *Constitutionem.* 9. de Sentent. excommunic. in 6. Quarò debet fieri sub comminatione censuræ, vt indicatur in cap. *Sacro.* 48. de Sententia excommunicationis: & confirmatur consuetudine Iudicum, qui numquam infligunt censuram, nisi præsupposita comminatione illius. Quintò, vt à Iudice feratur censura contra eos, qui communicant cum excommunicato in locutione, & in aliis ob quæ Iure incurritur excommunicatio minor, prærequiritur canonica monitio, qua ille qui censura est ligandus, expressè & nominatim moneatur, vt pro excommunicatione maiori disponitur in c. *Constitutionem*, & pro omnibus censuris in c. *Statutum.* Tandem sextò, vt excommunicatio feratur ab homine, prærequiritur quòd monitio fiat coram personis, quibus possit iuridicè probari, vt disponitur in cap. *Sacro.*

Monitio ergo, vt sit canonica completè & competens (id est, vt sit qualis prærequiritur Iure canonico) pro ferenda quacumque censura requirit quinque priores conditiones, & pro ferenda excommunicatione etiam requirit sextam.

DIFFICVLTAS XX.

Qualiter requiratur monitio canonica ad lationem Censuræ à Iudice.

NOn omnes conditiones prærequisitæ à Iure in monitione præuia ad lationem censuræ à Iudice, de quibus diximus Difficultate præcedenti, eodem modo requiruntur: quia in primis, quòd monitio sit præceptiua & iuridica, imò & quòd vsque ad notitiam rei perueniat, requiritur ad violorem censuræ, ita vt aliter lata sit nulla Iure naturali Ecclesiastico; quia aliter non fertur contra obedientes Ecclesiæ, aut eius ministris, quod est contra eius institutionem, seu naturam, quam habet ex institutione Ecclesiæ. Quòd verò sit trina, vel

vel vna pro tribus, & cum competentibus interuallis, etiam quãdo necessitas non postulet ea moderari, non est necessarium ad valorem censuræ, sed tantùm vt licitè fiat; quia ad valorem censuræ, absque fundamento requiritur plus quàm canonica monitio iuridica; quod est verum, quamuis censura feratur à Iudice delegato, & non solùm quando in delegatione non exprimitur quòd seruetur trina monitio, vel vna pro tribus (in quo
85 Doctores conueniunt) sed etiam quando id exprimitur, vt contra nonnullos aduertit Vasquez dub. 12. Et etiam quòd monitio fiat sub comminatione censuræ, non est necessarium ad valorẽ censuræ, sed tantùm vt licitè feratur, vt contra Auilam & Ægidium indicant Couarruuias 1. p. §. 10. & Vasquez dub. 16. ad finem, dum docent, ignorantiam excommunicationis non excusare ab incursu illius; quia dicta comminatio nullo Iure requiritur ad valorem; quia non Iure purè Ecclesiastico, quia nullum tale extat; nec Iure naturali censuræ, supposita eius institutione (quod dici potest Ius naturale Ecclesiasticum,) quia Iure naturali, seu natura ipsius censuræ, sufficit quòd præsupponatur contumacia, seu inobedientia respectu Ecclesiæ, ad quam sufficit quòd fiat contra simplex Ius aut præceptum Ecclesiæ, seu ministrorum illius, absque comminatione censuræ.

Vasquez. *Couarr.* *Vasquez.*

86 Quòd verò eâ moneatur nominatim qui ligãdus est censurâ ob communicationem cum excommunicato in locutione, & in aliis ob quæ Iure incurritur excommunicatio minor, prærequiritur ad valorem talis censuræ, vt exprimitur in dicto c. *Constitutionem*, & supponitur in dicto cap. *Statutum*. Imò in eis ad valorem illius etiam requiritur, quòd sit canonica, seu competens, & in c. *Statuimus*. 3. eodem tit. ad valorem prærequiritur canonica monitio: imò in ipso c. *Constitutionem*, ad valorem illius requiritur quòd sit ita canonica, vt non solùm eâ moneatur nominatim censurâ feriendus (quod etiam supponitur in c. *Statutum*) sed etiam quòd alia requisita seruentur ritè. Vnde ad valorem cuiuscumq; censuræ ob communicationem cùm excommunicato, in prædictis credimus requiri monitionem cum omnibus supradictis conditionibus requisitis; nempe ad valorem suspensionis & interdicti monitionem cum quinque prioribus conditionibus, & ad valorem excommunicationis etiam cum sexta, traditis Difficultate præcedenti.

DIFFICVLTAS XXI.

Vtrùm ignorantia facti impediat incursionem Censuræ.

87 SVpponimus, ignorantiam aliam esse facti, qua videlicet quis ignorat factum suum, v.g. se occidere; aliam esse Iuris, siue naturalis, siue positiui, qua videlicet quis ignorat, suum factum, v.g. homicidium, esse prohibitum; aliam esse ipsius censuræ annexæ facto prohibito: & quamlibet ignorantiam ex iis alteram esse inuincibilem, aut physicè; quia physicè vinci non potest, vt quando rei ignoratæ nulla est orta dubitatio, nec suspicio, quæ ignorantia absolutè dicitur inuincibilis; aut moraliter, quæ quamuis physicè vinci potest, quia rei ignoratæ orta est dubitatio, nequit tamen moraliter vinci, quia diligentia prudenti, seu probabili, qua maior fieri non obligat, attentâ substantiâ & circumstantiis negotij, vinci non potest; & hæc dicitur probabilis, seu moraliter inuincibilis; alteram esse vincibilem nullo modo inuincibilem, quæ non solùm physicè, sed etiam moraliter vinci potest: & hanc ignorantiam vincibilem posse esse culpabilem, aut mortaliter, quando videlicet est rei grauis, & est plenè voluntaria; aut tantùm veniali-ter, quando videlicet est rei leuis, vel si rei grauis, non tamen est plenè voluntaria, quia scilicet dubi- 88
tatio præcedens non fuit plenè considerata: & rursus ignorantiam vincibilem alteram esse supinam seu crassam, quæ videlicet non vincitur, quia ignorans ex tædio addiscendi non curat scire; & alteram esse affectatam, quæ non vincitur, quia ignorans directè ex fine aliquo, siue liberiùs viuendi, siue ex alio omittit requirere & scire.

Hoc ergo supposito, circa ignorantiam facti Doctores conueniunt Primò, ignorantiam facti inuincibilem, quamuis solùm moraliter, impedire incursionem censuræ, quia excusat ab omni culpa adhuc veniali; absque culpa autem saltem veniali, nequit censura incurri. Vnde quando quis in nemore occidit Clericum, existimans inuincibiliter, saltem moraliter, esse feram, non incurrit excommunicationem: quod est verum, vt contra nonnullos aduertunt Couarruuias 1. p. §. 10. & Vasquez *Couarr.* dub. 14. quamuis ignorans det operam rei alias il- *Vasquez.*
licitæ, v.g. illicitæ venationi; quia ex eo quòd ignorans det operam rei aliàs illicitæ, non definit ignorare inuincibiliter factum suum ex tali ignorantia, autcum tali ignorantia, quia factum sic ignoratum nequit esse voluntarium seu liberum, quia voluntarium est quod procedit à principio intrin seco cum cognitione.

Et quod dictum est de ignorantia inuincibili 89
facti, dicendum est de ignorantia inuincibili alicuius circumstantiæ, ex qua oritur illa culpa ob quam fertur censura, vt quando quis inuincibiliter ignorat, hominem, quem occidit, esse Clericum, ob rationem dictam, quia scilicet ea ignorantia, quamuis non excusetfactum à culpa seu malitia iniustitiæ homicidij, excusat tamen à malitia sacrilegij homicidij Clerici, ob quam tantùm, & non ob malitiam iniustitiæ lata est excommunicatio.

Addit Couarruuias ignorantiam inuincibilem *Couarr.*
comitantem facti non impedire incursum censuræ, vt quando quis occidit Clericum, existimans inuincibiliter esse feram, habens tamen actualiter animum, quòd quamuis sciret esse Clericum, il- 90
lum nihilominus occideret: id tamen falsum est, vt aduertit Vasquez vbi suprà, & P. Auila 2. p. c. 5. *Vasquez. P. Auila.*
disp. 5. dub. 6. quia tunc occisio Clerici non habet malitiam sacrilegij, quia circumstantia clericatus fuit inuincibiliter ignorata, quamuis ille animus habeat talem malitiam; quia dicta ignorantia non excusat animum à tali malitia: censura autem tantùm est lata ob occisionem exteriorem sacrilegam, & non ob animum sacrilegum.

Et ob supradictam rationem omnimoda inad-
uertentia actualis facti, quamuis adsit scientia habitualis, impedit incursionem censuræ: imò quando censura prærequirit culpam mortalem, excusat à tali censura defectus plenæ aduertentiæ, quia absq; plena aduertentia, non sit peccatum mortale.

Conueniunt Secundò Doctores, ignorantiam vincibilem facti, adhuc crassam seu supinam, non impedire incursionem censuræ, quando est plenè voluntaria, quamuis operans non det operam rei illicitæ, quando censura fertur absolutè contra eos

qui

qui aliquid fecerint, non addita particula *scienter*, nec æquiualente; quia hæc ignorantia non excusat à culpa mortali, ob quam tantùm incurritur censura, exceptis excommunicatione minori, & interdicto personali particulari puro, non reseruato lato à Iure vel generaliter ab homine, quæ etiam incurruntur ob tantùm venialem.

91 Conueniunt Tertiò Doctores, ignorantiam vincibilem facti ordinariè crassam seu supinam, impedire incursionem censuræ, quando censura non fertur absolutè contra eos qui aliquid fecerint, sed cum addito particulæ *scienter*, contra eos videlicet qui aliquid scienter fecerint, quia dicta ignorantia non æquiualet scientiæ, quæ requiritur ad incursionem talis censuræ: quod etiam est verum (quidquid indicent Corduba & Couarruuias) quamuis ignorans det aliàs operam rei illicitæ, quia ex eo, quòd det operam rei aliàs illicitæ, non efficit scienter.

Est tamen difficultas, An ignorantia vincibilis facti impediat incursionem censuræ, latæ contra eos qui scienter aliquid fecerint, quando est affectata, vel adeò crassa, & ex tanta negligentia, vt moraliter censeatur intenta seu affectata.

92 Sancius lib. 9. disput. 32. & Ægidius disput. 13. dub. 11. docent non impedire, quia dicta ignorantia æquiualet scientiæ seu dolo.

Sancius. *Aegidius.*

Vasquez. *Siluester.* *Angelus.* *Tabiena.*

Vasquez verò dub. 15. Siluester v. *Culpa.* q. 11. Angelus & Tabiena v. *Dolus.* docent impedire, & meritò: quia quod fit ex ignorantia, vel cum ea, quæcumque sit, non fit scienter seu cum dolo, quia verè fit ignoranter: & quamuis dicta ignorantia ferè æquiualeat scientiæ seu dolo, quoad incurrendam culpam, non tamen quoad pœnam; quando hæc imponitur contra scienter seu ex dolo peccantes. Et ob eamdem rationem excusat à censura lata contra eos qui aliquid facere præsumpserint, aut contra eos qui ausu temerario aliquid fecerint, quia pro eodem sumuntur; & idem est aliquid facere scienter seu ex dolo, & illud facere ausu temerario, & præsumere illud facere, imò & illud contemnere.

DIFFICVLTAS XXII.

Vtrùm ignorantia Juris impediat incursionem Censuræ.

93 CONueniunt Doctores, ignorantiam Iuris (cuius nomine etiam comprehenditur præceptum transitorium, tam generale quàm speciale) quo factum est prohibitum, quando inuincibilis est, quamuis tantùm moraliter, impedire incursionem censuræ; quia hæc non incurritur nisi ob culpam, à qua excusat dicta ignorantia: quia qui ignorat inuincibiliter, quamuis tantùm moraliter, sium factum esse prohibitum Iure aliquo, siue naturali siue positiuo, non peccat. Et ob eamdem rationem impedit inaduertentia omnimoda actualis ipsius Iuris, quamuis adsit scientia habitualis illius; quia scilicet excusat à culpa: imò quamuis adsit aduertentia actualis illius, si non sit plena, impedit incursionem censuræ, quæ tantùm incurritur ob culpam mortalem.

Dissentiunt tamen Doctores, an quando factum, cui annexa est censura, aliàs est prohibitum Iure naturali aut diuino, aut humano sæculari, ignorantia inuincibilis Iuris Ecclesiastici, prohibentis tale factum sub censura ipso facto incurrenda, impediat incursionem censuræ.

Scotus in 4. dist. 6. q. 8. & Couarruuias 1. p. §. 10. nu. 9. docent, non impedire, & deducitur ex Regula 13. de Regulis Iuris, in 6. dum dicitur: *Ignorantia facti excusat, non Iuris.* & ex cap. *Cum illorum.* 32. de Sententia excommunicationis, dum dicitur, eos, qui Iuris ignari Clericos percusserint, dispensatione indigere.

Vasquez verò dub. 16. Ægidius disp. 13. dub. 10. Suarez disp. 4. sect. 8. Auila 2. p. disp. 5. dub. 7. & communiter Doctores docent, impedire, & meritò: quia ea ignorantia existente (& idem est de inaduertentia actuali) non est contumacia respectu Ecclesiæ ob quam tantùm incurritur censura, sicut ob eamdem tantùm fertur validè.

Illa autem Regula 13. tantùm procedit in foro contentioso, in quo non præsumitur ignorantia Iuris, quamuis præsumatur facti; & in eo cap. *Cum illorum.* tantùm est sermo de ignorantia vincibili, vt ex contextu deduci potest.

Addunt Suarez, Auila, & Ægidius, ignorantiam inuincibilem ipsius censuræ annexæ Iuri, impedire incursum illius, quamuis non sit ignorantia ipsius Iuris, seu prohibitionis (quod Ægidius etiam extendit ad inaduertentiam actualem censuræ) id tamen est falsum, vt aduertunt Couarruuias & Vasquez; quia absque fundamento aliquo ad vitandum lorem censuræ requiritur contumacia respectu Ecclesiæ ferentis censuram, aut comminantis sub illa; quia absque dubio sufficit contumacia respectu Ecclesiæ simpliciter præcipientis seu prohibentis, vt diximus Difficult. XII.

Obseruandum tamen est, ex peculiari dispositione c. *Vt animarum.* 2. de Constitutionibus, in 6. nouiter facta à Bonifacio VIII. ignorantiam inuincibilem censuræ annexæ statutis perpetuis Ordinariorum impedire incursionem illius; quo non leuiter probatur, ignorantiam inuincibilem censuræ eam non impedire, aliàs non fieret hæc exceptio nouiter à Pontifice.

Vnde ignorantia inuincibilis censuræ, latæ Iure communi Pontificio, non impedit incursum illius, quamuis impediat ignorantia inuincibilis censuræ latæ Iure peculiari Pontificis vt Episcopi Romani pro eo Episcopatu, sicut & aliorum Ordinariorum: nec impedit ignorantia inuincibilis censuræ annexæ præcepto siue generali, siue speciali, & multò minùs ignorantia inuincibilis censuræ latæ à Iudice noua sententia facta post violationem præcepti Iudicis comminantis sub censura, quæ solet ferri in absentem. Et in hoc vltimo Doctores conueniunt; quia tunc quamuis adsit hæc ignorantia, censura fertur in contumacem respectu Ecclesiæ comminantis sub censura, quod in omni sententia sufficit ad valorem censuræ. Sed quamuis dictæ censuræ ignorantiæ incurſæ statim ligent, quoad omnes suos effectus etiam in prohibitione consistentes, nihilominùs quando ignorantia incursionis censuræ est inuincibilis, excusat à culpa, quæ esset, faciendo contra prohibitionem ipsius censuræ incursæ, & consequenter à pœna aut pœnalitate tali culpæ annexa; non verò quando ignorantia est vincibilis. Vnde Clericus ignorans inuincibiliter se incurrisse censuram, non fit irregularis celebrando.

Id ergo quod docet Filliucius Tract. 11. cap. 5. quæst. 13. & à quo non multùm discrepat Suarez disp.

disp. 4. sect. 11. nempe hominem censurâ ligatum à Iudice, quamuis prudenter timentem, contra eum esse iam latam censuram à Iudice pro transgressione præcepti ipsius Iudicis comminantis sub censura, non teneri se gerere vt censurâ ligatum quoad effectus in prohibitione consistentes (etiamsi teneatur quoad effectus in irritatione consistentes) quousque ei legitimè intimetur censura lata & incursa, quamuis non careat probabilitate, & possit tuta conscientia amplecti: nihilominùs falsum esse existimamus, quia iste quando id prudenter timet, aut id non ignorat inuincibiliter, sed vincibiliter, temerariè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem censuræ. 97

DIFFICVLTAS XXIII.

Vtrùm metus impediat incursionem Censuræ.

98 COnueniunt Doctores, metum leuem, quo videlicet timemus malum leue, non impedire incursionem censuræ; quia non excusat à culpa ob quam incurritur censura, quamuis eam attenuet. Et de tali metu est sermo in cap. *Sacris.* 5 de Iis quæ vi metúsve causa fiunt, dum Pontifex ait, eum *qui communicat excommunicatis, quamuis ob metum communicet, excommunicatione* teneri; *quia metus non excludit omnino culpam, quamuis eam attenuet, cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere.* quasi dicat, Si pro nullo metu, adhuc mortis, committendum est peccatum mortale non excusatum, quamuis attenuatum, non est communicandum excommunicatis (subintelligit, in crimine, aut in sacris, aut alio modo, quo peccetur mortaliter) quamuis iniiciatur metus leuis; quia metus leuis non excusat à peccato mortali, quod committitur in ea communicatione.

Est tamen difficultas, An metus grauis, quo videlicet timemus graue aliquod detrimentum, siue in vita, siue in fama, siue in diuitiis (qui dicitur cadens in virum constantem, quia quemuis, quamuis constantem, terret) impediat incursionem censuræ.

99 Circa quam conueniunt Doctores, metum grauem, quoties excusat opus cui annexa est censura à culpa prærequisita ad censuram illam incurrendam, excusare ab illa, quia, vt supponimus, ad eam incurrendam prærequisita est illa culpa. Vnde iuxta ea quæ diximus Difficult. XII. metus grauis excusans à peccato mortali inobedientiæ respectu Ecclesiæ, excusat ab excommunicatione maiori, & à suspensione, & ferè ab omni interdicto, excepto personali speciali puro non reseruato, lato generaliter à Iure vel ab homine; & quoties excusat à peccato veniali inobedientiæ respectu Ecclesiæ, etiam excusat ab excommunicatione minori, & à dicto interdicto nuper excepto.

Sed an metus grauis excuset opus à peccato mortali inobedientiæ respectu Ecclesiæ, disputatur in Tractatu De legibus. Interim tamen existimamus, metum grauem non incussum in contemptum legis, regulariter excusare à tali peccato, ac proinde etiam à censura, quando opus (sub quo etiam comprehenditur omissio) est tantùm contra Ius aut præceptum Ecclesiasticum, qualis est omissio Missæ, imò etiam quando est contra Ius diuinum purè positiuum, qualis est omissio susceptionis aliquorum Sacramentorum. Addidimus, *regulariter excusare:* quia non semper excusat, sed tantùm quando impletio Iuris Ecclesiastici, aut etiam diuini, censetur minoris momenti seu vtilitatis bono communi, quàm indemnitas à graui malo quod imminet ex impletione illius; quod regulariter contingit (excepto raro aliquo casu) quia pro tunc Ius illud seu præceptum non obligat. At quando opus, cui est annexa censura, non tantùm est contra Ius aut præceptum Ecclesiasticum vel diuinum, sed etiam contra Ius naturale, qualis est incestus, & quale est furtum quando prohibetur ab Ecclesia sub censura, tunc contra Ægidium dub. 42. existimamus, metum grauem non excusare à peccato mortali, non solùm vt est contra Ius naturale, in quo etiam conuenit Ægidius, sed neque ab eo vt est contra Ius aut præceptum Ecclesiasticum, seu vt est inobedientia respectu Ecclesiæ; quia tunc etiam Ius aut præceptum Ecclesiasticum obligat, cùm tantùm obliget ad id ad quod aliàs quis est verè obligatus Iure naturali; quia tunc non exponit subditum alicui periculo, cui non sit aliàs expositus Iure naturali.

Ex dictis deducimus, eum qui incurrit censuram, posse efficere id quòd aliàs per censuram prohibetur (si id per censurâ non inualidatur) quando ex omissione ei imminet graue aliquod damnum; quia prohibitio censuræ est purè Ecclesiastica, & eius obseruatio non censetur maioris momenti, quàm indemnitas à graui damno. Vnde qui secretò commisit delictum cui annexa est censura, potest, si aliàs sit in statu gratiæ, celebrare, etiam absque præuia confessione, quoties id sit necessarium, ne cum ipsius infamia alij coniiciant eũ commisisse aliquod delictum, ob quod non audet celebrare; ac proinde non fiet irregularis, quia irregularitas hæc non incurritur absque peccato mortali. Addidimus, *si per censuram non inualidatur*; quia si inualidetur, vt per excommunicationem maiorem inualidatur absolutio Sacramentalis, non poterit id efficere; quia est contra Ius naturale virtutis religionis, inualidè absoluere. 101

DIFFICVLTAS XXIV.

Vtrùm iniustitia Censuræ impediat incursionem illius.

CONueniunt Doctores, iniustitiam censuræ, prouenientem ex defectu Ordinis iuridici ad valorem requisiti, vt ex defectu monitionis iuridicæ, impedire incursionem censuræ, quia censura sic lata est nulla; iniustitiam verò censuræ prouenientem tantùm ex defectu pronuntiationis censuræ in scriptis, non impedire incursionem censuræ; quia verè valida est, vt in hoc casu supponitur in cap. 1. de Sententia excommunic. in 6. iniustitiam quoque, seu illicitudinem prouenientem ex malo fine Iudicis, multò minùs impedire, quia etiam censura sic lata est verè valida. 102

Est tamen difficultas, An iniustitia censuræ, prouenies tantùm ex defectu causæ, vt quando verè non est causa (nempe peccatum) est tamen iuridicè & sufficienter probata, impediat incursionem censuræ: ita vt innocens, in quem lata est, non ligetur tali censura, & ei non teneatur obedire. 100

Durandus in 4. dist. 18. qu. 4. & Corduba lib. 1. qu. 43. absolutè docent, censuram iniustam ex defectu causæ, iuridicè tamen probatæ, verè incurri 103 *Durandus. Corduba.*

&

& obligare, etiam in conscientia, & quoad Deum, etiam in occulto; & deduci videtur ex can. *Sententia.* 11. quæst. 3. dum dicitur: *Sententia pastoris, siue iusta siue iniusta, timenda est.* qui desumptus est ex Gregorio Hom. 126. in Euangelia. & ratione probatur, quia censura prædicto modo iniustè lata, est iuridica, seu secundùm ordinem Iuris; ergo verè est valida, ac proinde ei est obediendum etiam in occulto.

Gregorius.

Sotus. *Ægidius.* Sotus verò in 4. dist. 22. quæst. 1. ar. 3. & Ægidius disp. 13. dub. 12. absolutè docent, censuram dicto modo iniustam non incurri, nec in conscientia, & quoad Deum obligare; & meritò: quia censura non fertur validè, nisi ob contumaciam seu inobedientiam respectu Ecclesiæ; quia tantùm ad hanc reprimendam est instituta: ergo verè non incurritur, nisi à verè contumaci & inobediente, & non à tali probato, si verè non est talis. Et confirmatur, quia tunc sententia censuræ fundatur in præsumptione in casu particulari: ergo cùm præsumptio sit falsa, sententia illa est nulla, & in conscientia non obligat.

104 Nihilominùs qui sic iniustè sententiam censuræ patitur (vt Auctores vtriusque opinionis conueniunt) tenetur coram eis quibus sententia censuræ est nota, & innocentia ignota, se gerere vt censurâ innodatus, ratione scandali, ne eis videatur censuram contemnere; sed non tenetur ad id ratione obedientiæ, quia non tenetur immediatè ratione censuræ, cùm non sit valida; nec ratione alicuius prohibitionis à Iudice superadditæ ipsi censuræ, quia Iudex nullam ponit, quia nihil aliud facit quàm ferre censuram. Sed quamuis ad id teneatur ratione scandali, imò & admittamus teneri ratione obedientiæ, non fit irregularis celebrando, non solùm quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico & coram prædictis; quia quamuis teneatur abstinere, non tamen ex vi censuræ.

105 Canon ergo ille pro aduersariis adductus, in quo dicitur, *Sententia pastoris, quamuis iniusta, timenda*, intelligitur de sententia iniusta valida, quòd timenda sit ob ipsam, & de iniusta nulla, quòd timenda sit ob scandalum. Et ad rationem respondemus, quòd quamuis sententia illa sit iuridica, quia tamen fundatur in præsumptione falsa in casu singulari, ideò verè est nulla, & non obligans.

Sed an Iudex possit censuram ferre, aut aliter punire probatum iuridicè nocentem, quem ipse priuatim nouit innocentem, & non potuit absque scandalo processum in causa impedire, dicemus Tractatu de Iudicio forensi seu contentioso.

DIFFICVLTAS XXV.

Vtrùm appellatio legitima impediat incursionem Censuræ.

106 CONueniunt Primò Doctores, appellationem legitimam, factam antequam Iudex absolutè ferat cẽsuram ipso facto ob peccatum iam factum, impedire incursionem censuræ (nisi quando Iudici concessum est, vt non obstante appellatione procedat in causa) vt constat ex cap. *Ad præsentiam.* 16. & ex c. *Pastoralis.* 53. de Appellationibus, & ex cap. *Licet.* 14. de Sententia excommunicationis, in 6. quia, vt dicitur in cap. *Pastoralis*, per appellationem eximitur quis, quoad eum articulum in quo appellat, à potestate Iudicis, & eius potestas dormitat; &, vt dicitur in cap. *Si a Iudice.* 10. de Appellationibus, in 6. suspenditur iurisdictio illius: ergo latio censuræ post appellationem, vtpote à non Iudice, vel à Iudice suspenso, seu impedito & dormitante facta, est nulla, ac proinde non incurritur.

Et ob eamdem rationem, vt optimè Couarruuias 1. p. §. 10. Henriquez lib. 13. cap. 16. Alterius lib. 3. disp. 5. cap. 1. & communiter Doctores, appellatio legitima (id est ex rationabili causa) post lationem censuræ sub conditione futuræ transgressionis, siue expressa siue tacita, vt quando dicitur, *Solue*, vel, *si non solueris intra tres dies*, facta seu interpositâ ante impletionem conditionis, id est ante factam transgressionem, impedit illius incursionem, vt significatur in ca. *Præterea.* 40. de Appellationibus; quia scilicet latio censuræ sub conditione à puncto appellationis factæ sistit, & perfici nequit; quia ab eo puncto Iudex, à quo lata fuit, est suspensus & impeditus, & eius subditus appellans eximitur ab eo quoad eum articulum.

Obseruandum est Primò, vt contra nonnullos docent Couarruuias vbi suprà, & Suarez disp. 3. sect. 6. & indicatur in dicto cap. *Præterea*, quod in sententiis censurarum sub conditione latis (quales sunt omnes quæ feruntur pro peccatis futuris) fieri potest appellatio etiam post decem dies à puncto sententiæ latæ; quia sententia, seu latio censuræ sub conditione non est perfecta, nec absolutè & simpliciter sententia, quousque impleatur conditio; ac proinde quousque impleatur conditio, non comprehenditur sub lure præscribente decem dies ad appellandum intra eos à sententia; quia terminus iste præscribitur pro appellatione à sententia absolutè & simpliciter tali, ac proinde à sententia perfecta & absoluta. Et ob hanc rationem existimus, post dies decem posse appellari à sententiis conditionalibus quarumcumque aliarum pœnarum ante impletionem conditionis earum.

Obseruandum est Secundò, vt contra Silestrũ v. *Excommunicatio.* 10. q. 2. aduertunt Couarruuias n. 6. Auila 2. p. c. 5. d. 5. dub. 12. appellationem factam ante sententiam censuræ absolutã siue absolutam à sui principio, siue posteà factam absolutam impletione conditionis, impedire incursionem censuræ, quamuis appellatio intra tempus præscriptum ad sequẽdam appellationem omnino differatur, aut ei renuntietur. quod exprimitur in c. *Licet.* 14. de Sententia excomm. in 6. quia appellatio, facta ante sententiam absolutam, impedit ne perficiatur, si lata fuit sub conditione ante appellationem, & omnino impedit valorem sententiæ, si fuit omnino seu absolutè lata post appellationẽ ob defectum iurisdictionis expeditæ in Iudice; quia iurisdictio appellatione impeditur, suspenditur seu dormitat; ac proinde quamuis posteà appellatiõ deferatur, sententia nequit perfici, si fuit lata sub conditione, & nequit validè ferri, si omnino feratur post appellationem; quod ob eamdem rationẽ est verum, vt aduertit Alterius, in quibuscumque aliis sententiis, quando ante eas absolutas supponitur appellatio. Id autem quod in dicto cap. *Licet* significatur, nempe eum, qui est excommunicatus expressè & nominatim, & asserit se post legitimam appellationem fuisse excommunicatum, esse denuntiandum, si tempore præscripto ad prosequendam appellationem, non fuit eam prosecutus, est verum

verum quoad præsumptionem in foro exteriori; quia si non inuenitur prosecutus appellationem, præsumitur vel non appellasse, vel non appellasse legitimè.

Addidimus, *appellationem legitimam ante latam censuram eius incursionem impedire*, quia si non fuit legitima, si non admittatur à Iudice, non impedit incursionem censuræ; quia ea appellatio fuit nulla: nihilominùs si admittatur, impedit; quia quamuis fuerit nulla, & ab ipsa appellatione non eximatur, eximitur tamen ab ipso Iudice sua voluntate illum eximente

110 Conueniunt Secundò Doctores, appellationem factam post sententiam censuræ latam, & absolutam, siue à principio, siue impletione conditionis, quamuis factam intra ipsos decem dies Iure præscriptos, non impedire incursionem censuræ (quamuis deuoluat causam ad Iudicem superiorem ad quem appellatur) vt constat ex c. *Is cui.* 20. de Sententia excommunicat. in 6. & supponitur in cap. *Præterea* 40. & in c. *Pastoralis.* 53. de Appellationibus, & in c. *Ad reprimendam.* 8. de Officio Iudicis ordinarij; quia censura lata secum trahit executionem, vt de excommunicatione dicitur in eo cap. *Pastoralis*; ac proinde censura semel lata incurritur, seu executioni mandatur, & consequenter appellatio facta post latam sententiam censuræ, & absolutam, nequit eam impedire; imò nequit impedire denuntiationem censuræ iam latæ, & incursæ, vt definitur in cap. *Pastoralis*. Et meritò: quia denuntiatio est quid accessorium censuræ, ac proinde eam sequitur. Excipimus tamen suspensionem à beneficio, & ab aliis distinctis ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, quæ per sequentem appellationem suspenditur, vt indicatur in dicto c. *Is cui*, dum dicitur, suspensionem ab officio, & ab ingressu Ecclesiæ, non impediri per sequentem appellationem, & id tacetur de suspensione à beneficio, & ab aliis.

111 Obseruandum est, vt optimè Auila 2. part. c. 5. *Auila.* disp. 5. dub. 11. appellationem à sententia censuræ declaratoria iam facta, suspendere talem sententiam; quia sententia declaratoria non secum trahit executionem.

Id autem, quod dictum est de appellatione, dicendum etiam est de recusatione Iudicis ferentis censuram, quia eadem est ratio.

DIFFICVLTAS XXVI.

Vtrùm consensus partis impediat incursionem Censuræ sub conditione latæ.

112 SVpponimus (in quo nequit esse dubium) consensum partis, in cuius fauorem lata est censura sub conditione, absolutè præstitum ante impletionem conditionis, & antequam incurratur, eius incursionem omnino impedire absque consensu Iudicis; v.g. consensum creditoris, ad cuius instantiam lata est excommunicatio contra debitorem, si non soluat intra tres dies, omnino impedire incursionem excommunicationis absque consensu Iudicis, si intra eos tres dies omnino remittat debitum.

Est tamen difficultas, An consensus partis prorogantis terminum præfixum à Iudice impediat ad tempus, seu suspendat incursionem censuræ vltra terminum à Iudice præfixum, absque nouo consensu Iudicis.

Nauarrus c. 27. nu. 15. Siluester & Hugolinus *Nauarrus. Siluester. Hugolinus.* docent, consensum partis absque consensu Iudicis non sufficere ad suspensionem censuræ, sed transacto termino statim incurri; quia sicut ferre censuram est actus iurisdictionis, ita etiam eam differre, seu ad tempus suspendere; ergo consensus partis absque consensu Iudicis non sufficit.

Angelus v. *Excommunicatio.* 1. n. 20. Henriquez 113 lib. 13. c. 2. & Suarez disp. 3. sect. 6. docent, con- *Angelus. Henriq. Suarez.* sensum partis prorogantis terminum absque consensu Iudicis sufficere ad suspendendam incursionem censuræ vltra terminum à Iudice præfixum, & meritò: quia censura non incurritur, nisi ob contumaciam, quæ non reperitur quando pars consentit, quòd non fiat v. g. solutio intra terminum à Iudice præfixum, sed contenta est quòd fiat intra terminum ab ipsa parte prorogatum; quia intra terminum prorogatum non peccat non soluendo, quod solum præcipit Iudex, & sub censura: consensus ergo partis prorogantis terminum, sufficit ad suspendendam incursionem censuræ, quod efficit pars non directè & potestatiuè (quod solùm potest Iudex efficere) sed tantùm indirectè, auferendo materiam contumaciæ seu inobedientiæ, quod efficit pars, differendo obligationem naturalem, quasi in actu secundo sui debitoris, cui Iudex præcipit satisfieri à debitore.

Addimus, vt contra Angelum, Siluestrum, Na- 114 uarrum & Henriquez docet Suarez, elapso termi- *Suarez.* no à parte ipsa prorogato, incurri censuram absque nouo consensu Iudicis ex vi præcepti à principio facti, & lationis censuræ ei annexæ; quia Iudex, qui præfixit terminum (v.g. tres dies) vt intra illum fiat aliquid, v.g. solutio, non præfixit illum ad finiendum intra illum suum præceptum, & lationem censuræ ei annexæ, sed tantùm ad finiendam permissionem aut licentiam differendi impletionem sui præcepti. sensus enim præcepti Iudicis est: *Præcipimus tibi, vt intra tantum terminum (v.g. intra tres dies) solnas sub pœna censuræ, ita vt si intra illum solueris, quamuis in fine, non violes præceptum meum, nec incurras censuram; benè tamen si vltra illos distuleris solutionem.* Præceptum ergo 115 Iudicis, cui annexa est latio censuræ, etiam perfecerat post terminum ab ipso præfixum, & etiam post terminum à parte prorogatum; ac proinde ex vi illius, absq; nouo consensu ipsius Iudicis, incurritur censura; non quia pars differat præceptum & lationem censuræ, sed quia differt seu suspendit obligationem in actu secundo naturalem, v.g. soluendi, & consequenter etiam præcepti Iudicis non directè & potestatiuè, sed indirectè dilatione dictæ obligationis naturalis, cui Iudex præcipit satisfieri à debitore.

TRACTATVS DE EXCOMMVNICATIONE.

DISPVTATIO I.

De natura, institutione, & diuisione Excommunicationis in communi.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Excommunicatio in communi.

1 ET à nomine ipso exordium sumendo, excommunicatio perinde dicitur, atque *à communione separatio*: excommunicatus enim dicitur, qui est extra communionem factus.

Ad rem ergo accedendo, excommunicatio in communi, prout comprehendit maiorem & minorem, *est censura, qua quis ab Ecclesiastica communione fidelium separatur.*

Est autem excommunicatio censura, vt constat ex cap. *Quærenti.* 20. de Verborum significatione, quia est pœna medicinalis bono spirituali priuans, & continetur sub censura tamquam sub genere, in quo conuenit cum suspensione & interdicto, vt constat ex dicto cap. & ab eis differt per particulam *à communione*, quia suspensio & interdictum formaliter & præcisè non priuant societate cum aliquo, neque communione in aliquo dono cum aliis; quia suspensio tantùm priuat ministerio Ecclesiastico vt sic, vt scilicet est ministerium, seu vsus & exercitium potestatis Clericalis; & interdictum tantùm priuat diuinis officiis, & rebus vt sic, quatenus scilicet possunt participari seu haberi. In dicta definitione additur *Ecclesiastica*, vt denotetur, excommunicationem tantùm esse priuationem communionis quæ Ecclesiæ dispositioni subest, qualis est in conuictu communi, & in Sacramentis, & in suffragiis communibus, & non communionis quâ iusti communicant & sociantur in gratia & charitate, quæ non subest dispositioni Ecclesiæ, sed tantùm Deo & consensui iusti, neque communionis qua communicant in quodam fructu bonorum operum, qui ad alios iustos redundat ad impetrandum pro eis auxilia gratiæ, quia neque ista communio subest dispositioni Ecclesiæ, sicut neque societas in gratia & charitate ex qua oritur.

2 Quia ergo excommunicatio essentialiter & formaliter consistit in priuatione communionis fidelium, ideò non tam priuatio communionis fidelium, quàm ipsum priuare hominem communione, aut potiùs hominem esse priuatum, dicitur effectus (nempe formalis) excommunicationis, sicut hominem esse visu priuatum, est effectus formalis cæcitatis, & sicut corpus esse album, est effectus formalis albedinis: quòd si excommunicatio sumatur, vt solet, pro sententia aut iudicio, quo imponitur dicta priuatio, tunc hæc priuatio in rigore est effectus excommunicationis; quia est effectus dictæ sententiæ, aut iudicij tamquam efficientis, non physicè, sed moraliter.

DIFFICVLTAS II.

A quo Excommunicatio fuerit instituta.

QVamuis non desint, qui existiment, excommunicationem institutam fuisse à Christo, illis verbis Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, Suarez tamen disput. 2. sect. 1. Filliucius Tract. 11. cap. 2. quæst. 1. & communiter Doctores docent, excommunicationem non fuisse à Christo Domino institutam & ordinatam, sed tantùm ab Ecclesia, & merito. Quia si aliquibus verbis Christus eam instituisset, maximè prædictis Matth. 18. eis autem illam non instituit; quia si eis eam instituisset, vnum ex duobus significasset, nempe vel quòd persona, significata Pronomine *tibi*, excommunicet inobedientem Ecclesiæ, quod non significat, tum quia verba id non sonant, sed tantùm quòd caute tractetur cum inobediente Ecclesiæ, sicut caute tractatur cum ethnicis & publicanis; tum etiam quia persona Pronomine *tibi* significata non est Iudex qui posset excommunicare, sed confrater (qui non potest) vt patet ex illis antecedentibus verbis, *Dic Ecclesiæ* (id est Iudici) *quòd si Ecclesiam* (id est Iudicem) *non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*: vel significasset, quòd viter inobedientem Ecclesiæ, quasi eo ipso excommunicatum Iure ipsius Christi, quod non significat; alias Christus iure excommunicasset omnes futuros inobedientes Ecclesiæ, quod est absurdum. Prædictis ergo verbis Christus nihil specialiter præscripsit seu instituit, sed tantùm generaliter monuit, quòd inobedientes & rebelles Ecclesiæ caute tractentur, sicut ethnici & publicani; quo Ecclesia admonita excommunicationem instituit & præscripsit, & etiam suspensionem & interdictum.

3 Excommunicatio autem, vt nunc est in Ecclesia, instituta est à Summis Pontificibus; quia vt est instituta, est ritus quidam generalis & communis totii Ecclesiæ, qui tantùm potest institui ab eis qui totii Ecclesiæ præsunt, & eam gubernant: & idem ob eamdem rationem est de suspensione & interdicto.

D Ifr

DIFFICVLTAS III.

Quotuplex sit Excommunicatio.

6 OMittimus diuisionem excommunicationis in varias excommunicationes pro varietate culparum ob quas feruntur, vt in excommunicationem latam ob hæresim, & in excommunicationem latam ob percussionem Clerici, &c. quæ in cap. 1. de Exceptionibus, in 6. dicuntur species excommunicationis, non quia distinguantur specie seu essentialiter, quia non distinguuntur, imò neque accidentaliter; sed quia culpæ, ob quas feruntur, distinguuntur specie: & eam omittimus, quia non tam est diuisio excommunicationis in excommunicationes, quàm in culpas ob quas excommunicatio fertur. Omittimus quoque pro nunc varias diuisiones excommunicationis desumptas ex varietate modorum quibus feruntur; primam, qua diuiditur in excommunicationem à Iure, & in excommunicationem ab homine; secundam, qua diuiditur in excommunicationem generaliter latam, & in excommunicationem specialiter; & tertiam, qua diuiditur in excommunicationem latam, & in excommunicationem ferendam; & eas omittimus pro nunc, quia potiùs sunt diuisiones excommunicationis in varios modos ferendi excommunicationem, quàm in excommunicationes: de eis tamen diximus Tractatu de Censuris in communi, Diffic. v.

7 Propriè ergo & principaliter diuiditur excommunicatio in maiorem & minorem. Diuisio hæc ab omnibus recipitur, & exprimitur in cap. pænult. de Sententia excommunicationis, in quo vtraque excommunicatio definita videtur, dum dicitur, quòd excommunicatio minor separat à perceptione Sacramentorum, & maior à communione fidelium, id est ab omni; quia locutio hæc, quamuis indefinita, cùm doctrinalis sit, æquiualet vniuersali. Vnde anathema (quod, prout est in vsu Ecclesiæ, est quædam maxima excommunicatio) non distinguitur essentialiter ab excommunicatione maiori, vt deducitur ex can. *Debent.* 11. quæst. 3. & ex can. *Certum.* 24 q. 3. & ex Tridenti- *Trident.*
no sess. 24. cap. 9. de Reformatione; quia excommunicatio maior priuat omni Ecclesiastica communione qua anathema priuare potest. Imò non distinguitur ab illa accidentaliter, in eo videlicet, quòd quando anathema fertur ab homine, feratur adhibitis cærimoniis illis, de quibus in dicto can. *Debent*, & non excommunicatio maior, 8
vt contra nonnullos aduertit Sayrus lib. 1. cap. 3. *Sayrus.*
quia ex Iure nulla distinctio deduci potest, quia eædem cærimoniæ, quæ in dicto can. *Debent* instituuntur pro pronuntiatione anathematis, etiam instituuntur pro excommunicatione maiori, vt ex ipso textu constat; ac proinde voce *anathema* non aggrauatur pœna ipsa, exaggeratur tamen; & ideò sub ea voce ferri solet ob grauissimam culpam, sicut etiam quando supra anathema adduntur illæ particulæ Syriacæ *maran atha* (vt addit Paulus 1. ad Corinth. 16.) non aggrauatur anathema, sed exaggeratur; quia his particulis, significantibus *Dominus venit*, significatur, quòd sit excommunicatus vsque ad aduentum Domini, subintellige, si non emendetur.

Addimus, quoties excommunicatio ab homine 9
absolutè fertur non addendo *maior*, neque *minor*,
intelligitur maior, vt declarauit Gregorius IX. in *Gregorius*
dicto cap. pænult. de Sententia excommunicatio- IX.
nis (& idem est, vt Doctores conueniunt, quando excommunicatio à Iure absolutè fertur, dum aliud ex adiunctis non constet) & meritò: quia excommunicatio maior est simpliciter & absolutè excommunicatio, quia est totum includens non solùm priuationem susceptionis Sacramentorum, in qua excommunicatio minor consistit, sed etiam priuationem aliorum.

DISPVTATIO II.

De effectibus quasi in communi Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I.

Quibus generatim priuet Excommunicatio maior.

1 CONVENIVNT Doctores, excommunicationem maiorem generatim priuare omni communicatione fidelium (id est, baptizatorum) non solùm communione, quæ est commercium vnius cum alio, in omnibus, quæ his quinque vocibus sequenti versu contentis significantur,

Os, orare, vale, communio, mensa negatur;

sed etiam communione, quæ est participatio seu communicatio in aliquo communi aliis & ipsi excommunicato, quia excommunicatio maior generaliter priuat omni communione cum baptizatis, vt deducitur ex cap. pænult. de Sententia excommunicationis, & ex aliis Iuribus, & ex communi sensu Ecclesiæ, quod constabit ex sequentibus Disputationibus, in quibus seorsim agemus de particularibus & proximis effectibus excommunicationis maioris.

Obseruandum est, excommunicationem maio- 2
rem ita priuare excommunicatum dicta communione vno & altero modo sumptâ, vt non solùm ipsi excommunicato sit prohibitum aliis baptizatis communicare, sed etiam aliis sit prohibitum communicare illi. Vnde excommunicatus, in pœnam ipsius, non solùm debet alios quoad communicationem vitare, sed etiam quoad illam est vitandus ab aliis. Excommunicatio ergo priuat mutua communicatione excommunicati, videlicet cum fidelibus, & econtrà fidelium cum ipso.

DIFFICVLTAS II.

Quo Iure Excommunicatio maior priuet dicta mutua communicatione.

QVi sentiunt, excommunicationem maiorem 3
institutam esse à Christo, consequenter affirmare tenentur, dictam mutuam communicationem prohibitam esse Iure diuino positiuo; quia, vt

dicebamus Disput. 1. Diffic. 1. ipsa excommunicatio est priuatio & prohibitio illius. Quod Couarr. Vasquez
Couarruias in cap. *Alma mater.* 1. par. §. 1. & Vasquez dub. 7. & alij, qui non satis explicant, an excommunicatio maior sit instituta à Christo, limitant ad communicationem in diuinis; quia ea videtur à Christo prohibita dictis verbis, *Sit tibi sicut ethnicus & publicanus*, in his videlicet, quæ sunt propria Christianorum, qualia sunt diuina.

Suarez. Auila. Aegidius.
Suarez verò disp. 2. sect. 1. Auila 2. p. cap. 3. disput. 1. dub. 6. Ægidius disp. 14. dub. 2. & plures alij docent, dictam communicationem etiam in diuinis esse prohibitam Iure tantùm humano Ecclesiastico, & meritò: quia excommunicatio maior instituta tantùm est ab Ecclesia, & non à Christo (quâuis excitata à Christo dictis verbis Matth. 18.) vt diximus Disput. 1. Diffic. 11. ergo omnis dicta communicatio prohibita est tantùm Iure humano; quia excommunicatio maior nihil aliud est

4 formaliter, quàm priuatio omnis dictæ communicationis, seu separatio ab omni dicta communicatione cum fidelibus. Quod non inefficaciter probatur ex eo, quòd Ecclesia in Extrauag. *Ad euitanda scandala*, quam refert Antoninus 3. p. titul. 25. Antonin.
cap. 3. indulget & concedit fidelibus omnem communicationem, etiam in Sacramentis, & in aliis diuinis, cum excommunicato non denuntiato, neq; notoriè excommunicato ob percussionem Clerici; quia non posset, si tota aut aliqua Iure diuino esset prohibita.

Prædictis autem verbis Matth. 18. Christus nihil instituit, nec præcepit, etiamsi consuluerit fugere à commercio inobedientium Ecclesiæ, sicut etiam illis verbis Pauli ad Tit. 3. *Hæreticum post vnam & alteram correptionem deuita*, non continetur excommunicatio maior, instituta à Christo contra hæreticos, nec ab illo lata, neque ab ipso Apostolo, sed tantùm consilium Apostoli, fugiendi commercium cum hæretico, aut excommunicandi illum, quia dicta verba Christi & Apostoli non plus sonant quàm consilium.

5 Dicta autem mutua communicatio prohibita est tam excommunicato cum baptizatis, quàm aliis baptizatis cum excommunicato, intuitu virtutis religionis, quia facta est in odium excommunicati, tamquam indigni conuictu & communicatione baptizatorum, qui sunt membra Ecclesiæ; ac proinde communicatio excommunicati cum baptizatis, & baptizatorum cum illo, etiam in ciuilibus est peccatum sacrilegij seu irreligiositatis.

DIFFICVLTAS III.

Qui excommunicati sint necessariò vitandi.

SVpponimus, quòd olim Iure antiquo omnes excommunicati maiori excommunicatione vitabantur, seu non tolerabantur, publici etiam publicè, & occulti occultè tantùm, vt constat ex c. *Cum non ab homine.* 14. de Sententia excomm.

6 Iam tamen Iure nouiori Extrauagantis *Ad euitanda scandala*, editæ vel à Concilio Constantiensi, Martin. V.
vel à Martino V. viua voce traditæ, & consuetudine receptæ, tantùm tenemur vitare duo genera excommunicatorum, nempe eos qui expressè & specialiter, id est nominatim, denuntiati sunt; & eos qui notoriè inciderunt in sententiam excommunicationis latam pro sacrilega manuum iniectione in Clericum, quamuis denuntiati non sint; non obstante constitutione Concilij Basilienſis, & Concilij Lateranensis sub Leo X. sess. 11. vbi decernitur, vitati non solùm eos qui denuntiati sunt, sed etiam quoscumque notoriè excommunicatos ex quacumque causa; non quia eorum Constitutio non fuerit legitima, sed quia vniuersali consuetudine Ecclesiæ abrogata est, & suprà dicta, vtpote licentiosa, generali applausu recepta.

Circa priores excommunicatos, qui vitandi sunt & non tolerandi, certum est, nullum esse necessariò vitandum, quamuis certò constet incurrisse excommunicationem à Iure vel ab homine, siue specialiter siue generaliter latam, si non sit nominatim declaratus excommunicatus, vt constat ex ipsa Extrauaganti: imò vt contra Adrianum & Petrum Sotum docent Suarez disp. 6. sect. 2. & Vasquez de Excommunic. dub. 2. nullus, quamuis expresse & nominatim declaratus excommunicatus, est necessariò vitandus, nisi sit denuntiatus seu publicatus vt excommunicatus, vel in templo, vel affigendo literas in publico loco, vel alio iuridico modo pro consuetudine regionis; quia consuetudo, quæ est optima legum interpres, sic declarauit dictam Extrauagantem, & satis conformiter suæ dictæ concessionis, qui fuit, subuenire conscientiis timoratis. Vnde ille cui data est censura excommunicationis in scripto contra aliquem vt eam denuntiet seu publicet, non tenetur illum vitare ante factam denuntiationem.

Addimus, vt contra Suarez & Couarruiam aduertit Nauarrus de Oratione, notabili 21. nu. 6. & 10. non sufficere ad vitandum excommunicatum, quòd contra eum sit lata & denuntiata sententia declaratoria criminis, cui est annexa excommunicatio, vt criminis hæresis; quia iste non est declaratus neque denuntiatus excommunicatus, sed tantùm hæreticus, & in Extrauagante requiritur, quòd excommunicatio sit expressè & specialiter denuntiata.

Addit Suarez quòd, vt teneamur vitare excommunicatum iam denuntiatum, non sufficiat dubium, adhuc prudens, dictæ denuntiationis, sed quòd requiratur notitia illius moraliter certa, & meritò, vt ex intentione dictæ Extrauagantis conici potest.

Quod autem dictum est circa hos priores excommunicatos, nempe non esse necessariò vitandos quousque denuntiati sint, etiam est verum de suspensis & de interdictis, non solùm personis, sed etiam locis, vt ex ipsa Extrauagante constat.

Circa posteriores excommunicatos, nempe notoriè ob percussionem Clerici, qui sunt vitandi, quamuis non sint denuntiati nominatim, certum est, vt ex dicta Extrauagante constat, eos non esse necessariò vitandos, nisi ita notoriè constet eos in excommunicationem canonis *Si quis suadente diabolo*, incidisse, vt factum seu percussio non possit vlla tergiuersatione celari, aut suffragio aliquo excusari, & non sufficiat publica infamia, neque confessio extraiudicialis percutientis, imò neque iudicialis, neque sententia Iudicis adhuc Ecclesiastici. Ad id ergo duo requiruntur, nempe & quòd percussio Clerici sit notoria notorietate seu euidentiâ facti, & quòd ea percussio non possit apparenti aliqua ratione excusari à percussione Clerici ex se sufficiente ad incursum excommunicationis ei annexæ; quia si apparenter inuincio aliquo possit percussor se excusare, dicendo se

se non sciuisse, aut non aduertisse percussum esse Clericum, aut illum percussisse in defensionem, aut alio modo quo percussio non censeatur mortaliter sacrilega (qualis requiritur ad incursum dictæ excommunicationis) non est necessariò vitandus. Sed vt percussio sit prædicto modo absolutè notoria, requiritur quòd fiat coram multis testibus, in quorum numero non conueniunt Doctores: eorum tamen variis opinionibus omissis, id censemus absolutè notorium; quod fit coram maiori parte viciniæ, aut Collegij, in quo aut in qua ad minus habitant decem; si tamen vicinia, aut Collegium sit plurimorum, non requiritur, quòd fiat coram maiori parte, sed coram aliquibus (sicut quando fit in oppido) ad arbitrium viri prudentis, attenta qualitate testium, tempore & loco; quia si fiat coram grauibus personis, & in foro, & diu, sufficiet quòd fiat coram paucioribus, quàm si fiat coram non grauibus, & in alio loco non tam publico, & noctu. Vnde, vt contra Suarez optimè Auila 2.part.cap.6.disp.2.dub.4.non sufficit, quòd coram me solo quis percutiat Clericum, vt illum tenear vitare; quia quamuis id sit mihi notorium, non tamen notorium simpliciter & absolutè, vt requiritur in Extrauagante, quia id requiritur absque vlla restrictione. 10 *Auila.*

Addimus, quòd vt teneamur vitare dictum percussorem, non sufficit dubium, quamuis prudens, dictæ notorietatis, sed requiritur notitia moraliter certa, vt ex intentione Extrauagantis coniici potest.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm possit communicari cum excommunicatis non necessariò vitandis, ac si non essent excommunicati.

11 SVpponimus Primò, in quo Doctores conueniunt, ipsi excommunicato non necessariò vitando (qui dicitur toleratus) illicitum esse ex se ipso incipere, & se ingerere ad communicandum cum aliis, quia in Extrauagante *Ad euitanda scandala*, non est ipsi directè ablata prohibitio communicationis; quia, vt ex textu patet, nullus intenditur fieri fauor ipsis excommunicatis.

Supponimus Secundò, in quo etiam Doctores conueniunt, aliis fidelibus non esse illicitum, seu peccatum contra Ius Ecclesiasticum, seu contra prohibitionem Ecclesiæ, communicare cum excommunicato tolerato, adhuc in administratione & receptione Sacramentorum; vt patet ex Extrauagante ipsa, quia in ea dicitur: *Indulgemus, vt nemo deinceps a communione alicuius in Sacramentorum administratione, aut receptione, aut in aliis quibuscumque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscumq; censuræ à Iure vel ab homine generaliter promulgatæ abstinere teneatur, nisi censura fuerit à Iudice publicata, & denuntiata specialiter & expressè*, &c.

12 Communicatio ergo cum excommunicato tolerato in quibuscumque diuinis, & extra, non est contra prohibitionem Ecclesiasticam censuræ, cùm Ecclesia omnem communicationem indulgeat, & concedat. Ex quo fit, ob communicationem fidelium cum excommunicato tolerato, quamuis aliunde sit illicita, nullam adhuc incurri excommunicationem; quia hæc tantùm incurritur ob transgressionem præcepti Ecclesiastici.

His ergo suppositis, existimamus, fideles posse licitè absque vlla prohibitione, adhuc diuina & naturali, communicare cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus, non solùm in humanis, etiam eum prouocando, in quo Doctores conuenire videntur, sed etiam in Sacramentis, & in quibuscumque aliis diuinis, vt contra nō paucos docet Ledesma 1.p. 4. q. 5.ar.6.dub.13. & supponit Filliucius Tract.13.cap.3.& 4. & probabile iudicat Auila 2.par.cap.6.disp.8.dub.1.& 2. quia Ecclesia in supradicta Extrauagante id concessit, & indulsit fidelibus, dum dixit, *Nemo prætextu censuræ abstinere teneatur*, &c. Quia si, supposita excommunicatione, fideles indirectè, ne cooperentur cum excommunicato, aut ne illum inducant ad communicationem actiuam vel passiuam, tenerentur abstinere, non diceretur in Extrauagante ita simpliciter & absque vlla restrictione, neminem teneri abstinere à communicatione 13 prætextu censuræ, id est, quamuis ille, cum quo communicat, sit censurâ innodatus. Et confirmatur, quia si fideles non possent omnino liberè absque peccato aliquo cum excommunicato tolerato communicare, ac si non esset excommunicatus, non satis consultum fuisset scrupulis conscientiarum timoratarum, vt ibi consuli intenditur. *Ledesma.* *Filliucius.* *Auila.*

Quòd autem Ecclesia id potuerit concedere etiam quoad communicationem in Sacramentis, & in aliis diuinis, constat Primò, quia id fecit, quod non faceret, si non posset. Secundò, quia excommunicatio semel incursa, vtpote quoad suam totam essentiam à Republica ab Ecclesia, ab ea dependet quoad ipsius perseuerantiam, & quoad ipsius suspensionem, & quoad omne id quod Ecclesia disposuerit: potuit ergo ab Ecclesia suspendi quoad omnem priuationem communicationis cum excommunicato tolerato, ac si non esset excommunicatus etiam quoad priuationem communicationis ipsius cum fidelibus, quantum sit ipsis necessarium, vt absque peccato cooperationis possint 14 communicare cum illo, & acquiescere communicationi ipsius cum ipsis, ac si non esset excommunicatus; quia quamuis ipsi excommunicato directè, & ratione ipsius, non sit ablata seu suspensa prohibitio communicationis cum fidelibus, vt significatur illis verbis Extrauagantis, *Per hoc tamen non intendimus excommunicatos in aliquo releuare*, indirectè tamen, & in fauorem fidelium, conceditur ipsi excommunicato, quòd possit licitè communicare cum fidelibus, quantum fuerit necessarium, vt ipsi possint omnino liberè & absque aliquo scrupulo peccati cooperationis, & incursionis excommunicationis, sicut ante excommunicationem, tractare cum excommunicato, etiam eum prouocando, seu inducendo.

Ex quo fit, ipsi excommunicato tolerato esse illicitum, quando non prouocatur à fidelibus, ex se ipso incipere, & se ingerere ad communicationem, & eam ex se ipso continuare, quamuis fideles acquiescant, & satisfaciant communicationi illius; quia vt fideles ei licitè acquiescant, non est necessarium quòd excommunicatus ipse id possit licitè facere; quia acquiescere communicationi excommunicati non est ei cooperari, neque ex eo excommunicatus passiuè scandalizatur. Est quo- 15 que illicitum excommunicato tolerato, acquiescere communicationi fidelium adhuc eum prouocantium ad illam, quando ipse, antequam sit

necessarium acquiescere, habet in sua potestate absolui ab excommunicatione, & non absoluitur; quia etiam tunc, vt communicatio fidelium cum illo, & prouocatio sit fidelibus licita, non est necessarium, quòd excommunicatus licitè acquiescat; quia tunc prouocatur ad id quod ipse potest licitè facere, si velit absolui, si alias communicatio cum ipso sit fidelibus magis vtilis, quàm communicatio cum alio; quia tunc ratione dictæ maioris vtilitatis possunt communicare cum illo, quamuis ipse illicitè acquiescat; quia tunc tantùm est scandalum passiuum, cùm prouocetur ad id quod ipse potest licitè efficere, & regulariter est scandalum passiuum ex malitia (& non ex infirmitate, neque ex ignorantia) ad quod vitandum non est necessarium omittere vtile adhuc temporale, quod euenit fidelibus communicando cum illo potiùs quàm cum alio.

Ex quo deducitur, excommunicatum tolerat- 4
tum, qui non prouocatus à fidelibus celebrat Sacrum, vt illud fideles audiant, fieri irregularem; imò etiam quando prouocatur, si potuit post prouocationem absolui, quia tunc illicitè celebrat, non solùm contra prohibitionem celebrandi ante confessionem peccati mortalis, ob quod incurrit illam excommunicationem, sed etiam contra prohibitionem excommunicationis, ob quod incurritur irregularitas.

DISPVTATIO III.

De primo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Excommunicatio maior priuet suffragiis communibus Ecclesiæ, & ab eis excludat.

1 SVPPONIMVS, suffragia Ecclesiæ (quæ sunt quædam subsidia spiritualia, quibus quædam Ecclesiæ membra aliis subueniunt) esse in duplici differentia: quædam communia, quæ fiunt auctoritate publica, vt Sacrificium, & oratio nomine Ecclesiæ, & indulgentia; quædam verò priuata seu particularia, quæ fiunt non auctoritate publica, sed priuata, vt ieiunia, & orationes priuatæ.

Hoc ergo supposito, conueniunt Doctores, excommunicationem maiorem priuare communibus Ecclesiæ suffragiis. Ratio à priori huius, est ordinatio & institutio Ecclesiæ, quæ ita instituit, vt constat ex vsu ipsius, & deducitur ex variis Iuribus, præsertim ex cap. *A nobis.* 28. & ex c. *Sacris.* 38. de Sententia excommunic. & ex Causa 11. quæst. 3. & ex eo excommunicatus dicitur traditus 2
satanæ, quia est priuatus suffragiis, quibus fortè iuuaretur, vel vt exiret à seruitute satanæ, vel si ante absolutionem exiuit, fortè iuuaretur vt non iterùm succumberet: quod non incongruè facit Ecclesia, quamuis pia mater, vel in bonum ipsius excommunicati, vt vexatio det ei intellectum, vel in commune bonum aliorum, vt terrore in officio contineantur.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm licitum sit communia suffragia pro excommunicatis offerre.

3 COnueniunt Doctores, non esse licitum suffragia communia offerre pro excommunicatis in particulari, imò nec pro excommunicatis quasi in communi, tamquam pro non separatis à communione fidelium, ad impetrandum eis quæcumq; bona, sicut reliquis membris Ecclesiæ non excommunicatis, quia excommunicatio maior priuat excommunicatos in particulari communibus suffragiis, & ad minus etiam priuat excommunicatos quasi in communi suffragiis communibus factis modo supradicto. Priuatio autem suffragiorum communium ad minus est prohibitio, vel ex illa redundat prohibitio in alios offerendi illa pro excommunicatis.

Est tamen difficultas, An sit licitum offerre suffragia communia pro excommunicatis, quasi in communi, tamquam pro exteris ad impetrandum eis reductionem ad obedientiam.

Siluester v. *Excommunicatio.* 1. nu. 2. & Couar- Silu.
ruuias in cap. *Alma mater.* 1. p. §. 6. n. 3. partem af- Cou.
firmatiuam tuentur; quia dictos excommunicatos quasi in communi Ecclesia tantùm videtur excludere à suffragiis omnibus communibus offerendis pro eis tamquam pro propriis, & non tamquam pro exteris, & ita Feria sexta Parasceues orat pro hæreticis, & pro schismaticis (qui excommunicati sunt) oratione ad eos in communi ordinata, & ad reductionem eorum ad obedientiam.

Vasquez verò dub. 2. & Auila 2 p. cap. 6. disp. 9. Vas.
dub. 3. partem negatiuam tradunt, & merito: quia Aui.
Ecclesia simpliciter & absolutè, & absque vlla restrictione priuat excommunicatos suffragiis communibus ad eos directis, & ideò numquam pro excommunicatis, adhuc in communi, sub nomine excommunicatorum publicè orat, quamuis Feria illa sexta, quia in ea Christus pro omnibus mortuus est, oret publicè pro hæreticis & schismaticis (quamuis excommunicati sint) auferendo pro ea vice exclusionem ab ea oratione: quo Ecclesia tacitè prohibet ne extra eam vicem pro hæreticis & schismaticis, quamuis excommunicatis tolerans, publicè oretur, & ne aliquando pro eis alia communia suffragia offerantur, & tacitè significat esse priuatos illis. Imò, vt contra Sotum 9. de Iustitia Sot.
q. 2. ar. 2. ad 3. docent Auila, & communiter Doc- Aui.
tores, quia Ecclesia eodem modo procedit quoad suffragia communia cum non baptizatis, quam excommunicati nõ sint, ac cum hæreticis & schismaticis, pro illis in die tantùm Veneris sancti publicè orando, tacitè extra eam vicem excludit non baptizatos à publica oratione, & semper ab aliis suffragiis communibus, nolendo quòd suo nomine pro eis oretur, & quòd pro eis alia suffragia communia offerantur, & prohibendo suis ministris id facere; non quia dicta exclusione illos puniat, quia non potest, cùm nondum sit eis superior (sicut hæreticis

reticis est & schismaticis ratione Baptismi;) sed quia tamquam administratrix suffragiorum communium id non vult, & prohibet potestate non ordinaria & generali superioris humani, quia hac non potest impedire & prohibere intentionem interiorem, qua oratio publica potest sufficienter dirigi, & Sacrificium, & indulgentia applicari pro aliquo, sed potestate speciali & extraordinaria, simili ei qua dispensat in voto etiam purè interiori, & qua quotannis obligat ad confessionem mortalium purè interiorum, quamuis non sint alia peccata exteriora.

6 Vnde non solùm non erit licitum Missas directè offerre pro reductione hæreticorum & schismaticorum, sed nec pro conuersione non baptizatorum, benè tamè pro dilatatione Ecclesiæ; quamuis dilatandâ sit eorum reductione & conuersione, quia tunc directè tantùm offeruntur pro Ecclesia, etiamsi indirectè redundet in bonum illorum. Quando ergo ordinatur Missas offerri pro reductione hæreticorum & schismaticorum, & pro conuersione non baptizatorum, sensus talis ordinationis est, vel quòd directè offerantur pro dilatatione Ecclesiæ, vel pro ministris ei muneri incumbentibus, vt illud dignè & fructuosè exsequantur.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm suffragia communia pro excommunicatis oblata eis prosint.

7 CIrca hanc difficultatem dicendum existimamus, quòd quamuis sit illicitum (imò & mortaliter, ob grauitatem materiæ) Sacrificium Missæ pro excommunicatis offerre; nihilominùs, si de facto pro eis offeratur, eis proderit quoad totum valorem ipsi ex opere operato seu ex Christi institutione conuenientem; quia totus ille intentioni solius ministri commissus est, & ab eo solo dependet. Imò etiam proderit quoad valorem priuatum, quem ex opere operantis actio illa verbalis Sacerdotis habeat, si aliqua via excusetur à malitia, & fiat bona, vt verè potest, quia etiam iste valor pendet ex intentione solius ministri. Sed non proderit quoad valorem ex opere operantis, quem actio illa habet ex Ecclesia seu ex fidelibus, si aliquem habet; quia Sacrificium illud non offertur pro excommunicatis nomine Ecclesiæ, quamuis Sacerdos id intendat, quia Ecclesia non vult: quia
8 quamuis Sacerdos ratione characteris sit minister à Christo datus Ecclesiæ, vt nomine ipsius Ecclesiæ oret & offerat, non tamen id efficit, nec potest Sacerdos quando Ecclesia non vult.

Et ob eamdem rationem non proderit excommunicatis oratio nomine Ecclesiæ facta à Sacerdote quoad valorem Ecclesiæ correspondentem, si aliquis ei correspondet, etiam si Sacerdos intendat etiam pro eis orare nomine Ecclesiæ: neque valebit indulgentia pro eis, siue viuis siue iam defunctis applicata; quia quòd indulgentia valeat, dependet ex intentione superiorum Ecclesiæ qui nolunt eis prodesse.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm pro excommunicatis toleratis possint offerri suffragia communia.

SVarez disp. 9. sect. 2. Vasquez dub. 2. & Auila 2. part. cap. 6. disp. 9. dub. 6. docent, non posse, sicut nec pro non toleratis; quia excommunicati tolerati in Extrauag. *Ad euitanda scandala*, tantùm tolerantur quoad communicationem cum illis, non quoad alia, vt constat ex illis verbis: *Nemo à communione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis, vel extra abstinere teneatur, vel aliquem vitare.* Sed orare publicè pro illis, & pro eis Sacrificium offerre, & eis indulgentias lucrari, non est communicare cum illis; aliàs sic orans, aut sacrificans, aut indulgentias lucrans, incurreret excommunicationem minorem: ergo quoad hæc suffragia non sunt tolerandi; quia id non est communicare cum illis, & quamuis esset, alio titulo sunt vitandi, seu non tolerandi quoad id; quia scilicet id cedit directè in fauorem illorum, & non tantùm indirectè & per redundantiam, & in dicta Extrauagante non intenditur eis fauere. 9 *Suarez. Vasquez. Auila.*

Nauarrus verò cap. 27. num. 365. Henriquez lib. 13. c. 11. & Ægidius disp. 14. dub. 6. docent, posse pro eis offerri, & meritò: quia in dicta Extrauagante fidelibus conceditur, vt non teneantur abstinere à communione dictorum excommunicatorum: hæc autem communio absque fundamento limitatur ad communicationem cum ipsis per modum commercij, aut conuictus, quia communio in Extrauagante generaliter ponitur, & hoc nomine *communio* significatur generaliter omnis communicatio tam quæ est commercium cum aliquo, quàm communicatio suffragiorum communium alicui facta; quia hæc est communicatio, seu participatio cum illo in dictis suffragiis, cùm sint communia; quia generali ratione sumitur communio in cap. pænultimo de Sententia excommunicationis, dum definitur excommunicatio maior, quòd sit *à communione fidelium separatio.* Si ergo in hoc cap. nomine *communio* etiam significatur communicatio in cõmunibus suffragiis, quamuis coniungatur nomini separationis, quæ est odiosa, non est mirum quòd in Extrauagante id etiã significetur, vbi coniungitur verbo *non abstinendi*, quod est fauorabile. In cap. quoq; *A nobis.* 18. de Sententia excommunicationis, significatur, orationes publicas pro aliquo offerre, esse ei communicare, vel cum eo communicare. Accedit, quòd non solùm in communicatione cum excommunicatis per modum commercij, possunt esse scrupuli & scandala, quæ in Extrauagante intenduntur euitari, sed etiam in communicatione cum illis per modum suffragij communis: quia sicut se potest offerre scrupulus, an Petrus v.g. sit excommunicatus, & consequenter an teneat abstinere à commercio cum illo; ita etiam an tenear abstinere ab orando publicè pro illo, & à celebrando pro eo, & à sepeliendo eum iam defunctum. Et ideò indulgendo fidelibus, vt non teneantur abstinere ab offerendo suffragia pro dictis excommunicatis, fit fauor fidelibus, & id intenditur fieri in Extrauagante, non verò fauere ipsis excommunicatis, etiamsi suffragia pro eis oblata cedant directè in bonum ex- 10 *Nauarrus. Henriq. Aegidius.* 11

communicatorum. Ita tamen possunt pro eis offerri, vt non solùm id licitè fiat, sed etiam semel pro eis oblata, eis proficiant, etiam quoad valorem pendentem ex intentione Ecclesiæ; quia eo ipso, quòd Ecclesia concedit, & vult quòd eis applicentur indulgentiæ, & pro eis offeratur Sacrificium, & suo nomine oretur pro eis, non vult denegare valorem ab ipsa pendentem, etiamsi moueatur ad dictam concessionem faciendam, vt fideles non agitentur scrupulis, & non ob bonum quod euenit ipsis excommunicatis.

12 Existimamus tamen, suffragia communia, vt Sacrificium, & orationes nomine Ecclesiæ factæ (& suo modo indulgentiæ) quando solùm generaliter & indefinitè fiunt aut offeruntur pro fidelibus, non fieri nec offerri pro prædictis excommunicatis (ac proinde eis non prosunt) nisi quando specialiter (siue expressè siue implicitè) fiunt aut offeruntur pro illis; quia absque dubio minister Ecclesiæ, quando id specialiter non intendit, vult conformari Ecclesiæ excludenti illos à dictis suffragiis, etiamsi indulgeat illi, vt si velit id faciat pro dictis excommunicatis. Quòd si excommunicatus toleratus petat pro se offerri suffragia communia, peccat; quia petitione ipsa communicat per
13 modum commercij cum eo à quo petit, non verò quia petit suffragia; quia alter à quo petit, ea potest pro eo offerre, ac proinde petendo tantùm peccat venialiter, quia ea petitio tantùm est mala, quia est communicatio in locutione.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm suffragia communia possint offerri pro excommunicatis contritis nondum absolutis ab Excommunicatione.

Nauarrus. Couarr. NAuarrus cap. 27. nu. 18. & Couarruuias 1. p. §. 6. n. 8. docent posse; quia credi non potest, Ecclesiam, quæ est pia mater, velle excludere à dictis suffragiis eum qui iam non est contumax, sed sibi per charitatem coniunctus.

14 *Sotus. Aegidius.* Sotus verò in 4. dist. 22. qu. 1. art. 1. & Ægidius disp. 14. nu. 49. docent (& meritò) non posse pro eis offerri. Quod efficaciter deducitur ex cap. *A nobis.* 18. & ex cap. *Sacris.* 38. de Sententia excommunicationis, dum dicitur, pro huiusmodi excommunicatis iam defunctis non esse oblationes recipiendas, nec orationes faciendas ante impensam absolutionem: ergo multò minùs pro illis viuis. Ratio autem est, quia excommunicati, quamuis contriti, ac proinde iusti, verè manent excommunicati, quia excommunicatio non tollitur pœnitentiâ & iustificatione, sed tantùm absolutione: ergo verè sunt excluſi à suffragiis communibus; quia exclusio ab illis est effectus formalis, & principalissimus excommunicationis maioris. Vnde pro dictis excommunicatis quando non sunt tolerati, non est licitum suffragia communia offerre: & quamuis offerantur, non proficiunt eis, quoad valorem ex intentione Ecclesiæ pendentem, iuxta ea quæ diximus Difficult. III.

Quòd autem Ecclesia sit pia mater, non sufficit, vt sine absolutione cesset excommunicatio quoad effectum aliquem, præsertim principalissimum, nec id expedit, vt excommunicatio magis timeatur.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm excommunicati sint priuati orationibus & suffragiis priuatis.

COnueniunt communiter Doctores, excommunicatos non esse priuatos suffragiis & orationibus priuatis, quia nullibi priuantur illis, ac proinde posse licitè & fructuosè pro illis priuatim orari, & alia suffragia priuata offerri.

Est tamen difficultas, An possit pro eis orari in Memento Missæ.

Circa quod sunt qui id negent, existimantes Sacerdotem in Memento, sicut etiam in aliis partibus Missæ, orare nomine Ecclesiæ. Et sunt etiam qui id affirment, existimantes Sacerdotem tunc orare nomine proprio & priuatim, & ad id conferri illi spatium illud.

Nos tamen existimamus quòd possit: quia quamuis in Memento etiam teneatur nomine Ecclesiæ orare, quia Memento est pars publici officij, tamen in eo non prohibetur etiam orare priuatim pro quibus ipse voluerit, ac proinde etiam pro excommunicatis, quamuis non toleratis: nihilominùs etiam tunc sequentibus verbis poterit Memento, nempe, *pro quibus tibi offerimus*, tantùm debent referri, siue explicitè siue in confuso, illi pro quibus in Memento nomine Ecclesiæ orauit.

Addimus, celebrantem posse pro excommunicatis etiam non toleratis offerre actionem ipsam celebrandi, quoad valorem priuatum ipsi celebranti correspondentem, quia verè est priuata, & particularis.

DISPVTATIO IV.

De secundo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Excommunicatio maior priuet participatione Sacramentorum.

1 CONVENIVNT Doctores, excommunicationem maiorem priuare participatione Sacramentorum passiua & actiua, vt constat ex vsu & traditione Ecclesiæ: & deducitur ex cap. *Cùm illorum.* 32. & ex c. *Si quem.* 59. de Sententia excommunicationis, & ex aliis Iuribus.

Excommunicatus ergo non potest licitè suscipere nec administrare Sacramenta, sed peccat; quia hæc priuatio ad minus est prohibitio, qua prohibetur suscipere & etiam administrare Sacramenta: peccat autem mortaliter suscipiendo, quia susceptio cuiuscumque Sacramenti est materia grauis; & etiam administrando, quando administratio est effectio, quia effectio Sacramenti est etiam grauis; non tamen purè administrando, vt quando administrat Eucharistiam anteà factam, ac proinde purè administrando non fiet irregularis, 2 quia irregularitas quæ incurritur ob peccatum seu delictum, non incurritur nisi ob mortale.

Peccatum autem, quod sic excommunicatus committit suscipiendo aut administrando Sacramentum, est sacrilegij, contra reuerentiam Sacramentis debitam, quia priuatur participatione passiua & actiua Sacramentorum tamquam indignus: imò etiam in communicando in aliis rebus aliàs ciuilibus peccat peccato sacrilegij contra religionem, quia tamquam indignus communicatione membrorum Ecclesiæ, priuatur communicatione cum baptizatis.

Excusabitur autem excommunicatus à peccato suscipiendi aut administrandi Sacramentum ignorantia inuincibili, vel probabili, aut inaduertentia naturali, tam facti, id est quòd sit excommunicatus, quàm Iuris, id est quòd excommunicatus sit prohibitus Sacramenta suscipere & administrare: & quando Sacramenta aliàs possunt validè suscipi aut conferri, vt possunt sex, excepta Pœnitentia, etiam excusatur à dicto peccato ob vitandum graue detrimentum, quod ex non suscipiendo aut 3 non administrando immineat ipsi, vel in vita, vel in fama, vel in diuitiis, & ob non scandalizandum actiuè; quod non efficit excommunicatus, vbi excommunicatio sit cognita. Addidimus, quando Sacramenta aliàs possunt validè suscipi aut conferri; quia si non possunt, vt Sacramentum Pœnitentiæ, non excusabitur à peccato, quia illicitum est contra reuerentiam Sacramenti illud inualidè suscipere aut conferre.

Sed quamuis excommunicatus excommunicatione maiori peccet mortaliter suscipiendo Sacramentum, nullam tamen incurrit pœnam, neque pœnalitatem Ecclesiasticam, excepto excommunicato ob percussionem Clerici: quia suscipiens Ordines manet suspensus à susceptis, vt constat ex dicto cap. *Cùm illorum.* de Sententia excommunicationis. Clericus tamen excommunicatus, illicitè mortaliter administrans Sacramenta, fit irregularis, si ad administrandum requiritur Ordo sacer (siue requiratur ratione Sacramenti administrati, siue ratione solemnitatis) vt deducitur ex cap. 1. de Sententia & re iudicata, & ex c. *Is qui.* 18. & ex c. *Is cui.* 20. de Sententia excommunicationis, in 6.

Obseruandum est, excommunicationem maiorem priuare participatione Sacramentorum actiua & passiua, non solùm vt eis regulariter communicamus cum aliis fidelibus per modum commercij, de quo dicemus Disput. 19. sed etiam quatenus sunt quædam bona communia Ecclesiæ, ob quod excommunicatus nequit sibi administrare Eucharistiam, nec eam efficere, quamuis neutrum sit communicare cum alio per modum commercij; neque potest aliquem baptizare, quamuis hoc non sit communicare cum fideli seu baptizato. 4

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm excommunicatus possit licitè administrare Sacramenta in casu necessitatis proximi.

CONueniunt Doctores, extra extremam necessitatem proximi, id est existentis in periculo mortis, non posse excommunicatum licitè administrare Sacramentum aliquod: & in ea, seu in eo periculo, si non sit alius minister, posse administrare Baptisma paruulo, quia tunc strictiùs obligat præceptum naturale subueniendi paruulo in eo periculo, quàm prohibitio humana non administrandi illud: imò etiam posse illud administrare adulto existenti in tali periculo, ob eamdem rationem. 5

Est tamen difficultas Primò, An possit licitè administrare Sacramentum Pœnitentiæ existenti in periculo mortis, quando non est alius minister qui id possit facere.

Medina Cod. de Confessione, & Couarruuias 2. p. §. 6. n. 8. docent, non posse licitè; quia excommunicatus caret iurisdictione, ac proinde non potest validè, & consequenter neque licitè. *Medina. Couarr.*

Suarez verò disp. 11. sect. 1. Auila 2. part. cap. 6. disp. 3. dub. 3. & communiter Doctores docent posse, & meritò: quia id satis significat Tridentinum sess. 14. cap. 7. dum ait, ex pietate Ecclesiæ omnes Sacerdotes posse pro articulo mortis absoluere quoslibet pœnitentes; quia eo signo *omnes*, etiam Sacerdos excommunicatus comprehenditur, imò etiam hæreticus; sicut sub signo *quoslibet*, quando dicitur *quoslibet pœnitentes*, etiam comprehenduntur excommunicati, adhuc non tolerati, imò & hæretici, ac proinde pro eo articulo ex 6 voluntate Ecclesiæ suspenditur excommunicatio quoad priuationem iurisdictionis, & quoad prohibitionem absoluendi. *Suarez. Auila. Trident.*

Secundò est difficultas, An excommunicatus possit licitè existenti in periculo mortis reliqua Sacramenta administrare, quando non est alius minister qui id possit facere.

Circa

Sayrus. Circa hanc difficultatem, quamuis Sayrus lib. 2. cap. 2. & communiter Doctores doceant non posse licitè, nos tamen, vt optimè Suarez & Auila, *Suarez Auila.* existimamus posse ab eo licitè administrari Eucharistiam ei qui non potuit suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, quia tunc strictius videtur præceptum naturale subueniendi proximo collatione Eucharistiæ, quia fortè damnabitur, si eam non recipiat: quia probabile est Eucharistiam conferre attrito primam gratiam iustificantem: & ob eamdem rationem, quando minister est in simili periculo, & non est alius qui ei possit Eucharistiam ministrare, existimamus posse eam sibi ministrare, quando confidit firmiter se esse in statu gratiæ, & ei sit difficile conteri, quia scilicet strictius videtur præceptum naturale charitatis erga Deum non decedendi ex hac vita in inimicitia Dei, quàm prohibitio suscipiendi & administrandi Eucharistiam.

7 Et ob suprà dictam rationem potest (vt docent *Suarez Auila.* Suarez & Auila) licitè conferre Extremam Vnctionem ei, qui neque Sacramentum Pœnitentiæ, neque Eucharistiæ potuit recipere; quia scilicet strictius videtur præceptum naturale subueniendi proximo (quia maximè probabile est, Extremam Vnctionem conferre primam gratiam iustificantem attrito, qui non existimat se esse in statu peccati mortalis) non tamen poterit (quidquid dicat *Suarez.* Suarez) conferre Eucharistiam ei qui fuit legitimè absolutus, quia tunc non vrget præceptum naturale subueniendi proximo, cùm iam sit legitimè absolutus, nec præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, quia istud non obligat, quando alias est legitimum impedimentum conferendi Eucharistiam, qualis est excommunicatio maior.

8 Poterit quoque in eo periculo licitè contrahere matrimonium, non vt legitimet filios concubinæ, sed vt satisfaciat obligationi iustitiæ erga concubinam, si ei est obligatus, quia hæc obligatio iustitiæ strictior est, quàm prohibitio administrandi & suscipiendi Sacramentum.

Tandem Parochum excommunicatum posse validè & licitè assistere matrimonio, & licentiam alteri Sacerdoti conferre ad assistendum pro ipso, diximus Tract. de Matrimonio Disp. v. Dific. viii.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Sacramenta suscepta ab excommunicato Excommunicatione maiori, sint valida.

9 DIfficultas hæc non habet locum in Sacramento Baptismi, quia ante susceptionem Baptismi nullus potest esse excommunicatus; nec habet locum in Sacramento Eucharistiæ, quia istud supponitur factum ante ipsius susceptionem: sed tantùm habet locum in aliis quinque Sacramentis, quæ fiunt quando suscipiuntur & administrantur.

Conueniunt Doctores, Sacramenta Confirmationis, Extremæ Vnctionis, & Ordinis, suscepta ab excommunicato, esse valida, vt supponitur in 10 pluribus Iuribus: imò Ecclesia nequit ea annullare, quia ex Christi institutione necessariò perficiuntur, quando forma applicatur materiæ cum debita intentione ministri. Sacramentum quoque matrimonij ab excommunicato susceptum esse validum, conueniunt Doctores (excepto Martino de Magistris) & deducitur ex c. *Significasti.* 6. de Eo qui duxit, & meritò: quia Ecclesia quamuis potuerit, noluit illud inualidare; quia non potuit illud inualidare, nisi inualidando contractum matrimonij (cui, quando est validus, conuenit ex Christi institutione ratio Sacramenti) quem noluit inualidare, cùm fiat validè inter Ethnicos, quibus comparare vult excommunicatum excommunicatione maiori, & eum non duriùs tractare quàm illos.

Est tamen difficultas, An Sacramentum Pœnitentiæ susceptum ab excommunicato, sit validum, non obstante excommunicatione.

Est autem certum, quòd si suscipiens illud, non excusetur à peccato mortali, quod ex vi excommunicationis: committit suscipiendo illud, sit nullum, quia id ad minus redundat in defectum materiæ essentialis, nempe doloris essentialiter requisiti; quia tunc nequit dolere de susceptione.

Punctum difficultatis est, An præcise ex vi ipsius excommunicationis fiat nullum, quamuis excommunicatus nullum committat peccatum in susceptione illius, quia excusatur ab eo, aut ignorantiâ vel inaduertentiâ facti vel Iuris, aut quia minister obliuione aut malitia absque negligentia excommunicati, absoluit illum priùs à peccato quàm ab excommunicatione.

Suarez disp. 10. sect. 3. & Ægidius disput. 14. dub. 5. docent, ex vi excommunicationis non fieri nullum; quia in Iure non est verbum aliquod irritans Sacramenta suscepta ab excommunicato. Et confirmatur, quia excommunicatus eodem verbo excluditur à participatione passiua omnium Sacramentorum, & tamen reliqua suscipiuntur validè (etiam matrimonium, quod potest ab Ecclesia inualidari) ergo etiam Sacramentum Pœnitentiæ.

Siluester v. *Confessio.* 1. quæst. 3. & Vasquez de Excommunicatione dub. 4. docent, fieri nullum, & meritò: quia Ecclesia priuat seu excludit excommunicatum à participatione positiua Sacramentorum quantum potest; quia vult haberi & tractari tamquam Ethnicum & publicanum: ergo eum excludendo & priuando, non solùm prohibet Sacramenti susceptionem, sed etiam irritat illud quod irritare potest, Ecclesia autem irritare potest Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato susceptum, extrahendo excommunicatum à iurisdictione Confessarij, sic efficiendo illum inabsolubilem à Confessario. Ex quo deducimus, Sacramentum Pœnitentiæ illicitè susci pi ab excommunicato, quamuis suscipiatur ob vitandum grauissimum damnum etiam in vita, quia inualidè suscipitur.

Addimus, Sacramentum Pœnitentiæ validè susci pi ab excommunicato tolerato, etiam quando illud illicitè mortaliter ex obiecto suscipit (si aliàs à tali culpa excusetur ignorantiâ aut inaduertentiâ inuincibili;) quia minister potest illud licitè tolerato conferre, ac proinde validè.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, in Iure reperiri verbum æquiualens irritationi respectu Sacramentorum susceptorum ab excommunicato, quæ irritari possunt intendendo tractare illum sicut Ethnicum & publicanum, quia excommunicatus excommunicatione maiori in Iure remouetur, reiicitur, & separatur à Sacramentis tamquam Ethnicus, & non baptizatus; qui inhabilis

bilis est ad Sacramenta, excepto Baptismo, & quia Ethnicus non est inhabilis ad contractum matrimonij, excommunicatus non fit ab Ecclesia inhabilis ad contractum matrimonij, ac proinde nec ad Sacramentum matrimonij, quia ratio Sacramenti à contractu valido in baptizatis non potest absque sacrilegio separari. 13 Et ad confirmationem concedimus, excommunicatum excommunicatione maiori eodem verbo excludi à participatione passiua omnium Sacramentorum, & quòd susceptio reliquorum non sit irrita: negamus tamen, quòd non sit irrita susceptio Sacramenti Pœnitentiæ, quia eo verbo significatur exclusio possibilis fieri ab Ecclesia, tractando excommunicatum sicut Ethnicum & publicanum, & non magis durè. & hac ratione non potest irritare, nisi pœnitentiam, quia reliqua Sacramenta nullo modò possunt, & Sacramentum matrimonij non potest, nisi durius tractando excommunicatum quàm Ethnicum.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm Sacramenta administrata ab excommunicato, sint nulla.

14 CErtum est, Eucharistiam administratam ab excommunicato, esse validam, quia ante administrationem supponitur validè facta: Baptismum quoque, Confirmationem, Extremam Vnctionem & Ordinem administrata ab excommunicato esse valida, quia ex Christi institutione independenter à voluntate Ecclesiæ necessariò perficiuntur, quando forma applicatur materiæ cum debita intentione; Sacramentum quoque matrimonij (quod ab ipsis contrahentibus administratur) absque dubio est validum, ob rationem dictam Diffic. 111. circa susceptionem illius.

Est tamen difficultas, An Sacramentum Pœnitentiæ administratum ab excommunicato sit validum: & non est difficultas, quando pœnitens absque excusatione à culpa confitetur excommunicato, quia tunc est nullum ex defectu contritionis; sed tantùm est difficultas, An præcisè ex vi ipsius excommunicationis inualidè administretur ab excommunicato.

Circa quam conueniunt Doctores, Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato administratum esse nullum, quia excommunicatus caret iurisdictione ad absoluendum, quia est remotus ab administratione illius sicut Ethnicus; absolutio autem à non habente iurisdictionem, est nulla.

Obseruandum tamen est, quòd si excommunicatio communiter ignoretur, vt si excommunicatus sit in loco distanti ab eo in quo fuit denuntiatus, aut in quo notoriè incurrit excommunicationem ob percussionem Clerici, & aliàs habeat titulum coloratum ad absoluendum, vt si habeat beneficium Parochiale, aut licentiam audiendi confessiones, Sacramentum erit validum, vt docent communiter Doctores, quia tunc Ecclesia pro ea occasione suspendit excommunicationem, quoad priuationem iurisdictionis. 15

Addimus etiam, esse validum, quando confertur ab excommunicato tolerato (etiamsi ab eo illicitè conferatur, vt quando ipse se ingerit;) quia eo ipso, quòd Ecclesia permittit & tolerat illum in fauorem aliorum fidelium, eis indulgens communicationem cum illo in receptione Sacramentorum ab eo, reliquit illi iurisdictionem sufficientem ad illud validè efficiendum.

DISPVTATIO V.

De tertio effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Excommunicatio maior priuet rebus diuinis & sacris.

1 CONVENIVNT Doctores, excommunicationem maiorem priuare diuinis officiis factis nomine Ecclesiæ, & aliis rebus sacris, vt constat ex sensu & traditione Ecclesiæ, & deducitur ex cap. *Nullum.* 2. de Foro competenti, & ex can. *Qui merito.* & ex aliis. 11. quæst. 3. dum excommunicatus dicitur sequestratus & separatus ab Ecclesia; quia id est esse reiectum ab vsu rerum sacrarum, quæ institutæ sunt ab Ecclesia in vsum pium fidelium.

Effectus autem iste distinctus est ab eo, qui est commercium & quasi conuictus cum fidelibus in diuinis, de quo dicemus Disp. 1x. quia excommunicatio non solùm priuat dictis officiis diuinis & rebus sacris ea generali ratione, qua regulariter in eorum vsu est commercium cum aliis, sed etiam specialiter, quatenus sunt bona communia Ecclesiæ in vsum fidelium instituta, quamuis diuerso modo quàm suspensio & interdictum; 2 quia excommunicatio priuat illis, quatenus quis in eis communicat sicut alia membra Ecclesiæ, seu quatenus sunt bona membris Ecclesiæ communia, non verò suspensio & interdictum: excommunicatio enim est priuatio omnis communionis, non solùm illius qua communicatur cum aliis per modum commercij & societatis, sed etiam illius qua participatur eisdem bonis communibus quibus alij, quamuis cum eis non sit commercium.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm illicitum sit excommunicato diuina Officia celebrare, & eis assistere.

COnueniunt Doctores, excommunicato illicitum seu prohibitum esse diuina Officia celebrare vt publica, seu nomine Ecclesiæ, & eis sic factis assistere; quia est præcisus & reiectus ab Ecclesia, quoad minus est prohibitus prædicta celebrare, & eis assistere, & etiam concionari solemniter, & quasi ex officio: non tamen est excommunicato prohibitum concioni interesse, adhuc inclusa communicatione cum concionante 3

nante, & cum aliis audientibus, ex peculiari permissione Ecclesiæ in cap. *Responso.* 43. de Sententia excommunicationis.

Nec est prohibitus priuatim concionari (seclusa communicatione cum audientibus, quæ est his & illi prohibita) quia id vt sic factum non est officium publicum, nec ab eo vt à ministro Ecclesiæ factum: nec est prohibitus Horas canonicas priuatim recitare ob eamdem rationem, & tunc potest absque peccato dicere, *Dominus vobiscum*, vt contra non paucos aduertit Auila 2. p. cap. 6. disput. 4. dub. 6. quia potest illud dicere vt priuata persona; sicut etiam potest dicere, *Venite adoremus.* Et quamuis peccaret dicendo, *Dominus vobiscum*, non peccaret nisi venialiter, quia est materia leuissima; ac proinde nec ob id incurreret irregularitatem, quæ quando ob peccatum incurritur, non nisi ob mortale incurritur. *Auila.*

4 Ex quo fit, excommunicatum, qui aliàs ratione Ordinis sacri aut professionis tenetur Horas canonicas recitare, non excusari ab ea obligatione, cùm possit illas licitè recitare: imò nec excusatur quando tenetur ratione beneficij, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, quamuis ratione excommunicationis priuetur (siue à Iudice siue à Iure) fructibus beneficij; quia obligatio recitandi nascitur ex beneficio seu ex iure ad fructus, quos percipere posset, si per ipsum non staret.

Excusatur tamen ab audiendo Missam, quamuis negligens sit in obtinenda absolutione, vt aduertit Ægidius disp. 14. dub. 7. quia obseruatio præcepti audiendi Missam non est tanti momenti, vt obliget ad tam remotam dispositionem, nempe ad acquirendam capacitatem audiendi Missam; sicut etiam incarceratus ob debita excusatur ab audiendo Missam, quamuis possit soluere, 5 & non soluendo peccet contra iustitiam. Non tamen excusatur excommunicatus à præcepto confessionis & Communionis annuæ, quando facilè potest absolutionem obtinere; quia obseruatio horum præceptorum est magni momenti. *Ægidius.*

Ita tamen excommunicatus est priuatus diuinis Officiis publicis, seu nomine Ecclesiæ factis, quòd non solùm est prohibitus ea efficere, sed etiam quòd, quamuis ea intentet nomine Ecclesiæ efficere, non profint vt sic intentata eis pro quibus ea intentat efficere; quia verè non fiunt nomine Ecclesiæ, cùm ipsa nolit: quod est verum, quamuis excommunicatus sit toleratus, quoties iuxta Extrauagant. *Ad euitanda scandala*, nequit illa licitè efficere; quia tunc Ecclesia non vult fieri ab illo nomine ipsius Ecclesiæ. Excipimus Sacrificium Missæ, quod applicatum ab excommunicato, quamuis non tolerato, prodest ei pro quo offertur quoad totum valorem, quem habet ex Christi institutione; quia totus iste commissus est intentioni celebrantis independenter ab Ecclesia.

Addimus, excommunicato non esse prohibitum legere, adhuc ex officio, Theologiam (seclusa communicatione cum audientibus) quia non est officium diuinum publicum, seu factum à legente vt à ministro Ecclesiæ.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm illicitum sit excommunicato vti rebus sacris.

CONueniunt Doctores, excommunicato illicitum seu prohibitum esse vti rebus sacris, vt institutis ab Ecclesia ad percipiendum aliquem fructum ratione orationis aut applicationis factæ nomine Ecclesiæ, vel ab Ecclesia in institutione dictarum rerum: imò non percipiet fructú earum vt sic, quia ea oratio, aut applicatio, vt pote facta nomine Ecclesiæ, non fit pro excommunicato.

Vnde excommunicatus non potest licitè orare in templo intentione percipiendi fructum impetrationis, prouenientem ex oratione Ecclesiæ facta in consecratione aut benedictione templi, nec illum percipiet sua oratione in templo facta: neque potest licitè vti aqua benedicta, vt ab Ecclesia instituta: neque fructum percipiet impetrationis prouenientem ex oratione Ecclesiæ facta in benedictione illius: neque potest licitè orare coram imagine, aut altari, cui concessa est indulgentia pro orantibus coram illo, intentione lucrandi indulgentiam: & quamuis oret, illam non consequetur.

Nihilominùs, vt Suarez aduertit disp. 12. sect. 3. excommunicatus potest licitè vti dictis rebus, nempe templo, aqua benedicta, & dicto altari, & etiam aliis, vt Reliquiis non supradicta intentione, sed quatenus ei possunt deseruire priuatæ veneration, deuotioni, & pietati, sicut etiam cæmonibus ab Ecclesia institutis. Vnde non potest eici à templo, nisi quando diuina celebrantur.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm illicitum sit sepelire in loco sacro corpus morientis in excommunicatione.

CONueniunt Doctores, corpus morientis in excommunicatione priuari Ecclesiastica sepultura, vt constat ex cap. *Sacris.* 12. de Sepulturis: & consequenter etiam priuatur Ecclesiastico comitatu, quia ad Ecclesiasticam sepulturam ordinatur; ex qua priuatione redundat in alios prohibitio sepeliendi & comitandi illum. Per Ecclesiasticam sepulturam, intelligitur sepultura in loco sacro, etiam in cæmeterio, vt constat ex dicto cap. Imò addit Suarez disp. 12. sect. 4. intelligi sepulturam in quocumque loco ad id destinato: & etiam in loco, in quo consueuit dici Missa, quamuis nulla alia benedictione sacrato.

Addidimus, *morientis in excommunicatione*, quia si ab ea absoluatur in articulo mortis, & ob eam extremam necessitatem, adhuc à Sacerdote extra eam non habente potestatem ad absoluendum, non priuatur Ecclesiastica sepultura, vt dicitur ex c. vlt. de Sepulturis. Quòd si non fuit absolutus, quamuis dederit signa contritionis, etiam priuatur Ecclesiastica sepultura; si tamen ea dederit, potest post mortem absolui ab excommunicatione, vt constat ex c. *A nobis.* 28. & ex c. *Sacris.* 30. de Sententia excommunic. sed ab eo solo à quo viuens poterat extra extremam necessitatem, vt deducitur ex dicto cap. *A nobis*: & absolutus, non manet priuatus Ecclesiastica sepultura, nec aliis suffragiis communibus.

Quòd si fortè ante absolutionem fuit Eccle-

fiæ

siasticè sepultus, procuranda est absolutio ne exhumetur, & si non obtineatur, exhumandus est, & inde eiiciendus, si possit discerni à corporibus aliorum, vt constat ex dicto cap. *Sacris*, de Sepulturis, & locus ille, vtpote violatus (vt supponitur in cap. *Consuluisti*. 7. de Consecratione Ecclesiæ vel altaris) reconciliandus est aspersione aquæ benedictæ, sicut fit in dedicatione Ecclesiæ, & quamdiu non est reconciliatus, nequeunt absque mortali in eo fideles sepeliri, neque Officia diuina celebrari. Et si corpus excommunicati nequeat ab aliis discerni, non est exhumandum, vt diximus; locus tamen reconciliandus est.

Hæc tamen non habét locum in corpore excommunicati tolerati, vt contra Auilam docent communiter Doctores, quia iuxta Extrauagantem *Ad euitanda scandala*, non tenemur abstinere à communione tolerati, quocumque modo communio sumatur, siue pro commercio cum illo, siue pro communione, qua ei suffragium aliquod commune, in quo fideles communicant, communicatur. Quòd autem sepelire corpus illius, & pro eo suffragium commune offerre, cedat directè in fauorem illius, non obstat; quamuis in Extrauagante dicatur, quòd excommunicato non intenditur fieri fauor prædicta indulgentia, quia his verbis tantùm denotatur, indulgentiam non abstinendi à communione illius, non fieri ab Ecclesia attendendo ad fauendum excommunicato, sed tantùm ad fauendum timoratis conscientiis, ne in communicatione cum illis agitentur scrupulis, etiamsi communicare cum illis sit eis benefacere.

Tandem in Clementina 1. de Sepulturis puniuntur excommunicatione maiori ipso facto, qui propriæ temeritatis audacia excommunicatos publicè, aut nominatim, scienter sepelire præsumunt in loco sacro.

Circa quam obseruandum est, post dictam Extrauagantem non incurrere hanc excommunicationem eos, qui sepeliunt excommunicatos, adhuc publicè excommunicatos, si tolerati sunt, vt contra Caietanum docent communiter Doctores, sed solùm qui sepeliunt non toleratos, & qui scienter absque ignorantia adhuc vincibili, & qui absque graui coactione sepeliunt: imò solùm qui propriis manibus sepeliunt, non verò qui id mandant, vt contra Suarez & Ægidium docet Auila part. 2. *Auila.* cap. 6. disp. 9. dub. 6. quia licet qui mandant sepelire, dicantur absolutè sepelire, non tamen omnino strictè; ad quod dicta Clementina, vtpote pœnalis, restringenda est: & ob eamdem rationem multò minùs eam excommunicationem incurrunt qui comitantur, & qui cantant, & qui deferunt lumina & crucem. 11

Et eodem modo intelligenda & restringenda est excommunicatio, quæ in cap. 2. de Hæreticis, in 6. imponitur ipso facto illis qui scienter præsumunt in loco sacro sepelire hæreticos, aut eorum fautores publica sententia damnatos; à qua excommunicatione nequeunt absolui, nisi propriis manibus publicè extumulent hæreticum, & inde illum ejiciant: imò pars illa loci in qua sepulti fuerint, inhabilitatur, vt in ea amplius nequeant sepeliri fideles, ac proinde vt nequeat reconciliari. 12

DISPVTATIO VI.

De quarto effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Excommunicatio maior priuet beneficiis ante ipsam legitimè obtentis.

1 CONVENIVNT Doctores, excommunicationem maiorem non priuare beneficiis ante ipsam legitimè obtentis, quia id non efficit excommunicatio maior, ex eo quòd generaliter priuet communione fidelium, quia retentione beneficij non aggreditur communicationem in bonis communibus Ecclesiæ sibi prohibitam, sed retinet sibi legitimè collatam & communicatam; nec Iure aliquo peculiari illis priuatur, quia de eo non constat.

Est tamen difficultas, An excommunicatio maior priuet fructibus beneficij ante ipsam legitimè obtenti.

Couarr. Suarez, Toletus. Couarruuias lib. 3. Variarum cap. 13. n. 8. Suarez disp. 13. sect. 2. & Toletus lib. 1. cap. 13. docent, excommunicationem priuare fructibus beneficij correspondentibus durationi excommunicationis, & ita vt excommunicatus nequeat eos 2 validè percipere. Quod exprimi videtur in c. *Pastoralis*. 53 de Appellationibus, dum dicitur: *Illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur*. Quod Nauarrus cap. 25. num. 124. limitat, vt tantùm sit verum, quando excommunicatus est negligens in procuranda absolutione ab excommunicatione.

Vasquez verò de Beneficiis cap. 3. §. 3. dub. 4. Nauarrus de Restitut. lib. 2. cap. 2. num. 238. & *Nauarrus.* Ægidius disp. 14. dub. 9. docent, excommuni- *Aegidius.* cationem maiorem non priuare fructibus beneficij; ac proinde excommunicatum posse adhuc licitè percipere fructus sui beneficij, dummodò per se aut per Vicarium satisfaciat officio, & meritò: quia excommunicatio ex eo, quòd generaliter est priuatio communionis fidelium, non priuat dictis fructibus, quia perceptio eorum non est communicare cum fidelibus, quia cuilibet excommunicato conferri possent: nec excommunicatio priuat illis Iure aliquo peculiari, quia si aliquo, maximè Iure dicti c. *Pastoralis*; eo autem non sit, 3 quia in eo cap. tantùm est sermo de subtractione facienda per Iudicem mediâ sententiâ nouâ superadditâ excommunicationi, quod ille qui consuluit Pontificem supponit. interrogat enim, an excommunicatus, qui excommunicatione iam incursa appellauit, possit, non obstante appellatione, denuntiari seu publicari excommunicatus, & ad tempus spoliari beneficiis, id est prouentibus beneficij: supponit ergo, excommunicatione non spoliari, quia potiùs interrogaret, an excommunicatione ipsa maneret spoliatus, & Pontifex eo supposito respondet posse denuntiari, & ei meritò subtrahi prouentus, sententia videlicet superaddita Iudicis; sicut etiam actu superaddito excommunicationi denuntiatur.

Addimus, quòd quamuis de rigore Iuris excommunicatus eo ipso absque noua sententia Iudicis esset priuatus fructibus sui beneficij, consuetudine tamen non priuatur, quia dicto Iuri, quamuis esset, fuisset dicta consuetudine derogatum.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Excommunicatio maior priuet obtentione beneficij Ecclesiastici.

4 COnueniunt Doctores, excommunicationem maiorem ita priuare beneficiis ipsa existente obtinendis, vt inhabilitet ad ea obtinenda; ac proinde efficere nullam collationem beneficij excommunicato factam, vt constat ex c. *Postulastis.* 7. de Clerico excõmunicato. quod est verum, quamuis excommunicatus bona fide, excommunicationem ignorans, acceperit beneficium, vt contra Glossam in dictum cap. docent reliqui Doctores; quia quamuis illa ignorantia excuset à culpa receptionis, & consequenter à pœna, non tamen valida aliàs inualidum: imò ita est nulla collatio beneficij, vt absolutione ab excommunicatione posteà data non reualidetur, vt contra nonnullos docent communiter Doctores, quia collatio illa fuit nulla, quamuis solùm ratione impedimenti collatarij; ac proinde posteà, adhuc ablato impedimento, nequit conualescere.

5 Ex quo fit, excommunicatum, cui tempore excommunicationis collatum fuit beneficium, non facere suos fructus beneficij, quia eos accipit absque titulo, sed eos tenetur restituere: si tamen bona fide seruiuit beneficio, potest accipere aut retinere stipendium seruitio proportionatum, & residuum non potest accipere, &, si accepit, tenetur illud restituere, nisi bona fide accepit & consumpsit, & exinde non est ditior factus.

6 Et ad collationem beneficij, quam factam excommunicato dicimus esse nullam, reducunt Doctores præsentationem, nominationem, & postulationem ad beneficium, vt etiam factæ excommunicato sint nullæ, & meritò: quia sunt collationes quædam inchoatæ, quia per eas confertur ius aliquod ad beneficium. Commendatio quoque beneficij curati facta excommunicato est nulla, quia per eam confertur, quamuis ad tempus, iurisdictio Ecclesiastica, cuius excommunicatus est incapax. Impetratio quoque literarum Apostolicarum ad beneficium obtenta ab excommunicato est nulla, ex cap. 1. de Rescriptis, in 6. nonnullis casibus exceptis, de quo posteà Disp. x.

Nomine autem beneficij Ecclesiastici, ad quod excommunicatus est inhabilis, intelligitur quodcumque beneficium, siue cum animarum cura, siue sine illa, siue ex maioribus, vt Episcopatus, siue ex minoribus. Et quamuis excommunicatus sit priuatus beneficio, non tamen pensione, quæcumque sit, ac proinde consignatio illius facta excommunicato est valida, vt contra non paucos docent nonnulli, & probabile censet Auila 2. part. cap. 6. disp. 5. dub. 5. quia pensio non est beneficium; quia nullum ex se est ius perpetuum ad fructus, quod deinceps sit conferendum, quod requiritur ad rationem beneficij, & excommunicatus non est priuatus nisi beneficio.

Auila.

Et nomine excommunicati, quem dicimus inhabilem ad beneficium obtinendum, communiter intelligitur à Doctoribus etiam toleratus, quia per Extrauagantem *Ad euitanda scandala*, per quam toleratur, nullus intenditur fieri fauor tolerato; fieret autem, si non esset inhabilis, & si collatio beneficij ei facta, esset valida; id tamen difficile existimamus, quia si collatori licitum est excommunicato tolerato beneficium conferre iuxta dictam Extrauagantem, non minùs quàm Sacramenta administrare, vt diximus Disp. 11. Diffic. 1. quo modo collatio illi facta erit nulla, cum iure naturali illicitum sit beneficium conferri inhabili. Quando verò in Extrauagante dicitur, quòd nullus ei intenditur fieri fauor, est verum, quamuis fiat aut maneat habilis, quia hoc non fit vt ei faueatur, sed vt faueatur fidelibus, vt absque scrupulo possint cum illo communicare.

Obseruandum est, conferentem beneficium excommunicato (subintellige non tolerato) non tantùm inualidè, sed etiam illicitè (imò mortaliter) illud conferre, quia id est communicare excommunicato, vt significatur in dicto cap. *Postulastis*, & ei qui scienter confert excommunicato beneficium, assignatur in eo cap. pœna suspensionis à collatione beneficiorum, non ipso facto, sed imponenda à Iudice.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm acceptatio beneficij ante excommunicationem collati seu oblati sit valida, quando fit tempore excommunicationis.

VAsquez de Excommunicatione, dub. 6. Henriquez cap. 13. & Toletus lib. 1. cap. 13. docent esse validam: quod probat Vasquez, quia in dicto cap. *Postulastis*, quamuis inualidetur collatio beneficij excommunicato facta, non tamen acceptatio. Alij verò probant, quia in eo cap. non tantùm inualidatur actio, per quam acquiritur ius ad beneficium; acceptatione autem non acquiritur ius ad illud, quia nullus sibi confert ius.

Couarruuias verò lib. 3. Variar. cap. 16. num. 4. Ægidius disp. 14. dub. 9. & alij docent esse nullam, & meritò: quia quod in dicto cap. *Postulastis* intenditur, est inhabilitare excommunicatum ad acquirendum beneficium; id autem non minùs fit annullando acceptationem, quàm collationem, quia, vt exprimitur in cap. *Si tibi absenti.* 17. de Præbendis, in 6. acceptatione beneficij acquiritur ius in illo, non quia sibi confert tale ius qui acceptat, sed quia acceptat quod sibi ab alio offertur: imò melius fit annullando acceptationem, quia per hanc proximè acquiritur, & non per collationem seu oblationem, nisi inchoatiuè, eò quod annullando acceptationem beneficij nunquam potest excommunicatus illud acquirere, & aliquando posset annullando tantùm collationem, vt cõtingeret in casu præsentis difficultatis. Quod autem in dicto c. *Postulastis.* intendatur inhabilitare excommunicatum ad acquisitionem seu collectionem beneficij, constat Primò, quia quia in eo cap. decernitur, fit in odium excommunicati, ne participet bona communia Ecclesiæ, quale est beneficium. Secundò, quia in eo cap. non tantùm dicitur, quòd nequeat beneficium conferri excommunicato, sed etiam quòd excommunicatus nequeat illud canonicè consequi. Et hoc non dicitur

dicitur quasi consequens deductum ex eo quòd nequeat illi conferri, quia id dicitur absque particula aliqua significante cõnexionem inter illa duo, quamuis hoc quòd nequeat beneficium consequi, assumatur pro antecedente illius quod anteà dicitur in eius probationem, nempe quòd nequeat beneficium collatum retinere. Vnde in dicto c. *Postulastis*, conferre inualidè excommunicato, non sumitur incompletè, prout est tantùm offerre, vt sumitur in dicto cap. *Si tibi absenti*, sed sumitur completè, prout sub eo comprehenditur oblatio & acceptatio, qua ratione est idem quod dare: quia in rigore non datur alicui quod ab eo non accipitur, sed tantùm dicitur ei offerri.

Addimus contra Couarruuiam, dictam acceptationem tempore excommunicationis factam adhuc non valere ad hoc, vt posteà subsecuta absolutione ab excommunicatione acquiratur beneficium; quia quamuis acceptatio illa quamdiu non retractatur perseueret habitualiter, adhuc post absolutionem; quia tamen à principio fuit nulla, ideò nequit posteà conualescere, & fieri valida (quamuis conualesceret, si in se ipsa actualiter continuaretur vsque ad absolutionem iam factam) quia perseuerare habitualiter, nihil aliud est, quàm fuisse factam, & non esse reuocatam; ac proinde nihil manet in se ipso quod conualescere possit: sicut etiam expressio exterior consensus in matrimonio facta tempore impedimenti dirimentis non valet ad acquisitionem, nec ad translationem dominij corporis, nisi in se ipsa actualiter continuetur vsque ad cessationem impedimenti.

Obseruandum est, quòd etiamsi acceptatio iuridica beneficij non solùm sit nulla, sed etiam sit excommunicato illicita, quia est contra prohibitionem excommunicationis, imò & mortalis, quia est materiæ grauis; nulla tamen pœna ei assignatur, sicut assignatur collatori. 11

DISPVTATIO VII.

De quinto effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Excommunicatio maior priuet vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ.

1 CONVENIVNT Doctores, excommunicationem maiorem priuare generaliter omni vsu seu exercitio cuiuscumque iurisdictionis Ecclesiasticæ, vt deducitur ex can. *Audiimus*. 24. qu. 1. & ex cap. *Ad probandum*. 24. de Sententia & re iudicata, in Decretalibus, & ex c. *Is cui*. 12. de Officio delegati, in 6. & ex cap. 1. de Officio Vicarij, in 6. Actus autem seu vsus iurisdictionis Ecclesiasticæ, quibus priuat, sunt legem ferre, præcipere, iudicium ferre tam in foro contentioso quàm in foro pœnitentiæ, dispensare, licentiam præbere ad exercendum munus aliquod Ecclesiasticum, delegare iurisdictionem, indulgentias concedere, non verò assistere matrimonio.

2 Vnde excommunicatus illicitè exercet quemcumque actum Iudicis, & superioris Ecclesiastici ex dictis, quia dicta priuatio ad minus est prohibitio; ac proinde quoties aliquem exercet, peccat aut mortaliter aut venialiter, pro grauitate aut leuitate materiæ, quæ regulariter est grauis. Et non solùm excommunicatus non toleratus illicitè exercet actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, sed etiam toleratus, quando iste eos exercet non prouocatus à fidelibus, sed ipse se ingerit ad id, non verò quando eos exercet prouocatus: quia ex vna parte actus iurisdictionis à tolerato exerciti sunt validi, vt dicemus Difficult. 11. & ex altera ei est licitum satisfacere fidelibus eum prouocantibus, vt diximus Disputat. 11. Difficultate 1v.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm Excommunicatio maior irritet actus iurisdictionis Ecclesiasticæ.

COnueniunt Doctores, actus cuiuscumque 3
iurisdictionis Ecclesiasticæ exercitos ab excommunicato, esse irritos & nullos, vt deducitur ex can. *Audiimus*. 24. quæst. 1. & ex c. *Ad probandum*. 24. de Sententia & re iudicata; ac proinde excommunicatio maior priuat vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ, non solùm prohibendo, sed etiam irritando.

Vnde præceptum ab excommunicato latum est nullum, ac proinde non est obligatio ei obediendi: imò nequit licitè ei obediri, quia id est communicare cum illo. Licentia quoque & dispensatio ab excommunicato data, est nulla; ac proinde subditus nequit ea licitè vti, neque validè. Excipimus licentiam concessam Sacerdoti à Parocho excommunicato ad assistendum matrimonio, quia ista est valida, quia non est actus iurisdictionis, imò nec ipsum assistere adhuc in Parocho, quia neutrum est actus Parochi vt Parochus est, sed cuiusdam facultatis annexæ à Tridentino officio Parochi ad spectandum matrimonium, & ad designandum Sacerdotem spectatorem, vt ipse Parochus aut Sacerdos possit de eo testificari. Imò 4
Sacerdos designatus nullam accipit potestatem à Parocho, sed tantùm à Tridentino, suppositâ designatione facta à Parocho; ac proinde Sacerdos, cui data est licentia, potest ea licitè vti. Imò quamuis accipiendo dictam licentiam, communicet cum illo, licitè potest eam accipere ob necessitatem contrahentium, sicut ob eamdem ipse Parochus excommunicatus non toleratus potest eam licentiam licitè dare, aut matrimonio assistere, quamuis vtrumq; sit communicare; quia absq; eo, aut absq; eius licentia, nequeunt contrahere matrimonium.

Iurisdictio quoque delegata ab excommunicato est nulla, quia eam delegare, etiam est actus iurisdictionis; ac proinde delegatus nequit validè, &

consequenter nec licitè ea vti. Imò iurisdictio Ecclesiastica exterior, seu in foro contentioso, delegata ante excommunicationem delegantis, suspenditur, quando deleganti superuenit excommunicatio maior non tolerata, si res seu causa est integra, id est non incepta à delegato, sicut etiam quãdo res est integra, iurisdictio delegata cessat morte delegantis, vt constat ex cap. *Relatum.* 17. & ex c. *Gratum.* 20. & ex c. *Licet.* 30. de Officio delegati: non verò suspenditur, quando dicta excommunicatio superuenit causa iam incepta à delegato; sicut etiam tunc non cessat, quando superuenit
5 mors delegantis. Nihilominùs quando Episcopo superuenit dicta excommunicatio, suspenditur iurisdictio Vicarij seu Prouisoris etiam causa incepta. Sicut etiam cessat seu expirat, quando causa incepta superuenit Episcopo mors, quia est omnino idem tribunal Episcopi, & Vicarij, seu Prouisoris Iurisdictio tamen delegata interior, seu in foro Pœnitentiæ, & facultas ad administrandum alia Sacramenta, non suspenditur ex eo, quòd deleganti superueniat excommunicatio, vt contra
Sotus. Gutierrez docent Sotus in 4. dist. 18. quæst. 4. ar. 3.
Auila. & Auila cap. 6. disp. 6. dub. 3. quia dicta Iura, in quibus est sermo de cessatione iurisdictionis delegatæ mòrte delegantis, causa integra, seu non incepta, tantùm loquuntur de iurisdictione delegata fori contentiosi. Approbare quoque Confessarios, & concionatores, & dare licentiam audiendi confessiones, & administrandi reliqua Sacramenta, factum ab excommunicato, est nullum,
6 quia quodlibet ex his est actus iurisdictionis, quamuis actus ad quem fit approbatio, aut conceditur licentia & facultas, non fit actus iurisdictionis.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, & actus præsentandi ad beneficium, & postulandi, exerciti ab excommunicato non tolerato, sint nulli, non tamen exerciti ab excommunicato tolerato, quamuis publico, vt aduertunt communiter Doctores; quia eo ipso quòd Ecclesia permittit & tolerat illum in fauorem aliorum fidelium, relinquit illum sufficientem, vt validè exerceat actus erga illos, sub conditione, & ab ipsis fidelibus acceptetur, aliàs per Extrauagantem *Ad euitanda scandala*, non fuisset sufficienter consultum eorum conscientiis. Quod est verum, non solùm quando prouocatus à fidelibus eos actus exercet, sed etiam quando ipse se ingerit, ob rationem dictam, quamuis ipse se
7 ingerendo illicitè faciat. Excommunicatus tamen toleratus non obligat suo præcepto, quia subditis est liberum non communicare cum illo; ac proinde nec illos sua censura ligabit, quia incursio censuræ supponit inobedientiam seu contumaciam, quæ non est, quamuis non impleatur præceptum excommunicati: poterunt tamen acceptari actus illius, vt absolutio & dispensatio.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm Excommunicatio maior priuet actiua collatione beneficij.

CONueniunt Doctores, excommunicationem maiorem ita priuare collatione actiua beneficij, & electione actiua ad illud, vt collatio beneficij, & electio ad illud, facta ab excommunicato non solùm sit illicita, sed etiam nulla, quia vtraque est actus iurisdictionis, & id specialiter deducitur ex cap. vnico de Sede vacante, in 6. & ex cap. *Quia diuersitatem.* 5. de Concessione præbendæ: & ex cap. *Tanta.* 18. de Excessibus Prælatorum, & ex c. *Cùm inter.* 16. de Electione.

Quod est verum, quoad electionem, non solùm quando excommunicatus eligit solus, sed etiam quando eligit cum aliis non excommunicatis, quia alij non habilitant illum: ac proinde, quando aliàs non constat fuisse suffragia sufficientia absque suffragio excommunicati, electio censenda est nulla; & quia excommunicatus non inhabilitat alios, ideò quando constat absque illo fuisse sufficientia, censenda est valida, etiam quando Capitulum admittit excommunicatum ad electionem, vt contra Suarez disput. 14. sect. 2. & contra plures Canonistas aduertunt Hentiquez lib. 13. cap. 7. in Annotationibus, & Ægidius dub. 10. quia dicta admissio nullo Iure inualidat electionem.

Excipimus electionem ad Summum Pontificatum, quæ est valida, quamuis fiat à Cardinalibus excommunicatis, vt constat ex Clementina *Ne Romani.* de Electione, in 6. & etiam ex c. *Licet.* 6. de Electione, dum in hoc dicitur, electum absque vlla exceptione esse admittendum pro legitimo Pontifice. ex quo etiam deducitur, excommunicationem electi non obstare valori electionis ad Summum Pontificatum.

Præsentatio quoque ad beneficium, facta à patrono excommunicato, est illicita & nulla, quamuis fiat à laico, vel à Clerico vt laico; quia per præsentationem non solùm factam à Clerico, sed etiam per eam quæ fit à laico, confertur ius ad beneficium, quod non potest ab excommunicato conferri nec licitè nec validè, cùm beneficium sit bonum commune membris Ecclesiæ, & excommunicatus sit extra eam. Verum est, ius collatum à laico ita, vsque ad institutionem seu collationem factam ab Episcopo, manere pendens in conseruari ab ipso patrono laico, vt patronus pro libito possit absque iniuria præsentati alterum præsentare, vt deducitur ex cap. *Cùm autem.* 24. de Iure patronatus; nihilominùs institutio seu collatio beneficij facta ad præsentationem dicti excommunicati est valida, vt contra Vasquez dub. 5. & contra Couarruuiam in cap. *Alma mater.* 1. par. §. 7. num. 9. docent Suarez disp. 14. sect. 2. Ægidius disp. 14. n. 95. quia talis institutio neque Iure positiuo irritatur, quia nullum extat; nec naturali, cùm fiat absque iniuria patroni, quia non fit contra eius voluntatem: peccat tamen Episcopus acceptando præsentationem dicti excommunicati, quia id est communicare cum illo. Et quod dictum est de præsentatione, dicendum est de postulatione, quòd scilicet sit illicita & nulla, ob eandem rationem.

Admissio tamen, qua ille, cui legitimè collatum est beneficium, & qui illud acceptauit, admittitur in possessionem ab excommunicato tamquam à priuata persona, est valida, imò etiam licita, quando est necessarium aut vtile quod fiat ab excommunicato; ipsa quoque sumptio possessionis, qua beneficiatus ipse excommunicatus incipit possidere, verè est licita, vt patet; & valida, quia nec admissione nec sumptione conferrur, nec acquiritur ius ad beneficium, sed admittitur, & sumit id quod iam est suum; & neutra earum, scilicet admissio

admissio actiua, vt facta à priuata persona, est actus iurisdictionis seu potestatis Ecclesiasticæ.

11 Prædicti tamen actus, vt collatio beneficij, & electio ad illud, præsentatio, & postulatio, & quicumque alius qui sit communicatio, sunt validi, facti ab excommunicato tolerato, vt de aliis actibus iurisdictionis Ecclesiasticæ diximus Difficultate præcedenti ad finem, & ob eamdem rationem, quamuis ipse se ingerat ad eos, & in hoc illicitè faciat.

DISPVTATIO VIII.

De sexto effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Excommunicatio maior priuet actibus iudicij forensis.

1 CONVENIVNT Doctores, excommunicationem maiorem remouere ab omni actu pertinente ad iudicium exterius, seu forense, etiam sæculare, vt sunt iudicare, agere, procurare, aduocare, scribere, & testificari. Quod generaliter constat ex eo, quòd excommunicatio maior priuat quacumque communicatione cum fidelibus per modum commercij: & specialiter constat ex cap. *Decernimus.* 8. de Sententia excommunicationis, & ex cap. 1. de Exceptionibus, in 6. & ex c. *Veniens.* 38. de Testibus, & ex can. pænult. & vlt. 15. quæst. 6. & ex aliis Iuribus. Vnde potest excommunicato in quacumque parte litis obiici excommunicatio, vt ex tunc repellatur ab exercendo actum aliquem in iudicio; quod sæpè in Iure supponitur. Excommunicatus ergò ad minus illicitè exercet quemcumque actum ex dictis, nisi sit toleratus, & inuitetur ad id ab eis cum quibus communicat eos exercendo. Sed an inualidè, dicemus Difficultatibus sequentibus.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm excommunicatus possit exercere actus Iudicis.

2 EX dictis Disputatione præcedenti constat, excommunicatum illicitè (& quando est non toleratus) inualidè exercere actus Iudicis Ecclesiastici: modò est difficultas de actibus Iudicis sæcularis, an eos exercere possit excommunicatus.

Supponimus, excommunicatum non posse licitè exercere actus Iudicis sæcularis, quia remotio & priuatio, qua priuatur illis, ad minus est prohibitio. Est tamen difficultas, An actus ab illo exerciti sint validi.

Circa quam conueniunt Doctores, esse nullos, si Iudex insurduerit per annum in excommunicatione, vt significatur in c. *Excommunicamus.* 13. de Hæreticis. Est tamen difficultas, An etiam sint nulli, quando non insurduit per annum.

3 Victoria in Summa n. 16. de Excommunicatione, docet, non esse nullos, quod sibi deducere videtur ex dicto c. *Excommunicamus*, dum, postquã credentes, & receptores, & defensores & fautores hæreticorum excommunicantur, additur pro sæcularibus, quòd si per annum non satisfecerit, & Iudex sit, eius sententia nullam obtineat firmitatem. vbi eo ipso quòd pro dictis delictis præter excommunicationem additur dicta pœna annullationis actuum Iudicis, non videtur hæc pœna inclusa in excommunicatione, sed addicta Iudici sæculari insurdescenti per annum: ergo non eo ipso, quòd Iudex sæcularis sit excommunicatus, eius actus iudiciales sunt nulli, si non insurdescat per annum.

Victoria.

Vasquez verò dub. 5. Suarez disp. 16. sect. 1. & communiter Doctores docent, esse nullos, quod deducitur ex cap. *Decernimus.* 8. de Sententia excommunicationis, & ex cap. 1. de Exceptionibus, in 6. in quibus id generaliter supponitur de actibus à quocumque Iudice factis, & præsertim deducitur ex can. vlt. & pænult. 15. q. 6. dum Pontifex præcepit ne subditi obediant dominis excommunicatis. Id autem quod diximus, post Extrauagantem *Ad euitanda.* intelligitur de actibus factis ab excommunicato non tolerato, quia à tolerato facti sunt validi, si à subditis acceptentur.

In dicto autem cap. *Excommunicamus.* adducto à Victoria, plures exprimuntur pœnæ pro dictis delictis, ex quibus non paucæ generaliter inclusæ sunt in ipsa excommunicatione; vt priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, non admissio ad publica officia, & repulsio ab aduocando. Et aliæ sunt pœnæ 4
particulares, & superadditæ excommunicationi, vt quòd excommunicatus sit infamis, & quòd sit intestabilis, & quòd non possit accedere ad successionem hæreditatis; omnes tamen simul non incurruntur ab excommunicato pro dictis, nisi per annum insurduerit. & hoc est quod in eo cap. decernitur.

Obseruandum tamen est, quòd quamuis excommunicatus non toleratus illicitè assumatur ad officium, aut ad dignitatem cui sit annexa iurisdictio adhuc sæcularis, in quo Doctores conueniunt, quia id est communicare cum illo, non tamen assumitur inualidè ad iurisdictionem sæcularem, vt contra nonnullos docent Suarez disput. 16. sect. 2. & *Suarez.*
Ægidius dub. 1. quia id nullo Iure inualidatur, adhuc c. *Venerabilem.* 34. de Electione, quia in hoc tantùm dicitur ad Pontificem pertinere consecrare & coronare Imperatorem, & personam Imperatoris electi examinare, & si excommunicatus aut hæreticus sit, eum repellere, & eius electionem irritare, aut non admittere. *Ægidius.*

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm excommunicatus possit esse actor in iudicio.

5 CONueniunt Doctores, excommunicatum extra causam suæ excommunicationis (in qua admittendus est vt actor intendens probare, vel non esse excommunicatum, vel esse absoluendum, vt constat ex c. *Per tuas.* 40. de Sententia excommunicationis) non posse licitè esse actorem in iudicio, vt constat ex c. *Decernimus.* 8. de Sententia

excommunicationis, & ex c. 1. de Exceptionibus,
6 in 6. & ideò exceptio seu obiectio excommunica-
tionis contra actorem in quacumq; parte latæ ad-
mittitur, vt repellatur à sequentibus, ex dicto c. 1.
de Exceptionibus: & quamuis non obiiciatur, si
excommunicatus est non toleratus, reiiciendus est
à Iudice ex officio; si tamen sit toleratus, quamuis
possit à Iudice reiici, quia potest non communica-
re cum illo; non tamen tenetur eum, quamuis pu-
blicum, reiicere (nisi ad petitionem partis suffi-
cienter probantis excommunicationem) quia non
tenetur eum vitare.

Sed quamuis actio in iudicio sit illicita seu pro-
hibita excommunicato, acta tamen ab eo (quam-
uis non tolerato) ante repulsam valida perseue-
rant, vt dicitur in dicto cap. 1. de Exceptionibus, ad
eum effectum, vt possit vlteriùs procedi in causa,
si ab excommunicatione absoluatur.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm excommunicatus possit trahi ad iudicium vt reus.

7 COnueniunt Doctores, excommunicatum, et-
iam non toleratum, posse trahi ad iudicium
vt reum, vt constat ex c. *Intelleximus*. 7. de Iudiciis,
ne, vt in eo cap. dicitur, commodum reportet ex
sua contumacia: & ipsum posse se defendere, ac si
non esset excommunicatus, vt constat ex cap. 8. &
vltimo, de Exceptionibus, etiam ante absolutio-
nem, quamuis sua culpa non absoluatur, quia ei
conceditur absolutè defensio.

Est tamen difficultas, An possit per se ipsum re-
spondere, & se defendere, an solùm per procura-
torem.

Suarez. Glossa. Suarez disp. 16. sect. 4. & Glossa in d. cap. *In-
telleximus*, docent, posse per se ipsum; quia ei ab-
solutè & absque vlla restrictione permittitur in
dictis capp. 8. & vltimo.

Auila. Decius. Auila verò cap. 6. disp. 2. dub. 2. & Decius in
d. cap. *Intelleximus*, num. 7. docent, non posse, sed
tantùm per procuratorem, & meritò: quia id signi-
ficatur in dicto c. *Intelleximus*, dum dicitur, quòd
excommunicatus potest in iudicio conueniri, &
debet per alium respondere, quia particula *debet*
necessitatem importat, & cadit non solùm supra
respondere, sed etiam supra particulam *per alium*.
& oppositum absque fundamento dicitur; quia
quod in illis capp. 8 & vltimo excõmunicato ver-
bis absolutis respondere permittatur, non obstat,
quia intelligenda sunt seruatis dispositis in Iure.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm excommunicatus possit exercere munus tabellionis.

8 COnueniunt Doctores, excommunicato non
esse licitum munus tabellionis exercere, vt
constat ex cap. 1. de Exceptionibus, in 6. & excom-
municatum non toleratum admitti non posse à
Iudice, benè tamen toleratum, dum ei non oppo-
natur excommunicatio à parte. Est tamen diffi-
cultas, An instrumenta ab excommunicato facta
sint valida.

Henriq. Auila. Henriquez lib. 13. c. 9. Auila c. 6. disp. 6. dub. 5.
Ægidius dub. 11. & communiter Doctores contra Ægidium, Rebuffum, docent esse nulla, & meritò: quia, vt dicitur in c. *Nullis*. 3. q. 4. à nemine credenda sunt quæ ab anathematizatis dicuntur vel conscribuntur; ergo eorum instrumenta non sunt valida, quia valor eorum in hoc consistit, quòd eis sit credendum: quod est verum etiam de instrumentis factis à tolerato; quia non est obligatio ei credendi, sicut nec communicandi cum illo.

Instrumentum ergo ab excommunicato adhuc tolerato factum reiici potest in iudicio, vtpote nullum: addunt tamen Ægidius & alij, quòd si non reiiciatur, erit validum, sumpto argumento à factis actoris excommunicati, quæ dum non repelluntur, valida sunt, sed hoc additur absque sufficienti fundamento, quia pro nullitate instrumenti tabellionis est expressus canon, & non pro valore quando non repellitur, & est expressus pro valore factorum ab actore quando non repelluntur.

Vnde nos addimus, tabellionem excommunicatum non posse stipendium, saltem ordinarium, accipere pro instrumento, vtpote nullo & inutili.

DIFFICVLTAS VI.

Vtrùm excommunicatus possit esse testis.

COnueniunt Doctores, excommunicatum non posse licitè testificari, neq; in iudicio nec extra (nisi in casu fidei, ex cap. *in Fidei*, de Hæreticis, in 6.) quia ei est prohibita communicatio; quod specialiter supponitur in cap. *Veniens*. 38. de Testibus: neque posse licitè admitti ad testificandum, quando est non toleratus, quia est prohibita communicatio cum illo; quod specialiter supponitur in c. *Decernimus*. 8. de Sententia excommun. in 6.

Addimus contra nonnullos, vt optimè Val. Tol-quez dub. 5. testimonium excommunicati esse nullum, cùm ei credendum non sit, vt dicitur in can. *Nullus*. 3. q. 4. quod contra Ægidium & alios verum existimamus, etiamsi non repellatur (vt potest non repelli quando testis est toleratus) sicut diximus de instrumento tabellionis qui est testis qualificatus. Et id etiam existimamus verum, quamuis testis sit toleratus, quia ei, quamuis tolerato, non est obligatio credendi; valor autem testimonij consistit in eo quòd ei debeat credi.

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm excommunicatus possit esse Aduocatus.

COnueniunt Doctores, excommunicatum non posse licitè aduocare (nisi quando est toleratus, & inducitur à fidelibus) & quando non est toleratus, non posse licitè admitti ad id, vt supponitur in cap. *Decernimus*. 8. de Sententia excommun. in 6. Quòd si à Iudice de facto admittatur, & ei non obiiciatur excommunicatio, patrocinia ab ipso facta valida sunt, quia nullibi irritantur; & tunc poterit pro illis stipendium accipere, non verò pro factis postquam ei obiecta est excommunicatio; & repelluntur, quia tunc fiunt inutilia ad decisionem causæ. Idem quoque, & eadem proportione dicendum est de procuratore excommunicato.

DISPV-

DISPVTATIO IX.

De septimo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I.

Utrùm Excommunicatio maior priuet omni communicatione fidelium.

1 CONVENIVNT Doctores, excommunicationem maiorem priuare omni communicatione fidelium (id est baptizatorum) per modum commercij, societatis & conuersationis, quo excommunicatus priuatur tractare cum fidelibus, & ab eis tractari, vt generaliter constat ex cap. pænult. de Sententia
2 excommunicat. dum de excommunicatione maiori dicitur, quòd separet à communicatione fidelium; & specialiter ex can. *Excommunicatus*, & ex can. *Cum excommunicato*, & ex can. *Qui communicauerit*, & ex can. *Ad mensam*. 11. qu. 3. & ex cap. *Illud*. 5. de Clerico excommunicato, & Extrauagante *Ad euitanda scandala*, & ex aliis Iuribus, ex quibus desumptæ sunt quinque voces hoc versu contentæ:

Os, orare, vale, communio, mensa, negantur.

Quibus significantur actiones, in quibus excommunicatus prohibitus est communicare cum fidelibus, & fideles cum illo.

Explicemus ergo quid per singulas dictas voces & particulas significetur & prohibeatur.

3 In primis per particulam *os* significatur & prohibetur osculum pacis; quod expressè prohibetur in Iure: & sub osculo comprehèditur quodcumq; signum beneuolentiæ, vt amplexus, missio muneris, & receptio illius. Per *os* etiam significatur alloqui, siue per verba, siue per literas, siue per nutus, & etiã audire, vt communiter exponunt Doctores.

Per particulam *orare* significatur & prohibetur communicare in recitando aut cantando idem diuinum officium simul, aut alternatim, & etiam in illud & in idem Sacrum audiendo, in quo Doctores conueniunt contra Durandum; qui existimat, non esse prohibitum audire idem Sacrum cum excommunicato, quasi id non sit communicare cum excommunicato, sed tantùm cum dicente Sacrum, in quo sanè fallitur. Quòd si excommunicatus idem officium aut Sacrum velit audire, reiiciendus est ab aliis, adhuc vi, si opus fuerit, sed absque scandalo & percussione; & si eiici non possit, cessandum est adhuc à Sacro, quamuis inchoatus sit Canon, si consecratio non sit inchoata, quia hac inchoata illo non exeunte omnes tenentur exire, & Sacerdos cum solo ministro procedere, vsque ad consumptionem, & reliqua in Sacrificia perficere. Quòd si excommunicatus sit in templo,
4 & non causa audiendi diuina, neque ad ea attendens, quamuis necessariò audiat, eiiciendus non est, sed permittendus. Addidimus *idem officium & Sacrum*, quia audire diuersum, quamuis in eodem templo & tempore, non est prohibitum; quia id non est communicare cum excommunicato.

Per particulam *vale* significatur & prohibetur omnis salutatio honorifica; & non tantùm verbalis est prohibita, sed etiam aliis signis facta, vt aperiendo caput, aut assurgendo, vt contra Angelum & Sayrum docent Vasquez dub. 8. & Ægidius disput. 14. dub. 4. quia est quædam communicatio: & non tantùm prohibetur salutatio, quando fit animo salutandi, sed etiam quando non fit eo animo, sed ne quis se ostendat inurbanum, vt contra Nauarrum & Henriquez docet Suarez disp. 15. sect. 1. *Suarez.* quia illa est vera salutatio exterior, & vera communicatio. Addimus, *omnis salutatio honorifica*; quia salutatio deprecatoria, vt *Deus te illuminet, aut reducat*, non prohibetur, vt deducitur ex c. *Responso*. 43. de Sententia excommun. Et non tantùm est prohibita salutatio, sed etiam resalutatio, vt contra Henriquez & Ægidiũ docet Auila c. 6. d. 9. dub. 9. *Auila.*

Per particulam *communio* significatur & prohibetur quæcumq; cooperatio seu societas in negotio aliquo gerendo, quæ reliquis quatuor vocibus non significatur, vt docent communiter Doctores, quia ex vi excommunicationis generaliter quæcumque communicatio humana prohibetur. Ex vi ergo dictæ particulæ significatur & prohibetur cohabitare, & simul vt comites iter agere, communicare in Sacramentis, & in quocumque humano contractu, vt emptionis, & venditionis, & donationis. 5
Contractus autem quamuis prohibiti sint, sunt tamen validi, vt contra nonnullos docent Vasquez *Vasquez.* dub. 8. Ægidius dub. 12. & communiter Doctores, *Aegidius.* & deducitur ex c. vlt. de Pœnis, in 6. & ex c. *Cum illorum*. 32. de Sententia excommun. & ex c. *Significasti*. 6. de eo qui duxit, & ex c. *Inter dilectos*. 8. de Donationibus. Testamentum quoque & institutio heredis validè fiunt, quamuis illicitè, cùm sint quædam communicatio, quamuis non loquendo cum excommunicato, sed ei tribuendo, aut ab eo recipiendo.

Tandem per particulam *mensa* significatur & prohibetur in eadem mensa simul comedere: quod intelligendum est formaliter (vt exprimit Suarez) *Suarez.* id est cum alio per modum societatis comedere, & tamquam cum comite, quia tunc est vera communicatio vnius cum alio, quamuis fiat in diuersis mensis materialibus; non verò casu & absque societate comedere, quamuis fiat in eadem mensa, quia tunc verè vnus non communicat cum alio. Et idem est de cohabitatione, significata per particulam *communio*, quòd scilicet prohibita sit in eadem domo, quamuis in diuersis cubiculis, per modum societatis facta, non verò à casu & solùm materialiter, adhuc in eodem cubiculo, imò etiam in eodem lecto, vt Suarez aduertit. 6 *Suarez.*

DIFFICVLTAS II.

Utrùm communicatio ex vi Excommunicationis prohibita sit mortalis, an tantùm venialis.

7 SVpponimus, communicationem excommunicati cum baptizatis, & econtrà baptizatorum cum excommunicato, prædictis quinque particulis significatam, esse peccatum, quia prohibita est ex vi excommunicationis maioris; & esse peccatum sacrilegij contra religionem etiam in rebus ciuilibus, quia prohibita est in odium excommuni-

catj, tam quam indigni communicatione membrorum Ecclesiæ.

Hoc supposito est difficultas, An sit mortale, an tantùm veniale. Circa quam conueniunt Doctores, communicationem in diuinis, vt in Sacramentis, in Missa, in officiis diuinis solemniter seu publicè celebratis, & in Ecclesiasticè sepeliendo, esse mortalem ex suo genere, seu ex suo obiecto; quia dicta communicatio est materia grauis non solùm in ratione actionis, sed etiam in ratione cõmunicationis. Addidimus Primò, *ex suo genere*: quia proleuitate communicationis potest esse tantùm peccatum veniale, vt si communicatio sit in parua parte Missæ aut officij diuini. Secundò addidimus, *in officiis diuinis solemniter celebratis*, quia communicatio in officio diuino priuatim dicto, vt quando excommunicatus & alter recitant Horas canonicas, tantùm est venialis, vt docent Couarruuias

8 *Couarr. Vasquez.* 1. p. §. 3. n. 8. & Vasquez dub. 7. & 10. & communiter Doctores, quia in ordine ad finem, quem Ecclesia intendit priuatione communicationis, non est grauis in ratione communicationis, quamuis sit in ratione actionis.

Est tamen difficultas, An communicatio in humanis seu temporalibus sit etiam mortalis.

Raymund. Circa quam quamuis Raymundus absolutè existimet, communicationem in humanis adhuc ciuilibus, in colloquiis, & in contractibus, & in exercitio iurisdictionis sæcularis, esse ex suo obiecto mortalem. Caietanus tamen v. *Excommunicatio*, ad finem, Couarruuias, Henriquez, & communiter Doctores absolutè docent, communicationem in humanis adhuc Ecclesiasticis, vt in collatione & receptione beneficij, & in exercitio iurisdictionis Ecclesiasticæ, non esse ex suo obiecto mortalem (excepta malitia iniustitiæ in actibus Iudicis, quæ ex suo obiecto censetur mortalis) & meritò: quia communicatio in humanis non censetur grauis in ratione communicationis, quamuis in aliquibus censeatur grauis in ratione actionis.

Caietan. Couarr. Henriq.

9 Addimus (in quo Doctores communiter conueniunt) communicationem aliàs ex obiecto, venialem posse fieri mortalem ex circumstantia aliqua, vt ex circumstantia contemptus, si ex eo fiat, vel ex circumstantia scandali, vt si communicatione cum excommunicato ipse excommunicatus animetur ad perseuerandum in sua contumacia mortali (quod rarò eueniet) imò hoc est communicare cum excommunicato in crimine criminoso; vel ex circumstantia finis nouiter intenti à Iudice ad nouiter prohibendam communicationem cum excommunicato, vt contingit quando fertur excommunicatio maior contra communicantes, seu participantes cum excommunicato.

DIFFICVLTAS III.

Quibus pœnis afficiatur qui illicitè communicat cum excommunicato.

10 CONueniunt Doctores, eum, qui illicitè communicat cum excommunicato, regulariter tantùm puniri excommunicatione minori lata à Iure (ac proinde etiam ipse excommunicans, excepto Papa, eam incurrit, si communicet cum excommunicato ab ipso) vt constat ex c. *A nobis.* 2. de Exceptionibus, & ex aliis pluribus Iuribus. Vnde can. *Excommunicatos.* 11. qu. 3. vbi dicitur, communicantem cum excommunicato inodatæ simili excommunicatione, quia antiquus est, explicandus est per Iura posteriora de excommunicatione simili in ratione quasi communi & generica, id est, quòd etiam incurrit excommunicationem, sed non maiorem, quamuis communicatio ob quam incurritur, sit mortalis, qualis est communicatio in diuinis. Ad eam tamen excommunicationem minorem incurrendam requiritur, quòd communicatio cum excommunicato sit culpabilis, quia excommunicatio minor est vera pœna; imò requiritur, quòd communicatio fiat ex plena deliberatione ex se sufficiente ad mortale, quia absque plena deliberatione non est propria contumacia, sine qua nulla incurritur censura.

Addidimus, regulariter tantùm puniri excommunicatione minori: quia in quibusdam paucis casibus punitur excommunicatione maiori.

Primus est, quando quis scienter communicat cum excommunicato in crimine criminoso seu damnato, id est in eo crimine ob quod incursa est excommunicatio, influendo per se in illud, aut per auxilium, aut per consilium, aut aliter, vt constat ex c. *Nuper.* 29. & ex cap. *Si concubinæ.* 55. de Sententia excommun. in Decretalibus, & ex c. *Statuimus.* 3. de Sententia excommun. in 6. Ad eam tamen incurrendam requiritur Primò (in quo Doctores conueniunt) quòd communicet in crimine ob quod lata & incursa est excommunicatio, vt apertè dicitur in dictis capp. Secundò requiritur, quòd communicet cum excommunicato in crimine iam damnato, seu punito ipsa excommunicatione, id est, postquam ob illud is, cum quo communicat, fuit excommunicatus, aliàs non communicaret cum iam excommunicato. & deducitur ex particula *criminoso*, reperta in c. *Nuper.* & clariùs ex particula *damnato*, reperta in c. *Statuimus*, de Sententia excommunicationis, in 6. Tertiò requiritur, quòd communicet sciens illum iam incurrisse excommunicationem, aliàs excusabitur à transgressione prohibitionis communicationis in crimine iam damnato, ob quam excommunicatio fertur contra ipsum communicantem; imò requiritur, quòd communicet sciens ignorantia aliqua, adhuc crassa: quia qui cum hac ignorantia communicat, non communicat scienter, sed ignoranter. Quartò requiritur, quòd is, cum quo communicat in crimine, sit nominatim excommunicatus, vt constat ex dicto c. *Nuper.* ac proinde non sufficit quòd sit notorius percursor Clerici, neque quòd excommunicationem generaliter latam ob illud crimen incurrerit. Quintò, vt contra Sotum docent Auila cap. 6. dub. 4. put. 10. dub. 4. Nauarrus & Suarez post Extrauagantem *Ad euitanda*. requiritur, quòd nominatim excommunicatus seu scriptus, talis sit etiam denuntiatus seu publicatus: & quamuis hæc excommunicatio sit iuris (ob quod etiam eam incurrit ipse excommunicans, excepto Papa) nequit absolui, nisi ab eo à quo potest ipse excommunicatus cum quo communicauit, quia id specialiter decernitur in dicto c. *Nuper*.

Secundus casus, in quo ob communicationem cum excommunicato incurritur excommunicatio maior, est, quando Clericus scienter & sponte admittit excommunicatum à Papa ad officia diuina: imò ipsi Papæ specialiter reseruatur in cap. *Significauit.* 18. de Sententia excommunicationis. Ad eam

eam ergo incurrendam requiritur, Primò, quòd communicans seu admittens sit Clericus. Secundò, quod communicatio sit admissio ad officia diuina, & non sufficit quòd cum illo interfit diuinis officiis sicut vnus de populo. Tertiò, quòd communicet sciens absque ignorantia esse excommunicatum à Papa. Quartò, quòd communicet sponte, id est non motus metu aliquo, aut vi adhuc leui. Quintò, quòd sit excommunicatus à Papa, & tamquam ab homine, ad quod non sufficit quòd excommunicatio sit contenta in Iure, vel in Bulla Cœnæ, imò & quòd sit denuntiatus.

Tertius casus, in quo ob communicationem cum excommunicato incurritur excommunicatio maior, est, quando quis communicat cum excommunicato excommunicatione, etiam lata contra participantes seu communicantes cum illo, vt constat ex cap. *In dubiis.* 30. de Sententia excommun. hæc autem excommunicatio maior numquam fertur à Iure, sed tantùm ab homine; & non fertur validè
14 contra sic communicantes, nisi specialiter feratur contra certam & determinatam personam, eam priùs canonicè monendo ne communicet, vt constat ex Iure nouo cap. *Statuimus.* 3. & c. *Constitutionem.* 9. de Sententia excommun. in 6. Ob quod Iudices, qui generaliter contra participantes ferunt excommunicationes, nihil faciunt, vt aduertunt communiter Doctores: imò illicitè, nisi forsan iam consuetudo eos excuset.

Et non solùm nihil faciunt, seu inualidè excommunicant, quando absque dicta monitione ferunt excommunicationem contra communicãtes cum
15 excommunicato ab ipso eodem Iudice (in quo Doctores conueniunt) sed etiam quando ferunt illam contra communicantes cum excommunicato ab alio Iudice, vt contra Couarruuiam docent
Vasquez. Vasquez dub. 10. & communiter Doctores, quia in dicto cap. *Constitutionem.* absolutè & absque distinctione aliqua excommunicati, requiritur dicta monitio, vt excommunicatio validè feratur contra communicantes cum excommunicato, quamuis in dicto c. *Statuimus.* tantùm sit sermo de communicantibus cum excommunicato ab ipso eodem Iudice.

Addimus, vt contra Auilam c. 6. disp. 10. dub. 5.
Nauarrus. & contra Henriquez docent Nauarrus cap. 27.
Sotus. n. 31. & Sotus in 4. dist. 22. q. 1. ar. 4. quòd quamuis excommunicatio nouiter lata à Iudice contra communicantes cum excommunicato sit nulla, quando non fit canonica monitio, & ideò non incurritur; nihilominùs ipsa noua prohibitio communicationis cum eo excommunicato obligat sub mortali: quia ex vna parte ea prohibitio fit ex nouo & sufficiente motiuo, vt ob eius transgressionem feratur excommunicatio maior; ex altera parte prohibitio ipsa non impeditur, neque irritatur ex defectu dictæ monitionis, quamuis irritetur ipsa excommunicatio, & ideò non incurratur, vt ex contextu dictorum capp. patet.

16 Quartus casus est, quando quis scienter propriæ temeritatis audacia præsumit sepelire in loco sacro publicè aut nominatim excommunicatum (& iam post Extrauagantem *Ad euitanda.* addè denuntiatum) vt constat ex Clementina 1. de Sepulturis, de quo egimus Disp. v. Diffic. VII.

Quintus casus solet tradi, nempe quando quis scienter præsumit sepelire in loco sacro hæreticos, aut eorum fautores & defensores, ex c. 2. de Hæreticis, in 6. Hæc tamen excommunicatio maior non incurritur ob communicationem cum hæretico, aut eius fautore in quantum excommunicato, sed in quantum hæretico aut fautore, de quo etiam egimus Disp. v. Diffic. III.

DIFFICVLTAS IV.

Quibus modis communicatio cum excommunicato non tolerato excusetur à culpa, & consequenter à pœna Excommunicationis.

SVpponimus, ex natura rei communicationem aliorum cum excommunicato (imò etiam ipsius excommunicati cum illis) etiam in Sacramentis, & in aliis diuinis, excusari à culpa, & consequenter à pœna excommunicationis, ob ignorantiam inculpabilem tam facti, id est excommunicationis excommunicati, quàm iuris, id est prohibitionis communicandi; & etiam ad vitandum graue aliquod detrimentum, siue in corpore, siue in fama, siue in bonis fortunæ. 17

Et ex misericordia & benignitate Ecclesiæ, vt 18
dicitur in can. *Quoniam multos.* 11. qu. 3. prohibitio communicationis fidelium cum excommunicato (quamuis aliàs non tolerato) subtrahitur, seu aufertur in quinque casibus hoc versu contentis:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

vt constat ex dicto can. & ex aliis Iuribus.

Primò ergo ob vtilitatem excommunicati, significatam particulâ *vtile*, aufertur prohibitio communicationis cum illo; & in primis ob vtilitatem spiritualem excommunicati, vt constat ex cap. *Cum voluntate.* 54. de Sententia excommun. ob quam eum possumus admittere ad concionem, vt dicitur in cap. *Responso.* 43. de Sententia excommun. (non tamen ad lectionem Theologiæ, vt contra Sotum & Sayrum docent Ægidius dub. 12. *Ægidius.* & plures alij, quia non ordinatur per se ad bonum 19
animæ excommunicati) & ob eamdem possumus admonere priuatim excommunicatum, etiam interponendo alia verba & alia signa beneuolentiæ, vt magis proficiat, vt dicitur in dicto cap. *Cum voluntate.* & ob id, quando admonitio fit in epistola potest poni solita salutatio, vt contra Siluestrum & Auilam docent non pauci: & ob eamdem vtilitatem potest audiri ab excommunicato confessio Sacramentalis ante absolutionem ab excommunicatione. Et non tantùm ob vtilitatem spiritualem excommunicati, sed etiam ob temporalem, in qua non tam agatur de lucro augendo, quàm de vita aut statu sustentandi, aufertur prohibitio communicationis cum illo; ac proinde ei possumus subuenire eleemosyna in indigentia communi, vt dicitur in dicto can. *Quoniam multos.* & etiam possumus ei nostro auxilio aut defensione subuenire, ne ei graue aliquod damnum eueniat.

Et non minùs ipse excommunicatus ob suam vtilitatem, aut spiritualem aut temporalem, poterit cum aliis communicare, quàm alij cum ipso; ac proinde poterit concionem audire, & orationes, & consilium, & eleemosynam petere, &, vt constat ex cap. *Si vere.* 34. de Sententia excommun. etiam poterit debitum priuatim exigere.

Et non solùm ob vtilitatem excommunicati, 20
aut spiritualem aut temporalem, sed etiam ob propriam potest quis communicare cum excommunicato,

nicato, quando nequit æquè cõmodè ab aliis subueniri, quia excommunicatio non debet esse magis incommoda aliis fidelibus, quàm ipsi excommunicato; ac proinde tunc potest quis audire ab excommunicato concionem, & consilium & fauorem, & eleemosynam petere, & necessaria emere: imò prædicatores & Confessores possunt ab excommunicato eleemosynam petere, quamuis possint aliunde æquè commodè sibi prouidere, vt indicatur in dicto c. *Cùm voluntate*, & vt constat ex dicto cap. *Si verè*, & ex c. *Intelleximus*. 7. de Iudiciis. Potest quis ab excommunicato debitum exigere, & legatum ab ipso relictum potest recipi, vtpote iam mortuo; quia quando recipitur, non accipitur ab illo excommunicato, quia iam est mortuus, quo cessauit excommunicatio (sicut epistola scripta ab excommunicato potest recipi & legi, quando iam non est excommunicatus) etiamsi Iure prohibiti simus eum ante absolutionem Ecclesiasticè sepelire, sed non profanè, nec eum aliter tractare.

21 Secundò, ob legem matrimonij, significatam particulâ *lex*, excipitur vxor à prohibitione communicationis cum marito excommunicato (adhuc de participantibus) in can. *Quoniam multos*, non solùm quoad vsum coniugalem, & quoad obsequia solita, sed etiam quoad omnia alia: nec excommunicatione mariti eximitur ab obligatione communicationis debitæ ratione matrimonij, vt cõstat ex c. *Inter alia*. 31. de Sententia excomm.

Tertiò, ob subiectionem significatam particulâ *humile*, excipiuntur filij, seu liberi tam masculi quàm feminæ à prohibitione communicationis cum parentibus excommunicatis (etiam de participantibus) in dicto can. *Quoniam multos*, imò, vt *Sayrus.* Sayrus aduertit lib. 2. c. 14. etiam cum aliis progenitoribus remotioribus, vt cum auis & proauis; quia etiam respectu horum dicuntur liberi in Iure: & nomine liberorum etiam comprehenduntur filij emancipati, quamuis non sint commensales, vt contra non paucos docent *Paludan.* Paludanus in 4. dist. 18. qu. 6. ar. 2. & *Hugolinus.* Hugolinus Tabula 2. c. 23. quia verè sunt filij: & etiam comprehenduntur illegitimi, ob eamdem rationem; & etiam comprehenduntur adoptiui, quamdiu non sunt emancipati, quia quamdiu non sunt, verè dicuntur filij: imò, vt aduertit Sayrus, etiam comprehenduntur *Sayrus.* nurus & gener, & priuignus & priuigna, quia ratione affinitatis habentur vt filij, & in dicto can. *Quoniam multos*, priuilegiantur liberi absque vlla restrictione.

22 Deinde ob subiectionem, eadem particulâ *humile* significatam, excipiuntur à prohibitione communicationis mancipia, & etiam seruientes, cum suis dominis & heris excommunicatis (etiam de participantibus) & non tantùm seruientes rustici, sed etiam alij, dum eorum consilio aut ope non fuerit perpetratum scelus ob quod incursa est excommunicatio, vt constat ex dicto Canone.

Tandem ob subiectionem excipiuntur subditi Religiosi à prohibitione communicationis cum suis Prælatis excommunicatis (etiam de participantibus) vt contra nonnullos docent Vasquez dub. 9. Auila c. 6 disp. 11. dub. 7. & communiter Doctores, non tamquam cum Iudicibus, quia à iurisdictione sunt suspensi, sed tamquam cum patribus familias gubernantibus domum; excipiuntur autem, vel quia habentur pro filiis, vel quia sunt de familia sui Prælati, & familia excusatur in dicto c. *Si verè*.

Dicto autem priuilegio communicandi cum marito excommunicato, & cum parentibus, & cum dictis superioribus, nempe dominis, heris, & Prælatis excommunicatis, etiam gaudent vxor & filij, & inferiores, quamuis tantùm ipsi sint excommunicati; quia absq; vlla restrictione excommunicationis propriæ, aut mariti, & parentum, & superiorũ eximuntur à prohibitione communicationis cum marito, & parentibus, & superioribus. Vnde vt contra Siluestrum & Rosellam aduertunt Conr. ruuias 1. p. §. 1. Vasquez dub. 9. Ægidius dub. 12. & communiter Doctores, non solùm vxor, & liberi, & inferiores sunt exempti à prohibitione communicationis cum marito, & cum parentibus, & superioribus excommunicatis, vt exprimitur in dicto can. *Quoniam*, sed etiam econtrà maritus, & parentes, & superiores sunt exempti à prohibitione communicationis cum vxore, & cum liberis, & cum inferioribus excommunicatis; quia eo ipso quòd vxori, & filio, & inferiori excommunicato conceditur communicare cum marito, & cum parente, & cum superiore, etiam conceditur ipsis marito, & parenti, & superiori communicare cum illis excommunicatis; cùm maritus, & parens, & superior non excludantur ab eo fauore, sicut excluditur excommunicatus toleratus per Extrauagantem *Ad euitanda*.

Eximuntur autem omnes prædicti, etiamsi ipsi excommunicati, iam excommunicati, & alij post horum excommunicationem denuntiatam inter tales, nempe coniuges, & famuli, & domini, & superiores, & inferiores, vt contra Angelum docent Ægidius & alij; quia quamuis post excommunicationem modo declarato illicitè fiant tales (nisi ratione vtilitatis, aut necessitatis) nihilominus absolutè fiunt & sunt tales, & isti tales eximuntur absolutè, & absque restrictione.

Ob dictam tamen subiectionem, significatam particulâ *humile*, non excipiuntur vasalli à prohibitione communicationis cum domino temporali excommunicato, nec econtrà, quia vasalli non sunt filij, nec seruientes, nec aliter de familia domini temporalis: & ob eamdem rationem Clerici non excipiuntur à prohibitione communicationis cum suo Episcopo excommunicato, nec econtrà.

Et quamuis sint qui existiment, inferiores eiusdem familiæ gaudere dicta exemptione à prohibitione communicationis inter se; id tamen absque fundamento dicitur, nec est verum, nisi quatenus necessarium sit vt communicent cum superioribus & superiores cum ipsis: possunt tamen absq; alio titulo communicare in cohabitando in eadem domo, in qua erant ante excommunicationem, quia nullus excommunicatione cogitur proprium habitaculum deserere.

Quartò, ob ignorantiam, significatam particulâ *res ignorata*, ignorantes excipiuntur à prohibitione communicationis cum excommunicato, vt constat ex dicto can. *Quoniam multos*, quod intelligitur tam de ignorantia facti, id est excommunicationis (imò non toleratæ) quàm Iuris, id est prohibitionis communicationis cum excommunicato, quia dictus Canon absolutè & absque vlla restrictione loquitur de ignorantibus.

Et quamuis communiter Doctores ad id exigi ignoran-

ignorantiam inuincibilem, sed absque efficaci fundamento, imò contra dictum Canonem, quia in eo Pontifex significat se ex misericordia eximere ignorantes, & reliquas suprà dictas personas; & tamen ignorantia inuincibilis non ex misericordia, sed ex natura rei excusat. Et huic non parum
26 fauet, quòd in initio, antequam dictam indulgentiam concedat, præmittit pro causa & motiuo concessionis, quam statim facit, quòd multi occasione excommunicationis perierint partim ignorantia, partim nimia simplicitate; & tamen nullus periuit ignorantia inuincibili: ergo quando statim eximit ignorantes, eximit eos qui vincibiliter ignorant: quod in dicto Canone etiam indicatur, dum absolutè & absque vlla restrictione ignorantiæ eximit ignorantes, quia ignorantia vincibilis est vera ignorantia.

Vt ergo quis peccet communicando cum excommunicato, non sufficit dubium de excommunicatione (in quo Doctores communiter conueniunt) imò in dubio non potest tractari, vt excommunicatus absque iniuria illius, quia in materia iustitiæ melior est conditio possidentis; sed requiritur notitia moraliter certa excommunicationis, imò extra confessionem habita, imò etiam requiritur notitia moraliter certa denuntiationis excommunicationis, aut incursionis notoriæ in excom-
27 municationem ob percussionem Clerici. Qui autem est dubius de dicta denuntiatione, aut incursione, si sit moraliter certus de excommunicatione, quamuis absque iniuria possit vitare publicum publicè, & occultum occultè, iuxta antiquam dispositionem c. *Cùm non ab homine.* 14. de Sententia excommun. non tamen tenetur illum non vitare; quia etiamsi in Extrauagante *Ad euitanda*, concedatur licentia tolerandi seu non vitandi non denuntiatum, & non excommunicatum notoriè ob percussionem Clerici, sed in ea non obligatur ad illum tolerandum. Dicitur autem notitia moraliter certa, quæ est prudens, seu probabilis. Vnde si quis extra confessionem audierit ab ipso excommunicato non tolerato ipsum esse talem, aut si id audiuit à Parocho fide digno, aut si id publica fama ei constet, non potest cum tali communicare, quia notitia sic habita est moraliter certa.

28 Postquam verò quis certò nouit aliquem esse excommunicatum & vitandum, tamdiu est ab ipso vitandus, quamdiu ipsi non constet prudenter seu probabiliter esse absolutum ab excommunicatione, vt constat quando plures fide digni id pro certo affirmant, imò & quando vnus, imò & quando ipse excommunicatus, si fide dignus sit. Sufficit quoque publica fama absolutionis, aut quòd multum tempus transierit post incursam excommunicationem, & quòd, considerata conditione personæ & negotij, prudenter iudicetur non insurduisse tanto tempore in excommunicatione. Imò etiam sufficiet, si non sit malæ famæ, & in principio se gerebat vt excommunicatus, quòd postea se gerat vt absolutus.

Obseruandum est, vt contra nonnullos optimè Vasquez dub. 8. & Auila c. 6. disp. 11. dub. 11. ex- *Vasquez. Auila.*
communicatos vitandos in vna Prouincia, aut in vna ciuitate, vitandos esse vbique; ita tamen, vt si in alio loco id sit publicum, publicè vitetur: & si occultum, occultè tantùm, iuxta dictum c. *Cum ab homine.* quia in dicta Extrauagante nihil circa hoc innouatur, sed tantùm quantum ad qualitatem excommunicatorum, quòd scilicet, vt debeant vitari (publici publicè, & occulti occultè) sint denuntiati, aut notoriè excommunicati ob percussionem Clerici.

Tandem Quintò ob necessitatem, significatam 29
particula *necesse*, aufertur prohibitio communicationis cum excommunicato, quæ est necessitas simpliciter & absolutè etiam morali modo (ad differentiam vtilitatis, quæ est necessitas ad melius esse) vt constat ex dicto can. *Quoniam multos*, & ex cap. *Inter alia.* 31. de Sententia excommunicationis: & ob necessitatem tam ipsius excommunicati, quàm aliorum, & tam ob corporalem, quàm ob spiritualem, in quo Doctores communiter conueniunt: & non tantùm ob necessitatem obligantem, sed etiam ob communem; & non minùs ipse ob suam necessitatem poterit communicare cum aliis, quàm alij cum ipso. Prædicta autem sunt vera, quando patienti necessitatem siue ipse siue alius eam patiatur, non possit aliunde commodè subueniri, nisi media communicatione ipsius excommunicati cum aliis, & aliorum cum ipso: sicut nec ratione vtilitatis aufertur prohibitio communicationis, quando æquè commodè potest quis 30
aliunde subueniri; quia quando æquè commodè potest aliunde, non meliùs subuenitur media communicatione: ac proinde in ea communicatione comparata cum alio medio, non est vtilitas; & quando commodè potest aliunde subueniri, non est necessitas in communicatione, comparata cum alio medio. Necessitas tamen ob quam aufertur prohibitio communicationis, non est scrupulosè examinanda; quia vbi examinatur necessitas, vix deficiet manifesta vtilitas, quæ etiam sufficit ad excusandam dictam communicationem.

DISPVTATIO X.

De octauo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS VNICA.

Vtrùm rescriptum ab excommunicato impetratum sit nullum.

1 CONVENIVNT Doctores, excommunicationem maiorem efficere nulla, rescripta Papæ ab excommunicato impetrata, & processum virtute illorum factum super alio quàm super excommunicationis aut appellationis articulo, vt expressè constat ex c. 1. de Rescriptis, in 6. nisi rescripta dentur cum clausula absolutionis ad effectum validationis eorum, vt iam semper fit, quamuis sub ea conditione (contenta in Regula Cancellariæ de Insurdescentibus) nempe quòd excommunicatus non insurduerit per annum in excommunicatione: imò nec per quatuor menses in octo casibus contentis in eadem Regula, quam referunt Toletus lib. 1. cap. 13. & Nauarrus tom. 1. Consiliorum lib. 5. tit. de Sententia excommun. cons. 44.

Toletus.
Nauarrus.

Id autem quod dicimus, nempe excommunicationem maiorem efficere nulla, rescripta Papæ, non est extendendum ad rescripta Prælatorum Papâ inferiorum, vt aduertunt Nauarrus vbi suprà, & Suarez disp. 17. sect. 1. quia non dicuntur simpliciter rescripta, sed tantùm rescripta supremorum Principum: imò non est extendendum ad rescripta supremorum Principum sæcularium, vt contra Nauarrum aduertit Suarez, quia in dicto cap. 1. tantùm est sermo de rescriptis Apostolicis, vt ex contextu cap. & ex discursu Tituli deducitur. Quæ ratio etiam habet locum in dictis rescriptis Prælatorum Papâ inferiorum.

Prædictam autem nullitatem rescriptorum Papæ, concessorum excommunicato, difficilè credimus habere locum in rescriptis absolutè concessis excommunicato tolerato: id autem difficilè credimus, vt faueamus Papæ concedenti rescripta, vt absque scrupulo possit ea absolutè conferre, quia iure communi prohibitionis excommunicationis alienæ, quoad vim directiuam teneatur.

DISPVTATIO XI.

De effectibus remotis Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS VNICA.

Vtrùm præter dictos sint alij effectus Excommunicationis maioris.

1 CONVENIVNT Doctores, præter effectus, quos excommunicatio maior causat per se & immediatè, de quibus iam egimus, esse alios qui remotè & quasi per accidens ex illa oriuntur.

Primus ergo effectus remotus excommunicationis maioris est pœna, quæ incurritur non immediatè ob excommunicationem, sed ob transgressionem excommunicationis seu prohibitionis ipsius, vt est irregularitas, quam incurrit Clericus, qui excommunicatus exercet vt minister, seu solemniter officium Ordinis sacri quem habet, vt constat ex cap. 1. de Sententia & re iudicata, & ex cap. *Is qui.* 18. & ex c. *Is cui.* 20. de Sententia excommun. in 6. & suspensio, quam incurrit, qui excommunicatus ob percussionem Clerici suscipit Ordinem, vt constat ex c. *Cùm illorum.* 32. de Sententia excommun. & etiam excommunicatio, siue maior siue minor, quam incurrit illicitè communicans cum excommunicato.

Secundus effectus remotus est, eum, qui conuenitur super crimine, siue ciuiliter siue criminaliter, & ob contumaciam in ea causa excommunicatur, & in ea excommunicatione per annum perseuerat, censeri conuictum de eo crimine, vt deducitur ex can. *Rursus*, & ex can. *Quicumque.* 11. quæst. 3. ac proinde, qui suspectus de hæresi vocatur ab Inquisitoribus vt respondeat de fide, & non comparet, & ob id excommunicatur, & in excommunicatione per annum perseuerat, censetur conuictus de hæresi, & vt talis puniendus est, vt deducitur ex cap. *Cum contumacia.* 7. de Hæreticis, in 6.

Tertius effectus remotus est, eum, qui excommunicatione innodatus (& idem est de suspensione & interdicto) obdurato animo in ea per annum perseuerat, fieri suspectum de hæresi, & vt talem posse puniri, vt constat ex Tridentino sessione 25. c. 3. de Reformat. Hæc tamen suspicio est leuis, vt constat ex praxi Inquisitorum, & dicitur in Directorio Inquisitorum 2. part. quæst. 47. inducit tamen purgationem, in qua si deficiat, poterit vt hæreticus puniri. Addidimus (vt additur in Tridentino) *obdurato animo*, quia si ignorantia, aut impotentiâ in excommunicatione perseueret, non fit suspectus.

DISPVTATIO XII.

De causis Excommunicationis maioris.

1 QVAMVIS de causis censurarum indistinctè & generaliter egerimus in Tractatu de Censuris in cõmuni, nihilominùs, quæ ibi diximus, in hac Disputatione breui collectione ad excommunicationem applicabimus, ne Tractatus iste de Excommunicatione, adeò necessarius, mutilus relinquatur.

DIFFICVLTAS I.

Qui possint excommunicare.

2 CONueniunt Doctores, in omnibus illis & solis, in quibus est potestas Ecclesiastica ordinaria in foro contentioso, esse potestatem ordinariam excommunicandi, quos Tract. de Censuris in communi Difficultate IV. assignauimus.

Est tamen difficultas, An Parochus habeat potestatem ordinariam excommunicandi.

Circa quam etiam si non desint, qui existiment Parochum eam habere pro casu furti & rapinæ, imò qui existiment eam habere pro quibuscumque casibus adeò notoriis, vt non indigeant iudiciali indagatione: Vasquez tamen dub. 17. Auila 2. p. cap. 3. disputat. 1. dubio 1. & communiter Doctores negant Parocho potestatem ordinariam excommunicandi, & meritò; quia nec ex suo munere, nec ex Iure habet potestatem, seu iurisdictionem in foro contentioso: & licet forsan aliquando ex Iure excommunicare potuerint, vt indicari videtur in cap. *Cum ab Ecclesiarum.* 3. de Officio Ordinarij; iam tamen consuetudine abolitum est. quòd si alicubi Parochus eam habeat, aut retineat, standum est ibi consuetudini. *Vasquez. Auila.*

3 In illis verò omnibus & solis reperitur potestas delegata excommunicandi, quibus, aliàs capacibus, fuerit commissa ab habente potestatem ordinariam, à qua ita dependet potestas delegata, vt quando potestas ordinaria delegantis deficit, aut impeditur, etiam potestas delegati deficiat aut impediatur, quando res est integra, id est non incepta: & delegatus, cui reuocata est iurisdictio, validè excommunicat quousque ad eum perueniat reuocatio.

Quæ verò requirantur in ferente excommunicationem, vt eam validè ferat, & quibus modis ferri possit, constat ex dicto Tractatu Difficultate V. & VI.

DIFFICVLTAS II.

Qui possint excommunicari.

CONueniunt Doctores, eos omnes & solos, qui alicui superiori Ecclesiastico habenti iurisdictionem in foro contentioso, subditi sunt, posse excommunicari, vt generaliter de omni Censura diximus Tract. de Censuris in communi, Difficultate VII. & sequentibus.

Vnde nec creaturæ irrationales, nec Angeli, nec homines non baptizati excommunicari possunt, nec Papa, nisi forsan in aliquo casu à Concilio generali, de quo in Tract. de Potestate Papæ & Ecclesiæ: nec idem à se ipso, nec defuncti, nisi vel indirectè quoad alios, vt alij nequeant ipsos Ecclesiasticè sepelire, nec pro eis suffragia cõmunia offerre; vel si directè, sumpta tamen excommunicatione pro declaratione, qua declarantur ex hac vita decessisse in excommunicatione: nec pueri ante vsum rationis, nec perpetuò amentes, qui ante vsum rationis in amentiam inciderunt; benè tamen qui post vsum rationis facti sunt amentes: pueri quoque impuberes ratione vtentes excõmunicari possunt, non solùm à Iure, sed etiam ab homine. 4

Subditus autem Episcopi existens in alieno Episcopatu, vt alienigena excommunicari nequit à suo Episcopo, nec medio statuto, nec medio præcepto, nisi ratione delicti in suo Episcopatu commissi, nec ab Episcopo Episcopatus in quo est, vt alienigena, nec medio statuto nec præcepto, nisi post delictum commissum, vt pro eo satisfaciat. Vagabundi verò excommunicari possunt ab Episcopo loci in quo actu habitant; quia ratione actualis habitationis, quæ in vagabundis est loco domicilij, fiunt subditi Episcopo illius loci: neque subditus Episcopi excommunicari potest à suo Episcopo existente extra suum Episcopatum, nisi quando Episcopus fuit expulsus à suo Episcopatu; quia tunc in loco viciniori suo Episcopatui potest, petita licentia ab Episcopo Episcopatus in quo est, quamuis non obtenta, suos subditos excommunicare, vt patet ex Clementina vnica de foro competenti: nec subditus Episcopi Suffraganei Archiepiscopo potest ab Archiepiscopo excommunicari: nec Principes supremi excommunicari possunt, nisi à Papa, vt docent communiter Doctores, siue priuilegio illis omnibus communi, aut viua voce, aut aliter tradito, siue priuilegiis peculiaribus: nec Religiosi, nisi à suis Prælatis, aut à Papa, aut ab eius Legato. Addit tamen Henriquez lib. 13. cap. 25. excommunicatione lata à Legato non comprehendi, nisi in litteris fiat expressa eorum mentio. 5 *Henriquez.*

Est tamen difficultas Primò, An communitas, vt populus, Capitulum, & Collegium, possit excommunicari.

Circa quam conueniunt Doctores, communitatem secundùm se & immediatè (id est personas communitatis, vt sunt membra & partes communitatis) non posse licitè ab homine excommunicari ob idem crimen commune in vno negotio, v.g. in vna electione, etiam quando omnes peccant, quia ad minus hoc prohibetur ab Innocentio IV. in cap. *Romana.* 5. de Sententia excommunic. dum ait, *In Vniuersitatem vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, sed in illos dumtaxat de Collegio vel Vniuersitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur.* 6

Et non solùm prohibita est, seu illicita excommunicatio lata ab homine contra communitatem,

in quo Doctores conueniunt; sed etiam est nulla,
Vasquez. vt contra non paucos docent Vasquez dub. 17.
Nauarrus. Nauarrus & Antoninus: quia quoties lex prohi-
Antonin. bet, ne circa aliquod genus personarum aliquid fiat, vt assignet legitimam personam circa quam fiat, & excludat personam circa quam non sit faciendũ, vt contingit in præsenti casu, irritat actum quem prohibet, vt quando lex prohibet ne talis
Vasquez. persona instituatur hæres, vt docet Vasquez 1.2. disputat. 164. num. 34.

7 Sed quamuis communitas excommunicari non possit ab homine ob crimen commune in aliquo vno negotio; potest tamen excommunicari excommunicatione Iuri annexa: & quamuis non possit communitas excommunicari ab homine, possunt tamen excommunicari plures communitatis ex his qui astiterũt ei negotio, etiam vt membra communitatis, ob idem commune crimen in aliquo vno negotio, dum non excommunicentur omnes illi, qui in eo negotio assistentes, & repræsentantes communitatem, illud crimen commiserunt, quia omnes isti non possunt vt membra communitatis excommunicari ab homine, quamuis aliqui communitatis non astiterint ei negotio: possunt tamen omnes, vt membra communitatis, excommunicari ab homine ob diuersa crimina, alij ob vnum, & alij ob aliud; & etiam omnes vt particulares personæ etiam ob idem commune
8 crimen ab illis, vt à particularibus personis commissum, quia in dicto cap. tantùm est sermo de excommunicatione ab homine lata contra communitatem, vt talem ob peccatum commune ab ea commissum, quia non præsumitur omnes communitatis, qui assistunt alicui negotio, delinquere eodem communi crimine.

Secundò est difficultas, An excommunicatus nondũ absolutus possit iterùm excommunicari.
Glossa. Non desunt, vt refert Glossa in can. *Engeltrudam.* 3. quæst. 4. qui doceant non posse, quia eis videtur, quòd qui per excommunicationem existit priuatus bonis Ecclesiæ, nequeat iterùm illis eisdem nondum restitutis priuari.

Doctores tamen communiter docent, posse, & deducitur efficaciter ex cap. *Cùm pro causa.* 27. de Sententia excommun. & ex Clementina 2. de Sententia excommunic. & constat ex praxi Ecclesiæ, quæ id facit. Et meritò: quia Ecclesia ex vna parte punire potest prout expedit, & ex altera iteratio censuræ nulli Iuri aduersatur. Ecclesia autem multiplicat excommunicationes, vel mediâ nouâ sententiâ ob diuersa crimina (quamuis etiam possit ob idem) vel medio Iure aut mandato (quibus sit annexa excommunicatio) ob multiplicem transgressionem Iuris aut mandati.

9 Secunda autem excommunicatio (& idem est de tertia, & de aliis) priuat anteà excommunicatum eisdem bonis, non ea auferendo, quod fieri non potest, vt probatur ratione aduersariorum, sed impediendo ne restituantur, quousque etiam etiam ipsa secunda auferatur, quia, quantum est ex se, priuat illis.

DIFFICVLTAS III.

Ob quam causam possit ferri & infligi Excommunicatio maior.

10 COnueniunt Doctores, excommunicationem maiorem non posse ferri & infligi, nisi ob peccatum mortale, vt dicitur in can. *Nemo Episcoporum.* 11. quæst. 3. & in Tridentino sess. 25. c. 3. de Reformatione: & non solùm non posse licitè, sed nec validè, adhuc à Papa; quia excommunicatio maior est pœna nimis excedens, iniusta, & inæqualis peccato veniali, ac proinde nulla, vt etiam diximus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate x.

Ex quo fit, eum, qui in transgressione statuti aut præcepti, cui annectitur excommunicatio maior ipso facto incurrenda, excusatur à culpa mortali siue defectu plenæ aduertentiæ, siue vi aut metu, siue graui aliqua necessitate, siue alia via, non incurrere eam excommunicationem.

Excommunicatio ergo maior ipso facto incurrenda, annexa legi aut præcepto, indicium est obligationis legis aut præcepti sub mortali, & sic inducendum est obligare, quamdiu oppositum non constat, in quo Doctores conueniunt: imò etiam excommunicatio maior comminatoria, vt contra nonnullos docent Suarez dist. 18. sect. 3. Auila 2. p. cap. 5. disp. 1. dub. 4. & Vasquez 1.2. disputat. 158. cap. 5. quia statim post transgressionem legis aut præcepti potest excommunicatio validè ferri & infligi, & nequit validè ferri & infligi nisi ob peccatum mortale. Quòd si post transgressionem non potest ferri licitè, quando in Iure aut in præcepto, cui est annexa excommunicatio comminatoria, non fuit facta trina monitio, vel vna pro tribus cum competentibus temporum interuallis, non est ex defectu grauitatis transgressionis; quia transgressio tali monitione non fit grauis, quando ante talem monitionem non erat grauis (nisi aliquando ex nouo fine, aut ex noua circumstantia) sed quia Iudicibus Iure præcipitur, vt dicto modo admoneant ad ferendam excommunicationem sententia superaddita legi aut præcepto.

Et non solùm excommunicatio maior non potest ferri, adhuc validè, nisi ob peccatum mortale, sed etiam non potest nisi ob mortale exterius, imo inobedientiæ respectu Ecclesiæ præcipientis non potest licitè ferri, nisi ob peccatum inobedientiæ respectu Ecclesiæ præcipientis, saltem sub comminatione censuræ; benè tamen validè, vt contra Suarez & Auilam indicant Couarruuias 1. p. §. 9. & 10. & Vasquez dub. 16. ad finem.

Obseruandum est, quòd quamuis excommunicatio maior possit validè ferri pro quacumque mortali inobedientia respectu Ecclesiæ, quia quicumque mortalis digna est excommunicatione maiori; tamen illicitè fiet: quia si pro quacumque feratur, fiet vt excommunicatio maior, quæ inflicta est in animarum medicinam, redundet in earum perniciem, quia fideles nimis exacerbabuntur, si ita temerè & ita facilè feratur.

Et non solùm excommunicatio maior potest validè & licitè ferri à Iure, & etiam ab homine pro peccatis præteritis, sed etiam pro futuris sub conditione, si fiant, vel expressa, vel subintellecta. v. g. *Si quis non admiserit*, vel, *Qui non admiserit conceptionem Virginis absque peccato originali, sit ipso facto excommunicatus.*

Et quando excommunicatio maior fertur contra facientes aliquod opus, non comprehendit consulentes nec mandantes opus illud; quando in Iure ipso, aut in præcepto cui annectitur, non significatur; nec comprehendit opus non consummatum

pletum seu perfectum in suo genere, vt excommunicatio, quæ fertur contra scribentes ad Moniales, non incurritur, nisi scriptura ad illas perueniat; & quæ fertur contra occidentes Clericum; non incurritur à propinante venenum, nisi sequatur mors; & quæ fertur contra hæreticos, non incurritur ob solam exteriorem prolationem hæresis (quamuis plenè voluntariam) absque assensu interiori hæretico. Ratio vtriusque supradicti est, quia latio seu impositio pœnæ est odiosa, ac proinde omnino strictè interpretanda: qui autem consulit vel mandat opus, aut efficit illud non perfectum, non dicitur omnino strictè illud opus facere.

Addimus, quòd quando excommunicatio maior etiam fertur ob consilium, vel ob mandatum operis, non incurritur non secuto opere, quamuis opus miraculosè impediatur, quando fertur principaliter tantùm ob opus, vt fertur excommunicatio contra mandantes & consulentes percussionem Clerici: at quando etiam fertur principaliter ob consilium aut mandatum, statim incurritur ante opus secutum. Imò quamuis numquam sequatur, vt in Clementina de Pœnis cap. 1. fertur
14 excommunicatio maior contra Religiosos Mendicantes, qui in concionibus docent aliquid animo retrahendi populũ à solutione decimarum. Quomodo verò excommunicatio lata ob consilium, vel ob mandatum lata principaliter ob opus, non incurratur, quando ante opus secutum præcedit resipiscentia efficax consilij aut mandati, constat ex dictis Tractatu de Censuris in communi, Diff. xv. & etiam quomodo non incurratur excommunicatio lata ob opus completum, quando inchoationis anteà factæ præcedit resipiscentia efficax.

DIFFICVLTAS IV.

Quomodo ferenda est Excommunicatio maior.

SVpponimus, ad ferendam excommunicationem maiorem requiri plenam aduertentiam & intentionem ferendi illam; & non sufficere intentionem excommunicandi non expressam exteriùs, vtpote non sensibilem, & non humanam, sed requiri expressionem exteriorem dictæ intentionis siue verbis, siue scripturâ, siue nutibus factam.

15 Hoc supposito, conueniunt Doctores, excommunicationem maiorem ferendam esse signis exterioribus, quibus Superior sufficienter exprimat se excommunicare aliquem, vt dicendo: *Te excommunico*, aut, *Te vinculo excommunicationis innodo*, aut, *Te mucrone excommunicationis percutio*, aut, *Te priuo seu separo à communione fidelium*, aut, *Te ab Ecclesia præscindo*, aut aliis æquiualentibus. Et quamuis his verbis, *Denuntio te excommunicatum*, ex vi eorum non sufficienter exprimat se excommunicare, quia eis vi eorum solùm significatur denũtiatio excommunicationis, quæ ipsam excommunicationem supponit. Ex circumstantiis tamen, aut ex aliis verbis adiunctis, solet illis exprimi excommunicatio, vt fit quando proferuntur à Superiore, sicut etiam quando profert verba illa,
16 *Noueris te excommunicationem incurrisse*; quia à Superiore proferuntur practicè, vt significant denuntiationem seu notificationem practicam, seu effectricem excommunicationis. Illis quoque verbis, *Nullus cum Petro communicet*, sufficienter exprimitur excommunicatio, quando proferuntur à Superiore post cognitionem causæ, & per modum sententiæ: imò eis significatur excommunicatio maior, & non minor, vt contra Hugolinũ & Sayrum aduertit Suarez disp. 18. sect. 4. quia eis signi- *Suarez.*
ficatur, illum priuari communione fidelium, per quod definitur excommunicatio maior in cap. pænult. de Sententia excommunicat.

Et vt constat ex Tractatu de Censuris in communi, Difficul. v. eis verbis imponitur excommunicatio maior lata, quæ statim incurritur, & non ferenda posteà, quibus significatur excommunicationem vel tunc seu actu infligi, vel statim ac fit transgressio Iuris aut præcepti: vt quando imponitur verbis excommunicationis Præsentis Indicatiui, vt quando dicitur, *Te excommunicamus*; & quando imponitur Verbis Imperatiui, aut Optatiui, quibus non committitur, aut quasi imperatur alteri executio excommunicationis, vt quando dicitur, *Incidas* aut *incurras excommunicationem*; & etiam quando imponitur Verbo substantiuo Præsentis Imperatiui, aut Optatiui, aut Futuri Indicatiui, addito Participio præteriti excommunicationis, vt quando dicitur, *Sis excommunicatus*, 17
Eris excommunicatus; & etiam quando imponitur aliis verbis idem significantibus, vt quando dicitur, *Incides, incurres excommunicationem*; & etiam quando imponitur annexa Iuri aut præcepto sub conditione (siue expressa siue subintellecta) transgressionis futuræ verbis comminatoriis excommunicationis, superaddito verbo *latæ sententiæ*, aut *ipso facto*, aut *ipso Iure*, vt quando dicitur: *Fiat hoc sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ*, &c.

Eis verò verbis imponitur excommunicatio maior non lata, sed tantùm ferenda à Iudice, quibus non significatur statim, ac fit transgressio iuris aut præcepti, quibus comminatoriè annectitur, vt quando annectitur solis verbis comminatoriis excommunicationis, non addito verbo *latæ sententiæ*, nec *ipso facto*, nec *ipso Iure*, nec alio æquiualente; vt quando solùm dicitur, *Fac hoc sub pœna excommunicationis maioris*, & etiam quando annectitur verbis excommunicationis de futuro, vt quando dicitur, *Excommunicabimus*; & quãdo annectitur Verbis Præsentis Imperatiui, aut Optatiui, quibus quasi imperatur, & committitur alteri executio seu inflictio excommunicationis, vt quando dicitur, *Qui hoc fecerit excommunicetur*. 14

Addimus, quòd quando est dubium an verba 18
contineant excommunicationem latam, iudicandum est eam non continere, sed tantùm ferẽdam, quia odia sunt restringenda: secùs est quando quis est dubius an sit lata excommunicatio verbis non dubiis; sicut quis non obligatur lege dubia verbis dubiis tradita, benè tamen quando est dubius, an sit lex verbis non dubiis tradita.

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm Excommunicatio maior possit ferri absque præuia monitione canonica.

CIrca monitionem præuiam ad ferendam ex- 19
communicationem maiorẽ, constat ex Tract. de Censuris in communi, Difficul. XVIII. ad ferendam excommunicationem maiorem medio

Iure aut medio præcepto, siue generali siue speciali, pro transgressione futura sub conditione si fiat, siue expressa siue subintellecta (vt quando dicitur, *Qui scit aliquem deliquisse tali delicto id patefaciat intra tres dies sub pœna excommunicationis maioris, ipso facto incurrendæ*) non prærequiri aliam monitionem, quàm lationem Iuris aut præcepti, ei annectendo excommunicationem ipso facto incurrendam: quod quoad lationem excommunicationis medio præcepto, siue generali siue speciali (in quo est maior difficultas, quàm medio Iure) satis indicatur in cap. *Romana.* 5. de Sententia excommunicationis, in 6. & in cap. *Reprehensibilis.* 26. de Appellationibus. Ad ferendam tamen excommunicationem siue generaliter siue specialiter ob peccatum iam præteritum, quæ tantùm fertur ab homine, & sententia noua post peccatum iam omnino commissum, prærequiri monitionem, constat ex cap. *Sacro.* 48. de Sententia excommunic. & ex dictis capp. *Romana.* & *Reprehensibilis.*

20 Est autem generaliter prærequisita monitio, vt sic feratur excommunicatio, nempe ab homine, nouâ sententiâ post peccatum omnino commissum propter illud, etiam quando fertur à Prælato spoliato sua Ecclesia, ad defensionem sui Iuris, & etiam vt Iudex ferat nouam excommunicationem ob delictum iam factum, ob quod iam est incursa excommunicatio aliàs Iuri aut præcepto annexa ipso facto, & vt Iudex ferat excommunicationem quam Ius comminatur, & non imponit ipso facto, quia pro nullo ex his tribus casibus, nec pro alio sit alicubi exceptio. Habet autem locum monitio ad ferendam excommunicationem ob peccatum iam præteritum, quando, antequam excommunicatio feratur à Iudice, factum est peccatum contra Ius aut præceptum aliquod siue naturale siue positiuum, cui non est annexa excommunicatio saltem ipso facto, quia tunc vt à Iudice feratur excommunicatio, debet ante commissum peccatum præsupponi monitio, & sub comminatione excommunicationis siue generaliter siue specialiter facta.

Hæc autem monitio prærequisita, vt feratur excommunicatio ab homine pro peccato omnino præterito nouâ sententiâ post illud omnino commissum, debet inprimis esse iussio Iudicis: quia prærequiritur, vt excommunicatio non feratur nisi contra inobedientes Ecclesiæ; imò ipsi excommunicanti, aut eius antecessori, quia non 21 erunt tales nisi contra iussionem illius. Secundò debet esse sub comminatione excommunicationis, vt indicatur in cap. *Sacro.* 48. de Sententia excommunicationis. Tertiò debet esse iuridica, id est, non priuatim facta, sed ordine Iuris, & nomine Iudicis, & ipsi reo in persona propria, nisi malitiosè abscondatur: quia si abscondatur, sufficiet quod fiat in loco, vnde præsumatur quòd ad eius notitiam perueniet, dum verè perueniat. Quartò debet esse trina, vel vna pro tribus, prout arbitrio Iudicis, cum competentibus aliquorum dierum interuallis, nisi necessitas postulat temporum interualla moderari, vt disponitur in c. *Constitutionem.* 9. de Sententia excommun. in 6. Deinde quintò, vt feratur excommunicatio maior contra eos qui communicant cum excommunicato in locutione, & in aliis ob quæ Iure incurritur excommunicatio minor, requiritur vt monitio sit canonica, & competens, & quòd ea moneatur nominatim ille qui excommunicatione est ligandus, vt disponitur in dicto cap. Tandem sexto, quod monitio fiat coram personis, quibus possit iuridicè probari, vt disponitur in dicto cap. *Sacro.* Est autem generaliter prærequisita monitio cum omnibus dictis conditionibus in omni casu, vt modo dicto feratur excommunicatio ab homine, quæ absque fundamento aliquis excipitur, vt latè diximus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate XVIII.

Ita tamen monitio debet esse præceptiua & iuridica, imò & quòd ad notitiam rei perueniat, vt excommunicatio aliter lata sit nulla Iure Ecclesiastico naturali. Quòd verò sit trina, vel vna pro tribus, & cum competentibus dierum interuallis, etiam quando necessitas id non postulat moderari, non est necessarium ad valorem excommunicationis (sicut neque quòd fiat sub comminatione excommunicationis) sed vt licitè feratur, quamuis feratur à Iudice delegato, etiam quando in delegatione additur, quòd seruetur trina monitio: & quòd fiat coram personis quibus possit iuridicè probari, tantùm prærequiritur vt licitè fiat, vt disponitur in dicto cap. *Sacro*: & quòd eá moneatur nominatim qui excõmunicandus est, necessarium est ad valorem excommunicationis, quæ feratur contra eos qui communicant cum excommunicatis in locutione, & in aliis ob quæ Iure incurritur excommunicatio minor, vt disponitur in dicto *Constitutionem*, imò & quòd sit canonica & competens, vt patet ex ipso cap. & ex cap. *Statuimus.* 2. & ex cap. *Statutum.* 13. Ac proinde credimus, ad valorem dictæ excommunicationis prærequiri monitionem cum sex conditionibus enumeratis §. præcedenti, quia aliter non erit competens & completè canonica.



DISPVTATIO XIII.

De impedientibus incursionem Excommunicationis.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm ignorantia impediat incursionem Excommunicationis maioris.

1 CONVENIVNT Doctores, ignorantiam, siue physicè siue moraliter inuincibilem (adhuc comitantè) siue facti, vt homicidij, siue Iuris (cuius nomine etiam comprehenditur præceptum transitoriũ) ob cuius transgressionem fertur excommunicatio maior, impedire incursionem excommunicationis maioris. Quod verum existimamus contra nonnullos Tract. de Censuris in communi, Difficultate xxi. etiamsi operans det operam rei aliàs illicitæ, quia ignorantia inuincibilis tam facti v.g. homicidij quam Iuris, quo prohibitum est factum v.g. homicidium, excusat homicidium à culpa homicidij, ob quam fertur excommunicatio, & ob eamdem rationem inaduertentia actualis omnimoda tam facti quàm Iuris impedit incursionem excommunicationis, quia scilicet excusat à culpa.

2 Et quia ignorantia inuincibilis & omnimoda inaduertentia actualis Iuris Ecclesiastici, quo factum est prohibitum, excusat ab inobedientia respectu Ecclesiæ, ob quam solam incurritur excõmunicatio; ideò quamuis factum etiam sit prohibitum Iure naturali aut diuino, impedit incursionem excommunicationis.

Ignorantia tamen vincibilis plenè voluntaria siue facti siue Iuris, adhuc Ecclesiastici, non impedit incursionem excommunicationis maioris latæ absolutè contra eos qui aliquid fecerint, quia neutrius ignorantia vincibilis, quamuis crassa, excusat à culpa & inobedientia, ob quam imposita est excommunicatio maior: impedit tamen incursionem
3 excommunicationis latæ contra eos qui aliquid scienter seu ausu temerario fecerint, seu aliquid præsumpserint, seu aliquid facere contempserint, etiamsi ignorantia vincibilis sit affectata, quia qui ex ignorantia, aut cum ignorantia adhuc affectata non obedit Ecclesiæ, non dicitur scienter nec ausu temerario non obedire, nec præsumere non obedire, nec contemnere obedire.

Sed quamuis ignorantia siue facti siue Iuris, quando est inuincibilis, impediat incursionem excommunicationis, non tamen ignorantia inuincibilis ipsius lationis, seu impositionis excommunicationis, vt contra Suarez & Ægidium docent
Couarru. Vasquez. Couarruuias & Vasquez, quia absque scientia excommunicationis potest esse peccatum mortale inobedientiæ respectu Ecclesiæ præcipientis: peculiari tamen priuilegio cap. *Vt animarum.* 2. de Constitutionibus, in 6. ignorantia inuincibilis, quamuis solùm moraliter, seu probabilis excommunicationis annexæ statutis perpetuis Ordinariorum, impedit incursionem illius.

Filliucius. Suarez. Addit Filliucius Tract. 11. cap. 8. quæst. 13. à quo non multum discrepat Suarez disp. 4. sect. 11. excommunicatum à Iudice, non teneri se gerere vt talem quoad effectus excommunicationis in pura prohibitione consistentes, absque irritatione, quousque ei legitimè notificetur excommunicatio iam lata & incursa: id tamen quamuis non ca- 4
reat probabilitate, & possit tuta conscientia amplecti, non approbamus, dum excommunicatus id aliunde sciat, aut prudenter timeat, cùm ante dictam legitimam notificationem præsupponatur verè excommunicatus, de quo latius egimus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate xxi. & xxii.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm metus impediat incursionem Excommunicationis maioris.

COnueniunt Doctores, metum leuem (id est damni leuis) non impedire incursionem excommunicationis maioris, quia non excusat ab inobedientia mortali ob quam incurritur. Et de tali metu est sermo in cap. *Sacris.* 5 de Iis quæ vi metúsve causa fiunt, dum Pontifex ait, eum, qui communicat excõmunicatis, quamuis ob metum communicet, excommunicatione teneri, vt expendimus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate xxii. & metum grauem (id est damni grauis, siue in vita, siue in fama, siue in diuitiis) impedire incursionem excommunicationis maioris, quoties excusat à peccato mortali inobedientiæ respectu Ecclesiæ, quia solùm ob tale peccatum mortale incurritur: sed quando metus grauis excusat à peccato mortali inobedientiæ respectu Ecclesiæ, disputatur in Tractatu de Legibus. Interim tamen existimamus, regulariter excusare, quoties non est incussus in contemptum legis, & opus, ob quod imponitur excommunicatio maior, non est etiam contra Ius naturale, sed tantùm contra Ius positiuum, siue humanum, siue diuinum. Addidimus *regulariter excusare*, quia non semper 6
excusat, sed tantùm quando impletio Iuris positiui, siue humani siue diuini, censetur minoris momenti seu vtilitatis bono communi, quàm indemnitas à graui damno, quod imminet ex impletione illius; quòd semper contingit, nisi in aliquo raro casu, quia pro tunc Ius illud non obligat.

Ex quo deducimus, eum, qui incurrit excommunicationem maiorem, posse efficere id, quod ipsâ purè prohibetur, & non inualidatur, quando ex omissione imminet excommunicato graue aliquod damnum: quia prohibitio excommunicationis maioris, est purè humana, & eius impletio non censetur maioris momenti, quàm indemnitas à graui damno. Vnde qui secretò commisit delictum cui annexa est excommunicatio maior, potest etiam absque præuia confessione, si aliàs est in statu gratiæ, celebrare, quoties id sit necessarium, ne cum ipsius infamia alij coniiciant eum commisisse aliquod delictum, ob quod non audeat celebrare: ac proinde celebrando non fiet irregularis, quia irregularitas hæc non incurritur absque

peccato mortali. Addidimus etiam, *absque præuia confessione*; quia præmissio confessionis ante celebrationem, tantùm est Iuris positiui, siue diuini siue Ecclesiastici, & eius impletio non videtur maioris momenti, quàm indemnitas à graui damno, de qua re latiùs diximus Tract. de Censuris in communi, Difficultate XXIII.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm iniustitia Excommunicationis maioris impediat incursionem illius.

CONueniunt Doctores, iniustitiam excommunicationis maioris, prouenientem ex defectu alicuius requisiti ad valorem excommunicationis, vt ex defectu præuiæ monitionis iuridicæ, impedire incursum illius: non verò iniustitiam prouenientem ex defectu alicuius non requisiti ad valorem, vt ex defectu pronuntiationis excommunicationis in scriptis, vt supponitur in cap. 1. de Sententia excommunicat. in 6. nec iniustitiam, seu illicitudinem prouenientem ex malo fine Iudicis.

Est tamen difficultas, An iniustitia excommunicationis, proueniens ex defectu causæ, nempe inobedientiæ mortalis respectu Ecclesiæ, quando videlicet non est verè, est tamen iuridicè probata, impediat incursionem excommunicationis.

Sotus. Ægidius. Circa quod, vt optimè Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 1. dub. 3. & Ægidius disp. 13. dub. 83. cõtra Durandum & Cordubam existimamus, dictam iniustitiam impedire incursionem excommunicationis; quia excommunicatio maior non fertur validè, nisi ob veram inobedientiam, & non ob probatam, quando verè non est. Et confirmatur, quia tunc sententia excommunicationis fundatur in præsumptione in casu particulari, ergo cùm præsumptio sit falsa, sententia illa est nulla, ac proinde verè non obligat in conscientia, & quoad Deum: id tamen non tollit, excommunicatum teneri ratione scandali se gerere vt talem coram eis, quibus excommunicatio lata nota est, & innocentia ignota, ex vi tamen excommunicationis, vt-pote inualidæ, non tenetur, ac proinde celebrando etiam coram prædictis, & publicè, non fiet irregularis, quia quamuis teneatur abstinere, non tamen ex vi excommunicationis, de quo latiùs diximus Tract. de Censuris in communi, Difficultate XXIV.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm appellatio legitima impediat incursionem Excommunicationis maioris.

CONueniunt Primò Doctores, appellationem legitimam (id est, ex rationabili causa) factã, antè quàm Iudex absolutè ferat excommunicationem ipso facto ob peccatum iam factum, impedire incursionem excõmunicationis maioris (nisi quando Iudici concessum est, vt non obstante appellatione procedat in causa) vt constat ex cap. *Pastoralis.* 53. de Appellationibus, in 6. quia, vt dicitur in hoc cap. per appellationem à puncto appellationis eximitur quis, quoad eum articulum, à potestate Iudicis, & eius potestas dormitat; & vt dicitur in cap. *Si à Iudice.* 10. eodem tit. eius iurisdictio suspenditur: ergo latio excommunicationis post appellationem facta, est nulla, vtpote facta à non Iudice, seu à Iudice suspenso & dormitante.

Et ob eamdem rationem, vt optimè Couarruuias 1. p. §. 10. & communiter Doctores, appellato post lationem excommunicationis sub conditione siue expressa, siue tacita transgressionis futuræ (vt quando dicitur, *solue, vel si non solueris intra tres dies*, &c.) interposita ante impletionem conditionis, id est ante factam transgressionem, impeditur incursionem excommunicationis latæ sub illa conditione, quia scilicet à puncto appellationis suspenditur latio excommunicationis ex defectu iurisdictionis expeditæ in Iudice; ac proinde perfici nequit impletione conditionis. Appellatio autem facta à latione excommunicationis latæ sub conditione futuræ transgressionis, fieri potest etiam post decem dies à puncto lationis excommunicationis quousque impleatur conditio; quia quousque impleatur, non est perfecta sententia excommunicationis, ac proinde non comprehenditur sub lege præscribente decem dies ad appellandum intra eos à sententia, quia terminus iste præscribitur pro appellatione à sententia absolutè & simpliciter dicta, ac proinde pro appellatione à sententia perfecta & absoluta.

Ita tamen appellatio legitima interposita ante lationem excommunicationis, siue à sui principio absolutam, siue poste à factam talem impletione conditionis, impedit incursionem excommunicationis, vt etiam impediat, etiamsi appellatio intra tempus præscriptum ad sequendam appellationẽ, omnino deseratur, aut ei renuntietur, vt exprimitur in cap. *Licet.* 14. de Sententia excommun. in 6. quia appellatio interposita ante sententiam absolutam ab ipso puncto appellationis impedit ne perficiatur, si lata fuit sub conditione ante appellationem; & impedit valorem sententiæ, si fuit omnino seu absolutè lata post appellationem ob defectum iurisdictionis expeditæ in Iudice, quia à puncto appellationis iurisdictio impeditur.

Quòd si appellatio non sit legitima, seu ex rationabili causa, non impedit incursionem excommunicationis, nisi admittatur à Iudice, quia appellatio fuit nulla: si tamen admittatur, impedit non tam vi sua, quàm voluntate Iudicis illam admittentis, seu se eximentis ab eo articulo.

Conueniunt Secundò Doctores, appellationem factam post sententiam excommunicationis latã, & absolutam siue à principio, siue impletione conditionis, quamuis factam intra ipsos decem dies, non impedire incursionem illius (quamuis deuoluat causam ad Iudicem superiorem ad quem appellatur) vt constat ex cap. *Iscu.* 20. de Sententia excomm. in 6. & supponitur in dicto cap. *Pastoralis*, quia, vt in eo cap. dicitur, excommunicatio lata secum trahit executionem, ac proinde semel absolutè lata incurritur, seu executioni mandatur nisi, vt in eodem dicitur, nec impedit denuntiationem excommunicationis latæ faciendam. Appellatio tamen à sententia declaratoria excommunicationis non solùm deuoluit causam ad superiorem, sed etiam suspendit eam sententiam, quia sententia declaratoria non secum trahit executionem. Id autem, quod dictum est de appellatione, dicendum etiam est de recusatione Iudicis excommunicantis, quia eadem est ratio.

DIF-

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm consensus partis impediat incursionem Excommunicationis sub conditione latæ.

14 SVpponimus, consensum partis, in cuius fauorem lata est excommunicatio sub conditione futuræ transgressionis, absolutè præstitum, eam ante impletionem conditionis omnino impedire absque consensu Iudicis, v.g. consensum creditoris, ad cuius instantiam lata est excommunicatio contra debitorem, si non soluat intra tres dies, omnino impedire incursum excommunicationis absque consensu Iudicis, si intra eos tres dies omnino remittat debitum.

Est tamen difficultas, An consensus partis prorogantis terminum præfixum à Iudice impediat ad tempus, seu suspendat incursionem excommunicationis absque nouo consensu Iudicis vltra terminum à Iudice præfixum.

Circa quam, vt contra Nauarrum, Siluestrum, & Hugolinum optimè Angelus v. *Excommunicatio*. 1. num. 20. Henriquez lib. 13. cap. 2. & Suarez disp. 3. sect. 6. existimamus suspendere, quia excommunicatio non incurritur nisi ob contumaciam, quæ non reperitur quando pars consentit, quòd non fiat v.g. solutio intra terminum à Iudice præfixum, sed contenta est quòd fiat intra terminum ab ipsa parte prorogatum, quia intra terminum prorogatum non peccat non soluendo, quod solùm præcipit Iudex, & sub ea excommunicatione.

Angelus. Henriquez Suarez.

Addimus, vt contra Angelum, Siluestrum, Nauarrum & Henriquez aduertit Suarez, elapso termino à parte prorogato incurri excommunicationem absque nouo consensu Iudicis ex vi præcepti à principio facti, & lationis excommunicationis ei annexæ, quia Iudex qui præfixit terminum (v.g. trium dierum) vt intra illum fiat aliquid (v.g. solutio) non præfixit illum ad finiendum intra illum suum præceptum, & lationem excommunicationis ei annexæ, sed tantùm ad finiendam permissionem aut licet etiam differendi impletionem sui præcepti: ergo etiam post terminum à Iudice præfixū, & post terminum à parte prorogatum, perseuerat præceptum Iudicis, & annexio excommunicationis; ac proinde ex vi lationis excommunicationis in principio factæ absque nouo consensu Iudicis, incurritur excommunicatio, non quia pars directè & potestatiuè differat præceptum & lationem excommunicationis, sed quia differendo, seu suspendendo obligationem naturalem in actu secundo (v.g. soluendi) cui Iudex præcepit satisfieri à debitore, consequenter & indirecte differt & suspendit præceptum Iudicis, & lationem excommunicationis ei annexæ. *Suarez.* 15

Respiscentiam quoque efficacem consilij aut mandati, aut inchoationis operis, aut ipsius operis cui annexa est aut annectitur excommunicatio, siue Iure siue præcepto, siue sententia, habitam ante incursionem excommunicationis, impedire incursionem illius, constat ex Tractatu de Censuris in communi, Difficultate xv. 16

DISPVTATIO XIV.

De absolutione ab Excommunicatione maiori.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Excommunicatio possit auferri, aut desinere esse absque absolutione.

1 DIFFICVLTAS hæc procedit de ablatione excommunicationis ab excommunicato manente viuo: quia si moritur, sola ipsa morte, absque absolutione aliqua, desinit esse propriè excommunicatus; quia iam defunctus nequit præceptis & vinculis Ecclesiæ militantis esse ligatus, etiamsi dicatur impropriè & indirectè excommunicatus manere, quia alij fideles sunt prohibiti pro eo Sacrificium offerre, & corpus eius Ecclesiasticè sepelire, antequam absoluatur, vt constat ex cap. *A nobis*. 28. de Sententia excomm. Et quamuis excommunicatus sui morte desinat esse propriè excommunicatus, non tamen morte excommunicantis: nec ex eo quòd aliter desinat esse sub iurisdictione illius; quia quamuis inflictio excommunicationis maioris pendeat à iurisdictione excommunicantis, non tamen perseuerantia illius iam inflictæ, quia tantùm perseuerat sua natura, seu institutione qua creata & instituta est ab Ecclesia.

2 Procedit ergo difficultas de ablatione excõmunicationis excommunicati manentis viui, an possit absq; absolutione auferri, aut desinere esse; & non procedit, quando excommunicatio fuit absolutè lata & incursa, quia tunc certum est non posse absque absolutione auferri; sed tantùm procedit, quãdo excommunicatio fuit lata vsque ad aliquem certum diem, vel vsque ad aliquem actũ, vt quando dicitur, *Excommunico te vsque ad diem Dominicum*, vel *vsque ad satisfactionem*; an tunc sit necessaria absolutio, an non, sed ipsa ex se ipsa cesset finito tempore, vel facto eo actu.

Circa quam Glossa in Clement. I. de Decimis, & Nauarrus c. 27. n. 165. docent, etiam tunc non auferri absque absolutione (quod etiam tenet Siluester, quoad excommunicationem latam à Iudicibus Papa inferioribus) quia in Iure reperitur forma absolutionis præscripta ad auferendam excommunicationem, ergo absque ea nequit excommunicatio auferri. *Glossa. Nauarrus. Siluester.*

Couarruuias verò 1. p. §. 11. Vasquez dub. 18. Ægidius disp. 14. nu. 219. & communiter Doctores docent, excommunicationem in casu dicto, à quocumque sit lata, cessare ex se ipsa absque absolutione finito tempore, vel facto opere vsque ad quod lata fuit, & meritò: quia excommunicatio maior est pœna lata à Iure, vel à Iudice: ergo non durat amplius quàm vult inflictor ipsius: quod etiam ob eamdem rationem contingit in suspensione & interdicto. 3 *Couarru. Vasquez. Ægidius.*

Et addimus contra Vasquez & Ægidium, eo modo excommunicandi non fieri implicitè absolutionem, sed tantùm ferri excommunicationem vsque ad eum terminum absque prolongatione ex voluntate excommunicandi vsque ad illum terminum, cum carentia voluntatis prolongandi excommunicationem post illum terminum: quod in rigore non est excommunicationem auferre, & ab ea absoluere, sed tantùm est eam non prolongare, & ideò cessat non ex voluntate positiua eam auferendi, sed ex defectu voluntatis eam prolongandi, quia absque voluntate excommunicantis nequit prolongari.

4 Forma autem absolutionis ab excommunicatione in Iure reperta tantùm est pro excommunicatione absolutè & absque termino lata.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm absolutio ab Excommunicatione possit fieri sub conditione.

5 COnueniunt Doctores, absolutionem ab excommunicatione maiori posse fieri sub conditione de præterito, aut de præsenti; & eo modo quotidie absoluimus ante absolutionem à peccatis, dicendo, *In quantum possum, absoluo te à vinculo excommunicationis maioris & minoris, si forte incurristi, & teneris.* Est tamen difficultas, An possit fieri sub conditione de futuro, verbi gratiâ, *si solueris intra mensem.*

Antonin. Siluester. Antoninus 3.p.tit.24.c.27. & Siluester v. *Absolutio.* 3. num.1. docent, absolutionem sic factam esse illicitam & nullam, quia absolutio Sacramentalis à peccatis, cui videtur æquiparanda, sic facta, est illicita & nulla.

Auila. Auila 2.p.c.7.disp.3.dub.15. docet, absolutionem sic factam esse illicitam, quia est contra rationem, quòd maneat in suspenso: esse tamen validam, vtpote nullo Iure irritam.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Vasquez verò dub.18. Suarez disp.7.sect.8. & Ægidius disp.4.nu.218. docent (& meritò) posse validè & licitè fieri. Posse autem validè fieri, probatur, quia absolutio sic facta nullo Iure irritatur: ac proinde impleta conditione sub qua fuit facta, habebit effectum tollendi excommunicationem. Et quòd possit licitè fieri, probatur, quia nullo Iure prohibetur, quia non positiuo, cùm nullum extet; nec naturali, quia sic absoluere non est contra rationem, sicut nec excommunicare sub conditione.

Absolutio tamen à peccatis sub conditione de futuro facta, est nulla, quia ex Christi institutione vis Sacramentalis est annexa ipsi prolationi verborum positæ in rerum natura, absque potestate
6 detinendi seu suspendendi effectum Sacramentalem post positionem prolationis: hęc autem nequit pendere à futuro, & esse suspensa (sicut nec actio laudandi) etiamsi intentio, ex qua procedit, & quæcumque alia actio voluntatis possit elici circa obiectum, ei annectendo conditionem de futuro; ac proinde si quando prolatio verborum finitur, non sunt posita omnia requisita, etiam impletio conditionis, nihil fiet, quia effectus Sacramentalis nequit differri post positionem actionis, cui est annexus à Christo.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm vt absolutus ab Excommunicatione ad reincidentiam in eam reincidat, sit necessaria noua culpa.

SVpponimus, quòd quamuis excommunicatio maior nequeat in se ipsa in rigore suspendi ipsa perseuerante, quia ipsa formaliter consistit in priuatione communionis fidelium, ac proinde si ipsa perseuerat, & afficit hominem, nequit homo non esse priuatus communione fidelium; sententiam tamen ipsa, qua excommunicatio fertur, seu imponitur, potest ad tempus suspendi, quoad ipsam excommunicationem, quæ est effectus ipsius sententiæ in genere causæ, aut causationis efficientis moraliter, & suspendi potest ab eo, qui eam potest absolute & totaliter auferre & extinguere; quia nullo Iure cauta est dicta suspensio; id tamen non tollit sententiam excommunicationis secum trahere executionem: quia secum trahere executionem nil aliud est, quàm quòd, vt executioni mandetur, seu indigatur, nõ sit necessaria aliqua alia coactio, aut actio iudicis, sicut est necessaria ad executionem pœnæ mortis, aut alterius corporalis; non verò quòd sententia semel lata non possit suspendi à suo effectu, quia verè potest, sicut & omnino extingui; ex eo autem, quod sententia excõmunicationis suspendi potest, quoad ipsam excommunicationem, etiam dici potest, quod excommunicatio suspendi possit, quia eo tantùm significatur excommunicationem cessare ad tempus suspensione suæ sententiæ. Quod autem dictum est de excommunicatione, & eius sententia, quoad suspensionem earum, etiam est verum de aliis duabus censuris.

Hoc ergo supposito, absolutio ab excommunicatione ad reincidentiam dicitur, qua quis non absoluitur omnino & simpliciter ab illa. Quæ potest dupliciter fieri: vno modo, ad determinatum tempus, absque vlla conditione; vt quando quis absq; vlla conditione absoluitur ad tres dies his verbis, *Absoluo te ab excommunicatione ad tres dies*, & sic absolutus eo tempore transacto iterùm incidit in eam, quod quotidie fit ex consensu partis: altero modo fieri potest absolutio ad reincidentiam ad determinatum tempus absque vlla conditione, & vltra illud tempus ad totum reliquum & subsequens, sub cõditione faciendi aliquid intra illud prius tempus, & si id absolutus non faciat, reincidat in eamdem excommunicationem, his verbis, *Absoluo te ab excommunicatione, ita vt si intra tres dies non soluas, incidas iterùm in eamdem excommunicationem.*

Hoc supposito, Doctores Primò conueniunt vi-
dentur, absolutum ab excõmunicatione ad reincidentiam priori modo, nempe ad tempus determinatum, absque vlla conditione, iterùm incidere in eam, eo transacto, absq; noua culpa, ob antiquã, ex vi prioris sententiæ, sicut ex vi eiusdem perseueraret, si sententia ipsa aut excommunicatio non suspenderetur (sicut ille cui auferitur pœna exilij ad certum tempus, absque vlla conditione, in eam reincidit, eo transacto, absque noua culpa, ob antiquam ex vi prioris sententiæ;) quia absolutione facta, non extinguitur omnino sententia aut excommunicatio ex vi prioris sententiæ lata, sed tantùm suspenditur ad certum tempus; ac proinde

eo transacto iterùm in excommunicationem reinciditur: sententia autem excõmunicationis suspendi potest (sicut sententia aut pœna exilij) & à quocumque iudice qui excommunicauit (sicut & omnino extingui) quia modus iste suspendendi sententiam aut excommunicationem, & absoluendi ab excommunicatione, nullibi est interdictus, sicut etiam sententia, aut pœna corporalis exilij potest suspendi à quocumque, à quo potest omnino extingui.

10 Conueniunt Secundò Doctores, absolutum ab excommunicatione ad reincidentiam posteriori modo, nempe absolutè ad certum tempus, & vltra illud ad totum reliquum, sub conditione faciendi aliquid, non reincidere in eam absque noua culpa, quando in conditione additur, si commodè possit illam implere, aut aliquid æquiualens, quomodo absoluuntur, qui ob instans periculum mortis, aut ob aliquod legitimum impedimentum comparendi coram superiore, ad quem pertinebat absolutio, absoluuntur ab illo qui non potest absoluere, nisi in eo periculo, aut eo impedimento existente; quia tunc, vt constat ex cap. *Eos.* 22. de Sententia excommunicationis, in 6. absolutio fit absque conditione pro tempore impedimenti, & pro reliquo tempore fit saltem implicitè sub conditione comparendi coram eo, ad quem de Iure pertinebat absolutio, si commodè possit fieri comparentia, quia his verbis, *si commodè possit*, aut aliis æquialentibus, indicatur fieri absolutionem sub conditione operis non omissi culpabiliter; ac proinde quamuis deficiat opus, si non deficiat seu omittatur culpabiliter, perseuerat absolutio.

11 Est tamen difficultas, An absolutus ad reincidentiam posteriori modo, nempe ad tres dies absque conditione, & ad reliquum tempus sub conditione alicuius operis, nullo superaddito, quo indicetur absolutio facta sub conditione operis non omissi culpabiliter (vt quando dicitur, *Absoluo te ab excommunicatione ad tres dies, ita vt si intra eos non soluas, reincidas in eam*) an scilicet tunc sic absolutus reincidat absque noua culpa, id est, si inculpabiliter omittat soluere, vel aliud facere, vel quia non potest, vel aliter.

Henriquez. Auila. Ægidius. Henriquez lib. 13. c. 29. Auila 2. p. cap. 7. disput. 3. dub. 14. & Ægidius disp. 14. num. 216. docent, in eo casu non reincidere absque dicta noua culpa, quia homo non potest incidere in nouam excommunicationem sine noua culpa, & contumacia; sed reincidens in excommunicationem incidit in nouam, cùm ab altera fuerit verè absolutus, ergo nequit in eam reincidere absque noua culpa.

12 *Suarez. Filliucius.* Suarez verò disput. 7. sect. 8. & Filliucius Tractatu 11. cap. 10. quæst. 4. docent, in eo casu reincidere absque dicta noua culpa, id est, quamuis inculpabiliter omittat impletionem conditionis; & meritò: quia tunc pro reliquo tempore vltra tempus determinatum, pro quo fuit absque conditione absolutus, non absoluitur absolutè, sed sub cõditione operis, nullo superaddito, quo indicetur respectus ad culpam; ergo deficiente conditione, quamuis absque culpa deficiat, non perseuerat absolutus, sed reincidit in excommunicationem: & non aliunde, quàm ex vi sententiæ, qua fuit primò lata, ex vi cuius perseueraret, quamuis excommunicatus fieret impotens ad soluendũ, vel ad aliud opus sub cuius conditione fuit absolutus pro illo reliquo tempore; quia excommunicatio primò inducta tantùm fuit ablata pro dicto reliquo tempore sub conditione iam dicta, aut potiùs sententia ipsa, ex vi cuius excommunicatio fuit primò inducta, tãtùm fuit suspensa pro dicto reliquo tempore sub ea conditione. Et quamuis excommunicatio, in quam reincidit in rigore, & quasi physicè sit distincta, & noua, optimè & iustè potest infligi ob antiquam culpam, & ex vi antiquæ sententiæ, 15
quia id non est magis, sed minùs puniri, quàm si excommunicatio primò inducta perseueraret, & quamuis quasi physicè sit numero distincta, moraliter tamen censetur eadem, quia infligitur ex vi antiquæ sententiæ, & ob antiquam culpam.

Ex quo deducitur, hanc reincidentiam non fieri ab absoluente, sed tantùm à primò excommunicante, sicut etiam reincidentia priori modo sumpta, quando scilicet absolutio fit tantùm ad certum tempus, etiam omnino absolutè; quia in vtroque casu absoluens tantùm suspendit sententiam, ex qua excommunicatio fuit primò inducta. Et idem est, quando reincidentia fit ob nouam culpam; quia etiam tunc fit ex vi antiquæ sententiæ, & ob antiquam culpam tamquam ob causam, etiamsi tunc requisita sit noua culpa tamquam defectus 14
impletionis conditionis, sub qua, vt respiciente culpam nouam, facta fuit absolutio, & sententia suspensa. Imò id etiam est verum in casu dicti cap. *Eos*, quando scilicet absolutio fit ob articulum mortis, aut ob aliud legitimum impedimentum, ab eo à quo aliàs fieri non poterat; quia tunc absolutio fit sub conditione comparendi non omissi culpabiliter, etiamsi absoluens velit absolutè absoluere, quia non habet facultatem, nisi ad absoluendum sub dicta cõditione, & ideò in dicto cap. *Eos*, dicitur non comparentem reincidere in eamdem excommunicationem, eamdem quidem moraliter, vtpote reincursam ob antiquam culpam, & ex vi antiquæ sententiæ, quamuis noua culpa non comparendi sit requisita ad reincursum tamquam defectus conditionis, sub qua facta fuit perseuerantia absolutionis. Vnde qui potest absolutè absoluere, potest etiam ad reincidentiam, vt contra Auilam aduertit Suarez, quamuis excommunica- *Suarez.*
re non possit; quia absoluens ad reincidentiam non est qui secundò excommunicat, sed ille qui primò excommunicauit.

Vnde excommunicatus, qui non soluit debitum, & absolutus fuit ad reincidentiam ad tres dies siue omnino absolutè seu priori modò dicto, siue pro reliquo tempore vltra tres dies, sub conditione alicuius absolutè posita absque aliquo indicante respectum ad culpam, non impeditur à reincidentia in excommunicationem ex eo quòd pars consentiat, quia consensus partis tantùm po- 15
test deseruire, vt sic absolutus non peccet non soluendo, quod non sufficit vt non reincidat, quia reincidit ob antiquam culpam, & vi antiquæ sententiæ, & absque noua culpa requisita, vt defectu conditionis requisitæ ad perseuerantiam absolutionis; impeditur tamen quando fuit absolutus sub conditione actus omissi culpabiliter, quia consensus partis efficit, vt omissio illius actus sit inculpabilis; ac proinde, vt non deficiat conditio, sub qua facta fuit absolutionis perseuerantia.

DIF-

DIFFICVLTAS IV.

Quæ forma sit necessaria ad absolutionem ab Excommunicatione.

16 SVpponimus, ad validam absolutionem non sufficere voluntatem absoluendi, si absolutio non exprimatur signo aliquo exteriori, quia absq; expressione exteriori, forma absoluendi non est humana, ac proinde nec potens habere effectum absolutionis, qui est humanus.

Hoc ergo supposito, conueniunt Primò Doctores, ad formam absolutionis ab excommunicatione sufficere quæcumque signa exteriora (quamuis non sint verba) quibus sufficienter significetur absolutio: quia ex natura rei sufficiunt quæcumq; signa exteriora, & aliàs Iure positiuo nulla præscribuntur, vt necessaria ad valorem absolutionis; ex consuetudine tamen absolutio fit verbis eam sufficienter significantibus, & non aliis signis, cõtra quam consuetudinem nequit absque necessitate licitè fieri, præsertim inter præsentes: id tamen non existimarem illicitum mortaliter.

Conueniunt Secundò Doctores, cærimonias præscriptas ad absolutionem pro foro iudiciali in cap. *A nobis*. 28. de Sent. excommun. non esse necessarias ad valorem absolutionis, quia non est Iure præscriptum esse sic necessarias; vt tamen absolutio in foro iudiciali licitè fiat, standum est consuetudini loci vbi fit absolutio: earũ tamen omissio, etiam vbi sunt in vsu, non videtur mortalis, nisi in solemni aliqua absolutione ad Ecclesiæ satisfa-
17 ctionem facta. Addidimus *præscriptas pro foro iudiciali*; quia pro foro conscientiæ non videntur necessariæ, adhuc vt absolutio licitè fiat: ante absolutionem tamen etiam in foro conscientiæ faciendam exigendum est iuramentum ab excommunicato, quòd ampliùs non committet tale crimen, vt deducitur ex cap. *Ex tenore*. 10. & ex cap. *De cetero*. 11. de Sententia excomm. quamuis non nisi in criminibus horrendis (vt in incendiis, & in grauibus percussionibus Clericorum) vt contra
Henriquez nonnullos docent Henriquez l. 13. c. 18. Auila 2. p.
Auila. c. 7. disp. 2. dub. 3. & Ægidius disp. 14. dub. 16. quia
Aegidius. de eis criminibus est tantùm sermo in Iure.

que graui detrimento: quia ex vna parte in quocumque absoluente ex tribus dictis est iurisdictio, aliàs absque limitatione ad absoluendum ab excommunicatione; & ex altera, dicto excommunicato est debita absolutio, quia omnino cessauit in eo contumacia, cùm sit paratus exhibere omnem satisfactionem quam potest, & amplius non requiritur.

Est tamen difficultas Primò, An quando absolutio facienda est à delegato ex priuilegio (& idem est ex commissione peculiari) quando in eo additur quòd fiat absolutio satisfacta parte, vt additur in Bulla Cruciatæ, possit excommunicatus absolui, si re ipsa non est facta satisfactio, quia non possit fieri, aut quia non possit absque graui detrimento, si facta est sufficiens cautio, pignoratiua videlicet, aut fideiiussoria, aut quando neutra fieri possit, si facta sit iuratoria.

Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. & Corduba Tract. de Indulgentiis, q. 43. docent, non posse licitè nec validè absolui, quia dicta absolutio esset à non Iudice, quia ei data est iurisdictio non absolutè, sed cum ea limitatione, nempe satisfacta parte.

Vasquez verò dub. 20. Henriquez lib. 13. c. 18. Auila 2. p. c. 7. disp. 3. dub. 8. & Ægidius disp. 14. dub. 26. docent posse validè & licitè absolui, & meritò: quia ea additio de satisfactione partis intelligitur, quando fieri potest, & absque graui detrimento, sicut etiam intelligitur pro eis qui Iure communi in articulo mortis absoluuntur, qui licitè & validè absoluuntur, quamuis non sit facta satisfactio, quando fieri non potest, aut absq; graui detrimento; quia verba priuilegij accipienda sunt sicut & Iuris communis, quãdo in priuilegio non adhibentur speciali cautela, quod non fit in Bulla Cruciatæ, nec in similibus priuilegiis.

Quòd si absolutus virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegij Pontificij, non satisfacit cum primùm possit, iterùm incidit in eamdem excommunicationem, vt aduertit Vasquez ex cap. *Ex qui*. 22. de Sententia excommunic. in 6. non verò ille, qui absolutus fuit à Iudice ordinario, potens eum extra articulum mortis, & nullo existente impedimento, absoluere, etiamsi potens non satisfaciat; quia iste nullo Iure, adhuc dicti cap. *Ex qui*, in eam reincidit.

Secundò est difficultas, An excommunicatus validè absoluatur, quãdo non est facta satisfactio, & commodè fieri potest. Supponimus etiam ab Ordinario illicitè absolui, vt diximus in principio Difficultatis; & deducitur ex proximè dictis cap.

Circa difficultatem ergo conueniunt Doctores, posse validè absolui ab Ordinario Iudice, quia ille habet potestatem absque limitatione ad absoluendum: & ob eamdem rationem etiam à delegato, cui absque priuilegio generaliter delegata & commissa est potestas simpliciter, nulla addita limitatione, ad absoluendũ, & etiam ab eo cui delegata est potestas ad absoluendum, etiamsi in commissione addatur, *Prius satisfacta parte*, si subdatur, *& aliter non absoluat*, quia his verbis subditis denotatur non irritari, sed tantùm prohiberi absolutionem, & inualidè absolui, quando in commissione subditur, *aliàs absolutio sit nulla*.

Est ergo difficultas, An validè absoluatur à delegato ex priuilegio (& idem est ex cõmissione peculiari) quãdo in priuilegio simpliciter additur, *satisfacta parte*, absq; verbis, quibus denotatur nullitas, aut

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm possit quis absolui ab Excommunicatione incursa ob iniuriam alteri factam, non satisfacta parte.

18 COnueniunt Primò Doctores, excommunicatum ob iniuriam seu iniustitiam alteri illatã, non posse licitè absolui etiam à suo Ordinario, nisi priùs satisfaciat parti (si possit, & absque graui detrimento) vt deducitur ex c. 2. de Sententia excomm. in 6. & ex cap. *Ex parte*. 23. de Verborum significatione.

Conueniunt Secundò, excommunicatum, qui non potest satisfacere saltem absque graui detrimento, posse licitè absolui à Iudice ordinario, & etiam à Iudice ex priuilegio, quando in eo non additur, quòd fiat absolutio satisfacta parte, & etiam à quocumque in articulo mortis, si præstet pignus, aut fidei iussorem, prout maluerit, aut si neutrum possit, si iuret quòd satisfaciet statim ac possit, absq-

aut valor absolutionis, vt delegatur virtute Bullæ Cruciatæ, & aliorum priuilegiorum.

Vasquez. Suarez. Ægidius. Vasquez dub. 20. Suarez disp. 7. sect. 5. & Ægidius nu. 211. docent, non absolui validè; quia credendum non est, superiorem ordinarium potestatem adeò amplam delegato concedere, vt contra dispositionem Iuris in duobus illis capitibus absoluat; aliàs eam sic amplam delegans peccaret, quod non est præsumendum de delegante.

Auila. Auila verò 2. p. cap. 7. disp. 3. dub. 9. & alij, quos ipse refert, docent, validè absolui ab eo delegato

Sancius. (quod probabilissimũ iudicat Sancius l. 3. disp. 33.) & meritò; quia prædictis verbis ei conceditur potestas simpliciter absq; limitatione; quia dicta additione, nempe *satisfacta parte*, non limitatur delegato potestas, sed admonetur vt seruet formam Iuris communis, quam etiam delegans seruare debet; quia verba priuilegij accipiẽda sunt sicut verba Iuris communis, quando in priuilegio non adhibentur speciali cautela, vt non adhibentur in

23 Bulla Cruciatæ, nec in similibus priuilegiis. In Iure autem communi dicta verba non irritant absolutionem, etiamsi eam illicitam reddant, ergo nec in priuilegio; ac proinde in priuilegio addita, tantùm admonent delegatum de obligatione Iuris communis: vnde multò melius erit valida absolutio facta à delegato, quando in priuilegio conceditur facultas simpliciter, nullo addito: in quo cõtra Ledesmam conueniunt communiter Doctores, nec in eo delegans præiudicat parti læsæ, cùm deleget sub obligatione seruandi formam Iuris communis, sicut nec præiudicat qui confert officium Ordinariorum, ex quo conuenit potestas adeò ampla, vt absolutio suprà dicto modo facta sit valida.

Auila. Ægidius. Addimus, vt optimè Auila & Ægidius, eum, qui absque dicta satisfactione, aut cautione absoluit excommunicatum, teneri ad restitutionem damni inde secuti parti læsæ; quia absoluens tenetur ad non absoluendum ante prædicta, attendendo ad fauorem partis læsæ, vt deducitur ex dictis duobus capp. 2. de Sententia excõmunicationis, in 6. & ex 28. de Verborum significatione.

Obseruandum est, nominatim excommunicatum ab homine, aut excommunicatum à Iure, excommunicatione iam deducta ad forum iudiciale, & lite pendente, non posse validè absolui, adhuc pro foro conscientiæ, virtute priuilegij absoluendi ab excõmunicatione ab homine & à Iure lata (vt

24 conceditur virtute Bullæ Cruciatæ, & cõcessum est Mendicantibus) vt cõtra Auilam dub. 10. aduertit

Vasquez. Vasquez nu. 8. quia non est credendum, dicta priuilegia ad id concedi: aliàs perturbaretur tribunal Iudicis, si verè, & quoad Deum, reus absoluatur. Quod intelligimus, quamuis reus sit in loco, in quo excommunicatio, & lis est ignota, si lis nondum cessauit, & quamuis consentiat pars, & quãuis sit notabilis aliqua necessitas. Virtute ergo dicti priuilegij tantùm potest validè absolui ille excommunicatus ab homine & à Iure, cum quo non est lis, vel quia numquam fuit, vel quia si fuit iam cessauit, vt contingit quando excommunicatus tantùm est excommunicatus generaliter, siue ab homine siue à Iure, & etiam quando est specialiter ab homine, si excommunicatio lata fuit pro peccato futuro, & non est declaratus excommunicatus, & lis cessauit, quia absolutè in his casibus non perturbatur tribunal Iudicis.

DIFFICVLTAS VI.

Qua ratione pluribus Excommunicationibus ligatus absoluatur ab illis.

SVpponimus, excommunicatum pluribus excommunicationibus posse absolui ab vna, absque eo quòd absoluatur ab aliis, quia non sunt connexæ quoad ablationem; sicut sunt peccata mortalia. 25

Secundò supponimus, quòd si quis sit à diuersis Iudicibus excommunicatus, & consequenter diuersis excommunicationibus, nequit validè absolui ab omnibus excommunicationibus, nisi ab omnibus illis Iudicibus, & non ab vno tantùm, nisi ab illis habeat commissionem, aut sit illis superior.

Tertiò supponimus, absoluentẽ, quamuis ignarum excommunicationis rei, validè absoluere, si habeat animum absoluendi ab illa, si fortè sit: & ipsum reum etiam ignarum suæ excõmunicationis validè absolui, imò & inuitũ, quamuis cõtumacia, ob quam lata est excõmunicatio, perseueret actualiter, vt quando lata est ob retentionem bonorum alienorum, & non sunt restituta: nisi quando con-

26 tumacia est cõtra Ius seu legem excommunicantẽ, quam absoluens nequit tollere; quia tunc etiamsi excommunicatus velit absolui, & alter absoluere, absolutio est nulla, quia lex illa continuò excõmunicat ob contumaciam illam actu perseuerantem. Et idem est, quando contumacia est contra præceptum excõmunicans, quod nondum cessauit quãdo fit absolutio. Sed quamuis absolutio possit inuito conferri, collata tamẽ ab inuito Iudice, coacto vi aut metu, est nulla dispositione Iuris in cap. vnico, de His quæ vi metúve causa fiunt.

His ergo suppositis, dicendum existimamus, eum, qui verbis communibus & indefinitis, nempe, *Absoluo te à vinculo excommunicationis*, seu *ab excommunicatione* (vt fieri solet ante absolutionem à peccatis) absoluit reum pluribus excommunicationibus ligatum, si habeat animum expressum absoluendi ab omnibus à quibus validè potest, verè ab omnibus absoluere reum, etiam si reus nullã exprimat, omnes sponte tacendo, aut tantùm exprimat vnam, reliquas sponte tacendo; quia absoluens habet potestatem ad id, & verè vult, & id efficit verbis, quibus id sufficienter significatur, & silentium, imò & resistentia excommunicati, non obstat valori absolutionis.

Addidimus Primò, *absoluentem verbis communibus & indefinitis*; quia si absoluat verbis singularibus, vnam tantùm excommunicationem significãtibus, nempe, *Absoluo te ab hoc vinculo excõmunicationis*, seu *ab hac excommunicatione*, non absoluit, nisi ab excommunicatione explicata ab excommunicato, & non ab aliis excommunicationibus; & si nullam explicuerit, excommunicatus à nulla absoluitur, si habeat plures; quia non est maior ratio, quare absoluat ab vna, quàm ab alia: benè tamen si tantùm habeat vnam. 27

Addidimus Secundò, *si habeat animum expressum absoluendi ab omnibus*; quia si non habeat animum sic expressum, sed talẽ vt coniecturâ sit conjiciendus, censendum est absoluẽtem verbis communibus, eum, qui pluribus excõmunicationibus est ligatus, absoluere ab excommunicationibus 28

ex-

expressis ab excommunicato, & etiam à naturaliter oblitis, & etiam ab excommunicationibus bona fide tacitis, dum oblitæ, vel bona fide tacitæ, possint licitè auferri ab absoluente, vt possunt, quando non prærequirunt satisfactionem, aut cautionem, aut si prærequirunt, iam est facta; non verò ab excommunicationibus mala fide tacitis, nec ab illis à quibus nequit licitè: de hac tamen re legendi sunt Vasquez dub. 18. Auila 2. p. c. 7. disp. 2. & Ægidius disp. 14. à n. 221.

DISPVTATIO XV.

De potente absoluere ab Excommunicatione maiori.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm Clericus non Sacerdos possit absoluere ab Excommunicatione maiori.

1 SVPPONIMVS, omnem Sacerdotem habentem iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori seu iudiciali, siue ordinariam siue delegatam, posse absoluere ab excommunicatione maiori. Qui autem sint qui eam habeant, diximus Disput. XII. Difficultate 1.

Hoc ergo supposito, Primò est difficultas, an Clericus non Sacerdos, qui habet iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori seu iudiciali, & qui eo ipso in eo foro potest excommunicare, & ab excommunicatione absoluere, possit etiam verè quoad Deum, & in foro interno conscientiæ absoluere ab excommunicatione.

2 *Silvester.* Silvester v. *Absolutio.* 1. §. 3. casu 5. & non pauci Canonistæ docent, non posse absoluere verè, & quoad Deum; quod deduci videtur ex cap. *Canonica.* 50. de Sententia excommunic. dum dicitur: *Statuentes, vt in tali casu per Priorem vestrum, qui Presbyter esse debet, fratribus vestris absolutionis beneficium impendatur.*

Antonin. Couarrn. P. Auila. Antoninus verò 3. p. titulo 24. cap. 77. Couarruias 1. p. §. 11. num. 9. P. Auila 2. p. cap. 7. disp. 1. docent, prædictum posse verè absoluere, & in foro conscientiæ, & meritò: quia Matth. 18. eis, quibus conceditur potestas verè ligandi, etiam conceditur potestas verè soluendi: Clerici autem, quamuis non Sacerdotes, Iure communi capaces sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ in foro exteriori seu iudiciali, qua sicut verè & quoad Deum possunt ligare, ita etiam verè & quoad Deum possunt absoluere.

3 In dicto autem cap. *Canonica*, ideò requiritur Presbyter ad absoluendum ab excommunicatione, quia in eo etiam est sermo de absolutione à culpa reseruata Pontifici, ob quam incursa est excommunicatio; à culpa autem nullus, qui non sit Presbyter, potest absoluere.

Secundò est difficultas, An Clericus non Sacerdos, nullam habens iurisdictionem in foro exteriori, possit existentem in articulo mortis ab excommunicatione absoluere. Supponimus enim, quemcumque Sacerdotem posse in articulo mortis absoluere ab omni excommunicatione, quando deficit qui extra eum articulum potest, vt dicemus Difficultate III.

Silvester. Angelus. Circa difficultatē ergo Silvester v. *Absolutio.* 1. n. 4 & Angelus v. *Absolutio.* 3. n. 57. partē affirmatiuā tuentur, quia Ecclesia potest eam facultatem concedere; ergo, cùm sit pia mater, eam concedit.

Suarez verò disp. 7. sect. 7. Vasquez dub. 18. communiter Doctores partem negatiuam tradit, & meritò: quia ea potestas nullo Iure, nec scripto, nec consuetudine habito, aut constante, concessa inuenitur, nisi solis Sacerdotibus, & solùm eo fine vt à peccatis absoluant; quia absolutio à peccatis est maximè necessaria ad saluationem, non verò absolutio ab excommunicatione; quia excommunicatio ratione sui non impedit saluationem, imò id quod post mortem manet excommunicationis, auferri potest post ipsam mortem. Vnde non est contra pietatem Ecclesiæ, quòd eam non concedat non Sacerdotibus.

Quòd verò potestas ad absoluendum ab excommunicatione in eo articulo concessa cuicumq; Sacerdoti sit ob absolutionem à peccatis, non tollit quin ea semel concessa possit vti Sacerdos, quamuis aliquando ob aliquas circumstantias nequeat à peccatis absoluere, vt si excommunicatus in eo articulo nequeat signa contritionis conferre.

DIFFICVLTAS II.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione maiori lata à Iure, non reseruata.

CONueniunt Doctores, ab excommunicatione lata à Iure siue Pontificio siue Synodico, quamuis à Papa confirmato, non reseruata, posse Episcopum absoluere. Quod efficaciter deducitur ex cap. *Nuper.* 29. de Sententia excommunic. quia, vt ibi dicitur, quando canonis conditor absolutionem sibi non reseruat, eo ipso videtur concedere aliis facultatem relaxandi. Et quamuis in eo cap. tantùm sit sermo de excommunicatione minori, ratio tamen dicta, & ibi adducta, etiam est pro maiori: & cùm ea ratio tantùm deseruiat Pontifici ad declarandam voluntatem excommunicantis, & non ad decernendum; ideò vbi eadem sit ratio, idem est dicendum. Is tamen, qui cum iam excommunicato nominatim communicat in crimine ob quod excommunicatus est, quamuis Iure ipso excommunicetur, tamen quoad absolutionem censetur excommunicatus nominatim ab homine, ab eo videlicet qui excommunicauit illum cum quo in crimine iam damnato communicauit; & ideò solùm est absoluendus ab eo qui excauit; & ideò solùm est absoluendus ab eo qui excauit; & ideò solùm est absoluendus ab eo qui exc

etiam possit absoluere à dicta excommunicatione Iuris non reseruata.

Paludan. Couarru. Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 5. artic. 1. Couarruuias 1. par. §. 12. numero 5. & plures alij partem negatiuam tuentur, quia Parochus non habet ex suo officio iurisdictionem in foro exteriori, quæ necessaria est ad absolutionem ab excommunicatione maiori.

Nauarrus. Vasquez. Auila. Ægidius. Nauarrus verò cap. 27. num. 39. Vasquez dubio 19. Auila 2. par. cap. 27. disput. 1. dub. 4. & Ægidius dub. 16. partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia in dicto cap. *Nuper.* quoad hoc æquiparantur Episcopus & proprius Parochus. Et quidem eo ipso quòd excommunicatio non reseruatur, eius absolutio committi videtur ei, qui aliàs potest à peccato, cui annexa est, absoluere, vt non impediatur absoluere à peccato à quo aliàs potest; quia ad absolutionem à peccato prærequisita est absolutio ab ea excommunicatione, ob quod etiam Confessarius ordinarius non Parochus potest à dicta excommunicatione Iuris absoluere, vt aduertunt Nauarrus, Vasquez, Auila, & Ægidius.

Nauarrus. Vasquez. Auila. Ægidius.

7 Quod autem ab aduersariis dicitur, ad absolutionem ab excommunicatione esse necessariam iurisdictionem exteriorem ex officio, absque fundamento est; quia ad absoluendum ab ea, sufficit concessio potestatis exterioris ad id, tantùm ex voluntate interpretatiua excommunicantis non reseruantis eam absolutionem, declarata à Pontifice in eo cap. *Nuper.* siue potestas hæc contentiosa partialis, ad absoluendum videlicet, & non ad ligandum, dicatur ordinaria, vt à nonnullis dicitur, siue delegata, vt dicitur ab aliis.

Absolutio autem à dicta excommunicatione maiori non solùm ab Episcopo potest fieri extra confessionem, sed etiam à proprio Paroco, & à Confessario ordinario, etiamsi prædictis remittatur ob absolutionem à peccatis, seu in ordine ad eam: quia potest quis vti potestate sibi concessa quoad aliquid, & nolle vti ea in totum, vt etiam dicemus Difficul. v. de absolutione ab excommunicatione facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius similis priuilegij.

8 Et in articulo mortis quicumque Sacerdos (etiam non approbatus, & excommunicatus non toleratus) potest à dicta excommunicatione absoluere, quando deficit qui aliàs extra eum articulum

Trident. potest facere, vt constat ex Tridentino sess. 14. c. 7. eo tamen modo, quo generaliter dicemus de absolutione ab omni excommunicatione, Difficultate sequenti.

DIFFICVLTAS III.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione lata à Iure reseruata.

9 COnueniunt Doctores, ab excommunicatione à Iure reseruata tantùm posse absoluere eum cui est reseruata, aut eius superiorem, aut eum cui ipsi commiserint; quia eo ipso quòd reseruatur, non conceditur facultas aliis inferioribus.

Pro articulo tamen mortis conceditur omnibus Sacerdotibus, quamuis excommunicatis & non toleratis, facultas ad absoluendum ab omni excommunicatione (etiam ab homine, & specialiter lata) quando deficit qui aliàs extra eum articulum id potest facere, vt patet ex Tridentino sess. 14. c. 7. *Trident.* sub conditione tamen, aut sub onere comparendi coram eo à quo extra eum articulum erat absoluendus, vt generaliter dicitur in cap. *Eos qui.* 22. de Sententia excommunicationis, in 6. exigendo tamen priùs ab excommunicato (exceptis pueris) iuramentum com parendi, vt aduertunt Sancius in *Sancius.* Summa lib. 2. cap. 13. nu. 26. & Ægidius nu. 236. *Ægidius.* vt pro absolutione ab excommunicatione ob percussionem Clerici exprimitur in cap. *Noscitur.* 13. & in cap. *Quamuis.* 58. de Sententia excommunicat. quod etiam Doctores extendunt ad quascumque alias excommunicationes, adhuc Pontifici reseruatas.

Episcopis quoque conceditur facultas absoluendi à quacumque excommunicatione Pontifici reseruata, quando excommunicatus est legitimè impeditus adire summum Pontificem, siue ætate senili, siue impubertate, siue infirmitate, siue inimicitia capitali periculosa, siue fragilitate sexus, siue cura familiæ, siue quia est sub cura parentum, siue paupertate in eo qui non solet mendicare, siue quocumque alio impedimento ad arbitrium prudentis sufficienti, quamuis possit ad Pontificem mittere, & non mittat, vt pro absolutione ab excommunicatione ob percussionem Clerici dicitur in dictis capp. *Quamuis,* & *Ea noscitur,* quod Doctores extendunt ad quascumque alias excommunicationes reseruatas, vt supponi videtur in dicto cap. *Eos qui*, sub conditione tamen, aut sub onere comparendi cessante impedimento (excepto impubertatis) & exigendo priùs iuramentum comparendi, vt pro absolutione ab excommunicatione ob percussionem Clerici exprimitur in dicto c. *Quamuis*, & à Doctoribus extenditur ad quascumque alias Pontifici reseruatas. 10

Id verò quod addit Nauarrus cap. 27. num. 89. 11
nempe, excommunicatum aliquo modo ex dictis *Nauarrus.* impeditum, non posse absolui ab Episcopo, quando potest adire Legatum Pontificis, aut alium habentem priuilegium absoluendi, dicitur absque fundamento; quia nullibi, adhuc in dicto cap. *Quamuis*, amplius requiritur vt possit Episcopus, nisi quòd non possit adiri Pontifex.

Deinde Episcopis per se, aut per Vicarios ad id specialiter deputatos, in Tridentino sess. 24. cap. 6. *Trident.* de Reformatione, conceditur facultas absoluendi suos subditos ab omnibus excommunicationibus reseruatis occultis, etiam ab excommunicatione hæresi annexa, quamuis ab hac ipsis tantùm per se ipsos. Quæ Henriquez 7. de Indulgentiis c. 13. *Henriquez.* Sancius in Summa libro 2. cap. 11. nu. 10. extendunt ad Episcopos respectu Religiosorum particularium ex licentia Prælati eorum, & respectu ipsorum Prælatorum voluntariè se subiicientium Episcopo, & non absque ratione; quia id est quid fauorabile Religiosis, quod non deperdunt per exemptionem quæ est ipsis fauorabilis. *Sancius.*

Sed an nunc possit Episcopus vti dicta concessione Tridentini quoad casus Bullæ Cœnæ Domini, etiam hæresis, & quoad excommunicationes eis annexas, non conuenit inter Doctores; quia Henriquez libro 6. de Pœnitentia cap. 14. Petrus Ledesma, Rodriguez, Lorca disp. 45. Granado Tractat. 15. disp. 14. sectione 2. & plures alij 12 *Henriquez. Ledesma. Rodriguez. Lorca. Granado.*

Auila. *Aegidius.* *Tolet.* *Azor.* *Molina.* *Suarez.*

alij docent, quòd possit, in quod inclinat Auila 2.parte, cap.7. disputatione 1. dub.6. & approbat Ægidius numero 243.quoad omnes casus, excepto hæresis. Toletus verò in Summa, in Bulla Cœnæ *Excommunicatio* 14. ad finem, Azor, Molina, Suarez disputat.21. sectione 4. & plures alij docent, quòd non possit vti dicta concessione, quia ei videtur derogari in vltima clausula Bullæ Cœnæ. Vtraque tamen pars non caret probabilitate, & non minùs pars affirmatiua, etiam quoad casum hæresis, quàm negatiua.

Tandem variis religionibus, & aliis variis personis conceditur facultas absoluendi ab omnibus excommunicationibus Papæ reseruatis, & per Bullam Cruciatæ conceditur, vt eâ habentes semel in vita, & iterùm in articulo mortis possint absolui à Sacerdotibus approbatis ab excommunicationibus Papæ reseruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ, excepta excommunicatione hæresi annexa.

13 Obseruandum est, vt communiter Doctores, quòd quando generaliter conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Papæ reseruatis, non comprehenduntur casus Bullæ Cœnæ; quia isti specialissimè reseruantur, vt patet ex vltima clausula dictæ Bullæ; ac proinde eorum reseruatio non censetur tolli generali concessione, quia, vt habetur in regula 81. Iuris in 6. in concessione generali non veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus: imò specialissima reseruatione casuum Bullæ Cœnæ Domini derogatur dictæ concessioni generali, quoad hos casus; quia, vt habetur in regula 34. in 6. generi per speciem derogatur, id est generali concessioni per specialem: & ideò Pontifex, quando alicui concedere vult facultatem absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ, id exprimit, vt fit in Bulla Cruciatæ.

Et ob eamdem rationem, vt optimè Nauarrus cap.27. numero 275. & alij contra nonnullos, existimamus, quòd non eo ipso, quod conceditur facultas absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ, concedatur à casu hæresis, quia scilicet iste specialissimè reseruatur Pontifici, & sanctæ Inquisitioni.

14 Addunt quoque communiter Doctores, quòd quoties conceditur facultas absoluendi à casibus Pontifici reseruatis, etiam censeatur concedi à casibus reseruatis Episcopo: & meritò, cùm hæc facultas sit minor, & facilior, quàm illa. Et id est manifestum, quando conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, addendo, *adhuc summo Pontifici*, vt conceditur virtute Bullæ Cruciatæ.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm absolutio facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut Jubilei, aut alius priuilegij, etiam valeat pro foro exteriori & contentioso.

15 SVpponimus, quòd quando in priuilegio additur, quòd fiat pro foro tantùm conscientiæ, non valet nisi pro eo, quidquid dicat Suarez, quia absque dubio ea additio ad id forum restringet absolutionem; & quòd, quando additur quod etiam fiat pro foro exteriori seu contentioso, etiam valet pro eo.

Difficultas ergo hæc procedit, quando in priuilegio absolutè conceditur facultas absoluendi, nulla posita additione, nec restrictione fori, vt conceditur in Bulla Cruciatæ, & etiã Mendicantibus.

Suarez disp.7.sect.5.nu.20. Rodriguez in Bulla §.9.n.55. & Medina in Summa lib.2.c.12. in fine docent, tunc absolutionem etiam valere pro foro exteriori seu cõtentioso: quia ex vna parte in dicto priuilegio facultas absoluendi absolutè & absque restrictione conceditur, & ex altera est gratiosa & liberalis; ergo non est restringenda & limitanda. Imò addit Suarez, quòd quando in priuilegio dicitur, *in foro tantum conscientiæ*, ea restrictio non additur, vt ex vi illius absolutus non habeatur vt absolutus, & immunis ab excommunicatione in foro exteriori & contentioso, sed vt Iudex possit adhuc de delicto cognoscere, & pœnitentiam foro contentioso accommodatam imponere.

Couarruuias verò 1.p.§.11.num.16. Henriquez lib.7.de Indulgent. cap.13. & Auila 2.par.cap. disput.3.dub.12. & plures alij docent, tunc absolutionem ab excommunicatione non valere in foro exteriori (ac proinde sic absolutum posse à Iudice tractari vt excommunicatum) & meritò, quia id est contra rigorem Iuris & iurisdictionem Ordinariorum, quo tribunal eorum non paruipenderatur, quod non est credendum concedi generali & absoluta concessione, præsertim quando in priuilegio dicitur, *pro foro tantum conscientiæ.*

DIFFICVLTAS V.

Vtrùm virtute Bullæ Cruciatæ, & similium priuilegiorum, possit quis absolui ab Excommunicatione extra Sacramentum Pœnitentiæ.

NAuarrus c.16.n.31. quem sequi videtur Vasquez du.20.n.8. docet, ex vi huiusmodi priuilegij non posse excommunicatum absolui ab excommunicatione, nisi in confessione Sacramentali, quia dictum priuilegiũ conceditur in ordine ad absolutionẽ à peccatis, quod ob hanc rationẽ existimat verũ, quamuis in priuilegio non addatur peccatis in confessione auditis, vt in nonnullis priuilegiis additur, & quãuis absolutio nõ remittatur Sacerdoti approbato, vt remittitur in Bulla Cruciatæ.

Auila verò 2.p.c.7.dis.3.du.3. & Ægidius dunt. docent, ex vi huiusmodi priuilegij posse excõmunicatum absolui extra confessionẽ, & meritò: quia absolutio ab excommunicatione non pendet à Sacramento Pœnitentiæ, & absq; fundaméto & necessitate ei alligatur; quia nõ cogit ad hoc, quòd facultas absoluendi ab excõmunicatione concedatur in ordine ad absolutionem à peccatis, vt conceditur in Bulla Cruciatæ, quia potest quis esse contentus sola absolutione ab excõmunicatione, & nolle gaudere priuilegio in totũ, & quoad principalius: nec quòd absolutio ab excommunicatione remittatur Sacerdoti approbato, vt in eadem Bulla remittitur; quia ei, & non idiotæ, vult Pontifex eam absolutionem remittere: præsertim cùm eam remittat in ordine ad absolutionẽ à peccatis. Necesset ad id, vt prędicti docent, quamuis in priuilegio addatur, *peccatis in confessione auditis*, seu *confessione audita*; quia id additur pro absolutione à peccatis, quæ principaliter priuilegio intenditur: & quamuis addatur, *pro foro tantùm conscientiæ*,

& pœnitentiali; quia quamuis absolutio ab excommunicatione fiat extra confessionem, potest tantùm valere pro foro conscientiæ, relinquendo Iudici potestatem tractandi excommunicatum vt talem, & puniendi peccatum, ob quod fuit excommunicatio incursa.

DIFFICVLTAS VI.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione lata ab homine.

19 COnueniunt Primò Doctores, ab excommunicatione ab homine specialiter lata, siue medio præcepto speciali, siue media sententia speciali, posse absoluere ipsum Iudicem qui excommunicauit (exceptis extraordinariis quibusdam *Ægidius.* casibus, relatis ab Ægidio numero 256.) & eo superiorem, & etiam eum, cui aliquis eorum commiserit, & non posse alium, quamuis excommunicatio non sit reseruata, quia absolutio à dicta excommunicatione nullo Iure conceditur, & satis congruenter, vt tribunal Iudicis sit ordinariè illæsum, & non turbatum.

Et ob eamdem rationem nec potest ille, cui ex priuilegio conceditur facultas absoluendi ab omni excommunicatione, tam à Iure quàm ab homine, vt conceditur in Bulla Cruciatæ, & Mendicantibus, vt contra Henriquez libro 13. cap. 28. Auilam 2. p. cap. 7. disputatione 7. dub. 10. & Ægi- *Vasquez.* dium numero 255. docent Vasquez dub. 10. numero 8. quia id est contra iurisdictionem Iudicum; quia & tribunal eorum aliquando turbabitur, quod non est credendum concedi generali concessione: excipimus tamen excommunicatum specialiter ab homine excommunicatione lata pro peccato futuro, qui non est declaratus excommunicatus, qui dicto priuilegio potest absolui quando lis cessauit, quia tunc absolutione non turbabitur tribunal.

20 In articulo tamen mortis quicumque Sacerdos potest ab ea absoluere deficiente legitimo Iudice, *Trident.* vt deducitur ex Tridentino sess. 14. c. 7. exigendo tamen priùs (si tempus non deficiat) iuramentum comparendi cùm primùm commodè possit, coram eo à quo extra eum articulum potest legitimè absolui.

Conueniunt Secundò Doctores, ab excommunicatione ab homine generaliter lata, siue media sententia generaliter lata, siue medio præcepto generaliter lato, posse absoluere omnes, quos diximus posse ab excommunicatione ab homine specialiter lata, nempe eum qui excommunicauit, & eo superiorem, & eum cui aliquis eorum commiserit; & in articulo mortis quemcumque Sa- 21 cerdotem deficiente legitimo Iudice, & absque dubio etiam eum cui ex priuilegio conceditur facultas absoluendi ab omni excommunicatione, tam à Iure quàm ab homine; quia ad minus intelligitur de excommunicatione ab homine generaliter lata.

Est tamen difficultas, An ab hac excommunicatione, lata videlicet generaliter ab homine, quando non reseruatur, possit absoluere qui potest ab excommunicatione à Iure lata non reseruata.

Caietanus v. *Absolutio ab excommunicatione.* §. 2. & Vasquez dub. 19. numer 09. docent, non *Caietanus. Vasquez.* posse; quia ex vna parte eiusdem est absoluere cuius est ligare, & ex altera in cap. *Nuper*, vbi inferioribus supponitur concessa facultas absoluendi ab excommunicatione superioris, tantùm est sermo de excommunicatione lata à Iure.

Nauarrus verò cap. 27. nu. 44. Ægidius dub. 16. *Nauarrus.* & communiter Doctores docent posse, & meritò: *Ægidius.* quia cùm absoluendo à dicta excommunicatione, non turbetur tribunal Iudicis illam ferentis, eo ipso quòd eius absolutio non reseruatur, committi videtur cuicumque, qui potest absoluere à peccato, ob quod incurritur non minùs quàm absolutio ab excommunicatione à Iure lata, quamuis in dicto cap. *Nuper*. id non exprimatur, cùm eadem ratio, ob quam id declarauit Pontifex de voluntate legislatoris, lege seu Iure excommunicantis non reseruantis, currat etiam pro excommunicatione lata generaliter ab homine eam non reseruante.

Ex dictis constat, ab excommunicatione maiori 22 lata generaliter ab homine (etiam à Papa vt homine, id est non medio Iure, sed media sententia, aut medio præcepto transitorio) quando non reseruatur, posse absoluere quemcumque qui potest à peccato, ob quod imponitur, absoluere.

DISPVTATIO XVI.

De Excommunicatione minori.

1 QVAMVIS olim plures fuerint excommunicationes minores, & quę ab homine infligi ſolebant, vt inſinuatur 11. q. 3. per varios canones, iam tamen ſolùm eſt in vſu excommunicatio minor, quæ à Iure infligitur ob illicitam communicationem per modum commercij cum excommunicato excommunicatione maiori, iuxta c. *Statuimus.* 3. de Sententia excommun. in 6. & iuxta can. *Cum excommunicato.* 11. q. 3. & poſt Extrauagantem, *Ad euitanda ſcandala.* tantùm infligitur ob dictam communicationem cum excommunicato denuntiato, aut notoriè excommunicato ob percuſſionē Clerici: & quamuis excommunicatio minor regulariter ſolo Iure infligatur, poteſt tamen etiam infligi ab homine, præſupponendo tamen ea, quæ Diſput. XII. prærequiſita eſſe diximus ad ferendam excommunicationem maiorem.

DIFFICVLTAS I.

De effectu Excommunicationis minoris, quæ nunc eſt in vſu.

2 COnueniunt Doctores, excommunicationem minorem directè tantùm priuare receptione, ſeu paſſiua participatione Sacramentorum. Ita dicitur, ablata particula *directè*, in c. 2. de Exceptionibus, & in cap. vlt. de Clerico excommunicato, & in cap. pænult. de Sententia excommun. quamuis in hoc non ponatur expreſsè particula *tantum*.

Vnde ſic excommunicatus ad minus eſt prohibitus Sacramenta ſuſcipere: ac proinde ſuſcipiendo peccat, imò mortaliter (vt de eo, quando celebrat, dicitur in c. vlt. de Clerico excommunicato) quia ſuſceptio Sacramenti eſt materia grauis.

3 Eſt tamen difficultas, Primò, An non ſolùm ſit prohibitus Sacramenta ſuſcipere, ſed etiam ſit inhabilis ad validè ea ſuſcipienda. Et ſolùm eſt difficultas, an ſit inhabilis ad validam ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ; quia ad reliqua, cuius baptizatus eſt capax, non eſt inhabilis, ſicut nec excommunicatus excommunicatione maiori, vt diximus Diſputat. IV. Difficultate III.

Nauarrus. Couarru. Circa difficultatem ergo Nauarrus c. 9. num. 3. Couarruuias 1. p. §. 2. & plures alij docent non eſſe inhabilem ad validam ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, quia nullibi videtur inhabilitari.

Vaſquez. Paludanus. Adrianus. Silueſter. Vaſquez verò dub. 4. Paludanus, Adrianus & Silueſter docent, eſſe inhabilem ad validam, ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentię, & meritò: quia à ſuſceptione Sacramentorum remouetur, quantù poteſt, ab Eccleſia, ac proinde fit inhabilis. Vnde Sacramentum Pœnitentiæ ſuſceptum à ſic excommunicato, quamuis naturaliter oblito excommunicationis, eſſet nullum, ſi eſſet denuntiatus, quod numquam fit.

Addidimus, *excommunicationē minorem tantùm priuare receptione Sacramentorum*, quia ſic excommunicatus validè adminiſtrat illa (in quo Doctores conueniunt) & id ad minus ſignificatur in dicto c. vlt. dum dē ſic excommunicato dicitur, *eſſe remotum à collatione Sacramentorum*.

Eſt tamen Secundò difficultas, An ſic excommunicatus adminiſtret illicitè Sacramenta.

Vaſquez dub. 4. Auila 2. p. c. 6. diſp. 12. dub. 2. Ægidius dub. 17. & Alterius l. 1. diſp. 4. c. 3. Silueſter & Armilla docent, ſic excommunicatū illicitè adminiſtrare Sacramenta, quod expreſſum habetur in dicto c. vlt. dum de excommunicato eiusmodi communicatione minore dicitur, *peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta*. Ex dictis tamen Doctoribus Vaſquez, Silueſter, & Armilla docent, peccare mortaliter; Auila verò, Ægidius, & Alterius docent, peccare tantùm venialiter.

Nauarrus verò cap. 27. nu. 24. Suarez diſp. 24. ſect. 2. Petrus Sotus, & Filliucius docent, ſic excommunicatum non peccare adminiſtrando Sacramenta, & meritò: quia excommunicatio minor id non prohibet, cùm non priuet actiua adminiſtratione Sacramentorum, ſed tantùm eorum receptione, vt dicitur in tribus prædictis capp.

In cap. autem illo vltimo, dum dicitur, *peccat autem conferendo Sacramenta*, tantùm eſt ſermo de Sacerdote celebrante, de quo in principio cap. fit ſermo, vt denotatur illâ particulâ *autem*, quæ refertur ad præteritum: dicitur autem peccare conferendo aliis v. g. Ordines ſacros & Euchariſtiam, ſed non præcisè quia confert, vt denotatur illis ſubſequentibus verbis, *Sed ab eo collata virtutis non carit effectu, quia nō à collatione, ſed à receptione eſt remotus*; ſed peccat, quia confert celebrando, qua ratione etiam ſuſcipit Euchariſtiam, in quo peccat. Dicitur autem à Pontifice, quòd Sacramenta ab eo collata non careant effectu; quia ſic excommunicatus illa adminiſtrans, non peccat ex eo quòd illa confert, ac proinde alter ſuſcipiens licitè & fructuosè illa recipit ab eo, quod non fieret, ſi excommunicatus illa illicitè conferret, quia illa, ſaltem excepta Euchariſtia, conferret illicitè mortaliter, quia collatio illorum, ſaltem excepta collatione Euchariſtiæ, eſt materia grauis.

Vnde quamuis celebrans peccet mortaliter, non fit irregularis, vt dicitur in eo cap. quia non peccat ipſa actione celebrandi, & effectione Euchariſtiæ, ſed tantùm eam ſuſcipiendo.

Addidimus etiam, excommunicationem minorem directè tantùm priuare receptione Sacramentorum; quia quamuis etiam priuet paſſiua electione ad beneficium, vt patet ex dicto c. vltimo, non tamen directè, ſed indirectè; quia ex diſpoſitione huius cap. ex eo priuat illa, quia priuat receptione Sacramentorum, ad quam beneficium ſaltem remotè ordinatur, quia ordinatur ad celebrandum, ac proinde ad ſuſceptionem Ordinum & Euchariſtiæ. Priuat autem paſſiua electione, quaſi inhabilitando; quia electio ſic excommunicato facta ſcienter, eſt irritanda, vt dicitur in dicto cap. non tamen eſt irrita, vt contra Couarruuiam 1. p. §. 8. & Couarruuias contra alios docent Vaſquez dub. 6. Auila & Ægidius: imò non eſt irritanda, quando ignorantia ſu-

fit, quamuis ignorantia vincibili. Vnde excommunicatus minori excommunicatione peccat, & mortaliter, acceptando beneficium; & eligens peccaret, si sic excommunicatus esset denuntiatus.

DIFFICVLTAS II.

Quis possit absoluere ab Excommunicatione minori.

7 IN cap. *Nuper.* 29. de Sententia excommun. dicitur, excommunicationem minorem posse absolui à proprio Episcopo, & à proprio Sacerdote seu Parocho: posse quoque absolui à Confessario ordinario approbato, constat ex dictis Disputat. XV. Difficultate 11.

Est tamen difficultas, An possit absolui à simplici Sacerdote non approbato, qui non potest à mortalibus, sed tantùm à venialibus absoluere.

Vasquez. Aulla. Ægidius. Vasquez dub. 21. Aulla 2. par. cap. 7. disput. 1. dub. 1. Ægidius dub. 17. & plures alij docent, non posse; quia ad absolutionem, etiam ab excommunicatione minori, requiritur iurisdictio contentiosa, quia non est à culpa, sed à pœna à Iudice inflicta; in simplici autem Sacerdote non est iurisdictio contentiosa.

Felinus. Tabiena. Armilla. Nauarrus. Toletus. Felinus verò in cap. *A nobis.* de Exceptionibus, Tabiena v. *Absolutio.* 2. num. 3. Armilla nu. 38. Nauarrus cap. 27. num. 25. & 39. & Toletus lib. 1. cap. 17. docent posse: quod in primis est verum, quando sic excommunicatus non habet peccatum mortale, vt limitant Nauarrus & Toletus, quia eo ipso quòd absolutio ab excommunicatione minori non reseruatur, potest fieri à quocumque potente absoluere sic excommunicatum à peccatis, vt

8 possit eum à peccatis absoluere; quia absolutio ab excommunicatione minori est prærequisita ad absolutionem à peccatis, & ob hanc causam in dicto cap. *Nuper* dicitur, posse fieri à proprio Sacerdote, & tamen iste alias non habet iurisdictionem contentiosam; & ob eamdem causam id etiam concedimus Confessario ordinario. Ergo cùm simplex Sacerdos possit sic excommunicatum, non habentem peccatum mortale, absoluere à suis peccatis, poterit illum absoluere ab excommunicatione minori, quamuis aliàs non habeat iurisdictionem contentiosam; & non solùm in confessione Sacramentali, sed etiam extra, vt de absolutione ab excommunicatione maiori à Iure non reseruata, id concessimus proprio Sacerdoti, & Confessario ordinario, Disput. XV. Difficultate 11. & à reseruata id concessimus delegato virtute Bullæ, aut alterius similis priuilegij.

Quòd verò in c. *Nuper* tantùm dicatur, posse 9 absolui ab Episcopo, & à proprio Sacerdote, & non dicatur posse ab aliis, non obstat, quia prædicti id non possunt ex vi alicuius delegationis in eo c. à Pontifice illis factæ, sed tantùm id possunt ex voluntate superioris excommunicantis, & non reseruantis à Pontifice in eo cap. declarata, ex eo quòd eam non reseruet; & quia causa, ob quam id ab excommunicante interpretatiuè conceditur proprio Sacerdoti, vt scilicet possit sic excommunicatum à peccatis absoluere, etiam conuenit Confessario ordinario generaliter, & simplici Sacerdoti respectu sic excommunicati non habentis mortale, ideò absolutio ab ea excommunicatione conuenit Confessario ordinario generaliter, & simplici Sacerdoti respectu sic excommunicati non habentis mortale, quamuis aliàs non habeat 10 iurisdictionem contentiosam, ea sola parte iurisdictionis contentiosæ ad absoluendum concessa interpretatiuè à superiore excommunicante.

Addimus, excommunicationem minorem incursam ob peccatum veniale, etiam posse absolui à simplici Sacerdote, quamuis sic excommunicatus habeat peccatum mortale, vt indicant Tabiena & *Tabiena. Armilla.* Armilla, cùm ille possit absoluere à peccato ob quod fuit incursa, sicut etiam proprius Sacerdos & Confessarius ordinarius possunt ab illa absoluere, quamuis sic excõmunicatus habeat alia peccata mortalia reseruata, à quibus non possint absoluere, ex eo quòd, quantum est ex se, possunt absoluere verè à peccato ob quod fuit incursa. Imò posse absolui à simplici Sacerdote, quamuis sit incursa ob mortale, indicat Felinus & Armilla, quod *Felinus. Armilla.* non est omnino à ratione alienum; quia cùm excõmunicatio minor non exigat ad sui incursionem peccatum mortale, non videtur exigere absoluentem potentem absoluere ab eo peccato mortali.

TRACTATVS DE SVSPENSIONE.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit Suspensio.

1 SVSPENSIO Ecclesiastica strictè sumpta, de qua tractamus, *est censura, qua Clericus priuatur vsu potestatis ei conuenientis aut ratione officij clericalis, aut ratione beneficij, aut ratione vtriusque.* Est autem suspensio censura, vt constat ex cap. *Quærenti.* 20. de Verborum significat. quia est *pœna medicinalis, bono spirituali priuans*, & continetur sub censura tamquam sub genere, in quo conuenit cum excommunicatione & interdicto, vt constat ex dicto cap. Reliquæ verò particulæ ponuntur pro differentia, quia eis differt ab excommunicatione & interdicto: quia in primis suspensio aliquando priuat vsu beneficij, & non excommunicatio nec interdictum; deinde priuat aliis, quibus non interdictum, quamuis eis priuet excõmunicatio. Et licet excõmunicatio & interdictum priuent aliquibus eisdem bonis, quibus suspensio, tamen diuerso modo, ex quo differentia quasi specifica inter suspensionem, excommunicationem & interdictum desumitur; quia suspensio priuat illis bonis, nempe vsu potestatis clericalis, quatenus est vsus seu ministerium, vt sic, potestatis clericalis: excommunicatio verò priuat eo vsu, quatenus est communicatio per modum societatis cum alio circa quem exercetur, aut quatenus in eo cum aliis personis communicat: interdictum verò priuat illo vsu, quõ priuat quatenus est quoddam bonum secundùm se participabile ab aliquo, & non vt est ministerium seu exercitium potestatis clericalis, nec vt est bonum commune fidelibus inter se, seu vni cum aliis. Ex quo deducitur, suspensionem tantùm posse ferri contra Clericos.

2

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex sit Suspensio.

3 SVspensio strictè sumpta in primis, altera est à Iure, & altera est ab homine. Deinde suspensio altera est totalis, qua quis simul suspenditur ab officio & à beneficio, vt expressè fertur in cap. *Tuarum.* 11. de Priuilegiis; & altera est partialis, qua quis suspenditur vel ab officio tantùm, vel à beneficio tantùm: & suspensio partialis ab officio subdiuiditur in plures alias, pro varietate officiorum Ecclesiasticorum.

Est tamen difficultas, An quando suspensio fertur absolutè absque vlla rei aut effectus determinatione, vt quando dicitur, *sit suspensus*, sit suspensio tantùm ab officio, an etiam à beneficio.

Burgasius, Antonius de Buttio, & Felinus, relati à Sayro lib. 4. c. 4. docent, suspensionem sic absolutè latam, tantùm esse ab officio, sed absque fundamento, imò contra rationem, vt docent Henriquez lib. 13. cap. 32. Ægidius disput. 15. dub. 1. & Sayrus vbi suprà, quia tunc suspensio non ferur cum limitatione; est ergo ab omni eo à quo esse potest, ac proinde ab officio & à beneficio simul.

4

Tandem suspensio alia est perpetua, alia est ad determinatum tempus, & alia ad tempus indeterminatum.

DIFFICVLTAS III.

Quibus modis possit ferri Suspensio.

COnueniunt Doctores, suspensionem ferri posse dupliciter: vno modo vt censuram, id est vt pœnam medicinalẽ, quæ, positâ emendatione suspensi, exigat auferri, & solùm ob contumaciam respectu Ecclesiæ præcipientis; altero modo, vt puram pœnam, seu vindictam, & etiam ob peccatum contra Ius naturale aut diuinum, quamuis non Ecclesiasticum, vt diximus Tractat. de Censuris in communi, Difficul. XVIII. vbi etiam explicuimus, qua ratione prærequiratur monitio, vt quælibet censura feratur.

Pro cuius maiori intelligentia obseruãdum est, suspensionem posse variis modis ferri. Primò, addendo *in perpetuum*, vel *sine spe relaxationis*, quæ suspensio, quamuis sit totalis, ab officio videlicet & à beneficio, & perpetua, non habet rationẽ depositionis; quia præterquàm quòd dicta suspensio fertur in punitionem, & non depositio, suspensio dicta non priuat potestate & dominio, sed tantùm vsu; depositio verò priuat quasi potestate & dominio. Secundò ferri potest ad tempus limitatum, vt quando dicitur, *ad triennium*, quo transacto statim ex se ipsa cessat; & quando dicitur, *donec reus satisfaciat*, quæ etiam ex se ipsa cessat statim ac satisfacit reus; & etiam quando dicitur, *ad beneplacitum Iudicis*, quæ secundùm non paucos etiam Iudice mortuo ex se ipsa cessat, quia tamen, vtpote mortuo, non placet in prolongatione suspensionis: quod nobis difficile videtur, quia communis sensus illius particulæ *ad beneplacitum* est, donec non displiceat, seu donec non reuocetur. Prædictæ autem suspensiones quouis modo ex dictis latæ, non habent rationem pœnæ medicinalis, id est, pœnæ quæ exigat auferri cessante contumacia, sed habent rationem puræ pœnæ. Tertiò ferri potest suspensio, vt regulariter fertur, absque assignatione aliqua temporis, vt quando absolutè dicitur, *sit suspensus*, vel,

vel, *eum suspendimus*. & tunc fertur ob contumaciam, seu inobedientiam respectu Ecclesiæ præcipientis, & suspensio sic lata habet rationem censuræ, quia tunc resipiscente reo, & satisfaciente, absoluendus est.

DIFFICVLTAS IV.

Quos effectus habeat Suspensio.

7 CONueniunt Primò Doctores, suspensum ab officio absolutè, absque limitatione officij, esse impeditum seu prohibitū exercere omnes actiones seu functiones clericales, nempe omnes actiones solemnes Ordinis, & omnes actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, quia vtraque potestas, tam Ordinis quàm iurisdictionis, est verè officium, non tamen eo ipso esse suspensum à beneficio, vt deducitur ex c. *Inter*. 10. de Purgatione: quod est verum, quamuis suspensio ab officio sit perpetua, vt cōtra *Sancius.* Nauarrum c. 27. nu. 6. docent Sancius l. 3. disp. 51. *Ægidius.* num. 12. & Ægidius disp. 15. dub. 2. quia officium distinctum est à beneficio, & non includit beneficium, neque includitur in beneficio. Vnde suspensus ab officio, quamuis absolutè, poterit fructus beneficij percipere, si aliàs beneficio inseruiat, saltem per alium.

8 Addunt tamen Suarez disp. 26. sect. 3. & Ægi- *Suarez.* dius, suspenso absolutè ab officio illicitè, quamuis *Ægidius.* validè, conferri beneficium, argumento deducto à simili, cap. vltim. de Clerico excommunicato. Id tamen nobis non probatur; quia existimamus, ei non solùm validè, sed etiam licitè conferri, vt deducitur ex cap. *Vel non est compos*. 14. de Tempor. ordinat. Argumentum autem à simili non est efficax, præsertim in materia odiosa, qualis est præsens materia. Nihilominùs in cap. *Cum bonæ memoriæ*. 8. de Ætate & qualitate, & ordine perficiendorum, decernitur, collationem beneficij factam suspenso per triennium in suspensione perseuerantj esse irritandam.

Conueniunt Secundò Doctores, suspensum ab aliquo officio determinato, non tantùm esse prohibitum exercere actus illius officij, sed etiam actū alterius officij includentem illum; vt si quis est suspensus ab Ordine Diaconatus, non solùm non potest exercere Ordinem Diaconatus, sed neque potest celebrare, quia actus celebrandi includit actum seu vsum Diaconatus: non tamen est prohibitus exercere actus alterius officij, quāuis supponentis illud officium à quo determinatè est suspensus, vt contra communem sententiam docent *Suarez.* nonnulli apud Suarez sect. 4. quod etiam ipse 9 probabile censet. Verbi gratiā, suspensus ab Ordine inferiore, non est prohibitus exercere actum superioris non includentem actum inferioris: v. g. suspensus ab Ordine Diaconatus, potest confessiones audire, quia officia Diaconatus & Sacerdotij sunt distincta; & actus audiendi confessiones non includit, imò nec supponit actum Diaconatus, etiamsi officium Sacerdotij, quoad celebrationem, supponat officium Diaconatus.

Conueniunt Tertiò Doctores, suspensum à beneficio esse prohibitum percipere fructus beneficij, & administrare temporaliter beneficiū adhuc per procuratorem, quia isti sunt proprij actus beneficij: teneri tamen præstare id ad quod ex beneficio obligatur, quia suspensio solùm punit, & non liberat ad obligatione: iste tamen sic suspensus à beneficio, non est prohibitus exercere actus potestatis eligendi, & alios actus iurisdictionis conuenientis ratione beneficij, vt contra Sayrum l. 4. c. 6. *Auila.* & contra Nauarrum & Henriquez docent Auila *Ægidius.* 3. p. disput. 2. dub. 1. Ægidius vbi suprà, & plures alij, & deducitur ex cap. *Cum Vintonienſis*. 25. de Electione; quia quamuis isti actus sint potestatis annexæ beneficio, sed non ipsius beneficij.

Id verò quod addit Nauarrus 2. de Restitutione, 10 cap. 2. n. 237 nempe, suspenso à beneficio non esse *Nauarrus.* denegandos fructus beneficij, donec à Iudice illis priuetur, falsum est, & contra sententiam communem. Quia sicut suspensus ab officio, est priuatus omni actu officij, ita suspensus à beneficio, est priuatus omni fructu temporali beneficij. Poterit tamen, vt aduertit Auila, recipere fructus correspondentes labori quem seruiendo impendit, & qui darentur substituto; quia isti non tam sunt fructus beneficij, quàm stipendium laboris: poterit quoque ob eamdem rationem percipere quotidianas distributiones.

Conueniunt Quartò Doctores, suspensum copulatiuè ab officio & à beneficio (siue quia sic expresè suspenditur, siue quia suspenditur absolutè) prohiberi exercere functiones officij & beneficij, iuxta ea quæ diximus.

Sed quamuis Doctores communiter doceant, 11 suspensum ab officio, vel à beneficio, sub disiunctione, à neutro manere suspensum: quia non ab vtroque, vt patet; nec ab altero, quia non est maior ratio ob quam ab vno potiùs quàm ab altero maneat. Nihilominùs, vt docent nonnulli apud Bur- *Burgasius.* gasium Tract. de Irregularitate, part. 6. tit. de Suspensione, nu. 29. credimus, manere suspensum ab vno vel ab altero determinatè pro optione suspensi, quam tenetur facere: sicut qui condemnatur vt exulet, vel vt soluat certam quātitatem pecuniæ, verè manet obnoxius vni aut alteri, & obligatur vnum aut alterum eligere, quia absq; fundamento negatur, Iudicem habere auctoritatem ad sic ferendam sententiam pœnæ, & ad obligandum reum vt eligat quam maluerit.

Conueniunt Quintò Doctores, Episcopum suspensum à Pontificalibus, esse prohibitum exercere quemcumque actum Ordinis Episcopalis, vt ordinare, & consecrare aras, non verò exercere actus iurisdictionis, adhuc Episcopalis, nec actus Ordinum inferiorum Episcopali.

Conueniunt Sextò, suspensum ab ingressu Ec- 12 cleliæ, prohiberi celebrare diuina officia intra Ecclesiam, & ea audire, non verò extra. Vtrumque tamen hoc potiùs pertinet ad interdictum quàm ad suspensionem, quia suspensio propriè & strictè non priuat auditione diuinorum, sed celebratione; interdictum verò vtroque.

DIFFICVLTAS V.

Quo modo suspensus possit exercere ea à quibus est suspensus.

CONueniunt Doctores, illicitum esse suspen- 13 so, exercere ea à quibus est suspensus: imò esse peccatum mortale, nisi materia sit leuis; & fieri irregularem, si solemniter exerceat actum Ordinis sacri: excusabitur tamen à culpa contra prohibitionem suspensionis (& consequenter ab irre-

gularitate, quæ ob eam culpam incurritur, etiamsi exerceat actum Ordinis sacri, adhuc Presbyteratus) quoties non denuntiatus exercet id à quo est suspensus, ad petitionem fidelium, iuxta Extrauagantem, *Ad euitanda scandala*, in qua est sermo de quacumque censura ; de quo nonnihil diximus Tract. de Excommun. Disput. 11. Difficultate 1v. Addidimus, *à culpa contra prohibitionem suspensionis*, quia suspensus ob crimen aliquod mortale, non denuntiatus, qui celebrat ante confessionem illius criminis, quamuis ad petitionem fidelium, ad minus peccat contra prohibitionem celebrandi in statu illius peccati non confessi, ob quod incurrit suspensionem ; quia ad celebrandum tenetur priùs omnia sua peccata mortalia confiteri. Si tamen celebrando non peccat contra prohibitionem suspensionis, vt indicat Ledesma 1. par. 4. quæst. 5. art. 6. dub. 13. etiamsi celebret, non incurrit irregularitatem, quia tantùm incurritur ob culpam contra prohibitionem suspensionis. Ledesma.

14 Ita tamen vsus eorum à quibus quis est suspensus, est ei illicitus, vt etiam per se sit inualidus, quando potest ab Ecclesia inualidari (quales sunt actus iurisdictionis, & quales non sunt actus puri Ordinis) vt docent communiter Doctores ; quia suspensione impeditur quis ab vsu, quantum potest ab Ecclesia impediri ; quod tantùm est verum de suspenso non tolerato, quia vsus exercitus à suspenso tolerato verè est validus, quia eo ipso quòd Ecclesia illum tolerat in fauorem aliorum fidelium, relinquit illum sufficientem, etiam quando ipse se ingerit, vt validè exerceat actus erga illos, sub conditione, si ab ipsis fidelibus acceptentur.

Addidimus, *vsum exercitum à suspenso non tolerato esse inualidum per se* ; quia per accidens, quando scilicet est titulus saltem coloratus, & communis error in populo, vsus seu actus erit validus, supplente pro tunc Ecclesia defectum potestatis impeditæ.

DIFFICVLTAS VI.

Quomodo possit communicari cum suspenso.

15 CONueniunt Doctores, nullam esse prohibitionem, qua primariò & directè prohibeatur communicatio cum suspensis, adhuc in vsu eorum à quibus sunt suspensi ; prohibitione tamen qua ipsi suspensi sunt prohibiti ab eo vsu, reliqui prohibentur indirectè aut secundariò eos inducere ad vsum, quando eis est futurus illicitus, ac proinde prohibitum est & illicitum, prouocare suspẽsum non toleratum ad vsum ipsi prohibitum ; non tamen suspensum toleratum ad vsum qui sit communicatio cum ipso prouocante, quia dicta Extrauagante, *Ad euitanda scandala*, nobis est licitum cum eo communicare, ac si non esset suspensus. Vnde vsus, qui sit pura communicatio cum aliis, erit ipsi suspenso tolerato licitus, quoties sit ad petitionem aliorum, si non sit illi alia prohibitio præter prohibitionem censuræ, & non sit in potestate suspensi, absolui à suspensione ante dictum vsum.

16

DIFFICVLTAS VII.

Ob quas causas ferri possit Suspensio.

PRimò est difficultas, An suspensio possit ferri absque culpa suspensi. Et non procedit difficultas de suspensione largè & impropriè sumpta pro prohibitione vtendi potestate Ecclesiastica, quauis ratione posita, ob cuius violationem, etiam exercendo solemniter Ordinem sacrum, non incurritur irregularitas ; quia talis suspensio ferri potest absque propria culpa, ob defectum aliquem indecentem vsui potestatis Ecclesiasticæ, vt ob defectum sanitatis, vt patet ex titulo de Clerico ægrotante, in Decretalibus, & in 6. & ob defectum ætatis, & in pœnam alterius, vt lata fuit in cap. *Vel non est compos*. 14. de Temp. ordinat. vbi puer, qui anno decimotertio suæ ætatis fuit ordinatus Diaconus, suspenditur ab officio Diaconi vsque ad legitimam ætatem, ob defectum ætatis : & etiam in confusionem ordinantis. Sed procedit de suspensione strictè & propriè sumpta, lata in pœnam, siue purâ siue medicinalem ipsius suspensi, quæ aut est species censuræ, aut ipsi æquiualens, ob cuius tantùm violationẽ in Iure inuenitur lata irregularitas. 17

Circa hanc ergo difficultatem conueniunt Doctores, suspensionem strictè sumptam personalem specialem (id est directè, & per se positam certæ & determinatæ personæ) non posse ferri, adhuc validè, nisi ob culpam propriam talis personæ ; quia suspensio illa est propria pœna, quæ absque propria culpa nequit adhuc validè imponi. Sed an suspensio personalis generalis possit ferri & incurri absque propria culpa personæ particularis suspendendæ, dicemus Difficultate IX. 18

Secundò est difficultas, An suspensio strictè sumpta, vt communiter fertur, possit ferri & incurri ob culpam tantùm venialem. Addidimus, *vt communiter fertur*, quia si suspensio sit tantùm ab vna functione, & ad breue tempus, vt ferri potest pro arbitrio Iudicis, absque dubio potest, vtpote pœna leuis, ferri ob culpam tantùm venialem.

Circa difficultatem ergo sic intellectam Caietanus in Summa v. *Suspensio*, Nauarrus cap. 27. num. 159. & Auila 3. par. disput. 3. dub. 3. partem affirmatiuam tuentur, quia etiam excommunicatio minor fertur & incurritur ob culpam tantùm venialem. Caiet. Nauar. Auila.

Vasquez 1. 2. dis. 153. c. 5. Suarez disp. 4. sect. 4. & Ægidius disp. 13. dub. 3 partem negatiuam tradit, & meritò : quia suspensio ex suo obiecto est grauis malum, & quod non facilè tollitur, sicut tollitur excommunicatio minor (ex quo habet quòd sit maior pœna quàm excommunicatio minor) quia excommunicatio minor potest tolli à quolibet Confessario, imò & à quolibet Sacerdote non approbato, non verò suspensio, quamuis non reseruetur, vt dicemus Difficultate x. ergo suspensio nequit ferri nisi ob culpam grauem seu mortalem, quamuis excommunicatio minor, vtpote pœna leuis, ob maximam facilitatem qua potest auferri, possit ferri ob culpam tantùm leuem seu venialem. Vasquez. Suarez. Ægidius. 19

Obseruandum est, quòd vt suspensio lata contra participantes cum excommunicatis ab homine in eis, in quibus secundùm Ius tantùm incurritur excõmunicatio minor, sit valida, requiratur, eos parti-

participantes moneri nominatim tribus monitionibus, vel vna pro tribus cum competenti interuallo, vt constat ex cap. *Statutum.* 13. de Sententia excommunicat. in 6. iunctis capp. *Statuimus.* 3. & *Constitutionem.* 9. eodem titulo.

DIFFICVLTAS VIII.

Qui possint suspendere.

20 COnueniunt Doctores, in illis omnibus & solis esse potestatem ordinariam suspendendi, in quibus ex vi proprij muneris instituti iure ordinario, siue humano siue diuino, est potestas Ecclesiastica in foro exteriori.

Vnde in Papa, & in aliis Episcopis habentibus subditos (quamuis non consecratis, sed tantùm confirmatis) inuenitur potestas ordinaria suspendendi, & etiam in Legato Sedis Apostolicæ qui est à latere, quia in sua prouincia habet iurisdictionem Episcopalem exteriorem, vt constat ex cap. 2. de Officio Legati, in 6. & in Vicariis Episcoporum, & in Capitulo sede vacante; & in eius Vicario, & in aliis Prælatis non Episcopis, qui ex priuilegio sunt exempti à iurisdictione Episcoporum, & gaudent Episcopali iurisdictione perpetua, & in superioribus Religionum, saltem in Generalibus, & in Prouincialibus, & in Concilio Generali, & in Prouinciali, & in Synodo Diœcesana, & in Capitulis Religiosorum.

In illis autem omnibus & solis inuenitur potestas delegata suspendendi, quibus fuerit delegata seu commissa ab habente potestatem ordinariam, quia iste potest eam aliàs capacibus delegare, vt patet ex cap. *Cum Episcopus.* 7. de Officio Ordinarij, in 6.

21 Obseruandum est Primò, excommunicatum, aut suspensum non toleratum, non posse licitè neque validè exercere potestatem suspendendi (in quo Doctores conueniunt:) nec validè etiam toleratum, adhuc quando prouocatur à fidelibus (& consequenter neque licitè) quia non obligat suo præcepto, aut quasi præcepto, cùm liberum sit subditis, non communicare cum illo in actibus iurisdictionis, quibus est priuatus; ac proinde neque validè suspensione ligare, quia incursio illius supponit inobedientiam, quæ tunc non reperitur, quamuis non impleatur præceptum excommunicati aut suspensi, etiam tolerati.

Ob supradictam rationem Ordinarius excommunicatus aut suspensus, non toleratus, non potest, adhuc validè, suam potestatem suspendendi delegare, quia id est actus iurisdictionis; poterit tamen validè, quando est toleratus, etiam si illicitè id efficiat, vt quando ipse se ingerit; quia eo ipso quòd Ecclesia eum tolerat, reliquit sufficientem, vt possit validè exercere actum iurisdictionis (qui non sit præceptum) sub conditione tamen, si acceptetur.

22 Obseruandum est Secundò ex cap. 1. de Sententia excommunicationis, in 6. suspensionem non posse licitè fieri nisi in scriptis, & causam suspensionis exprimendo: benè tamen validè, vt supponitur in eodem capite, in quo qui aliter fert suspensionem suspenditur, seu potiùs interdicitur per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officiis.

DIFFICVLTAS IX.

Qui possint suspendi.

COnueniunt Primò Doctores, non Clericos 23
suspendi non posse, quia non Clerici non sunt capaces effectuum suspensionis; nec non baptizatos, ob dictam rationem, & quia non sunt subditi Ecclesiæ; nec Summum Pontificem, quia etiam non est Ecclesiæ subditus; nec defunctos, nisi quoad aliquod ius ad fructus Ecclesiasticos, quod illis post vitam conueniat: posse tamen omnes alios Clericos, & solos viuos, quia isti sunt subditi Ecclesiæ, & capaces officij Ecclesiastici, & beneficij à quibus fit suspensio. Episcopum tamen non comprehendi suspensione generaliter lata, nisi illius fiat expressa mentio, vt constat ex cap. *Quia periculosum.* 4 de Sententia excommun. in 6. quod Sayrus lib. 4. cap. 12. & Auila extendunt ad Cardinalem non Episcopum, quia in sua Ecclesia est dignitate Episcopus. *Sayrus. Auila.*

Conueniunt Secundò Doctores, communitatem Ecclesiasticam (vt Collegium, aut Capitulum) suspendi posse immediatè & secundùm se, suspendendo illam vt est vnum corpus, seu vt communitas est, à functionibus ipsi communitati vt communitas est conuenientibus, vt supponitur in cap. vnico *De sede vacante*, & in cap. *Quia sæpè.* 40. de Electione, in 6 quia etiam communitatibus secundùm se conueniunt officia & beneficia: & etiam posse suspendi, quasi mediatè & ratione particularium personarum, suspendendo omnes personas in particulari illius communitatis à functionibus conuenientibus illis vt particularibus personis, & etiam vtroque modo; quia 24
communitas vtroque modo sumpta potest peccare, & est capax suspensionis, & non est prohibitum suspendere communitatem, quamuis in capite *Romana.* 5. de Sententia excommunicationis, in 6. sit prohibitum excommunicare communitates.

Dissentiunt tamen Doctores, an suspensione lata contra communitatem vt communitas est, etiam suspendantur inculpabiles, vt membra & partes communitatis, à functionibus conuenientibus illis vt sunt membra communitatis.

Non desunt Doctores qui partem negatiuam tueantur, quia suspensio est pœna impediens ius iam acquisitum ab ipsis particularibus; ergo nequit incurri absque propria culpa aut defectu.

Suarez verò disp. 28. & Ægidius disp. 15. dub. 5. 25
partem affirmatiuam tradunt, & merito: quia particulares suspendi, vt membra communitatis, non est per se puniri, sed tantùm per accidens participare pœnam communitatis cuius sunt membra, & per accidens puniri in his, quæ sibi conueniunt vt partibus communitatis quæ peccauit, quod non est contra rationem, sicut nec quòd filius pec accidens puniatur infamia patris peccantis. *Suarez. Ægidius.*

Suspensione verò lata contra communitatem directa non ad communitatem vt communitas est, sed ad particulares personas secundùm se, non ligantur inculpabiles, vt contra Siluestrum & contra quosdam Canonistas, docent Nauarrus c. 27. nu. 151. Ægidius & communiter Doctores: quia contra rationem est, quòd quis absque propria culpa ob alienam, in se & secundùm se, & per se puniatur, *Nauarrus. Ægidius.*

puniatur, & iure acquisito ab ipso, vt particulari persona, priuetur, quod non tollit posse aliquem ob culpam alienam, nempe communitatis, aut capitis communitatis interdici ab eo quòd ei particulatim conuenit, nempe à celebrando, quia ab hoc non interdicitur, vt est formaliter vsus potestatis, & iuris quod habet ad id, qua ratione ab eo impeditur suspensione, sed vt est quædam participatio, seu habitio rei diuinæ subiectæ dispositioni Ecclesiæ, quando adest aliqua rationabilis causa.

DIFFICVLTAS X.

Quibus modis possit impediri Suspensio.

26 CIrca hanc difficultatem dicendum existimamus, omnia, quæ excusant opus à delicto cui annexa est suspensio stricta (vt fertur regulariter) à culpa mortali, vt defectum plenæ aduertentiæ, & ignorantiam inuincibilem, siue Iuris, id est prohibitionis ob cuius transgressionem fertur, siue facti prohibiti, & etiam metum grauis mali, siue in corpore, siue in fama & honore, siue in diuitiis, quando opus cui est annexa suspensio, non est aliàs prohibitum Iure naturali, impedire valorem suspensionis, quia suspensio stricte sumpta, quæ regulariter fertur, non incurritur nisi ob culpam mortalem, vt diximus Difficultate VII.

27 Addimus etiam, ignorantiam probabilem ipsius suspensionis latæ ab Ordinariis in suis statutis perpetuis eam impedire, vt significatur in c. *Vt animarum.* 2. de Constitutionibus, in 6. & etiam impediri per iustam appellationem factam ante incursionem ipsius suspensionis (nisi quando Iudici concessum est, vt non obstante appellatione procedat in causa) non verò impediri, nec suspendi per appellationem sequentem post incursionem, quãdo suspensio est ab officio vel ab ingressu Ecclesiæ, vt constat ex cap. *Is cui.* 20. de Sententia excommunic. in 6. quod addimus, quia suspensio à beneficio, & ab aliis distinctis ab officio & ingressu Ecclesiæ, suspenditur per appellationem sequentem, vt ex dicto cap. deducitur, dum dicitur, suspensionem ab officio & ab ingressu Ecclesiæ, non impediri per sequentem appellationem, & id tacetur de suspensione à beneficio, & ab aliis.

DIFFICVLTAS XI.

Quibus modis tollatur Suspensio.

28 COnueniunt Doctores, suspensionem, quæ lata est vt censura, tolli per absolutionem, sicut alias censuras, vt patet; latam verò in puram pœnam non posse tolli, nisi aut ex se ipsa impleto termino siue temporis, siue operis, ad quem vsque fuit lata, quod potiùs est cessare quam tolli; aut per dispensationem ante impletum terminum.

Tunc autem suspensio fertur vt censura, quando fertur ob contumaciam respectu Ecclesiæ, & medicinaliter, ita vt emendatione posita sit debita absolutio, vt quando fertur absolutè, & post admonitionem: tunc verò in puram pœnam, quando fertur ad determinatum tempus, aut in perpetuum, quamuis feratur ob contumaciam, aut quãdo fertur ab homine, & non præcessit admonitio adhuc per legem, quamuis absolutè feratur, quia in nullo casu ex his, quamuis ponatur emendatio, est debita ablatio.

DIFFICVLTAS XII.

A quo possit auferri Suspensio.

COnueniunt Doctores, suspensionem absolutè latam, nullum determinando tempus, & eam quæ fertur addendo *in perpetuum*, indigere aliquo à quo auferatur, & idem est de ea quæ fertur vsque ad aliquem terminum, vt auferatur ante illum, vt suspensio, quæ fertur vsque ad certum tempus, vt per mensem, vel vsque ad effectionem alicuius operis, vt quousque fiat satisfactio. Addidimus, *vt auferatur ante illum*, quia eo tempore elapso, aut eo opere facto ex se ipsa absque aliqua alia relaxatione, seu ablatione cessat, siue lata sit à Iure, siue ab homine, siue vt censura, siue vt non censura (in quo contra nonnullos conueniunt communiter Doctores) quia tunc tantùm fertur & incurritur, vsque ad eum terminum, ergo eo termino elapso nequit amplius durare.

Est ergo difficultas, A quo possit auferri suspensio, quæ indiget auferri ab aliquo.

Circa quam dicendum est Primò, suspensionem contra aliquem nominatim, seu specialiter latam ab homine vt censuram, posse auferri ab ipso Iudice latore (& consequenter ab eius successore, & ab eius superiore) vt patet, & non posse auferri ab aliis, aliàs perturbaretur tribunal Iudicis ferentis.

Excipiuntur tamen duo casus, in quibus Iudex lator non potest. Primus est, quando Clerici suspenduntur ab officio à suis Ordinariis; quia exhibuerunt Sacramenta hæreticis denuntiatis, vel quia receperunt ab eis eleëmosynas, vel oblationes, vel quia eis tradiderunt Ecclesiasticam sepulturam; quia ablatio dictæ suspensionis reseruata est Papæ, vt constat ex cap. *Excommunicamus.* 13. de Hæreticis. Secundus est, quando quis non confrens beneficia dignis, & postquam semel ac rursùm admonitus à Concilio prouinciali, inuenitur culpabilis, suspenditur ab ipso Concilio à collatione beneficiorum; quia iste nequit restitui nisi à Papa, vel à suo Patriarcha, vt constat ex cap. *Grauemimus.* 29. de Præbendis.

Secundò dicendum est, suspensionem à Iure latam vt censuram, siue generalem qua communitas, siue specialem qua particulares personæ suspenduntur, posse, quoties non reseruatur, auferri ab Ordinario suspensi, vt efficaciter deducitur ex c. *Nuper.* 29. de Sententia excom. quia ex vna parte in absolutione illius, nullius tribunal turbatur, cùm non fuerit lata ab homine; & ex altera, eo ipso quòd non reseruatur, videtur concedi inferior, aut in eo relinqui facultas ad id; aliàs non esset necessaria reseruatio, si Ordinarius non posset non reseruatam auferre. Eam tamen nonpotest propriùs Parochus, & multò minùs ordinarius Confessarius, auferre; quia tantùm habet iurisdictionem in foro interiori, seu Sacramentali, in quo nequit suspensionem auferre, quamuis possit excommunicationem, quia suspensio non impedit absolutionem à peccatis, sicut impedit excommunicatio. Et ob eamdem rationem suspensionem, adhuc vt censuram, quamuis specialem, & latam generaliter ab homine, non potest ut-

ferre, nec Ordinarius in foro sacramentali, ob dictam rationem, benè tamen in foro exteriori, adhuc specialem generaliter latam, quia ablatione illius, tribunal eam suspensionem ferentis non turbatur, cùm persona sit incognita.

Tertiò dicendum est, suspensionem latam non vt censuram, sed in puram pœnam, siue à Iure, siue ab homine, adhuc generaliter, non posse auferri, nisi à potente dispensare in eo Iure, quando lata est à Iure, & nisi à Papa, quando lata est ab homine, seu à Iudice, sicut neque Iudex Papa inferior potest dispensare in alia pura pœna legis, nec in alia pura pœna lata per sententiam condemnatoriam etiam ab ipso, quia dicta suspensio non aufertur absolutione, sed tantùm dispensatione, ad quam non est potestas in inferiore adhuc respectu pœnæ à se latæ, nec cõceditur inferiori ex eo quòd non reseruetur, sed tantùm ad absolutionem, quæ est debita eo ipso quòd persona est benè disposita.

Episcopus tamen potest omnem suspensionem suorum subditorum, prouenientem ex delicto occulto (id est ex delicto, nec notorio, nec manifesto, nec famoso, de quo in Tractatu de Irregular. ad finem) & non deductam ad forum contentiosum, quamuis Papæ reseruatam, auferre, vt constat ex
33 *Trident.* Tridentino sess. 24. cap. 6. de Reformatione: & ex priuilegio potest quis absolui à suspensione, quæ est censura à Iure vel generaliter ab homine lata, quamuis Papæ reseruata per Bullam Cruciatæ, & per priuilegia nostræ Societatis.

DIFFICVLTAS XIII.

De nonnullis Suspensionibus in particulari, quæ Iure sunt latæ.

PRimò, qui ordinatur ab Episcopo hæretico, aut schismatico, aut excommunicato non tolerato, aut à simoniaco iuridicè declarato, & qui ab Episcopo, qui dignitati Episcopali renuntiauit, Ordinem sacrum suscipit, manet suspensus ab Ordine sic suscepto, vt constat ex c. 1. & 2. de Schismaticis, & ex c. 1. & 2. de Ordinatis ab Episcopo. & ex can.
34 *Si qui à simoniaco.* 1. quæst. 1. & ex can. *Ordinationes.* 9. q. 1. & ex c. *Per tuas.* 35. de Simonia.

Et quamuis non pauci existiment, dictam suspensionem etiam incurri ab omnino ignorante dictum defectum Episcopi, immerito tamen, vt aduertit Ægidius num. 34. quia nulla suspensio, nec
Ægidius. quæ est censura, nec quæ est pura pœna incurritur, nisi ob peccatum mortale, quod non committit ignorans inculpabiliter defectum Episcopi, & id exprimitur de ignoranter ordinato à schismaticis excommunicatis in canone *Ordinationes.* 9. q. 1. & de ignoranter ordinato à simoniacis in can. *Si qui à simoniacis.* 1. quæstione 1. & in dicto cap. *Per tuas.*

In cap. autem 1. de Ordinatis ab Episcopo, vbi significatur, ordinatum ignoranter inculpabiliter ab Episcopo, qui renuntiauit dignitati Episcopali, indigere dispensatione Episcopi, per dispensationem intelligenda est permissio Episcopi, qua cognita veritate permittat sic ordinatum vti Ordine suscepto, vt aduertit Ægidius n. 32.

Secundò, ordinatus ab Episcopo alieno absque licentia proprij, manet suspensus ab Ordine sic suscepto, ad beneplacitum proprij Episcopi, & Episcopus ordinans manet suspensus per annum à collatione Ordinum, vt decernitur in Tridentino sess. 23. c. 8. de Reformatione, nisi qui ordinatur, 35
fuerit familiaris Episcopi alieni ordinantis, & habentis diœcesim, & non merè titularis, & fuerit per triennium commoratus cum illo, vt deducitur ex c. 9. sequenti. Quòd si Episcopus fuerit merè titularis, manet suspensus à Pontificalibus per annum, vt decernitur sess. 14. c. 2. de Reformatione, & familiaris ordinatus manet suspensus vt suprà: & qui ante annum completum post vacationem sedis, impetratis à Capitulo reuerendis, Ordinem sacrum suscipit, manet suspensus ad beneplacitũ futuri Episcopi, nisi ad id fuerit arctatus ratione beneficij suscepti aut suscipiendi, & ipsum Capitulum manet interdictũ, vt decernitur sess. 7. c. 10. de Reformatione. Episcopus quoque, qui in aliena diœcesi absque licentia expressa proprij ordinat, manet absolutè suspensus à Pontificalibus, & ordinatus ab Ordine suscepto, vt decernitur in Tridentino sess. 6. c. 5. de Reformatione.

Tertiò, ordinatus scienter, aut ex ignorantia affectata, ante legitimam ætatem, aut extra tempora, 36
aut absque dimissoriis, manet suspensus ab Ordine sic suscepto, per Extrauagantem Pij II. confirmatam à Pio V. cuius facit mentionem Auila 3. p. *Auila.* disp. 5. dub. 7. ab ea tamen suspensione potest Episcopus absoluere, quamuis Sixtus V. in Extrauagante *Sanctum & salutare*, absolutionem illius reseruauerit Papæ; quia eã reuocauit Clemens VIII. in Constitutione, quam affert Sayrus lib. 4. in fine, nisi quoad simoniacè ordinatos. Sacerdos tamen sic simoniacè ordinatus non fit irregularis, ex eo quòd consecret cum Episcopo ordinante, quia tũc eius ordinatio non est completa; quia nondum ei concessa est potestas absoluendi à peccatis; ac proinde tunc nondum incurrit suspensionẽ, quia hæc tantùm incurritur ob peccatum completum ordinationis: imò Suarez disp. 31. sect. 1. & Aegidius excusat ab irregularitate canentes Epistolam & Euangelium in eadem Missa, quia actiones illæ non censentur fieri post ordinationem, quia ordinatio durare censetur quamdiu durat Missa in qua fit. Nos tamen id existimamus falsum, quia actiones illæ verè fiunt post iam perfectam ordinationem Subdiaconi & Diaconi.

Quartò, ordinans, aut præsentans ad Ordinem, 37
accepta priùs promissione aut iuramento ab ordinato, quòd non petet ab eo alimenta, incurrit suspensionem per triennium, ordinans à collatione, & præsentans ab executione Ordinum, & ordinatus ab Ordine sic suscepto, donec à Papa dispensetur, vt exprimitur in cap. pænult. de Simonia, in cap. verò *Per tuas.* 37. de Simonia, ordinatus ad præsentationem cuiusdam, cui promisit se non petiturum alimenta, interdicitur ad superiores Ordines ascendere, & in susceptis ministrare, etiamsi ignoret id esse illicitum, quod Suarez & Auila tantùm existimant verum quoad forum exterius, quia in eo præsumitur deliquisse; nos verò etiam quoad forum interius, quando id culpabiliter mortaliter ignorauit, vt significat Glossa.

Qui verò titulo ficto, vt ficto patrimonio, aut 38
ficto beneficio, aut ficta pensione ordinatur, graui ter peccat, sed non incurrit suspensionem, vt contra Nauarrum cap. 27. nu. 158. & contra Me- *Nauarrus*
dinam, in Summa cap. 11. §. 8. docent Auila 3. p. *Auila.*
disput. 5. dub. 5. & Ægidius dub. 5. numero 38.

quia

quia id nullo Iure decernitur, quia canon *Neminem*, & canon *Sanctorum*. 70. distinct. 70. vbi suspenduntur qui ordinantur absque titulo, reuocati sunt per cap. *Cum secundùm*. 16. de Præbendis, ac proinde Tridentinum sess. 21. cap. 2. de Reformatione, vbi requirens titulum ad Ordinem sacrum suscipiendum, se remittit ad pœnas antiquorum Canonum contra eos qui aliter ordinantur, non se remittit ad dictos canones *Neminem* & *Sanctorum*, vtpote reuocatos per aliud Ius ante Tridentinum, sed ad alios Canones, nempe ad suprà citatos, de Simonia, & ad alios, vbi puniuntur ordinationes factæ absque titulo, præsumptositis pactis simoniacis, aut eis æquiualentibus.

Qui autem ordinatur ab alieno Episcopo per literas dimissorias falsa relatione obtentas, incurrit suspensionem latam contra eum qui ordinatur ab alieno Episcopo sine licentia aut dimissoriis proprij Episcopi, quia ordinatur absque veris seu validis literis dimissoriis; non tamen incurrit suspensionem, qui ficto titulo iam ab Episcopo decretus ordinari, posteà vera relatione aut simplici petitione obtinet literas dimissorias; quia quod proximè mouet ad eas conferendas, non est titulus fictus, sed vera relatio, aut simplex petitio.

39 Quintò, ordinans simoniacè manet suspensus à collatione omnium Ordinum, & primæ tonsuræ, & à Pontificalibus, & ab ingressu Ecclesiæ; ordinatus verò manet suspensus ab Ordinibus sic susceptis, absque vlla spe ascendendi ad superiores Ordines: quæ pœnæ omni priuilegio ablato reseruantur Papæ, vt exprimitur in Extrauagante Sixti V. relata à Sayro lib. 4. cap. 14. & in Constitutione Clementis VIII. relata ab eodem in fine eiusdem libri.

Sextò, ordinatus per saltum est suspensus ab Ordine sic susceptò, vt deducitur ex can. *Sollicitudo*. 52. distinct. & ex cap. vnico de Clerico per saltum promoto, & supponitur in Tridentino sessione 23. cap. 14. de Reformatione: in ea tamen suspensione potest Episcopus dispensare, si sic promotus non ministrauit (vt exprimitur in Tridentino) quod additur, quia si ministrauit, incurrit irregularitatem per violationem suspensionis, in qua solus Papa potest dispensare.

Septimò, qui post matrimonium contractum, quamuis non consummatum, suscipit Ordines sacros aliter quàm in Iure conceditur, manet suspensus ab Ordine sic susceptò, & ab aliis suscipiendis, & à promotione ad beneficia: quam suspensionem, vel potiùs irregularitatem auferre potest Episcopus, si ordinatus Religionem ingrediatur, vt exprimitur in Extrauagante *Antiqua* Ioannis XXII.

Octauò, qui ob percussionem Clerici excommunicatus suscipit Ordines, manet suspensus à susceptis, à qua suspensione solus Papa absoluit, nisi Religiosus, qui id aliquo modo ignoranter fecit, quem eius Prælatus absoluit, vt constat ex cap. *Cum illorum*. 32. de Sententia excommunicationis.

Nonò, Sacerdos, qui absque Parochi licentia, cuiusuis priuilegij aut consuetudinis inuitu, sponsis benedicit, aut matrimonio coniungit, manet suspensus quamdiu ab Episcopo Parochi absoluatur, vt decernitur in Tridentino sess. 24. c. 1. de Reformatione matrimonij: quod Suarez disputatione 31. sect. 3. limitat, vt hæc suspensio tantùm sit ab Officio Sacerdotali: alij verò eam extendunt, & meritò, vt sit absolutè, ab officio videlicet & beneficio, quia absolutè traditur.

Decimò, Religiosus suscipiens Ordinem sacrum in apostasia, ab eo suspenditur in cap. vltimo de Apostatis.

Omittimus plures alias suspensiones Iure latas, quia rarò occurrunt, & videri possunt apud Suarez, Ægidium, & alios. Aduertimus tamen, plures suspensiones à nonnullis adferri, quæ verè non sunt, præsertim eam, qua dicunt esse suspensum Clericum, qui est publicus peccator, præsertim concubinarium; quod esse falsum, deducitur ex Tridentino sess. 21. c. 14. de Reformatione. Sodomita quoque non est suspensus, vt aduertit Ægidius n. 56. quamuis Pius V. sua Constitutione 70. tale nefas exercentes omni beneficio, officio, dignitate & priuilegio clericali priuet, quia hæc Constitutio non obligat ante sententiam Iudicis, præsertim sodomitam occultum, vt aduertunt Suarez & Ægidius: imò ea Constitutio & pœna frequentiam seu exercitium requirit.



TRA-

TRACTATVS DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE.

1 DEPOSITIO est priuatio Ecclesiastica ab omni officio & beneficio Ecclesiastico, in perpetuum, absque spe restitutionis, retento priuilegio Canonis & fori, quæ etiam dicitur Degradatio verbalis. Degradatio verò realis, seu actualis (quæ absolutè & simpliciter dicitur Degradatio) est priuatio, qua depositus, seu verbaliter degradatus, priuatur solemniter omni officio & beneficio Ecclesiastico, omnique priuilegio Clericali, in perpetuum, & absque spe restitutionis, vt constat ex c. 2. de Pœnis, in 6. Vnde degradatio actualis seu realis est solemnis executio depositionis, & super eam addens priuationem Clericalis priuilegij, quæ, vt deducitur ex Tridentino sess. 13. c. 4. de Reformat. tantùm potest fieri ab Episcopo consecrato: depositio verò fieri potest à Iudice ordinario generali, ac proinde ab Episcopo confirmato à Papa, quamuis non consecrato, & à Vicario generali illius, quando depositio est Sacerdotis non Episcopi, quia depositio Episcopi tantùm fieri potest à Papa.

2 Quia verò priuatio, quæ fit depositione & degradatione, quamuis feratur ob peccatum commissum, non fit in punitionem illius, ideò depositio & degradatio non sunt censuræ, quia scilicet non sunt pœnæ. Depositio enim, quamuis lata ob peccatum, non fit vt eâ puniatur peccatum, sed fit ad euitandum nocumentum, quod posset Ecclesiæ euenire, si persona, quæ tale peccatum commisit, non deponeretur; & degradatio fit ad euitandam ignominiam, quæ eueniret statui Ecclesiastico, si vir Clericali dignitate insignitus traderetur brachio sæculari, non facta degradatione, & non fit ad puniendum peccatum.

Constat ergo, quòd quamuis depositio in eo conueniat cum suspensione, quòd vtraque sit priuatio solis Clericis conueniens, ab ea tamen differt Primò, quòd depositio non sit pœna, suspensio verò sit pœna. Secundò, quòd depositione non tantùm impeditur vsus, sed etiam aufertur potestas, quæ potest ab Ecclesia auferri, & quæ auferri non potest, vt potestas Ordinum quasi aufertur habendo personam quasi inhabilem & ineptā ad vsum; suspensione verò tantùm impeditur vsus potestatis. Tertiò, quòd depositio semper fit in perpetuum, absq; spe restitutionis, suspensio verò non semper, quamuis fieri possit; & quando fit, saltem distinguitur à depositione quoad duo priora iam dicta. 3

TRACTATVS DE INTERDICTO.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit Interdictum.

1 VT à nomine ipso exordiamur, interdictum non sumitur in præsenti generaliter pro prohibitione superioris in quacumque materia, sed sumitur specialiter pro quadam pœna priuatiua diuinorum, imposita per modum censuræ, vt sumitur in cap. *Quærenti.* 20. de Verborum significatione.

Ad rem ergo accedendo, *interdictum est censura, qua prohibentur diuina officia, & certa Sacramenta actiuè & passiuè, & Ecclesiastica sepultura.* Est autem interdictum censura, vt constat ex cap. *Quærenti.* 20. de Verborum significatione, quia est pœna medicinalis, bono spirituali priuans, & continetur sub censura tamquā sub genere: in quo conuenit interdictum cum alijs censuris, nempe cum excommunicatione & suspensione, vt constat ex dicto cap. Reliquæ verò particulæ ponuntur pro differentia, quia eis differt ab excommunicatione & suspensione, quia excommunicatio priuat omnibus dictis quibus priuat interdictum, & etiam alijs, & suspensio non priuat omnibus
2 quibus interdictum, priuat tamen aliquibus ex illis, & etiam alijs, & eisdem quibus priuant excommunicatio; suspensio & interdictum non priuant eodem modo, sed diuerso. Ex quo differentia quasi specifica inter excommunicationem, suspensionem & interdictum, desumitur: quia excommunicatio priuat illis vt pertinent ad communicationem communem fidelium, & suspensio quatenus sunt vsus & exercitium potestatis Clericalis, interdictum verò priuat illis secundùm se, quatenus sunt quædam bona quæ possunt participari seu haberi.

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex sit Interdictum.

INterdictum est triplex: quia aliud est *personale*, quod scilicet immediatè afficit personam, ei prohibendo participationem diuinorum in omni loco: & aliud est *locale*, quod scilicet quasi immediatè afficit locum, & personas mediatè, ratione videlicet loci, quia scilicet sunt in eo loco, prohibendo ne in eo diuina fiant; aliud est *mixtum*, quod continet personale & locale, quo persona & locus interdicuntur, quod verè est vnum tertium coalescens ex vtroque dicto indiuisibiliter contra locum & contra personam latum. 3

Deinde interdictum tam personale quàm locale est duplex, alterum est *generale*, & alterum *speciale* seu particulare.

Interdictum personale generale est, quo inter-

dicitur communitas quatenus constituit vnum corpus, vt populus & exercitus, imò etiam Collegium in populo contentum, vt contra Auilam docent Henriquez cap. 41. num. 3. quia etiam est communitas constituens vnum corpus. Hoc autem interdicto comprehenduntur omnes illius communitatis, quatenus sunt membra seu partes illius, ita vt quamdiu sunt membra illius, sint interdicti in quouis loco; & quando desinunt esse membra illius, desinunt esse interdicti, nisi personæ culpabiles sint, quia istæ non eo ipso desinant esse interdictæ, quia etiam sunt particulariter interdictæ, vt dicemus Difficultate v. Interdicto tamen generali personali communitatis priuantur personæ illius non actione aliqua propria communitatis, sicut fit per suspensionem communitatis, quia nulla actio earum, quibus priuat interdictum, conuenit communitati, benè tamen actiones quibus priuat suspensio.

Interdictum personale particulare est, quo vna persona vel plures, vt particulares personæ interdicuntur, & non vt sunt membra communitatis. Est autem interdictum personale nō solùm quando plures illæ personæ nominantur, seu interdictum specialiter fertur, sed etiam quando non nominantur, seu quando interdictum generaliter fertur: vt quando dicitur, *Interdicuntur omnes qui tale furtum fecerint, aut qui tale furtum fecerunt*: quia in vno & in altero casu non interdicuntur vt sunt membra communitatis, sed vt sunt particulares personæ.

Interdictum locale generale est, quo locus, qui à communitate occupatur, interdicitur, vt prouincia, villa, & castrum.

5 Interdictum locale particulare est, quo interdicitur vnus locus, vt vna Ecclesia, imò plura loca vt particularia loca, & plures Ecclesiæ vt particulares Ecclesiæ, & non vt sunt membra loci communitatis, nempe prouinciæ, aut villæ, seu non vt contentæ sub aliquo loco, quasi & per modum vnius illas continente ea proportione, qua diximus de interdicto personali particulari.

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm posito Interdicto locali, censeatur positum personale, & econtrà.

6 COnueniunt Doctores, posito interdicto locali, siue generali siue particulari, non censeri positum personale, nisi tantùm respectu illius personæ, aut illarum personarum, ob cuius aut ob quarum culpam positum est interdictum locale, vt constat ex cap. *Si sententia.* 16. de Sententia excommunicationis, in 6. & posito interdicto personali particulari, non censeri positum aliquod locale, vt ex se patet.

Est tamen difficultas, An posito interdicto personali generali, etiam censeatur positum locale, id est, an interdicto personaliter populo, etiam censeatur interdictus locus populi, videlicet villa.

Couarru. Henriq. Couarruuias in cap. *Alma mater.* p. 2. §. 1. n. 7. & Henriquez cap. 42. in fine, partem affirmatiuam tuentur, quia aliàs in loco populi interdicti, nempe in villa, possent Clerici diuina officia solemniter & apertis ianuis celebrare.

7 *Nauarrus. Ægidius.* Nauarrus verò cap. 27. num. 167. & Ægidius disp. 17. num. 20. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia interdictum personale, etiam generale, est omnino distinctum & independens à locali, ac proinde in loco populi interdicti possunt Clerici diuina officia solemniter & apertis ianuis celebrare, etiamsi aliquando per accidens non liceat, quando scilicet nequeant non admitti interdicti ad templum, aut ad partes templo vicinas.

DIFFICVLTAS IV.

Quæ personæ comprehendantur Interdicto personali.

NOn procedit difficultas de interdicto personali speciali, quia eo tantùm comprehenduntur personæ ad quas immediatè & ratione sui dirigitur interdictum, siue exprimantur, vt interdicto specialiter lato, siue non exprimantur, vt in interdicto generaliter lato.

Circa interdictum ergo personale generale conueniunt Doctores, interdicta communitate, v. g. populo, interdici omnes personas talis communitatis, tam inculpabiles quàm culpabiles, vt constat ex cap. *Si sententia.* 16. de Sententia excommunicationis, in 6. (exceptis tamen Episcopis, vt constat ex cap. *Quia periculosum.* 4. de Sententia excommunicationis, in 6.) in quo nulla fit iniuria inculpabilibus, etiamsi eo interdicto impediantur ab eo quod eis particulatim conuenit, adhuc à celebrando; quia ex vna parte ab eo non impediuntur, vt est vsus Iuris acquisiti, qui tamen impedit suspensio, sed vt est quædam participatio seu habitio rei diuinæ subiectæ dispositioni Ecclesiæ, quando adest rationabilis causa, & ex altera adest rationabilis causa, quia id est maximè expediens Ecclesiæ ad sui defensionem.

Est tamen discrimen inter innocentes & nocentes communitatis generaliter interdictæ, quòd, vt deducitur in dicto cap. *Si sententia.* innocentes tantùm sunt interdicti vt membra communitatis, ac proinde eo ipso, quòd mutatione domicilij aut aliter desinant esse membra communitatis, desinent esse interdicti, absque aliqua alia relaxatione; sicut qui post communitatem interdictā sunt membra illius communitatis, fiunt interdicti sententia anteà lata contra communitatem; culpabiles verò seu nocentes etiam sunt interdicti vt particulares personæ, ac proinde quamuis desinant esse membra illius communitatis, manent interdicti.

Id autem quod diximus, nempe interdictō generali personali communitatis comprehendi omnes personas illius communitatis, est verū, quamuis personæ sint absentes: quia quamuis sint absentes, etiam pertinent ad eam communitatem, ac proinde quando populus interdicitur, etiam interdicuntur habitantes in suburbijs, & in adiacentijs continentibus; quia quamuis ibi habitent, sunt partes illius populi, imò (vt contra non paucos docent Henriquez cap. 42. & Siluester) personæ quæ habent domicilium in oppido populi interdicti, quamuis habeant domicilium in alio oppido populi non interdicti, & actu habitent in eo, quia etiam verè sunt membra populi interdicti. Et etiā comprehenduntur pueri ratione vtentes, non tamen infantes, nec amentes, quicquid effectus interdicti in prohibitione consistentes, non quia sunt innocentes, sed quia sunt incapaces pro-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

10 hibitionis; benè tamen quoad priuationem sepulturæ, quia huius priuationis sunt capaces, ex qua priuatione in alios fideles redundat indirectè prohibitio sepeliendi illos in loco sacro.

Nec dicto interdicto comprehenditur ille qui illud posuit, quia nullus potest se ipsum punire, quia non habet iurisdictionem coactiuam in se ipsum; benè tamen comprehenditur interdicto locali tam particulari quàm generali, non immediatè ex ipso interdicto, ob rationem dictam.

Nomine populi interdicti non comprehenduntur Clerici (ac proinde multò minùs Religiosi) nec contrà nomine Cleri interdicti comprehenditur populus, vt dicitur in dicto cap. *Si sententia.* quia Clerus & populus sunt distinctæ communitates, vtpote quæ distinctis legibus gubernantur. Nomine tamen vniuersitatis interdictæ etiam comprehenduntur Clerici, vt contra 11
Auila. Ægidius. Siluestrum & Angelum docent Auila vbi suprà, & Ægidius num. 10. imò etiam Religiosi qui sunt membra illius, quia omnes prædicti efficiunt eam communitatem, & nomine familiæ interdictæ etiam comprehenduntur Clerici familiæ, quia etiam Clerici sub familia comprehenduntur. Quia tamen familia non est propriè communitas, quamuis sit alicuius Magnatis, quia non regitur proprijs legibus, aut regulis perpetuis, ideò interdictum familiæ, quamuis Magnatis, non est generale, sed particulare, vt contra Ægi-
Sayrus. Auila. dium aduertunt Sayrus & Auila vbi suprà; ac proinde persona familiæ semel interdicta, quamuis desinat esse illius familiæ, manet interdicta, quia est particulariter interdicta, & non generaliter, vt membrum communitatis. Nec nomine populi interdicti comprehenduntur, qui studiorum aut negotiorum causa in loco dicti populi com-
Sayrus. Auila. Ægidius. morantur, quamuis diutiùs commorentur, vt aduertunt Sayrus, Auila, & Ægidius, quia isti non sunt membra illius populi.

12 Et nomine Cleri interdicti non comprehenduntur Religiosi, quamuis Clerici, nisi qui habent beneficium, ratione cuius efficiunt vnum corpus cum Clericis sæcularibus, vt contra Couarruuiam 2. p. §. 1. aduertunt Sayrus, Auila, & Ægidius vbi suprà; quia Religiosi sunt distincta communitas à communitate Clericorum sæcularium, quæ nomine Cleri significatur; quia Religiosi & Clerici sæculares habent distinctas & peculiares constitutiones, quibus peculiariter gubernantur. Nomine tamen Cleri interdicti post Tridentinum sess. 23. cap. 6. de Reformatione, non comprehenduntur, qui non gaudent priuilegio fori, etiamsi gaudeant priuilegio canonis.

DIFFICVLTAS V.

Quæ loca comprehendantur Interdicto locali.

COnueniunt Doctores, interdicto locali generali oppidi etiam comprehendi suburbia & ædificia continentia, vt decernitur in c. *Si ciuitas.* 17. de Sententia excommunicationis, in 6.
13 Ideò autem voluit Pontifex in hac materia, quamuis odiosa, nomine oppidi comprehendi prædicta, ne sententia interdicti ferè frustretur, quia ciues facilè possunt ad suburbia & ædificia continentia ad diuina celebranda & audienda conuenire; quod communiter Doctores existimant verum, quamuis suburbia & ædificia nõ sint subiecta dominio temporali oppidi interdicti, ob cuius culpam fuit interdictum, quia id Pontifex absolutè & absque vlla limitatione decernit, & quamuis non sint in iurisdictione Ecclesiastica interdicentis, quia eodem modo interdictum frustraretur. In hoc autem casu interdictum extenditur ad ea loca non iurisdictione ordinaria interdicentis, sed aut delegata à Pontifice, aut Iure communi lato ab ipso in dicto cap. Illa autem ædificia ad hunc effectum dicuntur continentia, quæ ita propinqua sunt oppido, vt facilè & commodè possit adiri à populo, vt quando est maior coniunctio ad oppidum quàm vnius milliarij, quæ arbitrio prudentis discernenda est.

Et ob dictam rationem, quando oppidum generaliter interdicitur, etiam interdicuntur Ecclesiæ exemptæ à iurisdictione Episcopi, vt Religiosorum; quia scilicet aliàs frustraretur interdictum oppidi, quod iam præcepit Tridentinum sess. 25. c. 12. de Reformatione. Quando verò omnes Ecclesiæ oppidi speciali interdicto ab Ordinario interdicuntur, non interdicuntur Ecclesiæ exemptæ, quia istæ non possunt ab Ordinario specialiter interdici. 14

Et ob suprà dictam rationem decernitur in dicto c. *Si ciuitas.* quòd quando Ecclesia aliqua interdicitur, eo ipso interdicitur Capella ipsi contigua, & cœmeterium ipsi contiguum, secùs verò quando non sunt contigua.

Obseruandum est, vt aduertunt communiter Doctores, interdictis generaliter terris alicuius Domini, eo ipso intelligi interdictam omnem terram in quam habet iurisdictionem, quamuis ei sit data in feudum, aut emphyteusim, aut in dotem vxoris, aut in vsumfructum; non tamen eam quam habet in pignus, quia ista nullo modo est illius; nec eam cuius tantùm habet dominium di- 15
rectum, vt est terra quam alijs dedit in feudum, quia tali interdicto non puniretur ipse; nec eam terram quam acquirit post latum interdictum, vt contra Ægidium & alios docent P. Auila part. 5. *Auila.* disp. 1. dub. 3. Siluester & Sayrus, quia sententia *Siluester.* non extenditur ad futura, quando in ea id non ex- *Sayrus.* primitur aut indicatur. Est tamen discrimen inter personas quæ de nouo aduenium populo generaliter interdicto, & inter terram de nouo à Domino acquisitam, quòd hæc non sit pars terræ anteà interdictę, personæ verò illæ fiunt pars populi anteà interdicti, & ideò fiunt interdictæ, non verò terra illa.

Terra tamen illa, quam Dominus alienat, desinit esse interdicta, vt contra Sayrum & Auilam docent Ægidius & alij, quia alienatione desinit *Ægidius.* esse illius, & solùm erat interdicta quatenus erat illius.

DIFFICVLTAS VI.

Quos effectus habeat Interdictum.

SVpponimus, interdictum posse ab ipso latore limitari quoad effectus, quia non sunt Iure 16
connexi, sicut sunt effectus excommunicationis.

Conueniunt ergo Doctores, interdicto absolutè & absque vlla limitatione lato, quod est integrum, tria prohiberi. Primò, celebrationem, seu

publicam dictionem diuinorum officiorum, & etiam auditionem eorum publicè, non priuatim dictorum. Secundò, aliqua Sacramenta, præsertim eorum susceptionem. Tertiò, Ecclesiasticam sepulturam, vt constat ex cap. *Si sententia.* 16. & ex cap. *Si ciuitas.* 17. & ex cap. *Alma mater.* 24. de Sententia excommunicationis, in 6. & ex cap. *Responso.* 43. de Sententia excommunicationis, & ex c. *Quod in te.* 11. de Pœnitentijs & remissionibus.

DIFFICVLTAS VII.

De primo effectu Interdicti.

17 PRimus ergo effectus interdicti integri est prohibitio celebrationis & auditionis officiorum diuinorum celebratorum. Ea autem dicuntur diuina officia, quæ nomine Ecclesiæ, seu à Clerico vt ministro publico fiunt, non verò quæ fiunt priuato, modo quo à laicis fieri possunt & solent sine respectu ad ritum Ecclesiasticis proprium, de quo videri possunt P. Suarez d. 34. sect. 3. & Auila par. 5. disp. 4. sect. 1. *Suarez. Auila.*

Circa quem effectum Iure antiquo tempore interdicti localis generalis concessum erat Clericis pastoribus in cap. *Permittimus.* 57. de Sententia excommunicationis, semel in hebdomada Missam celebrare pro conficienda Eucharistia seruanda pro infirmis, & in cap. *Quod in te.* 11. de Pœnitentijs & remissionibus concessum erat Clericis in Ecclesijs conuentualibus Horas canonicas legere, non cantare, & non pluribus quàm tribus simul; iam tamen Iure nouo Bonifacius VIII. in cap. *Alma mater.* 24. de Sententia excommunicationis, in 6. concessit Primò, vt omnes ministri Ecclesiæ non interdicti personaliter possint tempore interdicti localis Missas quotidie celebrare in Ecclesijs & monasterijs, & alia diuina officia, sicut si non esset interdictum, ianuis tamen clausis, & exclusis excommunicatis & interdictis, & campanis non pulsatis, & submissa voce; ita vt extra Ecclesiã audiri non possint, in quo cap. (sicut & in aliquibus alijs) nomine diuinorum officiorum non intelliguntur administratio & susceptio Sacramentorum, vt ex contextu deducitur.

18 Dicta ergo concessio tantùm facta est pro interdicto locali, vt constat ex contextu, & non speciali, sed pro generali, vt docent cõmuniter Doctores, & deducitur ex ipso cõtextu, & ex fine Pontificis, & ex vsu: & fit pro Ecclesijs etiã Hospitalium, & Monasterijs, vbi ordinariè fideles solent ad id congregari; nõ verò pro alijs locis extraordinarijs, quamuis approbatis ad celebrandum Sacrum, vt pro Oratorio approbato; quia non dicuntur Ecclesiæ, nec Monasteria. & in dicto cap. vbi fit dicta concessio, tantùm fit mentio Ecclesiarum & Monasteriorum: & multò minùs pro locis non priuilegiatis: Sayrus ergo & Auila, qui dicunt, dictam concessionem fieri pro omnibus locis, etiam in quibus aliàs, secluso interdicto, possunt diuina celebrari, nimis extendunt concessionem Pontificis. Existimamus ergo, extra dictas Ecclesias & Monasteria non posse Missas quotidie celebrari, nec officia diuina conuentualiter dici. *Sayrus. Auila.*

19 Et dicta concessio fit Clericis, quia fit ministris Ecclesiæ, quibus ex officio conuenit diuina celebrare, aut eis inseruire, cùm Pontifex velit in Ecclesijs & Monasterijs officia diuina solita dici; ac proinde etiam fit omnibus personis Religiosis, etiam feminis, & etiam personis non religiosis deputatis ad seruiendum diuinis officijs, vt Sacristis. Fit autem omnibus Clericis, etiam minoribus tantùm Ordinibus initiatis, imò & prima tantùm tonsura non coniugatis, quia omnes isti sunt ministri Ecclesiæ, non tamen coniugatis, quamuis non bigamis, & quamuis gestantibus tonsurã & habitum clericalẽ, quia isti non gaudent nisi priuilegio canonis & fori, vt cõstat ex cap. vnico, de Clericis coniugatis, in 6. Quod verum existimamus contra Auilam, quamuis ex mandato Episcopi aliqui Ecclesiæ inseruiant, dum non sint deputati ad inseruiendum diuinis officijs. Et fit etiam Clericis extraneis alterius Ecclesiæ aut Monasterij. Ita tamen prædictis permittitur celebratio diuinorum, vt crediderim, eis non permitti purè assistere, nisi assistant quasi ministri, seu quasi vnus ex dicendis aut inseruientibus, quamuis re ipsa nec dicant nec inseruiant, sicut solent nonnulli Canonici assistere, quia eis tantùm conceditur celebratio diuinorum. Et ob hanc rationem Auila existimat, Sacerdotem non posse communicare de manu aliena, quia ei tantùm permittitur celebrare.

Prædicta tamen concessio fit cum quatuor moderationibus. Prima est, quòd id fiat ianuis clausis. Secunda, quòd fiat submissa voce, ita vt moraliter non possit à forinsecis audiri, aut videri. Tertia, quòd fiat non pulsatis campanis, submisseligitur autem à Doctoribus, *ad conuocandum populum ad diuina officia.* Vnde non prohibetur pulsatio campanæ quoad concionem, nec quoad Salutationem Angelicam, nec quoad designandas horas diei, nec videtur prohibita pulsatio campanulæ dum eleuatur Eucharistia (etiamsi Doctores communiter oppositum doceant) quia non fit ad conuocandum populum, sed ad captandam attentionem, iam existentium in templo, & assistentium Sacrificio, vt adorent Eucharistiam. Quarta est, quòd excludantur excommunicati & interdicti: vbi per interdictos etiam intelliguntur, qui causam interdicto non dederunt, & tantùm sunt interdicti ratione ipsius loci: aliàs interdictum generale locale ferè relaxaretur in totum. quod satis insinuatur in textu, dum ante dictam concessionem dicitur, quòd non fiat relaxatio interdicti, nec quoad delinquentes, quamuis pœnitentes, & paratos satisfacere: nec quoad eos qui non deliquerunt, nisi tantùm quòd eis, etiam sanis, conferatur Sacramentum Pœnitentiæ. Cum accedit, quòd posteà innocentes etiam dicuntur interdicti, quia innocentes certis quibusdam festiuitatibus permittuntur accedere ad altare, non verò illi qui causam interdicto dederunt.

Vnde laici qui non habent priuilegium, quamuis innocentes, non possunt diuinis officijs assistere: nihilominùs carentes vsu rationis non sunt excludendi, vt contra Nauarrum docent Auila & Ægidius, tum quia isti non sunt capaces prohibitionis, tum quia non assistunt humano motu, & assistentia tantùm humana prohibetur. Et ob hanc posteriorem rationem non sunt excludendi interdicti dormientes, si conster eos non esse euigilaturos tempore officiorum, nec excludendi sunt adulti innocentes habentes priuilegium Bullæ aut aliud: imò isti diebus festis tenentur audire Sacrum, vt contra Auilam & Ægidium

Henriq. Sotus. dium docent Henriquez lib 13.cap.48. & Sotus in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. quia eo priuilegio aufertur prohibitio assistendi; hac autem ablata, præceptum assistendi ipsa prohibitione impeditum expeditur, reuiuiscit, & obligat (aliàs Clerici priuilegiati in dicto cap. *Alma mater*. non tenerentur) quia quamuis possimus non vti priuilegio, quando non est præceptum oppositi, secùs tamen quando est.

22 Obseruandum est, quando alicui particulari conceditur priuilegium celebrandi, aut assistendi diuinis, etiam ipsius familiares domesticos posse cum eo assistere, vt expressè conceditur in cap. *Licet*. 11. de Priuilegijs, in 6. non tamen familiares communitatis priuilegiatæ, vt dicitur in eodem cap. quamuis possint familiares proprij singularum personarum communitatis. Per familiares autem domesticos intelliguntur non omnes familiæ, vt quidam immeritò volunt, sed tantùm qui *Nauarrus. Auila. Ægidius.* dominum comitari solent, vt docent Nauarrus cap. 27. num. 180. Auila & Ægidius; quod est verum, etiamsi habitent extra domum; imò loco eorum qui ob absentiam vel ægritudinem non comitantur dominum, possunt assumi alij.

23 Circa eumdem primum effectum interdicti conceditur Secundò in dicto cap. *Alma mater*. vt in festiuitatibus Natiuitatis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis Virginis (quibus Martinus V. addidit festiuitatem Corporis Christi, & Eugenius IV. totam Octauam) diuina Officia solemniter celebrentur, ac si non esset interdictum, exclusis tamen excommunicatis, sed non interdictis; ita tamen, vt qui causam interdicto dederunt, non appropinquent altari. vbi nomine interdictorum comprehenduntur etiam localiter tantùm interdicti, vt ex contextu ipso deducitur.

Circa hanc secundam concessionem est difficultas Primò, An per festa Paschatum intelligantur primi tantùm dies.

24 Henriquez cap. 47. & Suarez disp. 34. sect. 1. do- *Henriq. Suarez.* cent, tantùm intelligi primos dies, quia in Paschate Natiuitatis, secundus dies est festum S. Stephani, ac proinde idem videtur de alijs Paschatibus.

Sotus. Auila. Sotus verò in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. & Auila 5. part. disp. 4. sect. 2. dub. 9. docent, & meritò, comprehendi omnes dies festiuos. Et in primis in Paschate Resurrectionis & Pentecostes id non potest negari, quia omnes illi dies festiui tantùm pertinent ad ea mysteria, & in eorum honorem obseruantur: in Paschate quoque Natiuitatis negandum non est, reliquos dies festiuos post primum, siue duos siue tres, etiam pertinere ad festiuitatem Natiuitatis, quamuis principaliùs ad alios Sanctos, & obseruari non tantùm in eorum honorem, sed etiam in honorē Natiuitatis; quia quamuis in honorem Sanctorum non obseruarentur, etiam obseruarentur in honorem Natiuitatis, saltem duo post primum, sicut fit in alijs Paschatibus: & vt obseruetur tertius dies post primum vbi obseruatur, non parum iuuat Natiuitas Christi.

Incipiunt autem singuli dicti dies festiui à primis Vesperis, quia inde incipiunt eorum solemnitates quoad celebrationem, exceptis festiuitatibus Resurrectionis & Pentecostes, quæ incipiunt 25 à Missa Vigiliæ, quia in earum Vigilijs Missa per anticipationem fit de ipsis festiuitatibus: finiuntur autem festiuitates singulorum dierum in Completorio inclusiuè, & non in secundis Vesperis, vt contra non paucos docent Auila & Ægidius, *Auila. Ægidius.* quia Completorium etiam pertinet ad celebrationem illius diei.

Circa eamdem secundam concessionem Secundò est difficultas, An in his festiuitatibus tantùm permittantur Missa & alia diuina officia, an etiam Communio.

Supponimus, eis, qui dederunt causam interdicto locali generali, qui eo ipso sunt personaliter interdicti, non permitti Communionem, quia eis non permittitur accedere ad altare, absque quo modo ordinario non est Communio.

Circa alios qui tantùm sunt localiter interdicti, Suarez disp. 33. sect. 1. & Ægidius docent, eis per- *Suarez.* mitti Communionem, quia eis permittitur parti- *Ægidius.* cipatio diuinorum, sub quibus comprehendi videtur Communio.

Auila verò 5. par. dist. 4. sect. 2. dub. 12. & Silue- 26 ster v. *Interdictum*. 5. num. 3. docent, eis non per- *Auila.* mitti Communionem, & meritò: quia eo interdicto prohibita est Communio, & in c. *Alma mater*. *Siluester.* tantùm conceditur celebratio Missæ & aliorum diuinorum officiorum; ac proinde quando in eo permittitur participatio diuinorum, non conceditur aliquid noui, sed participatio dictorum: cuius signum est, quòd ea diuinorum participatio etiam permittitur personaliter interdictis, quibus non permittitur accedere ad altare.

DIFFICVLTAS VIII.

De secundo effectu Interdicti.

SVpponimus, interdicto etiam prohiberi aliqua Sacramenta, præsertim eorum susceptionem, vt constat ex c. *Si sententia*. 16. de Sententia excommunicationis, in 6. & ex cap. *Responso*. 43. de Sententia excommunicationis, sed non omnium, quia non prohibetur Baptismus, nec Confirmatio, vt constat ex c. *Quoniam*. 19. de Sententia excommunicationis, in 6. imò nec solemnitates eorum, vt ex eodem deducitur: nec prohibetur Sacramentum Pœnitentiæ, non tantùm constitutis in articulo mortis, sicut nec olim, sed nec sanis; quia id 27 conceditur in cap. *Alma mater*. exceptis qui aliqua culpa causam interdicto dederunt, nisi priùs de delicto satisfaciant, aut dent sufficientem cautionem de satisfaciendo; aut si neutrum possint, iurent se, quàm primùm possint, satisfacturos, aut adiuturos quantum possint, vt Ecclesiæ satisfiat à delinquentibus, vt dicitur in c. *Alma mater*.

Nec prohibetur Sacramentum Matrimonij, vt contra nonnullos docent Auila 5. par. disp. 4. *Auila.* sect. 1. dub. 6. Ægidius disp. 1. num. 48. & commu- *Ægidius.* niter Doctores: quia quamuis in c. *Si sententia*. 16. de Sententia excommunicationis, in 6. generatim prohibeatur susceptio Sacramentorum, exceptis casibus in Iure expressis, & Sacramentum Matrimonij non excipitur; id tamen intelligitur de Sacramentis commissis administrationi Ecclesiæ; administratio autem Sacramenti Matrimonij non est 28 commissa Ecclesiæ seu ministris ab ipsa ordinatis, aut deputatis, sed tantùm ipsis contrahentibus; benedictiones tamen nuptiales fieri non possunt, quia sunt officia diuina.

Prohibetur tamen Communio absque celebratione adhuc Sacerdotibus, vt contra Suarez & Ægidium docent Auila, & alij: quia Iure antiquo *Auila.*

etiam erat prohibitum Sacramentum Eucharistię, quia non erat exceptum, nisi constitutis in articulo mortis, vt constat ex c. *Quod in te.* 11. de Pœnitentia & remissionibus, & ex cap. *Permittimus.* 57. de Sententia excommunicationis, in cap. autem *Alma mater.* tantùm permittitur celebratio Missæ, non Communio more laicorum.

Prohibetur etiam Extrema Vnctio adhuc Clericis, non tamen Religiosis Mendicantibus, nec Religiosis nostræ Societatis ex priuilegio, nec habentibus Bullam Cruciatam: imò etiã his qui habent Bullam, non prohibetur Sacramentũ Ordinis, quod etiã interdicto prohibetur, quia habentes Bullam possunt omnia Sacramenta suscipere.

DIFFICVLTAS IX.

De tertio effectu Interdicti.

29 SVpponimus, interdicto priuari corpora sepulturâ sacrâ seu Ecclesiasticâ (non tamen non sacra, seu non Ecclesiastica) vt constat ex cap. *Quod in te.* 11. de Pœnitentia & remissionibus; nihilominùs interdictus, semel sepultus, quamuis illicitè, non est exhumandus. Qui verò ob interdictum sepultus est in loco nõ sacro, interdicto ablato exhumandus est, & in loco sacro sepeliendus.

Excipiuntur tamen in eo cap. Clerici, qui non sunt personaliter specialiter interdicti, & interdictum seruarunt, qui possunt in cœmeterio sacro, quamuis interdicto, sepeliri (quod non pauci extendunt ad interius templi) sine campanarum pulsu, & cum silentio. Post cap. tamen *Alma mater.* quamuis sit interdictum locale generale, possunt etiam sepeliri cum solemnitate, & intra templum, cum moderationibus ibi præscriptis; & in suprà dictis festiuitatibus, etiam absque dictis moderationibus: & post Concilium Constantiense possunt quæcumque personæ, quamuis personaliter interdictæ, eo modo sepeliri in loco sacro non interdicto, quando non sunt denuntiatæ.

30 Id verò quod addunt Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. & Auila 5. par. disp. 4. sect. 3. dub. 4. nempe laicum, qui tempore interdicti ex priuilegio tantùm potest assistere diuinis, nulla facta mentione sepulturæ sacræ, & quemlibet alium in dictis festiuitatibus, posse sepeliri in loco sacro, absque sufficienti fundamento dicitur, vt aduertunt Suarez disp. 38. sect. 1. & Ægidius num. 55. quia in dicto priuilegio, nec in dictis festiuitatibus non fit mentio, adhuc implicita, sepulturæ sacræ, quia hæc est distinctissima ab officijs diuinis.

Sotus. Auila.

Suarez. Ægidius.

Circa interdictum cum limitatione latum, quo quis interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, obseruandum est, eo prohiberi audire officia diuina, & ea celebrare intra Ecclesiam (per Ecclesiam autem etiam intelligitur cœmeterium; quia in eo potest absque vllo priuilegio celebrari) & etiam in loco sacro sepeliri, si impœnitens moriatur, vt constat ex cap. *Is cui.* 20. de Sentent. excom. in 6. imò etiam

31 prohiberi Sacramenta administrari, & suscipi, vt contra Henriquez & Auilam docent Siluester v. *Suspensio.* num. 5. & Ægidius, quia Ecclesia non tantùm instituta est ad diuina officia celebranda, sed etiam ad Sacramenta administranda & suscipienda: eo tamen non prohiberi intra Ecclesiam priuatim orare, vt contra Monaldum docent communiter Doctores; quia Ecclesia non est ad id per se instituta.

Siluester. Ægidius.

DIFFICVLTAS X.

Quomodo interdictus possit exercere à quibus est interdictus.

COnueniunt Primò communiter Doctores, personas personaliter interdictas, siue specialiter siue generaliter, siue Clericum siue laicum, violando interdictum, id est, efficiendo id quod interdicto prohibetur, peccare: imò id esse peccatum mortale ex obiecto; quia persona interdicta remouetur à supradictis rebus, quæ sunt graues ex suo obiecto, vt sunt administratio & susceptio Sacramentorum, celebratio & auditio diuinorum, & Ecclesiastica sepultura. Addidimus, id esse *peccatum mortale ex obiecto*; quia ex leuitate materiæ, aut ex defectu plenæ deliberationis, posset esse tantùm veniale.

Conueniunt Secundò communiter Doctores, Clericos violando interdictum locale, siue celebrando officia diuina absque moderationibus præscriptis in cap. *Alma mater.* siue non excludendo non priuilegiatos, peccare mortaliter ex obiecto, quia quodlibet ex his duobus est graue ex obiecto, & Clericis directè prohibitum.

Conueniunt Tertiò communiter Doctores contra Caietanum & Nauarrum, laicum, quamuis non interdictum personaliter, verè peccare assistendo diuinis, & Sacramenta suscipiendo in loco interdicto; quia etiam laico siue directè siue indirectè prohibetur assistere diuinis, & Sacramenta suscipere in loco interdicto, vt supponitur in cap. *Si sententia.* 16. & in c. *Alma mater.* 24. de Sententia excom. in 6. & in alijs capitulis. Et sanè non ob aliam rationem laicus localiter interdictus ejiciendus est à diuinis officijs, nisi quia prohibitus est eis assistere: imò peccat mortaliter ex obiecto, vt contra Sotum & Auilam docent Suarez disp. 34. sect. 4. & Ægidius num. 69. quia ex vna parte est laico prohibitum, & ex altera est quid graue ex obiecto.

DIFFICVLTAS XI.

Quomodo possit communicari cum persona interdicta.

COnueniunt Primò Doctores, nullam esse prohibitionem, qua laici directè prohibeantur communicare cum interdictis, quamuis nominatim denuntiatis, adhuc in diuinis, nisi in sepultura Ecclesiastica; quia nõ est Ius aliquod obligans laicos ad vitandum illos, nisi ad non tribuendum illis sepulturam in Clementina 1. de Sentent. excommunicationis. Prohibitione tamen, qua interdicti prohibiti sunt ab exercitio diuinorum, prohibentur alij secundariò eos inducere ad exercitium diuinorum, quando interdictis futurum est illicitum, ne cooperentur peccato interdictorum.

Conueniunt Secundò, Clericos prohibitos esse celebrare diuina coram interdictis: & eos, quibus commissa est cura Ecclesiæ, prohibitos esse permittere interdictos interesse diuinis, vt patet ex varijs capp. Iuris sæpè citatis.

Obseruandum est, prædicta quoad laicos in sepeliendo corpora interdictorum, & quoad Clericos in celebrandis diuinis coram interdictis, tantùm

tùm esse vera de interdictis denuntiatis. Censentur autem denuntiati omnes populares, populo ipso ab homine seu à Iudice publicè interdicto, aut si interdicti sunt à Iure, quando à Iudice denuntiantur.

DIFFICVLTAS XII.

Quas pœnas incurrant violantes Interdictum.

35 CONueniunt Primò Doctores, Clericos, siue sæculares siue regulares, violantes interdictum, siue personale siue locale, exercendo solemniter actum Ordinis, fieri irregulares, etiam quando non est censura, vt deducitur ex cap. *Is cui.* 20. de Sententia excommunic. in 6. Deinde modo dicto, aut quouis alio violantes interdictum, fieri ineligibiles passiuè, & ineligentes actiuè, ad dignitates Ecclesiasticas, vt constat ex cap. *Is cui.* 18. de Sententia excomm. in 6. & ex cap. 1. de Postulationibus, nihilominùs non priuari vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ exterioris, vt contra non paucos aduertit Ægidius dub. 4.

36 Conueniunt Secundò, Religiosos & exemptos, præsumentes illicitè celebrare diuina in locis interdictis, aut coram excommunicatis vel interdictis non toleratis, suspendi, seu interdici ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciant Iudici à quo sententia fuit lata, vt constat ex cap. *Episcoporum.* 8. de Priuilegijs, in 6. & non tantùm exemptos à iurisdictione Ordinaria, sed etiam non exemptos, vt contra Auilam 5. par. disp. 5. dub. 4. docet Ægidius dub. 4. vt ex dicto cap. efficaciter deducitur. *Ægidius.*

Conueniunt Tertiò, Religiosos, non seruantes interdictum quod seruatur ab Ecclesia Cathedrali matrice, aut à parochiali loci in quo sunt, excommunicari ipso facto in Clementina 1. de Sententia excommunicationis, & Dominum temporalem alicuius loci, qui compellit Clericum vt solemniter & publicè celebret diuina in loco interdicto, & etiam eum qui sonitu campanæ aut voce præconia præsumit conuocare plebem ad audienda diuina in loco interdicto, & etiam eum qui impedit ne excommunicati aut interdicti, admoniti egredi è templo, egrediantur, & etiam ipsum excommunicatum aut interdictum admonitum nolentè egredi, excommunicari ipso facto excommunicatione Papæ reseruata in Clementina 2. de Sententia excommunicationis.

DIFFICVLTAS XIII.

Ob quas causas ferri possit Interdictum.

37 CONueniunt Doctores, nullum interdictum posse ferri adhuc validè absque culpa, quia interdictum est pœna: interdictum tamen locale, siue generale siue particulare, & interdictum generale personale, posse ferri ob culpam alienam, vel communitatis, vel Domini aut rectoris temporalis, vt indicatur in c. *Si sententia.* 16. de Sententia excommunicationis, in 6. & in cap. *Non est vobis.* de Sponsalibus; quia ex vna parte tunc pœna in particulares vt partes communitatis redundans, est proportionata culpæ, quæ fuit communitatis aut capitis communitatis; & ex altera, interdicto non priuantur eis, quibus priuantur vt sunt vsus alicuius iuris acquisiti, sed vt sunt quædam participatio rei diuinæ subiectæ Ecclesiæ, quando adest rationabilis causa, vt adest quando est culpa communitatis, aut capitis communitatis. 38 Et ob hanc rationem dicta interdicta possunt ferri ob culpam Episcopi habentis iurisdictionem Ecclesiasticam, non temporalem, vt contra Henriquez & contra Cardinalem docent Couarruuias in cap. *Alma mater.* part. 2. §. 1. & Auila 5. part. disp. 3. dub. 2. & communiter Doctores, & in cap. *Sanè.* 11. de Officio delegati. *Couarru.* *Auila.*

Ob culpam tamen capitis communitatis, detinentis æs alienum, non potest adhuc validè ferri interdictum generale locale absque licentia Papæ, vt decernitur in Extrauagante *Prouidè.* de Sententia excommunicationis, in communibus: nec ob culpam alicuius priuati ferri potest interdictum locale, siue generale siue particulare, neque interdictum generale personale, vt contra Henriquez & Auilam docent Ægidius disp. 17. num. 24. Sayrus & Suarez; quia tunc pœna esset impro- portionata & iniusta culpæ (ac proinde nulla) quia dicta interdicta sunt pœna communitatis, & dicta culpa nullo modo est communitatis, quia non est ipsius, neque capitis ipsius. *Ægidius.* *Sayrus.* *Suarez.*

Interdictum verò particulare personale non potest ferri adhuc validè, nisi ob culpam propriam, vt contra Henriquez & Auilam docent Sayrus lib. 5. cap. 11. & Suarez disp. 36. sect. 3. quia tale interdictum est pœna propria, quæ absque culpa propria nequit iustè (ac proinde nec validè) infligi. 39 *Sayrus.* *Suarez.*

Est tamen difficultas, An interdictum possit ferri ob culpam venialem: & tantùm procedit de interdicto particulari personali, quia reliqua interdicta, vtpote grauissima pœna, nequeunt adhuc validè ferri, nisi ob culpam mortalem, & non ob quamcumque, sed ob valdè grauem. Vnde non procedit de interdicto particulari personali non puro, id est coniuncto locali, siue generali siue particulari, quia istud particulare personale tantùm potest ferri ob culpam grauem, sicut & ipsum locale cui adiungitur; quia vtrumque fertur indiuisibiliter, & ob eamdem culpam; & non procedit de quocumque interdicto particulari personali puro, sed de integro, & absolutè & simpliciter latò: quia si tantùm esset ab ingressu Ecclesiæ ad breue tempus, posset, vtpote leuis pœna, ob culpam leuem seu venialem ferri.

Henriquez ergo cap. 50. & Auila dub. 2. docent, interdictum particulare personale purum integrum ferri posse ob culpam venialem, quia etiam excommunicatio minor potest ferri ob culpam venialem, & est maior pœna, quàm dictum interdictum. 40 *Henriq.* *Auila.*

Suarez & Ægidius vbi suprà, & Vasquez 1. 2. disp. 58. num. 50. docent, non posse ferri adhuc validè, nisi ob culpam mortalem, quia eis videtur grauis pœna. *Suarez.* *Ægidius.* *Vasquez.*

Nos tamen existimamus, interdictum particulare personale purum integrum, quando est latum à Iure, vel generaliter ab homine, & non est reseruatum, posse ferri ob culpam tantùm venialem; quia istud ex vna parte non est priuatio intensiuè maior quàm excommunicatio minor, & ex altera ita facilè potest auferri, ac excommunicatio minor; quia potest auferri à Confessario ordinario, vt dicemus Difficultate XVI. sicut ex-

communicatio minor, vt diximus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate x. nihilominùs si feratur ob culpam ex obiecto grauem, non incurritur ob solam venialem, quando aliqua causa excusatur quis à mortali. Addidimus, *quando est latum à Iure, vel generaliter ab homine*; quia si est specialiter ab homine, etiam non potest ferri nisi ob culpam grauem, quia difficilè tollitur; quia tantùm potest tolli in foro exteriori, sicut etiam excommunicatio minor, si ab homine specialiter feratur, non posset ob culpam tantùm venialem ferri ob eamdem rationem.

41 Ex dictis constat, omnia, quæ excusant à culpa, prærequisita ad interdictum, mortali aut veniali, pro diuersitate interdictorum, impedire incursionem interdicti, quam etiam impedit ignorantia probabilis ipsius interdicti, quando latum est ab Ordinarijs (vt significatur in cap. *Vt animarum.* 2. de Constitutionibus, in 6.) & etiam iusta appellatio facta ante incursionem ipsius interdicti (nisi quando Iudici concessum est, vt non obstante appellatione procedat in causa) de quibus latè egimus Tractatu de Censuris in genere.

Obseruandum est, in quo Doctores conueniunt, interdictum ferri posse non tantùm vt censuram, id est vt pœnam medicinalem, & solùm ob contumaciam respectu Ecclesiæ præcipientis, sed etiam in puram pœnam, & ob peccatum quod solùm sit contra Ius naturale aut diuinum, vt diximus Tractatu de Censuris in communi, Difficultate XVIII. vbi alia tradidimus generaliter necessaria ad lationem interdicti & aliarum censurarum.

42

DIFFICVLTAS XIV.

Qui possint interdicere.

CONueniunt Doctores, eos omnes & solos, qui habent iurisdictionem Ecclesiasticam in foro exteriori, siue ordinariam siue delegatam, posse interdicere, sicut etiam excommunicare & suspendere, etiamsi Prælati Religionum ex desuetudine nequeant localiter interdicere, vt aduertit Auila 5. par. disp. 2. dub. 1.

Auila.

43 Potestatem tamen interdicendi, siue ordinariam siue delegatam, nec licitè nec validè potest exercere excommunicatus non toleratus, nec suspensus non toleratus, in quo Doctores conueniunt: nec posse validè etiam toleratum, adhuc quando prouocatur à fidelibus (& cõsequenter nec licitè) quia non obligat suo præcepto, aut quasi præcepto, cùm liberum sit subditis non communicare cum eo in actionibus iurisdictionis, quibus excommunicatione & suspensione priuatur; ac proinde nequit validè interdicto ligare, quia incursio illius supponit inobedientiam, quæ tunc non reperitur.

Et ob dictam rationem Ordinarius excommunicatus, aut suspensus non toleratus, non potest adhuc validè potestatem interdicendi delegare, quia id est actus iurisdictionis; poterit tamen validè, quando est toleratus (etiamsi illicitè id efficiat, quando ipse se ingerit) quia eo ipso, quòd Ecclesia eum tolerat, relinquit illum sufficientem vt possit validè exercere actum iurisdictionis, qui non sit præceptum, sub conditione tamen, si acceptetur.

Interdictus tamen, quamuis non toleratus, potest validè & licitè interdicere: quia interdictus non est priuatus iurisdictione, neque prohibitus illam exercere.

Obseruandum est ex cap. 1. de Sententia excommunicationis, in 6. interdictum non posse licitè ferri nisi in scriptis, & causam interdicti exprimendo: ferri tamen validè, vt supponitur in dicto cap. in quo, qui aliter fert interdictum, suspenditur, seu potiùs interdicitur per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis Officijs; & vt interdictum latum contra participantes, seu communicantes cum excommunicatis in eis in quibus secundùm Ius tantùm incurritur excommunicatio minor, sit validum, requiri, eos participantes nominatim moneri tribus monitionibus, vel vna pro tribus, cum interuallo interstitioque competenti, vt constat ex cap. *Statutum.* 13. de Sententia excommunicationis, in 6. iunctis capitulis *Statuimus.* 3. & *Constitutionem.* 9. eodem Titulo.

DIFFICVLTAS XV.

Qui possint interdici.

CONueniunt Doctores, omnes baptizatos vtuos adultos, excepto Papa, interdici posse & non tantùm vt singulares personas ratione sui, sed etiam vt partes communitatis, & etiam loca, sed non nisi vt circumstantias, quod idem est, ac personas interdici seu prohiberi in eis locis diuina celebrare, & eis assistere, & Sacramenta alibi recipere, & sepeliri. Eos quoque qui semel sunt interdicti, posse iterùm & iterùm interdici. Infantes verò non posse interdici, nec perpetuò amentes, non solùm interdicto personali particulari, quia requirit culpam in sic interdictis, cuius prædicti sunt incapaces, sed nec aliquo alio quoad effectus in prohibitione consistentes, quia huius sunt incapaces; benè tamen quoad priuationem Ecclesiasticæ sepulturæ, quia ex vna parte sunt capaces huius priuationis, & ex altera nulli alteri interdictum excepto personali particulari requirit propriam culpam. Nec defunctos posse interdici; quia iam sunt extra iurisdictionem Ecclesiæ, quamuis, si moriantur in statu interdictorum, nequeant ab alijs in loco sacro sepeliri, ficutnequeunt in loco interdicto sepeliri, etiamsi non moriantur personaliter interdicti, quia interdictum talis loci priuantur in eo sepeliri.

DIFFICVLTAS XVI.

Quomodo, & à quo possit auferri Interdictum.

CIrca prius conueniunt Doctores, interdictum, quod latum est vt censura, tolli per absolutionem, sicut alias censuras, vt patet; latum verò in puram pœnam seu vindictã, non posse tolli nisi aut ex se ipso elapso termino ad quem fuit latum, quod potiùs est cessare quàm tolli, aut per dispensationem ante impletum terminum. Tunc autem interdictum fertur vt censura, quando fertur ob contumaciam respectu Ecclesiæ, sit medicinaliter, ita vt emendatione posita sit debita absolutio; vt quando fertur absolute, si pos-

post admonitionem saltem à Iure factam: tunc autem fertur in puram pœnam, quando fertur ad determinatum tempus, aut in perpetuum, quamuis feratur ob contumaciam; aut quando fertur ab homine, & non præcessit admonitio saltem facta à Iure, quamuis absolutè feratur, quia in nullo casu ex his, quamuis ponatur emendatio, est debita absolutio.

47 Circa posterius conueniunt Doctores, interdictum absolutè latum, nullum determinando tempus, & illud quod fertur addendo *in perpetuum*, indigere aliquo à quo auferatur, & idem est de eo, quod fertur vsque ad aliquem terminum, vt auferatur ante illum, vt interdictum, quod fertur ad vnum mensem, aut vsque ad effectionem alicuius operis. Addidimus, *vt auferatur ante illum*; quia eo tempore elapso, aut eo opere facto ex se ipso, absque aliqua alia relaxatione, cessat, quodcumque illud sit, & à quocumque sit latum (in quo contra nonnullos conueniunt communiter Doctores) quia tunc tantùm fertur vsque ad eum terminum, ac proinde eo transacto nequit ampliùs durare.

Est ergo difficultas, A quo possit auferri interdictum, quod indiget auferri ab aliquo.

48 Circa quam dicendum est Primò, interdictum latum ab homine, vt censuram contra aliquem aut aliquos, nominatim seu specialiter, posse auferri ab ipso Iudice latore (& consequenter ab eius successore, & ab eius superiore) vt patet, & non posse auferri ab alijs, adhuc in foro Sacramentali, aliàs perturbaretur tribunal Iudicis ferentis: interdictum verò à Iure, aut generaliter ab homine latum vt censuram, quodcumque sit, etiam locale & generale personale, posse, quoties non reseruatur, auferri ab Ordinario, vt efficaciter deducitur ex c. *Nuper.* 29. de Sententia excommunicationis, quia ex vna parte in ablatione illius nullius tribunal turbatur; vel quia est latum à Iure, & non ab homine; vel si generaliter ab homine, quia est incognita persona interdicta, aut locus interdictus; & ex altera parte eo ipso quòd non reseruatur, videtur concedi inferiori, aut in eo relinqui facultas ad id: aliàs non esset necessaria reseruatio, si Ordinarius non posset auferre non reseruatum: non tamen posse auferri à Parocho, nec à Confessario ordinario (excepto personali particulari puro, non adiuncto locali) quia
49 interdictum personale particulare adiunctum generali locali, non impedit absolutionem à peccatis, sicut nec ipsum generale locale, ex concessione Pontificis in cap. *Alma mater.* Et quamuis personale generale, & personale particulare adiunctum locali speciali, & locale speciale impediant, non possunt, quia absolutio ab eis exigit iurisdictionem exteriorem; & etiam absolutio à locali generali, quia nequeunt Sacramentaliter auferri (quo solo modo possunt Parochus & Confessarius ordinarius) quia nec locus neque communitas personarum possunt Sacramentaliter absolui. Interdictum tamen personale particulare purum, quando non reseruatur, & est latum vel à Iure, vel generaliter ab homine, potest à Confessario ordinario auferri, quia impedit absolutionem à peccatis, & persona particularis potest Sacramentaliter absolui, & in eius ablatione nullius tribunal turbatur.

Dicendum est Secundò, interdictum latum non vt censuram, sed vt puram pœnam, seu vindictam, siue à Iure siue ab homine, adhuc generaliter non posse auferri, nisi à potente dispensare
50 in eo Iure, quando latum est à Iure, & nisi à Papa, quando latum est ab homine seu à Iudice; sicut nec Iudex inferior potest dispensare in alia pura pœna Iuris, nec in alia pura pœna lata per sententiam etiam ab ipso, quia dictum interdictum non auferetur absolutione, sed dispensatione, ad quam non est potestas in inferiore, adhuc respectu pœnæ à se latæ, nec ei conceditur ex eo quòd non reseruetur, sed tantùm ad absolutionem, quæ est debita eo ipso quòd persona est benè disposita.

Obseruandum est, interdictum locale generale non posse auferri ad cautelam, quia ita statutum est in cap. *Præsenti.* 10. de Sententia excommunicationis, in 6. benè tamē locale particulare, & quodcumque personale, vt deducitur ex eo, quod in dicto cap. id tantùm statuatur de locali generali: nihilominùs quodcumque interdictum, adhuc locale generale, posse tolli ad tempus ab eo qui potest illud totaliter auferre in foro extetiori, & ab eodem posse quoad aliquem effectum auferri siue ad tempus, siue absq; termino, vt quoad aliquam Missam, aut quoad aliquem sepeliendum; quia interdictum potest à ferente ipsum, quoad suos effectus limitari, tam quoad primam impositionem illius, quàm quoad conseruationem; quia coniunctio omnium effectuum interdicti non est Iure annexa cum ipso, sicut sunt Iure connexi omnes effectus excommunicationis cum ipsa.

Sed quamuis interdictum in se ipso à nullo, adhuc à Papa, possit suspendi à suis effectibus ipso
51 perseuerante (sicut nec excommunicatio, nec suspensio) quia interdictum formaliter nihil aliud est, quàm quædam priuatio (sicut etiam excommunicatio & suspensio) & personam esse interdictam, & locum esse interdictum, est effectus formalis interdicti, sicut hominem esse carentem visu, est effectus formalis cæcitatis. Ipsa tamen sententia, qua latum est interdictum, potest suspendi quoad suos effectus, & ab eo qui potest eam totaliter auferre seu extinguere: quia ex vna parte est distincta à suis effectibus, seu ab interdicto formaliter consistente in effectibus ipsius sententiæ, quia effectus sententiæ sunt ipsum interdictum; & ex altera parte id nullo Iure est cautum. ex eo autem, quòd sententia interdicti suspendi potest quoad interdictum ipsum, quod est effectus ipsius sententiæ, etiam dici potest, quòd interdictum suspēdi potest; quia eo tantùm significatur, interdictum ad tempus, cessare suspensione suæ causæ.

DIFFICVLTAS XVII.

Quæ Interdicta sint Iure lata.

PRimo Vniuersitates aut Collegia concedentia
52 locum habitationis vsurarijs, alienigenis interdicuntur ipso facto in cap. 1. de Vsuris, in 6.

Secundò, Vniuersitates concedentes repræsalias seu pignorationes, quibus vnus pro alio grauatur, contra personas Ecclesiasticas, aut earum bona, interdicuntur ipso facto in cap. vnico de Iniurijs, in 6. nisi intra mensem id reuocauerint.

Tertiò, Vniuersitates, aut Capitula appellantia à sententia Papæ ad Concilium Generale, interdicuntur ipso facto in Bulla Cœnæ Domini.

Quartò,

Quartò, communitates exigentes tributum ab Ecclesiasticis absque licentia Papæ, interdicuntur ipso facto in c. *Quamquam.* 4. de Censibus, in 6.

Quintò, Capitula, quæ Sede vacante intra annum concedunt dimissorias ad Ordines ei, qui non coarctatur ad id ratione beneficij, interdicuntur in Tridentino sess. 7. cap. 10. de Reformatione.

Trident. 53 Sextò, qui præsumunt ferre censuram aliquam, non seruata solemnitate præscripta in c. 1. de Sententia excommunicationis, in 6. aut excommunicare non præmissa monitione competenti, interdicuntur non plenè, sed ab ingressu Ecclesiæ per mensem, in dicto c. 1. & in c. *Sacro.* 48. de Sententia excommunicationis.

Septimò, Episcopi, & ipsis superiores, vsurpantes sibi bona Ecclesiarum, aut beneficiorum, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec restituant, in c. *Præsenti.* 9. de Officio Ordinarij, in 6.

Octauò, omnes etiam exempti, qui scienter celebrant aut celebrare faciunt diuina officia in loco interdicto, aut excommunicatos, vel interdictos non toleratos, ad diuina officia, vel ad Sacramenta, vel ad Ecclesiasticam sepulturam admittunt, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciant ei cuius sententiam violarunt, in cap. *Episcoporum.* 8. de Priuilegijs, in 6.

Nonò, Episcopi, qui inter visitandum aliquid acceperunt eis prohibitum in c. 1. de Censibus, in 6. & intra mensem illud non restituunt in duplum, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec id restituant, in c. *Exigit.* 2. de Censibus, in 6.

Decimò, laici conferentes Episcopatum, aut Abbatiam, & recipientes ab illis, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec dignitas deseratur, in can. *Si quis deinceps.* 16. quæst. 7.

Obseruandum est, esse nonnulla alia interdicta localia, de quibus videri potest Suarez d. 37. quæ non adducimus, quia post Extrauagantem *Ad euitanda scandala.* non obligant ante denuntiationem à Iudice factam: & adduximus personalia, quia ante denuntiationem obligant interdictos, quamuis non alios, adhuc Clericos.

TRACTATVS DE CESSATIONE A DIVINIS.

DIFFICVLTAS PRIMA.

Quid sit Cessatio à diuinis.

55 CESSATIO à diuinis est desistentia à diuinis officijs, & ab aliquorum Sacramentorum administratione in locum decreta, vt deducitur ex cap. *Non est vobis.* 11. de Sponsalibus: aut, quod in idem incidit, est prohibitio, qua in aliquo loco prohibentur celebrari diuina officia, & Sacramenta aliqua administrari. Et quia prohibitio hæc non fit ab Ecclesia in punitionem alicuius peccati, ideò cessatio à diuinis non est censura; quia censura est pœna medicinalis, cessatio autem fit ab Ecclesia tum in signum mœroris ob enormem iniuriam ipsi factam. Quod efficit Ecclesia ad imitationem populi Israëlitici, qui quando captiuus ferebatur, in signum tristitiæ suspendit organa, quibus laudes Deo cantabat. Tum etiam fit ab Ecclesia in defensionem, vt cogat iniuriantem desistere, vt significatur in cap. 1. de Sententia excommunicationis.

56 Dicitur autem cessatio in locum decreta, quia cessatio à diuinis non afficit immediatè personas, sed locum, quem nequit non afficere, cùm personas ipsas ratione ipsarum non afficiat, & afficit locum vt circumstantiam, eo modo quo interdictum locale. Vnde qui dicunt cessationem non afficere personas, nec locum, id absque fundamento imò & contra rationem dicunt.

DIFFICVLTAS II.

Quos effectus habeat Cessatio à diuinis.

57 COnueniunt Doctores, cessatione à diuinis in loco vbi est posita, prohiberi celebrationem diuinorum officiorum, & administrationem Sacramentorum, exceptis Baptismo paruulis, & Pœnitentia morientibus, vt dicitur in cap. *Non est vobis.* 11. de Sponsalibus.

Ex eo autem, quòd conceditur Baptismus paruulis, admittunt Doctores, etiam concedi illis Confirmationem, quia est complementum Baptismi, & consequenter etiam concedi confectionem Chrismatis: & ex eo, quòd morientibus conceditur Pœnitentia, admittunt etiam, eis concedi Eucharistiam vt Viaticum, & consequenter vnam Missam in hebdomada pro renouatione Eucharistiæ; quæ non inficiamur.

Id tamen, quod addunt Henriquez cap. 51. Couarruuias in c. *Alma mater.* part. 2. §. 4. & Aulla tom. 6. part. d. 1. posse etiam Pœnitentiam administrari sanis, additur absque fundamento; quia nullibi id conceditur, & expressè negatur in cap. *Non est vobis.*

Id etiam quod plurimi asserunt, cessatione negari laicis sepulturam in loco sacro, licut interdicto, etiam dicitur absque fundamento, vt aduertunt Suarez disp. 39. sect. 2. & Ægidius disp. 17. dub. 7. quia id nullibi cessatione negatur, etiam ab interdicto negetur.

Id quoque quod affirmat Paludanus, in cessatione habere locum priuilegium concessum interdicto locali generali in cap. *Alma mater.* nempe vt Clerici ianuis clausis possint diuina celebrare, falsum est, vt aduertunt Couarruuias & Ægidius, quia absque fundamento id extenditur ad cessationem; sicut etiam absque fundamento a nonnullis extenditur ad cessationem priuilegium concessum eidem interdicto in festis Paschalibus, & in alijs, vt possint palàm celebrari diuina.

DIFFI-

DIFFICVLTAS III.

Qui possint ferre Cessationem à diuinis, & qui possint illam auferre.

CIrca prius, cessatio à diuinis tantùm potest ferri ab habente iurisdictionem Episcopalem in foro exteriori, siue ordinariam siue delegatam, quam ex priuilegio aut expressè concesso, aut ex consuetudine introducto, ferre possunt aliqua Capitula Canonicorum, etiam non Sede vacante, & aliquæ communitates Ecclesiasticæ sæcularium & Regularium: eam tamen non possunt dicta Capitula & communitates validè ferre, nisi
59 pluribus conditionibus seruatis, quæ præscribuntur in cap. 2. & 8. de Officio Ordinarij, in 6. vbi videri possunt, & apud Ægidium disp. 15. dub. 7.

Nullus tamen potest cessationem validè ferre, nisi ob causam rationabilem proportionatam incommodis cessationis; & qui absque sufficienti causa cessationem tulit, tenetur recompensare stipendia cessantia eis qui ab officio cessarunt, & quando ex sufficienti, tenetur ad ea damna ille, ob cuius culpam posita fuit cessatio: quando verò ille, qui ponit cessationem, est Capitulum Canonicorum, si eam ponat absque sufficienti causa, aut non requisito illo ob cuius culpam ponitur, Canonici præter dicta damna etiam tenentur restituere Ecclesiæ, in qua posita est cessatio, omnes prouentus quos ab ea Ecclesia tempore cessationis perceperunt, & eidem Ecclesiæ cedere reliquos ipsis, aliàs pro eo tempore cessationis debitos non perceptos, quia ita dispositum est in dicto c. 2. de Officio Ordinarij, in 6.

60 Circa posterius, ille tantùm potest cessationem auferre qui eam posuit, aut eius successor, vel superior, aliàs turbaretur tribunal ferentis illam; quia tantùm fertur ab homine, & specialiter; & potest auferri siue absolutè siue ad tempus, pro beneplacito eam ponentis: non tamen potest suspendi quoad aliquem effectum, si perseueret quoad alios (nisi à Papa) quia effectus cessationis sunt Iure inseparabiliter connexi inter se, sicut effectus excommunicationis.

DIFFICVLTAS IV.

Quas pœnas incurrant violantes Cessationem à diuinis.

SVpponimus, violantes cessationem à diuinis peccare mortaliter ex obiecto, quia efficiunt contra prohibitionem rei ex obiecto gratis.

Hoc ergo supposito, Religiosi violantes cessationem positam à Concilio Prouinciali (siue generalem, id est loci generalis, siue specialem, id est loci specialis) quam seruat Ecclesia Cathedralis, aut matrix, aut parochialis, ipso facto excommunicantur in Clementina 1. de Sententia excommunicationis, & etiam violantes cessationem generalem positam à Capitulo siue sæculari siue Re-
61 gulari; non tamen impositam ab alijs, vt contra Suarez disp. 39. sect. 2. & contra Auilam 6. par. disp. 3. dub. 2. docet Paludanus dist. 18. quæst. 8. *Paludan.* quia nullibi fertur excommunicatio, nisi ob violationem cessationis à prædictis impositæ.

Addimus (in quo conueniunt Doctores) violantes cessationem specialem, quamuis exercendo solemniter actum Ordinis, non fieri irregulares, quia nullibi fertur irregularitas contra illos; imò nec sic violantes cessationem generalem, vt contra non paucos docent Auila vbi suprà, & Henriquez *Auila. Henriq.* cap. 54. quia nullibi fertur, etiamsi feratur contra sic violantes interdictum generale, imò etiam particulare, adhuc quando non sunt censuræ.

TRACTA-

TRACTATVS DE IRREGVLARITATE.

DISPVTATIO PRIMA.

De Irregularitate in communi.

DIFFICVLTAS I.

Quid sit Irregularitas.

1 IRREGVLARITAS est *impedimentum, quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoueri, & iam promotus, in eis administrare tamquam inhabilis prohibetur, Iure Canonico introductum.* Vbi nomine Ordinum etiam comprehenditur prima tonsura, vtpote principium & dispositio ad illos. In qua definitione Doctores re ipsa conueniunt, quamuis non ab omnibus tradatur eisdem verbis, & à nonnullis absque necessitate ei addatur, *ex defectu, vel ex delicto prouenies.*

2 Pro eius tamen explicatione supponendum est, irregularitatem ab excommunicatione maiore, suspensione, & depositione, cum quibus habet maiorem similitudinem, quàm cum alijs, distingui in aliquibus. Ab excommunicatione & suspensione Primò, quòd hæ sunt censuræ, quia sunt pœnæ; irregularitas verò non est censura, quia non est pœna, adhuc ea quæ contrahitur ex delicto; quia non fertur in punitionem delicti, sed ad euitandam indecentiam, quæ esset in eo quòd persona, quę tale commisit crimen, suscipiat Ordines, aut iam susceptos exerceat. Secundò, quòd excommunicatio & suspensio possunt ferri à Iure & ab homine, irregularitas verò tantùm à Iure, & non ab homine (subintellige inferiore) quia à Papa ferri posset. Tertiò distinguitur ab excommunicatione maiori, quòd hæc pluribus priuat quàm irregularitas, vt patet, & eis quibus etiam priuat

3 irregularitas, priuat alio modo, quia eis priuat vt sunt communia alijs fidelibus, & non irregularitas: & à suspensione distinguitur, quia hæc non priuat nisi vsu; irregularitas verò etiam quasi priuat capacitate & potestate, habendo & tractando personam quasi inhabilem & ineptam.

Deinde differt à depositione Primò, quòd hæc non infertur à Iure, sed ab homine, irregularitas verò non ab homine, sed à Iure. Secundò, quòd depositio saltem directè non inhabilitat, aut quasi inhabilitat ad susceptionem Ordinum, sed ad vsum susceptorum. Tertiò, quòd depositio non fertur ad euitandam indecentiam, sicut fertur irregularitas, sed ad euitandum damnũ commune futurum ex vsu Ordinum à persona deposita.

Hoc ergò supposito, in dicta definitione irregularitatis pro genere ponitur *impedimentum*, in quo irregularitas conuenit cum alijs: & pro differentia ponuntur reliquæ particulæ, quia per eas particulas, *quo quis ad Ecclesiasticos Ordines promoueri, & iam promotus, in eis administrare tamquam inhabilis prohibetur*, distinguitur partialiter ab alijs impedimentis, quia alia pluribus aut paucioribus priuant quàm irregularitas: & specialiter ab excommunicatione, suspensione, & interdicto, quia his non prohibetur quis quasi inhabilis & ineptus, benè tamen irregularitate. Et per eam particulam, *Iure canonico introductum*, etiam differt ab omnibus alijs impedimentis, quia omnia alia possunt ab homine ferri, & aliqua à solo homine; irregularitas verò à solo Iure: & per eam etiam differt ab impedimento, quo fœminæ, & non baptizati prohibentur, imò inhabiles sunt ad Ordines suscipiendos, quia istud est Iure diuino introductum.

DIFFICVLTAS II.

Quotuplex sit Irregularitas.

IRregularitas (quæ non aliter diuiditur & multiplicatur quàm ex causa ob quam fertur) altera est quæ oritur ex defectu, & altera quæ oritur ex delicto: & quælibet ex his in plures alias subdiuiditur. Quia quæ oritur ex defectu, subdiuiditur in varias irregularitates, quæ ex varijs defectibus oriuntur: & quæ oritur ex delicto, etiam subdiuiditur in alias quæ oriuntur ex varijs delictis, de quibus omnibus posteà seorsim dicemus.

Est tamen difficultas Primò, An irregularitas, quæ oritur ex delicto, v.g. ex vsu Ordinum in suspenso, incurratur ob delictum internum, & ob intentionem vtendi Ordinibus in statu suspensionis.

Glossa vltima in cap. *Pernicioso*. de Pœnitentijs, dist. 1. & alij pauci Iuristæ partem affirmatiuam tuentur; quia Pontifices aliquando concessum priuilegium dispensandi in irregularitate mentali, quæ non potest esse alia quàm quæ oritur ex delicto merè interno.

Suarez verò disp. 40. sect. 3. Sayrus lib. 6. cap. 4. Ægidius disp. 18. dub. 2. & communiter Doctores partem negatiuam tradunt, & meritò: quia de facto nullum est Ius Ecclesiasticum, quo irregularitas feratur ob delictum aut actum internum, imò nec esse potest, quia actus internus non subiacet

iacet iudicio Ecclesiæ: imò, vt aduertunt Suarez & Ægidius, non oritur nisi ex delicto exteriori consummato, v. g. irregularitas quæ oritur ex delicto homicidij, nō incurritur ob vulnerationem, quamuis sufficientem ad mortem, nisi re ipsa eueniat mors & quousque eueniat, quia vsque ad illam, quamuis miraculosè impediatur, non est verè homicidium, ob quod tantùm hæc irregularitas fertur.

Ad rationem ergo aduersariorum respondemus, Si tale priuilegium fuit concessum, nomine irregularitatis mentalis tantùm intelligi omnino occultam, id est ortam ex defectu aut ex delicto omnino occulto.

Secundò est difficultas, An irregularitas quæ oritur ex delicto, incurratur ob delictum exterius, quando est adeò occultum vt probari non possit.

7 Glossa in cap. vlt. de Temporibus ordinat. & Castro lib. 1. de Lege pœnali, cap. vlt. partem negatiuam tuentur; quia in dicto cap. vlt. de Temporibus ordinat. dicitur, periuros, adulteros, & falsos testes posse Sacris initiari, & eis fungi, quamdiu crimen manet occultum.

Glossa. Castro.

Nauarrus. Suarez. Ægidius.

Nauarrus verò cap. 27. num. 294. Suarez & Ægidius vbi suprà, & communiter Doctores partem affirmatiuam tradunt, & meritò: quia id supponitur in Tridentino sess. 24. cap. 6. de Reformatione, dum concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ prouenit ex homicidio voluntario, quod etiam ratione constat, quia ex vna parte delictum exterius, quamuis occultum, & non probabile in iudicio, defectu testium, quantum est ex se, subiacet iudicio Ecclesiæ: & vt irregularitas infligatur, nō est necessaria probatio, quia Iure ipso fertur & infligitur: & ex altera parte irregularitates, quæ feruntur ob delictum absolutè, feruntur ob delictum quod absolutè est tale, quamuis sit occultum, & in iudicio probari non possit.

In dicto autem cap. vlt. pro aduersarijs adducto tantùm est sermo de irregularitate lata ob infamiam annexam dictis criminibus (non ob ipsa delicta secundùm se) quæ non est in delictis occultis.

Tertiò est difficultas, An irregularitas quæ oritur ex delicto, incurratur ob delictum tantùm veniale.

8 Supponimus, de facto nullam esse latam irregularitatem ob delictum ex suo obiecto & materia veniale.

Est ergo difficultas, An, quæ lata est ob delictum ex obiecto mortale (vt ob homicidium) quando ex defectu perfectæ deliberationis, aut aliter excusatur à culpa mortali, & tantùm remanet veniale, incurratur ob illud.

Caietanus. Armilla. Corduba.

Caietanus 2. 2. quæst. 64. art. 8. Armilla v. *Irregularitas.* num. 14. Couarruuias & Corduba partem affirmatiuam tuentur, quia excommunicatio minor, quæ non tantùm priuat susceptione Ordinum, sed etiam aliorum Sacramentorum, incurritur ob peccatum tantùm veniale, ergo etiam irregularitas, quæ tantùm priuat susceptione Ordinum & eorum exercitio.

Nauarrus. Suarez. Ægidius. Vasquez.

Nauarrus cap. 27. num. 252. Suarez & Ægidius vbi suprà, & Vasquez 1. 2. disp. 158. cap. 5. partem negatiuam tradunt, & meritò: quia irregularitas est quoddam grauissimum malum, vtpote priuans magno bono, & in perpetuum, absque spe restitutionis; ergo non est censenda ferri, nisi aut ob grauem defectum, aut grauem culpam, quod etiam, vt contra nonnullos aduertunt Suarez & Ægidius, est verum quando fertur à Papa.

Ad rationem verò aduersariorum respondemus, quòd quamuis excommunicatio minor priuet maiori bono quàm irregularitas, non tamen est graue malum sicut est irregularitas; quia facillimè tollitur, & quando excommunicatus vult, non verò irregularitas. 9

DIFFICVLTAS III.

Vtrùm in dubio Iuris Irregularitatis censendus sit quis irregularis.

QVod quærimus est, An qui dubius est an Iure sit alicui delicto quod commisit, aut defectui quem habet, annexa irregularitas, censendus sit irregularis. 10

Certum est, ob nullum delictum aut defectum cui in Iure non sit expressè annexa irregularitas, incurri irregularitatem, vt dicitur in cap. *Is qui.* 18. de Sententia excommunicat. in 6. est enim rationi consonum, vt pœnalitas Iure lata pro vno casu, non extendatur ad alium ob aliquam similitudinem: odia enim sunt restringenda.

Est tamen difficultas, An quando est dubium, & purum, absque probabili iudicio, an alicui delicto aut defectui sit Iure expressè annexa irregularitas, qui sic est dubius, censeri debeat irregularis, & se gerere vt talem. Addidimus, *quando est dubium, & purum, absque probabili iudicio*; quia quando probabiliter seu prudenter iudicatur non esse annexam irregularitatem, quamuis etiam sit probabile iudicium pro opposita parte, potest quis se gerere vt non irregularem, iuxta communem & generalem doctrinam in Tractatu de Conscientia.

Circa hanc ergo difficultatem conueniunt Doctores, in dicto puro dubio ante factam prudentem diligentiam ad illud superandum, eum qui sic est dubius, teneri se gerere, vt irregularem ad eum effectum, vt abstineat ab omni eo quod irregularitate prohibitum est: quia ante eam diligentiam temerè se exponet periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Punctum ergo difficultatis in eo est, An si post factam prudentem diligentiam maneat purum dubium (quod rarò eueniet) teneatur quis se gerere vt irregularem, ad dictum effectum. 11

Suarez. Auila. Ægidius.

Suarez disp. 40. sect. 5. Auila disp. 2. dub. 5. & Ægidius disp. 18. docent non teneri, quia in dubio melior est conditio possidentis, vt desumitur ex regula Iuris 65. in 6. ille autem possidet libertatem ab irregularitate, ergo non est censendus irregularis.

Burgasius de Irregularitate par. 1. quæst. 3. & Vasquez 1. 2. disp. 65. c. 3. docent teneri se gerere vt irregularem, & meritò: quia non se gerendo vt irregularem, temerè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Vnde, quidquid dicat Suarez, multò meliùs tenebitur se gerere vt irregularem, quando nondum est facta diligentia absolutè & simpliciter prudens, quamuis facta sit quæ pro temporis &

loci opportunitate fieri potest, quando se offert necessitas aliqua exercendi Ordines sacros, quia in hoc casu magis temerè & minùs cautè se exponit periculo faciendi contra irregularitatē, quàm
12 in priori casu dicto. Et eodem modo censendus est à Iudice irregularis ad dictum effectum, nempe vt non permittat eum aliquid efficere contra irregularitatem, quamuis non ad effectum infligendi illi pœnam aliam Iure assignatam, quæ non sit prohibitio, vt dicemus Difficultate sequenti in dubio facti.

Ad rationem autem aduersariorum respondemus, eam regulam Iuris, *In dubio melior est conditio possidentis*, tantùm habere locum in materia iustitiæ, non in materijs aliarum virtutum: quia in dubio ad quem pertineat dominium alicuius rei, possessio est titulus faciens ius possidentis ita melius & potius quàm alterius, vt hic alter nequeat rationabiliter conqueri, quòd possidens in
13 dubio dominij rei eam retineat, ob quod non se exponit temerè & absque ratione periculo retinendi rem illam, quamuis fortè sit alterius; respectu verò libertatis ab irregularitate, & à quocumque alio Iure & præcepto, non est verè dominium quod possit meliorari, nec verè possessio qua possit meliorari, ac proinde in dubio Iuris periculum faciendi contra tale Ius, est temerarium & absque ratione.

DIFFICVLTAS IV.

Vtrùm in dubio facti, cui annexa est Irregularitas, censendus sit quis irregularis.

QVod quærimus est, An qui purè absque probabili iudicio dubius est an commiserit crimen, aut habeat defectum cui expressè est annexa irregularitas, censeri debeat irregularis.

14 Conueniunt Doctores, in dicto puro dubio ante factam prudentem diligentiam ad illud superandum, eum, qui sic est dubius, teneri se gerere vt irregularem, ad eum effectum, vt abstineat ab omni eo quod irregularitate prohibetur: quia ante eam diligentiā temerè se exponit periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Est ergo difficultas, An si post factam prudentem diligentiam maneat dictum purum dubium (quod non rarò euenit) sic dubius censendus sit irregularis ad dictum effectum.

Circa quam conueniunt Doctores, eum, qui sic est dubius, etiam post factam prudentem diligentiam an commiserit homicidium, censendum esse irregularem, ad dictum effectum. Quod exprimitur in cap. *Ad audientiam*. 12. & in cap. *Significasti*. 18. de Homicidio. Et id non solùm est verum in foro interiori conscientiæ & quoad Deum, in quo Doctores conueniunt, sed etiam in foro exteriori, vt contra Panormitanum, Siluestrum, & Armillam docent Couarruuias in Clementina *Si furiosus*. num. 3. de Homicidio, Toletus lib. 1. cap. 51. Suarez disp. 40. sect. 5. Ægidius disp. 18. dub. 2. Vasquez 1. 2. disp. 66. cap. 1. & communiter recentiores: quia in dictis duobus cap. etiam est sermo quoad forum exterius, præsertim in cap. *Ad audientiam*, vt deducitur ex illis verbis, *Ad audientiam Apostolatus nostri peruenit*, id est, ad nostrum tribunal exterius. Et sanè forum exterius seu iudiciale discrepare non debet ab interiori conscientiæ, nisi quando exterius fundatur in aliqua præsumptione: quia quando fundatur in rei veritate, vt in casu præsenti contingit, cognita veritate vtrumque forum consentire debet.

15 *Toletus. Suarez. Ægidius. Vasquez.*

Dissentiunt tamen Doctores, An non solùm in casu homicidij, sed etiam in omnibus alijs casibus in puro dubio facti, sic dubius censeri debeat irregularis ad dictum effectum.

Auila p. 7. disp. 2. dub. 5. Suarez & Ægidius ... vbi suprà docent, sic dubium non esse censendum ... irregularem in alijs casibus (excepto homicidij, ... ob peculiarem dispositionem dictorum duorum capp.) quia in dubio facti generaliter melior est conditio possidentis suam libertatem ab irregularitate.

Vasquez vbi suprà, & plures alij docent, sic ... dubium censendum esse irregularem ad dictum effectum, etiam in omnibus alijs casibus, & meritò: aliàs sic dubius temerè se exponet periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis. Et id efficaciter deducitur ex dictis duobus capitulis, quia in eis generaliter traditur doctrina pro omni puro dubio facti: quia in eis non traditur ratio aliqua peculiaris & propria dubij homicidij, sed generalis omnibus dubijs (excepto dubio in materia iustitiæ, ob peculiarem rationem traditam Difficultate præcedenti) quia in eis capitulis non dicitur, in dubio homicidij abstinendum esse à ministerio altaris, quia in eo dubio, sed quia in dubijs tutiorèm semitam debeamus eligere. Vbi expendendum est, quod dicitur *debeamus*, quo denotatur, tunc non imponi à Pontifice peculiarem aliquam obligationem pro casu homicidij, sed obligationem generaliter in dubio cuiuscumque facti, aliunde prouenire, ex lege videlicet, aut ex præcepto, cuius transgressioni dubius se temerè exponit.

Addidimus ad dictum effectum, nempe vt se abstineat ab omni eo quod irregularitate prohibetur: quia solùm quantum ad hunc effectum ad probat ratio facta, ne scilicet exponatur temerè periculo faciendi contra prohibitionem, ac proinde de peccandi, & solùm quantum ad hunc est sermo in dictis duobus capitulis.

Id verò quod diximus, non solùm est verum in ... foro interiori conscientiæ, in quo conueniunt Pa... normitanus, Siluester, & alij, quòd scilicet fic... bius teneatur se gerere pro irregulari ad dictum effectum, sed etiam (quidquid prædicti dicant) in foro exteriori, quòd scilicet vt talis iudicandus sit à Iudice ad dictum effectum, non verò ad effectum condemnandi illum priuatione beneficij, & alijs puris pœnis, quæ non sunt prohibitio irregularitatis; quia eis puris pœnis nemo potest integrè condemnari in dubio. Et de eis procedit Regula 11. Iuris, in 6. *Cum iura partium sunt obscura, reo fauendum est potiùs quam actori*. quia contra rationem est, quòd pœna taxata pro aliquo delicto certo, infligatur pro delicto dubio, quia sufficiat alia minor tanta aut tanta pro qualitate dubij.

DIFFICVLTAS V.

Quos effectus habeat Irregularitas.

COnueniunt Doctores, ei, qui absolutè est irregularis, prohibitum esse Ordines Ecclesiasticos suscipere, & eos susceptos exercere, vt dicitur

deducitur ex cap. *Significasti.* 16. de Homicidio, & constat ex definitione irregularitatis tradita Difficultate 1. validè tamen Ordines suscipere, quia Ecclesia, à qua irregularitas instituta est, nequit impedire valorem Sacramentorum, si adhibeantur omnia à Christo requisita. Et quamuis impedire posset valorem primæ tonsuræ, vtpote ab ipsa institutæ, de facto tamen eam non irritat; quia credi non potest, Ecclesiam incapacitare ad primam tonsuram, quæ est principium & quasi dispositio ad Ordines, eum, quē ad ipsos Ordines incapacitare nō potest. Validè item vti Ordinibus susceptis, excepta potestate Sacerdotali ad absoluendum à peccatis, quia valor ipsius vsus Ordinis, excepto dicto Ordine, tantùm pendet à potestate ipsius Ordinis collata per ordinationem, & non ab Ecclesia. Excepimus tamen potestatem Sacerdotalem ad absoluendum à peccatis, quia contra Ægidium disp. 18. dub. 1. & contra alios existimamus, absolutionem à peccatis factam ab irregulari, esse nullam, quia irregularitate impeditur quis ab vsu Ordinum quantum potest ab Ecclesia impediri: Ecclesia autem potest absolutionem à peccatis irritare; quia quamuis sit vsus potestatis seu iurisdictionis Ordinis, pendet tamen ab Ecclesia quoad applicationem subditorum; quia ex vi Ordinis nullus est determinatus; absolutio autem in non subditum est nulla. 19

Quia tamen irregularitate non nisi susceptio Ordinum & horum vsus prohibetur, ideò irregularis potest suscipere quodcumque aliud Sacramentum etiā Pœnitentiæ, & exercere quemcumque actum, siue iurisdictionis siue non iurisdictionis, qui non sit vsus Ordinum. Vnde irregularis potest exercere quemcumque actum, qui potest exerceri ab initiato prima tonsura, vt sunt, absoluere à censuris, dispensare in votis, concedere licentiam audiendi confessiones, concedere indulgentias, assistere matrimonio, & alia quæ non sunt vsus Ordinis ex officio facta, quamuis supponant primam tonsuram.

20 Est tamen difficultas, An irregularitas priuet beneficio Ecclesiastico. Conueniunt Doctores, illicitum esse, conferre beneficium irregulari ex homicidio iniusto ex industria facto; quia id prohibuit Tridentinum sess. 14. cap. 7. de Reformatione, & cuicumque absolutè irregulari, vt deducitur ex c. 2. de Clericis pugnantibus in duello.

Dissentiunt, An irregularis sit incapax recipiendi beneficium, ita vt collatio ipsi facta sit nulla.

Nauarrus. Couarru. Henriq. Nauarrus c. 27. num. 149. Couarruuias 1. part. §. 7. Henriquez lib. 14. cap. 2. & communiter Doctores partem affirmatiuam tuentur, quia deduci videtur ex cap. *Cùm bonæ.* 8. de Ætate & qualitate & ordine perficiendorum, & ex dicto cap. 2. de Clericis pugnantibus, & ex cap. 7. & ex vlt. de Clerico excommunicato.

21 Siluester v. *Excommunicatio.* 4. num. 4. Felinus in cap. *Inquisitionis.* de Accusationibus, num. 6. & Nicolaus Plonius partem negatiuam tradunt, & *Suarez. Ægidius.* non absque probabilitate, vt fatentur Suarez disp. 4. sect. 2. & Ægidius disp. 18. num. 6. quia ex nullo Iure dicta incapacitas deducitur, quia in dicto cap. *Cùm bonæ.* tantùm est sermo de absolutè suspensis, & perseuerantibus per triennium in suspensione, imò ex eo non constat tales suspensos esse inhabiles, sed tantùm esse expoliandos beneficijs anteà possessis, & tunc acquisitis; & in c. 7. de Clerico excommunicato, tantùm est sermo de excommunicatis; ex cap. verò vltimo eodem titulo, & ex cap. 2. de Clericis pugnantibus, ad summum deducitur, beneficium illicitè conferri irregulari, & collationem esse irritandam.

Vnde irregularis multò minùs est priuatus beneficijs ante irregularitatem obtentis, in quo Doctores conueniunt; quia hæc priuatio ex nullo Iure deducitur: imò ex cap. *Clericis.* 5. Ne Clerici vel Monachi, deducitur, Clericum ob irregularitatem ex mutilatione membrorum prouenientem, non esse ipso facto priuatum, sed priuandum, & consequenter multò minùs ob irregularitatem ex alijs causis. Vnde beneficiarius irregularis licitè retinet beneficium, quousque à Iudice priuetur, dum possit per se aut per alterum exercere officium beneficio annexum.

De alijs verò peculiaribus effectibus aliquarum irregularitatum dicemus, quando per eas sigillatim discurremus. 22

DIFFICVLTAS VI.

A quo feratur Irregularitas.

CONueniunt communiter Doctores, nullam esse latam seu impositam irregularitatem, nisi à Iure humano Ecclesiastico; quod satis indicatur in cap. *Is qui.* 18. de Sententia excommunic. in 6. dum dicitur, nullam incurri irregularitatem, nisi sit expressa in Iure. Et sanè nulla est lata Iure naturali, vt patet: nec Iure diuino; quia non veteri, quia Ius diuinum vetus cærimoniale, quo nonnullæ erant irregularitates, morte Christi cessauit; nec nouo gratiæ, quia de eo nullatenus constat.

Irregularitas ergo solo Iure humano Ecclesiastico fertur, & non nisi Papali; quia à nullo Episcopo inferiore legitur Iure lata. Imò eam Iure ferre, reseruatum est Papæ, vt perpetuus Ecclesiæ vsus ostendit, & satis congruenter; quia irregularitas est grauissimum malum, & perpetuum, & ex sui institutione ob solam indecentiam ferenda, non in pœnam; ac proinde fuit maximè conueniens, vt Iure, quo solo executioni mandatur, à solo Papa feratur. 23

Est tamen difficultas, An irregularitas ferri & imponi possit per sententiam à Iudice Papa inferiore.

Scotus in 4. dist. 25. quæst. 1. & Gabriel lect. 9. in can. lit. D. partem affirmatiuam tuentur, quia ex vna parte Iudices non sunt Iure aliquo impediti ad sic ferendam irregularitatem, & ex altera irregularitas non est malum adeò graue, vt excedat meritum cuiuscumque delicti. *Scotus. Gabriel.*

Sotus verò in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. Suarez disp. 40. sect. 4. Auila par. 7. disp. 1. in fine, & communiter Doctores partem negatiuā tradunt, quod vsus Ecclesiæ ostendit; quia numquam legitur lata sententia, qua à Iudice inferiore imponatur irregularitas, & satis congruenter; quia irregularitas non est instituta vt pœna ad puniendū delicta, sed vt impedimentum, ad euitandam indecentiam; ad Iudices autem inferiores per sententiam non tam pertinet indecentias vitare, quàm punire delicta. *Sotus. Suarez. Auila.*

Iudices ergo Papa inferiores, etiam Episcopi, ad ferendam irregularitatem tam per sententiam quàm per Ius, impediti sunt Iure Papali non scripto, sed viua voce aut aliter tradito. 24

DIFFICVLTAS VII.

Qui possint Irregularitatem contrahere.

25 CONueniunt Primò Doctores, inhabilem ad validè susciendum Ordinem, vt feminam, & quamcumque personam non baptizatam, non posse irregularitatem contrahere; quia irregularitas est quædam priuatio prohibitiua susceptionis Ordinum & exercitij susceptorum: qui autem incapax est Ordinum, nequit priuari susceptione nec exercitio eorum; quia priuatio supponit subiectum capax formæ cuius est priuatio: irregularitas verò est, qua quis est extra regulam in qua esse poterat.

Conueniunt Secundò, omnem habilem ad validè susciendum Ordinem, etiam Episcopum (excepto Papa) posse irregularitatem contrahere, quia ex vna parte est capax prohibitiuæ priuationis susceptionis Ordinis, & exercitij Ordinis susceptí; & ex altera parte quicumque, excepto Papa, est omnino subiectus Iuri Pontificio, quo irregularitas fertur. Excepimus Pontificem, quia quamuis sit subiectus Iuri suo quoad vim directiuam, non tamen quoad vim coactiuam, nec quasi coactiuam; irregularitas autem, quamuis sit prohibitio, quia tamen non est pura, sed pœnalitas quædam, & malum quoddam, pertinet ad vim coactiuam.

26 Est tamen difficultas, An Episcopi comprehendantur Iure generali quo fertur irregularitas.

Maiolus. Maiolus lib. 4. de Irregularitate, cap. 1. num. 7. negat eos comprehendi, quia in c. *Quia periculosum.* 4. de Sententia excommunicationis, in 6. decernitur, Episcopos non teneri Iure generali ferente suspensionem aut interdictum.

Suarez. Suarez verò disp. 4. sect. 7. affirmat, & meritò: quia nullo Iure excipiuntur ab incurrendo irregularitatem, imò nec ab incurrendo excommunicationem, quamuis Iure dicti cap. excipiantur ab incurrendo suspensionem & interdictum, quæ Iure generali feruntur, quæ sunt distincta ab irregularitate & ab excommunicatione.

DIFFICVLTAS VIII.

Quæ excusent delinquentem ab Irregularitate lata ob delictum.

27 SVpponimus, ea omnia quæ excusant opus delicti à culpa mortali, excusare delinquentem ab irregularitate ob illud delictum lata. Ita Auila *Auila.* disp. 1. dub. 7. & Ægidius disp. 18. dub. 4. quia *Ægidius.* irregularitas quæ fertur ob delictum, non incurritur nisi ob delictum mortale. Vnde ignorantia inuincibilis, & defectus plenæ aduertentiæ & considerationis, siue Iuris ob cuius violationem fertur irregularitas, siue facti quo dictum Ius violatur, excusant ab irregularitate, quia excusant à culpa mortali: & etiam metus mortis, aut infamiæ, aut alius nocumenti grauis, excusat ab irregularitate annexa operi prohibito Iure tantùm humano, quia tunc metus cuiuscumque nocumenti grauis excusat opus à culpa, saltem à mortali.

Est tamen difficultas, An quis incurrat irregularitatem latam ob opus etiam Iure naturali prohibitum, vt ob homicidium, quando inuincibiliter ignorat, tale opus esse Iure humano Ecclesiastico prohibitum.

Nauarrus cap. 27. num. 16. Sanctius l. 9. disp. 3. & Ægidius num. 29. docent, eum, qui delinquens ignorans inuincibiliter id esse contra Ius Ecclesiasticum, non incurrere irregularitatem; quia irregularitas lata ob delictum, tantùm fertur ob contumaciam inobedientiæ Ecclesiæ; qui autem ignorat inuincibiliter delictum esse ab Ecclesia prohibitum, non est Ecclesiæ inobediens seu contumax: imò addunt, non incurrere irregularitatem qui ignorat inuincibiliter eam esse delicto annexam, quamuis sciat delictum Iure Ecclesiastico prohibitum.

Et ob rationem dictam, si efficax est, non incurret irregularitatem, qui non considerat seu aduertit actu, delictum esse contra Ius Ecclesiasticum, etiamsi habitualiter sciat; imò & qui non considerat ei delicto esse annexam irregularitatem, quam Ægidius tenetur admittere, iuxta illud quod docuit disp. 13. num. 93.

Sotus verò in 4. dist. 22. art. 2. Vasquez de Excommunicatione dub. 16. & Suarez disp. 4. sect. docent, eum qui committit delictum etiam Iure naturali prohibitum (vt homicidium) cui est annexa irregularitas, eam incurrere, quamuis ignoret delictum esse Iure Ecclesiastico prohibitum, & meritò: quia homicidium v.g. & quodcumque aliud delictum factum contra Ius naturale, etiam cum omnimoda ignorantia prohibitionis Ecclesiasticæ, ob quod lata est irregularitas, est inuincibiliter tale delictum, v.g. homicidium, autalmeni quamuis in eo delicto non sit contumacia in Ecclesiam, remanet in eo sufficiens indecentia ad suscipiendos Ordines, & ad exercendos iam susceptos, ob quam euitandam fertur irregularitas: sed in eo remanet sufficiens culpa, vt ea pœnalitas infligatur, quamuis irregularitas infligeretur pœna; ergo absque fundamento prærequiritur notitia prohibitionis Ecclesiasticæ ad incurrendam irregularitatem latam ob delictum alio Iure prohibitum.

Addunt prædicti, multò minùs prærequiri scientiam seu notitiam annexionis ipsius irregularitatis ad eam incurrendam, & meritò; quia ea ratione pœnæ aut quasi pœnæ non est, quod sit voluntaria. Quòd autem delictum absque notitia irregularitatis factum, habeat minorem contumaciam seu inobedientiam respectu Ecclesiæ, prorum refert; quia absque ea notitia sufficientem habet contumaciam & indecentiam; est tamen peculiare excommunicationi, & alijs pœnis latæ sententiæ Ordinariorum, quòd probabiliter ignorantes non incurrrantur, quia id est peculiariter dispositum in cap. *Vt animarum.* 2. de Constitutionibus, in 6.

DISPVTATIO II.

De Irregularitate in particulari.

DIFFICVLTAS I.

De Irregularitate proueniente ex delicto illicitæ susceptionis Sacramentorum.

1 CONVENIVNT Doctores, eum, qui scienter baptizatur bis, & qui alium rebaptizat, & qui rebaptizanti ministrat, esse irregulares. De eo qui bis baptizatus est, constat ex can. *Eos quos.* de Consecratione, dist. 4. De ministrante rebaptizanti constat ex cap. *Ex litterarum.* 2. de Apostatis, vbi etiam expressum censetur, ipsum rebaptizantem fieri irregularem eo ipso, quòd ei ministrans ad eum actum fit irregularis, quia ei cooperatur. Irregularitas tamen hæc quoad ministrantẽ rebaptizanti, tantùm est vt nequeat Ordines suscipere, non verò vt nequeat iam susceptos exercere, vt constat ex dicto c. *Ex litterarum.* Et idem est de rebaptizante, quia eodẽ iure fit irregularis quo minister; sed eam non incurrit minister, quando crimen non est publicum, vt patet ex contextu dicti c. Idemque esse de rebaptizante contra communem sententiam Doctorum, docet Panormitanus in dictum c. *Panormit.* quod etiam sentiunt, & non absque ratione, quamuis id non audeant exprimere, Suarez Tractatu de Baptismo disp. 31. sect. 6. dub. 3. Ægidius n. 36. *Suarez. Ægidius.* & Filliucius; quia vterque ex eodem textu & Iure *Filliucius.* fit irregularis. Si ergo minister non fit nisi quando crimen est publicum, nec rebaptizans fiet. Qui verò rebaptizat sub conditione, *si non es baptizatus*, & qui absolutè rebaptizat, sed absque intentione, non fit irregularis, quia neuter rebaptizat: & idem est de eo qui sic rebaptizatur, & de eo qui dictis rebaptismis ministrat.

2 Conueniunt Secundò, baptizatum ab hæreticis, & etiam rebaptizatum ab eis, esse irregulares, vt constat ex can. *Qui in qualibet.* 1. quæst. 7. qui, sicut & alij prædicti, ab irregularitate excusantur ob ignorantiam probabilem, tam facti cui est annexa irregularitas, quàm prohibitionis ipsius facti, & ob necessitatem, & ob quamcumque aliam causam, ob quam excusantur à culpa mortali, vt diximus de omni irregularitate lata ob delictum, Disputat. 1. Difficult. VIII.

Addimus, adultos baptizatos in ægritudine ob periculum mortis non posse Sacerdotes ordinari, ex can. vnico dist. 5. (nisi posteà fides eorum bonâ vitâ probetur, aut nisi sit Clericorum inopia) quæ irregularitas non incurritur ob delictum dilationis Baptismi, sed ob defectum probatæ fidei, vt deducitur ex contextu.

3 Ob iterationem Confirmationis & Ordinis non incurritur irregularitas, vt contra Antonium docent Auila par. 7. disp. 7. dub. 5. Couarruuias & *Auila. Couarru. Henriq.* Henriquez, quia id nullo Iure decernitur, & multò minus ob iterationem consecrationis & aliorum Sacramentorum.

Qui Ordines furtiuè suscepit, obtrudendo se Episcopo pro altero, significando se esse alterum, vt qui curat alterum pro se examinari, & posteà ordinatur, quasi sit qui examinatus est, prohibetur ad alium Ordinem promoueri, in cap. 1. de Eo qui Ordinem furtiuè suscipit: dispensatio tamen illius Episcopo remittitur, nisi quando fuit sub pœna excommunicationis prohibitus sic accedere; quia tunc cum eo nisi iam facto Religioso & post vitam aliquamdiu laudabiliter actam, nequit Episcopus dispensare, vt constat ex dicto cap.

Ille quoque, qui post matrimonium contractum, quamuis non consummatum, vxore inuita sacros Ordines suscipit, est irregularis, vt constat ex Extrauag. *Antiquæ concertationi.* cum quo poterit Episcopus dispensare, si posteà Religionem approbatam profiteatur, vt ex eadem Extrauagante constat.

Variæ aliæ irregularitates, quæ à nonnullis afferuntur ob illicitam Ordinis & aliorum Sacramentorum susceptionem, non sunt admittendæ, quia non satis exprimuntur in Iure.

DIFFICVLTAS II.

De Irregularitate ex illicito vsu Ordinum.

4 CONueniunt Primò Doctores, Clericum exercentem Ordinem quem non habet, esse prohibitum promoueri ad alium Ordinem, & etiam per biennium aut triennium pro arbitrio Episcopi esse prohibitum exercere Ordinem dignissimum quem habuerit, vt constat ex cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato.

Est tamen difficultas, An laicus exercens actum Ordinis fiat irregularis.

Angelus v. *Irregularitas.* 1. num. 38. Sayrus c. 10. num. 6. Henriquez cap. 6. num. 1. & Bonacina disp. 7. quæst. 3. par. 6. num. 1. negant: quia titulus dictis duobus capp. affixus loquitur de Clericis vsurpantibus Ordinem quo carent.

Auila verò disp. 9. sect. 2. dub. 1. & Ægidius *Auila.* disp. 18. dub. 4. affirmant, & meritò: quia dicta *Ægidius.* Iura absque limitatione loquuntur de vsurpante Ordinem quem non habet, titulus autem ipsis affixus est post ipsa Iura lata, & non à ferente illa.

Vt tamen hæc irregularitas incurratur, siue à Clerico siue à laico, requiritur quòd Ordinem, quem vsurpat, exerceat seriò, vt aduertunt Auila & Ægidius, & quòd exerceat illum vt ordinatus, seu solemniter, id est, eo modo quo nequeat à non ordinato exerceri. Vnde laici, qui exercent Ordines minores, quocumque modo eos exerceant, non fiunt irregulares, quia actus eorum Ordinum iam non censentur proprij eorum; nec qui in Missa canit Epistolam sine manipulo, quamuis cum dalmatica: nec qui canit Euangelium absque stola, quamuis cum dalmatica & manipulo: & addit Auila, canentem prædicta cum omnibus requisitis, quamuis peccet, non fieri irregularem, si id non efficiat animo exercendi eum Ordinem, sed supplendi defectum ordinati: & qui baptizat non solemniter, quamuis sit laicus, & extra necessitatem, non fit irregularis, quia Baptismus priuatus non est actus ordinati vt ordinati. Tamen qui non

Sacerdos absoluit Sacramentaliter, sit irregularis,
Auila. vt contra Siluestrum & Ledesmam docent Auila
Ægidius. & Ægidius, quia talis absolutio est actus Ordinis. Qui verò fingens se Parochum, assistit matrimonio, non fit irregularis, quia non exercet actum Ordinis, sed testis qualificati.

6 Conueniunt Secundò Doctores, eum qui excommunicatione maiori, aut suspensione, aut interdicto ligatus exercet suprà dicto modo aliquem actum Ordinis sacri, fieri irregularem, vt constat ex cap. 1. de Sententia & re iudicata, & ex cap. *Is qui.* 18. & ex cap. *Is cui.* 20. de Sententia excommunicationis, in 6. non verò eum qui exercet actum minorum Ordinum, quocumque modo exerceat, vt contra Nauarrum & Siluestrum
Antonin. docent Antoninus, Auila & Ægidius, ob rationem supradictam, quia ex consuetudine desierunt
Auila. esse actus proprij eorum Ordinum: nec eum qui
Ægidius. irregularitate impeditus exercet actum cuiuscumque Ordinis.

Variæ aliæ irregularitates afferuntur pro censura ligatis, & specialiter pro Ecclesiastico excommunicato, qui efficit vt diuina officia coram ipso fiant, sed absque Iure expresso aut efficaci, vt
Ægidius. Ægidius aduertit num. 9.

DIFFICVLTAS III.

De Irregularitate ex hæresi.

7 COnueniunt Doctores, hæreticos etiam post conuersionem non posse ad vllos Ordines promoueri, vt constat ex can. *Saluberrimum.* 1. quæst. 7. & esse inhabiles ad beneficia & officia publica, vt constat ex cap. 2. & ex 15. de Hæreticis, in 6. Nomine autem officiorum publicorum non intelligitur Ordo (quamuis verè sit officium & publicum) tum quia baptizatus non potest fieri inhabilis ad Ordinem, & eius ordinatio nequit esse irrita ab Ecclesia, vt in dictis duobus capp. de Hæreticis supponitur futura collatio beneficij & officij publici; tum etiã quia priùs dicitur illos esse inhabiles ad beneficia, quàm ad officia publica; etsi nomine officiorum etiã intelligeretur Ordo, priùs dicerentur inhabiles ad officia quàm ad beneficia, sicut collatio Ordinis præsupponitur ad collationem beneficij. Et id sensit Sayrus lib 6. cap. 10. &
Sayrus. etiam ille, qui dicto cap. 15. affixit titulum, dum pro verbo *ad officia publica*, posuit *ad officium sæculare*. Et eodem modo dicuntur inhabiles ad beneficia & ad officia publica receptores hæreticorum, & eorum fautores in his quæ pertinent ad hæresim, & descendentes hæreticorum, & receptorum, & fautorum, vsque ad secundam generationem inclusiuè, vt dicitur in dicto cap. 2.

8 Hæc tamen inhabilitas in cap. 15. limitatur quoad descendentes ex prædictis per lineam femineam ad primum tantùm gradum, & etiam limitatur quoad descendentes ex prædictis probatis fuisse tales, & non reconciliatis Ecclesiæ ante mortem, aut non emendatis, ita vt si isti non fuerunt iuridicè probati hæretici, aut si fuerunt, mortui tamen sunt Catholici, aut emendati, eorum descendentes non fiunt inhabiles ad prædicta. Quod est
Henriq. verum, vt contra Auilam dub. 3. docent Henri-
Ægidius. quez cap. 5. & Ægidius dub. 7. quamuis prædicti moriantur relaxati brachio sæculari; quia textus absolutè loquitur, & absolutè excipit descendentes reconciliatorum. Nec fiunt inhabiles descendentes prædictorum morientium absque emendatione, si nati fuerunt ex eis quando erant Catholici, & non fautores, nec receptores, vt contra nonnullos aduertit Sayrus lib. 7. cap. 10.

Et quamuis Doctores communiter doceant, descendentes hæreticorum non reconciliatorum esse prohibitos ordinari ex dictis capit. 2. & 15. ex eis tamen difficilè deducitur, vt aduertit Sayrus lib. 6. cap. 10. quia in eis tantùm dicuntur inhabiles ad beneficia & ad officia publica, quorum nomine diximus non comprehendi Ordinem. Et ob eamdem rationem difficile existimamus, fautores & receptores hæreticorum, & eorum descendentes esse prohibitos ordinari; si ex aliquo Iure, maximè ex Iure dictorum capp. in eis tamen tantùm dicuntur inhabiles ad beneficia & ad officia publica.

Bulla autem Pauli IV. relata à Nauarro lib. 3. Consiliorum, tit. de Iudæis & Sarracenis, cons. 1. in qua descendentes ex Iudæis vel ex hæreticis vsq. ad quartam generationem prohibentur sacris Ordinibus initiari, & Bulla Gregorij XIII. qua id extendit ad descendentes ex Sarracenis, non fuit in vsu, vt aduertit Auila disp. 4. dub. 3.

Clerici tamen conuersi ab hæresi non possunt ad superiorem Ordinem promoueri, vt patet ex dicto can. *Saluberrimum.* possunt tamen absque dispensatione aliqua suis Ordinibus vti (quidquid nonnulli dicant) vt ex eodem can. deducitur.

DIFFICVLTAS IV.

De Irregularitate ex delictis infamibus.

COnueniunt Primò Doctores, per crimina, quibus Iure Canonico, imò & ciuili (cui non resistit Canonicum) annexa est ipso facto infamia, vt sunt crimen læsæ Maiestatis, vsuræ, duelli, & persecutionis hostilis Cardinalium, incurri irregularitatem, quia talibus criminibus delinquentes vocantur infames in Iure: infames autem prohibentur ad Ordines promoueri, can. *Infames.* 3. quæst. 1. & etiam incurri similem irregularitatem per crimina enormia, vt per adulterium, furtum, sacrilegium, & plura alia, de quibus partim generaliter, partim specialiter fit mentio in dicto can. & in cap. vltimo de Temporibus ordinat. quia illi criminosi etiam fiunt infames, non tam Iure quam facto. Imò, vt contra nonnullos docent Suarez disp. 48. & Filliucius Tract. 9. cap. 8. quæstio 3. etiam incurritur ob quodcumque peccatum mortale, quamuis non enorme, quia per quodcumque fit quis infamis, vt constat ex can. *Illi qui.* 6. quæst. 1.

Ad incurrendam autem dictam irregularitatem per dicta crimina, quibus Iure non est ipso facto imposita infamia, requiritur, quòd sint notoria, siue confessione rei in iudicio, siue sententia declaratoria irreuocabili, siue notorietate facti, quando scilicet crimen ita euidens fuit maiori parti vicinia, aut Collegij (in quo Collegio, aut in qua vicinia ad minus habitant decem) vt nulla possit tergiuersatione celari, vt deducitur ex dicto cap. vltimo de Temporibus ordinat. dum excipitur homicidium, vt ex eo, quamuis occulto, oriatur irregularitas (& meritò excipitur, quia ex eo etiam ratione sui, seclusa infamia, oritur irregularitas.)

Requi-

Requiritur autem dicta notorietas, vt ex eis oriatur irregularitas, quamuis absq; ea notorietate, quando sunt publica, infament, quia id fuit expediens ad excusandas lites, & scrupulos: imò dicta notorietas requiritur communiter à Doctoribus contra Suarez & Filliucium, ad incurrendam dictam irregularitatem per ea crimina quibus Iure imposita est ipso facto infamia, & satis congruenter; quia etiam ipsa infamia communem requirit opinionem, imò Ius ipsum indicatum in dicto cap. vlt. pro his criminibus non est contentum eorum publicitate, sed requirit dictam notorietatem, ob eamdem rationem.

13 Excipimus tamen ea crimina, quibus ratione sui, secluſa infamia, est annexa irregularitas, quia ob hæc, quamuis occulta, incurritur irregularitas; quia imponitur ob talia peccata absolutè & secundùm se, & sunt talia absolutè & secundùm se, quamuis sint occulta, qualia sunt homicidium iniustum, rebaptizatio, & ministratio Sacramentorum, quando ministrans est aliquâ censurâ ligatus. Crimen tamen hæresis, quamuis non solùm ratione infamiæ, sed etiam ratione sui habeat annexam irregularitatem & inhabilitatem, eam non inducit, si non sit publicum; quia ita disponitur Iure speciali, indicato in supradicto can. *Saluberrimum.* & in supradictis c. 2. & 15. de Hæreticis, *Henriq.* in 6. vt contra non paucos aduertunt Henriquez *Auila.* cap. 8. & Auila disp. 4. dub. 2. imò Sayrus lib. 7. cap. 11. ad id requirit in hæresi prædictam notorietatem.

Conueniunt Secundò Doctores, etiam incurri dictam irregularitatem ob infamiam inflictam à Iudice per sententiam, & etiam ob infamiam ex publica punitione corporali, vt ex publica verberatione, & ob infamiam ex officio, aut ex quacumque alia causa prouenientem, vt constat ex dicto cap. *Infames.*

14 Est tamen discrimen inter irregularitatem incursam ob crimina, quibus Iure ipso annexa est infamia ipso facto, & prouenientem ex sententia & ex publica punitione corporali, & ex officio ex vna parte, & inter irregularitatem ob infamiam prouenientem ex delicto enormi, & (secundùm nostram sententiam) ex quocumque peccato mortali, quibus Iure ipso non est annexa infamia ipso facto, quamuis criminosus ob illa, quando sunt publica, infametur, quamuis infamia insufficiente ad dictam irregularitatem, quando non sunt dicto modo notoria, quòd prior irregularitas non cessat, nisi dispensatione superioris, aut ablatione infamiæ facta à Principe, siue sæculari siue Ecclesiastico, pro qualitate infamiæ; quia ea irregularitas prouenit ex infamia, quæ quia lata est ob
15 crimen semel factum, aut officium semel exercitum, aut ob punitionem publicâ semel inflictam, semper ex se perseuerat, & consequenter etiam irregularitas ob illam incursa: posterior verò irregularitas cessat pœnitentia, siue mutatione vitæ publicè nota, vt ex dicto cap. vltimo deducitur, quia ea vitæ mutatione cessat infamia ob quam irregularitas fuit incursa & conseruabatur, quia solùm prouenie bat ex ipsis delictis, quatenus fœdabant delinquentem, quod deletur mutatione vitæ publicè nota.

DIFFICVLTAS V.

De Irregularitate ex homicidio iniusto, aut ex iniusta mutilatione ex proposito factis.

COnueniunt Primò Doctores, eum, qui ex proposito occidit hominem, aut eum mutilat, id est membrum aliquod illius abscindit, esse irregularem, vt constat ex tit. de Homicidio, in 6. & in Decretalibus.

Dicitur autem quis ex proposito & non à casu 16
occidere aut mutilare, vt optimè Vasquez 1. 2. *Vasquez.*
d. 100. num. 39. & communiter Doctores aduertunt, quando quis directè intendit homicidium aut mutilationem in ipsis, aut in causa cum qua homicidium aut mutilatio inseparabiliter coniungitur, vt quando quis alicui propinat venenum, aut apponit aliam causam proximam sufficientem morti aut mutilationi, præuidens aut suspicans mortem inde aut mutilationem euenturam, quia iste moraliter æquiualet intendenti ex proposito, seu directè mortem aut mutilationem.

Et non solùm qui occidit aut mutilat est irregularis, quando id facit solus, sed etiam quando cooperatur cum altero ad id, quia etiam est verè homicida aut mutilator: ac proinde, quando duo ita percusserunt aliquem, vt vtriusque percussione fuerit occisus aut mutilatus, vterque est irregularis, quamuis neutrius percussio seorsim esset sufficiens; quia tunc vterque est verè homicida. Si tamen alter ita percussit, siue leuiter siue lethaliter, vt percussio ab eo facta non adiuuerit ad mortem aut mutilationem aliunde prouenientem, nec vt citiùs contingat, non est irregularis. si tamen adiuuit vt citiùs contingat, quamuis percussio
17 fuerit leuis, est irregularis, si id præuidit aut suspicatus est; quia tunc verè influit in mortem aut mutilationem; qui autem cooperatur ad mortem, percutiendo saltem vt citiùs contingat, est irregularis ex homicidio ex proposito, si id directè intendit, & etiam qui cooperatur ad mortem, auxiliando ad eam ex intentione, siue auxilietur tenendo instrumentum, siue illud præbendo occidenti.

Ita tamen ob homicidium aut ob mutilationem incurritur irregularitas, vt ad eam incurrendā non sufficiat voluntas efficax occidendi aut mutilandi, non secuto effectu, in quo Doctores conueniunt; nec sufficiat ex animo occidendi aut mutilandi apponere medium, adhuc vulnerationem, vt contra Maiolum, & alios paucos docent communiter Doctores, quia id non est occidere aut mutilare, ob quod tantùm lata est irregularitas. Vnde, vt optimè Ægidius disp. 18. num. 60. ille, qui ali- *Ægidius.*
quem lethaliter vulnerauit, non est irregularis, quando sic vulneratus aliàs torme̅to aut aliter discerptus ita subitò occiditur, vt ratione prioris vulneris non moriatur citiùs: & ita requiritur homicidium ad irregularitatem, vt non sufficiat de-
18 structio aut aborsus procuratus fœtus nondum animati; & ita ad irregularitatem requiritur mutilatio, seu membri abscissio, vt non sufficiat efficere membrum omnino inutile. Dicitur autem membrum, vt contra Caietanum & Sotum docent Nauarrus cap. 27. num. 206. Couarruuias in *Nauarrus.* Clementina, *Si furiosus.* part. 3. §. 8. Ægidius *Couarru.* *Ægidius.*

disp. 18. dub. 8. & communiter Doctores, non quælibet pars, quamuis specialem habeat operationem cum membro principali, vt habet digitus, & auricula, & nasus, sed tantùm illa pars, quæ ratione sui habet distinctum officium in corpore, vt manus, pes, oculus, vt indicat Apostolus 1. ad Cor. 12. dum de membris ait: *Omnia autem non eumdem actum habent.* quia his verbis supponit, membrum esse, quod in corpore habet distinctum officium. Et id etiam supponitur in Iure, dum in cap. 2. de Clerico ægrotante, Clericus, cui dimidia palmæ abscissa erat cum duobus digitis, dicitur debilitatus, & habere membrum deformatum; quia his verbis indicatur digitos non esse membra, cùm dicatur habere membrum deformatum, & non dicatur amisisse membra, & mutilatus, quod dicitur de eo qui amiserat manum in cap.
19 *Exposuisti.* 6. de Corpore vitiatis. Vnde qui abscindit digitum alterius, aut alterum castrat, non est irregularis, quia non est mutilator membri: nihilominùs, qui sibi abscindit digitum, imò & partem notabilem digiti, & qui se ipsum castrat, aut se castrare permittit, est irregularis, ex peculiari dispositione Iuris in can. 5. & 11. dist. 55.

Qui autem percutit, aut aliam apponit causam occisioni aut mutilationi, præuidens aut suspicans mortem aut mutilationem, fit irregularis effectu secuto, quamuis ante effectum pœniteat facti, & conetur effectum impedire, quia verè est iniustus homicida aut mutilator.

DIFFICVLTAS VI.

De Irregularitate ex mandato, aut ex consilio, aut ex incitatione ad homicidium iniustum, vel mutilationem iniustam.

20 COnueniunt Doctores, eum, qui mandando, aut consulendo, aut incitando, aut sua præsentia vel aliter animando, concurrit ad iniustum homicidium aut mutilationem iniustam, effectu secuto esse irregularem, vt constat ex can. *Si quis viduam.* dist. 50. & ex cap. *Sicut dignum.* 6. de Homicidio, & ex alijs Iuribus, quia verè & positiuè est reus homicidij, aut mutilationis, quoad substantiam. Id tamen non est verum (quidquid nonnulli dicant) quando absque mandato, aut consilio, aut incitatione, aut animatione aliàs erat faciendum quoad substantiam: quamuis aliquo ex his quatuor modis animus delinquentis fuerit auctus ad id faciendum, aut inductus ad id faciendum citiùs vel crudeliùs; quia tunc dicto modo cooperans, quamuis sit causa distincti numero actus, non influit in homicidium aut in mutilationem quoad substantiam, sed tantùm quoad modum. Vnde quando multi simul aggrediuntur
21 aliquē, si occidatur, omnes sunt irregulares, quamuis vnus tantùm percutiat; quia reliqui sua aggressione animando & defendendo percutientem, eum adiuuarunt. quod est verum, quidquid dicat Sayrus lib. 7. cap. 4. num. 13. non tantùm quando præmisso consilio, sed etiam quando subitò aggrediuntur, si percutiens aliorum aggressione fuit animatus aut defensus: ac proinde in bello iniusto omnes milites, quamuis sint plura millia, & etiam omnes custodientes sarcinas, fiunt irregulares, quamuis vnus tantùm occidat aut mutilet, quia quilibet assistentiâ aliorum animatur, & custodiâ adiuuatur. Non ergo placet Ægidius num. 92. qui, quando sunt plura millia, id tantùm limitat ad quinquaginta, vel ad centum ex circumstantibus occidentem aut mutilantem.

Ille autem qui suadet absque auxilio & cooperatione mutilationem ei qui intendebat occidere, vt non occidat, non est irregularis, adhuc secuto effectu, vt aduertunt communiter Doctores, quia tunc non peccat. Et idem est, quando suadet mitiorem occisionem ei qui crudeliorem intendebat patrare.

Addimus contra Nauarrum cap. 27. num. 233. & contra Ægidium disp. 18. & contra plures alios, vt optimè Vasquez 1. 2. disp. 100. n. 45. & Henriquez c. 16. mandantem, aut consulentem aliquem vt occidat alterum (& idem est de mutilatione) non esse irregularem, adhuc ex homicidio casuali, etiamsi mandatarius, aut consultarius, seu consilium accipiens, occidatur ab altero quem inuadit, quia in Iure non est lata irregularitas, nisi ob mandatum aut consilium, quo quis mandat aut consulit aliquem, vt vel se ipsum vel alterum occidat, secuto effectu. In præsenti autem casu mandans aut consulens non mandat nec consulit inuadentem occisionem ipsius, sed alterius, sicut nec mandatarius aut consultarius se ipsum occidit (quamuis constituatur in occasione & periculo vt occidatur ab altero, & ob id peccet contra fortitudinem, quando id timet prudenter) quia verè non apponit causam ex se ordinatam ad homicidium, & independentem à voluntate alterius, quod erat necessarium vt diceretur se ipsum occidere.

Obseruandum est, vt aduertit Ægidius disp. 14. num. 180. mandantem, & etiam consulentem, qui ita efficaciter reuocat mandatum aut consilium, vt mandatarius aut consultarius iam non moueatur mandato aut consilio, non incurrere irregularitatem ob homicidium aut mutilationem, factam à mandatario aut à consultario, quamuis mandatarius aut consultarius id perpetret, motus vel quia iam id semel decreuit, vel alio motiuo motiuo; quia tunc mandatum aut consilium non influit in delictum (quamuis fuerit aliquis occasio, quando fit, quia semel decretum fuit) quia tunc delictum non procedit ex voluntate illi, cuius ipse mandans aut consulens fuit causa; tunc autem mandans reuocat efficaciter mandatum supradicto modo, nempe vt exinde non moueat, quando mandatario seriò notificat reuocationem, quia in mandato agitur res mandantis, & in eius gratiam, & vt ei placeatur; ac proinde cognita oppositâ voluntate mandantis, eius mandatum desinit esse & mouere. Consulens verò regulariter (quamuis non semper) reuocat efficaciter consilium supradicto modo, quando sufficienter impugnat rationes, quibus persuasit, aut oppositum simpliciter, vel rationibus suadendo, si simpliciter consilio absque ratione persuasit. Quòd si mandans aut consulens nequeat efficaciter reuocare mandatum aut consilium, erit irregularis, effectu secuto, & ante executionem effectus tenebitur ex iustitia ad cauendum effectum, nempe mortem aut mutilationem, siue monendo eum cui imminet periculum, siue aliter, vt fugiat damnum quod ipsi imminet.

DIFFI-

DIFFICVLTAS VII.

Vtrùm ob ratihabitionem homicidij (& idem est de mutilatione) incurratur Irregularitas.

25 PRocedit hæc difficultas de ratihabitione homicidij facti nomine ratihabentis, seu in gratiam illius, quia aliter certum est non incurri.

Nauarrus. Nauarrus cap. 27. num. 233. quem non pauci sequuntur, partem affirmatiuam tuetur; quia dicta ratihabitio retrotrahitur, & æquiparatur mandato, vt constat ex Reg. 10. Iuris, in 6. sed ob mandatum homicidij incurritur irregularitas, ergo etiam ob dictam ratihabitionem.

Couarru. Henriq. Ægidius. Couarruuias verò 2. part. §. 1. num. 4. (quem sequuntur Henriquez lib. 14. cap. 16. & Ægidius disp. 18. num. 72.) partem negatiuam tradit, & meritò: quia ratum habens homicidium non est causa illius, cùm supponat illud iam factum; irregularitas autem hæc tantùm est contra eos qui sunt causa homicidij.

26 Quod autem in dicta Regula 10. dicitur, ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari, est verum quoad culpam; & ideò etiam potest ei comparari quoad pœnam, si superior velit, vt verè voluit respectu percussionis Clerici factæ in gratiam ratihabentis, quoad pœnam excommunicationis, in cap. *Cùm quis.* 23. de Sententia excommunicationis, in 6. quoad pœnam verò irregularitatis non est ita præscriptum in Iure.

DIFFICVLTAS VIII.

De Irregularitate ex homicidio, aut ex mutilatione iniusta à casu factis.

27 ILle dicitur à casu & præter intentionem occidere aut mutilare (quamuis voluntariè) quando id non intendit directè, nec vult causam cum qua inseparabiliter coniungitur, sed quando vult causam ex qua euenit mors aut mutilatio contingenter & seperabiliter, & non appositam ex intentione mortis aut mutilationis.

Conueniunt Doctores, ob homicidium casuale (& idem est de mutilatione) quando est voluntarium (id est, quando est præuisum in causa, saltem ex suspicione, & non fuit adhibita prudens diligentia) incurri irregularitatem, vt constat ex cap. vltimo de Homicidio, in 6. & ex alijs capitulis de Homicidio, in Decretalibus, quamuis occidens aliàs det operam rei licitæ; & non incurri irregularitatem, quando occidens habuit ignorantiam aut inaduertentiam inuincibilem, aut probabilem, & homicidium fit dando operam rei aliàs licitæ, vt constat ex cap. *Dilectus.* & ex cap. *Significasti.* 16. & ex cap. *Ioannes.* 23. de Homicidio.

Est tamen difficultas Primò, An incurratur irregularitas ob homicidium factum omnino à casu, seu omnino ignoranter, saltem probabiliter; quando factum fuit dando operam rei aliàs illicitæ, vt illicitæ venationi.

Caietanus 2. 2. q. 64. art 9. Siluester v. *Homicidium.* 2. num. 2. quos non pauci Iuristæ sequuntur, partem affirmatiuam tuentur; quia in dictis capp. *Dilectus.* & *Ioannes.* dicitur, ob quædam homicidia omnino casualia, de quibus in eis fit mentio, non fuisse incursam irregularitatem, cùm non fuerint facta dando operam rei illicitæ; ergo à contrario sensu, si fuissent facta dando operam rei illicitæ, incursa esset irregularitas, quod Nauarrus cap. 27. num. 237. limitat, vt sit verum, quando fit homicidium omnino à casu, dando operam rei illicitæ ex se tendenti ad homicidium, vt dando operam iniustæ verberationi, aut alij percussioni iniustæ, vt deducitur ex cap. vlt. de Homicidio, in 6. 28 *Caietanus. Siluester.*

Henriquez verò lib. 14. cap. 15. & Ægidius num. 80. partem negatiuam tradunt, quam insinuat Vasquez 1. 2. disp. 100. num. 39. & disp. 124. cap. 2. & meritò: quia, vt dicitur in cap. *Is qui.* 18. de Sententia excommunicationis, in 6. irregularitas non incurritur, nisi in casibus Iure expressis, in nullo autem Iure expressum est, homicidam esse irregularem ob homicidium omnino casuale, quamuis factum dando operam rei illicitæ, etiam ex se tendenti ad homicidium, quia in duobus dictis capp. *Dilectus.* & *Ioannes.* adductis ab aduersarijs, tantùm definitur, non esse irregularem ob homicidium omnino casuale factum, non dando operam rei illicitæ. Addendo autem Pontifex *dando operam rei illicitæ*, non supponit à contrario sensu, ob homicidium omnino casuale factum, dando operam rei illicitæ, incurri irregularitatem; tum quia id non addit absque causa, sed ob duas, nempe & quia in casibus sibi propositis ita contigit, & supponebatur; & quia, iuxta doctrinam omnium, certum erat, tunc homicidium non imputari ad culpam: tum etiam, quia argumentum à contrario numquam est efficax, præsertim in materia odiosa, quæ potiùs est restringenda quàm ampliandà, & maximè in materia irregularitatis, quam constat non incurri nisi in casibus Iure expressis. Et in cap. illo vltimo, adducto à Nauarro pro sua limitatione, in quo est sermo de homicidio causato ex verberatione ex se tendente ad homicidium, non est sermo de homicidio omnino casuali, sed formidato, seu suspicato; quia est sermo de homicidio secuto ex verberatione, quam quidam mandauit fieri, & ex qua timuit posse sequi homicidium verberato; quia verberantibus præcepit vt ita eum verberarent, vt non occiderent. Illis ergo verbis dicti cap. *& inde debuit cogitare posse homicidium euenire*, non significatur, id non aduertisse seu cogitasse, aut timuisse, cùm præceperit verberantibus vt non occiderent, sed non ita practicè & efficaciter cogitasse, vt curaret de præcauendo periculo homicidij, quod timuit posse euenire. *Henriq. Ægidius. Vasquez.* 29 30

Ratio autem, ob quam ob homicidium omnino casuale, cuius scilicet nulla præcesserit suspicio aut dubitatio, vt euenire potest, quamuis factum dando operam rei illicitæ, adhuc tendenti ex se ad homicidium, non incurratur irregularitas, est, quia ob homicidium, quod aliquo modo saltem indirectè non est voluntarium seu liberum, non incurritur irregularitas: homicidium 31

dium autem omnino casuale, cuius nulla præcessit suspicio nec dubitatio, vt euenire potest, quamuis ortum ex actu illicito, adhuc ex se tendente in illud, nullo modo est voluntarium, cùm nullo modo sit præcognitum nec in se, nec in sua causa, cognita saltem suspiciosè vt causa.

Nauarrus. Id verò quod addit Nauarrus cap. 27. num. 223. nempe eum, qui percussit aliquem non letaliter, fieri irregularem, si mors sequatur, quamuis ex malo regimine infirmi, aut ex imperitia Chirurgi, falsum est, vt aduertunt Suarez disp. 45. sect. 6. & Ægidius num. 86. quia quamuis percussio illa sit occasio, vt ex intemperantia, aut ex labore percussi, aut ex vento, corrumpentibus vulnus, aut ex medicamine nociuo applicato, percussus moriatur; est tamen occasio adeò remota, vt ob eam non dicatur percutiens occidisse, nec proximè iuuasse ad mortem, sed tantùm dicatur dedisse occasionem remotam, & ex ea mortem fuisse originatam. Nihilominùs qui vulnus non letale inflixit alicui, dicitur occidisse partialiter, seu iuuasse ad mortem, quando aliud ex se non letale ab alio inflictum superuenit, & ex vtroque vulneratus moritur: imò quando superueniens est ex se letale, si primum iuuauit ad citiùs moriendum; & ideò vterque est irregularis, si vterque quando vulnerauit, timuit posse inde mortem euenire.

Suarez Ægidius.

32 *Sayrus. Auila.* Id tamen quod addunt Sayrus lib. 7. cap. 4. & Auila disp. 6. sect. 3. dub. 2. nempe eum esse irregularem, qui præbet arma sciens, aut timens esse ad iniustè occidendum, quamuis verum existimemus, quando ea præbet ex intentione homicidij, quia tunc verè dicitur occidere iuuando ad illud, imò id pertinet ad homicidium ex proposito, quia assumit medium vtile ad occisionem ex intentione occisionis; id tamen difficile existimamus, quando ea præbet absque intentione homicidij: quia tunc non dicitur occidere, nec ad id iuuare, quia tunc tantùm tribuit arma quibus occidens posset benè & malè vti absque intentione mali vtus, quod non pertinet ad homicidium absque dicta intentione; quia ita est vtile ad homicidium, vt etiam sit vtile ad alia bona; & ad summum id tantùm est peccatum scandali passiui, & contra iustitiam secundariè, & non obligans ad restitutionem damni.

DIFFICVLTAS IX.

Vtrùm ob permissionem homicidij (& idem est de mutilatione) incurratur Irregularitas.

33 COnueniunt Doctores, non esse irregularem eum, qui permittit seu non impedit homicidium, quando non tenetur impedire, vel quia non potest impedire, aut quia, si potest, non potest absque graui incommodo, vel aliter. Est ergo difficultas, An sit irregularis, quando impedire tenetur, quia potest, & absque graui incommodo, & absque alio titulo excusante.

Non desunt, qui generaliter affirment, eum esse irregularem, quamuis permittat, seu non impediat absque dolo (id est, absque desiderio homicidij) quia tunc permittenti seu non impedienti homicidium est voluntarium. Id tamen limitant Couarruuias 2. par. §. 1. num. 2. & Angelus v. *Homicidium.* 1. num. 17. vt tantùm sit verum, quando non impedit ex dolo; Auila verò disp. 6. sect. 2. dub. 7. id limitat, vt tantùm sit verum, quando non impediens tenetur ex iustitia.

Couarru.

Antoninus verò 3. par. titul. 28. cap. 2. Tabiena v. *Irregularitas.* 1. §. 2. & Vasquez in manuscripto generaliter docent, non impedientem homicidium iniustum, non esse irregularem, etiamsi teneatur ex iustitia, & quamuis ex dolo non impediat, & meritò: quia etiamsi iste non impediens influat moraliter & voluntariè in homicidium, & sit causa moralis seu voluntaria homicidij, quod non impedit; non tamen est causa positiua positiuè influens, nec opere aliquo, nec auxilio, nec consilio: in Iure autem non fertur irregularitas, nisi contra verè & positiuè, homicidas saltem, consilio aut animatione, non contra non impedientes homicidium. Quod etiam est verum, quamuis occidens id efficiat ad vindicandam iniuriam, illatam non impedienti, quamuis non contradicenti verbis ei qui occidit; quia etiam tunc permittens seu non impediens non influit positiuè.

DIFFICVLTAS X.

Vtrùm ob homicidium necessarium, seu in defensionem factum, incurratur Irregularitas.

POst Clementinam *Si furiosus.* de Homicidio, conueniunt Doctores, eum, qui se inuadentem occidit pro defensione propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ (id est, quando occidere inuadentem est necessarium ad defensionem propriæ vitæ) non esse irregularem, vt constat ex d. Clementina, quia tunc licitè occidit: quod est verum, etiamsi inuadens sit furiosus & mente captus, quia etiam tunc licitè occidit. In Tridentino verò sess. 14. cap. 7. de Reformatione, vbi supponitur, ob homicidium factum in defensionem propriæ vitæ, incurri irregularitatem, tantùm est sermo de homicidio in defensionem ad ipsam non necessario, ac proinde grauiter culpabili.

Prædictam doctrinam veram existimamus, quamuis occidens dederit occasionem alteri vt ipsum inuadat, vt adulterando cum vxore inuadentis, aut ei dicendo verbum contumeliosum, vt contra Nauarrum lib. 5. Consiliorum, consilio 33. & contra alios docent Sotus 5. de Iustitia, quæst. 1. art. 5. & Auila disp. 5. sect. 3. dub. 1. quia etiam tunc occidens licitè occidit, si nequit aliter se defendere: ob homicidium autem licitè à priuata persona factum non incurritur irregularitas, vt optimè aduertit Couarruuias parte 3. §. vnico, & Suarez vbi suprà, & significatur in Iure, vt Suarez expendit.

Quam doctrinam etiam veram existimamus, quamuis homicidium tantùm fiat in defensionem priorum bonorum temporalium, siue honoris, siue diuitiarum magni momenti, aut vitæ innocentis, vt contra Auilam dub. 4. & contra Nauarrum docent Suarez disput. 46. sect. 2. num. & 3. & Ægidius disp. 18. dub. 9. quia licitè sit. Ægid. Quod

37 Quòd si ob homicidium factum in defensionem propriorum bonorũ magni momenti, non incurritur irregularitas, quia licitum est; multò minùs incurretur, quando fit ne occidens mutiletur, aut aliter grauiter vulneretur, quia tunc non minùs licitè fit. In dicta verò Clementina tantùm declaratur esse immune ab irregularitate homicidium factum in defensionem propriæ vitæ, quia id esse licitum, erat certum apud omnes.

Obseruandum est, vt benè Suarez & Ægidius, occidentem, qui non potuit euitare occisionem inuadentis iniustè, nisi fugiendo magno cum dedecore (vt solet esse sæcularibus non Ecclesiasticis, præsertim Nobilibus) non esse irregularem; quia tunc non tenetur cum tanto detrimento proprio vitare mortem iniustè inuadentis, nisi quando inuasus dedit causam grauem inuasioni, vt quando adulterio aut verbis contumeliæ incitauit iniuriatum ad inuasionem.

DIFFICVLTAS XI.

De Irregularitate ex defectu lenitatis in Iudice, & in eius Officialibus.

38 COnueniunt Doctores, Iudicem proferentem sententiam sanguinis (id est mortis, aut mutilationis) & omnes ministros iustitiæ ad eam publica auctoritate cooperantes, vt accusatorem, testem, Aduocatum accusatoris, & eius Procuratorem, & Tabellionem, fieri irregulares sententiâ executioni mandatâ, vt supponitur in can. 1. dist. 51. & in cap. 3. Ne Clerici vel Monachi, in 6. & in cap. 2. de Homicidio, in 6. quod etiam ex vsu & praxi communi constat: & etiam omnes alios ministros ad executionem sententiæ physicè concurrentes, vt sunt lictores, & focum struentes ad comburendos viuos, vt deducitur ex dicto cánone, & constat ex communi praxi & vsu.

39 Illi tamen qui vendunt aut donant ligna ad viuos comburendos, & gladios, & funes, & alia instrumenta ad interficiendos delinquentes, non sunt irregulares, nec qui furcam erigit, vt aduertit Ægidius num. 92. nec famuli qui à Notario dictata scribunt; quia nullus ex prædictis concurrit ad prædicta iniustè, neque vt minister iustitiæ. Quod etiam verum existimat de eo, qui donat aut vendit arma militi eunti ad bellum. Et idem docet Sayrus lib. 6. cap. 16. de famulo, qui attulit equum ministro iustitiæ, associaturo reum ad locum mortis; quia scilicet neuter ex dictis concurrit iniustè, neque vt minister publicus, seu iustitiæ. Et ob eamdem rationem, qui siue voce, siue punctione, siue percussione instigat iumentum quo interficiendus vehitur, non fit irregularis, quamuis ex eo mors acceleretur, vt aduertit Henriquez lib. 14. cap. 12. num. 7. & quamuis id ex plena aduertentia efficiat, quia tunc non concurrit ad accelerationem vt minister publicus iustitiæ, sed vt priuata persona, & non iniustè; irregularitas autem ex homicidio non incurritur ob concursum ad illud, nisi aut factum à ministro publico, quamuis iustè, aut factum à persona priuata iniustè. Et ob eamdem rationem de Confessario, & de quocumque alio consulente pœnitentem, Iudicem, & quemlibet alium Officialem publicum, etiam executorem, vt concurrant, & citò, ad interfectionem delinquentis, dicendum est non esse irregularem, etiamsi Confessarius neget illis absolutionem, quia non concurrunt quando tenentur; & multò minùs fieri irregularem Prædicatorem exhortantem Iudices vt puniant delinquentes. Idem quoque dicendum est de quolibet alio idem consulente, non vt assessore, & de quocumque alio priuatim non iuridicè petente à Iudice vt occidat aliquem delinquentem: quod mihi interroganti respondit Vasquez. In dicto enim can. 1. & in alijs Iuribus, in quibus fit mentio dictæ irregularitatis, tantùm est sermo de Iudicibus & alijs Officialibus concurrentibus ad occisionem aut mutilationem, vt publicis personis, & ministris iustitiæ.

Ægidius. *Vasquez.*

Id verò quod addit Ægidius num. 96. nempe testem præcepto Iudicis obligatum, aut graui metu coactum ad testificandum, non fieri irregularem, falsum est, vt optimè Auila disp. 5. sect. 2. dub. 12. quia absque fundamento sufficiente excipitur testis ab irregularitate in eis casibus, & etiam in alijs, in quibus Iure naturali tenetur (quidquid in his dicat Auila) quia quamuis in omnibus prædictis casibus non reperiatur in teste defectus lenitatis formaliter, quia id efficit obligatus aut coactus, reperitur tamen defectus lenitatis materialiter, & indecentia, ob rigorem per se & ex obiecto repertum in cooperatione ad mortem, intuitu cuius indecentiæ lata est dicta irregularitas: sicut etiam fieret irregularis Iudex sua sententia interficiens, aut mutilans, quamuis obligatus & coactus assumeret officium, & ferret sententiam.

Ægidius. *Auila.*

41 Nihilominùs accusator excusatur ab irregularitate, quando accusat ob læsionem factam in propria persona, aut in proprijs bonis, si ante sententiam protestetur, se non accusare ad vindictam, vt deducitur ex dicto cap. 2. de Homicidio, in 6. Et idem est, vt aduertit Ægidius, quando accusat ob læsionem factam eis qui sunt ipsi commissi, aut ei sunt ita propinqui, vt eorum iniuria ad ipsum pertinere censeatur, quales sunt parentes, filij, & fratres: quod etiam est verum, quamuis protestans in eo mentiatur, & verè velit vindictam & interfectionem accusati, quia in Iure ad excusationem tantùm requiritur protestatio, quæ non excusat in teste, nec in alijs Officialibus, quia in Iure id tantùm decernitur pro accusatore.

Ægidius.

42 Clericus tamen habens iurisdictionem temporalem, non fit irregularis ex eo quòd constituat Iudicem pro causis seu criminibus capitalibus, siue in genere pro omnibus, siue in particulari pro aliquo, adhuc in individuo, quamuis sequatur mors, vt constat ex dicto c. 3. Et idem est, & multò veriùs, de Principe laico: quia Clerici quoad hoc non sunt magis exempti quàm laici. Nec fiunt irregulares Ecclesiastici, qui aliquem degradatum, aut hæreseos condemnatum, tradunt brachio sæculari, vt deducitur ex cap. *Nouimus*. 27. de Verborum significatione, ac proinde eorum Officiales multò minùs fiunt irregulares, quia multò minùs cooperantur quàm ipsi Iudices tradentes.

43 Obseruandum est, quòd quamuis Iudex iustè mutilans fiat irregularis, non tamen Medicus aut Chirurgus, quamuis iuxta artẽ mutilet, & quamuis ex eo, aut ex alia curatione, præter intentionem eueniat mors, quamũis sit Clericus; quia irregularitas lata est pro Iudicibus, non pro Medicis aut Chirurgis, quamuis Clericis, etiamsi Clericis in

in sacris constitutis prohibitum sit artem chirurgiæ exercere adurendo vel incidendo, in cap. *Sententiam sanguinis.* 9. Ne Clerici vel Monachi. Medicus tamen aut Chirurgus fiet irregularis ex delicto, si culpabiliter culpa mortali ex imperitia, aut ex negligētia occidat positiuè, aut mutilet.

DIFFICVLTAS XII.

De Irregularitate ex defectu lenitatis in milite.

COnueniunt Doctores, eos, qui in bello iusto offensiuo propria manu occidunt, aut mutilant, esse irregulares, vt supponitur in cap. *Petitio.* 20. de Homicidio; non verò eos qui propria manu id non efficiunt, quamuis pugnent, & sint Clerici, vt supponitur in eodem cap. etiamsi Clericis prohibitum sit pugnare, vt constat ex 23.
44 quæst. 8. can. 6. non tamen est illis prohibitum exhortari milites ad pugnandum, ob quod, etiam secuto effectu mortis, non fiunt irregulares, vt supponitur in dicto cap. *Petitio.* quia id tantùm est animare & exhortari milites, qui sunt publici ministri ad exequendam vindictam, quod non est cooperari vt ministrum publicum, nec illicitè cooperari vt personam priuatam.

Addidimus, *in bello offensiuo*; quia in bello merè defensiuo patriæ, ob interfectionem, adhuc factam à Clericis, propria manu, non incurritur irregularitas: imò in eo bello non est prohibitum Clericis pugnare, nec occidere, vt deducitur ex c. 2. de Immunitate Ecclesiarum.

Addidimus etiam, *in bello iusto*; quia in iniusto omnes pugnantes, aut animantes, aut exhortantes ad pugnam, quamuis non interficiant propria manu, sunt irregulares, si ex suo delicto sequatur mors aut mutilatio in aduersarijs, quia verè cooperantur ad iniustum homicidium aut mutila-
45 tionem. Et ob eamdem rationem sunt irregulares, qui conducunt milites ad tale bellum, quidquid dicat Villadiego; & etiam qui custodiunt sarcinas, quia sic custodiendo expediunt milites qui interficiunt; non verò qui assistunt ob aliquam honestam causam, videlicet vt pacem componant, vel vt confessiones audiant, vel vt curent infirmos, etiamsi ex eo per accidens animus militum augeatur.

DIFFICVLTAS XIII.

De Irregularitate ex defectu Sacramenti.

BIgamia est nuptiarum seu matrimonij duplicatio, quæ dicitur defectus Sacramenti; quia bigamus non perfectè repræsentat Christum qui est vir vnius tantùm Ecclesiæ. Est autem triplex bigamia, alia vera, alia interpretatiua, & alia similitudinaria; & ob quamlibet ex eis incurritur irregularitas, vt constabit ex dicendis.

Vera ergo bigamia contingit, quando quis validè contraxit matrimonium cum duabus: & hanc bigamiam inducere irregularitatem, constat ex toto tit. de Bigamis.

46 Bigamia verò interpretatiua (quæ dicitur *interpretatiua*, quia Iure ipso censetur defectus in matrimonio sufficiens ad inducendam irregularitatem) contingit Primò, quando quis contrahit cum priùs cognita carnaliter ab altero, vt constat ex can. *Curandum.* dist. 34. vbi prædictus dicitur irregularis. Secundò contingit, quando Clericus cognoscit vxorem suam, postquam ipsa commisit adulterium, vt constat ex can. *Si cuius vxorem.* & ex can. *Si laici vxor.* dist. 34. vbi decernitur irregularis, & etiam laicus cuius vxor deprehensa fuit in adulterio, aut fuit euidenter probata adultera. Tertiò contingit, quando quis verum & validum contraxit matrimonium, & postea constitutus in sacris contrahit secundum matrimonium, quamuis inualidè, vt constat ex cap. *Nuper.* 4. de Bigamis, vbi decernitur irregularis, nisi quando secundum matrimonium est nullum defectu consensus seu intentionis, vt deducitur ex ipso contextu: quam irregularitatem communiter Doctores extendunt etiam ad laicum, sed absq; expresso Iure, ob quod Ægidius num. 101. sentit, quamuis timidè, laicum inualidè contrahentem secundum matrimonium, non esse irregularem. Quartò contingit bigamia interpretatiua, quando constitutus in sacris contrahit matrimonium cum vidua, quamuis inualidè, vt constat ex cap. vltim. de bigamis, vbi decernitur irregularis; quod non pauci extendunt ad matrimonium inualidum laici cum vidua, aut cum non vidua corrupta, immeritò tamen, vt aduertunt Henriquez lib. 12. c. 6. n. Auila disp. 8. & Ægidius dub. 11. quia id nullo Iure exprimitur de laico.

Bigamia similitudinaria (quæ non est vera, nec interpretatiua) contingit, quando quis post votum solemne castitatis contrahit matrimonium, quamuis cum virgine, vt constat ex can. *Quotquot.* 27. quæst. 1. vbi decernitur irregularis. Dicitur autem *similitudinaria*, quia assimilatur veræ, quæ committur ob duplex matrimonium, quia per votum solemne castitatis quodammodò contrahitur matrimonium spirituale cum Deo; hæc autem bigamia & irregularitas tantùm habet locum in Religioso, & non in sæculari sacris initiato, vt contra Suarez disp. 49. sect. 6. & contra Ægidium aduertunt non pauci; tum quia in dicto can. *Quotquot.* vbi inducitur, tantùm est sermo de Religiosis; tum etiam, quia aliàs superfluè sæcularibus in sacris constitutis apposita esset irregularitas in decto cap. *Nuper.* quando post vnum matrimonium validum ante ordinationem contractum, post ordinationem contrahunt aliud; quia primum matrimonium non esset necessarium ad irregularitatem, quia sufficeret contrahere post ordinationem; & etiam superfluè apposita esset ea irregularitas in dicto cap. vltimo, quando post ordinationem contrahunt cum vidua; quia ad hanc irregularitatem ex bigamia similitudinaria sufficit contrahere cum virgine, vt patet in dicto can. *Quotquot.* Vterque tamen, tam sæcularis in sacris, quàm Religiosus, qui matrimonium contrahit, incurrit excommunicationem latam ipso facto in Clementina vnica, de Consanguinit. & affinitat.

Obseruandum est, nullum fieri bigamum & irregularé, ex eo quòd contrahat matrimonium, nisi consummetur: nec ex eo quòd contrahat cum ea quæ fuit alteri nupta, nisi etiam fuerit cognita ab illo altero copula sufficiente ad consummationem, vt constat ex cap. *Debitum.* 5. de Bigamis, & ex alijs Iuribus in quibus fertur irregularitas: ad consummationem autem matrimonij requisita est intromissio seminis intra matricem feminæ.

Qui

49 Quia verò irregularitas hæc incurritur ex eo, quòd quis contrahat bis, aut contrahat semel cum corrupta ab altero, aut ex eo quòd cognouerit propriam vxorem post adulterium ab ipsa commissum; ideò ad dispensationem petendam non est necessarium explicare ter aut quater fuisse cõtractum, aut illud factum, vt aduertunt Auila & Ægidius; & quia hæc irregularitas non est ex delicto, sed ex defectu, ideò non excusatur ab ea irregularitate, qui contrahit cum corrupta ab altero, nec qui propriam cognoscit post adulterium, quamuis ignoret corruptionem & adulterium, quidquid dicat Sà v. *Irregularitas ex bigamia.*

Auila. Ægidius.

Incurritur autem hæc irregularitas, quamuis causa bigamiæ sit ante Baptismum incepta, imò & completa, vt constat ex can. *Si quis viduam.* distinct. 34.

Obseruandum est, irregularitatem sæcularis in sacris, & Religiosi contrahentium supradicto modo, non esse ex defectu, sed ex delicto, vt indicatur in dictis cap. *Nuper.* & vltim. de Bigamis, & ex se constat, & ideò ab ea poterunt excusari omnibus quibus actus, ob quem fertur, potest à mortali peccato excusari.

DIFFICVLTAS XIV.

De Irregularitate ex defectu corporis.

50 COnueniunt Primò Doctores, eum, qui adeò defectuosus est in corpore, aut est adeò deformis, aut morbo adeò fœdo affectus, vt nequeat Ordines exercere, siue absolutè, siue sine periculo abutendi, siue sine scandalo, seu nota, siue sine horrore aliorum, esse irregularem ad susciendos Ordines, & post ordinationem ad eum vsum, ad quem est ineptus, vel quem nequit securè, vel sine nota, vel sine horrore exercere, ita constat ex titulo de Corpore vitiatis, & ex titulo de Clerico ægrotante, & ex distinctionibus 36. & 55.

Prædicto autem modo defectuosus est irregularis ad omnes Ordines susciendos, & non tantùm ad eum ad cuius vsum est defectuosus, vt contra Ægidium dub. 13. & contra Valentiam docent Toletus libro 1. cap. 63. & Auila disputatione 3. dub. 1. & deducitur ex can. *Illiteratos.* distinct. 36.

Toletus. Auila.

51 Vnde carens pollice est prædicto modo irregularis, quia absolutè non potest celebrare; & qui habet digitos adeò debiles, vt sine periculo nequeat Hostiam aut calicem eleuare; & qui caret oculo aliquo, aut naso, aut est nimis gibbosus, quia nequeunt absque graui nota ministrare: & ob eamdem rationem qui caret visu sinistro, si nequit nisi turpiter ad Missale conuerti, & qui est nimis leprosus, quia iste nequit absque graui horrore ministrare.

Circa hermaphroditum conueniunt Doctores, eum, in quo prævalet sexus femineus, esse irregularem, quia credi potest ex Christi institutione esse incapacem characteris, sicut feminam; quia non est simpliciter vir, sed tantùm secundùm quid; & idem creditur de eo in quo vterque sexus censetur æqualis; quia est vir secundùm quid, sicut & femina secundùm quid. Est tamen difficultas, An is, in quo prævalet sexus virilis, qui creditur capax characteris, sit irregularis.

Henriquez lib. 14. c. 8. & Auila disp. 3. dub. 5. docent esse irregularem, ob monstruositatem. Toletus verò vbi suprà, & Turrecremata docent, non esse irregularem, & meritò, quia ex nullo Iure deducitur. Quòd autem sit monstruosus, non obstat; quia quamuis sit talis, & publicè notus, potest absque graui nota ministrare, sicut potest eunuchus à natura, & qui in pede habet sex digitos. 52

Henriquez. Auila. Toletus. Turrecremata.

Conueniunt Secundò Doctores, priuatum testiculis & virilibus (quamuis ea non deferat secũ) & quacumque alia parte corporis, adhuc membro, non esse irregularem, si aliàs defectus non impediat vsum Ordinis, aut securitatem in eo, nec afferat notabilem deformitatem, vt constat ex cap. 3. 5. & 7. de Corpore vitiatis, & ex aliis Iuribus.

Quod est verum, vt aduertit Ægidius nu. 108. licet quis patiatur eos defectus sua culpa à Iudice, aut à marito vxoris cum qua inuenitur, aut aliter; secùs est quando quis vitilia, aut testiculos, aut membrum sibi abscindit, aut propria sponte sibi abscindi permittit, vt constat ex canone vndecimo, distinct. 55. imò & qui partem notabilem digiti aut alicuius membri sibi abscindit, aut sibi abscindi permittit, vt contra Sotum 5. de Iustitia quæstione 2. artic. 1. docent communiter Doctores, & constat ex canonibus quinto & vndecimo, distinct. 55.

Ægidius.

Conueniunt Tertiò, eum, cui deficit ætas à Iure requisita, non posse ordinari, vt patet, nec posse Ordinem ante eam ætatem, quamuis bona fide susceptum, exercere, quia susceptio Ordinum in ea ætate prohibetur, vt exactè & decenter exerceantur; ac proinde etiam exercitium prohibetur, & generaliter eo ipso quòd alicui ob aliquem defectum, aut crimen prohibitum est aliquem Ordinem aut aliquos susciperc, etiam est ei prohibitum eum Ordinem aut eos exercere (nisi quando in Iure oppositum significatur) quia Ordinis susceptio prohibetur ob ipsius Ordinis vsum seu exercitium. 53

DIFFICVLTAS XV.

Vtrùm qui fuit à dæmone arreptus, aut in furiam incidit, sit irregularis.

COnueniunt Doctores, eum qui semel fuit à dæmone arreptus, aut in furiam incidit ex cerebri indispositione, numquam posse ordinari, etiamsi liberetur, vt constat ex canonibus tertio, quarto, & quinto, distinct. 33. secùs est de phrenetico aut furioso ex vi morbi, aut vulneris, aut iræ, transeuntium, quia isti statim ac desinunt esse tales, nullatenus sunt irregulares, vt aduertit Auila disputat. 3. dub. 4. & Ægidius dub. 13. imò nec qui morbo caduco laborat, quando præsentit accidens quo impeditur vsus Ordinis, quia tunc morbus iste non expenit periculo abutendi Ordine. 54

Auila. Ægidius.

Quòd si quis post ordinationem à dæmone arripiatur, nequit ministrare, nisi sit omnino liber,

& post vnum annum discretione Episcopi inuentus sit liber, vt decernitur in can. 3. distinct. 33. Qui verò post ordinationem incidit in furiam ex cerebri indispositione, aut in morbum caducum, poterit ministrare, si possit absque periculo cadendi: imò quamuis sit aliquod periculum, si rarò cadat, & non euomat spumas, poterit, adiuncto socio qui possit Missam perficere, si fortè post consecrationem inceptam corripiatur morbo.

55

DIFFICVLTAS XVI.

Vtrùm illegitimus sit irregularis.

COnueniunt Doctores, illegitimum esse irregularem, nisi fiat Religiosus, quia tunc potest ordinari, sed non promoueri ad Prælaturam, vt quoad omnia hæc constat ex cap. 1. de Filiis Presbyterorum. Quod verum est, vt contra Castro docent communiter Doctores, quamuis id sit occultum, vt deducitur ex c. *Nisi cum pridem.* 10. de Renuntiatione.

Dicitur autem illegitimus, qui procreatus est ex parentibus inter quos non erat matrimonium validum. Excipitur procreatus ex parentibus inter quos matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, quod fuit bona fide saltem vnius contractum, & in facie Ecclesiæ, qui est legitimus, vt constat ex cap. *Cum inter.* 2. & ex c. *Ex tenore.* 14. Qui filij sint legitimi: & qui natus fuit illegitimus, legitimatur, si subsequatur matrimonium inter eius parentes, inter quos non erat impedimentum dirimens quando concipiebatur, vt constat ex cap. *Tanta.* 6. Qui filij sint legitimi. Irregularitas hæc ex illegitimatione proueniens, dicitur irregularitas ex defectu natalium.

56

Est tamen difficultas, An in dubio, an quis sit illegitimus, censeri debeat irregularis.

Auila. Ægidius. Auila disp. 3. dub. 10. & Ægidius dub. 12. negant, quia in dubio nemo debet condemnari, nec à se, nec ab alio: imò addunt, filium publicè præsumptum legitimum non teneri credere matri dicenti esse illegitimum, nisi aliæ circumstantiæ id probent.

Vasquez. Couarru. Toletus. Vasquez verò 1. 2 disp. 66. nu. 48. Couarruuias & Toletus lib. 1. cap. 52. affirmant, & meritò; ne se exponat periculo faciendi contra prohibitionem irregularitatis.

Quòd autem dicitur, neminem in dubio esse condemnandum, tantùm est verum de pura condemnatione seu pœna, non verò de condemnatione seu pœna quæ est prohibitio, ob rationem dictam.

57 Vnde expositi censendi sunt irregulares, vt contra dictos aduersarios, & contra alios docent Vasquez & Toletus. *Vasquez. Toletus.*

DIFFICVLTAS XVII.

Vtrùm seruus seu mancipium sit irregularis.

COnueniunt Doctores, seruos seu mancipia non posse ordinari ante manumissionem, vt constat ex distinct. 54 & ex tit. de Seruis non ordinandis. Si tamen seruus ante manumissionem ordinetur domino sciente, & non contradicente, statim fit liber, vt constat ex can. *Si seruus.* distinct. 54. Imò si ordinetur Diaconus aut Presbyter, quamuis domino insciо, fit liber, vt constat ex can. *Ex antiquis.* distinct. 54 quod in can. *Miramur.* 7. de Seruis, etiam extenditur ad Subdiaconum. Episcopus tamen fraudis conscius tenetur duplum reddere domino, & Episcopo ad id tenetur qui Episcopum ad id induxerunt, si fraudis fuerint conscij, vt constat ex can. *Si seruus absente.* distinct. 54. Quòd si nullus præter ipsum seruum sit in culpa, si non sit Presbyter, tenetur vel substitutum conferre, vel iustum pretium, aliàs restituendus est domino in seruitutem: si verò Presbyter sit, priuandus est peculio; & si peculio careat, tenetur satisfacere in ministeriis sui officij, vt constat ex can. *Frequens.* & ex can. *Ex antiquis.* distinct. 54.

DIFFICVLTAS XVIII.

Vtrùm obligatus ad ratiocinia sit irregularis.

COnueniunt Doctores, obligatos ad ratiocinia non posse ordinari ante defertionem officij, & ante rationem redditam, vt constat ex c. vnico de Obligatis ad ratiocinia, & ex can. 3. dist. 54. Dicuntur autem obligati ad ratiocinia, qui exercent officium publicum sæculare, vel administrationem publicam rerum sæcularium, vt Iudices, Tabelliones, depositarij publici, tutores, curatores, & procuratores, qui tenentur rationem reddere vel actionum quas fecerunt, vel rerum quas administrarunt, qui dicuntur Curiales, & sub hoc nomine prohibentur ordinari can. 2. & 3. distinctione 51.

Excipiunt Toletus libro 1. cap. 60. & plures alij, vt ordinari possit deserto officio ante rationem redditam, & qui exercuerunt administrationem circa personam priuatam, vt tutores, in eis obiiciatur coram Iudice fraus, seu dolus. Immeritò tamen eos excipiunt, vt aduerit Sotus disputatione 51. sect. 3. quia in dicto cap. vnic. vt ordinari possint, vtrumque requiritur indistinctè in quocumque officio, ex quo oritur obligatio reddendi rationem, vt patet ex ipso contextu in quo ponitur exemplum in tutore & in curatore.

Prædicti tamen post defertionem officij, & rationem redditam possunt ordinari ante solutionem debiti pecuniarij relicti ex officio; quia soluto nullibi requiritur.

Addidimus, *officium sæculare, vel administrationem rerum sæcularium*; quia Iudices & officiales Episcoporum, & administratores rerum Ecclesiasticarum, imò rerum piarum, quamuis sæcularium, vt sunt res personarum miserabilium, ordinari possunt, in quo Doctores conueniunt, & deducitur ex can. vltimo, distinct. 86. & ex can. 1. distinct. 88.

Vsu tamen receptum est, Consiliarios Regis in tribunalibus ad iudicandas causas ciuiles posse ad Ordines promoueri, & promotos idem officium exercere.

DIF-

DIFFICVLTAS XIX.

De Irregularitate ex defectu animæ.

61 CONueniunt Primò Doctores, neophytos (id est recenter baptizatos in adulta ætate) non posse ordinari, vt deducitur ex can. 1. & 2. dist. 48. & ex can. *Neophytus.* distinct. 61. quod est verum etiam quoad Ordines minores, vt contra Toletum libro 1. cap. 64. & contra alios aduertunt Auila disputatione 4. dub. 4. Suarez & alij, & deducitur ex dicto can. *Neophytus.* Dicitur autem adultus recenter baptizatus (& consequenter neophytus) ille, post cuius conuersionem nondum sunt transacti decem anni; quia iste talis non potest dici conuersus ante multum tempus, sed recenter: potest tamen neophytus, adhuc neophytus, id est intra decem annos, ordinari, si post aliquod tempus sui Baptismi ita profecit in fide & in moribus, vt arbitrio Episcopi sit quasi veteranus Christianus, vt significat Toletus, & deducitur ex dicto can. *Neophytus.* Post decem verò annos à suo Baptismo desinit esse irregularis, sicut desinit esse neophytus.

Auila. Suarez. *Toletus.*

Conueniunt Secundò, illiteratos seu ignorantes non posse ordinari, vt constat ex can. *Illiteratos.* dist. 36. & ex cap. *Cum in cunctis.* 7. de Electione, & ex cap. vlt. de Tempor. ordinat. in 6. & consequenter semel ordinatos, quamuis bona fide, non 62 posse Ordines exercere, quia prohibentur ordinari ob exercitium seu vsum Ordinum, quem illiterati non possunt decenter efficere. Quę autem scientia ad primam tonsuram & ad quemlibet Ordinem prærequiratur, traditur in Tridentino sessione 23. cap. 4. & 13. & 14. de Reformatione.

Trident.

Conueniunt Tertiò, ob pœnitentiam solemnem incurri irregularitatem, vt constat ex can. *Placuit.* & ex c. *Quicumque.* dist. 50. & ex can. *Pœnitentes.* dist. 55. & ex can. *Infames.* causa 6. Quia tamen pœnitentia hæc iam non est in vsu, ideò irregularitas hæc iam non habet locum.

DIFFICVLTAS XX.

Quomodo tollatur Irregularitas.

63 CONueniunt Primò Doctores, in rigore per Baptismum nullam tolli irregularitatẽ, quia ante Baptismum nulla incurritur (quamuis ante ipsum sint defectus, & committantur crimina ob quæ fertur irregularitas contra baptizatos) quia irregularitas est impedimentum Ecclesiasticum, quod nondum baptizatos non afficit, cùm non sint Ecclesiæ subiecti.

Nihilominùs qui ante Baptismum contraxit defectum aliquem, ob quem imposita est baptizatis irregularitas, vt defectum Sacramenti, aut lenitatis, aut infamiam Iure ipso annexam officio, aut punitioni publicæ, si talis defectus post Baptismũ perseueret, fit statim post Baptismum irregularis, cùm post Baptismum habeat talem defectum, & iam sit capax irregularitatis, quod de bigamo definitũ est in can. *Si quis viduam.* dist. 34. Et ob eamdem rationem Iudex, aut miles, qui ante Baptismũ contraxit defectũ lenitatis occidendo aut mutilando, fiunt post Baptismũ irregulares, vt cõtra Sayrũ *Villadiego.* l. 7. c. 13. & contra Auilã disp. 10. du. 2. docent Villadiego c. 1. vers. *Deinde quæro.* & alij; quia scilicet post Baptismum perseuerat defectus lenitatis.

64 Qui verò ante Baptismum commisit delictum, ob quod lata est irregularitas, non fit irregularis post Baptismum, quod de homicida iniusto supponitur in can. *Si quis viduam.* dist. 50. & generaliter de omni delinquente in can. *Si quis viduam.* dist. 34. & satis congruenter, quia vt in hoc canone dicitur, in Baptismo omnino dimittuntur delicta. Excipimus tamen delicta ob quæ fertur irregularitas non ob ipsa crimina secundùm se, sed ob ipsam infamiam eis Iure annexam (quale est crimen læsæ Maiestatis) quia eis delinquens fit irregularis, quia post Baptismum manet affectus infamia Iuris ob quam lata est irregularitas; & non ob ea crimina secundùm se. Quam exceptionem Suarez disp. 48. sect. 2. extendit ad irregularitatem, *Suarez.* ortam ex infamia Iure annexa officio & punitioni; quando non baptizatus eam infamiã contraxit degens inter Christianos Iure Christianorum, non quando eam cõtraxit degens inter non baptizatos eorũ Iure, quia infamia hæc pro nihilo sit habẽda.

Conueniunt Secundò Doctores, professione solemni, aut alio æquiualente (vt emissione trium votorum simplicium in Societate IESV post biennium) quo quis verè efficitur Religiosus, tolli irregularitatem prouenientem ex defectu natalium, seu ex illegitimatione, non quoad Prælaturam, sed quoad Ordines, vt constat ex c. 1. de Filiis Presby- 65 terorũ. quod Sotus dist. 25. q. 1. ar. 3. & alij ex consuetudine extendunt ad omnem irregularitatem, excepta homicidij voluntarij, & bigamiæ, sed absque sufficienti fundamento, & ideò communiter Doctores oppositum tenent. Verum est, statu Religioso faciliorem effici dispensationem cuiuscumque irregularitatis, vt deducitur ex cap. 2. Qui Clerici vel vouentes.

Conueniunt Tertiò, omnem irregularitatem tolli dispensatione superioris, quam summus Pontifex potest absque dubio concedere, quia omnis introducta est Iure tantùm Ecclesiastico, in eo autem omni Pontifex dispensare potest.

Episcopis autem in Tridentino sess. 24. c. 6. de *Trident.* Reformatione, conceditur, vt possint dispensare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, excepta proueniente ex homicidio voluntario directè, seu ex proposito, & exceptis iam deductis ad forum contentiosum: quod nonnulli extendunt ad irregularitatem prouenientem ex defectu occulto natalium, quia prouenit ex delicto occulto parentum; sed absque fundamento, quia non prouenit nisi ex puro defectu; quia quãuis parentes filium illegitimum sine peccato in amentia generarent, etiam fieret irregularis.

Potest ergo Episcopus dispensare in irregula- 66 ritate proueniente ex mutilatione occulta, quãmuis ex proposito facta, vt declarauit Congrega- *Congreg.* tio Cardinalium, quia mutilatio distincta est ab *Cardin.* homicidio; & etiam in irregularitate proueniente ex homicidio casuali: censetur tamen casuale non tantùm quod est indirectè commissum, sed etiam quod est commissum directè excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, & etiam quod est cõmissum ex subita ira, quamuis directè & plenè volũtariè; & tale etiam quoad dispensationẽ reputant nonnulli homicidium factũ legitima auctoritate, sed absque fundamento; quia istud non prouenit ex delicto. In irregularitate tamen ex hoc homicidio proueniente dispensare possunt, qui habent priuilegium dispensandi in omni irregularitate, excepta ea quæ oritur ex bigamia, &

67 ea quæ oritur ex homicidio voluntario ; quia per iſtud homicidium intelligitur homicidium iniuſtum. Poteſt quoq; Epiſcopus diſpenſare cum illegitimo ad minores Ordines, & ad beneficium ſimplex, cui non ſit annexus Ordo ſacer, vt conſtat ex cap. 1. de Filiis Preſbyterorum.

Auila. Nomine autem Epiſcopi, vt aduertit Auila diſput. 10. dub. 5. etiam intelliguntur Abbates aut Priores, qui in diœceſi aliqua habent iuriſdictionem Epiſcopalem ; quia abſolutio & diſpenſatio de quibus loquitur Tridentinum, pertinent ad poteſtatem iuriſdictionis, quam habent prædicti; & non intelliguntur Prælati Religionum erga ſuos ſubditos, nec eo indigent, quia habent ſpecialia priuilegia ad id.

Trident.

Et nomine delicti occulti in dicto decreto, vt docent Henriquez lib. 14. c. vlt. & Auila diſp. 10. dub. 6. intelligitur id quod diſtinguitur à publico; ac proinde occultum in eo dicitur, quod quamuis ſit probabile per teſtes, non tamen eſt publicum, quia nec eſt notorium, nec manifeſtum, nec famoſum ; quia quando non eſt publicum, ceſſat ſcandalum, quod dicta limitatione vitare intendit Tridentinum. Notorium dicitur, quod eſt notum aut confeſſione rei in iudicio, aut ſententia Iudicis irreuocabili, aut euidentia facti, qua euidens eſt maiori parti viciniæ aut communitatis, in qua ad

68 minus habitant decem. Manifeſtum dicitur, de quo eſt fama in maiori parte viciniæ aut communitatis, orta à ſcientibus. Famoſum verò, quando eſt fama in maiori parte dictæ communitatis, orta non ex ſcientia, ſed ex indiciis & præſumptionibus.

Henriquez. Auila.

Et nomine irregularitatis deductæ ad forum contentioſum, in qua nequit Epiſcopus diſpenſare, intelligitur illa, ſuper qua aut ſuper cuius delicto trahitur quis ad tribunal, quouſque abſoluatur ab inſtantia. Addit autem Auila dub. 7. Epiſcopum poſſe diſpenſare in irregularitate, poſtquã iudicium eſt finitum, & delictum punitum, licet iam ob id ſupponatur delictum notorium, & meritò ; quia tunc diſpenſatione irregularitatis non turbatur tribunal Iudicis, quod vitare intendit Tridentinum dicta exceptione.

Auila.

Obſeruandum eſt, non eo ipſo quòd in Bulla Cruciatæ, aut in Iubileis, aut in aliis priuilegiis conceditur facultas abſoluendi à quibuſuis cenſuris, & pœnis, & ſententiis, concedi facultatem tollendi irregularitatem, non ſolùm eam quæ contrahitur ex defectu (in quo omnes conueniunt) ſed neque eam, quæ contrahitur ex delicto, vt contra Cordubam in Summa q. 28. & contra alios aduertunt Henriquez libro 14. cap. 17. & Villad. cap. vltim. tum quia irregularitas, cùm ſit ligamen ſeu vinculum poteſtatis, ſeu potiùs quaſi impotentia, non tam aufertur ſolutione ſeu abſolutione, ad quam tantùm conceditur facultas in dictis priuilegiis, quàm diſpenſatione : tum etiam, quia irregularitas, etiam quæ prouenit ex delicto, non eſt cenſura, nec pœna, vt diximus Difficul. 1. nec ſententia, quia ſolo Iure inducitur ſeu fertur, & non verâ ſententiâ.

Tandem irregularitas ceſſare poteſt abſque diſpenſatione, & abſque ablatione, ſolo lapſu temporis, ceſſante cauſa ob quam incurſa eſt, vt irregularitas ex infamia facti, quæ ceſſat mutatione vitæ aut loci, & etiam irregularitas ex infamia Iuris, ſi hæc per ſententiã aut aliter euaneſcat, & irregularitas ex defectu corporis, & ex mortuo, quæ etiam ceſſat ceſſante eo defectu & eo morbo (excepta ea quæ prouenit ex morbo caduco, & ex furia, ratione diſpoſitionis organorum, ob peculiarem diſpoſitionem Iuris in can. 3. 4. & 5. diſt. 33.) & irregularitas ex ſeruitute, & irregularitas ex obligatione ad ratiocinia, quæ etiam ceſſant ceſſante ſeruitute & dicta obligatione ; & irregularitas ex illegitimatione ceſſat eo ipſo, quòd illegitimatus ceſſat per ſubſequens matrimonium. Irregularitas quoque prouenies ex defectu ætatis, & ex defectu ſcientiæ, ceſſant per legitimam ætatem, & per acquiſitionem ſcientiæ; & irregularitas prouenies ex eo quòd ſit quis recenter baptizatus, ceſſat lapſu decem annorum, quo definit eſſe recenter baptizatus, & ſic de aliis.

Iliæ verò irregularitates non ceſſant ſolo lapſu temporis, ſed tolluntur, & non abſque diſpenſatione, quorum cauſæ non ceſſant vt irregularitates quæ incurruntur, aut ex eo quòd quis commiſerit aliquod crimen, v. g. homicidium, vel hæreſim, vel reiterationem Baptiſmi, vel exercitium Ordinis in ſtatu cenſuræ, aut ex eo quòd occidit vel mutilauit auctoritate publica, vel fuit bigamus, & ſic de aliis.

INDEX TRACTATVVM DISPVTATIONVM ET DIFFICVLTATVM, QVÆ IN TRIBVS HIS TOMIS DE SACRAMENTIS ET CENSVRIS CONTINENTVR.

TOMVS PRIMVS.

TRACTATVS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

DISPVTATIO I.

De natura & essentia Sacramenti.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm vsus nominis* SACRAMENTVM, *qui est apud Catholicos, sit rectus.* 5

DIF. II. *Vtrùm Sacramentum definiri possit.* ibidem.

DIF. III. *Quid sit Sacramentum.* ibid.

DIF. IV. *Quænam sit sanctitas quam Sacramentum significat, & cuius significatione constituitur.* 6

DIF. V. *Vtrùm ad rationem Sacramenti requiratur, quòd sit signum practicum & factiuum sanctitatis.* 7

DIF. VI. *Vtrùm ad rationem Sacramenti requiratur, quòd sit signum demonstratiuum sanctitatis præsentis.* 8

DIF. VII. *Vtrùm significatio sanctitatis in Sacramentis sit realis, vel rationis.* ibid.

DIF. VIII. *Vtrùm Sacramentum vniuocè conueniat nouis & veteribus.* ibid.

DIF. IX. *Vtrùm omnia Sacramenta nouæ legis perficiantur rebus & verbis.* 9

DIF. X. *Vtrùm Sacramenta noua perficiantur rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma.* ibid.

DIF. XI. *Quomodo res & verba, quibus tamquam materia & forma Sacramenta perficiuntur, pertineant ad ipsa Sacramenta.* 10

DIF. XII. *Vtrùm verba, quibus Sacramenta perficiuntur, sint concionatoria, an consecratoria.* 12

DIF. XIII. *Vtrùm res & verba, quibus Sacramenta nouæ legis perficiuntur, sint determinata.* ibid.

DIF. XIV. *Vtrùm mutatio materiæ & formæ Sacramentorum inualidet illa.* 13

DIF. XV. *Vtrùm variatio seu mutatio verborum, facta intentione introducendi errorem, inualidet Sacramenta.* 15

DISPVTATIO II.

De existentia Sacramentorum.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm institutio Sacramentorum fuerit conueniens.* 16

DIF. II. *Vtrùm post aduentum Christi in lege noua sint verè Sacramenta.* ibid.

DIF. III. *Vtrùm in lege veteri scripta ante aduentum Christi fuerint verè Sacramenta.* 17

DIF. IV. *Vtrùm ante circumcisionem in lege naturæ fuerint verè Sacramenta.* ibid.

DIF. V. *Vtrùm in statu innocentiæ futura essent Sacramenta, si Adamus non peccaret.* 18

DISPVTATIO III.

De causalitate & effectu Sacramentorum.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Sacramenta nouæ legis causent gratiam ex opere operato.* 19

DIF. II. *Vtrùm Sacramenta nouæ legis causent gratiam, vt instrumenta physica.* 20

DIF. III. *Quam gratiam conferant Sacramenta nouæ legis.* 21

DIF. IV. *Vtrùm omnia Sacramenta habeant vim conferendi primam gratiam.* 22
DIF. V. *Vtrùm Sacramenta conferant æqualem gratiam.* 23
DIF. VI. *Vtrùm Sacramẽta in voto conferant eamdem gratiam, quam conferunt realiter sumpta.* 24
DIF. VII. *Quando Sacramenta conferant gratiam.* 25
DIF. VIII. *Vtrùm Sacramenta fictè suscepta, posteà, recedente fictione, conferant gratiam.* ibid.
DIF. IX. *Vtrùm Sacramenta veteris legis iustificarent non tantùm ex opere operantis, sed ex opere operato.* 26
DIF. X. *Vtrùm per aliqua Sacramenta imprimatur character.* 27
DIF. XI. *Vtrùm character Sacramentalis sit qualitas, an relatio.* 28
DIF. XII. *Ad quam speciem qualitatis pertineat character Sacramentalis.* ibid.
DIF. XIII. *In quo character Sacramentalis subiectetur proximè & immediatè.* 29
DIF. XIV. *Vtrùm character Sacramentalis sit indelebilis.* ibid.

DISPVTATIO IV.
De causa Sacramentorum.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm possit creaturæ communicari potestas instituendi Sacramenta conferentia gratiam ex opere operato.* 30
DIF. II. *Vtrùm omnia Sacramenta nouæ legis fuerint de facto à Christo immediatè instituta.* 31
DIF. III. *Vtrùm soli & omnes homines sint ministri Sacramentorum nouæ legis.* ibid.
DIF. IV. *Quid debeat intendere minister, vt validè efficiat & conferat Sacramentũ.* 32
DIF. V. *Vtrùm ad valorem Sacramenti sufficiat intentio efficiendi Sacramentũ, quando præterita est.* 33
DIF. VI. *Vtrùm intentio conditionata efficiendi Sacramentum sufficiat ad eius valorem.* 34
DIF. VII. *Vtrùm ad valorem Sacramenti necessarium sit, intentionem ministri ferri in personam certam sine errore.* 36
DIF. VIII. *Vtrùm ad valorem Sacramentorum requisita sit fides & sanctitas in ministro.* ibid.
DIF. IX. *Vtrùm in ministro requisita sit sanctitas, vt licitè administret Sacramenta.* 37
DIF. X. *Vtrùm Diaconus & Subdiaconus, in statu peccati mortalis cantantes solemniter Euangelium & Epistolam, peccent mortaliter.* 38
DIF. XI. *Vtrùm concionari in statu peccati mortalis, sit mortale.* ibid.
DIF. XII. *Vtrùm licitum sit accipere Sacramentum ab eo, quem scio in administratione peccaturum.* ibid.
DIF. XIII. *Qui sint capaces Sacramentorum & An ad eorum valorem requiratur consensus in recipiente.* 39

DISPVTATIO V.
De ordine & numero Sacramentorum.

DIFFICVLTAS I. *Quot sint Sacramenta nouæ legis.* 41
DIF. II. *Quem ordinem habeant inter se Sacramenta nouæ legis.* 42

TRACTATVS DE BAPTISMO.

DISPVTATIO I.
De institutione & necessitate Baptismi.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Baptismus.* 42
DIF. II. *Quæ sit materia remota Baptismi.* ibid.
DIF. III. *Quæ sit materia proxima Baptismi.* 43.
DIF. IV. *Quæ ablutio sufficiat ad materiam Baptismi.* 44
DIF. V. *Vtrùm ad valorem Baptismi, qui fit per immersione fit, necessaria sit emersio ipsi immersioni succedens.* 45
DIF. VI. *Quanta ablutio sufficiat ad valorem seu essentiam Baptismi.* ibid.
DIF. VII. *Quæ verba sint de essentia formæ Baptismi.* 46
DIF. VIII. *Vtrùm ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit exprimi actionem ministri, vt etiã denotetur esse actionẽ illius.* 47
DIF. IX. *Vtrùm ad essentiam formæ Baptismi necessaria sit inuocatio explicita Trinitatis.* 48.
DIF. X. *Vtrùm ad essentiam formæ Baptismi necessarium sit tres personas exprimi nominibus consuetis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* 49
DIF. XI. *Vtrùm Sacramentum Baptismi iterari possit.* 51
DIF. XII. *Quando possit Baptismus sub conditione iterari.* ibid.
DIF. XIII. *Quando fuerit Sacramentum Baptismi à Christo institutum.* 53
DIF. XIV. *Vtrùm Baptismus sit necessarius necessitate medij ad salutem.* 54
DIF. XV. *A quo tempore Baptismus cœperit esse necessarius necessitate medij.* 55
DIF. XVI. *Quando teneatur adultus Baptismum recipere.* 56
DIF. XVII. *Vtrùm Ecclesia possit determinare & præscribere tempus præcepti diuini suscipiendi Baptismum ante finem vitæ.* 57

DIF. XVIII. *Vtrùm paruuli saluari posint absque Baptismo reipsa suscepto, & absque morte pro Christo perpessa.* ibid.
DIF. XIX. *Vtrùm adulti saluari posint absque Baptismo reipsa suscepto, & absque martyrio.* 56
DIF. XX. *Vtrùm paruuli saluari posint morte pro Christo perpessa absque Baptismo reipsa suscepto.* 57
DIF. XXI. *Vtrùm adulti saluari posint morte pro Christo perpessa absque Baptismo in re & in voto.* ibidem.

DISPVTATIO II.

De Ministro Baptismi.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm quilibet homo sit minister sufficiens ad validè baptizandum.* 59
DIF. II. *Quibus conueniat ex officio baptizare.* 60
DIF. III. *Quis ordo seruandus sit inter eos, qui tantùm in extrema necessitate possunt dignè & competenter baptizare.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm Diaconus possit solemniter baptizare.* 61
DIF. V. *Vtrùm plures simul integrè baptizantes, eumdem validè baptizent.* 62
DIF. VI. *Vtrùm plures diuidentes ministerium Baptismi, validè baptizent.* 63
DIF. VII. *Vtrùm vnus possit plures simul baptizare.* ibid.
DIF. VIII. *Quanta coniunctio, seu temporis simultas inter formam & materiam Baptismi requiratur, & sufficiat ad valorem ipsius.* ibid.
DIF. IX. *Vtrùm præter ministrum qui confert Baptismum, necessarius sit patrinus.* 64.

DISPVTATIO III.

De suscipientibus Baptismum.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm omnes adulti sint capaces Baptismi.* 65
DIF. II. *Vtrùm infantes ante vsum rationis sint capaces Baptismi.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm infantes non baptizatorum validè baptizentur inuitis parentibus.* 66
DIF. IV. *Vtrùm infantes non baptizatorum possint inuitis parentibus licitè baptizari.* ib.
DIF. V. *Vtrùm infantes filij non baptizatorum seruorum possint licitè inuitis parentibus à domino baptizari.* 68.

DISPVTATIO IV.

De effectibus Baptismi.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm per Baptismum remittantur omnia peccata.* 69
DIF. II. *Vtrùm per Baptismum etiam remittatur tota pœna peccatis debita.* ibid.
DIF. III. *Quosnam alios effectus conferat Baptismus.* 70
DIF. IV. *An ad effectum Baptismi percipiendum requiratur aliqua contritio peccatorum.* 71
DIF. V. *Vtrùm ad gratiam iustificantem per Baptismum percipiendam in eo qui peccaret mortaliter, sufficiat contritio imperfecta.* ibidem.
DIF. VI. *Vtrùm attritio ad gratiam in adulto qui peccauit mortaliter, sufficiens debeat esse existimata contritio, & non sufficiat attritio scita.* 72
DIF. VII. *Quæ & qualis attritio sufficiat ad gratiam Baptismi in adulto qui peccauit mortaliter.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm Baptismus fictè susceptus, posteà, recedente fictione, conferat suum effectum gratiæ.* 73
DIF. IX. *Quid requiratur, vt Baptismus fictè susceptus reuiuiscat, & gratiam iustificantem conferat.* 74
DIF. X. *Vtrùm Baptismus reuiuiscens maiorem gratiam sibi respondentem tribuat magis attrito, aut magis contrito, aut melius disposito.* 75.

DISPVTATIO V.

De cærimoniis seu ritibus Baptismi.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm cærimoniæ, quibus Baptismus solemnis celebratur, sint conuenientes & laudabiles.* 76
DIF. II. *Quæ cærimoniæ adhibendæ sint in Baptismo solemni.* ibid.

TRACTATVS DE CONFIRMATIONE.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Confirmatio.* 77
DIF. II. *Vtrùm Confirmatio sit Sacramentum nouæ legis.* ibid.
DIF. III. *Quando fuerit Sacramentum Confirmationis à Christo institutum.* 78
DIF. IV. *Quæ sit materia remota Sacramenti Confirmationis.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm ad valorem Sacramenti Confirmationis necessarium sit Chrisma esse ab Episcopo benedictum.* 79
DIF. VI. *Quæ sit materia proxima Sacramenti Confirmationis.* 80
DIF. VII. *Vtrùm Apostoli confirmauerint vnctione Chrismatis.* 81
DIF. VIII. *Quæ sit forma Sacramenti Confirmationis.* ibid.
DIF. IX. *Quos effectus tribuat Sacramentum Confirmationis.* 82

DIF. X. *Qui sint capaces Sacramenti Confirmationis.* 83
DIF. XI. *Vtrùm baptizati teneantur suscipere Confirmationem.* ibid.
DIF. XII. *Vtrùm solus Episcopus possit validè conferre Sacramentum Confirmationis.* 84
DIF. XIII. *Vtrùm simplex Sacerdos possit ex commissione Papæ conferre Sacramentum Confirmationis.* ibid.
DIF. XIV. *Quibus cærimoniis Sacramentum Confirmationis conferatur.* 85.

TRACTATVS DE POENITENTIA.

DISPVTATIO I.

De natura & essentia virtutis Pœnitentiæ.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Pœnitentia.* 86
DIF. II. *Vtrùm sit aliqua virtus Pœnitentiæ.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm sit aliqua peculiaris & determinata virtus Pœnitentiæ.* 87
DIF. IV. *Vtrùm virtus peculiaris Pœnitentiæ ita sit peculiaris, vt sit distincta à iustitia, & à religione, & ab aliis omnibus.* 89
DIF. V. *Vtrùm virtus peculiaris Pœnitentiæ sit supernaturalis.* 90
DIF. VI. *Vtrùm omne peccatum sit obiectum materiale peculiaris virtutis Pœnitentiæ.* ib.
DIF. VII. *Quod sit subiectum proximum & immediatum virtutis peculiaris Pœnitentiæ.* 91
DIF. VIII. *In quibus sit peculiaris virtus Pœnitentiæ.* 92.

DISPVTATIO II.

De effectu Pœnitentiæ.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit contritio perfecta.* 93
DIF. II. *Vtrùm contritio perfecta sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.* 94
DIF. III. *Vtrùm contritio perfecta expressa, absque expresso proposito non peccandi, sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm, vt contritio sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum, necessarium sit, quòd feratur in omnia peccata in particulari.* 95
DIF. V. *Vtrùm contritio tantùm virtualis & implicita sufficiat ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm contritio sit sufficiens ex natura rei ad iustificationem extra Sacramentum.* 96
DIF. VII. *Vtrùm contritio sit forma ex se formaliter sanctificans, & remissiua peccatorum.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm contritio perfecta de facto iustificet à peccatis, vt forma.* 98
DIF. IX. *In quo consistat contritionem perfectam esse detestationem, aut dolorem peccati super omnia.* 100
DIF. X. *Quomodo, & quo ordine excitetur in nobis contritio perfecta.* 101
DIF. XI. *Vtrùm vnum peccatum mortale possit remitti sine alio media contritione.* ibidem.
DIF. XII. *Vtrùm in homine iusto ad remissionem venialium sufficiat actus dilectionis amicitiæ Dei absque expressa contritione.* 102.
DIF. XIII. *Vtrùm attritio venialium in iusto sufficiat absque Sacramento ad remissionem eorum.* ibid.
DIF. XIV. *Vtrùm reliqua opera bona iusti, distincta ab expressa contritione, & à quacumque alia dilectione Dei, & ab attritione, sufficiat ad remissionem venialium.* 103
DIF. XV. *Vtrùm Sacramentalia sufficiant in homine iusto ad remissionem venialium absque contritione eorum.* ibid.
DIF. XVI. *Vtrùm quodlibet Sacramentum sufficiat ad remissionem venialium absque contritione eorum.* 104
DIF. XVII. *Quomodo remittatur peccatum veniale post hanc vitam in Purgatorio.* 105
DIF. XVIII. *Vtrùm peccata per contritionem, aut aliter remissa, redeant iterùm de facto per subsequens peccatum mortale.* ibid.
DIF. XIX. *Vtrùm peccata semel remissa quoad culpam, possint de potentia Dei absoluta quoad eam redire per subsequens peccatum.* 106.
DIF. XX. *Vtrùm peccata integrè remissa etiam quoad dignitatem pœnæ æternæ, possint quoad hanc solam de potentia Dei absoluta per subsequens peccatum redire.* 107
DIF. XXI. *Vtrùm peccata semel remissa redeant aliquo modo per subsequens peccatum.* 108
DIF. XXII. *Vtrùm ingratitudo in quocumque peccato reperta, ratione cuius peccata remissa aliquo modo redeunt, sit speciale peccatum.* ibid.
DIF. XXIII. *Vtrùm merita vitæ æternæ per peccatum mortale subsequens mortificata, reuiuiscant per sequentem iustificationem, media contritione aut aliter factam.* 109
DIF. XXIV. *Vtrùm merita iusti reuiuiscant in integrum.* 110

DIS-

DIF. XXV. *Vtrùm gratia habitualis per peccatum amissa, postea peccato illo per iustificationem ablato restituatur, & in integrum.* 111.

DISPVTATIO III.

De præcepto Pœnitentiæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm perfecta contritio sit sub præcepto.* 112
DIF. II. *Quale sit præceptum contritionis.* ibidem.
DIF. III. *Vtrùm præceptum contritionis obliget statim, ac commissum est peccatum mortale.* 113
DIF. IV. *Quando ergo obligat præceptum contritionis.* 114
DIF. V. *Vtrùm postquam quis iustificatus est à peccatis, teneatur de eisdem iterùm dolere, & conteri.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De natura & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

DIFFICVLTAS I. *Ex quibus constet Sacramentum Pœnitentiæ.* 115
DIF. II. *Quid in Sacramento Pœnitentiæ sit Sacramentum tantùm, quid res Sacramenti tantùm, quid res & Sacramentum simul.* 116.
DIF. III. *Vtrùm quodlibet peccatum sit materia Sacramenti Pœnitentiæ.* 117
DIF. IV. *Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ possit repeti & iterari.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ sit medium necessarium ad salutem.* 118
DIF. VI. *Vtrùm votum Sacramenti Pœnitentiæ necessarium ad iustificationem extra Sacramentum debeat esse explicitum, an sufficiat implicitum in ipsa contritione.* 119.

DISPVTATIO V.

De Absolutione.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm in Ecclesia sit potestas absoluendi à peccatis.* 120
DIF. II. *Vtrùm potestas absoluendi à peccatis, quæ est in Ecclesia, sit absoluendi ab eis quoad culpam.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm Absolutio conferri debeat modo deprecatiuo, an indicatiuo.* 121
DIF. IV. *Quæ verba sint de essentia formæ Absolutionis.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm formæ Absolutionis possit apponi aliqua conditio.* 122
DIF. VI. *Vtrùm Absolutio possit conferri absenti.* 123
DIF. VII. *Vtrùm Absolutio possit validè per scriptum conferri.* 124
DIF. VIII. *Quid significent verba Absolutionis, nempe,* Ego te absoluo à peccatis tuis. ibid.

DISPVTATIO VI.

De contritione peccatorum requisita ad effectum & ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm ad effectum Pœnitentiæ percipiendum requiratur aliqua contritio.* 123
DIF. II. *Vtrùm ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat contritio imperfecta.* 126
DIF. III. *Vtrùm attritio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiens, debeat esse existimata contritio perfecta.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ sufficiat attritio, qua pœnitens dolet se non habere dolorem peccatorum.* 127
DIF. V. *Ex quo motiuo debeat esse attritio, vt sufficiat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm dolor ad effectum huius Sacramenti sufficiens, sit ordinis naturalis.* 128.
DIF. VII. *Vtrùm dolor debeat esse omnium mortalium, vt sufficiat ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm ex defectu doloris Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe.* 129
DIF. IX. *Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ informe operetur postea suum effectum, recedente fictione.* 130.
DIF. X. *Vtrùm dolor ad Sacramentum Pœnitentiæ necessarius debeat præsupponi ad confessionem.* 131.

DISPVTATIO VII.

De præcepto confessionis Sacramentalis.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm confessio Sacramentalis peccatorum mortalium sit Iure diuino præcepta.* 132
DIF. II. *Pro quo tempore obliget præceptum diuinum confessionis mortalium.* 133
DIF. III. *Qui teneantur præcepto diuino confessionis.* 134
DIF. IV. *Vtrùm confessio semel instituta à Christo possit ab Ecclesia præcipi, si relicta fuisset arbitrio fidelium, & non præcepta à Christo modo supradicto.* 135
DIF. V. *Quomodo confessio Sacramentalis sit sub præcepto Ecclesiastico.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm Pontifex dispensare possit in præcepto confessionis.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm ex vi præcepti annuæ confessionis*

fessionis teneamur confiteri venialia, quando non sunt mortalia. 136
DIF. VIII. *Vtrùm ex vi alicuius præcepti Ecclesiastici sit aliquando obligatio confitendi venialia, quando tantùm sunt venialia.* ibidem.
DIF. IX. *Qui baptizati teneantur præcepto annuæ confessionis.* 137
DIF. X. *Qua ratione debeat computari annus pro impletione præcepti annuæ confessionis.* ibidem.
DIF. XI. *Pro quo tempore anni obliget præceptum annuæ confessionis per se, & ratione ipsius confessionis.* 138
DIF. XII. *Vtrùm qui in toto anno non confitetur, teneatur in principio sequentis confiteri absque dilatione.* 139
DIF. XIII. *Vtrùm præceptum confessionis aliquando obliget pro determinato tempore.* ibid.
DIF. XIV. *Vtrùm per quamcumque confessionem satisfaciamus præcepto affirmatiuo confessionis.* 140.

DISPVTATIO VIII.

De qualitate Confessionis.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm confessio tantùm secreta sit Sacramentalis, seu ad valorem Sacramenti idonea.* 142
DIF. II. *Vtrùm confessio publica aliquando obliget pœnitentem.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm confessio Sacerdoti præsenti facta mediâ scripturâ, aut nutibus, aut aliis signis à voce distinctis, sit sufficiens ad valorem Sacramenti.* 143
DIF. IV. *Vtrùm qui nequit aliter confiteri Sacerdoti præsenti, quàm scripturâ, aut nutibus, aut aliis signis, ad id teneatur tempore præcepti.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm confessio per litteras, aut per internuntium Sacerdoti absenti facta, sit idonea ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ.* ibidem.
DIF. VI. *Vtrùm mendacium in confessione sit peccatum mortale.* 144
DIF. VII. *Quando confessio sit inualida.* 145
DIF. VIII. *Vtrùm quando confessio repetenda est quia fuit inualida, necessarium sit iterùm peccata distinctè confiteri, ac si non fuissent confessa.* 146.

DISPVTATIO IX.

De integritate Confessionis Sacramentalis.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm omnia peccata mortalia sint necessariò explicanda.* 147
DIF. II. *Vtrùm omnes species peccatorum sint necessariò confitendæ.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm circumstantiæ, quæ speciem peccati non mutant, illud tamen augent aut minuunt intra eamdem speciem, sint necessariò confitendæ.* 148
DIF. IV. *De quibusdam circumstantiis in particulari, vtrùm debeant confiteri.* 149
DIF. V. *Quomodo numerus peccatorum mortalium sit confitendus.* 152
DIF. VI. *Vnde sumenda & discernenda sit pluralitas & multiplicatio numerica peccatorum necessariò explicanda in confessione.* ibidem.
DIF. VII. *Vtrùm peccata mortalia dubia sint necessariò confitenda.* 154
DIF. VIII. *Quale examen pœnitentis præquiratur ad confessionem.* 155
DIF. IX. *Vtrùm aliquando sufficiat confessio peccatorum in communi, nullum peccatum in indiuiduo explicando.* ibid.
DIF. X. *Vtrùm aliquando possint aliqua peccata mortalia omitti in confessione.* 156
DIF. XI. *Vtrùm circumstantia complicis, cuius explicatio necessaria est ad integritatem confessionis, possit aliquando omitti.* 157
DIF. XII. *Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ possit esse informe ex defectu integritatis confessionis.* 158.

DISPVTATIO X.

De ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm in extrema necessitate, Sacerdote deficiente, sit necessarium laico confiteri.* 158
DIF. II. *Vtrùm quilibet Sacerdos possit Sacramentaliter à peccatis absoluere.* 159
DIF. III. *A quo Sacerdotes accipiant iurisdictionem ad absoluendum à peccatis.* ibid.
DIF. IV. *Quis Sacerdos possit Sacramentaliter à peccatis absoluere.* 160
DIF. V. *Qua ratione delegetur & committatur iurisdictio ad absoluendum à peccatis.* 161.
DIF. VI. *Vtrùm Confessarius putatiuus validè & licitè absoluat.* 162
DIF. VII. *Vtrùm quilibet Sacerdos in sui ordinatione à Christo accipiat iurisdictionem completam in quoslibet pœnitentes in articulo mortis constitutos.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm iurisdictio completa in pœnitentes existentes in articulo mortis, etiam concedatur Sacerdotibus hæreticis & schismaticis, & excommunicatis non tolerati.* ibidem.
DIF. IX. *Vtrùm iurisdictio completa concessa omnibus Sacerdotibus, etiam præcisis, in pœnitentes existentes in articulo mortis, etiam con-*

concedatur in pœnitentes in periculo mortis constitutos. 163
DIF. X. *A quo quilibet Sacerdos habeat iurisdictionem completam in peccata venialia, & etiam in mortalia iam legitimè confessa.* ibidem.
DIF. XI. *Vtrùm in aliquo casu sit generaliter permissum cuicumque pœnitenti eligere sibi Confessarium alienum.* 164
DIF. XII. *Vtrùm aliquibus in particulari conueniat in omni casu eligere sibi Confessarium absque licentia proprij.* ibid.
DIF. XIII. *Vtrùm habens facultatem eligendi sibi Confessarium, possit eligere Sacerdotem simplicem, & non approbatum.* 165
DIF. XIV. *Vtrùm confitentes Religiosis priuilegiatis, satisfaciant præcepto annuæ confessionis.* 166
DIF. XV. *Quanta scientia necessaria sit in Sacerdote, vt possit confessiones audire.* ibid.
DIF. XVI. *Vtrùm in Sacerdote præter scientiã necessaria sit aliqua approbatio ad audiendas confessiones.* 167
DIF. XVII. *Vtrùm approbatus ab vno Episcopo pro sua diœcesi, etiam censeatur approbatus pro qualibet alia.* 168
DIF. XVIII. *A quo Episcopo facienda est approbatio.* 169
DIF. XIX. *Vtrùm approbatio semel facta possit reuocari.* 170
DIF. XX. *Vtrùm Parochus teneatur toties audire confessionem Parochiani, quoties iste confiteri voluerit.* ibid.
DIF. XXI. *Vtrùm Confessarius teneatur pœnitenti reuocare in memoriam peccatũ, quod post sufficiens examen videt in confessione omitti ob obliuionem.* 171
DIF. XXII. *Vtrùm Confessarius teneatur monere pœnitentem bona fide confessum, sed inualidè absolutum.* ibid.
DIF. XXIII. *Vtrùm Confessarius teneatur monere pœnitentem, qui ex ignorantia versatur in aliquo peccato mortali.* 172.

DISPVTATIO XI.

De ministro Sacramenti Pœnitentiæ quo ad casus reseruatos.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm in Ecclesia sit potestas reseruandi casus in foro conscientiæ.* 173
DIF. II. *Vtrùm reseruatio possit fieri pro arbitrio superioris, absque legitima causa.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm reseruatio casus fiat tãtùm ratione censuræ, an etiam ratione peccati, & culpæ.* 174
DIF. IV. *Vtrùm venialia peccata possint reseruari.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm peccata mortalia omnino interiora possint reseruari.* 175
DIF. VI. *Vtrùm quando peccatum aliquod mortale simpliciter reseruatur, etiam censeatur reseruatum, quando est in dubio.* ibidem.
DIF. VII. *Quæ peccata sint de facto reseruata.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm confitens habenti potestatem absoluendi à reseruatis, si inculpabiliter omisit peccatum reseruatum, maneat liber à reseruatione omissi.* 176
DIF. IX. *Vtrùm pœnitens ex priuilegio, verbi gratia Iubilæi, absolutus in aliquo die septimanæ à reseruatis, antequam impleat omnia quæ præcipiuntur facienda per totam septimanam, & post absolutionem non impleat reliqua, ita absolutus maneat, vt non teneatur postea coram Superiore pro absolutione comparere.* 177
DIF. X. *Vtrùm possit quis obligari ab Ecclesia ad iterùm confitendum peccata, à quibus est iam legitimè absolutus.* 178
DIF. XI. *Vtrùm Superior possit concedere facultatem, vt subditus à reseruatis absoluatur cum onere postea comparendi coram Superiore.* 179
DIF. XII. *Vtrùm subditus absolutus ex facultate concessa cum onere comparendi, teneatur comparere, si ante absolutionem ignorauit dictum onus.* ibid.
DIF. XIII. *Vtrùm de facto in Iure ita sit commissa inferioribus Confessariis facultas absoluendi à reseruatis in aliquibus casibus, vt absolutus postea teneatur coram Superiore eam facultatem concedente comparere.* 180.
DIF. XIV. *Vtrùm Confessarius inferior possit pœnitentem, confitentem casus reseruatos, absoluere cum onere comparendi coram Superiore pro reseruatis.* 181
DIF. XV. *Vtrùm Superior, ad quem pœnitens, habens peccata reseruata & alia mortalia non reseruata, primò accedit, possit eum, reseruatis tantùm auditis, Sacramentaliter absoluere.* 182
DIF. XVI. *Vtrùm subdito per se, vel per alterum licentiam petenti à Superiore, vt possit alteri confiteri reseruata, teneatur illam concedere.* ibidem.

DISPVTATIO XII.

De sigillo Confessionis.

DIFFICVLTAS I. *Quo Iure sit obligatio seruandi secretum confessionis.* 183
DIF. II. *Ex qua confessione oriatur obligatio sigilli.* 184
DIF. III. *Qui teneantur sigillo confessionis.* ibidem.
DIF. IV. *Cuius rei secretum sit seruandum sub sigillo confessionis.* 185

DIF. V.

DIF. V. *Vtrùm Confessarius posit peccatum in confesione auditum reuelare, quando ipse nequit aliter peccatum suum in confesione explicare.* 186
DIF. VI. *Vtrùm Confessarius posit ex licentia pœnitentis reuelare peccatum in confesione auditum.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm Confessarius, qui audiuit peccatum pœnitentis in confesione, posit dicere, se illud in confesione ab eo pœnitente audiuisse.* 187
DIF. VIII. *Vtrùm Confessarius posit peccatum pœnitentis, aliàs extra confesionem notum, reuelare, non significando se audiuisse illud in confesione.* ibid.
DIF. IX. *Vtrùm peccatum in confesione tantùm notum reuelari posit, ob correctionem pœnitentis.* 188
DIF. X. *Vtrùm Confessarius pro tuenda vita posit aliquo modo reuelare peccatum pœnitentis in confesione tantùm notum.* ibid.
DIF. XI. *Vtrùm Confessarius posit extra confesionem cum pœnitente loqui de peccatis confesis.* 189
DIF. XII. *Vtrùm sit contra sigillum confessionis, dicere,* Non absolui pœnitentem, *v.g. Petrum.* ibid.
DIF. XIII. *Vtrùm Confessarius sub iuramento interrogatus de peccato in confesione tantùm noto, posit illud negare.* ibid.
DIF. XIV. *Vtrùm Confessarius frangens sigillum confesionis, incurrat ipso facto pœnam aliquam.* 190
DIF. XV. *Vtrùm pœnitens ex sigillo confesionis teneatur ad celandos defectus Confessarij in confesione commissos.* ibid.

DISPVTATIO XIII.

De satisfactione secundùm se, seu ex opere operantis, pro pœna temporaria restante post remissionem culpæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm post remissionem culpæ & pœnæ æternæ, aliquãdo maneat pœna aliqua temporaria luenda.* 191
DIF. II. *Vtrùm pœna temporaria, quæ aliquãdo post remissionem culpæ remanet luendæ, remaneat ex natura rei, an ex sola voluntate Dei.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm homo iustus posit condignè satisfacere pro pœna temporaria, quæ post remissionem culpæ remanet luenda.* 192
DIF. IV. *Vtrùm ad satisfaciendum condignè pro pœna tẽporali restante post remissionem culpæ, sit necessarius status gratiæ.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm existens in peccato mortali, adhuc damnatus, passione pœnæ temporalis restantis ex peccato quoad culpam remissi liberetur à debito talis pœnæ.* 193
DIF. VI. *Vtrùm condigna satisfactio pro pœna temporali restante post remissionem culpæ, posit fieri per opera non penalia.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm condigna satisfactio pro pœna temporali restante fieri posit per flagella à Deo immissa.* 194
DIF. VIII. *Vtrùm condigna satisfactio pro pœna temporali restante posit fieri per opera præcepti.* 195
DIF. IX. *Vtrùm ad condignam satisfactionem pro pœna temporali restante requiratur acceptatio Dei.* ibid.

DISPVTATIO XIV.

De satisfactione Sacramentali pro pœna debita.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Confessarius posit obligare pœnitentem ad implementum pœnitentiæ iniunctæ.* 196
DIF. II. *Vtrùm Confessarius teneatur pœnitentiam imponere.* 197
DIF. III. *Quantam pœnitentiam teneatur confessarius imponere.* 198
DIF. IV. *Vtrùm Confessarius teneatur imponere pœnitentiam obligantem, seu sub præcepto.* 199
DIF. V. *Vtrùm Confessarius, iniungendo pœnitentiam, obliget pœnitentem, vt eam per se ipsum exequatur.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm in pœnitentiam Sacramentalem, tantùm imponendum sit opus penale.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm in pœnitentiam Sacramentalem sit imponendum opus externum.* 200
DIF. VIII. *Vtrùm in pœnitentiam Sacramentalem imponi posit opus præcepti.* ibid.
DIF. IX. *Vtrùm Confessarius posit imponere pœnitentiam publicam.* 201
DIF. X. *Vtrùm pœnitentia ab vno Confessario iniuncta posit ab altero mutari.* ibid.
DIF. XI. *Vtrùm qui oblitus est pœnitentiæ sibi iniunctæ, teneatur iterùm confessum repetere.* 202
DIF. XII. *Vtrùm pœnitentia Sacramentalis impleta, causet ex opere operato remissionem pœnæ temporalis restantis post absolutionem à peccatis.* ibid.
DIF. XIII. *Vtrùm pœnitentia Sacramentalis causet ex opere operato augmentum gratiæ sanctificantis.* 203
DIF. XIV. *Vtrùm pœnitentia Sacramentalis in statu peccati mortalis facta, habeat suum effectum ex opere operato.* 204
DIF. XV. *Vtrùm pœnitentia à Confessario taxata prudenter, attenta grauitate peccatorum,*

rum, extinguat debitum totius pœnæ temporalis reſtantis. ibidem.

TRACTATVS DE EXTREMA VNCTIONE.

DIFFICVLTAS I. *Quid ſit Extrema Vnctio.* 206
DIF. II. *Vtrùm Extrema Vnctio ſit Sacramentum nouæ legis.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm Sacramentum Extremæ Vnctionis fuerit à Chriſto inſtitutum, & quando.* 207
DIF. IV. *Quæ ſit materia remota Sacramenti Extremæ Vnctionis.* ibid.
DIF. V. *Quæ ſit materia proxima Extremæ Vnctionis.* 208
DIF. VI. *Quot vnctiones neceſſariæ ſint in Sacramento Extremæ Vnctionis.* ibid.
DIF. VII. *Quæ ſit forma Sacramenti Extremæ Vnctionis.* 209
DIF. VIII. *Quos effectus tribuat Sacramentum Extremæ Vnctionis.* 210
DIF. IX. *Quando Extrema Vnctio conferat gratiam.* 211
DIF. X. *Qui ſint capaces Extremæ Vnctionis.* 212.
DIF. XI. *Vtrùm Baptizati teneantur ſuſcipere Extremam Vnctionem.* 213
DIF. XII. *Quis ſit miniſter Extremæ Vnctionis.* ibidem.

TOMVS SECVNDVS.

TRACTATVS DE EVCHARISTIA.

DISPVTATIO I.

De natura, neceſſitate, & inſtitutione Euchariſtiæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm* EVCHARISTIA *ſit Sacramentum nouæ legis.* 219
DIF. II. *Quid ſit Sacramentum Euchariſtiæ quantum ad nomen.* ibid.
DIF. III. *Quid ſit Sacramentum Euchariſtiæ quantum ad rem, ſeu in quo conſiſtat.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm Sacramentum Euchariſtiæ ſit vnum tantùm ſecundùm ſpeciem infimam.* 221
DIF. V. *Vtrùm in pluribus Hoſtiis conſecratis ſint plura numero Sacramenta.* 222
DIF. VI. *Vtrùm Sacramentum Euchariſtiæ ſit neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem, ſeu vitam æternam.* 223
DIF. VII. *Qua die celebrauerit Chriſtus Paſcha agni eo anno quo mortuus eſt.* 225.
DIF. VIII. *Vtrùm Iudæi eo anno, quo Chriſtus mortuus eſt, celebrauerint Paſcha agni die decima quarta Lunæ ad veſperam, quando Chriſtus celebrauit.* 227
DIF. IX. *Vtrùm Chriſtus & reliqui Iudæi Paſcha agni celebrauerint in priori an in poſteriori veſpera diei decimæquartæ Lunæ.* 229.
DIF. X. *Quâ die & qua hora Chriſtus inſtituerit Sacramentum Euchariſtiæ.* 232.

DISPVTATIO II.

De materia Sacramenti Euchariſtiæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm panis & vinum ſint materia Sacramenti Euchariſtiæ.* 234
DIF. II. *Vtrùm ſolus panis triticeus ſit materia ſufficiens conſecrationis Corporis Chriſti.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm quicumque panis ex tritico confectus ſit ſufficiens ad conſecrationem Corporis.* 235
DIF. IV. *Vtrùm panis tam fermentatus quàm azymus ſit materia ſufficiens ad conſecrationem Corporis.* 236
DIF. V. *Vtrùm Sacerdos Græcus teneatur in fermentato, & Latinus in azymo conſecrare.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm Græcus, dum exiſtit in Eccleſia Latina, teneatur in fermentato; & Latinus, dum exiſtit in Eccleſia Græca, teneatur in azymo conſecrare.* 237
DIF. VII. *Vtrùm ſolum vinum vitis ſit materia ſufficiens ad conſecrationem Sanguinis.* ibidem.
DIF. VIII. *Vtrùm agreſta, acetum, lora, & ſapa ſint materia ſufficiens conſecrationis Sanguinis.* 238
DIF. IX. *Vtrùm muſtum & vinum congelatum ſint materia ſufficiens conſecrationi Sanguinis.* ibid.
DIF. X. *Vtrùm expediens ſit aquam vino conſecrando miſcere.* 239
DIF. XI. *Vtrùm aquam vino conſecrando miſcere, ſit neceſſarium neceſſitate præcepti.* 240
DIF. XII. *Vtrùm mixtio aquæ vino conſecrando, ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti.* ibid.
DIF. XIII. *Quæ ſint obſeruanda in mixtione aquæ cum vino.* 241
DIF. XIV. *Vtrùm aqua vino conſecrando mixta, conuertatur in Sanguinem Chriſti.* ibidem.

DIF. XV. *Vtrùm materia consecrationis, tam Corporis quàm Sanguinis, debeat esse præsens consecranti.* 244
DIF. XVI. *Vtrùm materia consecrationis debeat esse determinata & definita in particulari per intentionem consecrantis.* 245
DIF. XVII. *Vtrùm materia consecrationis possit in quauis parua quantitate validè consecrari.* 246
DIF. XVIII. *Vtrùm materiæ consecrationis possint in quauis magna quantitate validè consecrari.* ibid.

DISPVTATIO III.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Christus eisdem verbis gratias egerit Patri, benedixerit panem & vinum, & ea consecrauerit.* 247.
DIF. II. *Quo pacto Christus consecrauerit.* 248.
DIF. III. *Vtrùm præter verba, quibus Christus consecrauit, sint necessaria alia, vt nunc fiat à Sacerdotibus consecratio.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm forma consecrationis ita incipiat ab illis verbis,* Hoc est Corpus meum, *&,* Hic est calix, *&c. vt absque præcedentibus ad ipsa possit fieri consecratio.* 249
DIF. V. *Quæ verba sint essentialia formæ consecrationis Corporis.* 250
DIF. VI. *Vtrùm omnia verba, quæ in Ecclesia Latina dicũtur pro consecratione Sanguinis, sint essentialia formæ ipsius.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm verba consecrationis mutari possint.* 251
DIF. VIII. *Quid significetur verbis illis* effundetur *&* tradetur *additis in formis consecrationis.* 253
DIF. IX. *Vtrùm verba consecrationis proferantur à Sacerdote recitatiuè, an significatiuè.* ibid.
DIF. X. *Quid demonstretur pronomine* hoc *&* hic, *in formis consecrationis.* 255
DIF. XI. *Vtrùm aqua post inchoatam formam consecrationis Sanguinis, & ante eam finitam conuersa in vinum, conuertatur in Sanguinem Christi.* 258
DIF. XII. *Vtrùm verba consecrationis sint vera ex primaria vocum institutione, & secundùm proprietatem, an tantùm ex intentione proferentis.* ibid.
DIF. XIII. *Vtrùm formæ consecrationis sint causæ conuersionis, non solùm ratione significationis, sed etiam ratione veritatis.* 259.

DISPVTATIO IV.

De conuersione, seu transsubstantiatione panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Corpus & Sanguis Christi verè & realiter sint sub speciebus panis & vini.* 260
DIF. II. *Vtrùm post consecrationem in Eucharistia maneat substantia panis & vini.* 261.
DIF. III. *Vtrùm post consecrationem in Eucharistia maneat aliquid substantiæ panis & vini.* 264
DIF. IV. *Vtrùm conuersio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi consistat formaliter in eo, quòd materia prima panis & vini continuetur cum materia prima Corporis & Sanguinis Christi, & incipiat esse sub forma eorum.* 265
DIF. V. *Vtrùm conuersio Eucharistica consistat formaliter in productione modi accidentalis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus.* 266
DIF. VI. *Vtrùm conuersio Eucharistica consistat formaliter in productione modi substantialis, quo Corpus & Sanguis Christi constituuntur substantialiter sub speciebus panis & vini.* 267
DIF. VII. *Vtrùm conuersio Eucharistica consistat formaliter in productione Corporis & Sanguinis Christi.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm conuersio Eucharistica consistat in eo, quòd id, quod erat panis, fiat Corpus Christi.* 269
DIF. IX. *In quo ergo consistat conuersio Eucharistica formaliter.* 270
DIF. X. *Quomodo Corpus & Sanguis Christi possint enuntiari de pane & vino ratione conuersionis Eucharisticæ.* 273
DIF. XI. *Vtrùm Corpus Christi in cælo aut in alio loco existens, possit esse sub speciebus panis simul cum substantia panis.* 274
DIF. XII. *Vtrùm panis & vinum in conuersione Eucharistica annihilentur.* 275
DIF. XIII. *Vtrùm quælibet res creata possit totaliter in quamlibet aliam rem creatam conuerti.* ibidem.
DIF. XIV. *Vtrùm creatura possit conuerti in Deum.* 276
DIF. XV. *Vtrùm sit possibilis conuersio formalis, & etiam materialis.* 277.

DISPVTATIO V.

De modo quo Christus est in Eucharistia.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm totus Christus sit in Eucharistia sub qualibet specie.* 278

DIF. II. *Quid Christi sit sub qualibet specie ex vi verborum, & quid per concomitantiam.* 279
DIF. III. *Vtrùm Verbum diuinum sit in Eucharistia ex vi verborum.* ibidem.
DIF. IV. *Vtrùm Pater & Spiritus sanctus sint in Eucharistia per concomitantiam.* ibidem.
DIF. V. *Vtrùm totus Sanguis Christi sit ex vi verborum sub speciebus vini.* 280
DIF. VI. *Quid significetur nomine Corporis in forma consecrationis panis.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm quantitas, & reliqua accidentia Corporis & Sanguinis Christi sint in Eucharistia.* 282
DIF. VIII. *Vtrùm quantitas & reliqua accidentia Corporis & Sanguinis Christi sint in Eucharistia ex vi verborum.* ibid.
DIF. IX. *Vtrùm Christus sit in Eucharistia totus sub qualibet parte specierum.* 283
DIF. X. *Vtrùm totus Christus sit sub indiuisibilibus specierum panis & vini. Et idem est de Corpore & Sanguine Christi.* 284
DIF. XI. *Vtrùm vnum & idem corpus possit aliquo modo de potentia Dei absoluta esse simul in pluribus locis.* 285
DIF. XII. *Vtrùm idem corpus de potentia Dei absoluta possit esse simul in pluribus locis adæquatis circumscriptiuè.* ibid.
DIF. XIII. *Vtrùm corpus existens simul in pluribus locis, habeat necessariò easdem formas & eadem prædicata ex eis prouenientia, in omnibus illis.* 287
DIF. XIV. *Vtrùm Christus sit in Eucharistia tamquam in loco.* 289
DIF. XV. *Vtrùm Christus habeat vnionem cum speciebus Sacramentalibus.* 290
DIF. XVI. *Qualis sit vnio Christi cum speciebus.* ibid.
DIF. XVII. *Vtrùm modus, quo Christus est sub speciebus, sit supernaturalis secundùm substantiam.* 291
DIF. XVIII. *Vtrùm existentia Christi in Eucharistia pendeat ab existentia naturali ipsius extra Eucharistiam.* ibid.

DISPVTATIO VI.

De his quæ conueniunt Christo prout est in Eucharistia.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Christus, prout existens in Eucharistia, moueatur motu locali sibi proprio & intrinseco.* 292
DIF. II. *A quo Christus existens in Eucharistia moueatur localiter.* 293
DIF. III. *Vtrùm Christus prout existens in Eucharistia, possit agere & pati actione & passione corporea transeunte.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm Christus prout existens in Eucharistia, possit actiones immanentes exercere.* 294
DIF. V. *Vtrùm Christus prout existens in Eucharistia, possit videri oculo corporeo.* ibidem.
DIF. VI. *Vtrùm ea, quæ Christus acquirit, & ipsi imprimuntur extra Eucharistiam, comitentur naturaliter ipsum in Eucharistia.* 295.
DIF. VII. *Quæ prædicata attribuantur Christo ratione specierum.* 296
DIF. VIII. *Vtrùm aliquando in Eucharistia videatur vera caro & verus Sanguis Christi in se ipsis.* 297
DIF. IX. *Vtrùm quando apparet caro aut Sanguis in speciebus, maneat Christus Sacramentaliter sub illis.* ibid.

DISPVTATIO VII.

De accidentibus panis & vini remanentibus in Eucharistia.

DIFFICVLTAS I. *Quæ accidentia panis & vini remaneant in Eucharistia post consecrationem.* 298
DIF. II. *Vtrùm quantitas panis & vini in Eucharistia existat per se positiuè.* 299
DIF. III. *Vtrùm modus perfectatis accidentalis possibilis accidenti sit supernaturalis.* 300.
DIF. IV. *Vtrùm reliqua accidentia panis & vini maneant in quantitate tamquam in subiecto.* 301
DIF. V. *Vtrùm accidentia, seu species panis & vini in Eucharistia possint agere propria virtute.* ibid.
DIF. VI. *Quomodo ex accidentibus seu speciebus Sacramentalibus possit substantia aliqua produci.* 302
DIF. VII. *Quomodo ex accidentibus, seu ex speciebus Sacramentalibus, possimus nutriri.* 303.
DIF. VIII. *Vtrùm per mixtionẽ liquoris cum speciebus vini consecratis Sanguis Christi desinat esse sub illis.* 304
DIF. IX. *Vtrùm quando Christus desinit esse sub speciebus, mutetur.* 305
DIF. X. *Vtrùm desitio Christi sub speciebus, sit conuersio ipsius in substantiam sibi succedentem.* ibidem.

DISPVTATIO VIII.

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ conferat augmentum gratiæ iustificantis.* 306

DIF. II. *Quando augeatur gratia iustificans virtute Sacramenti Eucharistiæ.* ibidem.
DIF. III. *Quæ dispositio sit necessaria in suscipiente Eucharistiam, vt augmentum gratiæ ipsius recipiat.* 307
DIF. IV. *Vtrùm virtute Sacramenti Eucharistiæ, præter vnionem animæ cum Deo factam medio augmento gratiæ, etiam fiat vnio aliqua inter carnem suscipientis & inter carnem Christi.* 308
DIF. V. *Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ cõferat gloriam in alia vita.* 310
DIF. VI. *Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ in hac vita producat aliquid in corpore dignè suscipientis.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ per se remittat peccata mortalia.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm Sacramentum Eucharistiæ aliquando per accidens remittat peccata mortalia.* 311
DIF. IX. *Quos alios effectus conferat Sacramentum Eucharistiæ.* 312.

DISPVTATIO IX.

De sumptione Sacramenti Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm sumere Sacramentum Eucharistiæ in statu peccati mortalis, sit peccatum mortale.* 313
DIF. II. *Vtrùm peccatum mortale indignæ susceptionis Eucharistiæ sit omnium peccatorum grauissimum.* 314
DIF. III. *Vtrùm sumere Eucharistiam in peccato veniali, sit peccatum.* 315
DIF. IV. *Vtrùm existens in peccato veniali, teneatur Sacramentaliter confiteri ad sumptionem Eucharistiæ.* 316
DIF. V. *Vtrùm præceptum præmittendi confessionem mortalis ad sumptionem Eucharistiæ, sit etiam diuinum, an tantùm Ecclesiasticum.* ibid.
DIF. VI. *Quando possit quis post mortale sumere Eucharistiam sine præuia confessione illius.* 317
DIF. VII. *Vtrùm qui sumpsit Eucharistiam absque præuia confessione mortalis, teneatur confiteri quàm primùm possit.* 318
DIF. VIII. *Vtrùm minister administrans Eucharistiam indigno, vnum tantùm peccatum committat.* 319
DIF. IX. *Vtrùm peccatori occulto, petenti publicè Eucharistiam, sit deneganda.* 320.
DIF. X. *Vtrùm peccatori occulto, occultè petenti Eucharistiam, sit etiam deneganda.* 321.
DIF. XI. *Vtrùm peccatori publico publicè petenti Eucharistiam, deneganda sit.* ibid.
DIF. XII. *Vtrùm Eucharistia possit administrari alicui ad purgationem delicti, de quo est suspectus.* 322
DIF. XIII. *Vtrùm pollutio impediat sumptionem Eucharistiæ.* ibidem.
DIF. XIV. *Vtrùm cibus vel potus sumptus impediat sumptionem Eucharistiæ.* 323
DIF. XV. *Vtrùm ieiunium ad sumptionem Eucharistiæ prærequisitum debeat esse naturale, an sufficiat Ecclesiasticum.* 324
DIF. XVI. *Vtrùm Eucharistia possit aliquando à non ieiuno sumi.* ibid.
DIF. XVII. *Vtrum Sacerdoti existenti extra periculum mortis, sit licitum aliquando non ieiuno Eucharistiam sumere.* 325
DIF. XVIII. *Quotuplex sit modus sumendi Eucharistiam.* 327
DIF. XIX. *Vtrùm Eucharistia possit infantibus ministrari.* ibid.
DIF. XX. *Vtrùm Eucharistia possit amentibus ministrari.* 328
DIF. XXI. *Vtrùm Eucharistia possit energumenis ministrari.* ibid.
DIF. XXII. *Vtrùm conueniens sit quotidie Eucharistiam sumere.* 329
DIF XXIII. *Vtrùm Christus sumpserit suum Corpus & suum Sanguinem sub speciebus Sacramentalibus.* 330
DIF. XXIV. *Vtrùm Christus dederit suum Corpus Iudæ.* ibidem.

DISPVTATIO X.

De præcepto sumendi Eucharistiam.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm sit præceptum sumendi Eucharistiam.* 332
DIF. II. *Vtrùm præceptum sumendi Eucharistiam obliget pro articulo mortis.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm præceptum sumendi Eucharistiam obliget etiam pro tempore extra articulum mortis.* 334
DIF. IV. *Qui teneantur præcepto Communionis.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm laici teneantur communicare sub vtraque specie.* 336
DIF. VI. *Vtrùm vtraque species, panis videlicet & vini, plus gratiæ conferat quam altera tantùm.* 337

DISPVTATIO XI.

De ministro Eucharistiæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm solus Sacerdos sit minister Eucharistiæ quoad consecrationem.* 339
DIF. II. *Vtrùm plures Sacerdotes possint simul eamdem Hostiam consecrare.* ibidem.

DIF. III. *Vtrùm solus Sacerdos posſit Sacramentum Euchariſtiæ diſpenſare & diſtribuere.* 340
DIF. IV. *Vtrùm omnes Sacerdotes ſint ordinarij miniſtri ad diſtribuendam Euchariſtiam.* 341
DIF. V. *Quomodo aliis Sacerdotibus, qui non ſunt proprij Paſtores, cõueniat Euchariſtiam deſtribuere.* 342
DIF. VI. *Quibus conceſſa ſit facultas ex priuilegio ad diſtribuendam Euchariſtiam.* ibidem.

TRACTATVS DE SACRIFICIO MISSÆ.

DISPVTATIO I.

De natura & eſſentia Sacrificij Miſſæ.

DIFFICVLTAS I. *Quid ſit Sacrificium propriè & ſtrictè ſumptum.* 344.
DIF. II. *Vtrùm in Miſſa ſit verum & proprium Sacrificium, & in eo Chriſtus immoletur.* 346
DIF. III. *Vtrùm aliquid aliud ſimul cum Chriſto ad victimam ſeu hoſtiam Sacrificij Miſſæ pertineat.* 347
DIF. IV. *Vtrùm immolatio, ſeu actio ſacrificandi in Miſſa, conſiſtat in oblatione panis & vini ſtatim poſt lectum Euangelium verbaliter facta.* 348
DIF. V. *Vtrùm immolatio, ſeu actio ſacrificandi in Miſſa, conſiſtat in oblatione Corporis & Sanguinis Chriſti, paulò poſt conſecrationem verbaliter facta.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm actio Sacrificij Miſſæ in fractione Hoſtiæ conſecratæ conſiſtat.* 349
DIF. VII. *Vtrùm actio Sacrificij Miſſæ in ſumptione ſpecierum conſecratarum conſiſtat.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm eſſentia actionis Sacrificij Miſſæ ſita ſit in conſecratione, qua Corpus & Sanguis Chriſti ponuntur ex vi verborum ſub ſpeciebus panis & vini.* 351
DIF. IX. *Vtrùm ad eſſentiam actionis Sacrificij Miſſæ, requiſita ſit vtriuſque ſpeciei conſecratio.* 352
DIF. X. *Vtrùm conſecratio vtriuſque ſpeciei ſimul, ſit Iure diuino præcepta.* 353
DIF. XI. *Vtrùm in Miſſa ſit vnum tantùm Sacrificium.* 354
DIF. XII. *Vtrùm ſacrificium Miſſæ ſit idem cum Sacrificio quod Chriſtus in vltima cœna celebrauit.* 355
DIF. XIII. *Vtrùm Sacrificium Miſſæ ſit idem cum Sacrificio cruento, quod Chriſtus in cruce celebrauit.* ibidem.
DIF. XIV. *Quo pacto in Euchariſtia ratio Sacrificij comparetur cum ratione Sacramenti.* 356
DIF. XV. *Vtrùm Sacrificium Miſſæ ſit propitiatorium.* 357.

DISPVTATIO II.

De offerentibus, & de his pro quibus offertur Sacrificium Miſſæ.

DIFFICVLTAS I. *Quomodo Chriſtus offerat Sacrificium Miſſæ.* 358
DIF. II. *Vtrùm omnes Sacerdotes poſſint efficere & offerre verum Sacrificium Miſſæ.* 359
DIF. III. *Vtrùm alij fideles, præter Sacerdotes, Sacrificium Miſſæ offerre dicantur.* 360.
DIF. IV. *Vtrùm Sacrificium Miſſæ poſſit pro omnibus viuis offerri.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm Sacrificium Miſſæ poſſit pro omnibus defunctis offerri.* 362.

DISPVTATIO III.

De virtute & effectibus Sacrificij Miſſæ.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm remiſſio peccati mortalis quoad culpam ſit effectus Sacrificij Miſſæ.* 363
DIF. II. *Vtrùm remeſſio venialium ſit effectus Sacrificij Miſſæ.* 364
DIF. III. *Vtrùm augmentum gratiæ habitualis ſit effectus Sacrificij Miſſæ.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm remiſſio pœnæ temporalis ſit effectus Sacrificij Miſſæ.* 365
DIF. V. *Vtrùm ſint alij effectus Sacrificij Miſſæ.* ibidem.
DIF. VI. *Vtrùm omnes effectus Sacrificij Miſſæ ſuprà memorati dicendi ſint ex opere operato.* 366
DIF. VII. *Vtrùm Sacrificium Miſſæ ſit infiniti valoris.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm Sacrificium Miſſæ pluribus, quamuis non ſacrificantibus, applicatum, ita ſingulis proſit, ac ſi paucioribus applicaretur.* 368
DIF. IX. *A quibus participetur fructus Sacrificij Miſſæ ex opere operato.* 369
DIF. X. *Vtrùm applicatio Sacrificij Miſſæ fiat ſecundùm intentionem debitam.* ibid.
DIF. XI. *Vtrùm applicatio ſeu oblatio generalis Sacrificij Miſſæ eodem modo proſit, ac ſpecialis.* 370
DIF. XII. *Quæ diſpoſitio neceſſaria ſit in eo, pro quo Sacrificium Miſſæ offertur, vt eius fructum ex opere operato percipiat.* ibid.

DISPVTATIO IV.

De obligatione & prohibitione celebrandi, quoad substantiam, & quoad circumstantias.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm omnes Sacerdotes teneantur aliquando celebrare.* 371.

DIF. II. *Quibus diebus licitum sit Sacerdotibus celebrare.* 372

DIF. III. *Vtrùm licitum sit eidem Sacerdoti in eadem die plures Missas celebrare.* 373.

DIF. IV. *A qua hora diei possit Missa inchoari.* 374

DIF. V. *Ad quam horam diei inceptio celebrationis Missæ differri possit.* ibid.

DIF. VI. *Vtrùm Missa celebranda sit in loco sacro.* 375

DIF. VII. *Vtrùm possit celebrari in Ecclesia polluta, & violata.* 376

DIF. VIII. *Quale debeat esse altare ad Missam celebrandam.* 377

DIF. IX. *Qualis debeat esse ornatus altaris ad Missam celebrandam.* 378

DIF. X. *Quæ & qualia vasa requirantur ad celebrandum.* 379

DIF. XI. *Quæ & quales vestes sint necessariæ ad celebrationem Missæ.* 380

DIF. XII. *Vtrùm dicenda & agenda sint, quæ in celebratione Missæ ordinantur.* ibid.

DIF. XIII. *Quomodo occurrendum sit defectibus in celebratione Missæ contingentibus.* 381

DIF. XIV. *Quo pacto pro celebratione Missæ assignandum sit iustum stipendium.* 382

DIF. XV. *Vtrùm Sacerdos possit pro vnius Missæ celebratione plura integra stipendia accipere.* 383

DIF. XVI. *Vtrùm Sacerdotes obligati sint ad offerendum Missam pro aliis.* ibid.

DIF. XVII. *Quo pacto se debeat gerere Sacerdos in distributione stipendiorum sibi collatorum pro Missarum celebratione.* 384.

DISPVTATIO V.

De præcepto audiendi Missam.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm baptizati teneantur Missam audire.* 385

DIF. II. *Vtrùm ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam, sit necessaria attentio interna ad Missam.* 386

DIF. III. *Vtrùm qui audit Missam absque intentione satisfaciendi præcepto, ipsi satisfaciat.* ibid.

DIF. IV. *Vtrùm qui audit integram Missam, audiendo partem Missæ vnius Sacerdotis, & posteà partem Missæ alterius Sacerdotis, satisfaciat præcepto audiendi Missam.* ibid.

DIF. V. *Vtrùm qui audit Missam extra propriam Parochiam, satisfaciat præcepto audiendi Missam.* 387

DIF. VI. *Quibus de causis baptizati excusentur ab auditione Missæ in die festo.* ibid.

TRACTATVS DE ORDINE.

DIFFICVLTAS I. *Quid & quotuplex sit Ordo.* 388

DIF. II. *Vtrùm Ordines Ecclesiastici sint plures, quàm dicti septem.* ibid.

DIF. III. *Vtrùm Episcopatus sit Ordo Ecclesiasticus.* 389

DIF. IV. *Vtrùm Episcopatus Iure diuino sit distinctus à Presbyteratu, & eo superior.* 390.

DIF. V. *Qui Ordines sint maiores, & qui minores, & qui sacri, & qui non; & quæ singulorum officia.* ibid.

DIF. VI. *Vtrùm Ordo sit Sacramentum nouæ legis.* 391

DIF. VII. *Vtrùm ordinationes Episcopi & Presbyteri sint Sacramenta nouæ legis.* 392.

DIF. VIII. *Vtrùm ordinationes Diaconi & Subdiaconi sint Sacramenta nouæ legis.* ib.

DIF. IX. *Vtrùm quatuor minores ordinationes, & collatio primæ tonsuræ, sint Sacramenta.* 393

DIF. X. *Quæ sit materia & quæ forma in ordinatione Episcopi.* 394

DIF. XI. *Quæ sit materia & quæ forma in ordinatione Sacerdotis.* ibid.

DIF. XII. *Quæ sit materia & quæ sit forma in ordinatione Diaconi.* 396

DIF. XIII. *Quæ sit materia & quæ forma in ordinatione Subdiaconi.* 397

DIF. XIV. *Quæ sit materia & quæ forma in ordinationibus minoribus.* ibid.

DIF. XV. *Vtrùm ad valorem singularum ordinationum requiratur ex parte ordinandi tactus physicus rei, cuius traditione ordinatur.* 398

DIF. XVI. *Quos effectus tribuat Sacramentum Ordinis.* ibid.

DIF. XVII. *Vtrùm Episcopus sit minister Sacramenti Ordinis.* 399

DIF. XVIII. *Vtrùm alij non Episcopi sint ministri Sacramenti Ordinis.* 400

DIF. XIX. *Quot Episcopi requirantur ad valorem ordinationis Episcopi.* ibid.

DIF. XX. *Vtrùm fœminæ ex institutione Christi sint capaces ordinationis Ecclesiasticæ.* 401

DIF.

DIF. XXI. *De ætate requisita ad ordinationem Ecclesiasticam suscipiendam.* 402
DIF. XXII. *De qualitate ordinandorum.* 403
DIF. XXIII. *De temporibus ordinationum.* ibidem.
DIF. XXIV. *Quo Iure prohibitum sit, sacris & maioribus Ordinibus initiatum, matrimonium contrahere.* 404
DIF. XXV. *Quo Iure prohibitum sit, sacris initiatos vti matrimonio ante Ordines contracto.* 405
DIF. XXVI. *Vtrùm sacris initiati obligentur ad continentiam lege Ecclesiastica immediatè, an mediante voto.* ibid.
DIF. XXVII. *Vtrùm sacris initiati teneantur tonsuram Clericalem gestare.* 406.

TOMVS TERTIVS.

TRACTATVS DE MATRIMONIO.

DISPVTATIO I.

De natura Sponsalium, & eorum valore ad obligandum.

DIFFICVLTAS I. *Quid sint Sponsalia.* 411
DIF. II. *Vtrùm Sponsalia addant fornicationi sponsæ aut sponsi cum alia persona, nouam malitiam.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm promissio Matrimonij ad sui valorem requirat acceptationem.* 412
DIF. IV. *Vtrùm qui acceptat promissionem Matrimonij, eo ipso censeatur repromittere.* 413
DIF. V. *Vtrùm promissio Matrimonij non mutua, ab vno facta absque repromissione alterius, sit valida & sufficiens ad obligandum.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm promissio Matrimonij gratuita, & non mutua, obliget sub mortali.* 414.
DIF. VII. *Vtrùm promissio Matrimonij merè interna, sit valida ad obligandum.* ibid.
DIF. VIII. *Quanta deliberatio requiratur ad valorem Sponsalium.* 415
DIF. IX. *Vtrùm ad valorem Sponsalium & Matrimonij sufficiat deliberatio virtualis, vel potius intentio deliberata virtualis.* ibidem.
DIF. X. *Vtrùm promissio Matrimonij ex animo promittendi facta cum animo non se obligandi, sit valida ad obligandum.* 416
DIF. XI. *Vtrùm promissio Matrimonij omnino ficta, sit valida ad obligandum.* 417
DIF. XII. *Vtrùm qui defloravit virginem spe fictæ promissionis Matrimonij, teneantur eam ducere.* 418
DIF. XIII. *Quibus verbis contrahantur Sponsalia & Matrimonium.* ibid.
DIF. XIV. *Qui possint Sponsalia contrahere.* 420
DIF. XV. *Vtrùm Sponsalia coacta, seu metu facta, sint nulla.* 421
DIF. XVI. *Vtrùm Sponsalia clandestina sint valida & licita.* ibid.
DIF. XVII. *Vtrùm, qui tenetur implere Sponsalia, & non vult, cogendus sit per iudicem.* 422.
DIF. XVIII. *Vtrùm possit apponi pœna iniustè resilienti à contractu sponsalitio.* 423
DIF. XIX. *Vtrùm in Sponsalibus possint tradi arrhæ amittendæ ab iniustè resilienti.* ibidem.
DIF. XX. *Ad quem pertineant arrhæ.* 424
DIF. XXI. *Quæ sint impedimenta, quibus impeditur valor Sponsalium nondum factorum, ne validè fiant.* 425.

DISPVTATIO II.

De dissolutione Sponsalium.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Sponsalia puberum solo eorum mutuo consensu dissolui possint.* 426
DIF. II. *Vtrùm Sponsalia impuberum solo eorum mutuo consensu dissolui possint.* ibidem.
DIF. III. *Vtrùm Sponsalia, priùs facta, dissoluantur per votum simplex castitatis subsequens.* 427
DIF. IV. *Vtrùm Sponsalia dissoluantur per votum subsequens suscipiendi Ordinem sacrum.* 428
DIF. V. *Vtrùm quilibet sponsus sit liber ad ingrediendum Religionem, non contracto Matrimonio, quamuis Sponsalia sint iurata.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm Sponsalia facta dissoluantur per ipsum ingressum Religionis factum absque iniuria partis.* 429
DIF. VII. *Vtrùm Sponsalia dissoluantur per Matrimonium subsequens factum cum alia persona.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm Sponsalia priora dissoluantur per posteriora, quibus accessit iuramentum, aut copula.* 430
DIF. IX. *Vtrùm Sponsalia transacto termino in eis assignato dissoluantur.* ibid.
DIF. X. *Vtrum quando vnus ex sponsis discedit in remotissimum locum absque consensu alterius, dissoluantur Sponsalia ex parte relicti.* 431
DIF. XI. *Vtrùm ob fornicationem, post Sponsalia*

salia factam, dissoluantur ex parte innocentis. 432
DIF. XII. *Vtrùm Sponsalia dissolui possint ob impedimentum dirimens superueniens.* ibid.
DIF. XIII. *Vtrùm Sponsalia dissolui possint ob notabilem defectum corporis superuenientem.* 433
DIF. XIV. *Ob quasnam alias causas dissolui possint Sponsalia.* ibid.
DIF. XV. *Vtrùm causæ, quæ quando superueniunt Sponsalibus, sufficiunt ad eorũ dissolutionem, etiam sufficiant, quando præcesserunt, & tunc fuerunt ignoratæ.* 434
DIF. XVI. *Vtrùm sponsus, conscius causæ sufficientis ad dissolutionem Sponsalium, amittat ius resiliendi, si accedat ad sponsam.* 435
DIF. XVII. *Vtrùm laborans occulto defectu, ob quem potest alter resilire, possit alterum ignarum illius defectus ad Matrimonium contrahendum compellere.* ibidem.
DIF. XVIII. *Vtrùm ad dissoluenda Sponsalia sit necessaria Iudicis auctoritas.* 436
DIF. XIX. *Qualis probatio requiratur, vt Iudex dissoluat Sponsalia.* ibidem.

DISPVTATIO III.

De natura & essentia Matrimonij.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Matrimonium.* 437
DIF. II. *Quis consensus, seu quæ intentio requiratur ad essentiam & valorem contractus Matrimonij.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm consensus, ad essentiam & valorem contractus Matrimonij requisitus, debeat ferri in mutuam corporum traditionem.* 438
DIF. IV. *Vtrùm consensus, ad valorem contractus Matrimonij requisitus, debeat ferri in tria bona Matrimonij.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm consensus, ad valorem contractus Matrimonij requisitus, debeat ferri in copulam.* 439
DIF. VI. *Vtrùm contractus Matrimonij possit fieri absque consensu contrahentium.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm qui falsò existimat se esse inhabilem ad contractum Matrimonij, possit habere consensum sufficientem ad valorem illius.* 440
DIF. VIII. *Vtrùm ad valorem contractus Matrimonij requiratur, quòd consensus actualis vtriusque sit simul tempore.* ibid.
DIF. IX. *Quomodo renouandus sit contractus Matrimonij nullus ex defectu consensus veri, aut legitimi.* 442
DIF. X. *Vtrùm ad reualidandum contractum Matrimonij nullum necessarium sit, eum qui iterùm est consensurus, esse aut fieri conscium illius nullitatis.* ibid.
DIF. XI. *Vtrùm ad reualidandum contractum Matrimonij nullum, coram Parocho & aliis testibus celebratum, necessarium sit iterum corã Parocho & aliis testibus cõtrahere.* 443
DIF. XII. *Vtrùm ad essentiam & valorem contractus Matrimonij necessariũ sit signum externũ, expressiuum consensus interni.* 444
DIF. XIII. *Vtrùm ad naturam & valorem contractus Matrimonij sufficiat quodlibet signum externum expressiuum consensus.* ib.
DIF. XIV. *Vtrùm Sponsalia transeant in Matrimonium per copulam subsecutam.* 445
DIF. XV. *Vtrùm contractus Matrimonij baptizatorum in eorum absentia fiat validè per procuratores.* 446
DIF. XVI. *Vtrùm Matrimonium baptizatorum sit propriè Sacramentum gratiam conferens.* 447
DIF. XVII. *Vtrùm Matrimonium baptizatorum, per procuratores celebratum, sit propriè Sacramentum gratiam conferens.* ibid.
DIF. XVIII. *Vtrùm Matrimonium inter baptizatum & non baptizatum, sit propriè Sacramentum gratiam conferens.* 448
DIF. XIX. *Vtrùm inter baptizatos possit celebrari Matrimonium, quod non sit propriè Sacramentum.* ibidem.
DIF. XX. *Vtrùm Matrimonium, ante legem gratiæ in lege naturæ & veteri, fuerit propriè Sacramentum gratiam conferens.* ibid.
DIF. XXI. *Quæ sit materia & quæ sit forma in Sacramento Matrimonij.* 449
DIF. XXII. *Quis sit minister in Sacramento Matrimonij.* 450.

DISPVTATIO IV.

De institutione & obligatione contractus Matrimonij.

DIFFICVLTAS I. *A quo fuerit institutus contractus Matrimonij.* 451
DIF. II. *Vtrùm contractus Matrimonij sit licitus & honestus.* ibidem.
DIF. III. *Quo fine contrahendus sit contractus Matrimonij, vt licitè contrahatur.* 452
DIF. IV. *Vtrùm contractus Matrimonij sit & fuerit sub præcepto.* 453.

DISPVTATIO V.

De Matrimonio clandestino.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Matrimonium clandestinum sit illicitum.* 454
DIF. II. *Vtrùm Matrimonium clandestinum sit irritum, seu nullum.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm Matrimonium clandestinum absque Parocho & aliis testibus post Tridentinum sit aliquando validum.* 455
DIF. IV. *Vtrùm Christiani, incolæ locorum in quibus Tridentinum obligat, validè contrahant absque Parocho & aliis testibus in aliis locis in quibus non obligat.* 456.

DIF. V. *Vtrùm Christiani in prouincijs infidelium, vbi non sunt parochiæ in quibus Tridentinum potuerit publicari, validè contrahant absque Parocho & alijs testibus.* ibidem.
DIF. VI. *Quis Parochus sit sufficiens vt assistat Matrimonio.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm Parochus, & qui de eius licentia assistit Matrimonio, debeat esse Sacerdos.* 457
DIF. VIII. *Vtrùm Parochus excommunicatus validè assistat Matrimonio.* 458
DIF. IX. *Quis præter Parochum possit assistere Matrimonio, & licentiam assistendi concedere Sacerdoti.* ibid.
DIF. X. *Vtrùm Parochus non proprietarius, ab Episcopo delegatus, & amobilis ad nutum illius, possit Matrimonio assistere, & ad id licentiam conferre.* 459
DIF. XI. *Qualis licentia requiratur in Sacerdote, vt validè assistat Matrimonio.* ibid.
DIF. XII. *Quis censeatur Parochus vagabundorum, & quomodo se debeat gerere circa eorum Matrimonium.* 460
DIF. XIII. *Vtrùm Sacerdos habens licentiam ad assistendum, eam tamen ignorans, validè assistat.* ibid.
DIF. XIV. *Quot alij assistentes seu testes, & quales requirantur & sufficiant ad valorem Matrimonij.* 461
DIF. XV. *Qualis præsenti Parochi, & aliorum testium requiratur & sufficiat ad valorem Matrimonij.* ibid.
DIF. XVI. *Quibus pœnis puniantur contrahẽtes clandestinè absque testibus.* 462
DIF. XVII. *Quibus pœnis puniatur Parochus, assistens Matrimonio clandestino absque alijs testibus.* ibid.
DIF. XVIII. *Vtrùm denuntiationes sint necessariæ ad Matrimonium, & quomodo sint faciendæ.* 463
DIF. XIX. *Quis possit dispensare, vt denuntiationes postponantur, vel vt omniõ omittantur.* ibid.
DIF. XX. *Ob quas causas possit Ordinarius in denuntiationibus dispensare.* 464
DIF. XXI. *Vtrùm ex vi denuntiationum sit obligatio reuelandi impedimentum occultum.* 465.
DIF. XXII. *Vtrùm Matrimonium factum absq; denuntiationibus illicitè omissis censeatur clandestinum quoad pœnas clandestini.* 466
DIF. XXIII. *Vtrùm benedictiones nuptiales, vulgò Velationes, adhibendæ sint.* 467.

DISPVTATIO VI.
De Matrimonio coacto.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Matrimonium cõtractum ex metu iniusto, cadente in virum constantem, sit nullum.* 467
DIF. II. *Quo iure Matrimonium ex metu graui iniustè incusso ad illud extorquendum sit nullum.* 468
DIF. III. *Vtrùm Matrimonium ex metu iusto, cadente in virum cõstantem, incusso ad illud extorquendum, sit nullum.* 469
DIF. IV. *Vtrùm, quando Matrimonium fuit nullum ob iniustum metum, cuius alter contrahens fuit causa, iste alter teneatur postea contrahere, si velit qui fuit coactus.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm peccet, qui contrahit Matrimonium ex metu illud irritante.* 470
DIF. VI. *Vtrùm Matrimonium ratione metus inualidum, fiat postea validum, ob copulam subsecutam, aut ob iuramentum.* ibidem.
DIF. VII. *Vtrùm Princeps Ecclesiasticus, & etiam secularis possit subditos ad Matrimonium cogere.* 471
DIF. VIII. *Vtrùm parentes possint cogere seu compellere filios ad Matrimonium.* 472
DIF. IX. *Vtrùm filius teneatur contrahere Matrimonium, quod pater promisit, aut præcipit.* ibidem.
DIF. X. *Vtrùm filij possint licitè inire hoc aut illud Matrimonium, parentibus inuitis seu resistentibus.* 473.

DISPVTATIO VII.
De Matrimonio conditionato.

DIFFICVLTAS I. *Quod Matrimonium sit conditionatum.* 473
DIF. II. *Vtrùm conditiones appositæ Matrimonio illud suspendant vsque ad notitiam existentiæ ipsarum.* 474
DIF. III. *Vtrùm Matrimonium contractum sub conditione de futuro, ob quam suspenditur vsque ad euentum conditionis, fiat validum euentu ipso absque nouo consensu.* ib.
DIF. IV. *Vtrùm Matrimonium contractum inter inhabiles inhabilitate, in qua Papa potest dispensare, sub conditione, si Papa dispensauerit, perficiatur absque nouo consensu, facta dispensatione.* 475
DIF. V. *Quando conditio hæc de futuro, si patri placuerit, apposita Matrimonio, censeatur impleta, aut deficere, vt ex tunc Matrimonium absolutè valeat, aut omnino euanescat.* 476
DIF. VI. *Vtrùm conditio necessaria de futurò, apposita Matrimonio, illud suspendat id futurum.* ibidem.
DIF. VII. *Vtrùm, vbi Tridentinum viget, an valorem absolutum Matrimonij conditionati necessarium sit, conditionem coram Parocho & alijs testibus adimpleri.* 477
DIF. VIII. *Vtrùm conditio contra substantiam Matrimonij illud irritet.* ibidem.
DIF. IX. *Vtrùm conditio numquam se copulãdi, seu*

seu numquam reddendi aut numquam petendi, irritet Matrimonium. 478
DIF. X. *Vtrùm conditio impossibilis habenda sit pro non adiecta.* 480
DIF. XI. *Vtrùm conditio turpis habenda sit pro non adiecta.* ibid.
DIF. XII. *Quam vim habeant sponsalia conditionata.* 481
DIF. XIII. *Vtrùm conditio contra substantiam Matrimonij, sponsalibus apposita, irritet illa.* 482
DIF. XIV. *Vtrùm conditiones impossibiles & turpes appositæ sponsalibus, habendæ sint pro non adiectis.* ibid.
DIF. XV. *Quid operentur tempus, demonstratio, causa, modus, quando apponuntur Matrimonio & sponsalibus.* ibid.

DISPVTATIO VIII.

De indissolubilitate Matrimonij.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Matrimonium sit indissolubile.* 483
DIF. II. *Quo Iure Matrimonium sit indissolubile.* 484
DIF. III. *Vtrùm Pontifex dissoluere possit Matrimonium baptizatorum.* 485
DIF. IV. *Quo Iure Matrimonium ratum baptizatorum dissoluatur per professionem solemnem in Religione.* 486
DIF. V. *Vtrùm Matrimonium ratum baptizatorum dissoluatur per tria vota Societatis post biennium emissa.* 487
DIF. VI. *Vtrùm per vota Ordinum militarium dissoluatur Matrimonium ratum.* ibidem.
DIF. VII. *Vtrùm per vota Mantellatorum & Mantellatarum dissoluatur Matrimonium ratum.* ibid.
DIF. VIII. *Quantum temporis concedatur coniugibus ad ingrediendam Religionem ante consummationem Matrimonij.* 488
DIF. IX. *Quando Matrimonium censeatur consummatum, ita vt nequeat professione dissolui, & cessare faciat licentiam ingrediendi Religionem.* ibid.
DIF. X. *Vtrùm Matrimonium infidelium, etiam consummatum, dissolui possit per conuersionem alterius ad fidem.* 489
DIF. XI. *Vtrùm iam conuersus possit dissoluere Matrimonium, & aliud inire, quando infidelis non vult conuerti, quamuis velit cohabitare pacificè.* ibid.
DIF. XII. *Vtrùm existente prohibitione cohabitandi cum infideli, possit conuersus dissoluere Matrimonium, & aliud inire, quamuis infidelis velit pacificè cohabitare, si non vult conuerti.* 490
DIF. XIII. *Quando dissoluatur Matrimonium conuersi cum infideli nolente cohabitare, aut non nisi cum contumeliâ Creatoris, aut pertrahendo ad mortale.* 491
DIF. XIV. *Vtrùm Matrimonium conuersi cum infideli contractum ante Baptismum, dissoluatur per solemnem professionem in Religione.* ibid.
DIF. XV. *Vtrùm in lege veteri per libellum repudij dissoluebatur Matrimonium quoad vinculum.* 492.

DISPVTATIO IX.

De vnitate Matrimonij.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm pluralitas coniugum simul, sit illicita & nulla.* 493
DIF. II. *Vtrùm pluralitas coniugum simul, aliquando fuerit valida & licita.* 494
DIF. III. *Vtrùm pluralitas coniugum successiuè sit valida & licita.* ibidem.

DISPVTATIO X.

De vsu & debito coniugali.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm vsus seu actus coniugalis sit licitus.* 495
DIF. II. *Quo fine exercendus sit vsus coniugalis, vt licitè fiat.* ibidem.
DIF. III. *Quo tempore actus coniugalis sit illicitus.* 496
DIF. IV. *In quo loco actus coniugalis fiat illicitus.* 497
DIF. V. *Quomodo, aut quo situ actus coniugalis fiat illicitus.* ibidem.
DIF. VI. *Vtrùm actus coniugalis fiat illicitus, quando cognatio spiritualis superuenit Matrimonio iam contracto.* 498
DIF. VII. *Vtrùm actus coniugalis fiat illicitus, quando Matrimonio superuenit affinitas.* 499
DIF. VIII. *Vtrùm actus coniugalis fiat illicitus voto castitatis emisso.* 500
DIF. IX. *Vtrùm dubium de valore Matrimonij reddat actum coniugalem illicitum.* 501.
DIF. X. *Vtrùm tactus turpes inter coniuges sint liciti.* 502
DIF. XI. *Quomodo coniuges obligentur ad actum seu vsum coniugalem.* 503
DIF. XII. *Quibus excusetur coniux à reddditione debiti.* ibidem.
DIF. XIII. *Vtrùm coniugi illicitè petenti possit reddi.* 504

DISPVTATIO XI.
De Diuortio.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm vnus coniux ob adulterium alterius posit ab eo separari quoad vinculum.* 505
DIF. II. *Vtrùm ob adulterium posit fieri Diuortium quoad torum & cohabitationem.* ibidem.
DIF. III. *In quibus casibus adulterium non sufficiat ad Diuortium.* 506
DIF. IV. *Vtrùm maritus teneatur dimittere vxorem adulterantem, & perfistentem in adulterando.* 507
DIF. V. *Vtrùm Diuortium fieri posit ob alias causas ab adulterio distinctas.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm ad Diuortium necessaria sit Iudicis auctoritas.* 508
DIF. VII. *Vtrùm coniux adulter posit ab altero coniuge innocente exigere debitum, & compellere ad cohabitationem.* ibid.
DIF. VIII. *Vtrùm coniuges post Diuortium posint Religionem ingredi, aut omnimodam castitatem vouere.* ibid.
DIF. IX. *Vtrùm coniuges posint mutuo consensu Diuortium facere.* 509

DISPVTATIO XII.
De impedimentis in communi.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm sit potestas humana ad inducenda impedimenta Matrimonio.* 509
DIF. II. *In quibus sit facultas statuendi impedimenta Matrimonij.* 510
DIF. III. *Quot sint impedimenta Matrimonij, & quomodo obligent.* 511
DIF. IV. *Vtrùm metus grauis excuset à culpa contrahentem cum impedimento dirimente.* 512

DISPVTATIO XIII.
De Errore.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Error personæ Iure naturali dirimat Matrimonium contrahendum.* 512
DIF. II. *Vtrùm Error qualitatis personæ dirimat Matrimonium contrahendum.* ibid.

DISPVTATIO XIV.
De Conditione seruitutis.

DIFFICVLTAS I. *Quomodo Conditio seruitutis dirimat Matrimonium contrahendum.* 513
DIF. II. *Vtrùm, quando persona conditionis seruilis contrahit sciente domino, & non contradicente, cum persona libera seruitutis ignara, consequatur libertatem.* 514
DIF. III. *Vtrùm in casu, in quo mancipium contrahens cùm libero, seruitutis ignaro, consequitur libertatem, Matrimonium validè fiat.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm mancipium contrahens Matrimonium cum domino, aut cum domina, statim consequatur libertatem.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm mancipium posit contrahere Matrimonium inuito domino.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm mancipium teneatur potius satisfacere domino, quàm coniugi.* 515
DIF. VII. *Vtrùm dominus posit vendere mancipium coniugatũ ad partes remotas.* ib.

DISPVTATIO XV.
De Voto.

DIFFICVLTAS VNICA. *Quomodo Votum solemne castitatis dirimat Matrimonium.* 515.

DISPVTATIO XVI.
De Ordine.

DIFFICVLTAS I. *Quomodo Ordo sacer dirimat Matrimonium Contrahendũ.* 516
DIF. II. *Vtrùm Ordo sacer ante vsum rationis susceptus dirimat Matrimonium.* ibid.

DISPVTATIO XVII.
De Cognatione naturali, seu ex sanguine, quæ dicitur consanguinitas.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit consanguinitas, & quomodo eius gradus cõputentur.* 517
DIF. II. *Vtrùm Consanguinitas dirimat Matrimonium Iure aliquo positiuo.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat Matrimonium Iure naturali.* 518
DIF. IV. *Vtrùm Consanguinitas in omnibus alijs vlterioribus gradibus lineæ rectæ, præter primum, dirimat Matrimonium Iure naturali.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm Consanguinitas in linea transuersali Iure naturali dirimat Matrimonium.* ibid.

DISPVTATIO XVIII.
De Cognatione spirituali.

DIFFICVLTAS I. *Quid & quotuplex sit Cognatio spiritualis.* 519
DIF. II. *Vtrùm non baptizatus contrahat cognationem spiritualem.* 520
DIF. III. *Quis actus requiratur in patrinis, vt contrahant cognationem spiritualẽ.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm quando plures quàm vnus & vna tenent aut suscipiunt baptizatũ, omnes contrahant cognationem spiritualem.* 521.

DIF. V. *Vtrùm qui per procuratorem seu substitutum exercet munus patrini, contrahat cognationem spiritualem.* 522
DIF. VI. *Vtrùm ex Baptismo non solemni priuatim facto oriatur cognatio spiritualis, tam in patrino quàm in baptizante.* ibid.

DISPVTATIO XIX.

De Cognatione legali.

DIFFICVLTAS I. *Quid & quotuplex sit Cognatio legalis.* 522
DIF. II. *Vtrùm Cognatio legalis dirimat Matrimonium.* 523
DIF. III. *In quoto gradu, & quousq; Cognatio legalis duret, & dirimat Matrimonium.* ibidem.

DISPVTATIO XX.

De Affinitate.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Affinitas, & quid ad eam requiratur.* 524
DIF. II. *Vtrùm ex dicta copula seu commixtione Iure naturali oriatur affinitas.* 525
DIF. III. *Vtrùm Affinitas in linea transuersa Iure naturali dirimat Matrimonium.* ibidem.
DIF. IV. *Vtrùm Affinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat Matrimonium Iure naturali.* 526
DIF. V. *Vtrùm Affinitas dirimat Matrimonium Iure aliquo positiuo.* ibid.

DISPVTATIO XXI.

De Iustitia publicæ honestatis.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm ex sponsalibus oriatur Iustitia publicæ honestatis dirimens Matrimonium.* 527
DIF. II. *Vtrùm ex Matrimonio rato oriatur Iustitia publicæ honestatis dirimens Matrimonium.* 528

DISPVTATIO XXII.

De Impotentia.

DIFFICVLTAS I. *Quotuplex sit Impotentia.* 528
DIF. II. *Quando Impotentia censenda sit perpetua, & quando temporalis.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm Impotentia naturalis coeundi, seu ad penetrationem vasis, dirimat Matrimonium contrahendum.* 529
DIF. IV. *Vtrùm Impotentia coëundi perpetua, & naturalis, dirimat Matrimonium in ordine ad castè viuendum.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm Impotentia naturalis ad seminandum dirimat Matrimonium, quando est potentia ad copulam seu penetrationem vasis.* 530
DIF. VI. *Vtrùm Impotentia naturalis respectiua dirimat Matrimonium contrahendum.* 531.
DIF. VII. *Vtrùm coniux naturaliter impotens, cui licitè & absque periculo vitæ potest humano aliquo remedio subuenirì, teneatur pati tale remedium, altero id exigente.* 532
DIF. VIII. *Vtrùm Impotentia ex maleficio dirimat Matrimonium contrahendum.* ibid.
DIF. IX. *Vtrùm Impotentia perpetua dirimat Matrimonium etiam Iure naturali.* ibid.
DIF. X. *Vtrùm hermaphroditus possit Matrimonium inire.* 533
DIF. XI. *Quantum tempus experientiæ requiratur ad declarationem nullitatis Matrimonij ob impotentiam perpetuam.* 534
DIF. XII. *An Impotentia naturalis ex defectu ætatis dirimat Matrimonium, an defectus ipse ætatis.* 535.

DISPVTATIO XXIII.

De Crimine.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm machinatio in mortem coniugis dirimat Matrimonium posteà cum altero contrahendum.* 536
DIF. II. *Vtrùm adulterium absque machinatione mortis dirimat Matrimonium inter adulteros.* 537
DIF. III. *Vtrùm raptus dirimat Matrimonium.* 538.

DISPVTATIO XXIV.

De Disparitate cultus.

DIFFICVLTAS I. *Quo Iure Matrimonium personæ baptizatæ cum non baptizata sit nullum.* 539
DIF. II. *Vtrùm Matrimonium personæ baptizatæ fidelis cum baptizata infideli sit nullum.* ibidem.

DISPVTATIO XXV.

De Impedimentis tantùm impedientibus.

DIFFICVLTAS VNICA. *Quot, & quæ sint impedimenta tantùm impedientia Matrimonium.* 540.

DISPVTATIO XXVI.

De dispensatione Impedimentorum Matrimonij.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Pontifex dispensare possit in Impedimẽtis Matrimonij.* 541
DIF. II. *Vtrùm Episcopus dispensare possit in Impedimentis Matrimonij.* ibid.
DIF. III. *Quæ sint iustæ causæ ad dispensandum in Impedimentis Matrimonij.* 542.

DIF. IV. *Vtrùm dispensatio, in cuius petitione exprimitur falsum, aut reticetur verum, sit nulla.* 543
DIF. V. *Vtrùm taciturnitas copulæ habitæ inter consanguineos aut affines, irritet dispensationem consanguinitatis aut affinitatis.* 544
DIF. VI. *Vtrùm quando sunt plura impedimenta, ad valorem dispensationis requiratur omnium eorum expressio.* 545
DIF. VII. *Quomodo explicandi sint gradus cognationis in petitione, vt dispensatio valida sit.* 546

TRACTATVS DE CENSVRIS IN COMMVNI.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Censura.* 547
DIF. II. *Quotuplex sit Censura.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm in Ecclesia sit potestas ferendi Censuras.* 548
DIF. IV. *Qui possint ferre Censuras.* ibid.
DIF. V. *Quibus modis possit ferri Censura.* 549
DIF. VI. *Quæ requirantur in ferente Censuras ad eas validè ferendas.* 550
DIF. VII. *Qui possint ligari Censuris.* 551
DIF. VIII. *Vtrùm existens in alieno Episcopatu, possit ligari Censuris à suo Episcopo.* 552
DIF. IX. *Vtrùm existens in alieno Episcopatu, possit ligari Censuris ab Episcopo Episcopatus in quo est.* 553
DIF. X. *Vtrùm Censura possit validè ferri ob peccatum tantùm veniale.* ibid.
DIF. XI. *Vtrùm Censura possit ferri ob peccatum purè internum.* 555
DIF. XII. *Vtrùm Censura possit ferri ob peccatum externum, absque inobedientia respectu Ecclesiæ.* ibid.
DIF. XIII. *Vtrùm quando Censura fertur ob aliquod peccatum, tantùm feratur ob illud completum in suo genere.* 556
DIF. XIV. *Vtrùm Censura lata contra facientes, etiam comprehendat consulentes & mandantes.* 557
DIF. XV. *Vtrùm quando Censura extenditur ad mandantes & consulentes, eam incurrant, si ante opus secutum reuocent mandatum aut consilium.* ibid.
DIF. XVI. *Vtrùm Censura ferri possit pro peccatis futuris.* 558
DIF. XVII. *Vtrùm committens peccatum, cui annexa est Censura, committat duplex peccatum.* 559
DIF. XVIII. *Vtrùm Censura possit ferri absque præuia monitione canonica.* ibid.
DIF. XIX. *Qualis debeat esse monitio canonica prærequisita ad lationem Censuræ à Iudice.* 560
DIF. XX. *Qualiter requiratur monitio canonica ad lationem Censuræ à Iudice.* ibid.
DIF. XXI. *Vtrùm ignorantia facti impediat incursionem Censuræ.* 561
DIF. XXII. *Vtrùm ignorantia Iuris impediat incursionem Censuræ.* 562
DIF. XXIII. *Vtrùm metus impediat incursionem Censuræ.* 563
DIF. XXIV. *Vtrùm iniustitia Censuræ impediat incursionem illius.* ibid.
DIF. XXV. *Vtrùm appellatio legitima impediat incursionem Censuræ.* 564
DIF. XXVI. *Vtrùm consensus partis impediat incursionem Censuræ sub conditione latæ.* 565

TRACTATVS DE EXCOMMVNICATIONE.

DISPVTATIO I.

De natura, institutione, & diuisione Excommunicationis in communi.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Excommunicatio in communi.* 566
DIF. II. *A quo Excommunicatio fuerit instituta.* ibid.
DIF. III. *Quotuplex sit Excommunicatio.* 567

DISPVTATIO II.

De effectibus quasi in communi Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I. *Quibus generatim priuet Excommunicatio maior.* 567
DIF. II. *Quo Iure Excommunicatio maior priuet dicta mutua communicatione.* ibid.
DIF. III. *Qui excommunicati sint necessariò vitandi.* 568
DIF. IV. *Vtrùm possit communicari cum excommunicatis non necessariò vitandis, ac si non essent excommunicati.* 569

DISPVTATIO III.

De primo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Excommunicatio maior priuet suffragiis communibus Ecclesiæ, & ab eis excludat.* 570
DIF. II. *Vtrùm licitum sit communia suffragia pro excommunicatis offerre.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm suffragia communia pro excommunicatis oblata eis prosint.* 571
DIF. IV. *Vtrùm pro excommunicatis toleratis possint offerri suffragia communia.* ibid.
DIF. V. *Vtrum suffragia communia possint*

offerri pro excommunicatis contritis nondum absolutis ab Excommunicatione. 572
DIF. VI. *Vtrùm excommunicati sint priuati orationibus & suffragiis priuatis.* ibid.

DISPVTATIO IV.
De secundo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Excommunicatio maior priuet participatione Sacramentorum.* 573
DIF. II. *Vtrùm excommunicatus possit licitè administrare Sacramenta in casu necessitatis proximi.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm Sacramenta suscepta ab excommunicato Excommunicatione maiori, sint valida.* 574
DIF. IV. *Vtrùm Sacramenta administrata ab excommunicato, sint nulla.* 575

DISPVTATIO V.
De tertio effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Excommunicatio maior priuet rebus diuinis & sacris.* 575
DIF. II. *Vtrùm illicitum sit excommunicato diuina Officia celebrare, & eis assistere.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm illicitum sit excommunicato vti rebus sacris.* 576
DIF. IV. *Vtrùm illicitum sit sepelire in loco sacro corpus morientis in Excommunicatione.* ibid.

DISPVTATIO VI.
De quarto effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Excommunicatio maior priuet beneficiis ante ipsam legitimè obtentis.* 577
DIF. II. *Vtrùm Excommunicatio maior priuet obtentione beneficij Ecclesiastici.* 578
DIF. III. *Vtrùm acceptatio beneficij ante Excommunicationem collati seu oblati sit valida, quando fit tempore Excommunicationis.* ibid.

DISPVTATIO VII.
De quinto effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Excommunicatio maior priuet vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ.* 579
DIF. II. *Vtrùm Excommunicatio maior irritet actus iurisdictionis Ecclesiasticæ.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm Excommunicatio maior priuet actiua collatione beneficij.* 580

DISPVTATIO VIII.
De sexto effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Excommunicatio maior priuet actibus iudicij forensis.* 581
DIF. II. *Vtrùm excommunicatus possit exercere actus Iudicis.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm Excommunicatus possit esse actor in iudicio.* ibid.
DIF. IV. *Vtrùm excommunicatus possit trahi ad iudicium, vt reus.* 582
DIF. V. *Vtrùm excommunicatus possit exercere munus tabellionis.* ibid.
DIF. VI. *Vtrùm excommunicatus possit esse testis.* ibid.
DIF. VII. *Vtrùm excommunicatus possit esse Aduocatus.* ibidem.

DISPVTATIO IX.
De septimo effectu Excommunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Excommunicatio maior priuet omni communicatione fidelium.* 583
DIF. II. *Vtrùm communicatio ex vi Excommunicationis prohibita sit mortalis, an tantùm venialis.* ibid.
DIF. III. *Quibus pœnis afficiatur, qui illicitè communicat cum excommunicato.* 584
DIF. IV. *Quibus modis communicatio cum excommunicato non tolerato excusetur à culpa, & consequenter à pœna Excommunicationis.* 585

DISPVTATIO X.
De octauo effectu Excommunicationis maioris.

DIF. VNICA. *Vtrùm rescriptum ab excommunicato impetratũ sit nullum.* 588

DISPVTATIO XI.
De effectibus remotis Excommunicationis maioris.

DIF. VNICA. *Vtrùm præter dictos sint alij effectus Excommunicationis maioris.* 588

DISPVTATIO XII.
De causis Excõmunicationis maioris.

DIFFICVLTAS I. *Qui possint excommunicare.* 589
DIF. II. *Qui possint excommunicari.* ibid.
DIF. III. *Ob quam causam possit ferri & infligi Excommunicatio maior.* 590
DIF. IV. *Quomodo ferenda est Excommunicatio maior.* 591
DIF. V. *Vtrùm Excommunicatio maior possit ferri absq; præuia monitione canonica.* ibid.

DISPV-

DISPVTATIO XIII.
De impedientibus incursionem Excommunicationis.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm ignorantia impediat incursionem Excommunicationis maioris.* 593
DIF. II. *Vtrùm metus impediat incursionem Excommunicationis maioris.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm iniustitia Excommunicationis maioris impediat incursionem illius.* 594
DIF. IV. *Vtrùm appellatio legitima impediat incursionẽ Excommunicationis maioris.* ibid.
DIF. V. *Vtrùm consensus partis impediat incursionem Excommunicationis sub conditione latæ.* 595

DISPVTATIO XIV.
De absolutione ab Excommunicatione maiori.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Excommunicatio possit auferri, aut desinere esse absque absolutione.* 595
DIF. II. *Vtrùm absolutio ab Excommunicatione possit fieri sub conditione.* 596
DIF. III. *Vtrùm vt absolutus ab Excommunicatione ad reincidentiam in eam reincidat, sit necessaria noua culpa.* ibid.
DIF. IV. *Quæ forma sit necessaria ad absolutionem ab Excommunicatione.* 598
DIF. V. *Vtrùm possit quis absolui ab Excommunicatione incursa ob iniuriam alteri factam, non satisfacta parte.* ibid.
DIF. VI. *Qua ratione pluribus Excommunicationibus ligatus absoluatur ab illis.* 599

DISPVTATIO XV.
De potente absoluere ab Excommunicatione maiori.

DIFFICVLTAS I. *Vtrùm Clericus non Sacerdos possit absoluere ab Excommunicatione maiori.* 600
DIF. II. *Quis possit absoluere ab Excommunicatione maiori lata à Iure, non reseruata.* ibid.
DIF. III. *Quis possit absoluere ab Excommunicatione lata à Iure reseruata.* 601
DIF. IV. *Vtrùm absolutio facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilei, aut alius priuilegij, etiam valeat pro foro exteriori & contentioso.* 602
DIF. V. *Vtrùm virtute Bullæ Cruciatæ, & similium priuilegiorum, possit quis absolui ab Excommunicatione extra Sacramentum Pœnitentiæ.* ibid.
DIF. VI. *Quis possit absoluere ab Excommunicatione lata ab homine.* 603

DISPVTATIO XVI.
De Excommunicatione minori.

DIFFICVLTAS I. *De effectu Excommunicationis minoris, quæ nunc est in vsu.* 604
DIF. II. *Quis possit absoluere ab Excommunicatione minori.* 605

TRACTATVS DE SVSPENSIONE.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Suspensio.* 606
DIF. II. *Quotuplex sit Suspensio.* ibid.
DIF. III. *Quibus modis possit ferri Suspensio.* ibid.
DIF. IV. *Quos effectus habet Suspensio.* 607
DIF. V. *Quomodo suspensus possit exercere ea à quibus est suspensus.* ibid.
DIF. VI. *Quomodo possit communicari cum suspenso.* 608
DIF. VII. *Ob quas causas ferri possit Suspensio.* ibid.
DIF. VIII. *Qui possint suspendere.* 609
DIF. IX. *Qui possint suspendi.* ibid.
DIF. X. *Quibus modis possit impediri Suspensio.* 610
DIF. XI. *Quibus modis tollatur Suspensio.* ibid.
DIF. XII. *A quo possit auferri Suspensio.* ibid.
DIF. XIII. *De nonnullis Suspensionibus in particulari, quæ Iure sunt latæ.* 611

TRACTATVS DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE.

TRACTATVS DE INTERDICTO.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Interdictum.* 613
DIF. II. *Quotuplex sit Interdictum.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm posito Interdicto locali censeatur positum personale, & è contra.* 614
DIF. IV. *Quæ personæ comprehendantur Interdicto personali.* ibid.
DIF. V. *Quæ loca comprehendantur Interdicto locali.* 615
DIF. VI. *Quos effectus habeat Interdictum.* ibid.
DIF. VII. *De primo effectu Interdicti.* 616
DIFFIC. VIII. *De secundo effectu Interdicti.* 617.
DIF. IX. *De tertio effectu Interdicti.* 618

DIF. X. *Quomodo interdictus posit exercere ea à quibus est interdictus.* ibid.
DIF. XI. *Quomodo posit communicari cum persona interdicta.* ibid.
DIF. XII. *Quas pœnas incurrant violantes Interdictum.* 619
DIF. XIII. *Ob quas causas ferri posit Interdictum.* ibid.
DIF. XIV. *Qui posint interdicere.* 620
DIF. XV. *Qui posint interdici.* ibid.
DIF. XVI. *Quomodo, & à quo posit auferri Interdictum.* ibid.
DIF. XVII. *Quæ Interdicta sint Iure lata.* 621

TRACTATVS DE CESSATIONE A DIVINIS.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Cessatio à diuinis.* 622
DIFFIC. II. *Quos effectus habeat Cessatio à diuinis.* ibid.
DIF. III. *Qui posint ferre Cessationem à diuinis, & qui posint illam auferre.* 623
DIF. IV. *Quas pœnas incurrant violantes Cessationem à diuinis.* ibid.

TRACTATVS DE IRREGVLARITATE.

DISPVTATIO PRIMA.

De Irregularitate in communi.

DIFFICVLTAS I. *Quid sit Irregularitas.* 624
DIF. II. *Quotuplex sit Irregularitas.* ibid.
DIF. III. *Vtrùm in dubio Iuris Irregularitatis censendus sit quis irregularis.* 625
DIF. IV. *Vtrùm in dubio facti, cui annexa est Irregularitas, censendus sit quis irregularis.* 626
DIF. V. *Quos effectus habeat Irregularitas.* ibi.
DIF. VI. *A quo feratur Irregularitas.* 627
DIF. VII. *Qui posint Irregularitatem contrahere.* 628
DIF. VIII. *Quæ excusent delinquentem ab Irregularitate lata ob delictum.* ibid.

DISPVTATIO II.

De Irregularitate in particulari.

DIFFICVLTAS I. *De Irregularitate proueniente ex delicto illicitæ susceptionis Sacramentorum.* 629
DIF. II. *De Irregularitate ex illicito vsu ordinum.* ibid.
DIF. III. *De Irregularitate ex hæresi.* 630
DIF. IV. *De Irregularitate ex delictis infamibus.* ibid.
DIF. V. *De Irregularitate ex homicidio iniusto, aut ex iniusta mutilatione ex proposito factis.* 631
DIF. VI. *De Irregularitate ex mandato, aut ex consilio, aut ex incitatione ad homicidium iniustum, vel mutilationem iniustam.* 632
DIF. VII. *Vtrùm ob ratihabitionem homicidij (& idem est de mutilatione) incurratur Irregularitas.* 633
DIF. VIII. *De Irregularitate ex homicidio, aut ex mutilatione iniusta à casu factis.* ibidem
DIF. IX. *Vtrùm ob permissionem homicidij (& idem est de mutilatione) incurratur Irregularitas.* 634
DIF. X. *Vtrùm ob homicidium necessarium, seu in defensionem factum, incurratur Irregularitas.* ibid.
DIF. XI. *De Irregularitate ex defectu lenitatis in Iudice, & in eius officialibus.* 635
DIF. XII. *De Irregularitate ex defectu lenitatis in milite.* 636
DIF. XIII. *De Irregularitate ex defectu Sacramenti.* ibid.
DIF. XIV. *De Irregularitate ex defectu corporis.* 637
DIF. XV. *Vtrùm qui fuit à dæmone arreptus, aut in furiam incidit, sit irregularis.* ibid.
DIF. XVI. *Vtrùm illegitimus sit irregularis.* 638
DIF. XVII. *Vtrùm seruus, seu mancipium sit irregularis.* ibid.
DIF. XVIII. *Vtrùm obligatus ad ratiocinia sit irregularis.* ibid.
DIF. XIX. *De Irregularitate ex defectu ætatis.* 639
DIF. XX. *Quomodo tollatur Irregularitas.* ibidem.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A.

Abbas.

AN Abbates possint assistere matrimonio. 458,b

Ablutio.

Quæ ad valorem Baptismi sit sufficiens. 44,a,b

Quanta ad valorem Baptismi requiratur sufficit. 45,b

Absens.

Absenti absolutio conferri nequit. 123,b

Absolutio.

In Ecclesia est potestas absoluendi. 120,a

Etiam quoad culpam. ibid.b

Absolutio non debet fieri deprecando. 121,a,b

Quæ verba sint de essentia absolutionis. 122,a

Sub qua conditione fieri possit absolutio. ibid.b

Absolutio nequit conferri absenti. 123,b

Neque etiam fieri potest per scriptum. 124,a

Explicatur significatio verborum absolutionis, Ego te absoluo. ibid.

Iurisdictio ad absoluendum qua ratione committatur. 161,a,b

Confessarius inferior absque facultate nequit pœnitentem absoluere, cum onere comparendi pro reseruatis coram Confessario superiore. 181,a

An excommunicatio lata vsque ad certum tempus, illo deficiente desinat esse, absque noua absolutione. 595,b

An absolutio excommunicationis possit fieri sub conditione de præsenti. 596,a

An sub conditione de futuro. ibid.

An quando quis absolmitur ad reincidentiam absque vlla conditione, tempore absolutionis transacto absque noua culpa, reincidat in excommunicationem. 596,a

Quid si reincidentia annectatur alicui operi faciendo, si commodè possit. 597,a

Quid si conditioni operis faciendi non addatur illa particula, si commodè possit. ibid.

An absolutio facta in articulo mortis, aut alio necessitatis casu, ab illo qui alias absoluere non possit, semper sit cum onere comparendi sub reincidentia excommunicationis. ibid.b

Ex quibus verbis aut signis debeat fieri forma absolutionis. 598,a

Quibus cærimoniis debeat fieri absolutio excommunicationis pro foro iudiciali. ibid.

An ad absolutionem excommunicationis pro foro conscientiæ exigi debeat iuramentum ab excommunicato, quod amplius non committet tale crimen. ibid.

An excommunicatus ob iniuriam alteri illatam possit absolui, quando non satisfacit parti, absque consensu illius. ibid.a,b

Quid si non possit satisfacere absque graui detrimento. ibid.

Quid si absolutio fiat à delegato, vel ex priuilegio, in quo additur, quod fiat absolutio satisfacta parte quæ reipsa satisfacta non est. ibid.b. 599,a

An qui illicitè absoluit absque satisfactione partis, teneatur ad restitutionem. 598,b

An virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius priuilegy, possit quis absolui ab excommunicatione lata à Iure vel ab homine saltem pro foro conscientiæ, quando excommunicatio est deducta ad forum iudiciale. 599,a

An qui ligatus est pluribus excommunicationibus, possit ab vna absolui, quin absoluatur ab alia. ibid.b

An ignarus excommunicationis possit ab ea absolui, si habeat intentionem absoluendi ab ea si fortè sit. ibid.

An reus ignarus excommunicationis quam contraxit possit ab ea absolui. ibid.

An possit inuitus quis absolui ab excommunicatione. ibid.

An possit quando est contumax in illo peccato, ob quod lata est excommunicatio. ibid.

An absolutio facta ab inuito, seu coacta vi aut metu, sit valida. ibid.

An qui absoluitur verbis communibus & indefinitis, nempe, Absoluo te à vinculo excommunicationis, vel ab omni iure excommunicationis, absoluatur ab omnibus excommunicationibus quas habet, etiamsi omnes vel aliquas non expresserit. ibid. & seq.

Quid si absoluatur verbis particularibus, nempe, Absoluo te ab hoc vinculo excommunicationis, & plures habeat, quibus possit absolui. ibid.

An Clericus non Sacerdos, qui habet potestatem in foro exteriori, possit absoluere ab excommunicatione etiam quoad Deum. 600,a

An possit Clericus Sacerdos, qui nullam habet iurisdictionem exteriorem, consistentem in articulo mortis ab excommunicatione absoluere. ibid.

An possit Clericus non Sacerdos. ibid.

An Episcopus possit extra confessionem absoluere ab excommunicatione lata à Iure, & non reseruata. ibid.b. 601,a

An possit Parochus. 601,a

An possit Confessarius ordinarius. ibid.

Ab excommunicatione Iure lata, & reseruata, tantum potest absoluere qui illam posuit, vel superior illius. ibid.b

An possit quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, absoluere ab illa existentem in articulo mortis. ibid.

An possit Episcopus absoluere ab excommunicatione Papæ reseruata in aliquibus casibus, & qui illi. ibid. & seq.

An habentes Bullam Cruciatæ possint absolui virtute illius à tali excommunicatione. 602,a

An quando conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus Papæ reseruatis, concedatur ad casus in Bulla Cœnæ contentos. ibid.

An quando conceditur ad casus in Bulla Cœnæ contentos, concedatur ad casus hæresis. ibid.

An quando conceditur facultas ad casus Papæ reseruatos, concedatur etiam ad casus tantum Episcopo reseruatos. ibid.

An absolutio facta virtute Bullæ Cruciatæ, aut alterius

rius priuilegij, valeat etiam pro foro exteriori. ibid.b
An virtute Bullæ, vel alterius priuilegij, possit quis absolui ab excommunicatione extra Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.
Quid si in priuilegio addatur, peccatis in confessione auditis. ibid.
Quis possit absoluere ab excommunicatione specialiter ab homine lata. 603,a
Quis possit absoluere existentem in articulo mortis ab excommunicatione lata ab homine, siue specialiter siue generaliter. ibid.
An qui potest absoluere ab excommunicatione lata à Jure, possit ab excommunicatione generaliter ab homine lata. ibid.b
An possit quilibet Sacerdos etiam non approbatus absoluere ab excommunicatione minori. 604,a,b

Acceptatio.

Acceptatio Dei in pœnitentis satisfactione Sacramentali requiritur. 195,b
An acceptatio beneficij collati ante excommunicationem, facta tamen tempore excommunicationis, sit valida. 578,b
An saltem fiat valida per absolutionem subsequentem. 579,a
An dicta acceptatio sit licita. ibid.

Accidentia.

Quænam accidentia post consecrationem in Eucharistiâ remaneant. 298,b. 299,a
Quantitas non habet modum perfectatis positiuum. 299,b
Si talis daretur, esset supernaturalis quoad substantiam. 300,a
Ex accidentibus sola quantitas physicè per consecrationem in Eucharistiâ mutatur. 301,b

Accusator.

An accusator criminis, propter quod fertur sententia sanguinis, sit irregularis. 635,a,b

Acetum.

Non est conueniens materia consecrando Sanguini Christi. 238,a

Actor.

An excommunicatus possit esse actor in iudicio. 581,b
Quid si sit toleratus. 582,a
An acta ab illo sint valida. ibid.

Actus.

An excommunicatus excommunicatione maiori, validè & licitè exerceat actum Iudicis & superioris Ecclesiastici. 579,a

Actus coniugalis.

Actus coniugalis ex obiecto est licitus. 495,a
Quid si fiat ob prolis generationem, vel ad vitandam incontinentiam in se vel in alio. ibid.a,b
Quid si fiat ob sanitatem corporis, vel ob alium finem extrinsecum, honestum tamen. ibid.b
Quid si fiat cum desiderio inefficaci, vt non sequatur proles, ob finem honestum. ibid.
Quid si fiat ob delectationem cupiendam. ibid.
Quid si fiat ante benedictiones nuptiales. 496,a
Quid si fiat in diebus festis ieunij aut Communionis. ibid.
Quid si fiat tempore fluxus naturalis & perpetui. ibid.
Quid si fiat tempore fluxus naturalis menstrui. ibid b
Quid si fiat tempore prægnationis. ibid.
Quid si fiat tempore purgationis post partum. 497,a
Quid si fiat tempore quo proles lactatur. ibid.
Quid si fiat tempore amentiæ. ibid.
Quid si publice & coram aliis. ibid.
Quid si in loco sacro. ibid.b
Variare situm naturalem in actu coniugali quando nulla est necessitas, semper est illicitum. ibid.
An aliquando sit mortale. 498,a
In eo post seminationem vnius, expectanda est seminatio alterius, sub peccato mortali. ibid.
An vno vel multiplici peccato. ibid.
Cognatio spiritualis inculpabiliter contracta, quando superuenit matrimonio, non impedit actum coniugalem. ibid.b
An quando eadem cognatio spiritualis contrahitur culpabiliter tantùm in vno coniuge, impediatur vis petendi in altero. ibid.
An impediatur in illo qui culpabiliter contrahit. ibid.
Qui rem habuit cum consanguinea vxoris, non potest petere, sed tenetur reddere. 499,b
Quid si coniux in casu præcedenti consenserit incestui. ibid.
Qui gradus affinitatis sufficiat ad impediendum vis petendi. ibid.
An qui ante celebrationem matrimonij, vel consummationem illius, emisit votum simplex castitatis, teneatur reddere. 500,a
An possit aliquando petere. ibid.
Quid si alter coniux, quando contraxit, conscius erat voti præcedentis. ibid.
An possit petere, qui post matrimonium consummatum emisit votum castitatis inscio alio coniuge. ibid.b
An qui, post quam emisit votum suscipiendi Ordines, illicitè contraxit matrimonium, licitè exerceat actum illius. ibid.
An qui vouit Religionem, licitè exerceat primum actum coniugalem. ibid.
An qui vouerat non contrahere, & illicitè contrahit, licitè matrimonium consummet. ibid.
Coniux qui dubitat de valore matrimonij adhuc bona fide contracti, non potest petere, tenetur tamen reddere bona fide petenti. 501,b
Quid si alter mala fide petat. 502,a
Quid si dubium oriatur ex dubio impedimenti impedientis. ibid.
An teneatur veritatem quærere, antequam offeratur occasio vt petat alter. ibid.
An teneatur reuelare dubitationem, ne petat. ibid.

Vide &, Coniux.

Adoptatio.

Quid & quotuplex sit. 522,a
An inter adoptatum & adoptatam ab alio tertio sit cognatio legalis. 523,b

Aduertentia.

Qualis requiratur ad ferendas censuras. 550,b 551,b.

Adulter, Adulterium.

An ob adulterium alterius coniugis possit fieri diuortium quoad vinculum. 503,a ibid.b
An saltem quoad torum & cohabitationem. ibid.b
Quid si adulterium fuit factum intromissione seminis absque copula. 506,a ibid.
Quid si copula absque intromissione seminis. ibid.
Quid si adulterium commissum. ibid.
Quid si ab vno secreto, & ab altero publicè. ibid.
Quid si vxor emendetur, & reconciliationem petat, & alter persistat. ibid.
Quid si post reconciliationem adulterij ab vtroque commissi alter aliud committat adulterium. ibid.b
An innocens, qui post factum diuortium adulterauit, teneatur iterum admittere. ibid.
Quid si diuortium factum fuerit sententiâ Iudicis. ibid.

An

An adulterium vnius coniugis factum consensu alterius, sufficiat ad diuortium. ibid.
Quando censeatur coniux consentire in adulterium alterius. ibid.
Quid si adulterium excusetur à culpa. ibid.
An possit coniux ob adulterium discedere postquam remisit iniuriam. 507,a
An coniux teneatur ad diuortium, quando alter in adulterio persistit. ibid.
An coniux moraliter certus de adulterio alterius, teneatur obedire Iudici præcipienti cohabitationem cum illo. 508,a
An adulter habeat ius petendi alteri debitum tamquam debitum. ibid.b
An possit, quando innocens non est moraliter certus de adulterio. ibid.
Adulterium cui altero coniuge superstite accedit matrimonium de præsenti, vel promissio matrimonij postea futuri, matrimonium dirimit inter adulteros. 537,a
An adulterium debeat cognosci ab vtroque contrahente in casu præcedente. ibid.
An si vterque sit coniugatus, sufficiat vt quilibet cognoscat proprium adulterium cum ignorantia alterius. ibid.
An ignorantia vincibilis excuset ab hoc impedimento. ibid.
Quid si promissio, quæ accedit adulterio, tantùm sit ore tenus, licet exterius appareat serio facta. ibid.b
An debeat esse mutua. ibid.
Quid si sit conditionata. ibid.
Quid si sciat adulterium (à Maria v.g.) sub fide à Petro Mariæ data, quòd, mortuo eius marito, contrahet cum illa quam Franciscus designauerit, scientè Maria illam fore designandam. 538,a

Adulti.

Saluari non possunt absque Baptismo reipsâ suscepto, & absque martyrio. 56,a,b
Per martyrium tamen solum saluari possunt absque Baptismo in re vel in voto. 57,b. 58,a
Adulti omnes viatores, & infantes ante rationis vsum, capaces sunt Baptismi. 65,a,b
In adultis qui peccauerunt, requiritur aliqua contritio ad recipiendam gratiam Baptismi. 71,a

Aduocatus.

An excommunicatus possit esse Aduocatus. 585,b
An patrocinia ab ipso facta sint valida. ibid.
An possit ferre stipendium ordinarium pro patrociniis. ibid.
Quid si sit toleratus. ibid.
An Aduocatus accusatoris criminis, propter quod fertur sententia sanguinis, sit irregularis. 635,a,b

Ætas.

An defectus ætatis impediat valorē sponsalium. 425,a
An valorem matrimonij. 535,b
Quid si malitia suppleat ætatem. ibid.
An ætas designata à Iure debeat esse Mathematicè completa. ibid.
Quanto tempore malitia suppleat ætatem. 536,a
Quale peccatum sit, ante ætatem designatum à Iure matrimonium contrahere. ibid.b
An aliquando possit esse licitum. ibid.
An ordinatus ante legitimam ætatē sit suspensus. 611,b

Affinis.

Qui affines possint cum affine excommunicato communicare. 586,a

Affinitas.

Quid sit. 524,a
An deficiente persona quæ fuit origo affinitatis in alia, deficiat affinitas. ibid.
Vnde computandi sint gradus affinitatis. ibid.
An ex copula facta sine intromissione seminis oriatur affinitas. ibid.
Qualis commixtio seminis requiratur vt affinitas oriatur. ibid.b
An sufficiat commixtio seminum absque copula. ibid.
Quid si non sit mutua seminatio. ibid.
An ex matrimonio rato, & non consummato, oriatur affinitas. ibid.
An ex copula coniugali Iure naturali oriatur affinitas. 525,a
An ex copula fornicaria. ibid.
An affinitas in secundo gradu & vlterioribus lineæ transuersæ, matrimonium dirimat Iure naturali. ibid.b
An illud dirimat in primo gradu. ibid.
An affinitas in primo gradu lineæ rectæ Iure naturali dirimat matrimonium. 426,a
An affinitas dirimat matrimonium Iure aliquo positiuo. ibid.b
Intra quem gradum illud dirimat. ibid.
An fornicatio inter affines in tertio & quarto gradu sit incestus. ibid.
An affinitas impediat matrimonium non baptizatorum. 527,a
An baptizatorum, qui ante Baptismum contraxerunt. ibid.

Agresta.

Non est conueniens materia consecrando Sanguini Christi. 238,a

Amentes.

Sunt capaces sumptionis Eucharistiæ. 328,a
Amentibus à natiuitate illicitum est ministrare Eucharistiam. ibid.
Amentibus ex infirmitate secùs. ibid.
Quando illis conferri possit. ibid.b
An tempore amentiæ licitus sit actus coniugalis. 497,a
An perpetuò amentes possint ligari censuris. 551,b
An qui post vsum rationis in amentiam inciderunt. 552,a
Quid si amentia tantùm sit temporalis. ibid.
An amentes sint irregulares. 637,b

Anathema.

Quomodo differat ab excommunicatione maiori. 567,b

Annus.

Quomodo in confessione annua annus computandus sit. 136,b

Apostoli.

Apostoli manuum impositione & Chrismatis vnctione confirmabant. 81,a

Appellatio.

An legitima appellatio impediat potestatem ferendi censuras. 550,b
An appellatio legitima, antequam Iudex ferat censuram, impediat incursionem censuræ. 564,a
Quid si appellatio sit post sententiam sub conditione latam, & ante purificationem conditionis. ibid.a,b
An appellatio legitima ante absolutam sententiam censuræ, quando tempus præscriptum ad secundam appellationem differtur, aut ei renuntiatur. ibid.b
Quid si appellatio non sit legitima, nec admittatur à Iudice. ibid.
Quid si non sit legitima, & admittatur à Iudice. 565,a
An appellatio post censuram absolutè latam illum impediat, vel saltem denuntiationem illius. ibid.
An appellatio à sententia censuræ declaratoria iam facta,

facta, suspendat talem sententiam. ibid.
Quod de appellatione dictum fuerit, de recusatione etiam debet intelligi. ibid.

Approbatio.

Approbatio ad audiendas confessiones debet obtineri ab Episcopo pœnitentis. 169,a,b
Reuocari potest, etiam Religiosis. 170,a,b

Aqua.

Non conuertitur in Sanguinem, nisi priùs conuertatur in vinum. 242,b
Post inchoatam consecrationem Sanguinis conuersa in vinum, non conuertitur in Sanguinem Christi. 258,a,b
Quòd cum vino misceri in Sacrificio debeat præceptum est tantùm Ecclesiasticum. 240,a
Nec id necessarium est necessitate Sacramenti. ibid.b. 241,a
Qualis esse debeat, quo item tempore, loco, & à quo misceri debeat. ibid.a,b

Archidiaconus.

An in Archidiaconis sit potestas ferendi censuras. 549,a

Archiepiscopus.

An Archiepiscopus possit assistere matrimonio sui Suffraganei. 458,b
An in Archiepiscopis sit potestas ponendi censuras respectu subditorum suorum. 548,b
An respectu subditorum suorum Suffraganeorum. ibid.

Archipresbyter.

An Archipresbyter possit assistere matrimonio parochianorum Parochi sibi subditi. 548,b
An in Archipresbyteris sit potestas ferendi censuras. 549,a

Arma.

An qui præbet arma ad iniustè occidendum, sit irregularis. 634,a

Arrhæ.

An possint tradi amittendæ ab iniustè resiliẽte. 423,b
In qua quantitate tradi possint. ibid.
An constitui possint in re immobili. 424 a
An possint ab vtroque contrahente constitui. ibid.
Quid teneatur reddere qui recipit arrhas, & iniustè resilit. ibid.b
Ad quid teneri possit ex conuentione facta inter sponsos. ibid.
An sponsus qui resilit possit cogi coram Iudice ad soluendum id quod ex conuentione facta tenetur. 525,a

Articulus mortis.

An absolutio facta in articulo mortis ab illo qui aliàs absoluere non potest, semper sit cum onere comparendi sub onere reincidentiæ. 575,a
An Sacerdos, qui nullam habet iurisdictionem, possit absoluere existentem in articulo mortis. 600,a
An possit Clericus non Sacerdos. ibid.
An possit quilibet Sacerdos, adhuc excommunicatus, absoluere ab excommunicatione Iure lata, etiam reseruata. 601,a

Assumptio B. Virginis.

An in die Assumptionis B. Virginis possint tempore interdicti diuina officia celebrari. 577,a
Qui possint tunc assistere. ibid.
An in hac die permittatur etiam Communio. ibid.b
An permittatur Ecclesiastica sepultura. 578,a

Attritio.

In martyrio sufficit. 58,b
Sufficit ad gratiam Baptismi recipiendam. 71,b
Qualis debeat esse in adulto qui peccauit mortaliter, vt sufficiat ad gratiam Baptismi. 72,b
Quid attritio sit, explicatur. 91,b
Non potest fieri contritio ibid.
Attritio in iusto non sufficit absque Sacramento ad remissionem venialium. 102,b

B.

Baptismus.

BAptismi definitio traditur. 42,b
Quæ sit Baptismi materia remota, & quæ proxima. 42,b,43,a,b
Quæ ablutio ad valorem Baptismi sit sufficiens. 44,a,b
Submersio absque emersione in Baptismo sufficit. 45,a
Quanta ablutio ad Baptismi valorem requiratur. ibid.b
Quæ verba sint essentialia in formâ Baptismi, & quæ voculæ absque mortali omitti possint. 46,b
In Baptismi formâ exprimenda est actio ministri. 47,b
Ad essentiam formæ Baptismi expressa SS. Trinitatis inuocatio requiritur. 48,b
Et tum exprimenda sunt articulatim nomina Patris, & Filij, & Spiritus sancti. 49,b
Baptismus iterari non potest, sub conditione autem potest. 50,a
Quando possit sub conditione iterari. ibid.b
Quo tempore, & ad quid Baptismus sit institutus. 51,a
Baptismus est necessarius necessitate medij, & à quo tempore. 52,b 53,a,b
Quo vitæ tempore obliget præceptum Baptismi. 54,b
Ecclesia non potest determinare & præscribere tempus præcepti diuini ad suscipiendum Baptismum ante finem vitæ. 55,a
Paruuli absque Baptismo reipsâ suscepto, aut absque morte pro Christo perpessa, saluari nequeunt. ibid.b
Adulti absque Baptismo reipsâ suscepto, vel martyrio, saluari nequeunt. 56,a
Paruuli absque Baptismo realiter suscepto, per martyrium saluari possunt. 57,a
Adulti possunt saluari per solum martyrium, absque Baptismo in re vel in voto. ibid.b & 58,a
Quis sit sufficiens minister Baptismi. 59,a
Cui ex officio eum administrare conueniat, & quo ordine. 60,b
Quando Diaconus solemniter baptizare possit. 61,b
Quid statuendum, si plures simul eumdem baptizent. 62,a,b. 63,a,b
Quæ temporis simultas inter materiam & formam Baptismi requiratur. 63,b
De patrino in Baptismate, & eius obligatione. 64,b
Adulti omnes viatores, & infantes ante rationis vsum, capaces Baptismi sunt. 65,a,b
Infantes non baptizatorum inuitis parentibus valide baptizantur. 66,a
Quando id licitè, quando verò illicitè fiat. ibid.b. 68,a,b
Per Baptismum tolluntur peccata omnia, & tota pœna peccatis debita. 69,a,b
Quos effectus conferat Baptismus. 70,a
In adultis qui peccauerunt, requiritur aliqua contritio ad recipiendam gratiam Baptismi. 71,a ibid.b
Sufficit ad id sola attritio. 72,a
Et quamuis non sit existimata contritio. ibid.b
Qualis debeat esse attritio in adulto qui peccauit, vt sufficiat ad gratiam Baptismi. Baptismus

Baptismus fictè susceptus, recedente fictione suum effectum gratiæ confert. 73,a
Et quid ad id requiratur. 74,a
Maiorem gratiam confert Baptismus fictè susceptus ei qui melius dispositus est quando fictio recedit. 76,a
De cærimoniis in solemni Baptismo ab Ecclesia Catholica adhiberi solitis. ibid.a,b
Baptizati omnes capaces sunt Sacramenti Confirmationis. 83,a
An contractus matrimonij ante Baptismum celebratus sit Sacramentum. 447,a
An ex Baptismo oriatur matrimonij contractum esse indissolubilem. ibid.
Inter baptizatum & baptizantem quomodo contrahatur cognatio spiritualis. 519,a,b
An non-baptizatorum matrimonium impediatur per affinitatem. 527,a
An baptizatorum qui ante Baptismum affinitatem contraxerunt. ibid.
Non-baptizatus incapax est potestatis ferendi censuras. 549,a
An possit fieri capax ex dispensatione Papæ. ibid.
An non-baptizatus possit ligari censuris. 551,b
An liceat suffragia communia offerre pro conuersione non-baptizatorum. 570,b
An Baptismus receptus ab excommunicato sit validus. 575 a
An Baptismus sit prohibitus tempore interdicti. 617,b
An qui bis baptizatur, seu alium baptizat, & minister baptizantis, irregularitatem incurrat. 629,a
An illam incurrat qui baptizatur ab hæretico. ibid.
An adultus baptizatus in articulo mortis possit ordinari Sacerdos. ibid.
An irregularitas auferatur Baptismo. 639,a
An qui ante Baptismum commisit crimen, ob quod lata est irregularitas, illam contrahat post Baptismum. ibid.b

Bellum, *vide*, Miles.

Benedictio.

Benedictiones nuptiales ad valorem Sacramenti necessariæ non sunt. 467,a
Quod peccatum sit illas omittere. ibid.
Quo tempore prohibeantur. ibid.
An in primis tantùm nuptiis sint adhibendæ. ibid.
An sit licitus coniugalis actus ante benedictiones nuptiales. 496,a
An Sacerdos qui absque licentia sponsis benedicit, sit suspensus. 612,b

Beneficium.

An excommunicatio maior priuet beneficio ante ipsam legitimè obtento. 577,b
An priuet fructibus beneficij ante eam legitimè obtenti. ibid.
An collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione maiori, sit valida. 578,a
Quid si bona fide illud recipit. ibid.
An faciat propriosfructus. ibid.
An præsentatio & nominatio excommunicati ad beneficium sint validæ. ibid. & 580,b
An postulatio ad illud. 578,a
An commendatio beneficij curati. ibid.
Quid si beneficium non includat curam animarum. ibid.
Quid si tantùm conferatur excommunicato pensio aliqua. ibid.
Quid si excommunicatus sit toleratus. ibid.b
An acceptatio beneficij ante collationem collati, sit valida, quando sit tempore excommunicationis. ibid.
An saltem fiat valida per subsequentem absolutionem. 579,a
An dicta acceptatio sit licita. ibid.
An collatio actiua beneficij facta ab excommunicato, sit licita & valida. 580,a
An collatio beneficij facta ad præsentationem Patroni excommunicati sit valida. ibid.b
An licita. ibid.
An admissio illius sit etiam valida & licita. 581,a
An excommunicatus excommunicatione minore possit eligi ad beneficium. 604,b
An suspensio ab officio validè & licitè conferatur beneficium. 607,a
Quid si per triennium in suspensione perseueret. ibid.
An irregulari licitè & validè conferatur beneficium. 647,a
An irregularitas priuet beneficio anteà obtento. ibid.
An hæretici & illorum fautores & receptores descendentes sint habiles ad aliquod beneficium. 630,a

Bigamia.

Quotuplex sit. 636 a,b
Quomodo per illam contrahatur irregularitas. 637,a

Bulla.

An virtute Bullæ possit quis absolui ab excommunicatione Papæ reseruata. 561,b
An quando conceditur facultas ad absoluendum ab omnibus casibus Papæ reseruatis, extendatur ad casus Bullæ Cœnæ. 562,a
An absolutio facta virtute Bullæ Cruciatæ, valeat etiam pro foro exteriori. ibid.b
An virtute Bullæ Cruciatæ possit quis absolui ab excommunicatione extra Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.
An virtute Bullæ Cruciatæ possit quis absolui ab excommunicatione specialiter ab homine lata. 563,a
An habentes Bullam Cruciatæ possint audire Missam tempore interdicti. 617,a
An ad id teneantur. ibid.

C.

Campana.

Campanâ an possint fideles vocari tempore interdicti ad diuina officia. 616,b
An possint vocari ad concionem. ibid.
An possit pulsari campanula, quando eleuatur Corpus Christi. ibid.
Quam pœnam incurrat, qui sonitu campanæ vocat populum ad Missam audiendam. 619,a

Capella.

An quando interdicitur Ecclesia, etiam interdicantur Capellæ. 615,b

Capitulum.

An Capitulum sede vacante possit assistere matrimonio. 458,b
An in Capitulo Ecclesiæ Cathedralis sede vacante sit potestas ferendi censuras. 549,a
An in Capitulo Religionis. ibid.
An hæc potestas sit etiam ad ferendas censuras non tantùm præcepto, sed etiam iure. ibid.b
An Capitulum possit licite excommunicari. 589,b
An validè. ibid. & seq.
An Capitulum possit suspendi. 609,b
An qui ordinatur Reuerendis impetratis à Capitulo ante annum completum post vacationẽ sedis. 611,b

Cardinalis.

An in Cardinalibus sit potestas ferendi censuras in suis Ecclesiis. 549,a

An

An Cardinalis non Episcopus comprehendatur suspensione generaliter lata, quando illius non fit expressa mentio. 609,b

Casus reseruatus.

In Ecclesia est potestas ad reseruandum peccata. 173,a
Idque etiam sine causa. ibid.
Reseruatio non est tantùm ratione censuræ, sed etiam peccati. 174,a
Peccatum veniale & merè internum reseruari potest. 175,a
Et peccatum de quo est dubium an sit mortale, an verò veniale. ibid.
Quæ peccata de facto reseruata sint. ibid. & seq.
An peccatum inculpabiliter omissum in confessione adhuc maneat reseruatum. 177,a
Quæ reseruentur, si pœnitens ex priuilegio absolutus à reseruatis, non præstat ea quæ præscribit Iubileum. 178,a
Ecclesia potest obligare ad iterandam confessionem peccati semel absoluti. ibid.
Et ad comparendum coram Prælato, etiam sub mortali. 179,a
Non tenetur comparere, qui ante absolutionem ignorauit prædictum onus. ibid.
In quibus casibus de facto statuat Ius, vt subditi compareant. 180,a
Confessarius inferior absque facultate nequit absoluere pœnitentem cum onere comparendi pro reseruatis coram Confessario superiore. 181,a
Confessarius superior nequit, reseruatis auditis, pœnitentem absoluere, & pro ceteris mortalibus mittere ad alium. 182,a,b
Quando teneatur superior concedere facultatem petenti ad absoluendum à reseruatis. ibid.b

Catechumenus.

An possit ligari censuris. 551,b

Censura.

Variè sumitur. 547,a
Quid sit. ibid.
Quotuplex sit. ibid.b
An sit potestas in Ecclesia ferendi censuras. 548,a. *vide reliqua in* Potestas.
An illius institutio fuerit immediatè à Christo. ibid.b
Alia fertur ipso Iure, alia præcepto aliquo transitorio. 549,b
Censura Iure lata permanet etiam mortuo legislatore. 550,a
Censura alia generalis, alia specialis. ibid.
Alia dicitur lata, alia ferenda post transgressionem legis seu præcepti. ibid.
Quibus verbis censura censeatur lata, quibus ferenda. ibid.b
An in dubio, vtrùm censura sit lata vel ferenda, censenda sit tantùm ferenda. ibid.
An legitima appellatio impediat potestatem ferendi censuras. 550,b
An quæ fertur metu graui cadente in virum constantem, sit valida. 551,a
Quæ aduertentia requiratur ad censuras ferendas. ibid.
An possit ferri extra territorium ferentis. ibid.
An possit ferri contra seipsum. ibid.
Qui possint censuris ligari. ibid.b
An existens in alieno Episcopatu, ligetur censuris annexis Iuri perpetuo sui Episcopatus. 552,a,b
Quid si existat in loco exempto à iurisdictione Episcopi, intra Episcopatum tamen. ibid.b
Quid si in Monasteriis Religiosorum. ibid.
An existens in alieno Episcopatu possit ligari censuris annexis præcepto sui Episcopi. ibid.
Statim ac quis ingreditur alienũ Episcopatum, animo permanendi saltem per me dietatem anni plus minúsve, potest ligari censuris illius Episcopatus. 553,a
Quid si non ingrediatur animo permanendi. ibidem & seq.
An censura possit ferri ob peccatum tantùm veniale. ibid.b
An quando quis ex inaduertentia vel alio modo excusatur à mortali, excusetur à censura illi annexa. 555,a
An ob peccatum purè interius possit ferri censura. ibid.
An censura possit licitè ferri à Iudicibus Papa inferioribus, absque inobedientia respectu Ecclesiæ. ibid.b
An saltem validè. 556,a
An ad valorem censuræ requiratur inobedientia respectu Ecclesiæ comminantis sub censura. ibid.
An possit censura ferri ab ipso Papa absque vlla inobedientia. ibid.a,b
An quando censura fertur ob aliquod peccatum, tantùm feratur ob illud completum in suo genere. ibid.b
An qui consulit vel mandat peccatum cui annexa est censura, illam incurrat. ibid.
An quando incurritur ob consilium vel mandatum, incurratur tempore quo consulitur, vel tempore quo sit effectus. ibid.
An quando censura fertur tantùm propter consilium vel mandatum quod habet effectum, incurratur, si effectus non proueniat à mandato vel consilio. 557,a
An censura lata contra facientes, comprehendat etiam consulentes. ibid.
An si ante executionem effectus reuocetur efficaciter, quatenus est ex parte consulentis mandatum vel consilium, & nihilominùs sequatur effectus ex consilio vel mandato, incurratur censura, quando posita est contra mandantes & consulentes. 558,a
An qui resipiscit inobedientiæ factæ Ecclesiæ ante iudicis sententiam, postea per illam, excommunicationem incurrat. ibid.
An censura validè feratur pro peccatis futuris. ibid.
An & licitè. ibid.
An committens peccatum cui est annexa censura, committat duplex peccatum. 559,a
Ad ferendam censuram medio Iure vel præcepto pro peccatis futuris nulla requiritur monitio. ibid.
An requiratur ad illam ferendam mediâ nouâ sententiâ pro peccato iam præterito. ibid.b
An requiratur, vt Iudex ferat nouam censuram pro peccato, cui aliàs Iure aut præcepto est annexa similis censura ipso facto incurrenda. ibid.
An requiratur vt feratur pro transgressione præcepti cui est annexa comminatio censuræ. 560,a
Ignorantia inuincibilis facti impedit incursionem censuræ. 561,b ibid.
Quid si fiat dando operam rei illicitæ. ibid.
Quid si ignorantia inuincibilis sit alicuius circumstantiæ ex qua oritur culpa ob quam fertur censura. ibid.
Quid si ignorantia sit inuincibilis comitans. ibid.
Quid si tantùm sit omnimoda inaduertentia facti cum habituali scientia. ibid.
Quid si ignorantia sit vincibilis adhuc crassa seu supina, quando censura fertur absolutè contra eos qui aliquid fecerint, nõ additâ particulâ scientes. ibid.

Quid

Quid si ignorantia sit affectata, & adeò crassa, vt moraliter censeatur intenta. ibid.
An ignorantia vincibilis Iuris seu præcepti impediat incursionem censuræ. ibid.
Quid si tantùm sit omnimoda inaduertentia cum habituali scientia. ibid.
Quid si alias opus sit prohibitum Iure naturali aut diuino, & tantùm sit ignorantia Iuris Ecclesiastici. ibid.b
Quid si ignorantia seu inaduertentia tantùm sit censuræ annexæ operi prohibito. ibid.
Quid si sit ignorantia censuræ latæ noua sententia facta post violationem præcepti Iudicis comminantis sub censura. ibid.
An qui vincibiliter ignorat incursionem censuræ, & eam incurrisse prudenter timet, debeat se gerere tamquam censura ligatum. ibid.
Metus leuis non impedit incursionem censuræ. 563,a
An illam impediat metus grauis. ibid.
An ex metu grauis mali possit ille qui censuram incurrit facere id quod alias illi censura prohibetur. ibid.
An iniustitia ex defectu ordinis iuridici ad valorem requisiti, impediat incursionem censuræ. ibid.b
An iniustitia ex defectu causæ. ibid.
An appellatio legitima antequam Iudex ferat censuram, impediat incursionem censuræ. 564,a
An appellatio legitima ante absolutam sententiam censuræ quando tempus præscriptum ad secundam appellationem differtur, aut ei renuntiatur. ibid b
An appellatio post censuram absolutè latam, illam impediat, vel saltem denuntiationem illius. 565,a
An appellatio à sententia censuræ declaratoria iam facta, suspendat talem sententiam. ibid.
Consensus partis in cuius fauorem lata est censura sub conditione, absolutè præstitus ante impletionem conditionis, impedit incursionem censuræ absque consensu Iudicis. ibid.
An illam suspendat prorogatio partis vltra terminum præfixum à Iudice. ibid b
An elapso termino à parte ipsa prorogato, incurratur censura absque nouo consensu Iudicis. ibid.

Cessatio.

Cessatio à diuinis quid sit. 622,a
Qui sint effectus illius. ibid b
Quis posset eam ferre. 623,a
Qualis debeat esse causa propter quam fertur. ibid.
Quis teneatur persoluere damna quæ ex illa proueniunt. ibid.
Qui possint eam auferre. ibid.
Quas pœnas incurrant qui eam violant. ibid.b

Character.

Aliqua Sacramenta characterem imprimunt. 27,b
Character est qualitas. 28 a
Et ad primam qualitatis speciem pertinet. ibid.b
In anima subiectatur. 29,a
Quomodo sit indelebilis. ibid.b. & seq.
In Confirmatione imprimitur. 82,a

Chirurgus.

An chirurgus, qui alium mutilat, fiat irregularis. 635, b

Chrisma.

Chrisma confectum ex oleo & balsamo, est materia remota essentialiter requisita ad Confirmationem. 79,a
Et ab Episcopo benedictum. 80,a
Eius vnctione Apostoli confirmarunt. 81,a

Christus.

In eo non fuit virtus pœnitentiæ infusæ, secùs in reliquis iustis & beatis. 92,a
Quando Pascha celebrauerit. 226,a
Consecrauit iisdem omnino verbis quibus nos modò consecramus. 248,b
Speciebus Sacramentalibus præsens est præsentiâ intrinsecâ. 289,b
Monetur in Eucharistiâ motu locali in ipso recepto. 293,a
Prout in Eucharistiâ, nequit pati aut agere naturaliter actione transeunte. ibid.b
Potest exercere actiones sensus interni, non tamen externi. 294,a b
Forma quæ vnitur Christo in cælo existenti, naturaliter habet præsentiam in Eucharistia. 295,b
Quæ illi attribuantur ratione specierum. 296,b
Numquam vera eius caro aut Sanguis in Eucharistia videtur. 297,b
An maneat Sacramentaliter sub speciebus in carnem aut Sanguinem conuersis. 298,a
Mutatur quando sub speciebus esse desinit. 305,a,b
Et talis eius desitio non est vera conuersio. ibid.b
In cœna vltima cum discipulis suis habita sumpsit Corpus suum Sacramentaliter & spiritualiter. 330,b
Iudæ corpus suum sumendum porrexit. 331,a
Quomodo Missa Sacrificium vsque modò offerat. 358,a,b

Christi corpus. *vide*, Corpus Christi.

Christi existentia in Eucharistia.

Ex veritate verborum consecrationis conuincitur. 262,a
Quomodo existat. 283,b
Non existit sub indiuisibilibus omnino. 284, a,b
Secùs est de indiuisibilibus secundum quid. ibid.b

Circumcisio.

Verum fuit Sacramentum. 17,b.& seq.
Non causabat gratiam ex opere operato. 27,a

Circumstantiæ.

Eæ quæ aggrauant intra eamdem speciem, non sunt necessario exprimendæ in confessione. 148,a,b. & seqq.

Clericus.

Clericus coniugatus incapax est potestatis ferendi censuras. 549,a
An possit fieri capax ex dispensatione Papæ. ibid.
An excommunicatus ob publicam percussionem Clerici sit ipso facto vitandus, absque alia denuntiatione. 571,a
An Clericus teneatur vitare suum Episcopum excommunicatum. 586,b
An ipse excommunicatus Clericus vitari debeat ab Episcopo. ibid.
An Clericus non Sacerdos habens iurisdictionem in foro exteriori possit absoluere ab excommunicatione etiam quoad Deum. 600,a
An Clericus Sacerdos nullam habens iurisdictionem in foro exteriori, possit absoluere existentem in articulo mortis ab excommunicatione. ibid.
Quid si Clericus non sit Sacerdos. ibid.
An Clericus Sacerdos adhuc excommunicatus, possit absoluere existentem in articulo mortis ab excommunicatione lata Iure, & reseruata. 601,a
An quando Clerici à suis Ordinariis suspenduntur ab officio, quia exhibuerunt Sacramenta vel Ecclesiasticam sepulturam hæreticis, vel quia ab eis eleemosynas receperunt, vel illis oblationes dederunt, possint absolui ab eisdem Ordinariis. 610,b
An Clericus qui absque licentia benedicit sponsis, sit suspensus. 612,b

An

An Clericus concubinarius sit suspensus. ibid.
An Clericus publicè peccator sit suspensus. ibid.
An nomine populi, Vniuersitatis, familiæve interdictæ interdicantur Clerici. 615,a
An Clerici possint in loco sacro tempore interdicti, sepeliri. 618,a
An Clerici peccent mortaliter, si tempore interdicti celebrent non eiiciendo ab Ecclesia non priuilegiatos. ibid. b
Quam pœnam incurrat dominus temporalis, qui compellit Clericum vt publicè & solemniter celebret tempore interdicti. 619,a
An Clericus exercens Ordinem quem non habet, fiat irregularis. 630,a

Clerus.

An nomine Cleri interdicti interdicantur Religiosi. 615,a

Cœmeterium.

An quando interdicitur Ecclesia, interdicatur etiam cœmeterium. 615,b

Cognatio carnalis.

Quid sit. 517,a
Linea consanguinitatis est duplex. ibid.
Quomodo consanguinitatis gradus computentur. ibid.
An consanguinitas Iure aliquo positiuo matrimonium dirimat. ibid.b
An in primo gradu lineæ rectæ Iure naturali id faciat. 518,a
Quid in casu extremæ necessitatis propagandi genus humanum. ibid.
An ex concessione Dei possit in prædicto gradu cohonestari. ibid.
Intra quos gradus lineæ rectæ consanguinitas dirimat matrimonium. ibid.b
An consanguinitas in secundo gradu & vlterioribus lineæ transuersalis Iure naturali dirimat matrimonium. ibid.
An dirimat in primo gradu. 519,a

Cognatio legalis.

Quid sit cognatio legalis. 522,a
Quot sint species illius. ibid.b
An dirimat matrimonium. 523,a
An in omnibus suis speciebus. ibid.
An impediat petitionem debiti quando superuenit matrimonio. ibid.b
In quo gradu matrimonium dirimat. ibid.
An inter adoptatum & adoptatam ab alio tertio sit cognatio legalis. ibid.
Quamdiu hæc cognatio duret. ibid.

Cognatio spiritualis.

Quomodo contrahatur inter confirmantem & baptizantem ex vna, & confirmatum & baptizatum ex alia parte, quando Sacramenta fiunt absque collatione gratiæ. 498,b. 519,a,b
An actum coniugalem impediat, quando inculpabiliter superuenit matrimonio. 498,b
An quando tantùm ab vno culpabiliter contrahitur, impediatur ius petendi in altero. ibid.
An impediatur in illo qui illã culpabiliter cõtrahit. ibi.
Quid sit. 519,a
Quomodo contrahatur quando Sacramenta Baptismi & Confirmationis fiunt cum collatione gratiæ. ibid.b
Quando cognatio spiritualis dirimat matrimonium Iure naturali vel Ecclesiastico. 520,a
An non baptizatus, qui baptizat, & est patrinus, contrahat cognationem spiritualem quæ matrimonium dirimat. ibid.
An contrahat aquam saltem, quando Baptismus & Confirmatio habent effectum. ibid.
An baptizatus, qui tenuit filium Mariæ non baptizatæ v.g. contrahat cum illa cognationem spiritualem. ibid.
Quid si illa postea baptizetur. ibid.
An hæreticus baptizatus contrahat cognationem spiritualem Iure positiuo introductam. ibid.b
An vt patrinus vel matrina contrahat cognationem spiritualem, requiratur quòd teneat puerum, vel illum de manu Parochi immediate suscipiat. ibid.
An vt respondeat pro puero in Catechismo qui comtatur Baptismum. ibid. 521,a
An requiratur intentio libera tenendi puerum. 521,a
An intentio contrahendi illam cognationem. ibid.
An intentio faciendi illum actum cærimonialem. ibid.
An in illo qui baptizat requiratur intentio, saltem confusa, baptizandi. ibid.
An quando plures quàm designati tenent puerum, vel suscipiunt baptizatum, omnes contrahant cognationem spiritualem. ibid.
Quid si hoc accidat in patrinis Confirmationis. ibid.
An quando plures quam duo, quorum vnus est designatus, tenent, aut suscipiunt puerum in Baptismo, contrahant omnes cognationem spiritualem. ibid.
Quid si omnes sint designati. ibid.
An ille qui dicto modo baptizat. ibid.

Commissarius Cruciatæ.

An possit dispensare in aliquo impedimento matrimonij. 542,a

Communicatio.

Quando sit licita & quando prohibita cum excommunicato, vide in Excommunicatio *vel* Excommunicatus.
Omnis communicatio cum fidelibus interdicitur excommunicato excommunicatione maiori. 583,a
Quale sit peccatum communicare cum excommunicato excommunicatione maiori. ibid.b. & seq.
Quæ pœna puniatur qui communicat cum excommunicato excommunicatione maiori. 584,a
Quæ requisita sint vt incurratur talis pœna. ibid.
Quid si communicatio sit in crimine criminoso. ibid.b
Quid si communicatio sit cum excommunicato excommunicatione maiori contra participantes. ibid.
Quibus modis communicatio cum excommunicato non tolerato excusetur à culpa, & consequenter a pœna. 585,b. & seq.
An communicatio cum suspenso sit prohibita. 608,a
An communicatio cum persona interdicta sit prohibita. 618,b

Communio.

Potest aliquando à non ieiuno sumi, & quando. 324,b
Quibus in casibus id liceat Sacerdoti. 325,b. 326,a
Quotuplici modo id fiat. 327,a
An sit conueniens, quotidie communicare. 3.9,a ibid.
Et quibus.
An in diebus Communionis sit licitus actus coniugalis. 496,a
An tempore interdicti permittatur saltem aliquibus diebus festiuis. 617,a. 618,a

Communitas.

An communitas possit licitè excommunicari. 589,b ibid. & seq.
An validè. 609,b
An possit suspendi.
An suspensione lata contra communitatem vt communitas est, suspendantur inculpabiles, vt partes communitatis, à functionibus illis, vt sunt membra illius, conuenientibus. ibid.
An suspensione lata in communitatem, directa non ad com-

communitatem sed ad particulares personas, comprehendantur inculpabiles. ibid.
An quando interdicitur communitas, eo ipso quòd persona desinat esse communitatis illius, desinat esse interdicta. 613,a
An interdicta communitate, interdicantur omnes personæ illius, etiam inculpabiles. 614,b
An interdicantur etiam absentes. ibid.
An qui habitant in suburbiis. ibid.
An qui habent domicilium in alio loco in quo tunc habitant. ibid.

Complex.

Quando possit in confessione omitti circumstantia complicis, cuius tamen circumstantiæ explicatio est ad integritatem confessionis necessaria. 157,a,b

Concilium.

An in Concilio Prouinciali & Generali sit potestas ponendi censuras. 549,a
An hæc potestas sit ad ferendas censuras non tantùm præcepto, sed etiam Iure. ibid. b

Concionator.

Non peccat, etiamsi concionetur non existendo in statu gratiæ. 38,b

Conditio.

Diuiduntur varia genera conditionum quæ contractui matrimonij apponi possunt. 473, a
Contractus matrimonij cui apponitur conditio extrinseca, vere est conditionatus. ibid.b
Quando conditio ita est necessaria, vt absque illa nequeant contrahentes conari contractum inire, absolutus censetur. ibid.
Quando ita necessaria est, vt etiam illa non subsistente possint contrahentes conari contractum inire, contractus conditionatus dicitur. 474,a
Quoties conditio apposita consensui non existit, etiamsi turpis vel impossibilis sit, contractus est nullus. ibid.
An matrimonium sub conditione factum suspendatur vsque ad notitiam impletionis conditionis. ibid.
An matrimonium sub conditione de futuro contractum, perficiatur purificatione conditionis absque nouo consensu: ibid.b
Quid si talis consensus ante purificationem conditionis reuocetur. 475,a
Quid si conditio sit dispensatio Papæ, necessaria ad valorem matrimonij. ibid.b
An quando contractui appositum fuit tamquam conditio beneplacitum patris, si pater primò dissentiat, & postea consentiat, sufficienter purificetur conditio ad valorem illius. 476,a
Quid si primo consentiat, & postea dissentiat. ibid.
Quid si positiuè non consentiat, sed tantùm non repugnet. ibid.
Quid si sponsalibus apponatur conditio. ibid.b
An conditio necessaria de futuro apposita matrimonio, illud in posterum suspendat. ibid.
Quid si conditio sit de futuro contingenti, & certò cognoscatur esse futuram. ibid.
An conditio apposita matrimonio debeat purificari coram Parocho, vt matrimonium censeatur absolutum. 477,a
Matrimonium contractum sub conditione quæ sit contra substantiam illius, est nullum. ibid.b
Quæ conditiones sint contra substantiam matrimonij. ibid. & seq.
An quando tantùm ponuntur ab vno contrahente, irritent matrimonium. 478,b
An conditio numquam se copulandi, vel numquam reddendi, seu numquam petendi, irritent matrimonium. ibid.
An conditio impossibilis habenda sit pro non adiecta. 480,a
Quid dicendum sit in dubio, an illa conditio fuerit serio apposita, vel non. ibid. b
Quid in vtroque præcedente casu, si conditio turpis sit. ibid.
An hæc conditio, Si te virginem inuenero, apposita matrimonio, sit turpis. 481,a
An contractus sponsalitius sub conditione de futuro impediat valorem matrimonij postea cum alia facti. ibid.
An contractum sponsalitium postea subsecutum. ibid.
An ex duobus matrimoniis conditionatis ab vna persona cum diuersis factis, ille præualeat, cuius conditio antea purificatur. ibid b
Quid si vtriusque conditio simul adimpleatur. ibid.
An conditio contra substantiam matrimonij apposita sponsalibus ea irritet. 482,a
An conditiones impossibiles vel turpes, additæ sponsalibus, habendæ sint pro non adiectis ibid.
Sponsalia contracta sub conditione, Si Papa dispensauerit, valida sunt quando solet in illo impedimento dispensare. ibid.b

Confessarius.

Putatiuus verè absolutus. 162,a
In Confessarium a Religioso eligi potest Sacerdos non approbatus, non verò a laico. 165,b
Quæ scientia Confessario necessaria. 166,b.& seq.
Approbatus pro vna diœcesi non est ad quamlibet approbatus. 168.b.& seq.
Quæ peccata teneatur reuocare in memoriam pœnitenti. 171,a
Tenetur monere pœnitentem inualidè absolutũ. ibid.b
Item ignorantia laborantem. 172,a,b
Confessarius inferior absque facultate nequit pœnitentem absoluere, cum onere comparendi pro reseruatis coram Confessario superiore. 181,a
Confessarius superior nequit, reseruatis auditis casibus, pœnitentem absoluere, & pro ceteris peccatis mortalibus absoluendis mittere ad alium Confessarium. 182,a b
Quando teneatur concedere facultatem petenti ad absoluendum à reseruatis. ibid.b
Confessarius non potest integrè peccata sua confiteri, si sigillum inde periclitetur. 186,b
De pœnitentis tamen licentia peccatum reuelare potest. ibid.
Imo etiamsi peccatum sit publicum, reuelare omnino nequit. 187,a,b
Nec ob pœnitentis correctionem sigillum reserare potest. 188,a
Nec ob propriam vitam tuendam. ibid.b
Cum pœnitente extra confessionem de peccatis cõfessis loqui nequit. 189,a
Sub iuramento potest negare se audisse in confessione peccatum. ibid.b
Pœnas tamen reseruati sigilli non incurrit ipso facto. 190,a,b
Potest obligare pœnitentem ad impletionem pœnitentiæ iniunctæ, & an sub mortali. 197,a
Quomodo teneatur pœnitentiam imponere. ibi. & seq.
Et quantam pœnitentiam. 198.b
obligantem sub præcepto. 199,a
& a pœnitente sequendam. ibid.
Quam malitiam habeat fornicatio Confessarij cum femina quæ ei ordinarie confitetur. 519,b
Quid si fornicatio vel aliud luxuriæ peccatum fiat in con-

confessione vel intra viginti quatuor horas subsequentes. ibid.
An possit Confessarius ordinarius absoluere, adhuc extra confessionem, ab excommunicatione maiori, lata Iure & non reseruata. 600,b. & seq.
An Confessarius ordinarius possit auferre suspensionem. 610,b
An possit auferre interdictum. 621,b

Confessio.

Confessio Sacramentalis præcepta est Iure diuino. 132,a
Quo tempore obliget. 133,b
Non baptizatos non obligat. 134,b
Ab Ecclesia præcipi potuit. 135,a
Eius præceptum non est merè humanum. ibid.b
Quando sufficiat nutibus confiteri. 143,a
præsertim moribundo. 144,a
Quando mendacium in confessione sit mortale, & quando veniale. ibid.b
Quando confessio sit inualida. 145,a b
Quo in casu sit confessio repetenda. 146,b
Confessio debet esse omnium mortalium. 147,a
In ea sunt exprimendæ species peccatorum. ibid.b
Secùs circumstantiæ aggrauantes intra eamdem speciem; vbi multa de singulis circumstantiis. 148,a. & seqq.
Circumstantiæ aggrauantes intra eamdem speciem non sunt necessariò exprimendæ in confessione. 149,a
Numerus quoque peccatorum mortalium in ea est explicandus. 152,a
Vnde numerica peccatorum multiplicitas sumatur. ibid.b
Confitenda sunt peccata quoque illa, quæ an sint mortalia dubitatur. 154,b
Ad confessionem ritè instituendam quale examen requiratur. 155,a
Confessio peccatorum in communi aliquando sufficit. ibid.b
Possunt in ea quoque omitti aliqua mortalia. 156,b
Quando possit in confessione omitti circumstantia complicis, cuius tamen explicatio est ad integritatem confessionis necessaria. 157,a
An detur confessio informis ex defectu integritatis. 158,a
Non est facienda laico. ibid.
Approbatio ad confessiones audiendas ab Episcopo pœnitentis obtineri debet. 169,a
Ex confessione Sacramentali oritur obligatio sigilli. 184,b
Quod confessio præmittenda sit sumptioni Eucharistiæ, præceptum fuit in Ecclesia ante Concilium Tridentinum. 316,a
Et est diuinum positiuum. 317,a
Quibus casibus hoc præceptum non obliget. ibid.b
An sit præceptum confitendi statim post Communionem, quando quis in peccato communicauit. 318,b
Et quando. 319,a

Confessio annua.

In præcepto annuæ Confessionis potest Pontifex summus dispensare. 135,b
Non obligat ad confitendum venialia. 136,a
Eius præcepto obligantur quoque impuberes ante duodecimum annum. 137,a
Ad eam tenetur Summus Pontifex. ibid.
Qua ratione sit computandus annus in confessione annua. ibid.b. & seq.
An confessionis annuæ præceptum aliquando obliget pro determinato tempore. 138,a
An quacumque confessione satisfiat eius præcepto, scilicet mutila, informi, &c. 141,a
Si quis in Paschate confiteatur Religiosis priuilegiis, satisfacit annuæ confessionis præcepto. 166,a
An excommunicatus excommunicatione maiore, excusetur à præcepto annuæ confessionis, quando facilè potest absolutionem obtinere. 576,a

Confessio publica.

Confessio publica est valida. 142,a
Quando obliget, aut illa quæ sit per interpretem. ibid.

Confirmatio.

Definitio Sacramenti Confirmationis traditur. 77,a
Est Sacramentum nouæ Legis. ibid.b
Et à Christo post vltimam cœnam institutum. 78,a
Materia eius remota essentialiter requisita, est Chrisma confectum ex oleo & balsamo. ibid.b. & seq.
Quod oleum etiam ab Episcopo benedici debet. 80,a
Materia proxima Confirmationis quæ sit. ibid.
Apostoli confirmarunt impositione manuum & Chrismatis vnctione. 81,a
Forma Confirmationis traditur. ibid.b
Quos effectus gignat Confirmationis Sacramentum. 82,a
In Confirmatione imprimitur character. ibid.
Huius Sacramenti capaces sunt omnes baptizati. 83,a
Nemo tamen ad eius susceptionem obligatur. ibid.b
Ordinarius eius minister est Episcopus. 84,a
Ex commissione Pontificis summi potest quilibet Sacerdos confirmare. ibid.b
Cærimoniæ quibus hoc Sacramentum conferri vsi runtur. 85,a
An Sacramentum Confirmationis receptum ab excommunicato sit validum. 574,a
An sit prohibitum dari tempore interdicti. 617,b
An ob eius iterationem incurratur irregularitas. 629,a

Coniugij actus. *vide*, Actus coniugalis.

Coniux.

Potest quilibet coniux duobus mensibus, numerandis à die contractus, non reddere, etiamsi petat alter, ex possit Religionem ingredi; quibus transactis tenetur reddere, vel ingredi Religionem. 488,a
An possit hac facultate vti, qui Religionem ingredi non cogitat. ibid.
An transacto bimestri possit Religionem ingredi, quando matrimonium non est consummatum. ibid.b
An transacto bimestri teneatur statim profiteri, vel sufficiat Religionem ingredi. ibid.
Potest alter coniux Religionem ingredi, si ante hinc fit, e matrimonium consummauerit, dummodo fuerit coactus. ibid.
An in prædicto casu possit cogens aliud matrimonium inire, si coactus Religionem ingrediatur. 489,a ibid.
Quid si coactio fuit post bimestre. 493,a
Pluralitas coniugum est nulla & illicita. ibid.
Quo Iure hoc sit.
Pluralitas vxorum simul, aliquando fuit aliquibus valida & licita. 494,a
Pluralitas maritorum simul numquam fuit valida nec licita. ibid.
Pluralitas successiua coniugum valida est & licita. ibid.b
Coniux qui post seminationem vnius non expectat seminationem alterius, peccat mortaliter. 498,a,b ibid.
An vno vel multiplici peccato.
An peccet, quando non reddit alteri debitum tam quam debitum. 503,a
Quid

Quid si petitio est immoderata. ibid.b
Quid si tantùm vna vel altera vice non reddat. ibid.
An coniux possit diu absque alterius licentia abesse. ibid.
An maritus possit se pœnitentiis impotentem reddere ad soluendum debitum, absque licentia vxoris. ibid.
An excusetur à ieiunijs positis in præcepto, quando est periculum reddendi se impotentem ad soluendum debitum. ibid.
An excusetur vxor quando ratione ieiunij redditur deformis, & ita pallida, vt non placeat viro. ibid.
Coniux non tenetur reddere cum periculo notabilis damni. ibid.
An teneatur cùm exigenti imminet periculum incontinentiæ. ibid.
Quid si periculum oriatur ex morbo diuturno alterius exigentis. ibid.
Quid si ante matrimonium cognitus fuit ille morbus. ibid.
An coniux excusetur ab obligatione reddendi, quando plures nascuntur filij. 504,a
An excusetur ratione amentiæ alterius. ibid.
An coniux alteri illicitè exigenti possit reddere. ibid.b
An coniux ex licentia alterius possit Religionem ingredi. 509,a
Coniuges possunt vouere castitatem, etiamsi vterque maneat in sæculo. ibid.b
Reliqua quæ actum coniugij spectant, videantur sub titulis Actus coniugalis, & Copula.

Consanguinitas. *vide,* Cognatio carnalis.

Consecratio.

Distincta fuit actio à benedictione & gratiarum actione. 235,a
Solus Sacerdos est minister consecrationis. 339,a
Consecratio vtriusque speciei requiritur ad essentiam Sacrificij Missæ. 352,b
Et est Iure diuino præcepta. 353,b
Vide & infrà, Verba consecrationis.

Consensus.

Quis consensus requiratur in recipiente Sacramentum. 40,a
An sponsalia mutuo impuberum consensu dissolui possint. 426,a
Qualis consensus requiratur ad valorem matrimonij. 437,b
An consensus debeat ferri in bona matrimonij. 438,a
An consensus debeat ferri in copulam. 439,a
An ille qui existimat se esse inhabilem ad matrimonium, cum formidine tamen oppositæ partis, possit habere consensum sufficientem ad valorem matrimonij. 440,b
Quid si nullam habeat formidinem oppositi. ibid.
Quæ distantia possit esse inter consensum vtriusque contrahentis. 441,a
An ad reualidandum contractum matrimonij, nullum ex defectu consensus, sit necessarius nouus consensus exterius prolatus. 442,a
Quid si consensus fuit nullus ex defectu alicuius impedimenti quod ignorabat consentiens. ibid.
An requiratur nouus consensus ex vtraque parte. ibid.
An nouus consensus debeat fieri consentiente conscio nullitatis. ibid.b
An sufficienter iste consensus exprimatur copulâ. 443,a
An sufficiat fama publica ad reualidanda sponsalia, nulla ex defectu consensus, siue veri siue legitimi. ibid.
An expressio consensus interni pertineat ad essentiam contractus matrimonij. 444,b
An pertineat ad illud in ratione Sacramenti. ibid.
An contractus celebratus ante Baptismum fiat postea Sacramentum gratiam conferens, si repetatur consensus. 447,b
An matrimonium sub conditione de futuro contractum perficiatur purificatione conditionis absque nouo consensu. 474,b
Quid si talis consensus ante purificationem conditionis reuocetur. 475,a
An quando contractui appositum fuit tamquam conditio beneplacitum patris, si pater primo dissentiat, & postea consentiat, sufficienter purificetur conditio ad valorem illius. 476,a
Quid si priùs consentiat & postea dissentiat. ibid.
Consensus partis in cuius fauorem lata est censura sub conditione, absolutè præstitui ante impletionem conditionis, impedit incursionem censuræ absque consensu Iudicis. 565,a
An elapso termino à parte ipsa prorogato incurratur censura absque nouo consensu Iudicis. ibid.b

Consiliarius.

An Consiliarij Regis in tribunalibus ad iudicandas causas ciuiles, sint irregulares. 638,b

Consilium. Consultor.

An qui consulit peccatum cui est annexa censura, illam incurrat. 556,b
An quando censura incurritur ob consilium, incurratur tempore quo consulitur, vel tempore quo fit peccatum. ibid.
An quando censura fertur propter consilium tantùm quod habet effectum, incurratur quando effectus non prouenit à præcedente consilio. 557,a
An censura lata contra facientes, comprehendat etiam consulentes. ibid.
An si ante executionem effectus reuocetur consilium efficaciter, quatenus est ex parte consulentis, & nihilominùs ex illo sequatur effectus, incurratur censura, quando posita est contra consulentes. 558,a
An qui consulit homicidium vel mutilationem, contrahat irregularitatem. 632,a

Consummare.

Quando censeatur matrimonium consummatum. 488,b

Contractus.

An sufficiat intentio virtualis ad valorem contractus. 416,b
An ex coactione personæ ad promittendum fiat inualidus. 421,b
An contractus factus cum excommunicato excommunicatione maiore sit licitus. 583,b
An validus. ibid.

Contritio.

Aliqua saltem in adultis, qui peccauerunt, ad Baptismi gratiam recipiendam requiritur. 71,a.b
Quid contritio sit explicatur, & quid attritio; & attritionem fieri posse contritionem, negatur. 93,a.b
Contritio perfecta absque Sacramento peccata remittit. 94,a
Etiam absque expresso proposito non peccandi. ibid.b
Nec est necessarium ferri in singula peccata. 95,a
Contritio virtualis sufficit ad remissionem peccatorum. ibid.b
Idque ex rei naturâ. 96,a
Contritio est forma ex se formaliter sanctificans à peccatis vt forma. ibid.b.& seq.

Idque de facto. 98,a
In quo consistat eam esse detestationem aut dolorem peccati super omnia. 100,a
Quo ordine excitetur contritio. 101,a
Contritio nequit, etiam diuinitus, expellere vnum peccatum mortale sine alio. ibid.b
Potest tamen venialia expellere. 102,b
Per eam in Purgatorio peccata venialia remittuntur. 105,a
Contritio potest præcipi. 112,a
Quale sit eiusmodi præceptum. ibid.b
Non obligat tamen id præceptum statim post commissum peccatum. 113,a
Quando præcisè obliget. 114,b
De peccatis dimissis nemo contritionem habere aut dolere tenetur. 115,b
Quomodo sit res & Sacramentum simul. 116,b
Aliqua saltem ad Sacramentum Pœnitentiæ requiritur. 125,b
Et non est necesse quòd sit existimata contritio. 126,a
Ex quo id fiat motiuo. 127,a
Naturalis quoad substantiam sufficit. 128,a

Contumacia.

An requiratur contumacia respectu Ecclesiæ, vt licitè feratur censura à Iudicibus Papâ inferioribus. 555,b
An vt validè. 556,a
An requiratur contumacia respectu Ecclesiæ præcipientis sub censura. ibid.
An requiratur, quando censura fertur ab ipso Papa. ibid.b

Copula.

An in illam debeat ferri consensus matrimonij. 439,a
Quid si in oppositum copulæ talis consensus feratur. ibid.
An per copulam sponsalia transeant in matrimonium. 442,b
An matrimonium inualidum ratione metus, validum fiat per copulam subsequentem. 476,b
In coniugio ex obiecto licita est. 495,a
Quid si à coniugibus fiat ad vitandam solùm incontinentiam in se vel in alio. ibid.a.b
Quid si ab iisdem fiat ob sanitatem corporis vel alium finem extrinsecum, honestum tamen. ibid.b
Quid si ab iisdem fiat cum desiderio inefficaci vt non sequatur proles, ob finem honestum. ibid.
Quid si ab eis fiat ob delectationem solam. ibid.
Copula coniugalis an cum peccato fiat, ceteris paribus, in diebus festis, ieiunij, aut Communionis. 496,a
Reliqua vide in titulo Actus coniugalis.
Quid, si copula inter eos qui cum aliquo impedimento contraxerunt, habeat specialem malitiam. 511,b
An copula absque seminis intromissione facta sufficiat ad affinitatem contrahendam. 524,b
An copula sodomiticè facta sufficiat. ibid.
An copula inter affines & consanguineos post expeditam dispensationem ab Ordinario, impediat matrimonium postea celebrandum. 544,b
An taciturnitas copulæ inter affines & consanguineos efficiat dispensationem nullam. ibid.
An quando in dispensatione ponitur clausula illa, Dummodò copula non interuenerit, *dispensatio sit valida, etiamsi interuenerit, & taceatur.* 545,a
An in prædicto casu interrogati contrahentes ab Ordinario, an talem copulam habuerint, eam declarare teneantur. ibid.
Quid si interrogentur à viro prudente, cui commissa est dispensatio pro foro conscientiæ. ibid.

Corpus.

Potest in pluribus locis circumscriptiuè cõstitui. 286,a
Cui in vno loco possunt abesse accidentia, quæ alibi adsunt. 288,a

Corpus Christi.

Pertinet ad essentiam Eucharistiæ tantùm commutatiuè. 221,a
Potuit fieri præsens accidentibus panis, perseuerante panis substantia. 274,b

Creatura.

Potestas ad instituenda Sacramenta potest creaturæ communicari. 309,b

D.

Defectus.

Defectus corporis an irregularitatem contrahi faciat. 637,b

Defunctus.

An possit censuris ligari. 551,a
An saltem indirectè. ibid.b. 589,b

Degradatio.

Quid sit degradatio. 613,a
Quibus priuet. ibid.
An sit censura. ibid.
An sit pœna. ibid.

Delectatio.

An actus coniugalis propter delectationem capiendam sit licitus. 496,a
An delectatio coniugis de copula præterita vel futura sit licita. 501,b
Quid si fiat cum periculo commotionis & alterationis in membris externis. ibid.
An delectatio de actu coniugali futuro in sponsis sit licita. 503,a

Delegans. Delegatus.

An excommunicatus possit delegare iurisdictionem aliquam. 579,a,b
Quid si excommunicatus sit toleratus. 580,a

Deliberatio.

Ad sponsalium valorem necessaria est matura deliberatio. 415,a

Denuntiationes.

An sint necessariæ ad valorem matrimonij, vbi viget Tridentinum. 463,a
An vt licitè contrahatur. ibid.
An obligent sub mortali an sub veniali. ibid.
Quid si vna tantùm omittatur. ibid.
A quo sint faciendæ. ibid.
Quo tempore. ibid.
Quo loco. ibid.
Quando possit aliqua omitti vel fieri post contractum matrimonium. ibid.
An possit dispensare Episcopus vt omittantur vel reponantur. ibid.
An Prouisor seu Vicarius. ibid.
An quilibet habens iurisdictionem Episcopalem. 464,a
An prædicti omnes possint delegare facultatem dispensandi in dictis dispensationibus. ibid.
An possit dispensare Ordinarius vnius tantùm contrahentis. ibid.
Quid si matrimonium fiat in diœcesi alterius. ibid.
An in aliquo casu possit Parochus dispensare. ibid.b
Quibus de causis fieri possit dispensatio. ibid.
Quibus casibus possint omitti denuntiationes absque dispensatione ordinaria. 463,a
Quando teneatur Ordinarius dispensare. 463,a
Quam informationem debeat præmittere de causis dispensationis. ibid.b

An

An ex vi denuntiationum teneatur quis reuelare impedimentum. 465,b
Quid si deferens impedimentum illud probare non potest. ibid.
Quid si oriatur ex peccato occulto. 466,a
Quid si sub secreto & iuratus sciat. ibid.
An ad id teneantur etiam contrahentes. ibid.
An teneatur etiam Parochus, quando extra confessionem impedimentum cognouit. ibid.
Quid facere debeat, si illud in confessione cognouit. ibid.
An matrimonium absque denuntiationibus factum sit clandestinum. ibid.b
Quibus pœnis puniatur. ibid.
An excommunicatus, qui expressè & nominatim non est denuntiatus, sit vitandus. 568,a,b
Quid si excommunicatio sit ob publicam percussionem Clerici. ibid.b
Quid si contra eum sit lata & publicata sententia declaratoria criminis, cui est annexa censura. ibid.
Quid faciendum sit in dubio dictæ denuntiationis. ibid.
Quidquid dictum fuerit de excommunicato non denuntiato, intelligendum est de suspensis & interdictis, non solum personis sed etiam locis. ibid.

Depositio.

Quid sit depositio. 613 a
Quibus priuet. ibid.
An sit censura. ibid.
An sit pœna. ibid.

Diaconus.

Quæ fides & sanctitas in eo requiratur. 38,a
Quando solemniter baptizare possit. 61,b
Potest distribuere Eucharistiam ex commissione Sacerdotis expressâ, & aliquando ex interpretatiuâ. 341,a
Quæ sit materia & quæ forma in ordinatione Diaconi. 396,a

Disparitas.

Disparitas in Baptismo matrimonium dirimit. 539,a
Quo jure id fiat. ibid.
An disparitas in fide illud dirimat. ibid.b
An matrimonium inter dispares in fide sit licitum. ibid.

Dispensatio.

An Episcopus dispensare possit vt omittantur vel postponantur denuntiationes matrimoniorum. 463,a
An Prouisor seu Vicarius. ibid.
An quilibet habens iurisdictionem Episcopalem. 464,a
An prædicti omnes possint delegare facultatem dispensandi in dictis dispensationibus. ibid.
An possit dispensare Ordinarius vnius tantùm contrahentis. ibid.
Quid si matrimonium fiat in diœcesi alterius. ibid.
An in aliquo casu possit dispensare Parochus. ibid.
Quibus de causis fieri in eis possit dispensatio. ibid.b
Quibus casibus possint omitti denuntiationes absque dispensatione ordinaria. ibid. 465,a
Quando teneatur Ordinarius dispensare. 465,a
Quam informationem debeat præmittere de causis dispensationis. ibid.b
Quid sit dispensatio. 541,a
An sit amplè vel strictè interpretanda. ibid.
Pontifex potest dispensare in impedimentis matrimonium impedientibus tantum. ibid.
Quid verò si absque rationabili causa dispenset. ibid.
An possit dispensare in impedimentis dirimentibus. ibid.b
An possit dispensare in radice matrimonij quoad effectus seculares & Ecclesiasticos. ibid.
An Episcopus possit ordinariè dispensare in impedimentis dirimentibus. ibid.
An possit in casu necessitatis ex tacita Pontificis concessione. ibid. & 542,a
An possit Legatus à latere in sua prouincia. 542,a
An possit dispensare in aliquo casu Commissarius Bullæ Cruciatæ. ibid.
An Religiosi Societatis Iesv, *& ceteri Mendicantes.* ibid.
An Episcopus possit dispensare in impedimentis tantum impedientibus. ibid.
An possit in his qui post votum castitatis illicitè contraxêre, vt licitè petant. ibid, b.
An possint Religiosi Societatis Iesv *ex concessione Prouincialis.* ibid.
An Episcopus possit dispensare in sponsalibus. ibid.
An dispensatio impedimenti Iure tantum humano introducti facta absque causa, sit valida. ibid.
Quæ causæ requirantur ad dispensationem faciendam. ibid.
An, ceteris paribus, facilius dispensandum sit cum Magnatibus & Potentibus. ibid.
Assignantur aliquæ causæ quibus dispensatio possit licitè fieri. ibid.
An sit sufficiens causa, matrimonium fuisse bona fide contractum. 543,a
Quæ causæ requirantur ad dispensandum in votis. ibid.
Quæ ad dispensandum in sponsalibus. ibid.
Quo tempore debeat existere causa motiua dispensationis. ibid.
Quid si causa minuatur post commissionem factam Ordinario ante dispensationem expeditam ab illo. ibid.
Causa dispensandi vel negandi dispensationem alia est motiua alia impulsiua. ibid.b
Quando dicatur causa impulsiua, quando motiua. ibid.
Quando in petitione tacetur aliquid verum quod Iure præcipitur exprimi, quod est causa impulsiua negationis dispensationis, dispensatio est nulla. ibid.
Quid si dispensatio non fiat ad petitionem partis, sed motu proprio Pontificis. ibid.
Quando in petitione exprimitur aliquid falsum, quod pertinet ad causam motiuam dispensationis, vel tacetur verum quod pertineret ad causam motiuam negationis, dispensatio est nulla. ibid.
An taciturnitas veri, vel expressio falsi, pertinentium tantum ad causam impulsiuam, efficiant dispensationem nullam, quando non præcipiuntur Iure exprimi. 544,a
Quid si dicta taciturnitas veri, vel expressio falsi facta fuerit mala fide. ibid.
Quid in puro dubio an causa fuerit motiua vel impulsiua. ibid.
An copula habita inter affines aut consanguineos post expeditam dispensationem ab Ordinario, sit impedimentum ad matrimonium posteà celebrandum. ibid.b
An taciturnitas copulæ inter affines vel consanguineos efficiat dispensationem nullam. ibid.
An quando dispensationi apponitur clausula, Dummodò copula non interuenerit, *dispensatio sit valida, etiamsi interuenerit.* 545,a
An, si in prædicto casu interrogarentur contrahentes ab Ordinario, an talem copulam habuerint, illam declara-

clarare teneantur. ibid.
Quid si interrogentur à viro prudenti, cui commissa est dispensatio pro foro conscientiæ. ibid.
Quando sunt plura impedimenta diuersæ rationis inter se non connexa, omnia sunt explicanda in petitione dispensationis. ibid.
Quid si sint connexa. ibid.b
Quid si sint eiusdem speciei, etiamsi connexa non sint. ibid.
An quando plura impedimenta necessariò exprimuntur, omnia simul vnicâ petitione exprimi debeant. ibid.
Quomodo explicandi sint gradus cognationis in petitione dispensationis. 546,a
An quando in petitione dispensationis exprimitur maior gradus pro minori, dispensatio sit valida. ibid.b
Quid si minor pro maiori exprimatur. ibid.
An commissio facta à Papa exspiret morte concedentis. ibid.

Diuortium.

An ob adulterium alterius coniugis possit fieri diuortium. 505,a
An saltem quoad torum & cohabitationem. ibid.b
An ob sodomiam. 506,a
An ob bestialitatem. ibid.
An ob tactus impudicos. ibid.
Quid si copula adultera, siue naturalis siue sodomitica, fiat absque seminis intromissione. ibid.
Quid si semen introducatur absque copula. ibid.
An ob adulterium ab vtroque commissum possit fieri diuortium. ibid.
Quid si vnus secretò adulterauit, & alter publicè. ibid.
Quid si vnus sit emendatus & reconciliationem petat, & alter persistat. ibid.
Quid si post adulterium reconcilientur coniuges, & postea alter reincidat. ibid.b
An innocens, qui post factum diuortium adulterauit, teneatur alterum admittere. ibid.
Quid si diuortium factum fuerit sententiâ Iudicis. ibid.
An adulterium vnius coniugis factum consensu alterius, sufficiat ad diuortium. ibid.
Quando censetur coniux consentire in adulterium alterius. ibid.
Quid si adulterium excusetur à culpa. ibid.
An coniux possit post adulterium discedere, postquam remisit iniuriam. 507,a
An coniux teneatur ad diuortium, quando alter in adulterio persistit. ibid.
An diuortium fieri possit ob graue periculum animæ alterius coniugis imminens. ibid.b
An ob lapsum in hæresim. ibid.
An ob timorem grauis mali cadentem in virum constantem. ibid.
An ob periculum morbi contagiosi. ibid.
An ob prædictas causas possit fieri diuortium in perpetuum. 508,a
An ad diuortium coactorum necessaria sit Iudicis auctoritas. ibid.
An coniux moraliter certus de adulterio teneatur obedire Iudici impedienti diuortium. ibid.
An post diuortium iustè factum possit innocens castitatem vouere, & Religionem ingredi. ibid.b
An possit alter ex cuius parte diuortium fuit illicitum. 509,a
Quid si diuortium factũ fuerit sententiâ Iudicis. ibid.
An diuortium coactorum possit fieri consensu vtriusque partis absque alia causa. ibid.
An possit fieri quoad habitationem. ibid.b

Dolor.

Non est necessariò præsupponendus ad Confessionem. 131,a,b

Dominus.

An teneatur vitare seruum vel mancipium excommunicatum. 584,a
Quid si excommunicatio sit contra participantes. ibid.
Quid si scelus, ob quod incurritur excommunicatio, factum fuerit opere aut consilio serui vel mancipij. ibid.
Quid si fiat dominus postquam seruus contraxerit excommunicationem. ibid.b
An teneatur vitare vasallum. ibid.

Dubium.

An in dubio, vtrùm censura sit lata vel ferenda, censenda sit tantùm ferenda. 550,b
An in dubio denuntiationis facta excommunicatus excommunicatus sit vitandus. 568,b
Quid si dubium sit de publica percussione Clerici. 569,a
An in dubio Iuris irregularitatis censendus quis sit irregularis. 623,b
An in dubio facti. 626,a,b

E.

Ecclesia, pro Cœtu fidelium.

Ecclesia non potest determinare & præscribere tempus præcepti diuini suscipiendi Baptismum ante finem vitæ. 53,a
In Ecclesia est potestas absoluendi. 120,a
Potest Sacramentalem Confessionem præcipere. 135,b
Item ad confessionem venialium obligare. 136,a
In Ecclesia est potestas ad reseruandum peccata. 174,a
Ecclesia potest obligare ad iterandam confessionem peccati semel absoluti. 178,a,b
Et ad comparendum coram Prælato etiam sub mortali. 179,a
An potuerit in articulo mortis alicui negare Eucharistiam. 335,a
Rationabiliter prohibuit, ne laici sub vtraque specie communicarent. 336,b

Ecclesia, pro Templo.

An suspensus ab ingressu Ecclesiæ possit diuina officia celebrare, vel audire saltem extra Ecclesiam. 607,b
An quando oppidum generaliter interdicitur, intercantur etiam Ecclesiæ exemptæ à iurisdictione Episcopi. 613,b
An interdicto speciali omnium Ecclesiarum alicuius oppidi interdicantur Ecclesiæ exemptæ à iurisdictione Episcopi. ibid.

Electio.

An electio facta ab excommunicato excommunicatione maiori, sit valida & licita. 580,a
Quid si electio fiat ab excommunicato cum aliis qui excommunicati non sunt. ibid.
Quid si electio sit ad Summum Pontificatum. ibid.

Eleemosyna.

An excommunicatus possit eleemosynam petere. 585,b 586,a
An possit peti ab illo. ibid.
An possint Prædicatores & Confessores eam petere ab excommunicato, quando aquè possunt eam ab alio consequi. ibid.
An quando Clerici à suis Ordinariis suspendantur ab

ab officio, quia acceperunt eleemosynam ab hæreticis, possint ab eisdem Ordinariis absolui. 610.b

Energumeni.

Energumenis seu dæmoniacis, siue per peccatum siue sine peccato à dæmone obsessis, potest licitè conferri Eucharistia. 328,b

An arreptus à dæmone sit irregularis. 637,b

Episcopatus.

Quo Iure, Ecclesiasticone, an diuino, distinguatur à Presbyteratu, eoque sit superior. 390.b

An existens in alieno Episcopatu, ligetur censuris annexis Iuri perpetuo sui Episcopatus. 552,b

Quid si existat in loco exempto à iurisdictione Episcopi intra Episcopatum eius. ibid.

Quid si sit in Monasteriis Religiosorum. ibid.

An existens in alieno Episcopatu possit ligari censuris annexis præcepto sui Episcopi. ibid.

Statim ac quis ingreditur alienum Episcopatum animo permanendi ibi saltem per medietatem anni plus minusve, potest ligari censuris illius Episcopatus. 553,a

Quid si non ingrediatur animo permanendi. ibid.

Episcopus.

Episcopus est ordinarius minister Confirmationis. 84,a

Quale vinculum sit inter Episcopum & eius Ecclesiam, & quando contrahatur. 390,b

Episcopi ordinatio, prout distincta ab ordinatione Presbyteri, est Sacramentum nouæ Legis. 392,a

Quæ sit materia & quæ forma in ordinatione Episcopi. 394,a

Ratione ordinis Episcopalis est minister Ordinum sacrorum. 399,b

Etiamsi ipsemet careret inferioribus Ordinibus. ibid.

Validè, sed non licitè ordinat non sibi subditos. ibid.

Qui eius censeantur subditi. ibid.

Ad eius ordinationem tres ad minus Episcopi requiruntur. 400,b

An possit assistere matrimonio. 458,b

An possit dispensare vt omittantur vel postponantur denuntiationes matrimoniales. 463,b

Quibus de causis dispensare possit. 464,a

Quando teneatur dispensare. 465,a

Quam informationem debeat præmittere de causis dispensationis. ibid.b

An incurrat excommunicationem, quando cogit subditum matrimonium contrahere. 472,a

An possit instituere impedimenta matrimonij erga suos subditos. 510,a

An possit dispensare in aliquo casu in impedimentis matrimonij, vtpote in impedimentis dirimentibus. 541,b

An possit in casu necessitatis ex tacita Pontificis concessione. ibid.& 542,a

An possit in impedimentis dirimentibus superuenientibus matrimonio. 542,a

An possit dispensare in impedimentis tantùm impedientibus. ibid.

An possit in his qui post votum castitatis illicitè contraxere, vt licitè petant. ibid.b

An possit dispensare in sponsalibus. ibid.

Si Episcopus excommunicetur, an debeat vitari à Clericis. 586,b

An ipse cauere debeat Clericum excommunicatum. ibid.

An possit Episcopus adhuc extra confessionem absoluere ab excommunicatione maiori non reseruata. 600,b. 601,a

An in aliquibus casibus concedatur Episcopo facultas absoluendi ab excommunicatione Papæ reseruata, & qui illi sint. 601,b

An in aliquo casu possit Episcopus auferre suspensionem Papæ reseruatam. 611,a

An interdicto generali communitatis comprehendatur Episcopus. 614,b

Assignantur aliquæ causæ quibus Episcopi Iure interdicuntur. 622,a

An Episcopus comprehendatur Iure generali quo fertur irregularitas. 628,a

An possit Episcopus dispensare in irregularitate. 639,b

Epistola.

An per epistolam valide fiat matrimonij contractus. 446,b

An sic celebratum, sit Sacramentum. 447,b

An qui misit epistolam cui est annexa censura, & resipiscit efficaciter, quatenus est ex se, antequam perueniat ad manus illius cui mittitur, illam post ea incurrat. 558,a,b

Error.

Error personæ cum qua contrahitur matrimonium, Iure naturali dirimit matrimonium. 512,a

Quid si talis error sit vincibilis. ibid.

An error qualitatis personæ cum qua contrahitur, dirimat matrimonium. ibid.b

Quid si talis error det causam contractui. 513,a

Quid si contrahens contrahat expresse motus qualitate circa quam errat. ibid.

Eucharistia.

Quomodo omnium Sacramentorum sit præstantissimum. 219,a

De variis eius nominibus, eorumque etymologiâ. ibid.

Essentia huius Sacramenti quæ sit. 220,a

Est vnum Sacramentum tantum, speciem infimam habens vnitatem moralem in ratione conuiuij. 221,b

Quælibet species Sacramentalis est Sacramentum essentialiter perfectum, non tamen integralitèr. ibid.

De ipsius necessitate. 223,a.b

Quomodo dicatur necessarium in voto ad iustificationem necessitate medy. ibid.b

Institutio eius facta fuit sinita vtraque cœna, legali & vsuali, à Christo & Discipulis. 233,a,b

Quæ & quàta hæretici contra eã obiiciant. 260.& seq.

Quando & quamdiu in ea conferatur gratia. 306,a

Est peculiaris vnio moralis inter Christum & eum dignè suscipientem. 308,b

Et quamdiu illa duret. ibid.b

Confert gloriam in alia vita. 310,a,b

In corpore eum dignè suscipientis nihil producit in hac vita. ibid.b

Nec per se nec ex opere operato remittitur peccatum mortale per sumptionem Eucharistiæ. 311,a,b

Peccatori occulto publicè eam petenti non est deneganda. 320,a

Secùs occultè petenti. 321,a

Dummodò peccatum notum sit ministro extra confessionem. ibid.

Publico peccatori publicè eam petenti omnino est deneganda. ibid.

Eucharistiam alicui ministrare ad purgationem delicti, illicitum est. 322,a,b

Ad eius sumptionem necessarium est ieiunium. 323,a

Idque ex præcepto tantum Ecclesiastico. ibid.b

Quotuplici modo sumatur. 327,a

Eucharistiæ effectus capaces sunt infantes. ibid.b

Ad eam sumendam incapaces sunt amentes. 328,a

Eamque amentibus à natiuitate ministrare est illicitum. ibid.

Secùs amentibus ex infirmitate. ibid.
Et quando his sit conferenda. ibid.b
Energumenis seu damoniacis, siue per peccatum, siue sine peccato à dæmone obsessis, potest licitè conferri. ibid.
Quibus competat eam ministrare. 340,b. & seq.
Quomodo in ea ratio Sacrificij comparetur cum ratione Sacramenti. 356,b
An excommunicatus peccet mortaliter ministrando Eucharistiam. 573,a
Quid si illam ministret existenti in articulo mortis, quando id non potest fieri ab alio. ibid.b. 574,a
An excommunicatus excusetur à præcepto annuæ receptionis Eucharistiæ, quando facile potest absolutionem obtinere. 576,a

Eucharistiæ materia. *vide*, Materia.

Eunuchus.

An copula eunuchi sufficiat ad affinitatem contrahendam. 524,b
An sit irregularis. 637,b

Examen.

Quale examen ad confessionem ritè instituendam requiratur. 155,a

Excommunicatio.

Quando excommunicatio equalidet confessionem. 145,a,b
An qui resipiscit inobedientia facta Ecclesiæ ante Judicis sententiam, postea per illam, excommunicationem incurrat. 558,a
Vnde deriuetur verbum Excommunicatio. 566,a
Quid sit excommunicatio. ibid.
A quo fuerit instituta. ibid.b
Quotuplex sit. 567,a
Quomodo excommunicatio maior differat ab anathemate. ibid.
An quando absolutè fertur excommunicatio, censeatur minor. ibid.b
Quibus priuet excommunicatio maior. ibid.a
An non solùm excommunicatus teneatur non communicare cum fidelibus, sed etiam ipsi teneantur illum vitare. ibid.b
Quo Iure sit prohibita communicatio cum excommunicato. ibid.& seq.
Intuitu cuius virtutis sit prohibita. 568,a
An excommunicatus, qui expressè & nominatim non est denuntiatus, sit vitandus. ibid a,b
Quid si excommunicatio sit ob publicam percussionem Clerici. ibid.b
Quid si contra eum sit lata & denuntiata sententia declaratoria criminis, cui est annexa excommunicatio. ibid.
Quid faciendum sit in dubio dictæ denuntiationis. ibi.
An excommunicatus toleratus possit à seipso incipere se ingerere ad communicandum cum alijs. 569,a
An possint fideles communicare cum excommunicato tolerato in administratione & receptione Sacramentorum, & ceteris rebus, etiam sacris, ac si non esset excommunicatus. ibid.
An excommunicatio priuet suffragijs communibus. 570,a
An liceat pro excommunicatis suffragia communia offerre tamquam pro non separatis à communione Ecclesiæ, ad impetrandum illis quæcumque bona. ibid.
An liceat illa offerre pro illis quasi in communi tamquam pro exteris, ad impetrandam eis reductionem ad obedientiam. ibid.b
An excommunicatus toleratus, qui non pronocatus à fidelibus celebrat Sacrum, incurrat irregularitatem. 570,b
An si de facto offerantur suffragia, prosint excommunicatis. 571,a
An possint offerri pro excommunicatis tolleratis. ibi.b
An cùm de facto offeruntur pro omnibus fidelibus, comprehendantur ibi excommunicati tolerati. ibid.
An pro excommunicatis iam contritis possint offerri suffragia. 571,a
An suffragia particularia possint offerri pro excommunicatis. ibid.b
An possit pro excommunicatis orari in Memento Missæ. ibid.
An pro illis possit Celebrans offerre actionem ipsam celebrandi quoad valorem priuatum ipsi Celebranti respondentem. ibid.
Peccat mortaliter excommunicatus excommunicatione maiori, qui recipit vel administrat Sacramentum. 573,a
Quid si illud recipiat ob vitandum graue aliquod damnum. ibid.
Quid si cum ignorantia inuincibili, vel probabili, aut inaduertentia naturali. ibid.
Quam pœnam incurrat excommunicatus excommunicatione maiore qui recipit vel ministrat Sacramentum. ibid.
An excommunicatus excommunicatione maiore possit licitè administrare Sacramentum Pœnitentiæ existenti in articulo mortis, si non sit alius quod facere possit. ibid.b
An possit administrare reliqua Sacramenta. ibid & seq.
An Sacramenta suscepta ab excommunicato excommunicatione maiori sint valida. 574,a,b
An ministrata à tali, sint valida. 575,a,b
An excommunicatio maior priuet beneficio ante ipsam legitimè obtento. 577,b
An priuet fructibus beneficij ante eam legitimè obtenti. ibid.
An collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione maiore, sit valida. 578,a
Quid si bona fide illud recipit. ibid.
An faciat proprios fructus. ibid.
An præsentatio & nominatio excommunicati ad beneficium sint validæ. ibid.& 580,b
An postulatio eiusdem ad illud sit valida. 578,a
An commendatio beneficij curati. ibid.
Quid si beneficium non includat curam animarum. ibid.
Quid si tantùm conferatur excommunicato pensio aliqua. ibid.
Quid si excommunicatus sit toleratus. ibid.b
An excommunicatus excommunicatione maiori possit dispensare. 579,a
Quid si excommunicatus sit toleratus. 580,a
An collatio actiua beneficij facta ab excommunicato licita & valida. ibid.
An collatio beneficij facta ad præsentationem patroni excommunicati, sit valida. ibid.b
An excommunicatus possit ferre iudicium. 581,a
An possit procurare. ibid.
An actus iudicij exercitij ab excommunicato sint validi. ibid.
An excommunicatus possit esse actor in iudicio. ibid.
Quid si sit toleratus. 582,a
An acta ab illo sint valida. ibid.
An excommunicatus possit trahi ad iudicium. ibid.
An excommunicatus possit exercere munus tabellionis publici

publici in iudicio. ibid.
An instrumenta ab illo facta sint valida. ibid. b
An excommunicatus possit esse testis in iudicio. ibid.
An Aduocatus. ibid.
An Procurator. ibid.
An possit ordinarium accipere stipendium. ibid.
Excommunicatio maior priuat omni communicatione fidelium per modum commercij. 583 a
Explicantur in particulari quibus priuet. ibid.
Quale peccatum sit communicare cum excommunicato excommunicatione maiore. ibid. b. & seq.
An possit iter agi cum excommunicato excommunicatione maiore. ibid.
An possit communicari in Sacramentis cum excommunicato excommunicatione maiore. ibid.
Quæ pœna puniatur qui communicat cum excommunicato excommunicatione maiore. 584, a
Quæ requisita sint vt incurratur talis pœna. ibid.
Quid si communicatio sit cum excommunicato excommunicatione maiori contra participantes. ibi. b
An excommunicatio maior contra participantes debeat esse ad sui valorem contra determinatam personam illam prius monendo ne communicet. 585, a
Quid si sit contra communicantes cum excommunicato ab alio Iudice. ibid.
Quibus modis communicatio cum excommunicato non tolerato excusetur a culpa, & consequenter a pœna. ibid. b. & seq.
Quamdiu sit vitandus excommunicatus. 587, a
An excommunicatus in vno loco, sit vitandus in alio. ibid. b
An rescriptum Papæ impetratum ab excommunicato sit nullum. ibid.
An rescriptum Prælatorum Papâ inferiorum. ibid. b
An rescriptum Principis secularis. ibid.
Quam pœnam incurrat, qui transgreditur excommunicationem. 588, a, b
Excommunicatus nondum absolutus iterùm potest excommunicari. 590, a
Excommunicatio ipso facto incurritur per inobedientiam. ibid. b
An hæc inobedientia debeat esse respectu Ecclesiæ comminantis sub censura. ibid.
An ob quodcumque peccatum quod sit exterius & inobedientiæ. ibid.
An ob peccata præterita vel futura. ibid.
An excommunicatio lata contra facientes, comprehendat mandantes. ibid.
An cùm annectitur alicui peccato, debeat esse completum, vt incurratur excommunicatio. 591, a
An ad ferendam excommunicationem sufficiat interior intentio, absque expressione exteriore. ibid.
Quibus verbis aut signis sufficienter exprimatur. ibid.
Quando significetur excommunicatio lata, quando ferenda. ibid. b
An quando est dubium, vtrùm verba contineant excommunicationem latam, an ferendam, debeat intelligi continere ferendam. ibid.
Ad ferendam excommunicationem medio Iure vel medio præcepto pro peccato mortali sub conditione, si fiat, nulla requiritur monitio. 592, a
An requiratur vt feratur ab homine pro peccato iam commisso. ibid.
An monitio illa debeat habere imbibitum præceptum. ibid.
An debeat præcipere sub pœna excommunicationis. ibid. b
An debeat esse iuridica. ibid.
An debeat fieri ipsi reo. ibid.
Quid si malitiosè abscondatur. ibid.
Quotuplex debeat esse, & quo temporis interuallo. ibi.
An vt feratur excommunicatio maior contra eos qui communicant cum excommunicato, requiratur monitio prædictis conditionibus, & quòd in ea nominatim moneatur qui excommunicandus est. ibid.
Quæ conditiones requirantur vt excommunicatio sit licita, & quæ vt sit valida. ibid.
An ignorantia inuincibilis etiam comitans, siue facti siue Iuris, impediat excommunicationem. 593, a
Quid si operans det operam rei illicitæ. ibid.
Quid si ignorantia sit vincibilis. ibid.
Quid si ignorantia non sit ipsius Iuris Ecclesiastici, sed excommunicationis annexæ Iuri. ibid.
An excommunicatus ante legitimam intimationem excommunicationis latæ & incursæ, debeat se gerere tanquam excommunicatum quoad effectus in prohibitione pura consistentes absque vlla irritatione. ibid. b
An ob metum grauis mali possit excommunicatus facere id quod excommunicatione Iure prohibetur. ibid.
An iniustitia ex defectu alicuius prærequisiti ad valorem excommunicationis impediat cursum illius. 594, a
An iniustitia prouenies ex defectu causæ, quando scilicet non est vera, licet sit legitimè probata. ibid.
An excommunicatio lata vsque ad certum tempus, illo completo, desinat esse absque alia absolutione seu voluntate imponentis illam. 595, b
An absolutio excommunicationis possit fieri sub conditione de præsenti. 596 a
An sub conditione de futuro. ibid.
An quando quis absoluitur ad reincidentiam absque vlla conditione, tempore absolutionis transacto absque noua culpa, reincidat in excommunicationem. 596, a
An absolutio facta in articulo mortis, aut alio necessitatis casu, ab illo qui alias absoluere non possit, semper sit cum onere comparendi sub reincidentia excommunicationis. ibid. b
Quibus cærimoniis debeat fieri absolutio excommunicationis pro foro iudiciali. 598, a
An ad absolutionem excommunicationis pro foro conscientiæ exigi debeat iuramentum ab excommunicato, quòd amplius non committet tale crimen. ibid.
An excommunicatus ob iniuriam alteri illatam possit absolui, quando non satisfacit parti, absque consensu illius. ibid. a, b
An virtute Bullæ Cruciatæ, vel alterius priuilegij, possit quis absolui ab excommunicatione lata à Iure vel ab homine, saltem pro foro conscientiæ, quando excommunicatio est deducta ad forum iudiciale. 599, a
An qui ligatus est pluribus excommunicationibus possit ab vna absolui quin absoluatur ab alia. ibid. b
An ignarus excommunicationis possit ab ea absolui, si habeat intentionem absoluendi ab ea, si fortè sit. ibid.
An reus ignarus excommunicationis quam contraxit, possit ab ea absolui. ibid.
An possit inuitus quis absolui ab excommunicatione. ibid.
An possit quando est contumax in illo peccato ob quod lata est excommunicatio. ibid.
An excommunicatus, qui absoluitur verbis communibus

nibus & indefinitis, nempe, Absoluo te à vinculo excommunicationis, *vel,* ab omni iure excommunicationis, *absoluatur ab omnibus excommunicationibus quas habet, etiamsi omnes vel aliquas non expresserit.* ibid.& seq.
Quid si absoluatur verbis particularibus, nempe, Absoluo te ab hoc vinculo excommunicationis, *& plures habeat, quibus possit absolui.* ibid.
An Clericus non Sacerdos, qui habet potestatem in foro exteriore, possit absoluere ab excommunicatione etiam quoad Deum. 600 a
An possit Clericus Sacerdos, qui nullam habet iurisdictionem exteriorem, existentem in articulo mortis ab excommunicatione absoluere. ibid.
An possit Clericus non Sacerdos. ibid.
An Episcopus possit extra confessionem absoluere ab excommunicatione lata à Iure, & non reseruata. ibid.b. 601,a
An id possit Parochus. 601,a
An Confessarius ordinarius. ibid.
Ab excommunicatione Iure lata, & reseruata, tantùm potest absoluere qui illam posuit, vel superior illius. ibid.b
An possit quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, absoluere ab excommunicatione existentem in articulo mortis. ibid.
An possit Episcopus absoluere ab excommunicatione Papæ reseruata in aliquibus casibus, & qui illi. ibid.b
An habentes Bullam Cruciatæ possint absolui virtute illius ab excommunicatione Papæ reseruata. 602, a
An virtute Bullæ, aut alterius priuilegij possit quis absolui ab excommunicatione extra Sacramentum Pœnitentiæ. ibid.
Quis possit absoluere ab excommunicatione specialiter ab homine lata. 603,a
Quis possit absoluere existentem in articulo mortis ab excommunicatione lata ab homine siue specialiter siue generaliter. ibid.
An qui potest absoluere ab excommunicatione lata à Iure, possit ab excommunicatione generaliter ab homine lata. ibid.b
Ob quam causam feratur in Iure excommunicatio minor. 604,a
An possit ferri ab homine. ibid.
An excommunicatus licitè recipiat Sacramenta. ibid.
An validè. ibid.
An validè illa ministret. ibid.
An licitè. ibid.b
An validè & licitè eligatur excommunicatus ad beneficium. ibid.
An possit quilibet Sacerdos, etiam non approbatus, absoluere ab excommunicatione minori. 604,a,b
An excommunicatus excommunicatione minori possit eligi ad beneficium. 604,b

Expositus.

An expositus sit irregularis. 638,a

Extrema Vnctio.

Vnde hoc Sacramentum id nominis acceperit. 206,a
Definitur tum Physicè tum Metaphysicè. ibid.
Est Sacramentum nouæ Legis. ibid.
Quando à Christo institutum fuerit. 207,a
Oleum ab Episcopo benedictum est materia remota huius Sacramenti. ibid.b
Proxima verò, vnctio sensibilis. 208,a
Quinque vnctiones totidem sensuum sunt essentiales. ibidem b
Traditur & explicatur forma huius Sacramenti, quæ per modum deprecationis necessariò exprimenda sit. 209,a
Recensentur effectus Extremæ Vnctionis. 210,a, & sequenti b.
Quando Sacramentum hoc gratiam conferat. 211,b
Huius Sacramenti qui sint capaces. 212,a
Vt hoc Sacramentum quis suscipiat, nulla est obligatio. 213,a
Presbyter tantùm est minister huius Sacramenti necessarius. ibid.b
An Clericus excommunicatus excommunicatione maiori possit validè & licitè ministrare Sacramentum Extremæ Vnctionis, quando id non potest fieri aliter. 573,b.574,a
An Sacramentum Extremæ Vnctionis receptum ab excommunicato sit validum. 574,a
An Extrema Vnctio ministrata ab excommunicato sit valida. 575,ab
An tempore interdicti prohibeatur Extrema Vnctio. 617,b.
Quam pœnam incurrat, qui obdurato animo per annum perseuerat in excommunicatione. ibid.
Qui possint ponere excommunicationem. 589,a
Qui possint excommunicari. ibid.a,b
An excommunicatus nondum absolutus possit iterum excommunicari. 590,b
An excommunicatio maior tantùm possit ferri ob peccatum mortale. ibid.
An excommunicatio possit ferri ob peccatum internum. ibidem.
An possit ferri absque inobedientia respectu Ecclesiæ. ibidem.

F.

Familia. Familiares.

Familiæ interdictæ nomine an interdicantur Clerici. 615,a
An interdictum familiæ sit generale vel personale. ibidem.
An persona, quæ desinit esse familiæ interdictæ, desinat esse interdicta. ibid.
An quando alicui particulari conceditur facultas assistendi diuinis officiis, possint cum illo illius familiares assistere. 617,a
An si hi absint vel impediantur, possint alij loco eorum dominum comitari. ibid.
Qui dicantur familiares. ibid.

Femina.

Incapax est Ordinum Ecclesiasticorum. 401,a
An possit Pontifex dispensare, vt capax fiat potestatis ferendi censuras. 549,a,b

Fictio.

Recedente fictione, Sacramenta non causant gratiam. 26, a.
Secùs contingit in Baptismo. 73,a.b. & seq.
Quid fiat in Sacramento Pœnitentiæ. 130,b. & sequenti.

Filius vel Filia-familias.

An filius natus ex fornicatione sponsorum sit naturalis. 411,a
An filij possint cogi à parentibus ad contrahendum matrimonium. 472,a
An teneantur contrahere matrimonium quod pater promisit aut præcipit. ibid.b
An possint licitè contrahere inuitis & inconsultis parentibus. 473,a,b
An

An filius teneatur vitare patrem excommunicatum. 586, a
Quid si excommunicatio sit contra participantes. ibidem.
Quid si filij sint illegitimi. ibid.
Quid si tantùm sint adoptiui. ibid.
Quid si ipsi filij sint excommunicati, & non parentes. ibid. b.

Fluxus sanguinis.

An tempore fluxus sanguinis naturalis & perpetui sit licitus actus coniugalis. 496, a
An tempore fluxus naturalis & menstrui. ibid. b

Fornicatio.

Quam malitiam habeat sponsorum fornicatio. 411, b & seq.
An propter illam sponsi resilire possint. 432 a
Quid si fornicatio sponsi vel sponsæ fuit vi illata. ibidem.
Quid si fornicatio fuit commissa ex vtraque parte. ibid. b.
Quid si fornicatio fuit commissa ab sponsa existimata virgine vel vidua honesta. ibid.
Quid si fornicatio fuerat antea facta à sponso, & postea cognoscitur à sponsa. ibid.
Quam malitiam habeat fornicatio Confessarij cum femina quæ ordinariè confitetur. 519, b
Quid si fornicatio vel aliud luxuriæ peccatum fiat in Sacramento Confessionis, vel intra viginti quatuor horas subsequentes. ibid.
An fornicatio cum affini in tertio & quarto gradu sit incestus. 526, b

Fructus.

An excommunicatio maior priuet fructibus beneficij ante eam legitimè obtenti. 577, b
An fructibus beneficij in ipsa excommunicatione collati. 578, a
Quid si bona fide ministrauit beneficio. ibid.
An suspensus à beneficio possit percipere fructus illius. 607, a.

G.

Gratia.

Gratia prima per quæ Sacramenta conferatur. 22, b.
Pro dispositionis inæqualitate inæqualis gratia taxatur recipientibus. 23 b
Desiderium Sacramenti quod realiter nequit suscipi, gratiam ex opere operato non confert. 24 b
Gratia non confertur per Sacramenta, fictione recedente. ibid.
Gratia data, per peccatum interrupta, per iustificationem resuscitatur. 109, b. 111, a, b.

H.

Habitatio.

Habitare an quis possit cum excommunicato excommunicatione maiore. 584, a

Hæresis, Hæreticus.

Sacerdos hæreticus potest in articulo mortis absoluere. 163, b.
Quæ & quanta hæretici contra Eucharistiam obiciant. 260, b. & seqq.
An hæresis dissoluat sponsalia. 432, b
An hæreticus, qui absque formidine erroris Baptismum non esse Sacramentum, possit ea de baptizari. 440 b.
An lapsus in hæresim sit sufficiens causa diuortij. 507, b.
An hæreticus baptizatus contrahat cognationem spiritualem Iure positiuo introductam. 520, b
Quam pœnam incurrat, qui sepelit hæreticum in loco sacro. 577, a
An quando conceditur facultas absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ extendatur ad casum hæresis. 602, a
An hæreticus etiam post conuersionem sit irregularis. 630, a.
An sit habilis ad aliquod beneficium, vel publicum officium. ibid.
Quid dicendum de illorum fautoribus, receptoribus, vel descendentibus. ibid.
An descendentes hæreticorum possint Ordines suscipere. ibid. b

Hermaphroditus.

Valide contrahit matrimonium iuxta sexum in eo prævalentem. 533, b
Quid si vterque sexus sit æqualis. ibid.
An qui secundum vnum sexum contrahit valide & licitè, contrahere possit secundum alium si viduus fiat. 534, a
An possit contrahere iuxta sexum minùs prævalentem, quando iuxta talem est potentia. ibid.
An hermaphroditus sit irregularis. 637, a

Hic & Hoc *Pronomina.*

In verbis consecrationis adiectiuè non substantiuè proferuntur. 257, a
Si vteretur Sacerdos etiam in consecratione Sanguinis Pronomine substantiuè, consecraret. 258, a

Homicida, Homicidium.

An propter homicidium iniustum contrahatur irregularitas. 631, b
Quid si occisio fiat à pluribus simul. ibid.
Quid si occisio non sit consummata, sed tantùm efficaciter intenta. ibid.
An qui apponit causam occisioni, illam prænidens, contrahat irregularitatem secuto effectu, quamuis ante illum pœniteat. 632, a
An qui consulit, mandat, vel alio quocumque modo excitat ad homicidium, contrahat irregularitatem. ibidem.
Quid si mandatarius occidatur ab eo quem inuadit. ibid. b
Quid si mandans aut consulens efficaciter reuocet mandatum. ibid.
An propter ratihabitionem homicidij incurratur irregularitas. 633, a
An ob homicidium casuale incurratur irregularitas. ibid.
Quid si fiat dando operam rei illicitæ. ibid. b
An qui præbet arma, sciens aut timens esse ad iniustè occidendum, sit irregularis. ibid.
An qui permittit seu non impedit homicidium sit irregularis. ibid b
An qui occidit alterum in propriam defensionem, sit irregularis. ibid.
Quid si occidens causam dederat inuadenti. ibid.
Quid si occisio fiat in defensionem bonorum temporalium, seu honoris. ibid.
Quid si occidens non potuit vitare mortem inuadentis,

tis, nisi fugiendo magno cum dedecore. 635,a

Honestas publica.

An impedimentum publicæ honestatis oriatur ex promissione matrimonij non mutua. 411,b
An oriatur ex illis sponsalibus quæ obligant tantùm sub veniali. 414,b
Quid sit. 527,a
An ex Iure Ecclesiastico dirimat matrimonium inter sponsum & consanguineos sponsæ. ibid.
Intra quem gradum extendatur. ibid.
An oriatur ex sponsalibus quæ alia de causa nulla fiunt. ibid.
Quid si nulla fiant ex defectu consensus, qui non constet exteriùs. ibid. b
An oriatur ex sponsalibus validis, postea tamen solutis. ibidem.
An oriatur ex matrimonio rato non consummato. 528,a
Intra quem gradum oriatur ex dicto matrimonio. ibid.
Quid si matrimonium fiat nullum ex defectu consensus. ibid.b
Quid si alia de causa. ibid.
Quid si matrimonium non sit consummatum. ibid.

Horæ Canonicæ.

Ante earum recitationem celebrare Sacrum, non est peccatum mortale. 381,a
An excommunicatus excommunicatione maiore possit Horas Canonicas recitare. 575,b
An ratione dictæ excommunicationis excusetur illas recitare, quando aliàs tenetur ex præcepto. 576, a.

Hostiæ.

Plures Hostiæ, etsi simul sumantur, sunt plura Sacramenta. 222,b

Humores.

Christi humores sunt sub qualibet specie Sacramentali. 278,b.

I.

Ieiunium.

IEiunium necessarium est ad sumptionem Eucharistiæ. 323,a
Ex præcepto verò tantùm Ecclesiastico. ibid.b
Ieiunium naturale quale sit, & id ante Communionem necessarium est. 324,a
Et Ecclesiasticum non sufficit. ibid.
An sit sub mortali præceptum ad Eucharistiam. ibidem b
Aliquando ieiunium non est necessarium, & quando. ibidem.

Ignorantia.

Ignorantia alia est facti alia Iuris. 561,a
Alia item vincibilis, alia invincibilis. ibid.b
Ignorantia invincibilis facti impedit incursionem censuræ. ibid.
Quod si fiat dando operam rei illicitæ. ibid.
Quid si ignorantia invincibilis sit alicuius circumstantiæ ex qua oritur culpa ob quam fertur censura. ibid.
Quid si ignorantia sit invincibilis comitans. ibid.
Quid si tantùm sit ommimoda inadvertentia facti cum habituali scientia. ibid.
Quid si ignorantia sit vincibilis adhuc crassa & supina, quando censura fertur absolutè contra eos qui aliquid fecerint non addita particula scienter. ib.
Quid si addatur talis particula. 562,a
Quid si ignorantia sit affectata, & adeò crassa, vt moraliter censeatur intenta. ibid.
An ignorantia invincibilis Iuris seu præcepti impediat incursionem censuræ. ibid.
Quid si tantùm sit ommimoda inadvertentia, cum habituali scientia. ibid.
Quid si aliàs opus sit prohibitum Iure naturali sine alio, & tantùm sit ignorantia Iuris Ecclesiastici. ibid.b
Quid si ignorantia seu inadvertentia sit tantùm censuræ annexæ operi prohibito. ibid.
Quid si sit ignorantia censuræ latæ nouæ sententiæ facta post violationem præcepti Iudicis commissarij sub censura. ibid.
An qui vincibiliter ignorat incursionē censuræ, & eam incurrisse prudenter timet, debeat se gerere tanquam censura ligatum. ibid.
An ignorantia vincibilis excuset communicantem cum excommunicato. 587,a
An ignorantia invincibilis, etiam comitans, siue facti siue Iuris, impediat excommunicationem. 593,a
Quid si operans det operam rei illicitæ. ibid.
Quid si ignorantia sit tantùm Iuris Ecclesiastici, quando est circa opus aliàs prohibitum. ibid.
Quid si ignorantia sit vincibilis. ibid.
Quid si ignorantia non sit ipsius Iuris Ecclesiastici, sed excommunicationis annexæ Iuri. ibid.
An ignorantia malitiæ operis cui annexa est irregularitas, illius incursionem excuset. 628,a
Quid si ignorantia sit tantùm Iuris positiui prohibentis opus aliàs Iure naturali prohibitum. ibid.b
Quid si ignorantia tantùm sit irregularitatis illi annexæ. ibidem.

Illegitimus.

An illegitimi sint irregulares. 638,a
Quid si dubium sit an sit illegitimus vel non. ibid.

Immolatio.

Immolatio seu actio sacrificandi in Missa, nuncupata in oblatione panis & vini statim post lectum Euangelium verbaliter facta. 348,b
Nec item in oblatione Corporis & Sanguinis Christi paulò post consecrationem verbaliter facta. ibid.b

Impedimentum.

Impedimentum dirimens quando dissoluat sponsalia. 432,b.
Quid sit impedimentum diriments, quid impediens. 509,a
Vtrumque potestate humana institui potest. ibid.b
An possit potestate Pontificia. 510,a
An potestate Episcopali respectu suorum subditorum ibidem.
An potestate Principis secularis baptizati. ibid.
An quæcumque prohibitio sit impedimentum dirimens. ibidem.
An consuetudo possit introducere vel auferre aliquod impedimentum matrimonij. ibid.
Quot sint impedimenta dirimentia matrimonij. 511,a
Quot impedientia. ibid.
Sub quo peccato hæc obligent. ibid.
Quando copula habita inter eos qui habent aliquod impedimentum habeat specialem malitiam. ibid.b
Qui contrahit adhuc ex metu graui, quando est impedimentum dirimens, peccat mortaliter. 512,a
Quæ sint impedimenta impedientia tantum. 540,b,b ibid.b
Quæ illorum obligent.
Quæ impedimenta debeant explicari in dispensatione, & quomodo explicari debeant, vide Dispensatio.

De Impedimento	affinitatis,	Vide	Affinitas.
	cognationis carnalis,		Cognatio carnalis.
	cognationis legalis,		Cognatio legalis.
	cognationis spiritualis,		Cognatio spiritualis.
	criminis,		Adulterium, Raptus, Machinatio mortis.
	honestatis publicæ,		Honestas publica.
	impotentiæ,		Impotentia.
	ligaminis,		Polygamia.
	Ordinis,		Ordo.
	Parochi & testium defectus,		Parochus & Testis.
	seruitutis,		Seruitus.
	vis illatæ,		Matrimonium.
	voti,		Votum.

Impotentia.

Quotuplex sit impotentia. 528,a,b
Quando censenda sit perpetua vel temporalis. ibid.b
An impotentia ad solam generationem inhabilitet matrimonium in ordine ad actum coniugalem. 529 a
An impotentia ad coeundum. ibid.
Quid si ea sit perpetua. ibid.b
Quid si sit impotentia ad seminandum intra vas, vel in ore vasis. ibid.
An impotentia naturalis & perpetua coeundi dirimat matrimonium in ordine ad castè viuendum. ibidem.
An impotentia ad seminandum, quando adest potentia ad penetrationem vasis, inhabilitet ad matrimonium. 530,b
An impotentia feminæ ad seminandum. 531,a
An ad pariendum. ibid.
An femina cum prædicta impotentia licitè contrahat. ibidem.
Impotentia naturalis respectiua dirimit matrimonium respectu illius matrimonij, cuius est impotentia. ibidem.
An talis impotentia possit esse perpetua. ibid.b
An impotentia perpetua, quando prouenit ex maleficio, dirimat matrimonium. 532,b
An impotentia perpetua Iure naturali dirimat matrimonium faciendum. ibid.
An impotentia superueniens matrimonio iam facto dirimat illud. 533,a
Quid si matrimonium consummatum non sit. ibid.b
An impotentia, cognita ab altero tempore contractus, matrimonium dirimat. ibid.
Vt primò coniuges cognouerint impotentiam esse perpetuam, non possunt se maritaliter tractare. 534,a
Quid si probabile sit impotentiam non esse perpetuam, quamuis oppositum sit etiam probabile. ibidem.
Quid si vtrumque sit dubium absque probabilitate alterius partis. ibid.
Quid si post triennium permaneat dubium absque probabilitate, non esse perpetuam impotentiam. ibidem.
An sit necessarium triennium pro foro iudiciali ad declarandum matrimonium esse nullum. ibid.
A quo die computandum sit illud triennium. 535,a
An si impotentia sit indicata perpetua, siue post triennium siue antea & postea sine peccato & sine periculo vitæ naturaliter cesset, contrahentes sint iterum coniungendi. ibid.
Quid si alter sit Sacris initiatus. ibid.
Quid si Religiosus. ibid.
An si in prædicto casu Sacris initiatus & Religiosus iterum coniungerentur, possent petere. ibid.
An impotentia temporalis ex defectu ætatis per se loquendo dirimat matrimonium. ibid.

Impuberes.

Etiam ante duodecimum ætatis annum præcepto confessionis annuæ obligantur impuberes. 137,b
Qui dicantur impuberes. 426,a
An illorum sponsalia mutuo consensu dissolui possint. ibid.

Incestus.

An fornicatio cum affini in tertio & quarto gradu sit incestus. 526,b

Incontinentia.

An ad vitandam incontinentiam in se vel in alio, possint intendi actus matrimonij. 495,a

Infamia.

An per infamiam Iuris seu facti incurratur irregularitas. 630,b
An per infamiam ex sententia punitiua. 631, a
An per infamiam ex officio. ibid.

Infantes.

Ante Circumcisionem paruulis remedium fuit ab originali, parentum fides, etsi interna tantum. 17,b. 18,a
Absque Baptismo reipsa suscepto, & absque morte pro Christo perpessa, saluari nequeunt. 57,a,b
Ante rationis vsum capaces sunt Baptismi. 65,b
Infantes non baptizatorum inuitis parentibus validè baptizantur. 66,a
Et quando id licitè, quando verò illicitè. ibid.b
Infantes filij non baptizatorum seruorum etiam licitè inuitis parentibus baptizantur. 68,a,b
Capaces quidem sunt, etiam pro infantiæ statu, sumptionis Eucharistiæ. 327,a,b
Atque etiam effectus illius ex opere operato collati. ibid.b
Ante rationis tamen vsum Eucharistia illis administranda non est. 328,a
Nec obligantur sumere Eucharistiam, & quâ ætate incipiant obligari. 335,a,b
An infantes possint censuris ligari. 551,b
An possint priuari Ecclesiastica sepultura. 620,a

Infidelis.

An infidelis non baptizatus, qui de nouo conuertitur ad fidem, possit præcedens matrimonium dissoluere, & nouum inire, quando non baptizatus non vult cohabitare cum baptizato, vel vult cum contumelia Creatoris, vel vt baptizatum pertrahat ad peccatum mortale. 489,a
Quid si pacificè cohabitare velit, non tamen conuerti. ibid.b
Quid si in prædicto casu sit prohibitio cohabitandi cum infideli. 490,b
An de facto sit talis prohibitio. ibid.
An ad dissoluendum matrimonium conuersi cum infideli nolente cohabitare, necessarium sit vt fidelis aliud ineat matrimonium. 491,a
Quando præsumatur causa sufficiens ad dissoluendum dictum matrimonium. ibid.b
Quid si præsumatur, & non subsistat. ibid.
An matrimonium conuersi cum infideli factum ante Baptismum, & iam consummatum, dissoluatur per

professionem solemnem in Religione. ibid.
An per susceptionem Ordinum. 492,a
An quando conuersus est legitimè professus, vel Sacris initiatus, sit restituendus infideli, saltem si conuertatur. ibid.

Ingratitudo.

In peccantibus post iustificationem ingratitudo non est speciale peccatum. 109,a

Iniustitia.

An iniustitia ex defectu ordinis iuridici ad valorem requisiti impediat incursionem censuræ. 563,b
An iniustitia ex defectu causæ. ibid.

Inobediens, Inobedientia.

An requiratur inobedientia respectu Ecclesiæ, vt licitè feratur censura à Iudicibus Papâ inferioribus. 555,b
An vt validè feratur. 556,a
An requiratur inobedientia respectu Ecclesiæ communantis sub censura. ibid.
An requiratur inobedientia, quando censura fertur ab ipso Papa. ibid.b
An qui resipiscit efficaciter, quatenus est ex se, inobedientiæ factæ Ecclesiæ ante Iudicis sententiam, postea per illam excommunicationem incurrat. 558,a,b

Intentio.

Quæ intentio requiratur circa Sacramentis administrandis. 32,a,b. & seq.
An intentio conditionata sufficiat ad Sacramenti valorem. 34,b.& seq.
An ferri debeat in personam determinatam. 36,a
Intentio Sacerdotis vel ministri debet ferri in materiam consecrandam determinatam in individuo, vt validè consecret. 245,a
Qui habet intentionem consecrandi formulas existente debita præsentia, & propinquitate morali, & posteà solùm recordetur Hostiæ quam habet in manibus, illæ consecrat. ibid.b
Non consecrat guttulas quæ intra calicem discontinuæ sunt, nisi id expressè intenderit: consecrat tamen eas guttulas, quæ, incepta verborum prolatione, sunt continuæ, & etiam quæ continuantur post inceptam, ante perfectam prolationem. ibid.
Intentio actualis & habitualis quid sint & quomodo differant. 415,b.416,a
An ad valorem contractus sponsalitij sufficiat intentio virtualis? 416,b
An intentio vitandi prolem obstet valori matrimonij. 438,b
An intentio non seruandi fidelitatem. ibid.
Quid si interueniat intentio vitandi copulam dum celebratur matrimonium. 439,a

Interdictum.

Quid sit interdictum. 613,a
Quotuplex sit. ibid.b
An posito interdicto locali censeatur positum personale, saltem respectu illarum personarum quæ causam interdicto dederunt. 614,a
An posito interdicto personali censeatur positum locale. ibid.b
An interdicto generali comprehendatur qui posuit illud. 615,a
Quæ loca comprehendantur interdicto generali locali. ibid.a,b
An diuina officia possint celebrari tempore interdicti. 616,a
Quæ Sacramenta prohibeantur interdicto. 617, b. 618 a
An, & quomodo, & quas personas interdictum priuet Ecclesiastica sepultura. 618,a
Quale peccatum sit violare interdictum. ibid.b
An Clericus peccet mortaliter, si tempore interdicti celebret, non eiiciendo non priuilegiatos. ibid.
Quid si illi qui assistunt sint tolerati. ibid.
Quam pœnam incurrat, qui violat interdictum, exercendo solemniter actum Ordinis. 619,a
Quam incurrant Religiosi exempti, præsumentes illicitè celebrare. ibid.
Quam incurrant Religiosi qui non seruant interdictum Ecclesiæ cathedralis matricis vel parochialis loci in quo sunt. ibid.
Quam incurrat qui compellit Clericum solemniter celebrare diuina officia in loco interdicto. ibid.
Quam incurrant, qui voce præconis, aut sonitu campanæ conuocant populum ad audiendam Missam. ibid.
Quam pœnam incurrat, qui impedit ne interdicti admoniti egrediantur de templo. ibid.
Quam incurrant ipsi interdicti si non egrediantur. ibid.
Nullum interdictum potest ferri absque culpa. ibidem.
Quæ interdicta ferri possint ob culpam alienam, & quæ requirant propriam. ibid.a,b
An possit ferri ob culpam venialem. ibid.b
An id quod excusat à culpa, excusat ab incursione interdicti illi annexi. 620,a
Qui possint interdicere. ibid.
An possit excommunicatus delegare suam potestatem vt interdicat alter. ibid.
Quomodo ferri debeat interdictum. ibid.
Qui possint interdici. ibid.b
An interdictum latum ad certum tempus, illo completo, seipso deficiat. 621,a
A quo possit interdictum auferri. ibid.
Annumerantur aliqua interdicta quæ Iure sunt lata. ibid.b. & seqq.

Irregularitas.

Quid sit irregularitas. 624,a
Quotuplex ea sit. ibid.b
An quæ oritur ex delicto, possit oriri ex delicto puteterno. ibid.
An ex delicto occulto. 625,a
An ex delicto tantùm veniali. ibid.
An in dubio Iuris irregularitatis censendus quis sit irregularis. ibid.b
An in dubio facti. 626,a
Quos effectus habeat irregularitas. ibid.b.& seq.
An irregularis validè exerceat & recipiat actum Ordinis. 626,b. 627,a
An licitè. ibid.
Irregularitas tantùm est lata Iure Papali. 627,b
An possit ferri per sententiam Iudicis Papâ inferioris. ibid.
Qui possint irregularitatem contrahere. 628,a
Quæ ignorantia excuset ab irregularitate quæ contrahitur ex delicto. ibid.
An ob iterationem susceptionis Ordinum incurratur irregularitas. 629,a
An qui recipit Ordines, fingendo se esse alterum, sit irregularis. ibid.
An qui curat alterum pro se examinari, & postea ordinatur, sit irregularis. ibid.
An Clericus exercens Ordinem quem non habet, sit irregularis. ibid.
Quid si laicus exerceat aliquem actum Ordinis. ibid.

An qui excommunicatione maiori, suspensione vel interdicto ligatus exercet actum Ordinis, fiat irregularis. 630,a
An propter homicidium seu mutilationem contrahatur irregularitas. 631,b
Quid si mutilatio aut occisio fiat à pluribus simul. ibid.
Quid si mutilatio aut occisio non sit consummata, sed tantùm efficaciter intenta. ibid.
Qualis membri debeat esse mutilatio, vt per eam contrahatur irregularitas. ibid.&seq.
An qui apponit causam mutilationi aut occisioni, illam præuidens, contrahat irregularitatem secuto effectu, quamuis ante illum pœnituerit. 632,a
An qui consulit, mandat, vel alio quocumque modo excitat ad homicidium vel mutilationem, contrahat irregularitatem. ibid.
Quid si mandatarius occidatur ab eo quem inuasit. ibid.b
Quid si mandans aut consulens efficaciter reuocet mandatum. ibid.
An propter ratihabitionem homicidij vel mutilationis incurratur irregularitas. ibid.
An qui inflixit vulnus ex se non lethale, incurrat irregularitatem, si infirmus moriatur ex incuria chirurgi, vel malo regimine infirmi. 634,a
An qui inflixit vulnus ex se non lethale, incurrat irregularitatem, quando aliud ex se non lethale supereuenit infirmo, & ex vtroque moritur. ibid.
An qui præbet arma, sciens aut timens esse ad iniustè occidendum, sit irregularis. ibid.
An qui permittit seu non impedit homicidium, sit irregularis. ibid.
Quid si occidens occasionem dederat inuadenti. ibid.
Quid si occisio fiat in defensionem bonorum temporalium, seu honoris. ibid.
Quid si occidens non potuit vitare mortem inuadentis, nisi fugiendo magno cum dedecore. 635,a
An qui instigat iumentum quo vehitur ille qui interficiendus est, fiat irregularis. 635,a
An Medicus qui ex artis præscripto mutilat, sit irregularis. ibid.b
Quomodo auferatur, & quis possit in illa dispensare. 639,a,b

Iter.

An possit iter agi cum excommunicato excommunicatione maiori. 583,b

Iudæi.

Iudæi habentes vxores Christianas, separandi sunt ab illis, nisi ab Episcopo moniti conuertantur. 490,b

Iudex.

Quando auctoritas Iudicis sit necessaria ad dissoluendum sponsalia. 436,a
An ad diuortium coactorum faciendum. 508,a
An excommunicatus possit esse Iudex. 581,a
An actus Iudicis ab illo facti sint validi. ibid.
Quid si excommunicatus sit toleratus. ibid.
Iudex proferens sententiam sanguinis est irregularis. 635,a
An qui constituit Iudicem pro causis capitalibus, ex quibus sequitur mors, fiat irregularis. ibid.b

Iudicium forense.

An excommunicatus possit ferre iudicium. 581,a
An possit procurare. ibid.
An actus iudicij exerciti ab excommunicato, sint validi. ibid.
An excommunicatus possit esse actor in iudicio. ibid.b
Quid si sit toleratus. 582,a
An acta ab illo sint valida. ibid.
An excommunicatus possit trahi ad iudicium. ibid.
An possit defendi per seipsum vel per procuratorem. ibid.
An excommunicatus possit exercere munus tabellionis in iudicio. ibid.
Quid si sit toleratus. ibid.
An instrumenta ab illo facta sint valida. ibid.b
An excommunicatus possit esse testis in iudicio. ibid.
An testimonium illius sit validum. ibid.
An excommunicatus possit esse Aduocatus in iudicio. ibid.
An patrocinia ab ipso facta sint valida. ibid.
Quid si sit toleratus. ibid.
An excommunicatus possit esse procurator in iudicio. ibid.
An acta ab illo sint valida. ibid.
An possit ferre stipendium ordinarium pro illis. ibid.
Quid si sit toleratus. ibid.

Iurisdictio.

An excommunicatio maior priuet vsu iurisdictionis Ecclesiasticæ. 579,a
An illam possit delegare. ibid.a,b
An iurisdictio delegata cesset per excommunicationem superuenientem deleganti. ibid.b
Quid in præcedentibus casibus, si excommunicatus sit toleratus. 580,a
An suspensus ab officio possit exercere actus iurisdictionis. 607,a
An suspensus à beneficio possit exercere actus iurisdictionis competentes illi ratione beneficij. ibid.
An irregularis validè exerceat actum iurisdictionis. 627,a

Iuuenis.

An iuuenis sterilis possit contrahere matrimonium. 452,b

L.

Laicus.

Laico non est facienda confessio. 158,a
Non potest laicus in Confessarium eligere Sacerdotem non approbatum. 165,b
Laici non tenentur iure diuino communicare sub vtraque specie. 336,a
Imò ex prohibitione Ecclesiæ non licet illis. ibid.b
Laici, etiam Cardinales, non sunt ministri sacrorum Ordinum. 400,a
Merè laicus incapax est potestatis ferendi censuras. 549,a

Legatum.

An legatum relictum ab excommunicato possit recipi. 586,a

Legatus Apostolicus.

An possit assistere matrimonio. 499,b
An possit dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonium in sua Prouincia. 542,a

Lex vetus.

In Lege veteri scripta verè fuerunt Sacramenta. 173,a
An Lege veteri dissolueretur matrimonium quoad vinculum per libellum repudij. 492,b

Licentia.

An excommunicatus excommunicatione maiori validè & licitè conferat alteri Sacerdoti licentiam ad assistendum matrimonio. 574,a
An etiam possit licentiam dare ad exercendam iurisdictionem aliquam. 579,a
An possit alias licentiam suis subditis conferre. ibid.b

Lora.

Non est conueniens materia consecrando Sanguini Christi. 238,a

M.

Machinatio mortis.

Machinatio mortis coniugis siue propriæ siue alienæ, matrimonium dirimit inter coniugem superstitem & alterum. 536,a

An requiratur vt dicta machinatio sortiatur effectum. ibid.

An vt fiat animo contrahendi alterum matrimonium. ibid.b

An requiratur vt illam comitetur adulterium. ibid.

Mancipium.

An quando dominus tradit mancipium alicui libero, ignaro seruitutis, vt contrahat cum illo matrimonium, mancipium maneat liberum. 514,a

Quid si dominus sciat & non contradicat, aut studiosè taceat. ibid.

An in casu quo mancipium contrahit cum libero seruitutis ignaro, & libertatem consequatur, matrimonium validè fiat. ibid.

An mancipium, qui contrahit cum domino vel cum domina, statim libertatem consequatur. ibid.b

Quo Iure. ibid.

An mancipium validè & licitè contrahat inuito domino. ibid.

An teneatur potiùs satisfacere coniugi quàm domino. 515,a

A domino an possit vendi mancipium coniugatum ad partes remotas, quando impediendus est vsus matrimonij. ibid.b

An mancipia teneantur vitare dominum excommunicatum. 586,a

Quid si excommunicatio sit contra participantes. ibid.

Quid si eorum opere aut consilio fuit commissum scelus ob quod incurritur excommunicatio. ibid.

An mancipium sit irregulare. 638,a

An si ordinetur sciente domino, fiat liberum. ibid.

Quid si ignorante domino id fiat. ibid.

Mandans. Mandatum.

An qui mandat opus cui est annexa censura, illam incurrat. 556,b

An quãdo ob mandatum alicuius criminis incurritur censura, incurratur tempore quo mandatur, vel tempore quo adimpletur mandatum. ibid.

An quando censura fertur propter mandatum quod tantùm habet effectum, incurratur si effectus non proueniat à præcedenti mandato. ibid.

Quando mandatum desinat esse efficax. 557,a

An censura lata contra facientes, comprehendat etiam mandantes. ibid.

An si ante executionem effectus reuocetur efficaciter mandatum ex parte mandantis, & nihilominùs ex illo sequatur effectus, incurratur censura, quando est posita contra mandantes. 558,a

An qui consulit, mandat, vel alio quocumque modo excitat ad homicidium vel mutilationem, contrahat irregularitatem. 632,a

Quid si mandatarius occidatur ab eo quem inuadit. ibid.b

Quid si mandans aut consulens efficaciter reuocet mandatum. ibid.

Maritus.

Potest duobus mensibus, numerandis à die contractus matrimonij, vxori non reddere, etiamsi illa petat, vt possit Religionem ingredi: quibus transactis, tenetur vel reddere, vel Religionem ingredi. 488,a

An possit hac facultate vti, si Religionem non ingredi cogitet. ibid.

An transacto bimestri possit Religionem ingredi, quando matrimonium non est consummatum. ibid.

An transacto bimestri teneatur statum profiteri, vel sufficiat eum Religionem ingredi. ibid.

Potest Religionem ingredi, si coactus ante bimestre matrimonium consummauerit. ibid.

Quòd si ipse vxorem coëgerit, & illa postmodum exacto bimestri illo Religionem ingressa fuerit, an aliud matrimonium inire possit. 489,a

Maritorum pluralitas simul numquam fuit valida aut licita. 494,b

Si, postquam seminauit, non expectet seminationem vxoris, mortaliter peccat. 498,a,b

An vno vel multiplici peccato. ibid.

An peccet quando non reddit vxori debitum tamquam debitum. 503,a

An possit diu absque vxoris licentia abesse. ibid.b

An possit se pœnitentiis impotentem reddere ad reddendum debitum absque licentia vxoris. ibid.

An excusetur à ieiuniis positis in præcepto, quando est periculum reddendi se impotentem ad soluendum debitum. ibid.

Non tenetur reddere cum periculo notabilis damni. ibid.

An teneatur, si petenti vxori ex negatione imminet periculum incontinentiæ. ibid.

Quid si periculum oriatur ex morbo diuturno vxoris. ibid.

Quid si ante matrimonium morbum scierit. ibid.

An excusetur à reddendi obligatione, quando vxor proles nimium multiplicatur. 504,a

An excusetur ratione amentiæ vxoris. ibid.

An vxori illicitè exigenti possit reddere. ibid.b

Quatenus ob adulterium vxoris abea separari queat. 505,a,b. 506,a,b

An possit post adulterium ab vxore discedere, etiamsi dimiserit iniuriam. 507,a

An teneatur ad diuortium, quando vxor in adulterio persistit. ibid.

An moraliter certus de adulterio vxoris teneatur obedire Iudici impedienti diuortium. ibid.

An ipse post diuortium iustè factum (posito quod ipse sit innocens) castitatem possit vouere & Religionem ingredi. ibid.b

An possit quando ex eius parte diuortium fuit illicitum. 509,a

An ex licentia vxoris possit Religionem ingredi. ibid.

Potest vouere castitatem cum consensu vxoris, & nihilominùs cum ea in sæculo manere. ibid.b

Reliqua quæ actum coniugij spectant, vide in Actus coniugalis, & Copula.

An maritus teneatur vitare vxorem excommunicatam. 586,a,b

An teneatur obligatione communicationis debita ratione matrimonij. ibid.a

Quid si excommunicatio sit contra participantes. ibid.

Martyrium.

Cum attritione saluat. 58,b

Materia Eucharistiæ.

Quâ ratione materia consecranda debeat esse presens consecranti. 244,a,b

Non est necessarium, quòd secundùm se percipiatur ab aliquo sensu; satis est, si vas eam continens percipiatur. ibid.b

Vt magna materia continua consecretur, satis est quod secun-

secundùm aliquam partem sit in propinquitate commoda & morali. 245,a
Materia debet esse determinata in individuo, non vaga. ibid.
Necessarium est quòd ipsa secundùm se perceptibilis sit. 246,a
Quantumuis parua, si sensui pateat consecrantis, consecrationi apta est. ibid.

Materia Corporis Christi in Eucharistia.

Est panis ex vero tritico. 234,a
Massa non cocta, licet frixa vel elixa sit, non est congruens materia. 235,b
Debetque confici aqua naturali, non rosacea, neque alio liquore. ibid.
Admixtio farinæ alterius frumenti cum triticea, si in parua quantitate sit, non obstabit consecrationi, etiam licitæ. ibid.
Sed illa ni conuertatur priùs in triticeam, non consecrabitur. ibid.
Panis azymus congruentior est materia quàm fermentatus. 236,a

Materia Sanguinis Christi in Eucharistia.

Est solum & quodlibet vinum ex vite. 237,a
Vinum fugiens aptum est consecrationi, quamuis, si sit purè dubium an sit acetum, illicitum sit illud consecrare. 238,a
In musto expresso consecrare validum est; an sit illicitum, non est satis compertum. ibid b
Vinum congelatum aptum est consecrationi validæ & licitæ. ibid.a,b

Matrimonium.

Quibus verbis aut signis contrahatur. 418,b & seqq. 444 b. & seq.
An peccent mortaliter, qui illud ante legitimam ætatem contrahunt. 421,a
An matrimonium absque præsentia Parochi celebratum vbi Tridentinum viget, sit validum. 434, b. *Vide plura in* Parochus.
Quot testes requirantur ad dissoluendum matrimonium. 436,b
Quibus modis sumatur. 437,a
Quid sit. ibid.
Quæ in illo reperiantur. ibid.
Qualis consensus requiratur ad valorem ipsius. ibidem b. 438,a. 441,b
An debeat ferri in mutuam corporum traditionem. 436,b
Quomodo mutus possit matrimonium contrahere. ibi.
Matrimonij bona quæ sint. 438,a
An in illa debeat ferri consensus. ibid.
An intentio vitandi prolem obstet eius valori. ibid.b
An intentio non seruandi fidelitatem. ibid.
An consensus debeat ferri in copulam. 439,a
Quid si adsit intentio illam vitandi dum celebratur matrimonium. ibid.
An status matrimonialis, qui transacto contractu permanet, possit fieri ab homine, vel à Deo, absque consensu contrahentium. ibid.b
An vinculum ipsum matrimonij possit fieri saltem à Deo. ibid.
In quo consistat hoc vinculum. 440,a
An ille qui existimat se esse inhabilem ad matrimonium, cum formidine tamen oppositæ partis, possit habere consensum sufficientem ad valorem matrimonij. ibid.b
Quid si nullam habeat formidinem oppositi. ibid.
Quæ distantia esse possit inter consensum vtriusque contrahentis. 441,a. & seq.
An ad reualidandum contractum matrimonij, nullum ex defectu consensus, sit necessarius nouus consensus exterius prolatus. 442,a
Quid si consensus fuit nullus ex defectu alicuius impedimenti quod ignorabat consentiens. ibid.
An requiratur nouus consensus ex vtraque parte. ibid.
An qui sic ficte scienter contraxit, teneatur postea contrahere. ibid.
An nouus consensus debeat fieri consentiente conscio nullitatis. ibid.
An iste consensus sufficienter exprimatur copulâ. 443,a
An ad reualidandum matrimonium nullum, celebratum tamen coram Parocho & testibus, sit necessaria Parochi præsentia. ibid.b
An expressio consensus interni pertineat ad essentiam contractus matrimonij. 444,b
An pertineat ad illud in ratione Sacramenti. ibid.
An sponsalia transeant in matrimonium per copulam subsecutam. 445 a
Quid si copula fiat coram Parocho & testibus. ibid.
An contractus matrimonij inualidè fiat per procuratorem. 446,a
An procurator possit per alterum celebrare contractum. ibid.
An, si commissio data procuratori reuocetur tantùm internè, inscio procuratore, contractus validè fiat. ibid b
An matrimonium baptizatorum sit Sacramentum. 447,a
An sit Sacramentum sumptum pro contractu vel pro vinculo. ibid.
An contractus celebratus ante Baptismum fiat postea Sacramentum gratiam conferens, si repetatur consensus. ibid.b
An per Baptismum contractus anteà celebratus, fiat indissolubilis. ibid.
An contractus baptizatorum per procuratorem celebratus sit Sacramentum. ibid.
An ille cuius nomine talis contractus celebratur, debeat esse in gratia tempore quo contractus celebrandus est. ibid.& 451,a
An contractus matrimonij inter baptizatum & non baptizatum sit Sacramentum. 448,b
An possit esse contractus matrimonij validus inter baptizatos, qui non sit Sacramentum. ibid.
Quale peccatum sit sic contractum celebrare. ibid.b
An matrimonium in lege naturæ ante legem gratiæ fuerit Sacramentum. ibid.
Quæ sit materia & quæ forma Sacramenti matrimonij. 449,b
Quis sit minister huius Sacramenti. 450,b
Quid si matrimonium fiat per procuratorem aut internuntium. ibid.
An dicti procuratores debeant esse in gratiâ, quando nomine alterius celebrant contractum. ibid.
An peccet vnico vel multiplici peccato, qui contrahit matrimonium in statu peccati. ibid.
An procuratores in amentia vel in ebrietate possint celebrare contractum. 451,b
A quo fuerit institutus contractus matrimonij. ibid.a
Quo fine contrahendum sit matrimonium vt licitè contrahatur. 452,a & seq.
An iuuenis sterilis possit licitè matrimonium contrahere. 453,a
An matrimonium sit præceptum. ibid.& seq.
An Religiosi possint in aliquo casu teneri præcepto contrahendi

trahendi matrimonium. 453,b
Quid sit matrimonium clandestinum. 454,a
An iure naturali vel diuino sit illicitum. ibid.
An sit validum saltem vbi non viget Tridentinum. ibid.b
An valeat saltem ad obligandum sicut obligant sponsalia. ibid.
Quid si sit iuratum. 455,a
Quid si sit impuberum. ibid.
An matrimonium clandestinum non baptizatorum in terris vbi viget Tridentinum sit validum. ibid.
An in aliquo casu necessitatis, quo non potest adesse Parochus absque graui incommodo, possit esse validum matrimonium baptizatorum. ibid.b
An quando contrahentes ignorant legem Tridentini irritantem matrimonium clandestinum, sit validum. ibid.
An incolæ locorum in quibus Tridentinum obligat, validè contrahant absque Parocho & testibus in aliis locis in quibus dictum Tridentinum non obligat. 456,a
Quid dicendum sit de incolis locorum in quibus Tridentinum non obligat, existentibus in locis quibus obligat. ibid.
Quid si incola locorum in quibus Tridentinum obligat, profectus fuerit in alium locum in quo non obligat, tantùm animo contrahendi absque Parocho & testibus. ibid.
Quibus pœnis puniantur qui clandestinè contrahunt. 462, a
Quibus puniatur Religiosus qui absque licentia Parochi assistit matrimonio. ibid.b
An metus cadens in virum constantem iniustè incussus, & non expressè ad extorquendum matrimonium, illud inualidet. 468,a
Quid si expressè incutiatur ad illud extorquendum. ibid.
Quo iure inualidetur matrimonium in prædicto casu. ibid.b
Quid dicendum sit de matrimonio non baptizatorum. 469,a
Quid si metus iustè incutiatur. ibid.b
An qui metu graui alterum coegit secum contrahere, ex qua coactione matrimonium fuit nullum, teneatur postea contrahere cum illo qui coactus est. 470,a
An peccet, qui contrahit matrimonium ex metu graui illud irritante. ibid.
An peccet qui ex metu graui fictè solis verbis contrahit. ibid.b
An matrimonium inualidum ratione metus, per copulam subsequentem & diuturnam cohabitationem validum fiat, & in quo foro. ibid.
Quid si copula ex metu sit orta. 471,a
An in prædicto casu validum fiat per iuramentum subsequens. ibid.
An quando contrahens ex metu, ex eodem sub iuramento promittit se ratum habiturum tale matrimonium, vel iterùm contracturũ, ad id teneatur. ibid.
An Princeps Ecclesiasticus possit cogere baptizatos ad contrahendum, & sæculares non baptizatos. ibid.b
Damnantur pœna excommunicationis maioris in Tridentino Principes sæculares, qui directè vel indirectè iniustè cogunt suos subditos, vel quoscumq; alios, ad contrahendum. ibid.
An pater possit cogere filium ad matrimonium contrahendum. 472,a
An excommunicationem incurrant, quando iniustè illos cogunt. ibid.
Filius non tenetur implere matrimonium quod pater promisit aut præcipit. ibid.b
Possunt licitè filij inuitis parentibus matrimonium contrahere. 473,b
An peccent mortaliter, qui inconsultis parentibus, seu non scientibus, absque rationabili causa contrahunt. ibid.
Contractus matrimonij, cui apponitur conditio extrinseca, verè est conditionatus. 473,b Plura de conditionato matrimonio & de conditionibus eius, vide in Conditio.
Quid addat designatio, quando dicitur, Contraho tecum in crastinum. 484,b
Quid demonstratio vel causa, vt cùm dicitur, Contraho tecum, quia es dives, vel quæ es diues. ibid.
Quid si demonstratio vel causa sit contra substantiam matrimonij. ibid.
Quid si tantùm apponatur modus, vt cùm dicitur, Contraho tecum vt mihi seruias. 484,a
Quid si modus sit contra substantiam matrimonij. ibid.
An matrimonium sit indissolubile. ibid.a,b
Quo iure matrimonium sit indissolubile. 484,a,b
An possit Pontifex dissoluere matrimonium baptizatorum. 485,a
Quid si matrimonium non sit consummatum. ibid.
An Princeps Gentilis possit dissoluere matrimonium suorum subditorum. 486,a
An per vota solemnia Religionis soluatur matrimonium saltem baptizatorum. ibid.
An per vota simplicia Societatis Iesv. 487,a
An per vota Ordinum militarium. ibid.b
An per vota Mantellatorum & Mantellatarum. ibid.
Quando matrimonium dicatur consummatum. 488,b
An qui ante celebrationem matrimonij, vel consummationem illius, emisit votum castitatis, teneatur reddere. 500,a ibid.
An possit aliquando petere. ibid.
An possit petere, qui post matrimonium consummatum emisit votum castitatis inscio alio coniuge. ibid.b
An qui post votum suscipiendi Ordines illicitè contraxit, licitè matrimonium consummet. ibid.
An qui vouerat non contrahere, & illicitè contraxit, licitè matrimonium consummet. ibid.
Votum simplex castitatis matrimonium non dirimit. 515, a
Quid si fiat in Societate Iesv post biennium cum aliis duobus simplicibus. ibid.b
Religiosæ & Moniales matrimonium contrahentes, & qui cum illis contrahunt, excommunicationem incurrunt. 516,b
An excõmunicatus validè assistat matrimonio. 574,a
An tempore interdicti sit prohibitum matrimonium contrahere. 617,b

Medicus.

An Medicus, qui ex artis præscripto quempiam mutilat, sit irregularis. 635,b

Membrum.

An qui caret aliquo corporis membro, sit irregularis. 637,a,b
Quid si ipse sibi tale membrum abscidit. ibid.b

Mendacium.

Mendacium in confessione, quando sit mortale peccatum aut veniale. 144,b

Mensa.

An sit prohibitum comedere in eadem mensa cum excommu-

communicato per modum societatis. 586 b
Quid si casu fiat, & non per modum societatis. ibid.

Meritum.

Merita per peccatum interrupta, per iustificationem ab illo reuiniscunt. 109,b
Et quidem in integrum. 110,b
Gratia data ob meritum tantùm reuiniscit. 111,a

Metus.

Quid sit metus cadens in constantem virum. 467,b
An quando iniustè incutitur, & non ad extorquendum matrimonium, illud irritet. 468,a
Quid si expressè incutiatur ad illud irritandum. ibid.
Quo Iure irritetur. ibid.b
Quid si metus iustè incutiatur. 469,a
An qui alterum coëgit secum contrahere, ex qua coactione matrimonium fuit nullum, teneatur postea contrahere cum illo qui coactus est. 478,a
An peccet, qui ex metu graui matrimonium irritante illud contrahit. ibidem.
An peccet, qui ex metu graui ficte solis verbis contrahit. ibid.b
An matrimonium inualidum ratione metus, validum fiat ob copulam subsequentem, vel diuturnam cohabitationem, & quo foro. ibid.
Quid si copula ex metu graui fuit orta. ibid. & seq.
An in prædicto casu validum fiat per iuramentum subsequens. 471,a
An quando contrahens ex metu ex eodem sub iuramento promittit se ratum habiturum tale matrimonium, vel iterùm contracturum, ad id teneatur. ibid.
An sponsalia ex metu facta obligent, & quomodo, vide in Sponsalia.
An censura, quæ fertur metu graui, sit valida. 551,a
Metus leuis non impedit incursionem censuræ. 563,a
An illam impediat metus grauis. ibid.
An excuset à peccato mortali inobedientiæ. ibid.
An ex metu grauis mali possit ille qui censuram incurrit facere id quod alias illi censurâ prohibetur. ibidem b
An ob metum grauis mali possit excommunicatus facere id quod excommunicatione Iure prohibetur. 593,b

Miles.

An miles qui propria manu occidit in bello, sit irregularis. 636,a
An qui exhortatur milites ad pugnandum quando sequitur mors, fiat irregularis. ibid.
Quid si bellum sit mere defensiuum. ibid.

Minister.

Minister Sacramentorum est solus homo viator. 31,b
Quam intentionem habere debeat, & quid operetur. 32,a,b. & seq
Quæ fides & sanctitas requiratur in illo. 36,b. & seq.
Quomodo licitum sit à peccante administrando Sacramentum illud suscipere. 39,a
Minister Baptismi sufficiens qui sit. 59,a

Missæ Sacrificium.

Quid proprie & strictè sit. 344 a
Nominis illius etymon. 346,a
An in eo verè Christus immoletur. ibid.
Sitne verum & proprium Sacrificium. ibid.
Panis & vinum non intrant Sacrificium Missæ. 347,b
In eo sex actiones reperiuntur. 348,a
Actio sacrificandi illud non consistit in oblatione verbali panis & vini, facta post lectionem Euangelij. ibid.b
Nec in oblatione verbali Corporis & Sanguinis Christi paulò post consecrationem factæ. ibid.
Imò nec ad essentiam illius pertinet. 349,a,b
Sicut nec fractio Hostiæ consecratæ. ibid.
Nec sumptio specierum adhuc à Celebrante facta. 350,a
Consistit essentia Sacrificij in positione Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus. 351,a
Ad hoc autem requiritur vtriusque speciei consecratio. 352,b
Est vnum Sacrificium tantùm, & præter ipsum non est aliud Sacrificium in Ecclesia. 354,b
Quo differant & quo consentiant Sacrificium Missæ, & quod Christus in vltima cœna celebrauit. 355,b
Item Sacrificium Missæ, & quod cruentè in cruce Christus obtulit. ibid.
Ratio Sacrificij in Eucharistia comparatur cum ratione Sacramenti, & quomodo. 356,b
Sacrificium Missæ sitne propitiatorium. 357,a
Honorarium. ibid.
Eucharisticum. ibid.
Impetratorium. ibid.
Sitne Christus principaliter offerens. 358,a
Mediatè, an immediatè. ibid.
Omnes Sacerdotes illud possunt validè offerre. 360,a
Aly fideles quomodo etiam offerre dicantur. ibid.
Pro quibus vtilis possit offerri. ibid.b
Pro quibus item defunctis. 362,b
Immediatè non remittit mortalia. 363,b
Neque venialia. 364,b
Nec auget habitualem gratiam. 365,a
Remittit verò pœnam temporalem iustis viuis & defunctis. ibid.b
Impetrat etiam auxilia, & alia bona spiritualia & temporalia. ibid.
Et id habet ex opere operato. 366,a,b
Est infiniti valoris. 367,a
Ex opere operantis minùs prodest singulis quando pro pluribus offertur. 368,a
Secus in opere operato. ibid b
Non tamen prodest ex opere operato offerentibus, nisi pro ipsis offeratur. 369 a
Applicatur Sacrificium secundùm intentionem quam Sacerdos habet, licet contra obligationem. ibid.b
Applicatio specialis prodest plus quàm generalis. 370,b
Existentibus in mortali non prodest ad remissionem pœnæ temporalis. ibid.b 371,a
Non tamen crescit Missæ effectus pro mensura sanctitatis illius pro quo offertur, sed pro mensura deuotionis. 371,a
Effectum quem non operata fuit defectu sanctitatis illius pro quo offertur, non operabitur postea recedente peccato. Ibid.
A qua hora possit celebratio Missæ inchoari. 374,a
Ad quam vsque horam differri possit. 375,a
Quo loco celebranda sit. ibid. & seq.
An possit celebrari in Ecclesia polluta & violata. 376,a
Quale debeat esse altare. 377,a
Qualis ornatus. 378,a
Quæ & qualia vasa requirantur. 379 a
Quæ & quales vestes. 380,a
Omissio alicuius rei earum quæ ordinantur ad celebrationem Missæ, peccatum est graue aut leue, pro quanti-

quantitate rei omissæ. ibid.b.& seq.
Celebrare ante recitationem Horarum matutinarum, non est mortale. 381,a
Potest celebrari vno tantùm adstante ministro, secus sine eo saltem. ibid.
Quibus casibus relinqui possit celebratio incepta. ibidem b
Defectibus pluribus Missæ quomodo occurrendum. ibid. & seq.
Stipendium Missæ quomodo taxandum. 382,b
Diebus Dominicis & Festis tenentur audire Missam omnes baptizati. 385,a
Et quæ ætate, & qui excipiantur. ibid.
Et quale id sit præceptum. ibid.
Quanta omissio sit mortalis, & quanta venialis. ibid.b
Quæ attentio requiratur. 386,a
Satisfacit qui eam audit etiam sine intentione implendi præceptum. ibid.b
Etiam qui audit extra propriam Parochiam in quocumque loco. 387,a
Quæ causæ ab hoc præcepto excusent. ibid.& seqq.
An excommunicatus tolleratus, qui ex seipso, & non ad petitionem fidelium, Missam celebrat, incurrat irregularitatem. 570,b
An possit pro excommunicato non tolerato orari in Memento Missæ. 572,b
An possit pro illo offerri celebratio Missæ secundùm valorem celebranti respondentem. ibid.
An excommunicatus excommunicatione maiori excusetur à præcepto Missæ, quando facilè potest obtinere absolutionem excommunicationis. 576,a
An possit audiri Missa simul cum excommunicato. 583,a
Quid faciendum sit, si excommunicatus non possit eiici ab Ecclesia, & Missa sit incepta. ibid.
Quid si excommunicatus non audiat eamdem Missam, sed aliam, licet in eodem templo & eodem tempore. ibid.
Quid si excommunicatus sit in templo non causâ audiendi Missam, neque ad eam attendens, licet illam necessariò audiat. ibid.
An & quomodo possit celebrari tempore interdicti. 616,a
Quibus in locis. ibid.
Quibus circumstantiis. ibid.
An possint fideles conuocari cymbalo ad illam audiendam. ibid.a,b
An possit pulsari, dum eleuatur Hostia. ibid.b
Qui possint assistere. ibid.
An habentes Bullam Cruciatæ possint audire Missam tempore interdicti. ibid.
An ad id teneantur. ibid.

Mixtio.

Aqua à quo sit miscenda vino in Sacrificio Missæ. 241,a b
Per solam mixtionem alterius liquoris cum speciebus Sacramentalibus consecratis, non desinit esse Christus sub illis. 304,a

Monachus. *vide* Religiosus.

Monialis.

Moniales quæ matrimonium contrahunt, & qui cum illis contrahunt, excommunicationem incurrunt. 516,b

Monitio.

Ad ferendam censuram medio Iure vel præcepto pro peccatis futuris nulla requiritur monitio. 559,a
An requiratur ad illam ferendam media noua sententia pro peccato iam præterito. ibid.b
An requiratur vt Iudex ferat nouam censuram pro peccato, cui aliàs Iure aut præcepto est annexa similis censura ipso facto incurrenda. ibid.
An requiratur vt feratur pro transgressione præcepti cui est annexa comminatio censuræ. ibid.
An suspensio & interdictum possint poni sine admonitione, saltem non vt censuræ. 560,a
An ita possit poni excommunicatio. ibid.
An monitio debeat esse præceptiua. ibid.
An Iuridica. ibid.b
An sit facienda ipsi reo. ibid.
An debeat esse trina, vel vna pro tribus. ibid.
An cum aliquo temporis interuallo. ibid.
An debeat fieri sub commination censuræ. ibidem
An vt feratur censura contra eos qui communicant cum excommunicato, requiratur canonica monitio, qua ille qui censura est ligandus, expressè & nominatim moneatur. ibid.
An debeat esse coram testibus quibus possit probari. ibid.
Quæ harum conditiones requirantur vt valide, quæ tantùm vt licitè censuræ ferantur. ibid. & seq.
Ad ferendam excommunicationem medio Iure vel medio præcepto, pro peccato mortali, sub conditione si fiat, nulla requiritur monitio. 591,a
An requiratur vt feratur ab homine pro peccato iam commisso. ibid.
An hæc monitio debeat habere imbibitum præceptum. ibid.
An debeat præcipere sub pœna excommunicationis. ibid.
An debeat esse Iuridica. ibid.
An debeat fieri ipsi reo. ibid.
Quid si malitiosè abscondatur. ibid.
Quotuplex debeat esse, & quo temporis interuallo. ibid.

Morbus.

An periculum morbi contagiosi sufficiat ad dimittium. 507,b.& seq.

Moribundi.

Quando nutibus confiteri eis sufficiat. 1442

Mors.

Machinatio mortis coniugis siue proprij siue alieni, matrimonium dirimit inter coniugem superstitem, & alterum. 536,a
An requiratur vt dicta machinatio sortiatur effectum. ibid.
An vt fiat animo contrahendi alterum matrimonium. ibid.b
An requiratur vt illam comitetur adulterium. ibid.
An absolutio, facta in articulo mortis ab illo qui aliàs absoluere non potest, semper sit cum onere comparendi sub onere reincidentiæ. 573,a
An Sacerdos, qui nullam habet iurisdictionem, possit absoluere existentem in articulo mortis. 600,a
An possit Clericus non Sacerdos. ibid.
An possit quilibet Sacerdos, adhuc excommunicatus, absoluere ab excommunicatione Iure lata, etiam reseruata, in articulo mortis. 601,a
An deficiente legitimo Iudice possit absoluere ab excommunicatione lata ab homine siue specialiter siue generaliter. 603,a

Mulieres.

Sunt incapaces Ordinum Ecclesiasticorum. 402,a
vide Femina.

Mustum.

Quatenus sit conueniens materia consecrando Sangui-
ne

ni Christi. 238,b

Mutilatio.

An propter mutilationem iniustam contrahatur irregularitas. 631,b
Quid si mutilatio fiat à pluribus simul. ibid.
Quid si mutilatio non sit consummata, sed tantùm efficaciter intenta. ibid.
Qualis membri debeat esse mutilatio, vt per illam contrahatur irregularitas. ibid & seq.
An qui apponit causam mutilationi, illam præuidens, contrahat irregularitatem secuto effectu, quamuis ante illum pœniteat. 632,a
An qui consulit, mandat, vel alio quocumque modo excitat ad mutilationem, contrahat irregularitatem. ibid.
An propter ratihabitionem mutilationis incurratur irregularitas. 633,a
An ea irregularitas etiam incurratur ob mutilationem casualem. ibid.
An qui inflixit vulnus ex se non lethale, incurrat irregularitatem, si infirmus moriatur ex incuria chirurgi, vel malo regimine infirmi. 634,a
An tum incurrat, quando intulit vulnus non lethale, & superueniat aliud etiam per se non lethale ex vtroque tamen moriatur. ibid.

Mutus.

Quomodo mutus possit matrimonium contrahere. 438,a

N.

Necessitas.

Necessitatis in casu an quis possit communicare cum excommunicato. 587,b
Quid si necessitas non sit ipsius communicantis, sed aliorum. ibidem
Quid si qui patitur talem necessitatem, possit aliunde æquè commodè subueniri absque dicta communicatione. ibid.

Neophytus.

An sit irregularis. 639,a

Nouitius.

Nouitij habent casus qui à Superioribus reseruari possunt. 176,b

Nuntius.

An possit per nuntium celebrari matrimonium. 446,b
An sic celebratum sit Sacramentum. 447,b

O.

Octaua Corporis Christi.

Officia diuina an possint tempore interdicti celebrari in Octaua Corporis Christi. 617,a
Qui possint tunc assistere. ibid.
An in his diebus etiam permittatur Communio. ibi.b

Officium.

An hæretici, & illorum fautores, receptatores, & descendentes, sint inhabiles ad officia publica. 630,a
An qui exercet aliquod officium sæculare, cuius rationem tenetur reddere, sit irregularis. 638,b

Officium diuinum.

An excommunicatio maior priuet diuinis officiis. 575,a.b. 576,a
An priuet illis tantùm quatenus sunt quædam communicatio cum fidelibus, vel etiam speciali modo. 575,b
An possit diuinum officium recitari, cantari, vel audiri cum excommunicato excommunicatione maiori. ibid.b
Quid intelligatur nomine diuinorum officiorum. 616,a
An possint celebrari tempore interdicti. ibid.
Qui possint illis assistere. ibid.
An quando alicui particulari conceditur facultas assistendi diuinis officiis, possint cum illo illius familiares assistere. 617,a
Quid si priuilegium communitati concedatur. ibid.

Oleum.

Oleum ab Episcopo benedictum est materia remota Sacramenti Extremæ Vnctionis. 207,b

Opera bona.

Opera bona iusti, distincta ab expressa conditione, & à quacumque alia dilectione Dei, & ab attritione, non sufficiunt ad remissionem peccatorum venialium. 103,a b
Per opera aliàs præcepta pro peccatis satisfacimus. 195,a

Oratio.

An excommunicatus possit orare in templo intentione percipiendi fructum ex oratione Ecclesiæ. 576,b
An possit coram altari cui concessa est indulgentia, intentione lucrandi illam. ibid.

Oratorium.

An in oratorio approbato possit tempore interdicti Missa celebrari. 616,a

Ordinationis materia & forma.

Materia & forma ordinationis Episcopi. 394,a
Sacerdotis. ibid.b
Diaconi. 396,a
Subdiaconi. 397,a
Ordinationum Minorum. ibid.b
Non requiritur tactus physicus materiæ vt validè quis ordinetur. 398,a
Sed qui sine eo ordinaretur, grauiter peccaret audiendo Confessiones. ibid.b
Quid prærequiratur ad singulos Ordines suscipiendos. 403,a
Quo tempore celebrandi sint Ordines. ibid.b
Interstitia inter Ordines habenda. ibid.
Sacris initiatos posse contrahere matrimonium, quo Iure prohibeatur. 404,a
Quo item Iure prohibeantur vti matrimonio ante Ordines contracto. 405,a
Tenentur continentiam seruare, tum ex voto Ordinibus annexo, tum Lege Ecclesiastica immediatè. ibidem b
Quando teneantur gestare tonsuram Clericalem. 406,b
Et sub quo peccato. ibid.

Ordo.

Ordinis etymon: quid Ordo, & quotuplex. 388,a
Non sunt plures Ordines quam septem. ibid.b
Licet Episcopatus sit Ordo partialis partialiter distinctus. 389,b
Similiter Archiepiscopatus, non tamen distinctius ab Episcopatu. 390,a
Quo Iure, Ecclesiasticone, an diuino, distinguatur Episcopatus à Presbyteratu, & sit eo superior. ibid.
Vinculum Episcopi cum Ecclesia intercedit, & quando id contrahatur. ibid.b
Ordinum inter se subordinatio, & officia: qui sacri, qui non. ibid. & seq.
Ordo est Sacramentum nouæ Legis, ex Fide. 391,b
Etiam ordinatio Episcopi, prout distincta ab ordinatione Presbyteri. 392,a
Etiam ordinatio Diaconi & Subdiaconi. ibid.b
Etiam quatuor Minores, & collatio primæ tonsuræ. 393,b

Omnium

Omnium Ordinum sunt incapaces feminæ. 401,a
Qui alij, & quæ ætate, incapaces sint. ibid.b
Ordo confert augmentum gratiæ iustificantis. 398,b
Eamque conferant singuli septem Ordines. 399,a
Imprimitur per singulos distinctus character. ibid.
Imo per singulas ordinationes partiales. ibid.
Ordinis minister est Episcopus ratione Ordinis Episcopalis. ibid.b
Etiamsi careret inferioribus Ordinibus. ibid.
Validè sed non licitè ordinabit non sibi subditos. ibid.
Qui ei censeantur subditi. ibid.
Laici, etiam Cardinales, non sunt ministri Ordinis. 400,a
Sacerdos quilibet poterit omnes Ordines usque ad Sacerdotium conferre ex commissione Romani Pontificis. ibid.
Ad ordinationem Episcopi tres ad minus Episcopi requiruntur. ibid.b
An matrimonium tantùm ratum dissoluatur per susceptionem Ordinis. 486,a
An maritus post matrimonium consummatum ex licentia uxoris possit ad sacros Ordines promoueri. 509,b
Prima tonsura, & quatuor minores Ordines matrimonium non impediunt. 516,a
Ordo sacer matrimonium dirimit. ibid.
Quo iure id faciat. ibid.
Quid si suscipiatur Ordo ante vsum rationis. ibid.b
Quid si ex grauissimo metu, voluntariè tamen. ibid.a
Quid si ante pubertatem, & post vsum rationis. ibid.b
An Sacris initiatus post declarationem iuridicam nullitatis matrimonij ex impotentia alterius coniugis, quæ postea naturaliter cessauit, sit iterùm contungendus cum alio coniuge. 535,a
An si coniungantur in præcedenti casu, possit petere. ibidem.
Quam pœnam incurrat, qui excommunicatus ob percussionem Clerici recipit Ordines. 573,a
An Sacramentum Ordinis susceptum ab excommunicato, sit validum. 574,a
An suspensus ab officio possit exercere actus Ordinis. 607,a
An suspensus ab Ordine Diaconatus, possit celebrare. ibidem
An possit confessiones audire. ibid.
Qui ordinatur ab Episcopo hæretico aut schismatico, aut excommunicato non tolerato, aut simoniaco iuridicè declarato, aut ab eo qui dignitati renuntiauit, aut Ordinem sacrum non accepit, manet suspensus. 611,a
An dicta suspensio incurratur ab ignorante dictum defectum. ibid.
An ordinatus ab alieno Episcopo suspensionem incurrat. ibid.b
An ordinatus reuerendis impetratis à Capitulo ante completum annum post vacationem sedis. ibid.
An ordinatus absque legitima ætate. ibid.
An ordinans, aut præsentans ad Ordines, accepta promissione aut iuramento ab ordinato, quòd non peret ab eo alimenta, incurrat suspensionem. ibid.
An illam incurrat ordinatus. ibid.
Quid si ignoret id esse illicitum. ibid.
An qui ordinatur absque patrimonio, vel ficto beneficio, incurrat suspensionem. ibid. & seqq.
An ordinatus ab Episcopo alieno, dimissoris falsa relatione obtentis, sit suspensus. 612,a
An ordinans & ordinatus simoniacè sit suspensus. ibidem.
An ordinatus post matrimonium contractum, licèt non consummatum, aliter quàm dispontur in foro, sit suspensus. ibid.b
An qui excommunicatus ob percussionem Clerici suscipit Ordines, sit suspensus. ibid.
An Religiosus ordinatus in apostasia sit suspensus. ibidem.
Quam pœnam incurrant violantes interdictum exercendo solemniter actum Ordinis. 619,a
An irregularis validè exerceat & recipiat actum Ordinis. 626,b. 627,a
An licitè. ibid.
An ob iterationem susceptionis Ordinum incurratur irregularitas. 629,a
An qui recipit Ordines, fingendo se esse alterum, sit irregularis. ibid.
An qui curat alterum pro se examinari, & postea ordinatur, sit irregularis. ibid.
An Clericus exercens Ordinem quem non habet, fiat irregularis. ibid.b
Quid si laicus exerceat aliquem actum Ordinis. ibid.
An qui excommunicatione maiore, suspensione vel interdicto ligatus exercet actum Ordinis, fiat irregularis. 630,a
An hæretici possint aliquem Ordinem suscipere. ibid.
An illorum descendentes. ibid.

P.

Panis.

Panis ex vero tritico est materia Corporis Christi consecrandi. 234,a
Azymus ad consecrationem aptior est quàm fermentatus. 236,a,b
Non intrat Sacrificium Missæ. 347,b. *Vide,* Materia Corporis.

Papa.

Potest dispensare in præcepto annuæ confessionis, imò id omnino abrogare. 136,a
Tenetur & ipse ad confessionem annuam. ibid.
An possit assistere matrimonio. 418,b
An possit dissoluere matrimonium consummatum baptizatorum. 481,a
Quid si matrimonium non sit consummatum. ibid.b
An possit instituere impedimenta matrimonij. 510,a
Potest dispensare in impedimentis impedientibus tantum. 541,a
Quid si absque rationabili causa dispenset. ibid.
An possit dispensare in impedimentis dirimentibus. ibid.b
An possit dispensare in radice matrimonij quoad effectus seculares & Ecclesiasticos. ibid.

Parochus.

Non semper tenetur audire confessiones suorum parochianorum. 111,a
An matrimonium absque præsentia Parochi celebratum vbi Tridentinum viget, validum sit. 434,b
Quid ante Tridentinum, vel post illud, vbi receptum non est. ibid. & 453,a
An si Parochus adesse absque graui incommodo non possit, si vrgeat necessitas, matrimonium sit validum. 453,b
Quid si contrahentes ignorent legem Tridentini irritantem dictum matrimonium. ibid.
An incolæ locorum in quibus Tridentinum obligat, validè contrahant absque Parocho & testibus, in aliis locis in quibus Tridentinum obligat. 456,a
Quid dicendum sit de incolis locorum in quibus Tridentinum

dentinum non obligat, existentibus in locis quibus obligat. ibid.
Quid si incola locorum in quibus obligat Tridentinum profectus fuerit in alium locum, tantum animo contrahendi absque Parocho & testibus. ibid.
Quid dicendum sit de Christianis habitantibus in Prouinciis infidelium, si ibi contrahant vbi non sunt parochiæ, & nati fuerint vbi obligat Tridentinum. ibid.b
An sufficiat Parochus cuiuslibet contrahentis, vt valide vterque contrahat. 457,a
An debeat esse ille in cuius Parochia celebratur matrimonium. ibid.
An sufficiat assistentia Parochi vnius, aut vtriusque contrahentis in neutrius parochia. ibid.b
An Parochus, & qui de eius licentia assistit, debeat esse Sacerdos. ibid.
An Parochus excommunicatus valide assistat matrimonio. 458,a
An valide conferat licentiam alteri vt assistat. ibid.
An licite faciat vtrumque. ibid.
An valide, quando ab aliquo competente Iudice talis assistentia illi prohibetur. ibid.b
Quid si verè Parochus non sit, sed habeat titulum coloratum. ibid.
An Parochus non proprietarius, sed delegatus, possit assistere matrimonio. 459,a
An possit alteri conferre licentiam vt assistat. ibid.
An licentia generalis Parochi sufficiat, vt Clericus assistat matrimonio. ibid.b
An sufficiat ratihabitio. ibid. & seq.
Quid si licentia extorqueatur vi aut metu. 460,a
Quis censeatur Parochus vagabundorum. ibid.
Qualis præsentia Parochi requiratur ad valorem matrimonij. 461,b
An sit necessarium, quòd Parochus aliqua verba proferat ad valorem matrimonij. ibid.
Quibus pœnis puniatur Parochus qui absque testibus assistit matrimonio. 462,b
Quibus puniatur Parochus, qui assistit matrimonio parochianorum alterius absque licentia illius. ibid.
An aliquando possit Parochus dispensare vt denuntiationes omittantur vel postponantur. 464,a
An debeat deferre peccatum occultum, ex quo oritur impedimentum matrimonij, quando illud extra confessionem cognouit. ibid.
Quid si illud intra confessionem cognouit. ibid.
An teneatur deferre Ordinario impedimentum coram eo positum. ibid.b
Debet habere librum in quo scribat nomina contrahentium, & testium, locum, & tempus quo celebratum est matrimonium. ibid.
An incurrat excommunicationem, quando cogit subditum matrimonium contrahere. 472,a
An conditio apposita matrimonio conditionato debeat purificari coram Parocho, vt matrimonium censeatur absolutum. 477,a
Potest dispensare in impedimentis matrimonium impedientibus tantum. 541,a
An possit in aliquo casu imponere excommunicationem. 589,a
An possit adhuc extra confessionem absoluere ab excommunicatione maiori lata Iure, non reseruata. 601,a
An possit auferre suspensionem. 610,b
An possit auferre interdictum. 621,a

Paruuli.

In lege veteri scripta, Circumcisione; in lege naturæ ante Circumcisionem fide parentum emundabantur ab originali. 17,b. & seq.

Pascha.

Quando id celebrauerit Christus. 226,a
Eodem illud die celebrauerunt Iudæi cum Saluatore nostro. 227,b
An tempore Paschatis possint diuina officia celebrari, si interdictum interuenerit. 617,a
Qui possint tunc illis assistere. ibid.
Qui dies intelligantur per festa Paschatis. ibid.
An his diebus permittatur etiam Communio. ibid.
An permittatur Ecclesiastica sepultura. 618,a

Pater.

An patres possint cogere filios ad matrimonium contrahendum. 472,a
An sic excommunicationem incurrant. ibid.
An filij teneantur implere matrimonium quod patres promiserunt aut præcipiunt. ibid.b

Patrinus.

Ad quid obligetur. 64,b
Quæ eius necessitas, & quod munus, in Sacramento Baptismi. ibid.
Quæ in Confirmationis Sacramento. 85,a
Ad quem pertineat designare patrinos. 521,a
An sit peccatum mortale plures quàm vnum & vnam designare. ibid.
An liceat designare maritum & vxorem, vt sint patrini alienæ prolis. ibid.b

Peccator.

Peccatori occulto publicè petenti Eucharistiam non est denegandæ. 320,a
Secus occultè petenti. 321,a
Dummodo peccatum notum sit Ministro extra confessionem. ibid.b
Publico peccatori petenti publicè negetur. ibid.
Quis sit peccator publicus. ibid.

Peccatum, generatim.

Omnia peccata, & tota pœna peccatis debita per Baptismum tolluntur. 70,a
Quodlibet peccatum proprium, etiam originale, est materia virtutis pœnitentiæ, nullum verò alienum. 90,b. & seq. 117,a
Peccata dimissa per subsequens peccatum non redeunt. 105,b
Nec possunt etiam diuinitus redire. 106,b
Nec tantùm quoad culpam, sed nec quoad pœnam. 107,b
Quomodo verè redeant. 108,a
Quot peccata sint materia Pœnitentiæ. 117,a
Eorum species in confessione exprimendæ sunt. 147,b
Vnde desumatur multiplicitas numerica illorum. 152,b. & seq.
Quæ peccata sint de facto reseruata. 174,a,b
An peccatum inculpabiliter omissum in confessione, adhuc manet reseruatum. 177,a
Remittuntur ex opere operato per pœnitentiam Sacramentalem. 208,b
An ob peccatum purè internum possit ferri censura. 555,a
An ob peccatum exterius absque inobedientia respectu Ecclesiæ possit ferri censura a Iudicibus Papa inferioribus. ibid.
An validè. 556,a
An requiratur inobedientia respectu Ecclesiæ commnantis sub censura. ibidem.
An requiratur, quando censura fertur ab ipso Papa. ibid. & seq.
An quando censura fertur ob aliquod peccatum, tantum

tùm feratur ob illud completum in suo genere. ibi.b
An censura validè feratur pro peccatis futuris. 558,b
An licitè. ibid.
An committens peccatum cui est annexa censura, committat duplex peccatum. 559,a

Peccatum mortale.

Vnum sine alio nec diuinitus expelli potest. 101,b
Mortalium numerus in confessione est explicandus. 152,a
Peccata mortalia dubia confitenda sunt. 154,b
Aliqua possunt omitti in confessione. 156,b
Et possunt reseruari. 175,a,b
An quando quis ex inaduertentia vel alio modo excusatur à mortali, excusetur à censura illi annexa. 555,a

Peccatum veniale.

Ad eius remissionem non sufficit sola attritio. 102,b
Neque quoduis bonum opus. 103,a
Venialia non remittuntur ex opere operato per Sacramentalia. 104,a
Ad dimittenda venialia valet quodlibet Sacramentum, & quâ ratione ea remittat. ibid.b
In Purgatorio per contritionem remittuntur venialia. 105,a
Ab Ecclesia accipitur iurisdictio completa ad absoluendum à venialibus. 163,b.& seq.
Peccata venialia possunt reseruari. 174,b. 175,a
An ob peccatum tantùm veniale possit ferri aliqua censura. 553,b.& seq.

Pensio.

An pensio validè conferatur excommunicato. 578,a

Pœna.

An pœna posita iniustè resilienti sponsalibus sit valida. 423,a
Quibus pœnis puniantur qui clandestinè contrahunt. 463,a
Quibus Parochus qui absque testibus assistit matrimonio. ibid.b
Quibus Parochus aut Sacerdos, qui assistit matrimonio parochianorum alterius Parochi absque licentia illius. ibid.
Quid si sit Religiosus qui sic assistit. ibid.
Quibus pœnis puniatur qui absque denuntiationibus præmissis contrahit. 466,b
Quibus qui absque licentiâ Parochi benedixerit nuptiis. 467,a
Quam pœnam incurrat excommunicatus excommunicatione maiore, qui recipit vel ministrat Sacramentum. 573,a
Quam pœnam incurrat, qui excommunicatus ob publicam percussionem Clerici recipit Ordines. ibidem.
Quam incurrat Clericus excommunicatus, qui ministrat Sacramentum, ad quod ministrandum requiritur ordo sacer. ibid.b
Quam incurrat, qui in loco sacro sepelit hæreticum non toleratum. 577,a,b
Quam incurrat qui communicat cum excommunicato excommunicatione maiore. 584,a. & seq.
Quæ requisita sint vt incurratur talis pœna. ibid.
Quid si communicatio sit cum excommunicato excommunicatione maiori contra participantes. ibid.b
Quibus modis excusetur a pœna talis communicatio. 585,b
Quam pœnam incurrat, qui excommunicationem transgreditur. 588,a
Quam incurrat, qui obdurato animo in aliqua censura per annum perseuerat. ibid.

Pœnitens.

In quo casu possit eligere Confessarium. 164,a,b
Quæ peccata ei Confessarius teneatur reuocare in memoriam. 172,b
Inualidè absolutus, debet à Confessario moneri. ibid.
Non tenetur sub sigillo celare defectus Confessarij. 190,b
In pœnitentis satisfactione acceptatio Dei requiritur. 195,b

Pœnitentia, virtus.

Pœnitentiæ etymologia & descriptiones. 86,a
Datur virtus pœnitentiæ. ibid.b
Et est specialis quædam virtus. 87,b. & seq.
Distincta à iustitia & religione. 89,a,b
Potest esse naturalis & supernaturalis. 90,a,b
Eius materia est quodlibet peccatum proprium, mortale originale. ibid.b. & seq.
Recipitur in voluntate. 91,b
In Christo non fuit virtus pœnitentiæ infusa; seruata reliquis iustis & beatis. 92,a

Pœnitentia, Sacramentum.

Ex quibus constet Sacramentum Pœnitentiæ. 115,a
Quæ peccata sint materia Pœnitentiæ. 117,a
Potest hoc Sacramentum iterari. ibid.b
Quæ eius sit necessitas. 118,a
De proposito contento in voto Pœnitentiæ. 119,a,b
In eo aliqua saltem contritio requiritur. 125,a,b
Qualis in eo contritio requiratur. 126,a
Nec est necessarium ad eius perfectionem, vt contritio sit existimata. ibid.b. 127. 128
Quomodo debeat esse omnium peccatorum. 128,a,b
Potest esse informis. 129,b. 158,a
Quando, fictione recedente, operetur gratiam. 130,b
Eius minister tantùm est Sacerdos. 151,a,b

Pœnitentia publica.

A Confessario imponi potest pœnitentia publica. 101,a
An ob pœnitentiam publicam contrahatur irregularitas. 619,a
Pœnitentia, pro satisfactione Sacramentali, quæ a confessario post absolutionem imponitur. Vide, Satisfactio Sacramentalis.

Pollutio.

An & quando impediat sumptionem Eucharistiæ. 322,b

Polygamia.

Inualida est & illicita, quando contrahitur per plures vxores simul habitas. 493,a
Quo iure id sit. ibid.
Aliquando fuit valida & licita eo modo polygamia. 494,a
Quando contrahitur per plures vxores successiuè habitas, valida est & licita. ibid.b
Cur per illam contrahatur irregularitas. ibid.

Populus.

An interdicto in populum generaliter lato interdicantur Clerici & Religiosi. 615,a
An interdicantur qui studiorum aut negotiorum causa in loco dicti populi commorantur. ibid.

Potestas.

An sit potestas in Ecclesia ferendi censuras. 548,a
An illam immediatè à Christo receperit. ibid.b
In quibus aliis sit hæc potestas. ibid.
Quomodo potestas delegata dependeat à voluntate & potestate delegantis. 549,a,b
In quibus sit potestas ferendi censuras Iure seu lege perpetua. ibid.
An potestas ferendi censuras in illo qui eam delegatam habet, cesset per excommunicationem aut suspensionem

nem delegantis. 550.b
An cesset in Vicario seu Prouisore per excommunicationem Episcopi. ibid.
An sit potestas ad ferendum censuras extra territorium ferentis illas. 551,a
An ad ferendas illas contra semetipsum. ibid.
An ad ferendum illas in propria causa. ibid.
Qua potestate Ecclesia à peccatis purè internis absoluat, & in votis purè internis dispenset. 555,a,b

Præceptum.

Quo modo præcepta negatiua obligent semper, & pro semper. 453,b
An præceptum latum ab excommunicato sit validum. 579,a
An ei licitè obediatur. ibid.

Præceptum Confessionis, Eucharistiæ, & Missæ.

Præceptum præmittendi confessionem ad Eucharistiam, exstitit in Ecclesia ante Tridentinum. 316,a
Est diuinum positiuum. 317,a
Quibus casibus non obliget. ibid.b
An sit præceptum confitendi statim post Communionem, quando quis in peccato communicauit. 318,b
Et quando. 319,a
Præcepto tam Ecclesiastico quàm diuino obligamur sumere Eucharistiam. 332,a,b
Quando obliget eiusmodi præceptum, & an specialiter in articulo mortis. 333,a
An potuerit Ecclesia in articulo mortis alicui negare Eucharistiam. ibid.
Eius sumptione paulò ante articulum mortis facta non satisfit præcepto. ibid.b
An sit præceptum sumendi extra articulum mortis, & quando obliget. 334,a
Quos obliget. ibid.b
Nec laici Iure diuino sub vtraque specie communicare tenentur. 336,a
Sed id rationabiliter ab Ecclesia interdictum est. ibi.b
Præceptum est, quo omnes baptizati tenentur diebus Dominicis & Festis audire Missam. 385,a
Et qua ætate, & qui excipiantur. ibid.
Quale sit id præceptum. ibid.
Quanta omissio sit mortalis, & quanta venialis. ibid.b
Satisfacit ei qui Missam audit etiam sine intentione implendi præceptum. 386,b
Etiam qui audit extra propriam parochiam in quocumque loco. 387,a
Quæ causæ ab hoc præcepto excusent. ibid. & seqq.
An sit prohibitum excommunicato excommunicatione maiori prædicare seu prædicationi interesse. 575,b. 585 b
An præsentatio excommunicati ad beneficium sit valida. 576,a
Quid si excommunicatus sit toleratus. ibid.
Quid si præsentatio tantum sit ad pensionem. ibid.

Princeps.

Princeps Ecclesiasticus potest cogere baptizatos, & secularis non baptizatos ad contrahendum matrimonium. 471 b
Damnantur in Tridentino pœna excommunicationis maioris Principes & domini illi temporales, qui iniustè cogunt suos subditos ad contrahendum matrimonium. ibid.
An Princeps secularis possit dissoluere matrimonium non consummatum non baptizatorum. 475,a
An Princeps secularis baptizatus possit instituere impedimenta matrimonij. 510.b
A quo possint Principes seculares excommunicari. 589,b

Procurator.

An contractus matrimony possit celebrari per procuratorem. 446,a
An procurator ipse per alium. ibid.
An si commissio data procuratori sit reuocata tantum interne inscio procuratore, fiat validus contractus matrimonij. ibid. b
An contractus matrimonij per procuratorem celebratus sit Sacramentum. ibid.
An procurator, qui nomine alterius celebrat matrimonium, debeat esse in gratiæ statu. 450,b
An sit minister huius Sacramenti. ibid.
An excommunicatus possit esse procurator. 582,b
An acta ab illo sint valida. ibid.
An possit ferre stipendium ordinarium pro illis. ibid.
Quid si sit tolleratus. ibid.
An procurator accusatoris criminis, propter quod fertur sententia sanguinis, sit irregularis. 635,a

Professio.

An sponsalia dissoluantur per professionem solemnem in Religione. 428,b
E duobus infidelibus coniugibus si alter conuersus fuerit, & ab infideli recedens in Religione aliqua legitimè professionem fecerit, postea alteri coniugi, si & ipse conuertatur, restituendus sit. 492,a

Promissio.

An ad valorem promissionis requiratur acceptatio. 412, b
An promissio matrimonij absque repromissione alterius valida sit. 413,b
An promissio sic facta obliget sub mortali an sub veniali. 414,a,b
An obliget quando tantùm est interna. 415,a
An qui promisit, ignorans vim promissionis ad obligandum, maneat obligatus, quando non habet animum se obligandi. 417,a
Quid si promissio fuit facta cum animo promittendi, & non cum animo se obligandi. ibid.
Quid si promissio tantùm sit verbalis, & omnino ficta. ibid. b.

Prouisor.

An Prouisor seu Vicarius generalis Episcopi possit ex vi sui officij præcisè assistere matrimonio. 457,b. 458,a
An Prouisor possit dispensare vt denuntiationes omittantur vel postponantur. 463,b
An possit delegare potestatem vt alter dispenset. 464,a
Quibus de causis dispensare possit. ibid. b
Quando dispensare teneatur. 465,a
Qualem debeat informationem facere de causis dispensationis. ibid.b
An in Prouisore sit potestas ferendi censuras. 549,a
An cesset in illo talis potestas per excommunicationem superuenientem Episcopo. 550,b

Puberes.

Qui dicantur puberes. 426,a

Puer.

An possit censuris ligari puer ante vsum rationis. 551,b.
Quid si ratione vtatur, & impubes sit. 552,a

Purgatorium.

Quomodo ibi venialia remittantur. 105,a,b

R.

Raptus.

Raptus an inter raptorem & raptum dirimat matrimonium. 538,a
Quid si femina virum rapiat. ibid.

Quid si inuitis parentibus, ipsa tamen femina consentiente, raptus fiat. ibid.
Quid si raptus sit sponsæ propriæ. ibid.b
Quid si raptus non fiat ex intentione contrahendi matrimonium, sed libidinis causa. ibid.

Ratihabitio.

An sufficiat ratihabitio Parochi vt Clericus assistat matrimonio. 459,b.460,a

Ratiocinia.

Rationibus reddendis qui tenetur an sit irregularis. 638,b

Religio, Religiosus.

Religiosus potest Sacerdotem non approbatum eligere in Confessarium. 165,b
Approbatio ab Episcopo eis ad confessiones audiendas data, reuocari potest. 170,a
An sponsus sit liber ad ingrediendam Religionem. 428,a
An qui cognouit viduam, vel defloravit virginem, sub spe futuri matrimonij, possit ingredi Religionem. ibidem.
Quid si sponsalia sint iurata. ibid.b
An Religiosi possint in aliquo casu teneri præcepto contrahendi matrimonium. 453,b
Quibus pœnis puniatur Religiosus, qui absque licentia Parochi assistit matrimonio. 462,b
Potest quilibet coniux duobus censibus, numerandis à die contracti matrimonij, non reddere, etiamsi petat alter, vt possit Religionem ingredi. 488,a
An transacto bimestri possit Religionem ingredi, dum matrimonium non est consummatum. ibid.
An teneatur statim profiteri, vel an sufficiat Religionem ingredi. ibid.b
An post diuortium iniustè factum possit quis ingredi Religionem. 508,b
An possit ex licentia alterius coniugis post consummationem matrimonij. 509,a
Religiosæ & Moniales quæ matrimonium contrahunt, & qui cum eis contrahunt, excommunicationem incurrunt. 516,b
An qui Religionem ingreditur post declarationem iuridicam nullitatis matrimonij ex impotentia alterius coniugis, quæ postea naturaliter cessauit, sit iterùm cum priore coniuge coniungendus. 535,a
Quid si iam professus est in Religione, & matrimonium non erat consummatum. ibid.
An si in præcedenti casu coniungatur, possit petere debitum. ibid.
An Religiosi Societatis Iesu, & ceteri Mendicantes possint dispensare in aliquo impedimento matrimonij. 542,a
Religiosi vbique terrarum existentes à suis Superioribus censuris ligari possunt. 552,b
An obedire teneantur Prælato excommunicato. 579,b
An possint. ibid.
An possint cum illo communicare. 586,a
A quo possint Religiosi excommunicari. 589,b
An Religiosus ordinatus in apostasia, sit suspensus. 612,b.
An interdicto generali populi aut vniuersitatis comprehendantur Religiosi. 615,a
Quam pœnam incurrant Religiosi & exempti, præsumentes illicitè celebrare diuina in locis interdictis, aut coram excommunicatis non toleratis. 619,a
Quam pœnam incurrant Religiosi non seruantes interdictum quod seruatur ab Ecclesia Cathedrali matrice, aut parochiali loci illius in quo sunt. ibid.
An per professionem in Religione auferatur irregularitas. 619,b

Res sacræ.

An excommunicatus possit vti rebus sacris. 576,b

Rescriptum.

An rescriptum Papæ impetratum ab excommunicato, sit nullum. 588,a
An rescriptum Prælatorum Papâ inferiorum. ibidem b.
An rescriptum Principis sæcularis. ibid.

Reseruatio.

In Ecclesiâ est potestas ad reseruandum peccata. 173,a
Etiam sine causâ. ibid.b
Reseruatio non est tantùm censuræ, sed etiam peccati. 174,a
Quæ peccata sint de facto reseruata. 175,b.& seq.

Reus.

An reus excommunicatus possit trahi ad iudicium. 582,a
An possit defendi per seipsum vel per procuratorem. ibidem.

Ritus.

Ritus quibus Baptismus solemniter celebratur, sunt conuenientes & laudabiles. 76,a
Quibus cærimoniis Confirmationis Sacramentum conferatur. 85,b.

S.

Sacerdos.

SAcerdos quilibet ex commissione Papæ Confirmationis Sacramentum conferre potest. 84,b
Sacerdos tantùm est minister Sacramenti Pœnitentiæ. 158,a
Non verò quilibet. 159,a
Quæ iurisdictio illi à Christo proueniat. ibid.a,b
Quis Sacerdos possit Sacramentaliter absoluere. 160, a
Ab Ecclesiâ accipit iurisdictionem ad absoluendum pro articulo mortis. 162,b
Item pro periculo mortis. 163,b
Item ad absoluendum à venialibus. ibid.& seq.
Etiamsi sit hæreticus, absolvere tamen potest in articulo mortis. 163,b
Sacerdos tantùm est necessarius Minister Sacramenti Extremæ Vnctionis. 213,b
Quomodo dicatur conficere Sacramentum Eucharistiæ. 221,a
Sacerdos Græcus & Latinus quoad consecrationem in azymo vel fermentato, tenentur sequi morem suæ Ecclesiæ. 236,b. 237,a
Peregrinus tenetur consecrare iuxta morem suæ Ecclesiæ. 237,b
Secùs Sacerdos incola. ibid.a,b
Vt validè consecret, debet ipse sensu materiam consecrandam percipere. 244,a,b
Eius intentio debet in consecrando ferri in materiam determinatam in individuo, vt validè consecret. 245,a.
Si habeat intentionem consecrandi formulas existentes debita præsentia & propinquitate morali, & postea solùm recordetur hostiæ quam habet in manu, illas consecrat. ibid.b
Non consecrat guttulas quæ intra calicem discontinuæ sunt, nisi id expressè intenderit: consecrat tamen eas guttulas, quæ, incepta verborum prolatione sunt continuæ, & etiam quæ continuantur post inceptam, ante perfectam prolationem. ibid.
Ministrans Eucharistiam indigno, quot peccata committat. 319,b

Et quando excusetur. 320,a
Solus Sacerdos est minister consecrationis. 339,a
Plures Sacerdotes possunt eamdem formam consecrare valide & licite, & quomodo. ibid.
Ipsi soli conuenit ex officio Eucharistiæ distributio. 340,b
Diaconis ex commissione Sacerdotum expressa, aliquando ex interpretatiua, Eucharistiam distribuere licet. ibid. 341,a
Imo nec omni Sacerdoti licet id, sed proprio Pastori. 341,b
Quibus aliis id liceat ex priuilegio, & quomodo. 342,a
Ad ministrandum ex priuilegio nulla requiritur approbatio. 343,b
Omnes Sacerdotes possunt valide offerre Sacrificium Missæ. 360,a
Imo tenentur sub mortali aliquando celebrare. 371,b
Et quoties. 372,a
Quibus diebus liceat. ibid.b
Quibus diebus liceat bis aut sæpius. 373,b
Possunt accipere stipendium pro celebratione Missæ, & quantum. 382,b
Non tamen pro vna Missa plus quam vnum. 383,a
Quando obligentur offerre pro aliis. ibid.b
Cum Sacerdos Missas sibi commissas aliis distribuit, quo pacto possit & debeat stipendia soluere. 384,a,b
Quæ sit materia & quæ formam ordinatione Sacerdotis. 394,b
Sacerdos quilibet poterit omnes Ordines sacros vsque ad Sacerdotium conferre ex commissione Romani Pontificis. 400,a
An Sacerdos habens licentiam assistendi matrimonio, & eam ignorans, valide assistat. 460,b. 461,a
Vide de assistentia matrimonij in Parochus.

Sacramentum.

Sacramenti nomen in ea significatione qua à Catholicis accipitur, fundamentum habet in Scriptura & vetustissimis Patribus. 5,a
Sacramentum etsi sit vnum aliquo modo per accidens, nihilominus recte definiri potest. ibid.
Aptior eius definitio, omissis aliis, traditur. 6,a
In ea definitione tantum intrinseca sanctitas explicatur. ibid.b
Ad Sacramenti rationem non requiritur, quòd sit signum practicum gratiæ per ipsum significatæ. 7,a
Neque quòd signum demonstratiuum sanctitatis præsentis, sed sufficit quòd sit prognosticum futuræ. 8,a
In Sacramentis significatio sanctitatis est aliquid rationis. ibid.b
Ratio Sacramenti vniuocè de nouis & veteribus dicitur. ibid. & seq.
Omnia nouæ legis Sacramenta & rebus perficiuntur & verbis: rebus, vt materia; verbis, tamquam forma: & quomodo id specialiter Eucharistiæ & Matrimonio conueniat. 9,a. & seq.
Res & verba, quibus perficiuntur Sacramenta in vsu & actione consistentia, partes sunt intrinsecè pertinentes ad ipsa. 10,b. & seq.
Verba quibus Sacramenta perficiuntur, non sunt concionatoria, sed consecratoria. 12,a
Omnia Sacramenta nouæ legis perficiuntur verbis & rebus determinatis. ibid.b
Quæ variatio in materia & forma Sacramentorum illa inualidet. 13,b
Variatio etiam animo inducendi errorem, quo modo non inualidet. 15,a
Conuenientia institutionis Sacramentorum ostenditur. 16,a
In lege veteri scripta verè fuerunt Sacramenta. 17,a
Et in lege naturæ Circumcisio verum fuit Sacramentum; & ante Circumcisionem paruulis ab originali remedium fuit fides parentum, etsi interna tantùm. ibid.b. & seq.
An perseuerante Adamo in statu innocentiæ futura fuissent Sacramenta, incertum est. 18,b
Sacramenta nouæ legis causant gratiam ex opere operato. 19,a
Idque efficiunt non physicè, sed moraliter. 20,b
In quo consistat specialitas gratiæ Sacramentis collatæ. 21,a,b
Quæ Sacramenta primam gratiam conferant. 22,b
Pro dispositionis inæqualitate inæqualis gratia taxatur recipientibus. 23,b
Desiderium Sacramenti quod realiter nequit suscipi, gratiam ex opere operato non confert. 24,b
In vltimo instanti, quo fiunt Sacramenta, gratiam conferunt. 25,a
Recedente fictione, si fictè nimirum suscepta fuerint, gratiam non conferunt. ibid.b
Nulla Sacramenta veteris legis ex opere operato sanctificabant. 26,b. & seq.
Aliqua Sacramenta characterem imprimunt. 27,b
Potestas ad instituenda Sacramenta non potest creaturæ communicari. 30,a
Omnia Sacramenta nouæ legis à Christo Domino sunt instituta. 31,a
Ministri Sacramentorum sunt soli homines viatores. ibidem b.
De intentione Ministri in Sacramentorum administratione. 32,a,b. & seqq.
In ministro Sacramentorum requiritur necessariò fides & sanctitas. 36,b. 37,a,b
Quatenus liceat Sacramentum suscipere ab eo quem scimus peccaturum in administratione. 38, b. & seq.
Qui consensus in Sacramentum recipiente requiratur. 40,b
Quot sint nouæ legis Sacramenta. ibid.a
Quem ordinem habeant inter se. 41,b
Peccat mortaliter excommunicatus excommunicatione maiori, qui recipit vel ministrat Sacramentum. 573,a
Quid si illud recipiat ob vitandum graue aliquod damnum. ibid.
Quid si cum ignorantia inuincibili, vel probabili, aut inaduertentia naturali. ibid.
Quam pœnam incurrat excommunicatus excommunicatione maiori, qui recipit vel ministrat Sacramentum. ibid.
An excommunicatus excommunicatione maiori possit licitè administrare Sacramentum Pœnitentiæ existenti in periculo mortis, si non sit alius qui id facere possit. ibid.
An possit administrare reliqua Sacramenta. ibidem. & seq.
An Sacramenta suscepta ab excommunicato excommunicatione maiori sint valida. 574,a,b
An Sacramenta ministrata ab eiusmodi, sint valida. 575,a,b
An possit communicari in Sacramentis cum excommunicato excommunicatione maiori. 583,b
An excommunicatus excommunicatione minori licitè & validè recipiat Sacramenta. 604,a
An valide & licitè illa administret. ibid.
An quando Clerici à suis Ordinariis suspenduntur ab officio,

officio, quia exhibuerunt Sacramenta hæreticis, possint ab eisdem Ordinariis absolui. 610,b
Quæ Sacramenta prohibeantur tempore interdicti. 617,b.
An irregularis validè Sacramentum suscipiat. 627,a

Salutatio.

An salutatio honorifica facta excommunicato sit prohibita. 583,a
Quid si tantùm signis fiat, non verbo. ibid.
Quid si fiat non animo salutandi excommunicatum, sed ne quis se inurbanum ostendat. ibid.
Quid si sit resalutatio. ibid.
Quid si salutatio non sit honorifica, sed deprecatoria. ibidem.

Sapa.

Non est conueniens materia consecrando Sanguini Christi. 238,a

Satisfactio, generatim.

Post remissionem culpæ satisfaciendum adhuc est pro aliqua pœna temporaria. 191,a
Pœna illa manet ex naturâ rei. ibid.b
Pro qua potest homo iustus satisfacere condignè. 192,a
Si sit in statu gratiæ. ibid.b
Existens in peccato, imò damnatus, passione pœnæ liberatur à debito. 193,a
Satisfactio sit opere pœnali. ibid.b.&seq.
Sed voluntariè quæsito, non necessariò perpesso. 194,b
Per opera aliàs præcepta satisfacimus. 195,a
Satisfactio in actu secundo acceptationem Dei importat. ibid.b

Satisfactio Sacramentalis.

In pœnitentis satisfactione acceptatio Dei requiritur. 195,b.
Confessarius potest obligare pœnitentem ad impletionem pœnitentiæ iniunctæ, & an sub mortali. 196,b. & seq.
Quando Confessarius teneatur pœnitentiam imponere. 197, b. & seq.
Et quantam pœnitentiam. 198, b
Obligantem sub præcepto. 199,a
Et à pœnitente sequendam. ibid b
Pœnitentia sit opus pœnale. ibid.& seq.
Siue internum siue externum. 200,b
Potest imponi opus præcepti. ibid.
Et pœnitentia publica. 201,a
Quomodo pœnitentia possit ab alio Confessario mutari. ibid. b
Oblitus pœnitentiæ iniunctæ non tenetur iterum confiteri. 202,b
Pœnitentia Sacramentalis ex opere operato remittit peccata. 203,a
Non tamen causat gratiam ex opere operato. ibid.b
In statu peccati facta, non remittit pœnam ex opere operato. 204,a
Pœnitentia prudenter à Confessario taxata, extinguit omne debitum pœnæ. 206,a

Scientia.

Quanta Confessarijs sit necessaria. 166,b. & seq.

Semen.

Coniux, qui postquam in actu matrimoniali seminauit, non expectat seminationem alterius, mortaliter peccat. 498,a,b
An transmissio seminis, siue naturalis, siue bestialis, siue sodomitica, absque copula, sufficiat ad diuortium. 506,a

Sepultura.

An excõmunicatus possit sepeliri in loco sacro. 576,b
Quid si in periculo mortis fuit absolutus à Sacerdote non habente iurisdictionem extra illud. ibid.
Quid si ante mortem tantùm dedit signa contritionis. ibidem.
An semel absolutus sit exhumandus. ibid. & seq.
Quid si excommunicatus sit toleratus. 577,a
Quam pœnam incurrant qui in loco sacro sepeliunt excommunicatum non toleratum. ibid.
Quam incurrant qui sic sepeliunt hæreticum. ibid.b
An, & quomodo, & quas personas interdictum præmittat Ecclesiastica sepultura. 618,a

Seruitus, Seruus.

An seruitus sumpta pro statu mancipij, dirimat matrimonium Iure naturali. 513,a
An ignorantia seu error seruitutis dirimat matrimonium serui cum libera. ibid.
An quando tradit mancipium in matrimonium alicui libero ignaro seruitutis, vt contrahat cum illo, maneat mancipium liberum. 514,a
Quid si dominus sciat, & studiosè taceat, aut non contradicat. ibid.
An in casu quo mancipium contrahit cum libero seruitutis ignaro, & libertatem consequatur, matrimonium validè fiat. ibid.
An mancipium quod contrahit cum domino vel cum domina, statim libertatem consequatur. ibid.b
Quo Iure. ibid.
An mancipium validè & licitè contrahat inuito domino. ibid.
An teneatur potius satisfacere coniungi quàm dominæ. 515,a
A domino an vendi possit mancipium coniugatum ad partes remotas, quando impediendus est vsus matrimonij. ibid.b
An serui teneantur vitare dominum excommunicatum. 586,a
Quid si excommunicatio sit contra participantes. ibidem.
Quid si eorum ope aut consilio fuit perpetratum scelus ab quod imponitur excommunicatio. ibid.
An serui eiusdem familiæ possint inter se communicare. ibid.
An cohabitare. ibid.

Sigillum confessionis.

An stricta sigilli obligatio ex Iure naturali diuinæ religionis nascatur. 184,b
Ex confessione Sacramentali oritur eiusmodi obligatio. ibidem.
Enumerantur qui sigillo teneantur. ibid
Cuius rei secretum sit celandum sub sigillo. 185,b
Sigillum ne violetur, confessarius interdum ab ingrauescentia peccatorum suorum confessione excusatur. 186,a,b
De licentia pœnitentis potest peccatum confessum revelari. ibid.b
Peccatum nullum, quantumuis publicum, à Confessario manifestari potest. 187,a
Secùs quod extra confessionem quis nouit. ibid.b.
Ob pœnitentis correctionem sigillum nullatenus est violandum. 188,a
Nec etiam ob tuendam propriam Confessarij vitam. ibid. b
Contra sigillum est, si Confessarius dicat, Non absolui *pœnitentem.* 189,b
Pœnitens non tenetur sub sigillo celare defectus Confessarij. ibid.& seq.

Simonia.

An ordinatus à simoniaco sit suspensus. 611,a
An

An ordinans vel ordinatus simoniacè. 612,a

Sodomia.

An ob sodomiam fieri possit diuortium. 506,a
Quid si copula sodomitica fiat absque seminis intromissione. ibid.
Quid si semen intromittatur absque copula. ibid.
An sodomita sit suspensus. 612,b

Species.

Quid sit sub speciebus panis & vini ex vi verborum consecrationis, & quid per concomitantiam. à 278,b. vsque ad 293,a
Sub qualibet specie Sacramentali sunt humores Christi. 278 b
Quæ attribuantur Christo ratione specierum. 296,b
An maneat Christus Sacramentaliter sub speciebus in Carnem aut Sanguinem conuersis. 298,a
Quomodo dicatur quis nutriri speciebus. 303,b
Per solam mixtionem alterius liquoris cum speciebus Sacramentalibus consecratis, non desinit esse Christus sub illis. 304,a
Sub vtraque specie laici non tenentur communicare. 336,a
Imò id est prohibitum Iure Ecclesiastico. ibid.b
Conferátne plus gratiæ species vtraque quàm vna. 337,b
Vtriusque consecratio requiritur ad essentiam Sacrificij. 352 a,b
Et est Iure diuino præcepta. 353,b
Sumptio specierum, adhuc à celebrante facta, non pertinet ad essentiam Missæ. 350,a

Sponsalia.

Variè sumuntur. 411,a
Quid sint. ibid.
An obligent sub mortali, an sub veniali. 414,b
An ex illis quæ tantum obligant sub veniali, oriatur impedimentum honestatis publicæ. ibid.
Ad illa necessaria est matura deliberatio. 415,a
Si facta fuit in furia aut ebrietate, nulla sunt. ibidem b.
Ad eorum valorem in furioso aut ebrio quæ necessaria sit deliberatio. 416 a
Quibus signis aut verbis contrahantur. 418,b & seq.
Qui possint illa contrahere. 420,b
An quæ coactè vel metu fiunt, obligent ex iustitia. 421,b
An clandestinè facta sint valida & licita. ibid.
An Iudex possit cogere nolentem, vt illa adimpleat. 422,b
An pœna posita iniustè non implenti illa sit valida. 423 a
An illa contrahentes possint conuenire, vt qui resilierit, recompenset alteri damnum quod emersit, & lucrum quod cessauit. ibid.b
An impediantur ex defectu ætatis. 425,a
An ex defectu vsus rationis. ibid.
An ex inhabilitate contrahentis ad matrimonium contracta tempore quo fiunt sponsalia, & contrahenda tempore quo celebrandum est matrimonium. ibid.
An per votum castitatis, quo illis accessit defloratio virginis. ibid.
An mutuo impuberum consensu dissolui possint. 426,a
Quid si sint iurata. ibid.
An dissoluantur per votum subsequens castitatis. 427,b
An per professionem solemnem, vel vota simplicia Societatis Iesv. 428,b
An per votum profitendi. 429,b
An per votum ingrediendi Religionem cum animo experiendi illam. ibid.
An per contractum matrimonij cum alia persona. ibid.
An in perpetuum, vel dum durat contractum matrimonium. ibid.
Quid si sponsalia præcedentia sint iuramento firmata. 430,a
An soluantur per fornicationem vnius sponsi. 432,a
Quid si fornicatio sponsi vel sponsæ fuit vi illata. ibid.
An per tactus impudicos cum alia persona. ibid.
Quid si fornicatio fuit commissa ex vtraque parte. ibid.b
Quid si fornicatio fuit commissa ab sponsa existimata virgine, vel vidua honesta. ibid.
Quid si fornicatio fuerat anteà facta ab sponso, & postea cognoscitur à sponsa. ibid.
An hæresis sponsalia dissoluat. ibid.
Quando impedimentum dirimens sponsalia dissoluat. ibid.
Ob quos corporis defectus sponsalia soluantur. 433,a
An ob defectum pulchritudinis. ibid.b
Aliæ quam plurimæ assignantur causæ solutionis sponsalium. ibid.& seq.
An causæ, quæ si superuenirent, sufficerent ad solutionem sponsalium, sufficiant quando præcesserunt, & fuerunt ignoratæ. 434 b
An eædem præcedentes causæ factum inualident. ibid.
Quando sponsalia possint dissolui propria auctoritate, vel auctoritas Iudicis sit necessaria. 436,a
An sufficiat vnus testis ad solutionem sponsalium. ibid.
An debeat dicere, se scire, vel sufficiat dicere se audiisse. ibid.
An debeat esse iuratus. ibid.
An sufficiat fama publica ad reualidanda sponsalia nulla ex defectu consensus, siue veri siue legitimi. 443,a
An sponsalia transeant in matrimonium saltem præsumptum per copulam subsecutam. 445,a
Quid si copula fiat coram Parocho & testibus. ibid.b
Quid addat sponsalibus designatio temporis. 482,b
Quid modus, vt cùm dicitur, Promitto tecum contrahere, vt mihi seruias. 483,a
Quid si demonstratio, causa, vel modus sint contra substantiam matrimonij. ibid.
An Episcopus possit dispensare in sponsalibus. 542,b
Quæ causæ requirantur ad dispensandum in sponsalibus. 543,a

Sponsus. Sponsa.

An sponsus sit liber ad ingrediendum Religionem, adhuc quando sponsalia sunt iurata. 428,a
An sponsus accedens ad sponsam amittat ius resiliendi quando illud anteà habebat. 435,a
An laborans defectu occulto sufficiente ad dissolutionem sponsalium, licitè compellat alium ad contrahendum. ibid.b

Subdiaconus.

Quæ fides & sanctitas in eo requiratur. 36,b
Quæ sit materia & quæ forma in ordinatione Subdiaconi. 397,a

Submersio.

Submersio in Baptismo sufficit absque emersione. 45,a

Suburbium.

An interdicto generali personali populi comprehendantur habitantes in suburbiis. 614,b
An interdicto generali locali alicuius oppidi etiam comprehendantur suburbia. 615,a

Suffragium.

Suffragia quædam sunt communia, facta auctoritate publica Ecclesiæ, quædam particularia. 570,a
An excommunicatio priuet suffragiis cõmunibus. ibi.
An liceat pro excommunicatis suffragia communia offerre tamquam pro nõ separatis à communione Ecclesiæ, ad impetrandum illis quæcumque bona. ibid.
An liceat illa offerre pro illis quasi in communi, tamquam pro exteris, ad impetrandam eis reductionem ad obedientiam. ibid.b
An liceat suffragia communia offerre pro conuersione non baptizatorum. 571,a
An si de facto offerantur dicta suffragia, prosint excommunicatis. ibid.
An possint offerri pro excommunicatis toleratis. ibi.b
An cum de facto offeruntur pro omnibus fidelibus, comprehendantur ibi excommunicati tolerati. ibid.
An possint offerri pro excommunicatis iam contritis. 572,a
An suffragia particularia possint offerri pro excommunicatis. ibid.b
An possit pro eis orari in Memento Missæ. ibid.
An possit Celebrans offerre pro illis actionem ipsam celebrandi quoad valorem priuatum ipsi Celebranti respondentem. ibid.

Superior.

An in Superioribus Religiosorum, etiam Conuentualibus & immediatis, sit potestas ferendi censuras. 549,a
Religiosi vbique terrarum existentes à suis Superioribus censuris ligari possunt. 552,b
An subditi Religiosi teneantur obedire Prælato excommunicato. 579,b
An possint. ibid.
An licentia ab illo obtenta sit valida. ibid.
An possint cum illo communicare. 586,a
Quid si excommunicatio sit cõtra participantes. ibid.
Quid si post excommunicationem contractam fiant subditi. ibid.b

Suspensio.

Quid sit suspensio. 606,a
Quotuplex sit. ibid.
An quando quis absoluitè suspenditur absque vlla determinatione, censeatur suspendi ab officio, vel à beneficio, vel ab vtroque. ibid.b
An suspensio possit fieri non vt censura. ibid.
An quæ fertur in perpetuum & absque spe relaxationis, non tantùm priuet vsu & dominio, sed etiam potestate per modum depositionis. ibid.
An quæ fertur pro tempore quo Iudici placuerit, illo mortuo seipsa cesset. ibid.
An suspẽsus possit exercere actus iurisdictionis. 607,a
An illi valide & licitè conferatur beneficium. ibid.
Quid si per triennium in suspensione perseueret. ibid.
An suspensus ab vno officio, sit etiam suspensus ab alio includente illud à quo est suspensus. ibid.
An suspensus ab vno officio, sit etiam suspensus ab omni alio quod supponit illud à quo est suspensus. ibid.
An suspensus à beneficio possit percipere fructus illius. ibid.
An possit illud per procuratorem ministrare. ibid.
An teneatur præstare id ad quod alias obligaretur si non esset suspensus. ibid.
An possit exercere actus iurisdictionis conuenientes ratione beneficij. ibid.
An suspensus ab officio vel à beneficio sub disiunctione, maneat ab aliquo determinatè suspensus. ibid.b
An Episcopus suspensus à Pontificalibus possit exercere actum ordinis Episcopalis. ibid.
An possit exercere actus iurisdictionis. ibid.
An suspensus ab ingressu Ecclesiæ possit celebrare & audire diuina officia saltem extra Ecclesiam. ibid.
An suspensus, qui non est denuntiatus, possit ad petitionem aliorum exercere ea à quibus est suspensus. ibid.
An suspensus non tantùm illicitè sed etiam inualidè exerceat ea à quibus est suspensus. 608,a
An suspensio possit validè ferri absque culpa suspensi. ibid. b
An ob culpam tantùm venialem. ibid.
Quid requiratur vt suspensio feratur contra participantes cum excommunicatis. ibid.
In quibus sit potestas ad suspensionem ferendam. 609,a
An suspensus possit suspendere. ibid.
An possit delegare suam potestatem alteri. ibidem.
An vt suspensio validè & licitè feratur, debeat ferri in scriptis. ibid.
Quibus modis impediatur suspensio. 610,a
Quomodo auferatur suspensio quæ lata est vt censura. ibid.
Quomodo auferatur quæ lata est in puram pœnam. ibid.
Quando suspensio censeatur ferri vt censura, vel vt pura pœna. ibid.
Assignantur aliqui casus, quibus suspensio tantùm potest auferri à Papa. ibid.b
A quo possit auferri suspensio contra aliquem nominatim lata. ibid.
An possit auferri suspensio Iure lata, quando non seruatur. ibid.

T.

Tabellio.

Tabellionis munus an possit exercere qui est excommunicatus. 582,a
An instrumenta ab illo facta sint valida. ibid.b
Quid si sit toleratus. ibid.
An possit ferre stipendium ordinarium pro instrumento facto. ibid.
An tabellio causæ propter quam fertur sententia sanguinis, sit irregularis. 635,a

Tactus.

An tactus impudici sponsi vel sponsæ cum alia persona sponsalia dissoluat. 432,a
An tactus turpes inter coniuges liciti sint. 502,b
Quid si tactus prædicti fiant tantùm ob capiendam libidinem. ibid.
Quid si fiant cum periculo destillationis & alterationis in membris externis. ibid.
Quid si coniux in absentia alterius tangat sua membra alteranda & commouenda. ibid.
An tactus impudici inter sponsos sint liciti. 505,a
An tactus impudici sufficiant ad diuortium faciendum quoad torum. 506,a

Templum.

An coniugalis actus in templo factus sit illicitus. 497,b
Templum tum demum polluitur per effusionem seminis contra cassitatem, quando est caminosam publica, & habita intra corpus templi. ibid.

Terra.

Interdictis generaliter terris alicuius domini, interdicitur omnis terra in quam habet iurisdictionem. 615,b
Quid si illam habeat in feudum, aut in emphyteusim, aut in dotem vxoris, aut in vsumfructum. ibid.

Quid si illam habeat in pignus. ibid.
Quid dicendū sit de terra quam de nouo acquirit, ibi.
Quid de ea quam alienat. ibid.

Testis.

Quot testes requirantur, & qualis testificatio ad dissoluendum sponsalia. 436,a
Quot ad matrimonium. 456,a
Quot requirantur ad valorem matrimonij. 461,a
Quales debeant esse. ibid.
Qualis præsentia illorum requiratur. ibid b
An sufficiat illorum virtualis attentio. ibid.
Quid si sint coacti. ibid. & 462,a
An excommunicatus possit esse testis. 582,b
An testimonium illius sit validum. ibid.
Quid si sit toleratus. ibid.
An testis criminis propter quod fertur sententia sanguinis, sit irregularis. 635,a
Quid si testis obligetur à Iudice aliquo præcepto seu grauimetu. ibid.

Transsubstantiatio.

Aqua post inchoatam formam consecrationis Sanguinis, & ante eam finitam conuersa in vinum, non conuertitur in Sanguinem Christi. 258,a,b
Conuersio seu transsubstantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, non consistit formaliter in eo, quòd materia prima panis & vini continuetur cum materia prima Corporis & Sanguinis Christi, & incipiat esse sub forma eorum. 264,b
Conuersio Eucharistica etiam non consistit formaliter in productione modi accidentalis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus. 266,a
Neque etiam in productione modi substantialis, quo Corpus & Sanguis Christi constituuntur substantialiter sub speciebus panis & vini. 267,a
Neque item in productione Corporis & Sanguinis Christi. ibid.b
Neque quòd id, quod erat panis, fiat Corpus Christi. 270,a
Quæ ad rationem conuersionis requirantur. ibid.b
Consistit formaliter in desitione sola panis in Corpus Christi, seu in desitione panis vt relata ad Corpus Christi. 271,b
Terminus eius ad quem non est solum Corpus Christi, sed etiam non-esse panis. ibid. 272,a
Relatio rationis, quam pro formali imbibit, non obstat quo minus dicatur realis conuersio, & esse à parte rei. 273,a
Ratione conuersionis non est verum in rigoroso sensu, quòd panis sit, vel de aut ex pane fiat Corpus Christi. ibid.b
Productio præsentiæ Corporis ad accidentia, est tantùm necessaria ad conuersionem tamquam conditio. 275,a
Non quælibet res creata in aliam totaliter conuerti potest. 276,a
Nec vlla creatura in Deum, neque vt terminum totalem, neque vt partialem, conuerti potest. 277,a
Conuersio materialis vel formalis possibilis est. ibid b

Trinitas.

SS. Trinitatis expressa inuocatio ad essentiam formæ Baptismatis requiritur. 48,b. & seq.

V.

Vagabundus.

Vagabundus an possit sibi eligere Confessarium. 165,a
Quis censendus Parochus vagabundorum. 461,a
A quo possint excommunicari. 589,b

Vasallus.

An vasalli teneantur vitare dominum excommunicatum. 586,a

Verba.

Verba Sacramenti quomodo cum re Sacramenti illud componant. 10,b, & seq.
Non sunt concionatoria. 12,a
Quæ verba sint essentialia in forma Baptismi, & quæ voculæ absque mortali possint omitti. 46,b
Quæ verba sint de essentia absolutionis. 121,b & seq.

Verba consecrationis.

Sunt forma efficiens Sacramentum. 248,b. 249,a
Verba antecedentia Canonis non sunt essentialia, neque necessaria ad consecrationem. 250,a,b
In his verbis, Hoc est Corpus meum, *clauditur tota essentia vel forma consecrationis Corporis; & in his,* Hic est calix Sanguinis, *consecrationis calicis.* ibidem b. 251,a
Alia verba neque ad essentiam neque ad integritatem pertinent. 251,a
Omittere verbum aliquod ex non essentialibus formæ consecrationis, puta particulam enim, *tantum veniale peccatum est.* ibid.b
In omissione verbi essentialis est duplex peccatum contra Religionem. 252,a
Mutatio verbi immutans sensum formæ, peccaminosa, & irritatiua Sacramenti est. ibid.
Dicuntur à Sacerdote recitatiuè & etiam significatiuè. 254,a,b
Licet non sit necessarium ea proferre recitatiuè. ibid.b. & 255,a
Sunt causa conuersionis vt significant, non vt vera. 259,a,b

Viaticum pro Eucharistia.

Potest sumi à non ieiuno. 324,b
Quoties infirmus, semel à periculo mortis liberatus, reincíderit in aliud periculum, potest non ieiunus communicare. 325,a,
Imò adhuc eodem periculo perseuerante, etiamsi non peccauerit denuò mortaliter, si tamen non possit tempus commodum expectare. ibid.
Quoties id liceat. ibid.b

Vicarius.

Vicarius generalis Episcopi an possit ex vi sui officij præcisè assistere matrimonio. 478,b. 458,a
An possit dispensare vt denuntiationes omittantur vel postponantur. 463,b
An possit delegare potestatem vt alter dispenset. 464,a
Quibus de causis dispensare possit. ibid. b
Quando dispensare teneatur. 465,a
Qualem informationem facere debeat de causis dispensationis. ibid.b
An in vicario sit potestas ferendi censuras. 548,b
An cesset in illo talis potestas per excommunicationem superuenientem Episcopo. 550,b

Vidua.

An qui cognouit viduam sub spe futuri matrimonij, possit Religionem ingredi. 428,a,b
An fornicatio viduæ existimatæ honestæ, dissoluat sponsalia subsequentia cum postea cognoscatur. 432,a

Vinum.

Vinum ex vite tantum est apta materia Sanguini Christi consecrando. 237,a
Vinum fugiens aptum quidem est consecrationi, si tamen purè dubium sit an sit acetum, illicitum est consecrare. 238,a
Vinum recens seu mustum expressum consecratur va-

lidè, an verò licitè, necdum satis constat. ibid.b
Vinum congelatum aptum est consecrationi validæ & licitæ. ibid.a,b
Non intrat Sacrificium Missæ. 347,b

Virgo.

Ad quid teneatur deflorator virginis sub promissione ficta matrimonij. 418,a
Quid si deflorata virgo ex diuitiarum excessu aut alio capite potuit coniicere promissionem esse fictam. ibid.b
An deflorator virginis sub spe futuri matrimonij maneat liber ad ingrediendum Religionem. 428,a,b
An fornicatio existimatæ virginis dissoluat sponsalia subsequentia, cùm postea cognoscitur. ibid.
An corrupta possit simulare virginitatem ad contrahendum. 435,b
An possit licitè pati apertionem sigilli ferro faciendam, si non possit aliter à marito cognosci. 532,a
An ad id teneatur. ibid.
Quid si hoc fieri non possit absque graui damno infirmitatis vel doloris. ibid.

Visitator.

An in visitatoribus Religionum & diœcesum sit potestas ferendi censuras non tantùm præcepto sed etiam Iure. 550,a

Vnctio.

Vnctio sensibilis est materia proxima Sacramenti Extremæ Vnctionis. 208,a,b
Vnio quæ est inter Christum & species in Sacramento, est accidentalis, non substantialis. 291,a
Et est supernaturalis quoad substantiam. ibid.b
Est peculiaris unio realis præter unionem gratiæ, inter Christum & eum dignè suscipientem. 308,b. 309,a
Quamdiu duret. 309,b

Voluntas.

Quãdo dicatur voluntas interpretatiuè manere. 441,b

Votum.

Votum Sacramenti, quod desiderium illius est, gratiam ex opere operato non confert. 24,b
An qui post sponsalia emisit votum castitatis, vel susceptionis Ordinis, vel ingrediendi Religionem, illo teneatur. 427,b. 428,b. 429,b
An votum castitatis impediat valorem sponsalium, quando illis accessit defloratio virginis sub spe futuri matrimonij. 425,a
An qui post sponsalia emisit votum castitatis mortua sponsa, quæ viuens non remiserat, teneatur voto antè facto. 428,a
An per vota solemnia Religionis soluatur matrimonium saltem baptizatorum. 486,a
An per vota simplicia Societatis Iesv. 487,a
An per vota Ordinum militarium. ibid.b
An per vota Mantellatorum & Mantellatarum. ibid.
An qui ante celebrationem matrimonij, vel consummationem illius emisit votum castitatis, teneatur reddere. 500,a
An possit aliquando petere. ibid.
An possit petere, qui post matrimonium consummatum emisit votum castitatis inscio alio coniuge. ibid.b
An qui post votum suscipiendi ordines illicitè contraxit, licitè matrimonium consummet. ibid.
An qui vouit ingredi Religionem, licitè exerceat primum actum coniugalem. ibid.
An qui vouerat non contrahere, & illicitè contrahit, licitè matrimonium consummet. ibid.
An mutuo consensu possint coniuges in sæculo manentes matrimonio consummato castitatè vouere. 509,b
Votum simplex castitatis matrimonium non dirimit. 515,a
Quid si fiat in Societate Iesv post biennium cum aliis duobus simplicibus. ibid.b
Quæ causæ requirantur ad dispensandum in voto. 543,a

Vxor.

Quid significetur nomine vxoris. 411,a
Potest duobus mensibus, numerandis à die contracti matrimonij, marito non reddere, etiam si ille petat, ut possit Religionem ingredi: quibus transactis, tenetur vel reddere, vel Religionem ingredi. 488,a
An possit hac facultate vti, si Religionem non ingredi cogitet. ibid.
An transacto bimestri possit Religionem ingredi, quando matrimonium non est consummatum. ibid.
An transacto bimestri teneatur statim profiteri, vel sufficiat eam ingredi Religionem. ibid.
Potest Religionem ingredi, si coacta ante bimestre matrimonium consummauerit. ibid.
Quòd si ipsa maritum coëgerit, & ille postmodum exacto bimestri illo Religionem ingressus fuerit, aliud matrimonium an inire possit. 489,a
Pluralitas vxorum est nulla & illicita. 493,a
Pluralitas vxorum simul aliquando fuit aliquibus valida & licita. 494,a
Si, postquam seminauit, non expectet seminationem mariti, mortaliter peccat. 498,a,b
An vno vel multiplici peccato. ibid.
An peccet quando non reddit marito debitum tamquam debitum. 503,a
An possit diu absque maritì licentia abesse. ibid.b
An excusetur à ieiuniis & pœnitentiis, quando illorum ratione redditur deformis, & ita pallida vt non placeat viro. ibid.
Non tenetur reddere cum periculo notabilis dãni. ibi.
An teneatur, si petenti vxori ex negatione imminet periculum incontinentiæ. ibid.
Quid si periculum oriatur ex morbo diuturno mariti. ibid.
Quid si ante matrimonium morbum sciuerit. ibid.
An excusetur à reddendi obligatione, quando inde proles nimiùm multiplicatur. 504,a
An excusetur ratione amentiæ mariti. ibid.
An marito illicitè exigenti possit reddere. ibid.b
Quatenus ob adulterium mariti ab eo separari possit. 505,b. 506,a,b
An possit post adulterium à marito discedere, etiamsi dimiserit iniuriam. 507,a
An teneatur ad diuortium, quando maritus in adulterio persistit. ibid.
An moraliter certa de adulterio mariti, teneatur obedire Iudici impedienti diuortium. ibid.
An ipsa post diuortium iustè factum (posito quod ipsa sit innocens) castitatem vouere & Religionem ingredi possit. ibid.b
An possit quando ex eius parte diuortium fuit illicitum. 509,a
An ex licentia mariti possit Religionem ingredi. ibid.
Potest vouere castitatem cum consensu mariti, & nihilominùs cum ea in sæculo manere. ibid.b
Reliqua quæ actum coniugij spectant, vide in

Actus coniugalis, & Copula.

An teneatur vitare maritum excommunicatũ. 586,a
An teneatur vitare maritum excommunicatum. ibid.
Quid si excommunicatio sit contra participantes. ibid.
An eximatur ab obligatione communicationis debitæ ratione matrimonij. ibidem.

SVMMA PRIVILEGII CAESAREI.

FERDINANDI SECVNDI, Diuinâ fauente Clementiâ Electi Romanorum Imperatoris semper Augusti, Diplomate cautum est, ne quis intra Romani Imperij & Regnorum ac Dominiorum suorum hereditariorum fines, Societatis IESV Patrum Opera, citra consensum eorumdem Patrum & Auctorum desuper obtentum imprimere, vel recudere, aut alibi recusa inferre aut vendere præsumat. Qui secùs faxit, præter librorum omnium confiscationem, viginti marcharum auri puri pœna mulctabitur, vti latiùs patet ex Diplomate dato Viennæ die IV. Augusti, M. DC. XXVI.

Signat.

FERDINANDVS.

Petrus Henricus à Stralendorff.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Maiestatis proprium,

Hermannus à Questenbergh.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ SOC. IESV.

EGo infrascriptus Societatis IESV per Prouinciam Flandro-Belgicam Præpositus Prouincialis, soli Balthasari Moreto facultatem concedo R. P. Gasparis Hurtado Societatis nostræ Theologi Tractatus de Sacramentis & Censuris excudendi, idque ex voluntate Auctoris, iuxta Priuilegium Societati nostræ à Sacra Cæs. Maiestate concessum.

Guilielmus de VVael.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus, & Potentiſſimus Belgarum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, nequis *R. P. Gaſparis Hurtado è Societate* IESV *Theologi Tractatus de Sacramentis & Cenſuris* præter voluntatem Balthaſaris Moreti vllo modo intra nouennium imprimat, aut alibi terrarum impreſſos in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaléſve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XXIV. Martij, M. DC. XXXIII.

Signat.


Steenhuyſe.

TIbi, Balthaſar Morete, qui typorum elegantiâ cunctos tranſſcendis, Plantinumque auum tuum æquas induſtriâ, concedo vt Librum meum DE SACRAMENTIS ET CENSVRIS, à plurimis mendis expurgatum, atque ſecundis curis à me limatum, typis tuis excudas, ac diuulges, etiam intra Hiſpaniarum Regna: nequis alibi alius præter te, & Ioannem de Villodas & Orduña typographum Vniuerſitatis Complutenſis, cupio, & iubeo ex lege quam PHILIPPVS IV. Hiſpaniarum & Indiarum Rex Catholicus ſanxit, ſcribente Ioanne Laſo de la Vega, magno Monarchæ ab intimis Secretis, Madriti, anno partæ ſalutis ∞. IↃC. XXIX. XIII. Kalendas Iulias.

Collegij Societatis JESV Paderbornæ 1636. *Gaſpar Hurtado.*


LABORE
ET
CONS
TANTIA





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
917a


PARTEM
EVANGELII
DO DE
SACRA
MENTIS
DVI
18